UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CL. V. Ioannis VVamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorvm Sive Consiliorvm De Ivre Pontificio Tomvs ...

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

Ioannis Wamesii I. C. Celeberrimi, Et In Academia Lovaniensi Antecessoris Primarii, Consiliorvm Tomvs Primvs, Qui ad Ius Pontificium; Ordine Decretalium digestus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98691

Visual Library

IOANNIS

WAMESII

I. C. CELEBERRIMI,

ET IN

ACADEMIA LOVANIENSI ANTECESSORIS PRIMARII,

CONSILIORVM

TOMVS PRIMVS,

Qui ad Ius Pontificium;

Ordine Decretalium digestus.

De Constitutionibus.

SVMMARIVM.

Constitutio prohibens usum literarum Apostolicarum sine Placito Principis.

1. *Constitutiones novæ pœnales restringendæ.*
2. *Casus omissus in statutis pro omisso habetur.*
3. *Signatura nuda literarum Apostolicarum appellatione non continetur.*
4. *Regula Cancellariæ* de non judicando juxta formam supplicationis.
5. *Signatura nuda ius adjecit, non illius exercitum.*
6. *Signaturam nudam in Judicio exhibens non committit in Constitutionem de non exequendis literis Apostolicis sine Placito.*
7. *Statutum adversus homicidium non habet locum occiso parcu.*
8. *Statutorum verba cum effectu accipienda.*
9. *Statuta loquentia de executioni mandandis literis aut instrumentis non habent locum in his, quæ nulla sunt vel ineffacia.*
10. *Ratio finalis constitutionis limitat constitutionem.*
11. *Executio à petitione multum differt.*
12. *Mora purgatio & pœnitentia etiam in pœnalibus admittitur usque ad sententiam.*

CONSILIVM I.

PER PHILIPPVM Archiducem Austriæ repetitis vicibus, annis Domini 1485. & 1493. & 1497. constitutum & ordinatum fuit, *ne quis, cuiuscumque ille status aut conditionis foret, exequeretur, vel executioni mandari pateretur aliquas literas exspectativas, reservationes, processus, sententias, executoriales, nec alias Bullas vel provisiones Apostolicas super beneficijs in suis ditionibus constitutis, sub pœna amissionis utilitatis & effectus earundem, nec non banni extra easdem suas ditiones, punitionis, & correctionis ad exemplum aliorum; additâ hac declaratione, quòd contravenies foret inhabilis ad umquam tenendum, percipiendum, aut possidendum fructus aliquorum beneficiorum in iisdem ditionibus; Idq; donec dictæ provisiones & Bullæ essent in suo magno Concilio visæ, & pro facienda illarum executione concessæ literæ patentes consensus in forma debita &c.* Ex hac Constitutione oritur quæstio, num in has pœnas inciderit, qui obtentam à sacrosancta Sede Apostolica nudam signaturam concessionis alicujus beneficij intra limites dictarum ditionum in judicio constitutus, ante expeditas super hujusmodi signatura in forma requisita ac consueta Bullas, exhibet, beneficij adjudicatione ante exhibitionem petita, non prius obtento Regiæ Catholicæ Majestatis præfati Philippi constituentis legitimi successoris, ac Domini prædictaram ditionum Placito; inter moras scilicet quàm Romæ ipsa Bulla Papalis expediebatur; quâ paulò pòst acceptâ, nullo alio progressu in judicio facto, Impetrans ad Placiti à Regiæ Catholicæ Majestatis Concilio petitionem pro usu dictæ Bullæ & potestate exequendi illam confugit?

Et sanè cum novarum constitutionum, statutorumque præsertim pœnalium, l. *Interpretatione penult. De pœnis*, * potissimùm quæ à jure communi recedunt & exorbitant, l. *Quod verò cum l. seq. De legib.* omniumque maximè, quæ Ecclesiasticæ libertati etiam rationabiliter contrariantur, *Auth. Cassa C. De sacrosc. Eccles.* non facilis sit extensio, sed stricta & angusta secundùm corticem verborum facienda interpretatio, quę verborum, quibus concepta sunt, tenorem ac rigorem excedere non potest, l. 3. §. *hæc verba De negot. gest. Bald. in l. Non sine C. De bonis quæ lib.* fit, ut quod verba novæ constitutionis ac statuti hujusmodi in fronte verborum non significant, nec complecti intelligantur, nec de persona ad personam, l. *Si verò* 64. §. *de viro, & ibi Bart. Solut. matrim.* l. *fin. C. De interdict. matrim. c. Cum dilectus & ibi Doct. De consuet.* nec de loco ad locum, *c. Vt animarum De constit. lib. 6. c. Ex tuarum De author. & usu pally.* nec de tempore ad tempus, *Fald. in l. Observare* §. *profiscisci, n. 4. De offic. proconsul. & legati*; nec de re ad rem, neque de causa ad causam, neque de similibus ad similia extendantur,

dantur, *Bart. in l. Omnes populi n. 62. De iustit. & iure*, ut quibus non conveniunt verba novę legis, constitutionis, seu statuti non conveniat, nec eis adaptari possit illius dispositio *l. 38. §. ait Prætor, & ibi Bart. De dam. infecto, Decius cons. 553. In civitate Lucana, n. 7.* tunc cùm contra formam juris communis est hu-
2 jusmodi dispositio; † quia casus qui omissus est pro omisso haberi debet, & regulari ac definiri secundùm terminos juris communis, *d. §. de vitio, c. Susceptum De rescriptis lib. 6.* eamque legem ac juris observationem etiam Imperatores, legum & juris communis conditores, sibi præscripserunt, *l. Præcipimus in fine C. De appellat.* ut quidquid novâ lege ab ipsis prolatâ expressum non conspicitur, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum intelligatur.

Proinde cùm dicta pœnalis, & à terminis juris communis recedens constitutio tantùm sit concepta de exequentibus seu executioni mandari facientibus literas, bullas, & provisiones Apostolicas super beneficijs, non est legis pœna trahenda ad eum qui tantùm utitur nudâ signaturâ, quę literarum, bullarum, seu provisionum Apostolicarum
3 appellatione non continetur. † Cùm inter nudam signaturam seu antecedentis supplicis libelli annotationem & literas Apostolicas tantum intersit, quantum inter rudem materiam & speciem formatam; ita quod nuda signatura tantùm contineat futurę gratiæ præparamenta, non absolutam perfectionem, hoc est consensum Papæ vel Principis, ut quod libello supplice petitum est, obtineatur, & ad usum effectumque perducatur tunc cùm literæ ex hac concessione seu annotatione expeditæ erunt. Vnde refert Lud. Gomesius, *ad reg. Cancellariæ Apostolicæ De non int. iuxtà for. supplic. q. 1. n. 3.* Baldu nudam signaturam seu supplicationem annotatam & apostillatam comparare embryoni seu partui imperfecto, & in utero matris adhuc existenti; quasi interea quàm literæ expeditæ adhuc non sunt, perfectionem nullam habeant: non magis quàm contractus, quem in scriptis fieri convenit, perfectus dici potest, quamdiu in mundum redactus, & omnibus suis partibus absolutus non est, *l. Contractus 17. C. De fide instrum.* etiam si consensus partium intervenerit, *Bald. in c. 1. Per quos fiat investit.* Hujusmodi namque signatura seu apostillata supplicatio in metu ac periculo inductionis, incisionis, cancellationis & reformationis adhuc est, quamdiu sigillata aut bullata non est. † Ex quo fonte manavit
4 vulgaris illa Cancellariæ Apostolicæ regula *De non iudicando secundùm formam supplicationis, sed literarum expeditarum*; quę regula juri communi est conformis, *Lud. Gomes. d. q. 1. in princ. Ioan. Staphilæus in tract. de signat. literarum iustitiæ c. 1. n. 2.* ut sæpiùs consultus respondit Oldradus vetus juris nostri Interpres, *Consil. 324. 325. 326. & 328.* Cui consonat, quod ex facto consultus respondit Socinus, *cons. 41. Viso indulto n. 4. vol. 3.* quamvis essentia ac substantia gratiæ in nuda signatura seu apostillata supplicatione contineatur, exercitium tamen gratiæ non permitti, nisi expeditis literis.

5 Ius quidem per signaturam quæritur, imò per vivæ tantùm vocis Papalis aut Principalis oraculum, *Bald. in l. Humanum num. 6. C. De legib. Paulus Paris. consil. 12. In isto iudicio possess. vol. 4.* Ideoque etiam literæ seu bullæ desuper postea expeditæ retroaguntur, & vim à tempore signaturæ supplicationis habere intelliguntur quasi anima & corpore coalescentibus, *Cajet. in l. 1. C. Vt lite pendente &c.* sed tamen nudæ signaturæ ante expeditas literas usus nullus est: usque adeò ut nec probationis vim aut effectum continere dicatur, *Clem. 1. De præbend. Felin. & alij ad rubric. De constitut. Rebuff. ad concordata Regni Galliæ, in rubric. de mandat. Apostol. §. 1. ad verb. literæ*; & ex illa in judicio nihil obtineri possit: quia continet tantùm assensum, ut literæ ad gratiæ extremam consummatamque perfectionem expediantur: † & sic respectu Papæ aut Principis con- 6
cedentis, effectus aliquis est in nuda signatura, *Math. de Afflict. decis. Neapolit. 253.* ne scilicet signaturâ seu apostillatâ supplicatione per verbum *fiat*, seu, ut in consistorio Papæ moris est, *Concessum ut petitur*, alij idem beneficium per similem supplicationem concedi possit, nec jus quæsitum habenti priorem signaturam auferri, *Felin. in c. capitulum De rescriptis*: sed respectu ejus, qui impetrat, & quoad usum obtentæ gratiæ nuda signatura vires nullas habet. Qua consideratione eleganter scribit Baldus, *in l. Falsus n. 22. versic. privilegia etiam &c. C. De furtis*, quòd initium gratiæ quoad tempus consistat in hujusmodi nuda concessione, sed quoad ejus executionem requiritur, quod literę exiverint de Cancellaria.

Cùm igitur nuda signatura appellatione literarum Apostolicarum non contineatur, consequens est, pœnalem illam Principis sæcularis constitutionem adversus exequentes seu executioni mandari procurantes latam, non porrigi adversus eum, qui nudam tantùm signaturam in judicio profert & exhibet; quia res imperfecta ac sine effectu est.

† Quemadmodum pœna homicidij per pœnale 7
statutum constituta locum non habet, nec extenditur adversus eum, qui partum seu hominem, qui in utero matris abhuc est, occidit, *Bald. in l. Cum inter veteres C. De fideicommiss. libert. Decius cons. 535. Requisitus n. 2.* (cui partui superiùs diximus nudam signaturam comparari) quia manet ille casus occisi partus sub dispositione Iuris communis. Et sic in proposito cùm nulla pœna statuta sit vel Iure communi, vel speciali aliquo statuto seu constitutione adversus utentem nudâ signaturâ, pœna nulla affici debet hic Impetrans. Pœnam enim non meretur, qui jure permittente aut saltem non prohibente aliquid facit, *l. Gracchus 41. C. Ad l. Iul. de adult.* Præterea cùm dispositio de facto non habeat locum in re destinata ad factum, *l. Catera 41. §. ult. & ibi Doct. De legat. 1.* & pœna statuta efferenti frumentum extra territorium non infligatur deprehenso in via, quamvis tendenti ad fines territorij, *Bald. in l. 3. n. 5. C. De servis fugit.* meritò quoque hæc dispositio pœnalis adversus exequentes literas Apostolicas extendi non debet adversus eum, qui utitur nudâ signaturâ, seu supplicatione apostillata, quæ tantum destinatur ad expeditionem futurarum literarum, & sic pro perfectis literis accipi nequit.

Ita enim verba pœnalis constitutionis accipi de- 8
bent, ut rem perfectam & consummatam, non cœptam tantùm significent, *l. 1. §. hæc autem verba D. Quod quisque iuris &c.* Cur enim alicui fraudi, aut

damno

damno sit, cuius nullus est effectus in ipso vsu? *d. §. hac autem verba in fine.* † Ex qua ratione illud quoque fundatur, quòd statuta loquentia de instrumentis seu literis executioni mandandis, etiam in favorabilibus, non obtineant locum in literis seu instrumentis, quæ vel nulla, vel inefficacia sunt, *Aug. in l. 3. § testamentum n. 2. D. Quemad. testam. aper.* Quod enim nullum est instrumentum, neque substantialiter, neque intellectualiter, ut inquit Baldus *in l. Scimus §. in computatione n. 17. C. De iure delib.* est instrumentum; cùm nec probandi vim habeat & quod in aspectu seu forma ac figura instrumentum esse videtur, si effectu careat, pro instrumento non habetur; & quia effectu caret, nomine quoque carere censetur, *l. Cum precibus* 18. *C. De probat.* Ideoque cùm de insinuatione & executione rescriptorum indultorumque Principalium agitur, originalia & authentica, non imperfecta proferenda sunt, *l. Sancimus C. De diver. rescript.*

10 Quod in proposito etiam expostcere videtur ratio finalis dictæ constitutiois, à qua regulari debent statuti seu novæ constitutionis verba, *Socin. consil. 89. Circa præmissum, n. 19. & 20. volum. 4.* non enim continet hæc (de qua hic agitur) constitutio simplicem absolutamque prohibitionem vel impetrationis vel vsus literarum Apostolicarum, sed executionem tantùm, non obtento Principali placito: ita quod locum sibi vindicare non possit in litteris non executabilibus, *Bald in d. §. in computatione*, qualis est nuda signatura Apostolica, quam diximus ne probationis quidem vim obtinere. Et ut idem foret judicium, ac par juris potestas in nuda signatura, & in expeditis literis; adhuc tamen dictæ novæ constitutionis pœna ad casum propositum applicari non posset: ob id, quòd dictus Impetrans executionem aliquam virtute huiusmodi signaturę non fecerit, sed illam tantùm in judicio exhibuerit, factâ dumtaxat petitione adiudicationis beneficij.

11 † Plurimùm enim interest inter petitionem & executionem: executio respicit id, quod in jurisdictione extremum est, *l. 1. §. 1. ff. Si quis ius dicenti non obtemp.* continetque rei apprehensionem ac ablationem vel in possessionem illius missionem, *l. Qui restituere* 68. *De rei vind. glos. in V. extremum in d. §. 1.* In petitione autem imploratio judicis & prima judicialis conventio tantùm consistit, per quam solam petitionem Impetrans numquam pervenire potuisset ad petiti beneficij adjudicationem, ob id, quòd per constitutiones Cancellariæ Apostolicæ, *Reg. de non iudican. iuxta formam &c.* manus omnium judicum claudantur, usque præcipiatur, ne super nuda signatura, non expeditis literis in forma debita, judicent. Ita quod in dupluci hoc concursu & verborum dictæ constitutionis, quæ nudam signaturam non complectuntur, & simplicis exhibitionis, in qua contraventio adversus dictam constitutionem constitui nequit, certum sit, pœnam dictæ constitutionis locum habere non posse.

Quibus & illud quoque adjungi potest, quòd si non ad omnimodam aversionem, & exclusionem dictæ pœnalis constitutionis, saltem ad excusationem Impetrantis, & evitationem pœnæ sufficere debet (præsuppositio etiam, quòd litterarum Apostolicarum appellatione nuda signatura contineatur) quod idem Impetrans exhibitam in judicio nudam signaturam ad se receperit, & ante accusationem seu querelam tam Opponentis, quàm ei se adjungentis Procuratoris Generalis, imò ante litem in dicto judicio contestatam, recepta ex urbe Roma authentica & originali bullâ, ex dicta nuda signatura in forma solemni expedita, sese conformando ordinationi dictæ pœnalis constitutionis, ad hoc amplissimum Regiæ Catholicæ majestatis Concilium confugerit, & pro obtinendo Placito supplex factus sit. † Cùm & in pœnalibus moræ contumacięque purgatio & excusatio, 12 rebus adhuc in egris, admittatur, *Doct. in l. Insulam* 24. *De verb. oblig.* & pœnitentiæ desistentięque potestas sit ad evitandam pœnam usque ad litis-contestationem, plerumque etiam usque ad sententiam. Vnde pœna ejus, qui de inofficioso testamento egit nec obtinuit, locum non habet in eo, qui in judicio usque ad sententiam in hujusmodi improba lite non perseveravit; nam desistendo pœnitentia delictum nondum perfectum abolet etiam in præjudicium fisci, *l. Papinianus §. meminisse* 14. *De inoff. testam.* & publicano dupli pœna remittitur, si quod injustè ademit, etiam post acceptum judicium ante sententiam restituit, *l. Hoc edicto* 5. *De public. & vectig.* Patrono ad evitandam pœnam amissionis bonorum liberti, propter accusationem criminalem adversus libertum institutam, prodest quòd ante sententiam, vel accusationem deserat, vel abolitionem petat, *l. Qui cùm maior* 14 *§. accusasse, l. In servitutem* 16. *§. petysse De bonis libert. l. Cùm patronum in fin. De iure patron.* utenti falso instrumento, ad subterfugiendum pœnam falsi, prodest instrumenti usu ultrò abstinere, *l. Si falsos C. Ad legem Corn. De falsis.* Rursus, quod huc proximè pertinet, statutum imponens pœnam petenti debitum semel solutum, locum non habet, cum à petitione putativus creditor desistit, *Bart. in l. Amplius* 15. *Ratam rem hab.* & pœna statuta proponenti exceptionem aliquam, non incurritur, cùm excipiens ab illius objectione abstinet, *Bart in d. l. Cum patronum.* Requiritur namque in hujusmodi delictis consummatio & ad effectum perductio: cur enim obsit conatus, cùm injuria nullum habuit effectum? *l. 1. in fin. ff. Quod quisque iur. &c.* Sic ut non tantùm non accusandus, sed etiam collaudandus sit Impetrans, qui bullâ Apostolicâ uti noluit, neque aliquam illius executionem facere, nisi præmissâ petitione requisiti Placiti.

Quare cùm nihil aliud proponatur nec objiciatur Impetranti, quàm usus dictæ nudæ signaturæ, à quo tempestivè destitit, quique nec in verbis nec in mente dictæ pœnalis constitutionis continetur, & quem Impetrans non executivè, sed per simplicem tantùm petitionem fecit, existimamus nihil esse, cur eidem Impetranti literæ Placiti denegari debeant, nec ullam esse occasionem declarandi eundem Impetrantem in tam graves pœnas dictæ pœnalis constitutionis incidisse.

De Constitutionibus.

SVMMARIVM.

Constitutio prohibens relinqui immobilia manui mortuę.

2. *Pauperibus bona immobilia relinqui posse.*
Relicta immobilia manui mortuæ, eâ lege, ut vendantur an sint prorsus inutilia?
2. *Fraudem legi non facit, qui se illi conformat.*
3. *Legati incapaci alicuius rei sine suo delicto relicti æstimatio præstanda.*
4. *Momentaneum dominium considerabile non est.*

CONSILIVM II.

APertam calumniam continet oppositio Ioannis vander Haghen suorumque consortium Reorum, adversus intentionem Provisorum pauperum Parochiæ S. Gaugerici Bruxellensis, Actorum. Nam generalis illa exceptio, quòd cum pauperibus non sit testamenti factio, quodque pauperes ex testamento acquirere non possint, saltem titulo universali, imperitiam juris in patrono Reorum redarguit: cùm aperta sit juris constitutio, permittens non tantùm legata vel fideicommissa relinqui pau-
1 peribus, *l. Id quod pauperibus 24. C. De Episc. & cleric.* * verùm etiam universales institutiones tam ex asse, quàm ex parte illis adscribi, *l. Si quis ad declinandam 49. C. de Episc. & cleric. & ibi Bald.* Vt & in eo aberrat idem patronus, quòd objecit Leges jucundi Adventus, & constitutionem secundùm illas promulgatam, *de non relinquendis bonis immobilibus manui mortuæ*, in qua dicuntur esse pauperes in genere, seu pauperum administratores. Nam licet illa constitutio vetet acquisitionem & retentionem bonorum immobilium; non tamen vult inutilia esse legata vel donationes, quæ sic fiunt, ut vendantur, ne impingant in dictam prohibitionem; sicuti testator iste suam voluntatem accommodando ac conformando ad dictam prohibitionem, prudenti consilio in substitutione pauperum, de qua in hac causa quæritur, facta mentione dictę prohibitionis, apertè declaravit, *quòd quoniam Collegium seu universitas pauperum non possit acquirere bona immobilia; sub dicta substitutione comprehensa, velit illa per Provisores pauperum distrahi, & ex pretio inde confecto reditus annuos comparari ad sustentationem pauperū*, quorū redituū acquisitio his personis seu Collegijs prohibita non est.

2 Neque admittendum est, quod objicitur, hanc testatoris cautionem esse fraudulentam, in fraudem dictæ prohibitionis adscriptam: nam in fraudem legis nihil facit, qui se legi conformat, & ne in illam impingat laborat; id faciendo, quod jus permittit. Permittit autem in genere jus legata quæcumque & institutiones pauperibus adscribi, *d. l. Si quis ad declinandam*; & per dictam constitutionem particulariter prohibetur tantùm acquisitio immobilium: quam testator hoc providò consilio omnino impedivit.* Cum alioqui etiam simpli-
3 citer relicta hujusmodi legata personis, aut collegijs, quæ certorum bonorum incapaces sunt sine suo delicto, aut vitio, ex externa aliqua alia causa, velut ex statuto, cùm scilicet prohibetur alienatio in non subditum; ex professione, ut in fratre Minore, *Clement. Exivi De verbor. signif.* ex conditione personæ, ut in servo, valeant & efficacia sint; si non ad plenam acquisitionem & retentionem ipsarum rerum, saltem ad hoc, ut eis debeatur pretium seu æstimatio earum, *gl. & DD. in l. Apud Iulianum al. l. Cùm servus 39. §. ult. De legat. 1. glos. in verb. dominium c. 1. §. 1. De relig. dom. lib. 6. Card. Zabarel. cons. 102. n. 2. Ioannes Maria de Ruminal. cons. 449. Circa statutum n. 4. vol. 5.* præsertim quia per hanc dicti testatoris cautionem nulla dictæ prohibitioni fraus fieri possit, propter simplex & absolutum testatoris præceptum dictis Provisoribus datum *de vendendis bonis immobilibus, sub dicta substitutione comprehensis*, eâ intentione, ut prohibitioni non contraveniretur, & pauperibus adscripta substitutio per pretij surrogationem plenum effectū haberet.

Neque enim finalis, & præcipua causa prohibitionis in eo consistit (quod patronus Reorum sibi persuadet) quòd Ecclesiasticis Collegijs satis sit provisum: nam si ea esset causa constitutionis, generaliter fuisset interdicta quorumvis bonorum etiam mobilium & redituum acquisitio; quam tamen dicta constitutio non prohibet, imò sequens ejus declaratio apertè permittit: sed ea ratio impulliva tantum est pro parte, à qua concludens argumentum non rectè deducitur. Sed præcipua & finalis causa in eo consistit, ne crebra & perpetua facultate acquirendi immobilia bona, Principes & Domini temporales patiantur diminutionem jurisdictionis suæ super hujusmodi bonis, quæ sic manum mutantia ad alterius generis jurisdictionem, Ecclesiasticam scilicet, transeunt, *Bald. in c. Clerici. n. 2. De iudic.*

Qua in parte nihil curanda est patroni Reorum illa subtilis, seu potiùs cavillosa consideratio, quòd per hujusmodi relictum saltem aliquo tempore dici debeant hujusmodi immobilia bona virtute dictæ substitutionis pauperibus esse acquisita; & quòd alioqui Provisores illa vendere non possent, nec in alios transferre, *l. Si filius tuus C. De donat.* sic ut pauperibus legata videatur proprietas; quemadmodum proprietas ijsdem pauperibus legata videtur, cùm testator mandat bona sua distribui inter pauperes, *Bald. in l. Et in epistola 22 n. 6. C. De fideicom.* Nam quamvis subtili ratione id verum videri posset; in vero tamen rei effectu prorsus impertinens est, & minùs relevans; propter momentum hujusmodi acquisitionis, cujus effectum tollit adjunctum in eadem oratione ac clausula mandatum de vendendo seu alienando. * 4
Quod præceptum cohærens ipsi relicto, efficit, ut non proprietas rerum, sed illarum æstimatio relicta videatur, quod nulla lex aut statutum prohibet; ideoque hujusmodi momentanea acquisitio in considerationem venire non debeat, *Andr. Tiraq. in tract. De iudic. in reb. exiguis vers. 18.*

Quod novissimè objicitur, de non adita hæreditate nomine filiæ, cui hæc substitutio facta est, & de acquisitione bonorum ex contractu, non ex successione, prorsus improbabile & absurdum est, satisque diluitur per Actorum scripturam: cui adjungimus, quòd hujusmodi anticipatio futuræ successionis speciem voluntatis ultimæ habeat; & mortuo parente pro successione accipiatur, *l. ut C. Famil. ercisc.* Item quòd dicta filia ipso jure sine aditione etiam facta fuerit patri hæres, propter patriam potestatem ac jus suitatis, *l. In suis De lib. & posthumis.* Atque ita paucis concludo, Reos per omnia condemnandos esse, secundùm conclusionem præfatorum Actorum.

De

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Rescripti delegatorij nullitas ex suppressa utriusque litigantium dioecesi.

n. 3. *Intellectus* cap. Statutum De rescrip. lib. 6.
n. 4. *Clericus ratione beneficij forum sortitur.*
n. 5. *Pariа sunt non appellasse, & appellationem non fuisse legitimè prosecutum.*
n. 6. *Appellatio quando & quomodo in absentia iudicis interponenda.*

CONSILIVM III.

NVLLVM est fundamentum jurisdictionis competentis, quam Petrus van Oorbeeck Appellans Venerabili D. Officiali Antverpiensi asserere, seu adijcere conatur, ex rescripto Apostolico dicto D. Officiali præsentato, adversus Ioannem Hertzich Promotorem Curiæ Officialatus Episcopi Ruremondensis Appellatum. Est etenim hoc rescriptum surreptitium & obreptitium, aliasque contra Iuris dispositionem impetratum; suppresâ scilicet utriusque litigantium dioecesi: cujus identitas & diversitas in impetratione delegati judicis tam in prima, quam in secunda aut ulteriore ex appellatione instantijs, variam inspectionem habet.

1 Etenim cùm ejusdem dioecesis sunt Actor & Reus, appellans & appellatus, causa ex delegatione Apostolica committi non debet extra eandem dioecesin, paucis casibus exceptis: cùm verò diversæ dioecesis sunt Actor & Reus, appellans & appellatus, causæ judex à Pontifice impetrandus est in dioecesi, in qua Reus vel appellatus residet, vel in alia seu tertia dioecesi; minimè verò in dioecesi Actoris vel appellantis seu impetrantis, *c. Statutum §. cùm verò & §. cùm autem De rescriptis lib. 6.* Nam, ut Petrus Ancharanus, *in d §. cùm verò in fine*, ex sententia Ioannis Andreæ tradit, in causa appellationis semper dari debet judex, ubi prima instantia acta est; hoc est, in eadem dioecesi, cujus est Reus seu provocatus. Iam verò utrumcumque dicatur (utrumque enim in re præsenti dici potest) semper in alteram partem dictæ dispositionis impinget hoc rescriptum. Sive ejusdem dioecesis sint; quod quidem ratione domicilij in casu proposito non est, cùm ex actis hujus instantiæ constet, appellantem tempore prioris instantiæ Antverpiæ resedisse, & adhuc residere; sed ratione beneficij, quod ap-
2 pellans in dioecesi Ruremundensi possidet. † Ibi enim residere & forum sortiri censetur Clericus, ubi beneficium habet, *Archidiac. in d. §. cum verò*, etiamsi ibi realiter non resideat; *Marian. Socin. in cap. Postulasti n. 3. & in c. Sanè De foro compet.* quia quamvis ratione loci seu domicilij, ubi realiter residet, subijciatur Episcopo, intra cujus dioecesis limites locus seu domicilium consistit, *Socin. locis suprà tactis, & in c. Quod Clericis n. 2. De foro competenti*, identitas tamen dioecesis, quam beneficium inducit, *c. Cùm nullus De temp. ordinat. in 6.* non patitur causam deferri extra dioecesin ipsius beneficiati Rei seu appellati. Sive diversæ dioecesis sint appellans & appellatus; sicuti ratione domicilij & residentiæ diversæ dioecesis verè sunt partes hujus causæ: cùm appellatus sit dioecesis Ruremundensis, & appellans Antverpiensis. Quia appellans seu impetrans, per dictam juris dispositionem, *in d. §. cum verò*, non potest causam introducere ex delegatione Apostolica coram suo proprio dioecesano, postea quam coram dioecesano appellati ex probabili causa juri stare recusavit, sed debet impetrare judicem intra limites alterius tertij dioecesani.

Neque Reo suffragari potest allegata authoritas Geminiani, quasi ea juris prohibitio *in d §. cum verò*, ex cortice verborum sic accipienda sit, ut præcisè tantùm loquatur de Actore & Reo, non autem de appellante & appellato, & quod Reus in prima instantia illam qualitatem non mutet, etiamsi postmodum fiat appellans. † Nam communis omnium traditio est, sic accipiendam esse Bonifacia- 3
nam constitutionem, *d. c. Statutum §. cum autem*, ut generaliter referatur ad quemcumque impetrantem litteras Apostolicas delegatorias: eo enim respectu quodammodò Actor esse dicitur; & is, adversus quem impetratur, Reus. Ideoque tradunt omnes uno ore, eandem juris dispositionem obtinere tam in appellationis, quàm primæ instantiæ causa, *Anchar. Geminian. & alij in d. §. cum verò & d. §. cum autem*: neque aliud usquam tradit aut sentit idem Geminianus.

Nec rursum suffragari potest appellanti, quod appellatus in prima instantia, quasi iniquum jus impetrando, eoque utendo per hoc, quòd appellantem extra fines dioecesis Antverpiensis (intra quos realiter tunc residebat) pertraxerit ad aliam dioecesin, Ruremundensem videlicet, & sic viam appellanti præruerit, simili iniquo jure adversus eum utendi, hoc est, impetrato judice Apostolico appellatum evocandi extra fines Episcopatus Ruremundensis ad Apostolicum judicem Antverpiensem, *l. 1. Quod quisque iuris in alium &c.* quia superius satis deductum est, uno respectu Reum & Actorem conjunctim esse ejusdem dioecesis Ruremundensis, *Socin. locis suprà citatis, alij in c. Dilecti De foro compet. alij in c. ult. eod. tit.* ratione scilicet beneficij, quod in eadem dioecesi habet & possidet appellans, *d. c. Cum nullus*, qui idcirco dici nequit iniquum aut exorbitans jus secutus, evocando appellantem extra dioecesin Antverpiensem: potissimùm non ob aliam causam, quàm quæ proximè contingit ipsum beneficium, quod Reus possidet, quia scilicet agitur de illius privatione ob depravatam vitam & mores ipsius appellantis beneficiati, *Socin. in d. c. Sanè n. 3.* † Neque enim in eo casu haben- 4
da est ratio domicilij beneficiati, nec curandum, si in eo loco domicilij aliud beneficium possideat: quia beneficiatus in diversis locis seu dioecesibus, in omnibus & singulis sortitur forum, & conveniri potest, quatenus quæstio seu materia litis versatur circa unumquodque beneficium. Et dum sic pluribus locis forum sortitur Clericus, etiam ex alia causa, non est in opinione vel electione Clerici, quo loco conveniatur, sed Actoris, quo velit illum convenire, *Ioan. Andr. in c. 1. De privil. Mar. Socin. in d. c. Cùm sit generale, n. 8.*

Novissimè ad sustinendum hoc rescriptum nihil prodest objectio appellantis, quòd dictæ constitutioni Bonifacianæ, *in d. §. cum verò* sit per suum rescriptum derogatum per hæc verba: *Non obstantibus*

præmisso, ac fel. rec. Bonifacij Octavi &c. quia non est hujusmodi derogatio universalis, quoad singulos articulos dictæ constitutionis, sed limitata ac restricta ad dispositionem de dictis, ultra quas nemo virtute rescripti delegatorij Apostolici à fine suæ diœcesis in jus trahi potest, *d. c. Statutum. in princ.* Eoque pertinent hæc limitativè expressa verba, *De una, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres vigore præsentium ad judicium trahatur.* Ita quòd limitata derogatio limitatè intelligi debeat, & limitatum producere effectum *l. In agris. 16. De acquir. rer. dom.* hoc est, à derogatione quoad dietas extendi non debeat ad derogationem cæterorum capitum vel articulorum, qui dicta Bonifaciana constitutione continentur. Sublato namque uno legis prohibitivæ impedimento, manet vis impediendi ex altero, *l. Si non lex 83. De hæred. instit.* Atque ita indubitatum relinquitur, hoc delegatorium rescriptum nullius prorsus esse momenti, neque Venerabili Domino Officiali ex illo aliquam jurisdictionem in hac causa posse competere.

Quo vitio seu causa nullitatis dicti rescripti ex constitutione Bonifaciana cessante, nihilo magis dicto Domino Officiali Antverpiensi competit inter has partes & in hac causa utilis aliqua jurisdictio, ob id, quòd minimè constet, hanc causam devolutam fuisse ad Sedem Apostolicam, sine qua devolutione rescriptum delegatorium est nullum; tunc præsertim, cùm appellans falsò narrat se debitè & ritè appellasse: quia falsa narratio rescriptum vitiat, *c. Super literis De rescript.* * Qui enim 5
non appellat in tempore; qui à judice intra tempora præscripta apostolos non petit, *Clement. quamvis De appellat.* qui interpositam appellationem debito tempore non prosequitur, *Clement. Sicut d. tit. l. ult. § ult C. De appellat. d. Clem. quamvis §. similiter & ibi Cardin. Imol. Anchar. & alij*, non videtur appellasse, sed latæ sententiæ acquievisse. Cùm ergò hæc omnia prætermiserit Appellans, certum est, præfatum Dominum Officialem Antverpiensem omni jurisdictionis potestate destitui.

Adversus quæ nihil facit, quòd Appellans dicit se vicesima nona mensis Iunij anno 1570. coram Antonio Pistore Notario appellasse, quodque eandem assertam appellationem deinde octava Iulij tunc sequentis Domino Officiali Ruremundensi intimaverit; dicens id constare per attestationem Liberti Roberts asserti Notarij: nam de hujusmodi instrumentis dictorum duorum Notariorum non constat. Percurrendo enim terminos in hac instantia servatos, qui tantùm sunt octo vel novem, nusquam invenitur annotata exhibitio hujusmodi assertorum instrumentorum de interposita & intimata aliqua appellatione, vel de petitis & obtentis apostolis; sed tantùm de præsentato rescripto decima tertia Martij, & ex termino vicesima octava Aprilis servato de reproductis literis citatorialibus & inhibitorialibus, & de mandato seu procuratorio appellantis. Ex quibus solis petijt appellans, quòd Dominus Officialis Antverpiensis declaret, se hujus causæ judicem competentem. Ita quòd nimis confidens & temeraria sit dicti appellantis assertio, de hujusmodi assertis instrumentis, quæ non exhibuit; etiam postquam hujusmodi defectum pars appellata formaliter ei objecit. Sic quod, cùm non proferatur instrumentum de ijs, quæ operantur devolutionem appellationis ad Sedem Apostolicam, apertum & manifestum sit, nullum esse fundamentum asserendæ jurisdictionis.

Quibus hoc insuper adijcimus, quòd hujusmodi allegatio appellantis sit tantùm de appellatione extrajudiciali, non coram judice interposita, *c. Vt debitus De appel. Specul. tit. de appellat. §. qualiter versic. item cautus*: quam jus duobus dumtaxat casibus permittit, videlicet si judicis præsentia haberi non possit, vel ex justo metu appellans judicem adire non ausit, *c. final. De appell. & ibi Decius.* Quibus etiam casibus hoc præterea requiritur in sic appellante, ut extrajudicialiter coram Notario & testibus protestetur, & expressim declaret se judicem metuere, aut ejus præsentiam habere non posse: alioqui hac protestatione omissa, ipsa appellatio est omninò nulla, ex defectu formæ, neque devolvit causam ad superiorem judicem, *Panormit. Imol. & alij, in d. c. fin. Guil. Cassadorus dec. 8. de appel. Socin. cons. 45. Visa appellatione*: præsertim si cùm extrajudicialiter interposita est, postea judici à quo, durante adhuc decendio ad appellandum dato, intimata non sit, *Cassador. d. decis. 8.* prout in præsenti causa allegata per Appellantem intimatio hujusmodi Officiali Ruremundensi durante illo decendio facta non est. Nam & ipse appellans dicit (sed non probat) se assertam suam appellationem Officiali Ruremundensi intimasse octava Iulij, & sic octo diebus post dictum decendium ad appellandum datum; cum asseratur, sententiam à qua latam fuisse vicesima Iulij, non interveniente aliquo defectu præsentiæ judicis, neque occasione justi metus appellandi coram eo: imò proponatur etiam, quòd appellans coram Notario & testibus appellaverit vicesima nona dicti Iunij, postquam satis temporis habuit intimandi hujusmodi appellationem, durante scilicet adhuc prædicto decendio.

Per quæ omnia manifestissimum fit, Venerabili Domino Officiali Antverpiensi in hac causa nullam competere jurisdictionem, ideoque justam esse partis appellatæ oppositionem contra contrariam appellantis assertionem; officiumque & partes Domini Officialis, ut declaret se judicem hujus causæ non esse; remittendo partes ad judicem prioris instantiæ, & condemnando appellantem in expensis.

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Rescriptum delegatorium.

1. 2. *Intellectus c.* Statutum. De rescript. lib. 6.
3. *Extra propriam diœcesin committi potest causa, quando Capitulum Cathedrale litigare intendit, vel alius contra illud.*
4. *Canonicus iudex recusari potest in causa concanonicorum.*
5. *Scientia certa vim habet expressæ derogationis, & pro motu proprio est.*
6. *Legati Apostolici causas omnes suæ provinciæ audire & committere possunt etiam per viam querelæ.*

CON-

CONSILIVM IV.

QVOD per eximium Dominum Assessorem pro dubio proponitur ex his, quæ Dominus Præses Everardus de Middelburgo tradit, *in loco à stilo curiæ vers. incip. Et per præmissa dixi prudem &c.* terminos actorum, & allegationem partis citatæ excedere videtur. Nam cum in rescripto delegatorio Illustriss. Episcopi Vercellensis Nuntij Apostolici cum potestate Legati de latere in hac causa Reverendorum Domin. Decani & Capituli Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Impetrantium exhibito, nulla omninò conspiciatur Bonifacianæ constitutionis, *in c. Statutum* §. *cum verò De rescript. lib. 6.* derogatio specialis, aut universalis, nulla videtur esse occasio quærendi aut disputandi, an specialis derogatio *de una*, ex dicta constitutione, & ex Concilio generali, *de duabus dictis, c. Nonnulli De rescript.* subjecta generali derogatione, *de quibuscunque aliis constitutionibus Apostolicis*, deroget omnibus clausulis dictæ Bonifacianæ constitutionis: præsertim quoad hoc, quòd cùm Actor & Reus ejusdem civitatis seu diœcesis sunt, causa extra suam diœcesin seu civitatem committi non possit: quod dicta Bonifaciana constitutione specialiter exprimitur, *in d. §. cum verò.* Qui est articulus, quem Dominus Præses loco designato tractat & decidit, & huic causæ in articulo impugnandæ jurisdictionis applicari aut dubium facere non potest; quem ob id consultò præterimus, ne supervacaneum laborem suscipiamus: præsertim quòd Advocatus partis citatæ ex dicta constitutione de restrictiore speciali derogatione nihil proponat.

Quoniam verò ex dicta constitutione illud contra jurisdictionem delegati judicis proponitur, quòd causa extra patriam & diœcesin Leodiensem commissa sit, quod eadem constitutio prohibet (quò magis pertinere, & justiorem dubitationem habere credo dubium per D. Assessorem propositum) de eo dubio resolvendo agemus. Aperta sanè ea in parte est dictæ Bonifacianæ constitutionis dispositio, *quod cùm Actor & Reus eiusdem sunt civitatis seu diœcesis, extra ipsas causa rescripto Apostolico non committatur, nec aliquis eorundem conveniatur*: eaque ex causa videtur hoc Episcopi Vercellensis, quamvis Nuntij Apostolici, rescriptum à dictis Dominis Decano & Capitulo in civitate Leodiensi residentibus, Actorisque partes sustinentibus, contra totum Clerum sęcularem & regularem patriæ & diœcesis Leodiensis, pro maxima parte in civitate Leodiensi, omnes sanè in eadem diœcesi Leodiensi residentes, impetratum, esse nullum & irritum: ex eo, quòd hic Nuntius per hoc rescriptum cognitionem hujus causę mandaverit & commiserit tribus Prælatis Lovaniensibus, sub diœcesi Mechliniensi, & sic extra civitatem & diœcesin Leodiensem residentibus; directè & formaliter contra dictam Bonifacianam constitutionem, quæ adjectione clausulæ decreti irritantis est munita & obfirmata, *in d. c. Statutum* §. *fin.* Sic quod hæc Citatorum exceptio, & quod ex ea moveri posset dubium, in aspectu multum probabilitatis habere videatur.

Cæterùm tam præcisa & firma non est hæc Bonifacij constitutio, ut nullam patiatur aut admittat exceptionem. Nam eadem ipsa constitutio expressim conceptisque verbis quosdam casus excipit, *in d. §. cum verò versic. nisi ab Episcopo*, & inter alios primo loco illum, *quo Episcopus litem intendere vult illi, qui de sua diœcesi est, aut è contrà, quo subditus suæ diœcesis Episcopum ipsum ex commissione seu delegatione convenire vult*: ut eo casu id fieri possit extra communem civitatem & diœcesin; videlicet suspicionis gratia, de qua facilè argui posset datus judex, qui Episcopo subest, *c. Causam quæ 17. De off. & potest. iudic. deleg. c. Accedens 2. Vt lite non contest.* prout subsunt omnes, qui sunt & residunt in ejus diœcesi, *c. Omnes Principes, De maiorit. & obed.*

Quamvis autem de solo Episcopo & ejus subditis hæc exceptio loquatur, idem tamen jus statuendum & recipiendum est quoad ipsius Capitulum Cathedrale; tum propter connexitatem, qua Episcopus fingitur unum corpus cum suo Capitulo, *c. Si quis cum 23. VI. q. 1. c. Novit De his quæ fiunt à Prælat.* & sic par & æqualis subest suspicionis evitandæ causa, *Ant. de Butrio in d. §. cum verò*, tum quòd regulariter in personis seu casibus eandem rationem habentibus (ut generaliter ex similitudine, & multò magis ex identitate rationis) legum atque Canonum facilè admittatur productio & extensio, *l. Non possunt, cum l. seq. De legib. Decius in l. 1. in fin. De reg. iur.* 3

Cùm itaque suspicionis evidentis ratio in propositæ litis casu non ex una tantùm parte obversetur, sed utrimque; dictis Dominis Decano & Capitulo nolentibus, imò non valentibus hoc efficere, ut in civitate Leodiensi aliqui Prælato residenti per rescriptum Apostolicum committatur; non potest nec debet redargui nullitas hujusmodi commissionis extra fines diœcesis Leodiensis factæ. Attento præsertim, quòd ex eadem Bonifacij constitutione per rescriptum Apostolicum causa nisi Prælato in Ecclesiastica dignitate constituto possit committi, *d. c. Statutum §. sanè cuivis*; & nemo eorundem Prælatorum sit, qui non possit non dictis Dominis Decano & Capitulo hujus causæ Actoribus esse suspectissimus: cùm hi omnes in hac eadem causa partes Reorum sustineant; nemo autem in eadem causa possit esse pars litigans & judex, cùm hæ personæ numero debeant esse distinctæ, *c. Forus vers. in omni De verb. signif.* nemoque possit sibi jus dicere, *l. 1. C. Ne quis in sua causa iudic. &c.* Quæ eadem ratio movit, cur minùs ijdem Actores potuerint impetrare rescriptum ad aliquem ex gremio suæ Cathedralis Ecclesiæ; cùm omnes sint hujus litis consortes, & commune sit omnibus hoc negotium, *l. 2. C. De consort. eiusdem litis.* * Cùm alioqui ex eo solo judex recusari 4
possit, quod Actor sit Concanonicus, *c. Cum R. Canonicus 35. De off. iudic. delegat.* prout aliàs contra D. Officialem Leodiensem, cui hæc causa per prius rescriptum Gregorij Papæ XIII. mandata & commissa erat, oppositum fuit: & non tantùm ipse D. Officialis, allegatus suspectus, sed & omnes in civitate Leodiensi advocati; etiamsi aliquot ex consensu partium, ad diluendam & removendam omnem suspicionem, in definitione causæ idem D. Officialis assumere obtulisset. Sed nec hos tamquam dicto Officiali subditos & favore affectos admittere, vel suam illam exceptionem & recusationem

satisfactionem remittere voluerunt Rei: prout constat ex fine actorum coram dicto Domino Officiali, inter has partes & in eadem hac causa Leodij habitorum, & in hac instantia exhibitorum, ac per Citatos agitorum. Ita quod DD. Actoribus manus quodammodò clausæ fuerint, quoad impetrationem commissionis in civitate Leodiensi: eoque respectu, quod ex dicta Bonifaciana constitutione erat, seu videbatur illicitum vel non permissum, id necessitas fecit licitum, *c. Quod non est, De reg. iur.* Aut quod rectiùs verisque dici potest, ob inevitabilem utrimque obversantem probabilem suspicionem, quod hoc casu commissio causæ extra communem civitatem seu diœcesin sit permissa, & à regula dictæ constitutionis excepta, ex similitudine, imò ex identitate rationis, quæ est in exceptione de Episcopo: hoc est propter inevitabilem suspicionem adversus omnes, qui Episcopo subsunt in eadem civitate seu diœcesi. Et hoc est, quod in hoc juris articulo scribit Dominicus Geminianus *in d. §. cum verò, num. 5.* quod quamvis in constitutione iste casus de Episcopo specialiter proponatur, nec alius simili modo excipiatur; extensa tamen ratio, *propter suspicionem*, ad aliam similem speciem propter omnimodam similitudinem, recte fiat extensio hujus exceptionis. Proinde ad inficiendum dicti Vercellensis Episcopi rescriptum, quo hæc causa extra communem civitatem seu diœcesin Leodiensem commissa fuit, nihil facit dicta constitutio; cùm eadem hoc expressè permittat eo casu, quo in communi civitate seu diœcesi Actor personam invenire non potest, quæ, vel ipsi, vel adversario non sit suspecta, aut idoneus judex.

Nec ad rem facit, quòd in hoc rescripto hujus Apostolici Nuntij nulla sit derogatio aut dispensatio adversus dictam Bonifacij constitutionem: quia illa nullo modo est necessaria; cùm nihil per hoc rescriptum contrà factum sit, sed omnimodò secundùm illam, nimirum juxta exceptionem à generalitate dictæ constitutioni per Bonifacianam adjectam. Tam enim facit jus exceptio, ut ipsa dispositio, cui exceptio subnectitur, *Dynus ad proœmium De reg. iuris lib. 6. Decius ad l. 1. D. De R. I. n. 20.* sic quod hominis derogatio nec requiratur nec admittatur; saltem necessaria non est, cùm extat legis seu canonis derogatio, *Zasius cons. 8. Poterum n. 16. vol. 1.* Ideoque ne quidem necessaria supplicanti pro rescripto, ut mentionem illam faciat Bonifacianæ constitutionis. Quod enim jure conceditur, precibus implorandum non est, nec illis inserendum, *l. 1. C. De thesauris lib. 10. c. Inter dilectos versic. caterum De fide instrum. l. 1. D. Ad municipal.* Cum igitur dicta constitutio permittat causam extra communem civitatem & diœcesin committi in casu talis suspicionis; nulla ratione astringendus est actor, ut illam petat per modum dispensationis vel derogationis adversus constitutionem Bonifacij in ea parte, quâ prohibitiva est; cùm ipsa constitutio hujusmodi prohibitioni nolit locum esse in casibus ab eadem constitutione exceptis.

Sed etsi specialis hujusmodi hominis derogatio ad sustinendam hanc commissionem extra communem patriam in casu proposito necessaria esset, ex eo, quòd hic casus in specie non inveniatur expressus in parte exceptivæ dictæ constitutionis, & similitudinis ratio inter expressum casum de Episcopo tanta non sit, ut inde concludenter fieri debeat vel possit extensio ad hujusmodi propositum casum, à ratione legis stricta; *Præses in loco à ratione legis stricta*: nihilo magis vitio aliquo surreptionis vel obreptionis dici posset laborare hoc Nuntij Apostolici rescriptum, quo nullâ factâ formali & formalibus verbis derogatione dictæ Bonifacianæ constitutionis, causa commissa est extra communem civitatem seu diœcesin; quod eadem constitutio prohibet. Idque ex ea ratione & consideratione, quod in supplicatione Nuntij Apostolici pro obtinendo hoc rescripto Actores expresè narraverint dictæ partis suę adversę contradictionem & recusationem coram Officiali Leodiensi adversus ejus jurisdictionem factam ex causa suspicionis, eodem suspicionis liquore etiam perfundendo omnes Advocatos & Iurisperitos in civitate Leodiensi (ob quam rationem idem Officialis hanc causam ad S. D. N. Papam ejus committentem, sive ejus Legatum, seu Nuntium remisit) petendo causam committi in oppido Lovaniensi; cùm dilucida expressione, quòd Lovanium non Leodiensis, sed Mechlinien sis esset diœcesis: ita quod non possit dici dicto Nuntio surreptum vel obreptum, cui tam exactè omnia narrata sunt ad excludendum omne vitium, *l. Cùm pater 77. §. filia in fin. De legat. 2. Inst. in §. bonæ fidei in fin. Institut. De actionib.* † Sic quod manifestum sit, dictum Nuntium ex certa scientia sic extra communem civitatem ac diœcesin causam hanc Lovanij in alia, sed vicinissima diœcesi commisisse. Quæ certa scientia pro derogatione est, & expressæ derogationis potestatem habet, ex communi Interpretum sententia, & dictæ Bonifacianæ constitutionis interpretatione, *Panor. & alij in c. Nonnulli. de rescrip. Phil. Franc. in d. §. cum verò. n. 6. Præses in d. vers. & per præmissa, Benedict. Capra in suis regul. concluſ. 58. n. 23. in fine.* Nam hæc certa scientia satis pro *motu proprio* est, *Bellamera decis. 81.* & omne vitium surreptionis & obreptionis discutit: dispensationis quoque & specialis derogationis effectum habet. Vnde est, quod collatio beneficij facta filio presbyteri à Papa vel Episcopo, scientibus illis talem qualitatem & incapacitatem, jure licitæ derogationis & dispensationis valeat, quæ sine hac scientia non valeret, *c. Veniens. & ibi glos. & DD. De filio presbyt.*

Cùm igitur hic Reverendissimus Nuntius Apostolicus tempore concessi hujus rescripti in his partibus, imò in ipsa civitate Leodiensi fuerit; & non tantùm ex capitulis facultatum ei per S. D. N. Papam mittentem concessarum; * sed etiam ex 6 dispositione juris communis, *c. 1. De off. legati*, quo Legatis de latere seu Nuntijs cum potestate Legati de latere, non tantùm per viam appellationis, sed etiam querimoniæ (ut est in proposito casu hujus litis) audire potuerit causas provinciæ, in qua est legatus vel Nuntius, aut illas alij cognoscendas mandare & committere: dubium esse non potest, quin hæc commissio per omnia sit utilis & valida. Vt multum aberret advocatus Citatorum in eo, quod allegat, Episcopo Vercellensi id non licuisse. Vt etiam errat in eo, quod putat, hanc

hanc causam per dictum Nuntium avocatam fuisse à dicto Officiali; cùm nec id verum sit: quia ex decreto D. Officialis constat, ipsum D. Officialem contradictionibus & recusationibus Reorum commotum, causam à se abdicasse, & ad committentem Papam, seu ejus Nuntium remisisse. Ita quod idem Nuntius hoc rescriptum concesserit, non per modum avocationis, sed per modum querimoniæ; ut jure expeditè facere potuit, *d. c. 1. De off. legati*: idque sine vitio aut periculo indebitæ, & à jure prohibitæ, *c. 2. De off. legati*, immixtionis seu admotionis manus ad causam per Papam alij delegatam: cùm alius delegatus ad hanc causam nullus fuerit, nisi præfatus Officialis, qui, ut dictum est, causam ad committentem remisit; & sic causa sine judice vacua, fuit devoluta etiam ad Nuntium, ut per viam querimoniæ ejus commissio sic impetrari potuerit, *d. c. 1. De off. ind. deleg.* in quo etiam erravit dictus Advocatus. Et postremò etiam in illo, dum allegat citatos, subjectos esse immediatè Sedi Apostolicæ, & exemptos ab ordinaria jurisdictione; ideoque Nuntium non potuisse adversus illos causam committere. Nam quo quis ab ordinaria jurisdictione plus est exemptus, eo magis adversus illos Papa & ejus Legati, ac Nunti, adiri possunt; etiam per viam querimoniæ, ut tantò expeditius adversus eos juris dicendi & justitiæ administrandæ sit potestas.

Per quæ sufficienter existimamus proposita, & quæ ampliùs proponi possent dubia, in hoc articulo de competente jurisdictione resoluta esse: & hoc rescriptum omni jure subsistere.

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Literarum Apostolicarum executio non fulminata.

1. *Literæ Apostolicæ an non fulminatæ executioni mandari possint.*
2. *Præscriptio adversus Ecclesiam quadragenaria esse debet.*

CONSILIVM V.

AVCTORITATE Pontificia facta est duarum Capellaniarum in certa collegiata Ecclesia (ad quam Capellaniarum collatio ordinaria pertinet) unio & incorporatio ad mensam Capitularem, ad sustentationem fabricæ ejusdem Ecclesiæ, impetratis & expeditis desuper Bullis; quarum alia executio facta non est, nullo processu per aliquem in dignitate constitutum desuper fulminato; nisi quod Capitulum ejusdem Ecclesiæ, vigore illarum bullarum, realiter & de facto hujusmodi duas Capellanias suppresserit, unierit, & incorporaverit dictæ mensæ Capitulari; easdemque duas Capellanias sic suppressas, unitas, & incorporatas ultra 30. annos in eo statu retinuerit. Quæritur, an incorporatio & unio, propter omissam fulminationem processus super dictis bullis, aliquo vitio nullitatis laboret?

Certa resolutio dari non potest, non visis literis seu bullis Apostolicis, ex quarum verbis propositæ quæstionis decisio dependet. Nam si in bulla unionis seu incorporationis hoc non continetur, ut propria auctoritate Capitulum hoc facere possit, verendum est, ne nulla dici possit, & effectum minimè sortita hujusmodi unio & annexio: quia nemo propria auctoritate possessionem concessi beneficij aut privilegij apprehendere potest, sed adhibere debet auctoritatem & interventum superioris, *Doct. in c. Cum venisset De restit. spoliat.* Sed si ea clausula continetur in dictis literis, dubitatio nulla est, quin (si aliud, quod non proponitur, impedimentum non subest) Capitulum sine processu fulminato, & sine executore id facere potuerit, ut expresso jure decisum est, *c. Pastoralis 19. De privil. Ioan. Franc. Rip. consil. 6. Nihil proponitur in fin. sub tit. de rescrip. in alijs impressio. est cons. 18. respons. 2. Nic. Boerius dec. 346. n. 2.* Executoris etenim adjectio ex superabundanti plerumque fit, ut adversus resistentes procedi, & gratia Apostolica executioni mandari possit; cujus auxilio opus non est, nemine resistente. Quo præsuppositio, quòd scilicet ritè ac debitè executioni mandata, & sic effectum sortita sit hæc unio, cessant sequentes quæstiones de restitutione fructuum ac jure devoluto.

Præsupposito sane, quod in dictis literis potestas apprehendendæ possessionis propria auctoritate non sit concessa, videtur quod XXX. annorum possessio non sufficiat ad convalidationem unionis, & expugnationem vitij contracti, atque indebiti modi executionis, † quia cum præscriptio, quæ 2 hinc causari potest, tendat adversus Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, requireretur ad illam perficiendam tempus XL. annorum, *c. De quarta. 4. De præscrip. c. Cum de beneficio & ibi glos. & DD. De præbend. lib. 6.* ex cujus temporis diuturnitate omnia præsumuntur circa titulum unionis solemniter acta, *Rota dec. 375. Nota quod ubi, in antiq. Boer. d. decis. 346. n. 5.* Videatur igitur, an hæc vnio quadraginta annis steterit. Quod si verum est, præsupposita veritate deficientis legitimæ executionis, nihil amplius quærendum est; neque etiam metuendum Concilium Tridentinum, quod omnes uniones à XL. annis citra factas & effectum sortitas examinari vult, an sint legitimæ; & non sortitas effectum revocat, *Sess. 7. c. 6. de reformat.* Sanè si hæc Ecclesia à jurisdictione ordinarij exempta est, facilior erit progressus & expeditior effectus dictæ unionis; cùm nemo sit, cujus interfit hanc unionem non fieri; nisi ipsius Capituli; quod immediatè superioritatem habet super Capellanijs. Ità quod quamvis aliàs uniones fieri debeant *vocatis vocandis*, & præsertim ordinario, *Clem. ult. De reb. Ecclesiæ non alienan.* hic nemo vocari debuerit: quia vacantibus his duabus Capellanijs nemo fuit, cujus interesset illam non fieri, nisi summi Pontificis, qui unionem concessit.

Proinde diligenter videantur literæ, quibus ea, quæ præscripta sunt, ad resolutionem dubij proposita applicentur.

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Error in nomine judicis in rescripto.

1. *Rescriptum ex falsa narratione quando non vitiatur.*

2. Inde

2. *Iudex delegatus post annum exequi non potest.*
3. *Error in diœcesi, loco, vel nomine quando in rescriptis noceat.*
4. *Error qualitatis demonstrativa non nocet.*

CONSILIVM VI.

CAPTIOSA est allegatio, quam captatis verbis rescripti, pro parte pauperculæ mulieris Mariæ Boba à Sede Apostolica impetrati, & Venerabili Domino Præposito B. Mariæ Walcurienſis præſentati, M. Ioannes Vogelſanck Opponens dicto rescripto ad immin. undam potestatem jurisdictionis ejusdem Domini Præpositi obijcit; ex captatione unius tantùm voculæ seu dictionis, quæ per errorem notorium scriptoris in supplice libello ejusdem Mariæ irrepsit: videlicet quòd uno loco facta sit mentio Præpositi B. Mariæ Namurcensis Lovanij residentis, cùm oportuisset pro dictione *Namurcensis* poni *VValcurienſis*. Existimat Opponens, ex eo Venerabili D. Præposito non esse permissum procedere in causa taxationis expensarum, propter falsam in dicto supplice libello contentam narrationem: attento quòd nemo Præpositus B. Mariæ Namurcensis in causa, quæ inter dictam Mariam, ejusque quondam maritum, ac dictum Ioannem ejusque filium defunctum fuit, umquam judicaverit. † Vti generaliter falsa narratio rescriptum vitiare solet, *l. Etsi legibus C. Si contra ius vel util. publ.* uti etiâ solus error in nomine diœcesis, *c. Significante 34. De rescrip.* Verum cum falsa narratio non noceat, si per simplicitatem, ignorantiam, vel errorem, citra ullam fraudem, malignitatem, aut machinationem supplicantis in ejus supplicem libellum irrepserit aliquid, quod veritatem aliquo modo immutare videatur, sed hujusmodi est, ut etiam narratâ veritate precator perinde obtenturus fuerit rescriptum, *c. Super literis 20. De rescript.* consequens est, hoc vitiolum ac levem errorem, tamquam notoriæ veritati contrarium, nihil facere ad vitiandum aut inefficax aliqua ex parte faciendum hoc rescriptum. De simplicitate & errore scripturæ (qui generaliter non solet obesse, *l. Errore C. De testam.*) inde constat, quòd paulò post hunc errorem, quo Præpositus B. Mariæ in dicta supplicatione nuncupatur Namurcensis, subjiciatur apertè mentio Præpositi Walcurienſis; quæ antecedentis narrationis errorem demonstrat & corrigit. Et ex malitia aut malignitate id non esse factum inde constat, quòd aliquis Præpositus Beatæ Mariæ Namurcensis Lovanij tunc non residebat, nec nunc residet. Quod autem aliter secundùm veritatem concepta & proposita narratione (hoc est, si expuncta dictione *Namurcensis* scriptum fuisset *VValcurienſis*) major non futura fuerit difficultas impetrandi hujus rescripti, ipsa rei veritas, ac subjecta materia demonstrat. Cùm enim intentio dictæ Mariæ fuerit obtinere rescriptum delegatorium, quo alicui in dignitate constituto, committeretur sententiarum, quas obtinuerat adversus dictum Opponentem, ejusque filium & consortes, quoad expensarum condemnationem executio; † quam ijdem delegati facere non poterant, propter lapsum anni à die latarum per eos sententiarum, *c. Quærenti 26. De off. & potest. ind. deleg.* intentioni ejus, illiusque effectui, hoc est impetrationi rescripti obstare, impedimentum aut difficultatem facere non potuit, vera ac minimè erronea narratio, quod Præpositus B. Mariæ Walcurienſis sententiam per Decanum S. Iacobi Lovanienſis latam retractaverit, & Opponentem in expensis condemnaverit; cùm perinde illius, ut alterius cujusque exequendi potestatem D. N. Papa ad petitionem Mariæ in communi saltem forma (prout hoc rescriptum expeditum est) delegaturus fuerit, *d. c. Super literis vers. nam si talis, & ibi Felin.* Neque sanè potest dici, falsitate aliqua infectum esse dictum supplicem libellum, ex qua vitium nullitatis ad ipsam delegationem seu rescriptum serpere possit; sed simplicem errorem in eo commissum esse, nihil alterantem rei propositæ naturam aut conditionem: præsertim quod notorius error sit, & qui sine adminiculo externo ultrò detegitur ex tenore ejusdem supplicis libelli; ex eo videlicet, quod paulo pòst apertè exponat Maria se à Decano S. Petri Lovanienſis, & Præposito Walcurienſi non posse obtinere expensarum taxationem & executionem (nimirum propter dictum anni à latis eorum sententijs lapsum. *d. c. Quærenti*) ideo petat ac supplicet, ut suæ Sanctitati placeat alicui in dignitate Ecclesiastica constituto mandare, ut *constito de re iudicata*, illam debitæ executioni demandet, literasque executoriales in forma solita decernat ac relaxet, prævia taxatione expensarum. In qua petitione cùm constat substantia ipsius supplicis libelli, & ejus dispositiva pars; satis est in ea nullum esse errorem, sed impersonaliter commissam esse rei judicatæ, quam Maria adversus Opponentem, ejusque consortes obtinuit, executionem: cùm verba dispositiva magis quàm narrativa ubique attendenda sint, *Clemen. 1. & ibi Card. Zabarella De probat.* Sed & hoc ad dicti erroris excusationem proferri potest, quod error in adjecta qualitate illa *Namurcensis* obesse non debeat; ob id, quod ex rei evidentia, quam faciunt acta in hac causa exhibita, constet de corpore ac persona illius, de quo ipsa Maria supplicando senſit: cùm ex prolatis & exhibitis actis constet in hac causa judicasse Præpositum B. Mariæ Walcurienſis, & minimè Præpositum B. Mariæ Namurcensis. † Quo casu communiter resolvunt Doctores, *Hostiens. Imol. Felin. & alij in d. c. Significante*, errorem in diœcesi aut loco, vel nomine, aut cognomine illius, ad quem vel contra quem commissio seu rescriptum impetratur, commissum non nocere: & ita in Rotæ Romanæ auditorio servari ac practicari, *Rota decis. 133. Error nominis in antij. AEgidius Bellamera decis. 643. Error nominis.* † Est enim hujusmodi error tantùm respectu qualitatis demonstrativæ, quæ generaliter nocere aut vitiare dispositionem non solet, si aliàs constet de corpore, vel persona, cum qua vel in quam disponitur, *l. Falsa 33. De cond. & demonst. c. Tuæ De sponsal. Ioan. Staphil. Tract. de liter. gratiæ, tit. de modo & for. impetran. n. 4.* Potissimùm quando ex eadem scriptura, in qua error commissus est, error detegi ac deprehendi potest; ut hic accidit, per id, quod post adjectam falsam illam demonstrativam qualitatem, Maria apertè narret, se non posse consequi executionem condemnationis expensarum à prædictis Decano S. Petri, & Præposito Walcurienſi.

Quare

Quare exiſtimo, articulos Opponentis, quatenus oppugnant juriſdictionem Domini Præpoſiti, & diſtinctè ſcriptum de nullitate redarguunt, rejiciendos, & ad cœptam executionem procedendum eſſe ſecundùm acta; idque eo magis, quòd per decretum 27. Februarij 1567. articulus juriſdictionis ſit diſcuſſus, ac definitus; & initium executionis per decretum literarum citatorialium ad videndum expenſas taxari factum: ita quod adverſus idem decretum, cùm in rem tranſierit judicatam, refricatio deciſi articuli admitti non debeat.

De Reſcriptis.

SVMMARIVM.

Obreptio Reſcripti.

1. *Obrepens mendax eſt.*
2. *Obreptio maius vitium continet, quàm ſurreptio.*
2. *In ſurreptione probare debet qui eam objicit; in obreptione probatio eius quod ſuggeſtum eſt incumbit impetranti.*
3. *Mendacium an ſine dolo eſſe poſſit.*
4. *Error in facto proprio improbabilis.*
5. *Papa laicis perinde, ut clericis, ius ſuum auferre non poteſt.*

CONSILIVM VII.

AD dubia, quæ proponuntur in cauſa M. Antonij Zoy Actoris, & Iacobi du Boys Rei, in qua nuper latè ſcripſimus, nec perplexa nec difficilis eſt reſponſio. Nam quod primo loco proponitur, an ex actis conſtet de aliquibus conjecturis, ex quibus detegi aut probari poſſit, quod Actor in impetratione literarum Apoſtolicarum ſive narrando, ſive tacendo, fraudem, dolum, vel malitiam admiſit, ex ipſarum literarum Apoſtolicarum & actorum lectione deprehenditur; quod ſcilicet in illis contineatur, Actorem ſuæ Sanctitati aſſeruiſſe, quod ipſe à ſuis agnatis proximioribus obtinuerit ceſſionem jurium eis competentium: in his verò conſpiciatur formalis & poſitiva allegatio Actoris, quod à proximioribus agnatis & conſanguineis obtinuerit remiſſionem hujus fideicommiſſi; in nulla autem parte actorum, nec in exhibitis inſtrumentis, inveniatur aliqua hujuſmodi aſſertionis probatio; cùm tamen ad illam probandam Actor ſe adſtrinxerit, & terminos probandi ſibi concedi obtinuerit. Ita ut, cùm non appareat hujuſmodi aſſertionis aliqua probatio, nec eſſe credatur, *l. In lege 77. De contrah. empt. l. Si bina 11. & ibi Caſtrenſ. De iniuſto rupto, irrito facto teſtam.* Et cùm non eſt, manifeſtum fit, hujuſmodi aſſertionem eſſe falſam, eaque in
1 parte Actorem eſſe mendacem precatorem. † Ita enim & civilia, *l. Præſcriptione l. Etſi legibus C. Si contra ius vel util. publ. l. ult. C. De diverſ. reſcrip.* & Canonica jura, *c. Sedes c. Super literis 20. De reſcript.* appellant eum, qui ſupplicando Papæ, aut Principi, quodcumque reſcriptum ab his obtineat, narrat quod verum non eſt, aut verum eſſe non probatur.
2 † Etſi enim in ſurreptione, hoc eſt in taciturnitate ejus, quod narratum eſſe oportuit, probare debeat, qui ſurreptionem objicit; in obreptione tamen ſeu falſi ſuggeſtione, onus probandi id, quod pro vero ſuggeſtum eſt, incumbit impetranti tamquam aſſertori, *l. 2. De probation. Ioan. Andreæ in c. 1. n. 2. De iure conſuet. Panor. in c. fin. n. 8. De præſumpt. Rebuff. ad conſtitut. Regias tit. de reſcriptis, in præfat. n. 56. tomo 2.* In quo qui deficit, falſum per mendacium ſuggeſſiſſe deprehenditur: in mendacio autem non poteſt non eſſe dolus & fraus, *c. Is autem XXII. q. 2.*

Verum quidem eſt, ſine mendacio, & ſine intentione fallendi, quem poſſe pro vero aſſerere, quod verè falſum ſit, ſi id putet verum eſſe; ideoque mendacem in dolo & fraude non eſſe, eumque magis falli, quam fallere, *d. c. Is autem verſ. nemo mentiens*; cùm ex ignorantia & ſimplicitate interdum falſum aſſeratur: inter cujus generis falſum, & id quod per fraudem ac malitiam fit, diſcrimen ponitur etiam in hoc articulo, de impugnando reſcripto toto, ob falſum ſuggeſtum in una illius parte, *d. c. Super literis & ibi Panor. n. 3.* ſed non poteſt id applicari ad hanc dicti Actoris aſſertionem, quæ nec ex ſimplicitate, nec ex ignorantia eſt; ob id, quod ſit de facto proprio, quòd ſcilicet ipſe obtinuerit à proximioribus agnatis hanc ceſſionem ſeu remiſſionem. † In facto autem proprio non eſt 4
probabilis error vel ignorantia, quæ ob id etiam non præſumitur, *l. fin. ff. Pro ſuo, c. Ab excommunicato 41. De reſcriptis*: quia quilibet de ſuo facto certus eſſe debet, *l. Cum falſum 46. De acquir. hæred.* præſertim in re, cujus memoria recens, non de longinquo eſt, *c. Cum illorum 32. De ſent. excom. Romanus conſ. 481. Præſentis dubitationis n. 6.* & maximè ubi non de damno evitando, ſed indebito lucro captando agitur. Vt eſt in propoſito, in quo Actor ad movendam ſuam Sanctitatem ad hujus fideicommiſſi commutationem, hanc aſſertionem fecit, quâ ſua Sanctitas expreſsè declarat ſe maximè motam fuiſſe ad concedendam hanc gratioſam commutationem; quam nulla ratione erat conceſſura, ſi id aſſertum non fuiſſet. Nulla enim talis eſt præſumptio; potiſſimum quia in poteſtate Papæ non ſit, dictis agnatis hominibus laicis, ejus juriſdictioni & poteſtati in temporalibus minimè ſubjectis, ſpem hujus fideicommiſſi per exorbitantem hanc commutationem eripere. † Etſi enim Papa 5
Clericis poſſit liberiùs auferre beneficia; quia ſcilicet jus ac poteſtatem in Clericos & beneficia habet, *c. 2. De prabend. lib. 6. Clem. 1. in fin. Vt lite penden.* laicis tamen nihil ita ex abſolutâ etiam poteſtate auferre poteſt, *Doct. in l. Barbarius Philippus, & ibi Iaſon n. 42. Ioan. Rubeus conſ. 155. Dubitatur, in fine.* Sic igitur excluſâ ignorantiâ, includitur neceſſariò ſcientia Actoris, quòd hæc narratio ſeu ſuggeſtio de ceſſione ſeu remiſſione agnatorum fuerit falſa; & ex conſequenti doloſa & fraudulenta. Vnde etiam eſt, quod qui à Papa beneficium aſſecutus eſt, narrando ſe nondum aliquod beneficium aſſecutum eſſe, quod tamen in rei veritate, quamvis exiguum aſſecutus erat; nullum emolumentum conſequatur ex reſcripto hujuſmodi collationis; ideo ſcilicet (ut dicit Pontifex, *in c. Si proponente 42. in fin. De reſcrip.*) *quod fraudulenter ſit obtentum.* Et generaliter ideo leges & Canones dicunt, mendacem precatorem carere impetratis, quia fraus & dolus nemini patrocinari debeant, *d. c. Sedes d. c. Super literis, d. l. Etſi, & l. Præſcriptione*:

quia

quia scilicet præsumptio juris est, falsum in proprio facto narrantem nullius ignorantiæ prætextu juvari posse; cùm hæc non admittatur in facto proprio; & in literis gratiosis falsitas in dubio præsumatur semper expressa cum dolo, *Innoc. in c. Accedens De crim. falsi, & in c. Dilectus 26. De rescrip. Præses cons. 59. Magnifici, in fin. & cons. 101. Reverende Domine.*

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Rescripti executivi potestas.

1. *Rescriptum executivum iurisdictionale propriè non est.*
2. *Executio à pontifice mandata ad illius instructionem semper fieri potest.*

CONSILIVM VIII.

DILIGENTER inspecto tenore Brevis, seu rescripti Apostolici, Reverendissimis Dominis Episcopis Tagastensi & Namurcensi directi; quo eis committitur & mandatur, *ut de statu & qualitate omnium & quorumcumque bonorum, proprietatum, & iurium, nec non vero annuo valore omnium & quorumcumque censuum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, & emolumentorum monasterij B. Mariæ Alnensis, Cisterciensis ordinis, Leodiensis Diœcesis, illiusque mensæ Abbatialis & Conventualis, ac membrorum, & annexorum ubicumque existentium, ac etiam de impensis, oneribus ordinarijs & extraordinarijs, nec non eleemosynis, & aliis præstationibus Abbatis, & Conventus prædictorum, tam coniunctim, quam divisim per se, vel alium seu alios fideles & peritos, diligenter inquirant, deq; omnibus sigillatim suæ Sanctitati processum de more in scriptis conficiant, & confectum, clausum, ac eorum sigillis obsignatum, primo quoque tempore transmittant; testes, si se gratia, odio, vel amore subtraxerint, ad perhibendum veritatis testimonium per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescant:* dicimus, hujusmodi mandatum jurisdictionale ac contentiosum non esse; sed continere tantùm nudi ministerij, unius certi & specialis actus commissio-
1 nem & executionem. † Id quod ex ipsa materia, hoc est, eo quod mandatur, & modo seu forma, quibus mandatur, apertè convincitur. Nam unicus tantùm articulus, seu unum tantùm negotium continetur in hoc mandato; indagatio scilicet & inquisitio veritatis de quantitate proventuum dicti monasterij. Idque formâ executivâ, sine ulla necessitate citandi seu vocandi quemcumque ad illius executionem: ita ut nulla jurisdictio seu jurisdictionis species in eo contineatur, sed nudum tantùm officium & ministerium, *c. ult. in fine & ibi*
2 *gl. ult. De off. & potest. iudicis deleg.* † Et quidem non ad judicij alicujus pendentis inter alios instructionem, sed ad instructionem suæ Sanctitatis, in & super eo, quod motu proprio primùm concessit, & pòst deinde suspendit ad effectum improbandæ seu revocandæ, vel probandæ seu confirmandæ concessionis. In quo ut nulla est partis contradictio, ita nec hujusmodi mandatæ inquisitionis seu examinis oppositio. Ita quod dicti Reverendissimi Domini Episcopi non debuerint, vel assertum Abbatem, vel Conventuales dicti monasterij, aut Reverendissimum Dominum Episcopum Leodiensem, ad hujusmodi mandati executionem citare. Id enim cùm vult Pontifex, solet adijcere clausulam, *vocatis vocandis &c. Card. Zabarel. in Clement. 1. n. 17. sub fin. De præben.* Sic quod sine strepitu aut forma judicij, ac extrajudicialiter, quolibet etiam tempore, sive feriato sive non feriato, hujusmodi mandati executio fieri possit, *Innoc in c. ult. De transl. Zabarel. in d. Clemen. 1. n. 2.* cùm res ista abstracta sit ab omni jurisdictione; præterquam in cogendo & compescendo contradictores seu impedientes, neq non testes in executione hujus rei necessarios. Quorum hoc posterius verbis dicti Brevis Apostolici exprimitur; illud juris potestate, propter necessarium antecedens, continetur in mandato merè & nudè executivo, exequendo in externa provincia longiùs à Romana Curia sita, *Panorm. in c. final. §. fin. n. 6. De offi. & potest. iud. deleg.* Quamobrem existimo, horum Reverendissimorum Dominorum Episcoporum Commissariorum officium esse, ut ad injunctum sibi mandatum rectâ viâ procedant, illudque exequantur, sicuti S. D. N. ipsis mandavit.

De Rescriptis.

SVMMARIVM.

Avocatio causæ.

1. *Legatus à latere an causas avocare possit.*
2. *Papa Legatum mittendo potestatem suam à se non abdicat.*
3. *Rescripta duo impetrans quando utroque cadat.*
4. *Matrimoniales causæ Episcopis delegandæ sunt.*

CONSILIVM IX.

QVOD rescriptum avocatorium pro parte Annæ Schuermans ab Illustrissimo Domino Carolo Caraffa Cardinale Legato de latere impetratum, nihil efficiat quò minùs Reverendo D. Abbati S. Gertrudis Lovanienſis competat jurisdictio, virtute antecedentis rescripti, pro parte Domicelli Wernheri ab Amstenraedt à sancta Sede Apostolica obtenti; quodque dicto Wernhero nullum juris sui detrimentum, aut prosequendi suam appellationem coram dicto Domino Abbate pendentem, impedimentum adferre possit rescriptum pro parte ejusdem Wernheri Decano S. Petri præsentatum, velut commonitorij loco, subsequentibus rationibus demonstratur. Nam inprimis quod objicitur, appellanti causam per Cardinalem Caraffam avocatam esse à Decano S. Petri Lovanienſis, nihil facit in proposito: sive quia hujusmodi avocatio ex falsa suggestione impetrata est, *c. Super literis 20. De rescript.* quasi scilicet hîc Lovanij intelligi non posset lingua Germanica oppidi Aquisgranensis, quâ acta primæ instantiæ conscripta dicuntur; nam neque illa lingua tantopere à nostra dissidet, ut à dicto Decano intelligi non potuerit; neque deest hic Lovanij copia eorum, quibus assessores in causa adhibiti etiam superiorem linguam intelligere possent: sive quod dicti Cardinalis potestas in avocanda causa, quam ipse mandaverat, major fuerit, *l. Iudicium solvitur 58. De iud.* & non tanta in avocanda causa, quæ per Sedem Apostolicam specialiter mandata

1 mandata fuit, *c. Studuisti De off. legati.* * Et ut ex mandatis seu facultatibus Sedis Apostolicæ licuerit dicto Cardinali quascumque causas, etiam per Sanctissimum Dominum Papam delegatas, ad se avocare & alijs mandare; tamen quia id non voluit dictus Cardinalis, *l. In ambiguo De rebus dub. l. Si genero C. De iure dot. l. Multum interest. C. Si quis alteri vel sibi &c.* potior erit à Sede, quam Legato
2 Sedis datus judex. * Non enim abdicat à se potestatem Pontifex in ea provincia, ad quam Legatum cum amplissimis mandatis mittit; sed majorem semper, quàm concedat Legato, apud se retinet, *c. Dudum vers. nos igitur De prob. lib. 6.* ita ut in contentione vel in ambiguo, omnis dispositio & concessio Papæ prævaleat. Vnde quia data rescripti Reverendo Domino Abbati præsentati, prior est rescripto Domini Cardinalis; potior quoque erit prioris rescripti causa, quod Dominus Cardinalis revocare non intendit præsertim quòd rescriptum Domino Decano præsentatum fuerit nullius momenti; impetratum scilicet nullâ facta mentione prioris, *c Cæterum & ibi gloss & doct. De rescript.*

3 † Neque obstat, quod utrumque per dictum Domicellum Wernherum sit impetratum: quasi sic non sit audiendus, propriam culpam prætexens, & quòd utendo posteriore, priori renuntiasse videatur. Nam nulla hîc argui potest culpa; quia in impetratione posterioris à Cardinale impetrati, nullo dolo aut malitia usus est, sed necessitate urgente, labentibus jam fatalibus appellationis, cùm longior mora fieret in remissione rescripti ex urbe Romana, posterius hoc à Cardinale impetravit: quo impetrato & præsentato, prius demùm ex urbe accepit: quo tamquam præjudicium posteriori, non à Papa, sed inferiore impetrato, faciente, utendum sibi putavit.

Quæ consideratio cessantis doli & malitiæ facit, etiam ut dici non possit Domic. Wernherus excidisse ab usu & utilitate utriusque rescripti: nam id tantùm obtinet, cùm dolo malo unus idemque plura contra eundem ad diversos Judices impetrat rescripta, distrahendi adversarij causâ, *c. Ex tenore & ibi Ant. De Butrio n. 8. & alij De rescrip.* quod secundùm prædicta hîc in appellante constitui nequit, qui neque scivit impetratum prius rescriptum, cùm posterius impetraret, sic ut in posteriore prioris non potuerit facere mentionem, neque eodem tempore utroque usus est: sed dimisso posteriore ad prius confugit, præsertim quòd pars adversa suo avocatorio rescripto inutile fecerit posterius dicti Wernheri rescriptum. Vnde meritò cessat dispositio *c. Ex tenore, De rescrip.* ut ibi in simili notat Panormitanus. Neque etiam distrahendi adversarij ad diversa loca aut judices propositum habuit, tribunali solius Reverendi Domini Abbatis contentus. Hoc quoque metuens, ne stilus Curiæ Apostolicæ ei aliquando objiceretur: & parum profutura esset sententia, si secundùm se judicari obtineret, vel à Decano S. Petri Lovanienſis, vel à D. Decano B. Mariæ Colonienſis; * quod cau-
4 sæ matrimoniales Episcopis seu eorum Officialibus committi debeant, *c. Causam matrimony, & ibi Ant. De Butrio, & alij De off. & potest. judic. deleg. c. 1. in fin. De consanguin. & affin. c. Perlectis 25 dist. n. c. 1. De off. Archidia. c. Specul. tit. De rescript. §. ratione formæ. vers. nunc ad instruct. & tit. De compet. ind. addit.*

§. 1. *in princ. Felin. in rubric. De sponsal. & in c. 1. vers. hîc solis, Vt lite non contestata &c.* quod ex priore rescripto metuere non debuit, quia Episcopo Leodienſi seu ejus Officiali subdeleganti directum est. Ita ut nihil obesse videatur, cur minùs in hac causâ Reverendus Dominus Abbas decernat se hujus causæ judicem competentem.

De Consuetudine.

SVMMARIVM.

Præcedentia.

1. *Præcedentiæ quæstiones plerumque difficiles.*
2. *Injuria non est, facere, ut alij honores non decernantur.*
3. *Canonici Cathedralis Ecclesiæ Abbates & Monachos processionaliter præcedere debent.*
4. *Erectio Ecclesiarum fieri debet sine damno aliarum.*
5. *Privilegium sic acceptandum, ut ius communi quàm minimum lædatur.*
6. *Præcedentia fundatur ex antiquitate & prioritate temporis.*
7. *Historiæ probant.*
8. *Abbas Canonicos Cathedrales in confessu præcedit.*

CONSILIVM X.

GRAVES plerumque & implacabili 1
contentione plenissimæ esse solent, quæ de præcedentia & prærogativa in confessu & incessu nascuntur controversiæ: quæ, ut & omnis ambitio honorum, tametsi ex Ciceronis sententia *lib. 1. Offic.* miserrimæ sint, ad juris tamen rationes referuntur, & ex jure definiuntur, *l. 4. §. ingressurum De offic. proconſ. & legati, l. 1. & 2. C. Vt dignit. ordo servetur lib. 12. l. Vnicuque. C. De proximis sacr. scrinior l. 1. & 2. D. De albo scribendo, l. Spuriq §. privilegijs De decurion.* ut nullâ ratione ad probrum aliquod referri debeat Reverendo Domino Abbati ac Conventui Monasterij S. Bertini ordinis S. Benedicti in civitate Audomarenſi, hujus causæ Reis, quòd se coram judice Apostolico ad hoc specialiter delegato opponant intentioni Reverendorum Dominorum Decani & Capituli, olim Collegiatæ nunc Cathedralis Ecclesiæ S. Audomari, hujus causæ Actorum, contendentium ad hoc, ut Rei ad processiones & Litanias publicas vocati, ad dictam Cathedralem Ecclesiam compareant, & ipsis Actoribus honoratiorem locum in confessu & incessu permittant.

Et sanè Reorum causa tanto probabilior est, quòd petitores non sint, sed contradictores. Si quid enim in hac re probri est, id semper majus est ex parte illius, qui majores honores sibi decerni & attribui petit: quia ambitionis id est. † Injuriam 2
autem nullam facit, qui facit quo minùs alij honores decernantur vel deferantur, *l. Injuriarum 13. §. si quis de honoribus De iureur.* Consultissimum sanè erat, si hæc controversia in fumo, quod aiunt, suppressa fuisset per Reverendiss. D. Episcopum Audomarenſem in cujus arbitrio & potestate est, ex decreto sacri œcumenici Concilij Tridentini, *Sess. 25. tit. De Regul. & Monial c. 13.* omnes de præcedentia quæstiones in sua diœcesi ex æquo & bono componere, omni appellatione amotâ. Sed quoniam duplicem personam sustinet, utpote tam Reo-

Reorum, quàm agentium caput: horum scilicet Episcopus, illorum Abbas; hujus rei arbitrium à se amovit, causa ex delegatione Apostolica Eximio viro Domino & Magistro Matthæo Rukenbosch V.I. Licentiato, Metropolitanæ Ecclesiæ tunc Canonico, nunc verò Decano commissa, illius hac in re exspectanda est definitio. Ad cujus religionem, & animi motum instruendum, pauca quædam in medium adferemus, in quibus litis controversæ & decisionis præcipua fundamenta consistere putamus. Nam omnia quæ in quæstionem & disceptationem deducta, & pro maxima parte superflua sunt, singulatim excutere, non tantùm non necessarium, sed etiam inutile est; & benè per dominos Advocatos causæ tractata & decisa dumtaxat repetere molesti esset tædij.

Habet sanè in primo aspectu Actorum intentio magnam probabilitatem in utroque capite petitionis, seu intentionis, dum petunt Reos compelli accedere ad publicas processiones, & Actoribus loco cedere in concessu & incessu. Prius enim, non obstante exemptionis privilegio, apertè permittit
3 dicti Sacri Concilij decretum, *Sess. 25. c. 13.* * Posterius velut præjudicata Doctorum communiore & frequentiore opinione receptum est, quòd scilicet Cathedralium Ecclesiarum non tantùm Episcopus, sed etiam Canonici in præcedentia & prioritate loci præferri debeant, non tantùm Monachis, sed etiam Abbati monasterij, tunc cùm processionaliter incedunt, *Panormit. in c. Decernimus, De iudic. & ibi Dec. n. 4. Bald. in c. Pastoralis 28. De off. & potest. iud. deleg.* Cujus opinionis rationes latissimè recensèt Bartholomæus Chassan. *in Catal. gloriæ mundi consideratione 32.* Ita ut Actores fundatam in jure habere videantur intentionem; potissimùm quia in erectione dictæ Ecclesiæ Audomarensis ex Collegiata in Cathedralem, expressè ei per Bullam Pontificiam concessa & attributa sint omnia privilegia præeminentiæ, & prærogativæ Ecclesiæ Cathedralis: ita ut majoris dignitatis accessione, æqualitas, quæ olim inter hanc Ecclesiam, & hoc monasterium stare videbatur, sublata sit: & ex majore titulo Ecclesia monasterio, ut in alijs, ita quoque in præcedendo præcellere debeat.

Verùm actis causæ, quæ magna & latè diffusa sunt, diligenter & maturè excussis, videtur Reorum oppositio & contradictio meliore jure niti; idque ex paucis, ijsque efficacissimis rationibus. Et in primis quidem, quòd ex hac nova Episcopatus Audomarensis per extinctionem, suppressionem, dismembrationemque Episcopatus Morinensis erectione, Reis hujus causæ, seu eorum monasterio, aliud nihil ademptum sit, quàm quod directis & apertis, seu dispositivis verbis in Bulla erectionis continetur. * Ita enim Ioannes XXII. Pont.
4 *in c. ad Apostolatus De concess. præb. in Extravag.* interpretatur suam erectionem & transmutationem Ecclesiæ Tholosanæ in Metropolitanam, & aliarum Ecclesiarum in Cathedrales, *c. Salvator De præb. in Extravag. commun.* ut per eam aliarum dignitatibus, honoribus, & præeminentijs detractum, aut ex ijs aliquid immutatum esse nolit; nisi quatenus tenor verborum Bullæ erectionis id continet. Sic enim convenit locorum & dignitatum dispositiones fieri, ut jura sua alijs singulis non detrahantur, sed inviolata serventur, *c. Quia monasterium De relig. domib.* prout civili modo omnes hujusmodi gratiarum, & prærogativarum concessiones accipiendæ sunt; ut scilicet non redundent in alterius incommodum, *l. Sicut, De servit. l. Erator ait §. si quis à Principe Ne quid in loco publ.* quia id solùm concessum intelligitur, quod ad substantiam gratiæ & præeminentiæ esse potest; & id minimè, quod ad alterius vexationem vel juris diminutionem tendit, *Lucas De Penna in l. 1. C. De metropoli Beryto.* Ex quo rationis fonte procedit, quod Theodosius Imperator, *d. l. 1.* exornando Berytum civitatem dignitate Metropolitanâ nihil voluerit detrahi Tyro de suo jure; sed quòd utrâque dignitate simili perfrueretur. * Generalitas quippe privilegij, & ipsum 5
privilegium, sic semper restringitur, ne jus commune lædatur, si privilegium totaliter potest habere effectum, *c. Pastoralis 19. De privil.*

Cùm ergò jus commune sit, ut jus alteri quæsitum non tollatur, *d. §. Si quis à Principe, c. Cum nostris 6. De concess. præben. c. Dudum 31. De decimis c. Ex tuarum De auctorit. & usu pally;* nec Papa aut Imperator præsumatur in dubio velle tollere jus quæsitum etiam Iudæo, *Panor. in c. Quæ in Ecclesiarum 7. De constitut.* consequens est, nec sublatum videri: quia aliter dicendo oporteret fateri privilegium esse iniquum; quod cùm supervenit vel detegitur, etiamsi ab initio æquum fuit, revocari & cassari debet, *l. Ex facto De vulg. & pupil. c. Suggestum 9. De decimis*: quanto magis in dubio saltem sic interpretari, ut iniquitatem nullam contineat. Et sic in proposito sublimatio seu erectio collegiatæ Ecclesiæ S. Audomari in Cathedralem, nullâ factâ mentione aut derogatione privilegiorum, seu juris monasterij S. Bertini, non debet in aliquo diminuere ejusdem monasterij jura aut privilegia, hoc est in proposito, alternativam illam & vicissitudinariam præcedentiam, ab antiquo inter hanc Ecclesiam & monasterium servari solitam. Quæ antiqua consuetudo & observatio in omnibus, & potissimùm in dubio, retinēda & servanda est, in constituendo & servando ordine vel paritate graduum inter homines. Ita ut quemadmodum Ecclesia S. Audomari adversus monasterium S. Bertini priùs nullam prærogativam prætendere solebat, sed illi loco cedere, cùm ad illam processionum causa ventum erat; & è diverso monasterium Ecclesiæ priorem locum deferebat in suo patronatu: ita quoque nunc utrumque & respectivè deferre debeat, non jure alicujus præeminentiæ seu prærogativæ, sed jure velut honoris, familiaritatis, hospitalitatis & amicitiæ, in qua quisque adventem honorificentiùs excipere, & honoris prærogativâ sine contentione dignari solet; in quo juris aut consequentiæ aliquod vinculum nullum est, *l. Qui iure familiaritatis 41. De acquiren. possess.*

Nec ulla est occasio necessaria, quæ hanc prærogativam ex erectione in Cathedralem omnino requirat, vel sine qua jus Cathedralis Ecclesiæ subsistere non possit. Neq; enim nulla erit Cathedralis Ecclesia, si hoc quoq; non habeat, ut etiam Episcopali seu ordinariâ jurisdictione omnimodò exemptis, in omnibus concessibus & incessibus loco honoratiore præferatur: quia hujusmodi præcedentia non est substantifica qualitas Ecclesiæ Cathedralis. Quod exemplo pervetusto monasterij S. Genovevæ ejusdem Benedictini ordinis, & Canonicorum

Cathe-

Cathedralis Ecclesiæ Parisiensis satis ex parte Reorum demonstratur: in quo servatur patitas illa, ad quam Rei se dimittere parati sunt, per observationem illius vicissitudinariæ præcedentiæ. Nec dura aut violenta dici potest hæc interpretatio, propter specialis exemptionis per longissimas successiones amplitudinem; eousque etiam porrectam (ut constat per exhibitas Bullas Pontificias) ut nec devotionis, precum, aut processionum causa, statio aliqua Episcopo in Reorum monasterio, & monasterij patronatu permittatur; & sic nullum supersit argumentum, vel indicium subjectionis, unde plerumque præeminentiæ & præcedentiæ fundamentum constitui solet. Ideoque quamvis per decretum generalis Concilij Tridentini exemptis imponi videatur necessitas comparendi ad processiones generales, *d. cap.* 13. *Sess.* 25. nihil tamen quoad jus consessus & incessus immutatum reperitur: ita ut meritò antiqua observatio adhuc in observatione & imitatione esse debeat, *l. Sancimus* 27. C. *De testam.* & eâ pro parte Actorum negatâ, dictum monasterium compelli non debeat ad comparendum in processionibus generalibus; quasi per Agentes, debitum honorem comparentibus & accedentibus negantes, stet, quo minùs venire possint: neque enim posse quis creditur, qui non potest salvo suo honore & existimatione, *l. Nepos Proculo* 12. *De verb. signif.* Quæ observatio efficit, ut parum tribuendum sit testimonijs illorum, qui per Actores producti de Tornacensis, Atrebatensis & Morinensis Cathedralium Ecclesiarum prærogativa & præcedentia deponunt. Nam diversitas observationis diversitatem juris constituit; cùm in his & similibus rebus non tam certa sit juris definitio, quàm consuetudinis & observationis antiquæ consideratio. *d. § ingressurum.*

Accedit, quòd hic pro asserenda & retinenda hac paritate, & in paritatis executione, dicta vicissitudinaria præcedentia, plurima & inter illa duo præcipua (quæ sola referemus) concurrant, quæ sublimationem Ecclesiæ S. Audomari non patiuntur tam latè evagari, ut exempti hujus monasterij sic se illi subijcere, & à gradu atque ordine suo decedere debeant. Et inprimis quidem dicti monasterij summa antiquitas, quæ multis annorum centenarijs Ecclesiam S. Audomari superat: ut Rei tum per instrumenta, tum per historiarum extantium indicia apertissimè probaverunt. * Quæ 6
sanè temporis prioritas & antiquitas in definiendis quæstionibus & controversijs, quæ de præcedentia suboriuntur, plurimùm valet ad hoc, ut pro illis decidatur, qui ex origine & fundatione antiquiores sunt: ut qui tempore prior est, jure quoque potior sit, *c. Is qui auctoritate De præben. libr.* 6. *l.* 1. D. *De alibo scriben.* aut si non potior, saltem non posterior.

Deinde concurrit hic dictæ Ecclesiæ prima origo, eaque talis, quæ hoc videtur exigere, ut Ecclesia monasterio, non monasterium Ecclesiæ ubique cedat: ex eo scilicet, quòd hæc Ecclesia velut colonia derivata & deducta sit ex dicto monasterio, per quendam Fridigosum Abbatem, modo satis improbabili; ut de hac re extantia instrumenta, & historiæ plenissimè docent, parte quadam Monachorum tunc ad sæcularem Canonicorum statum in dicta Ecclesia, cum bonis plurimis translatâ; idque adhuc ita, ut superioritas hujus monasterij in eandem Ecclesiam aliqua retineretur; & in illius signum Conventuales dicti monasterij quatuor distinctis anni partibus seu diebus in eadem divinum officium peragere, & oblationes fidelium recipere possent. Quæ sanè originis & subjectionis consideratio hoc efficit, ut quemadmodum colonia Metropoli non tantùm non præferri, sed nec adæquari debet, propter originis & majoritatis disparitatem; & tunc tantùm adæquari, cùm Metropolis dignitas ei ex privilegio Papæ vel Principis adjicitur, *d. l.* 1. C. *De metr. Beryto*: ità quoque hæc Ecclesia, quacumque etiam dignitate in successu temporis exornari eam contingat, huic monasterio tamquam suæ matri seu matrici non præferri, sed ad summum tantùm adæquari debeat; quam constat successu temporum semper retentam fuisse, si non in omnimoda, saltem in aliqua, eaque magna subjectione; ad meliorem aliquem statum reductâ minùs piâ illâ Fridigosi divisione & separatione, ut constat ex annalibus dicti monasterij. Ex quibus id quoque constat, hanc Ecclesiam olim ex prima Sancti Audomari institutione fuisse tantùm Capellam, & locum ad sepeliendos Monachos constitutum & dedicatum: quam sanè sic crescere & dignitatibus sic augeri, ut sit monasterij, cui subserviebat, caput cum omnimoda prærogativa prorsus absurdum & iniquum esset. † Quibus sanè an- 7
nalibus, veteribus historijs, & antiquis libris hujus monasterij fides probationis adhiberi debet, *c. Cùm causam* 13. *& ibi Decius n.* 7. *De probat.* præsertim repertis in archivis publicis hujus monasterij; in quibus authentica instrumenta asservari, & cùm usus postulat, deponi solent, *c. Ad audientiã* 13. *De præscript.*

Quamobrem minùs curandum est, quòd in Bulla Calisti Secundi Papæ, confirmantis privilegia dicti monasterij, excipiatur reverentia Episcopi Canonica: nam illa ex sequenti Gregorij Noni simili Bulla restringitur ad Ecclesias & Capellas Episcopo lege diœcesanâ subjectas; qualem constat tunc non fuisse Ecclesiam Sancti Audomari in subjectione dicti monasterij S. Bertini, & inde dependentium Ecclesiarum seu Capellarum: ut proinde ex hujusmodi exceptione nihil assumi in proposito possit ad dictæ Ecclesiæ S. Audomari aliquam prærogativam asserendam; ne quod ad augmentum dicti monasterij à Pontifice impetratum fuit, ad illius diminutionem convertatur; quod à juris ratione alienum est, *l. Legata inutiliter* 14. *De adim. leg.* Cùm alioquin exceptio hujusmodi reverentiæ Episcopalis simpliciter accepta, etiam dicti Gregorij Noni constitutione cessante, nihil in proposito facere possit ad constituendam prærogativam, quam Actores in hac causa solicitè aucupantur: nam ea exceptio solum Episcopum respicit, non etiam Cathedralis Ecclesiæ Canonicos; quorum nulla reperitur facta mentio in dicta exceptione; ita ut virtute exceptionis exemptio & prærogativa dicti monasterij stet inconcussa contra cæteros, nec possit illa per consequentiam ad Canonicos ejusdem Ecclesiæ trahi, *Decius & alij in l.* 1. *De regul. iur.* * Unde etiam est, quod passim tradi- 8
tur, Abbatem in consessu præferri Canonicis Cathedralibus, etiamsi Episcopo loco cedere de-

beat, *Dominic. in c. final. De offic. & potest. Ind. del. lib. 6. Decius in cap. Decernimus 2. n. 4. De iudicys.*

Quamobrem, præmissis, aliisque, quæ per scripturas Dominorum Advocatorum in hac causa exhibitas latissimè deducta sunt, & à quorum repetitione, ut benè & exactè collocatorum, abstinemus, attentis; attento quoque, quòd monasterium Rei partes sustineat, ideoque favorabilius sit, *l. Favorabiliores 125. De R. I.* in re præsertim obscura, *c. Cum sint 11. De reg. iur. in 6.* & in ea, quæ sine verecundia, pudore, imò sine probro & ambitionis nota non peti, sed honestè retineri potest; & quòd accessionem hujusmodi novæ dignitatis, ex erectione simplicis collegiatæ in Cathedralem, Actores reputare debeant pro adventitio lucro, cui minùs, sed magis repetitioni & maximè retentioni fauendum est, *l. In eo quod 33. De R. I.* attento denique, quòd non facilè recedendum sit ab his, quæ semper certam formam & interpretationem habuerunt, *l. Mimimè 23. De legib.* nec hæc antiqua observatio sine scandalo facilè immutari, facillimè retineri possit; existimo Venerabilis Domini judicis officium esse, ut sententiam ferat secundùm conclusionem pro parte Reorum propositam.

De Consuetudine.

SVMMARIVM.

Consuetudine sustineri holographum testamentum.

1. *Testamenta holographa abrogata.*
2. *Holographa testamenta ex consuetudine valere posse.*
3. 5. *Militis holographum testamentum valere: ut & Clericorum ex consuetudine.*
4. *Testamentum secundum loci consuetudinem factum ubique valet.*

CONSILIVM XI.

QVÆ pro sustinenda ultima voluntate eximij D. Caroli Nicquet magno opere & labore congessit Consultissimus D. Petrus Oranus, non hoc tantùm merentur, ut quam ille in eam rem adversus alios illius ex sanguine hæredes impendit operam, per nos subscriptione nostrâ approbari debeant; sed id quoque efficiunt, ut à nemine perlegi possint sine evidente nota & reprehensione pudoris & verecundiæ eorum, quibus liberali animo per eandem ultimam voluntatem reliquit ea, quæ in fundis & reditibus habuit in comitatu Namurcensi; quatenus eadem illa bona beneficio consuetudinis seu juris municipalis Comitatus Namurcensis, omissâ causâ testamenti, sibi asserere, quàm dictæ testatoris liberalitati adscribere, & ex testata illius successione accepto ferre malunt: eo solo prætextu, quòd inter patrias leges dicti Comitatus Namurcensis ad probationem & approbationem testamenti requiri videantur vel duo testes, vel unus Notarius cum uno teste, aut loco Notarij præter unum testem Curatus seu Pastor loci; & quòd coram curia, cui bona Namurcensia subjacent, non approbatum testamentum sit nullum & nullius valoris, quodque in eo periculo nullitatis & invaliditatis versetur hæc Venerandi Domini testatoris ultima voluntas, quæ nullo Notario, nulloque teste adhibito, holographa dicti testatoris manu dumtaxat inveniatur descripta: ut hâc ratione à se excutiant onus legati seu fideicommissi, quod propter illa bona ijsdem hæredibus eâdem testatâ voluntate impositum fuit, studiorum, quæ illum ad tantam dignitatem evexerunt, favore. Sed ut hæc ex liberali, parumque grato animo proficiscuntur, ita quoque facillimè discuti & averti possunt. * Tametsi enim Iustinianus in compositione Codicis, 1
sub auspicijs nominis sui, ex Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano Codicibus, non satis probasse videatur ejusdem Theodosij Valentinianique filij novellam Constitutionem, *lib. 2. Novell. Theodosij & Valentiniani tit. 2. de testam.* quâ velut abrogata antecedente sua constitutione de tam solemni testamentorum conficiendorum solemnitate, (quam Iustinianus in suum Codicem transtulit, *l. Hac consultissima 21. C. De testam.*) cuique permiserit, ut nullis adhibitis testibus, testiumque subscriptionibus & signis, confecto testamento, ultima cujusque voluntas effectum sortiretur (cujus juris, ut totius Codicis Theodosiani, usum etiam post editum Iustiniani Codicem constat, in Occidente præsertim, diu retentum esse, ex notis cujusdam Papiani & Aniani sub Gothorum Imperio:) hoc tamen apertum & manifestum est, per Iustinianum apertâ aliquâ constitutione dictam novellam constitutionem, ut irrationabilem, improbatam aut abrogatam non esse, * ut in holographo 2
testamento usus & consuetudo, quibus locis ita retenta est, improbari non possit, *l. 1. & 2. C. Quæ sit longa consuet.* Prout etiam nova constitutio, quæ in usum non tantùm non recepta, sed contrario usu rejecta est, vires nullas habet adversus sic in usu retentam aut postea superinductam contrariam vel detrahentem juri novo consuetudinem aut legem municipalem, *Gloss. in d. l. 1. C. Quæ sit longa consuet. Alex. consil. 132. Visa facti narratione vol. 1.* ita ut specialis lex vel consuetudo patriæ in generali constitutione pro exceptione non raro ponatur, *l. Si non speciali 9. C. De testam.*

Vnde etiam est, quòd militum testamenta holographa, etiam nullis testibus adhibitis, nullâ aliâ 3
publicatione, quàm testatione manus propriæ, sustineantur, *d. l. Hac consultissima §. ex imperfecto, Iason. consil. 195. Præsuppositis vol. 2.* & ex communiore Doctorum opinione, quę inter liberos vel ad piam causam scripta sunt testamenta, *l. ult. C. Famil. ercis. c. Cum tibi De testam.* Ad quorum exemplum cùm obtinuerit & invaluerit consuetudo in Clero Leodiensi, ut holographa testamenta omni jure valeant, & ad effectum perducantur; meritò quoque probari debet hęc hujus Venerandi Domini testatoris sic propria manu scripta, quamvis aliter non publicata, ultima voluntas: potissimùm ad sustinendum hoc pium legatum pauperibus scholasticis relictum, *Bald. cons. 184. Municipali lege vol. 5. Paul. Paris. cons. 46. Primum testamentum n. 23. vol. 3.* Quod tam multis vivis, & concludentibus rationibus per Dominum Oranum in præcedente consulatione deductum, alijs pluribus deducere aut demonstrare ut non possumus, ita quoque superfluum esse putamus, satisque in proposito esse, quòd de scriptura hujus testatoris nulla sit controversia; & illam illius esse, etiam hi, qui illi vires detrahere conantur, satis confiteantur;

& omni-

& omnibus numeris sit absoluta; & actus consummati, atque extremæ perfectionis omnia signa & argumenta habeat; & sic de voluntatis imperfectione nihil objici possit; & imperfectio in defectu solemnitatum, quæ vel ex Iure communi, vel alisuo alio statuto requiruntur, nullo modo ei nocere possit.

4 Et cùm in suo genere ex dicta consuetudine Ecclesiastica Cleri Leodiensis pro perfecto testamento haberi debeat hæc holographa scriptura, hoc quoque consequens est, ut secundùm sic obtinentem consuetudinem declarata hæc voluntas non tantùm Leodij, & ad bona Leodiensia; sed per totum orbem terrarum quoque obtinere & vires suas exercere debeat, *DD. in l. 1. Cod. De sacros. Eccles.* ex rationibus, quas ad id probandum diligentissimè & exactissimè in medium adduxit præfatus Dominus Oranus. Cùm & inter Barbaros, & barbaro ritu conditum testamentum apud nostros obtinere debeat, ut de testamento in Damasco condito respondit Baldus *cons. 265. In Damasco vol. 4.*

De consuetudine.

SVMMARIVM.

Statutum ut in Ecclesias non nisi Nobiles recipiantur.

1. 3. *Statutum quod nisi nobiles ad Ecclesiam recipiantur an valeat.*
2. *Laicus de beneficijs disponere non debet.*
4. *Copula inter personas pro qualitatem immediatè subiectas repetit qualitatem in singulis.*
5. *Copula æqualiter dividit.*
6. *Iuramentum loco probationis succedit.*
7. *Consuetudo legis & statuti optima interpres.*
8. *Media ab extremis regulantur.*
9. *Nobilis non est qui patre plebeio nascitur.*
10. *Radix infecta nocet.*
11. *Iuramentum non admittendum, ubi est probatio.*
12. *Iuramento ubi aliquid decidi permittitur, semper admittitur probatio in contrarium.*

CONSILIVM XII.

VIsis verbis fundationis Ecclesiæ & Collegij Andanensis, quæ narrativè repetuntur in literis confirmatorijs fundationis & privilegiorum ejusdem Ecclesiæ per Philippum Ducem Austriæ concessis, quæ sunt, *Selon laquelle fondation nulle Damoiselle ne peult estre receve en icelle Eglise, s'elle n'est tenue & reputée noble femme de quatre costez, de pere & de mere, procreée en leal mariage, & à la reception d'icelle le convient ainsi certifier & iurer par ses parens & amys, que soient nobles.* Hoc est, *secundum quam fundationem nulla Domicella potest recipi in ista Ecclesia, nisi sit habita & reputata femina nobilis ex quatuor lateribus à patre & à matre, procreata in legitimo matrimonio; & in receptione illius convenit ita certificari & iurari per suos parentes & amicos, qui sint nobiles.* Visâ item formulâ juramenti, secundùm quam testes super hujusmodi nobilitate recipiendarum Domicellarum ad dictum Collegium producti jurare consueverunt ultra annos 400. & plures, quæ ita habet, *Ie N. iure sur les saincts Euangiles ceste presente Damoiselle N. estre gentille femme de pere, de mere, d'ave & tresave, & de tous loyaulx mariages,* hoc est, *Ego N. iuro ad sancta Euangelia, istam præsentem Domicellam N. esse fœminam nobilem à patre, à matre, avo, abavo, & omnibus matrimonijs legitimis.* Expensâ quoque diligenter consuetudine, usu, & observatione, quibus ultra hominum memoriam in singularum Domicellarum ad dictum Collegium receptione, dicta Ecclesia usa est, videlicet quòd singulæ admittendæ seu recipiendæ necesse habuerint probare & probaverint nobilitatem ex quatuor partibus pro parte matris, & quod aliquando, quæ intra eos gradus aliquem natalium defectum patiebantur, repullam passæ sint; videtur nobis sub scriptis Dominam Præpositam, Decanam, & Capitulum non teneri ad receptionem Domicellæ A. de cujus receptione & admissione nunc agitur.

Nam in primis quamvis reprobari videatur statutum & consuetudo alicujus Ecclesiæ de non recipiendis nisi nobilibus, *c. penult. De prabend. & ibi Panor. & alij*; nullo tamen jure prohibetur ita primùm fundari Collegium, ut non nisi nobiles in eo recipiantur. † Sic enim licet juri repugnare videatur, quòd laicus habeat aliquod jus disponendi de beneficijs, *c. 1. & per totam causam XVI. quæst. 7.* propter fundationem tamen jus patronatus reservari laico, *extra De iure patron. per tot.* jus providendi, consulendi, & sacerdotem inveniendi ei relinqui potest, *c. Quicumque fidelium XVI. q. 7.* Ita etiam nihil vetat, propter voluntatem & desiderium fundatoris, sic fundari Ecclesiam, ut non nisi nobiles in ea recipiantur. † Sic ut non à statuto Capituli aut consuetudine dependeat observatio hæc, sed à fundatione, quæ non nisi Papæ vel Episcopi auctoritate fieri solet, *c. Consultationib. De donat. c. Illud De iure patron.* ideoque improbanda non est, neque per aliquem ei derogandum, *Clem. Quia contingit De Relig. domib. Rebuffus in praxi benefic. tit. tertia pars signaturæ n. 44. ad verb. nec non iure patronatus.* Licet interim sint non pauci, qui existiment hujusmodi statutum & consuetudinem non valere, quos alibi refert Andreas Tyraquellus, *de Nobilitate cap. 20. n. 19.*

1 2 3

Constitutâ itaque validitate hujusmodi statuti in prima fundatione (ut patet ex dictis literis confirmatorijs) facti, videamus, quid sibi velint illa verba, *Noble femme de quatre costez, de pere & de mere, procreée en leal mariage*, hoc est, *Nobilis fœmina ex quatuor lateribus à patre, & à matre procreata in legitimo matrimonio*; hoc ne, quod consanguinei dictæ Domicellæ prætendunt, ut duo gradus nobilitatis ex parte patris; & item alij duo (qui cum alijs duobus quatuor partes efficient) ex parte matris sufficiant; an verò utrimque quatuor? * Et magis est, ut utrimque quatuor requirantur. Cùm enim requiratur qualitas ista nobilitatis quatuor partium, eaque ex parte matris & patris; vis copulæ, quæ est inter personas post qualitatem immediatè subjectas, efficit, ut in singulis solida & integra qualitas repetita videatur, *l. Seia 20. §. Caio De fundo instructo leg.* quemadmodum intelligeretur, si post nominatas personas qualitas aut conditio subjiceretur, *l. Mulieri & Titio 74. De cond. & demonst.*

4

Cæterùm cùm sine ambiguitate non sint ea

verba propter naturam copulæ, quæ æqualiter dividit, *l. Reos* 11. §. *cùm tabulis De duob. reis*; ex his, quæ extrinsecus sunt, facilius illorum intellectus apparebit. Cùm ergo prædicta formula juramenti, quæ executionem dicti statuti à prima fundatione introducti continet, & illius usum repræsentat, requirat nobilitatem à patre & matre, avo & teravo, evidentissimum est, duos gradus nobilitatis utrimque non sufficere: frustrà enim alioqui jurare oporteret de nobilitate tertij avi, si illa non requireretur; non requireretur autem si ex utro-
6 que latere duo nobilitatis gradus sufficerent. * Proinde ut probari non debet, nisi quod ad intentionem agentis satis est, *Bar. & alij in l. Divus* 33. *De re iudic.* nec etiam jurari loco probationis, cùm juramentum in locum probationis succedat, *l. Sed si* 11. §. *si cum de hæreditate De iureiur.* ita omne id probandum vel asserendum est, sine quo obtineri non posset. Ideoque cùm juramentum sub illa forma deferatur ex dicto statuto, ut non de avo tantùm, sed tertio avo etiam juretur; ita omninò præstandum est, alioqui non relevaret, *l.* 3 §. *fin. De iureiur.*

7 Cessante quoque illâ formulâ, per quam usus & intellectus statuti alioqui satis percipi posset, omnium apertissima simul & veritima eorum verborum interpretatio colligitur ex superiùs relata consuetudine & usu dicti statuti, qui ultra hominum memoriam fuisse proponitur. Est enim consuetudo, usus, & observatio, ut legis, ita quoque statuti optima interpres, cùm de illius interpretatione agitur, *l. Si de interpretatione, cum l. seq. & ibi Bal. De legib. c. Cum dilectus* 8. *De consuet. Dec. cons.* 538. *Viso puncto, num.* 3. & cùm secundum eam consuetudinem perpetuò ac continuè observata fuerit, dicti statuti hæc interpretatio observari & minimè mutari debet, *l. Minimè De legib.* Tantoque magis id sequendum est, quòd similium Collegiorum, veluti Nivellensis & Malbodiensis similis sit observatio, *l. De quibus in princ. d. tit.* eaque interpretatio per consuetudinem introducta, nullâ ratione verbis statuti repugnet, sed tantùm dubium casum declaret.

Qua ratione satis etiam demonstratur, quid intelligi debeat per vocem *tresave*. Nam quamvis ex ordine & numero personarum tertio gradu in dicta formula videatur is poni, quia scilicet proximè post avum ponitur, ut avus immediatè post patrem subijcitur; sic ut quemadmodum avus patri, cui subijcitur, proximus est, ita *tresave* avo sit proximus: tamen, quia usu ita fuit receptum, ut non tantùm de proavo, qui tertio tantùm gradu esset, sed etiam abavo, qui tertius est avus ejus, de quo quæritur, jurare oporteat; fit, ut proprietatem compositæ vocis sequentes, per *tresave* tertium avum seu abavum intelligere debeamus. Alioqui enim supervacaneus & superfluus is esset; videlicet si ex singulorum parentum parte duo nobilitatis gradus sufficerent: aut alioqui juramentum defectuosum esset, quia requisita ulterioris gradus idonea conditione, de media nihil dictum videretur, sine qua tamen ad superiorem ab inferiore, aut ab eadem superiore ad inferiorem non posset fieri transitio. Nobilitas enim abavi quid prodest, si succedens proavus est naturalis? Ne igitur alterum illorum duorum admittatur, dictionem *tresave* de tertio avo seu abavo accipi convenit: neque sic censebitur omissa, aut non desiderari proavi nobilis conditio. * Nam extremis requisitis, media 8
virtute extremorum facilè subintelliguntur aut præsumuntur etiam requiri, sub eadem qualitate & conditione, quia media extremorum naturam & conditionem sequuntur, *l. Sicut* 8. §. *non videtur* 15. *Quib. mod. pign. vel hypoth. sol. Præses in loco ab extremis.*

Cùm igitur proponatur proavum maternum Domicellæ A. hominem vulgarem, nullius nobilitatis, & illius proaviam illegitimam fuisse; nulla ratione potest conditio dictæ Domicellæ A. idonea esse, ut recipi debeat ad dictum Collegium: * 9
nam ex homine plebeio nati, etiamsi mater nobilis fuerit, nobiles esse non possunt, *Bald. in l. ult. in fin. C. De servis fugitivis, & in l.* 2. *C. De iure emphyt.* Nati item ex baltardo seu illegitimo, etiamsi eorum parens nobilis fuerit, non transfusam ad parentem suum baltardum seu nothum nobilitatem, accipere non intelliguntur, *Bald. in l. Cum legitimè. De statu hom. Bar. in l.* 1. *C. De dignit. lib.* 12. *late And. Tyraquel. de Nobilit. cap.* 15. *n.* 10. * Ex infe- 10
cta enim radice fructus integri non proferuntur, *Tiraq. d. c.* 15. *n.* 24. Ita ut in casu præsenti admodum laborandum non sit, an per dictionem *tresave* abavus aut proavus significetur: quia semper verum manet, non posse dictæ Domicellæ A. nobilitatem ex parte matris ultra secundum gradum demonstrari, cùm in tertio gradu inveniatur proavus non nobilis, & proavia ex nobili quidem patre, sed illegitimè nata.

Quod novissimè quæritur, an Domina Præposita, Decana, & Capitulum debeant admittere consanguineos dictæ Domicellæ A. ad dictorum statutorum juramentum, dubitationem nullam habet. * Cùm enim in contrarium extet probatio, 11
non est permittendum hoc anceps & periculosum juramentum, ut perjurium vitetur, *Bald. in l.* 1. *n.* 4. *C. Si adversus libert. & in l. Contra negantem n.* 7. *C. De lege Aquil.* & ne perjurium adversus statuta dicti collegij à prima fundatione recepta fiat. * Vt in 12
simili, ex causa contrariæ probationis vel veritatis, de qua aliunde constat, aut ob metum verisimilis perjurij, judex potest recusare delationem juramenti in litem, *l. Videamus* 4. §. *iurare De in lit. iurando*, aut declarationis damnorum, quæ quis ex alieno delicto passus est, *Ias. in l. Si quando C. Vnde vi.* Generale quoque est, ut in his, quæ non vera probatione, sed juramento partis decidi jubentur lege vel statuto, admittantur probationes in contrarium, *Ias. in d. l. Si quando n.* 28. quæ offeruntur ab eo, cujus aliquo modo interest.

Atque ita nobis subscriptis utriusque Iuris Doctoribus pro parte dictarum Dominarum Præpositæ, Decanæ, & Capituli requisitis secundùm ea, quæ proposita sunt, de jure respondendum & tenendum videtur.

De

De Consuetudine.

SVMMARIVM.

Statutum optandi præbendas vel domos.

1. 4. *Optio præbendarum ex statuto & consuetudine valet.*
2. *Canonicus senior non ex ætate, sed receptione reputatur.*
3. *Ius ad rem infirmius est iure in re.*
5. *Optandi ius unde competat.*
6. *Optandi ius in fructu beneficij est.*
7. *Possessor beneficij habet pro sepræsumptionem.*
8. *In beneficijs status præsens inspicitur.*
9. *Vacante Prælatura à, ad Capitulum non devolvitur ius collationis.*
10. *Capitulum sede vacante compermutationes beneficiorum potest admittere.*
11. *Capitulum qui & quot constituant.*
12. *Pacta capitula perinde ad clericos ut laicos pertinent.*
13. *Clerici an ab hæreticis fugere debent.*

CONSILIVM XIII.

IN contentione, quæ est coram Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis inter Dominos Antonium de Compostella & Guilielmum Vuesels, dictæ Ecclesiæ Canonicos, super optione seu optatione domus canonicalis jam vacantis ex vacatione canonicatus & præbendæ per mortem Domini Thomæ Tourlant, potius jus nobis habere videtur præfatus D. Antonius. Quippe in usu sive statuti sive consuetudinis, quæ est in dicta Ecclesia, de facultate optionis seu optationis domus canonicalis, vacantis per mortem alicujus Canonici, qui jure canonicatus & præbendæ illam possedit, permittitur illius optatio gradatim antiquioti Canonico superstiti, tamquàm æqua & rationi consentaneæ. 1 Vt enim præbendarum optio in usu consuetudinis vel statuti, expresso jure probatur, & pro rationabili reputatur, *c. Cum in tua De consuet. lib. 6.* de quo tamen justiùs dubitari poterat, propter considerationem variationis & inconstantiæ, quæ inter Clericos & Ecclesiasticos magis, quam laicos improbatur, *Calderin. cons. 7. Consuetudo de optando sub tit. de consuet. Ioan. And. & alij in d. c. Cum in tua. Oldrad. cons.* 285.) ita multò magis probari debet hæc consuetudo de optanda domo, camerâ, aut alio temporali commodo, quæ separationem ab ipsis canonicatibus recipiunt, & nulli certo annexa sunt aut cohærent, ut ex auctoritate Glossæ *in d. c. Cum in tua, in V. consuetudo*, de tali consuetudine seu statuto in Ecclesia Mediolanensi obtinente, communiter probatur, *DD. in d. c. Cum in tua, Franc. Marc. decis. Delphin.* 1258. *part.* 1. 2 In usu autem hujus consuetudinis antiquior Canonicus non accipitur ex ætate, sed ex canonicatus diuturniore possessione, *Glossa in V. antiquiores, in d. c. Cum in tua.* & prioritas tituli ac possessionis, etiam prioritatem atque potioritatem in hoc jure optandi constituit. *l. potior. 11. ff. Qui potio. in pign. hab.*

Cùm igitur præfatus D. Antonius non tantùm ætate, sed etiam tempore in adeptione sui canonicatus præfatum D. Guilielmū præcedat, ex ratione temporis cum tam evidente intervallo, nulla potest esse antiquioris requisitæ qualitatis dubitatio. Quod verū agnoscens idem D. Guilielmus, prioritatem temporis sibi adscribit, proponendo quòd ab anno quinquagesimo octavo jus ad suum hunc canonicatum habuerit, Dominus autem Antonius suum primùm mense martio anno octuagesimo obtinuerit; ita ut ex prioritate acquisiti tituli sibi persuadeat, se illo antiquiorem in hac re esse. Sed qua ratione hanc tituli seu juris ad hunc suum canonicatum prioritatem ab illo anno quinquagesimo octavo constituat, an ratione alicujus exspectativæ gratiæ, aut coadjutoriæ, cùm nihil nobis proponatur, non satis intelligimus; nec ut intelligamus ad rem propositam definiendam magnopere refert, 3 cùm in hoc juris articulo, jus ad rem non operetur jus in re; quod solum in casu proposito in consideratione habendum est. Non enim inspiciendum est, quo tempore quis in Ecclesia militare potuit, sed quo militaverit. *d. Glossa in V. antiquiores in princ.* Nec per jus ad rem acquiritur jus in re, *c. fin. De concess. præben. lib. 6. Glos. in verb. vel ad ipsum Clemen. 1. De sequest. possess. & fructuum*; cùm illud in spe, quæ sæpe fallit, istud verò in rei veritate, & pleno effectu consistat. Quinimò veri perfectique tituli prioritas hac in re non sufficit; sed requiritur actualis canonicatus possessio. Vsque adeò, ut in concursu duorum, paritatem tituli habentium non is reputetur potior, qui titulum ex tempore priorem habet, sed qui post acquisitum titulum prior ad possessionem venit, & sic ubique ferè potior est possessor cum titulo, quàm titularius sine possessione, *gloss. in d. Clement. 1. in V. super beneficio*; modò possessoris titulus sit canonicus, aut saltem coloratus, *Franc. Marcus decis. 982. parte 1.* qualem esse Domini Antonij titulum mox demonstrabitur. Vbique enim melior est possidentis conditio, *c. Si à sede, De præben. lib. 6.* & ex præsenti possessione hæc res expenditur.

Proinde cùm ex hac parte se à D. Antonio superari vidit D. Guilielmus, convertit se ad convellendum D. Antonij jus & titulum in suo canonicatu; ut ex defectu seu nullitate tituli, quem D. Antonius suæ possessioni prætexit, jus possessionis inutile faciat: cùm in beneficijs possessio sine titulo rectè non acquiratur, *c. 1. De R. I. in 6.* ut sic ex defectu justi tituli, & consequenter ex inutilitate possessionis, D. Antonius hac in re non possit Domino Guilielmo optare volenti, aliquod impedimentum facere; ex regula generali, quā non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *c. Non præstat De R. I. in 6.* Datâ enim seu constitutâ nullitate antecedentis, necessariò videtur constitui nullitas & inutilitas consequentis.

Vnde in hoc juris articulo, ut quis optare possit, 4 requiritur, ut ipso actu sit Canonicus; qualis dici non potest, qui justo titulo ad canonicatum caret, *Zabarella cons. 26. Vacarunt Canonicatus*: quippe pacta sunt, non esse, & esse vitiosè, *l. Quoties Qui satisd. coguntur.* Sed frustra in eo laborat. 5 Cùm enim hoc jus optandi competat ratione præsentis possessionis, ut diximus; & in justa beneficij possessione constituenda, non semper requiratur antecedens tituli veritas & justitia, sed satis sit sine in-

trusione illam esse acquisitam ex titulo, si non omninò vero & legitimo, saltem colorato, *c. Cum nostris. & ibi Panorm. De conces. præb.* hoc est, auctoritate & cooperatione superioris, *d. c. Cum nostris, Steph. Bertr. consil. 174. Ex processu, vol. 8.* à qua adversus vitium intrusionis præsens est remedium, *Dec. cons. 220. In causa, Felin. in c. In nostro n. 10. & 12. De rescript.* ne auctoritate superioris, quantumvis illa aliquo vitio laboret, decipiatur, *l. 1. in fine C. De his qui ven. ætat. impet.* consequens est, ex defectu veri tituli, quia coloratus saltem adest, jus Domini Antonij hac in re nec convelli, multò minùs everti posse. Præsertim ex eo, quòd tempore hujus optationis, atque adeò etiam adhuc in præsenti fuit & est in vera, quieta, ac pacifica hujus sui canonicatus possessione; quæ judiciali aliqua lite nec litigiosa nec controversa hactenus, & ne quidem per dictum D. Guilielmum effecta est. Nam & idem D. Antonius in hoc canonicatu nullum adhuc vel competitorem, vel formalem adversarium habet. Vnde quâ ratione præfatus D. Antonius ratione suæ sic titulatę possessionis, etiam dicto D. Guilielmo permittente & consentiente, saltem non contradicente, percipit omnes & singulos dicti sui canonicatus fructus & emolumenta, & in illis, aliis, adeoq; etiam dicto D. Guilielmo per omnia adæquatur, salva prioritate, ubi illius ratio haberi debet, ita quoque hac in re perinde tolerari debet; † quia hæc optatio in fructu & emolumentis canonicatus est, ut in genere ipsa præbenda, & quidquid præbendæ etiam consecutivè adhæret; ideoque sine contradictione permitti debet. Vsque adeò, ut ad hæc obtinenda sive retinenda, nihil illi necessum sit titulum suum exhibere vel ostendere, multò minùs justificare, † quia pro possessore præsumitur, *l. penult. C. De eviction. Alciat. De præsumpt. reg. 3. cap. 5.* eo præsertim, qui tanto tempore, hoc est, per continuos quinque annos sine controversia possessor, & pro legitimo possessore reputatus fuit, etiam ab ipso D. Guilielmo, quique propter diuturnam possessionem molestari non potest, *Reg. Cancell. Apostol. De triennali possess.* * cùm in beneficijs præsens status inspiciatur, & ex illo jus in hujusmodi fructibus & accidentijs metiri oporteat, tam quoad qualitatem beneficij, quàm jus possessoris, quamdiu id evictum vel sententia judicis aliter definitum non est, *l. Consultationibus, De jure patron. Decius cons. 125. in causa.* Ita ut, propter putativum saltem hunc coloratum titulum, & ex illo præsentem possessionem, D. Antonius in omni jure canonicatus sui, hoc est, fructibus & emolumentis retineri & manuteneri debeat. Et quidem tam diu saltem, quàm evicto ejus jure per sententiam judicialem, jus possessionis resolutum non est. Ita ut huic incidenti & magis per viam exceptionis, quàm directæ actionis & contradictionis propositæ oppugnationi tituli & juris, quod D. Antonius ad hunc canonicatum habet, nihil sit tribuendum, stante prædictâ possessione; nemine existente, qui ad hunc canonicatum jus prætendat, ut vel judicialiter vel extrajudicialiter ullo modo dici possit litigiosus. Ideoque nihil tribui debeat huic exceptioni, quæ est de jure tertij, *l. Hi consequenter D. Fam. ercis.* Quæ præsentis indubitatæ possessionis consideratio, planè subvertit & perimit quæcumque ex parte D. Guilielmi D. Antonio objiciuntur de injustitia sui, quem prætendit, tituli: ut nihil sit necesse de illorum efficacia vel pondere in re proposita disputare.

Quamvis interim illa per se, sepositò dicto præsentis possessionis præiudicio, parum, imò nihil momenti habeant. Nam quòd objicit, in potestate Capituli non fuisse auctoritatem suam accommodare permutationi, quam D. Antonius conceperat, cum D. Andrea Manriquez de sua Capellania, quam in eadem Ecclesia possidebat, cum hoc canonicatu; multò minùs ex ea permutatione vacantem canonicatum illi conferre, vacante tunc Sede Episcopali: ex eo, quòd (ut proponitur) hic canonicatus, ex speciali reservatione Pontificis, pertinuerit eâ vice ad solum Episcopum; * quia licet Sede vacante ad Capitulum devolvatur jurisdictionis potestas, non tamen defertur beneficiorum interea vacantium collatio; ob id, quòd illa in fructu Episcopatus sit, *c. Cum vos, & ibi gloss. & DD. De offic. iud. ordin.* quæ autem in fructu sunt, per Capitulum arripi aut consumi non debent, sed futuro Episcopo reservari, ex Honorij Tertij constitutionibus, *in c. 1. & 2. Ne Sede vacante &c.* Et quod ut canonicatus alteri debitus, alij conferri non debet, & aliter de illo facta collatio sit plane nulla, *c. Quoniam De conces. præben. lib. 6. Gemin. cons. 21. Præmitto n. 3.* quodque permutatio beneficiorum non possit fieri sine consensu Episcopi, *c. Quæsitum De rer. permut.* Hæc inquam, sic objecta facilè removentur.

Cùm enim collatio, quæ fit ex compermutatione beneficiorum, non tàm sit voluntaria, quàm necessaria; teneaturque omninò beneficij collator compermutantibus compermutata beneficia conferre, nec ex compermutatione vacantia beneficia possit alijs extra compermutantes conferre, etiamsi in manibus Papæ fiat resignatio ex causa permutationis, *Clem. 1. De rerum permut.* eoque respectu non tam in fructu, quàm in authorisabili jurisdictione consistat ex ea causa hæc necessaria beneficij collatio; * sequitur, quòd cùm ad Capitulum Sede vacante devolvantur ea, quæ jurisdictionis sunt, *cap. His quæ De maior. & obed. & ibi gloss. in V. pro bono pacis*, hæc quoque admittendi & authorisandi ex permutatione resignationes, & ex permutatione vacantia beneficia necessaria conferendi potestas, censeri debeat fuisse devoluta, *gloss. in d. Clem. 1. in V. conferantur vers. quid de Capitulo.*

Et quamvis Glossa *in d. V. conferantur vers. si verò una*, hanc hujus potestatis devolutionem restringat ad beneficia, quæ ad solius Episcopi collationem non pertinent, sed conjunctim & alternativè etiam ad Capitulum, ut non obtineat, si ad Episcopum solum pertineat collatio: id tamen ita ex sententia Frederici de Senis, *in Tract. De permutat. quæst. 36.* accipiendum est, ut per Capitulum quidem id ita fieri, sed per sequentem seu successorem Episcopum perfici possit. Quod etiam probat & sequitur Cardinalis Zabarella, *Cons. 46. Venio, in fine.* Et si ex hac parte ullum posset esse periculum, id ex alia consideratione facilè discutitur: quòd scilicet hujus canonicatus collatio ad solum Episcopum eo vivo non pertineat; ad id, quòd reservatio seu gratia

gratia Apostolica, quæ per bullam erectionis Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis soli Episcopo de decem ex tunc primò vacaturis Canonicatibus facta est, tempore hujus compermutationis consumpta fuerit; quia ex illo die decem canonicatus vacaverint, & hujus canonicatus vacatio ex dicta compermutatione fuerit, ut proponitur, undecima; & sic jure dictæ reservationis ad solum Episcopum non pertinuerit, sed magis ad Capitulum ex antiquo (ut puto) jure. Ita ut consumptâ hac Episcopi speciali reservatione, Capituli manus priùs constrictæ, relaxatæ & dissolutæ fuerint; ideoque meritò hanc ex hac permutationis causâ occurrentem permutationem admittere, & ex illa vacantem Canonicatum D. Antonio conferre potuerit. Sublatâ enim causâ impedimenti, necesse est impedimentum tolli, *l. Etsi contra Cod. De nupt. c. Post translationem De renunciat.*

Nec ad rem pertinet, quod hos decem primos vacantes canonicatus omnes Episcopus non contulerit. Nam satis est, quod conferre potuerit, & per illum steterit, quo minùs id fecerit, *l. In iure civili* 161. *de R. I. l. Iure civili* 24. *De cond. & demonstr.* Præsertim quia hæc reservatio non sit de decem, quos Episcopus voluerit aut elegerit, sed simpliciter de decem primis vacaturis. Ita ut ex limitata causa hujusmodi concessionis, illius quoque potestas fuerit limitata, *l. In agris De acquir. rer. dom. l. Cancellaverat De his quæ in test. delent.* Mandati namque fines & gratiæ diligenter observandi sunt, *c. Si clericus, c. Cui de non sacerdotali De præben. lib. 6.* Ad constituendam enim hanc collationum decem primò vacaturorum canonicatuum consumptionem, etiam quovis modo reservata beneficia, & ad quæ jus exspectativæ alicujus gratiæ alicui competebat, non comprehenduntur: ob id, quod Papa per dictam bullam omnibus reservationibus & exspectativis per prægnantissimas clausulas derogaverit, & quin derogare potuerit, dubitatio nulla est, *d. c. Cum in tuis vers. in præbendis c. Si postquam, c. Si is cui, c. Quodam Depræben. lib. 6.* Unde vacatio canonicatus, quem possedit D. Thomas Deterne, numerum facere debet, etiamsi illum vigore coadjutoriæ acceptaverit M. Carolus Deterne, cùm per dictas prætactæ bullæ reservationis prægnantissimas derogatorias clausulas, illi quoque coadjutoriæ, nondum effectum sortitæ, derogatum esse censeri debeat.

Nullus itaque est juris, quod D. Guilielmus prætexit, ex hac consideratione defectus. Sed nec
11 ex eo, quod à paucis hæc res sit expedita. † Nam cùm Capitulum constituatur non ex absentibus, sed præsentibus & residentibus in loco Ecclesiæ, ita ut vel unus Capitulum, & Capituli potestatem retinere & conservare possit, *l. Sicut §. ult. ff. Quod cuiusque univers. nomine & c. gloss. in c. Gratum De postul. Prælat. & ibi Panor. n. 9. & 12.* absentium nulla, sed præsentium dumtaxat haberi debet ratio. Nimis tanè invidiosum est, quod ex ratione præteriti infelicis hujus temporis ad jus D. Antonij infringendum, & suum stabiliendum arripit D. Guilielmus: quasi quæ tempore tyrannidis, & in subtracta obedientia tam Sedi Apostolicæ, quàm Regiæ Majestati in civitate Antverpiensi acta sunt, infirmari debeant, *l. Decernimus* 16. *C. De sacros. Eccles.* Quippe hujusmodi objectio continet apertissimam contradictionem adversus capitula reconciliationis & pacis civitati Antverpiensi ex nomine Regiæ Majestatis redditæ: per quam (præterquam quòd illo tempore acta, rata habentur) perpetua quoque inducta est amnestia & oblivio præteritorum; quæcumque etiam improbato more acta fuerunt; pœnâ quoque rebellionis & infractæ pacis constitutâ adversus eos, qui vel objicerent vel refricarent.

† Quæ dictæ reconciliationis & pacis indulgen- 12
tia non minùs Clericis & Ecclesiasticis personis prodesse debet, quàm laicis. Quod enim laicis sic vel simili modo conceditur, Clericis quoque communicatum censetur, *c. Maximum* 1. *q.* 7. *& ibi Glos. in V. dignitate, Panor. in c. Quia diligentia, sub fin. De elect. in.* late *Roland. à Valle cons.* 63. *Requisitus n.* 24. *vol.* 3.

Neque his Canonicis, qui tunc, licet numero pauci, repræsentabant Capitulum, rectè objici potest, quòd non, ut alij, in fugam quoque se conjecerint, sed apud & inter hæreticos permanserint: nam nulla est lex, nullus canon, qui ad fugiendum eos constrinxerit. * Unde est, quod Bartolus, *in l. Si* 13
ob turpem n. 5. *De condict. ob turp. caus.* & ex Bartolo tradit Baldus, *in l.* 1. *in fin. C. eod. tit. Thomas Grammat. Decis.* 18. *n.* 10. quòd alleganti metum ex tyrannide non possit objici, quòd à rebellante civitate vel tyranno non recesserit, fugiendo ad aliam civitatem: quia fugæ potestas sine periculo semper non est; & ut sit, nulla tamen est necessitas, *l. Sæpè De off. Præsid.* Multa enim sunt, cur quis non fugiat. Unde est, quòd Baldus *cons.* 96. *Proponitur sub fin. vol.* 3. manentes inter rebelles sine cooperatione in rebellione, dicat, quòd pro rebellibus accipi non debeant; & non activè, sed passivè rebelles reputentur. Quinimò his, qui hîc subsiterunt salvâ fide, ad laudem refertur, etiam Ecclesiasticis personis, ex judicio quoque Divi Augustini, in Epistola ad Honoratum Episcopum, *quæ est inter eius Epistolas* 180. ad quam brevitatis causa remittimus.

His itaque, & alijs, quæ in scedula pro parte D. Antonij Capitulo exhibita continentur, existimo, optionem seu optationem D. Antonij progressum habere, & effectum obtinere debere: considerationibus quibuscumque, per D. Guilielmum propositis, non obstantibus.

De consuetudine.

SVMMARIVM.

Statuendi potestas.

1. *Appellari potest à conceptione & publicatione statutorum.*
   Statuti validitas dependet à statuentis potestate.
2. *Statuta facere quis possit.*
3. *Canonici Collegiatarum Ecclesiarum an statuere possint.*
4. 6. *Approbari debet ab omnibus, quod omnes tangit.*
5. *Superiori obediendum quando sit.*
7. *Capellanorum officium.*

CONSILIVM XIV.

CVM jure permissum sit cuicumque provocare & appellare à statuto, quod in speciale alicujus

alicujus odium vel gravamen sit, *Bart. in l. Omnes populi n.* 53. *De iust. & iure*; imò, ut vult Panormit. *in cap. Cum omnes, & ibi late Felin. De constitut.* hujusmodi statutum sit ipso jure nullum: † justa & probabilis omninò est provocatio, quam Capellani Ecclesiæ S. Petri Lovaniensis à conceptione & publicatione statutorum, latiùs in scedula appellationis ac libello appellatorio designatorum, interposuerunt. Quod ut demonstretur ex juris ratione, illud priùs, quod de angustia facultatis statuendi plerique tradunt, hic proponemus; ut ex angustia & restrictiore potestate statuta condendi gravaminis inferendi latiora spatia, & procliviorem occasionem comprobemus.

Et præsupposito, quòd Domini de Capitulo superioritatem quandam in dictos Capellanos haberent, quod Appellantes per privilegia exemptionis & abdicationem jurisdictionis Capituli, per testes etiam pro parte Appellatorum productos, minimè verum esse deduxerunt, ita ut ex hoc solo capite deficientis potestatis, nullitas & iniquitas hujusmodi statutorum redargui possit, quia statuti validitas dependet à statuentis seu statuentium potestate, & superioritate, *Felin. in c. Ecclesia S. Mariæ in* 11. *quæst. num.* 96. *De constitut.* nihilo tamen magis in proposito juris firmitatem habent
2 hujusmodi statuta, * ob id, quòd frequenti opinione receptum sit, quòd, ut villarum, universitatum, seu communitatum Rectoribus, superioribus seu capitibus, atque etiam civitatum Magistratibus, qui superiori subsunt, non est permissum facere statuta sine privilegio vel approbatione speciali Principis superioris, *Bart. in d. l. Omnes populi n.* 3. *vers. aut quæris*, *Bald. in l.* 1. *Si quis ius dicenti non obtemp. Imol. in cap. Cum accessissent De constit. Bald. in tit. De pace Constantiæ* §. *hoc quod nos n.* 21. *& Consil.* 292. *Verba patterum vol.* 2. ita nec Capitulis seu Collegijs, vel Episcopo seu Archiepiscopo, vel etiam Papæ immediatè subjectis, quia debent statuta accipere vel à proprio Episcopo, vel à Papa: speciale enim est, quòd Capitulum Sede vacante statuere possit, *Fred. De Senis consil.* 16. *Capitulum Ecclesiæ.*

De quo in proposito minus dubitandum est, quod per exhibita Appellatorum constet, Capitulum sancti Petri non tam dedisse leges statutarias quàm accepisse ex communi ordinatione omnium secundariarum Ecclesiarum: quæ velut propria statuta, & à se seu suis prædecessoribus edita, asserere nituntur Appellati; cùm evidenter demonstratum sit, id fieri non posse. Quod evidentius deprehenditur ex testimonijs aliquot testium pro parte Appellatorum productorum; qui Capellanos S. Petri eximunt ab illa necessitate patiendi correctionem Decani & Capituli, ex statutis secundariarum Ecclesiarum, eorumdem statutorum potestatem in reliquo affirmantes.

Sed quoniam plerique statuendi potestatem
3 permittunt Decano & Canonicis Collegiatarum, non Cathedralium Ecclesiarum, *Bald. in d. c. Cum omnes in princ. Glos. in c.* 2. *in V. statutum De verb. signif. lib.* 6. aliâ ratione statuendi potestatem hîc coangustamus, ex communi juris dispositione, quæ non permittit novorum statutorum editionem, aut veterum ampliationem vel restrictionem, nisi consentientibus omnibus, quos statutis ligari statuentes volunt. * Ab omnibus enim approbari debet, 4
quod omnes tangit vel concernit, *c. Quod omnes & ibi Ioan. Andr. De reg. iuris lib.* 6. omnibus, inquam, aut saltem majore parte eorum, qui de Collegio sunt, *Glos. in d. c. quod omnes Bart. in l. Quod maior ff. Ad municip.* Cùm igitur Canonicorum exiguus sit numerus, triplicato major numerus Capellanorum; non debet in eorum præjudicium valere à Canonicis, paucis numero existentibus, factum statutum, ut multis & elegantibus rationibus, in specie huic nostræ omnino simili, deducit & respondit Paul. Parisius, *Consil.* 90. *Circa primum dubium vol.* 4. de statuto Collegiatæ cujusdam Ecclesiæ adversus portionarios & subportionarios ejusdem Ecclesiæ: quo statuto ait conturbari pacem & quietem servientium; permittens, quòd unius contradictio etiam posset impedire hujusmodi Canonicorum statuta adversus veteres & consuetas ejusdem Ecclesiæ consuetudines & observationes: ad cujus consilium & responsum brevitatis studio remittimus. Vt meritò hic dici possit, Capellanis ad hujusmodi statutorum confectionem minimè vocatis aut requisitis, licere obedientiæ jugum hac ex parte recusare. * Superiori enim non est 5
obediendum, quando officium & potestatem suam egreditur. *Glos. l. Non videntur* 167. §. *qui iussu De reg. iur. Decius in casu non absimili cons.* 72. *Visopuncto ethum.* 2.

Nec ad rem facit, quod Capellani vocem in Capitulo non habeant: inde enim constitui non potest, quod ad hæc statuta ipsos concernentia vocari non debuerunt; quoniam verum est, quod ad actus capitulares & negotia, solum Capitulum vel Canonicos concernentia, vocandi non sint, qui vocem in Capitulo non habent, cùm super illis solum Capitulum statuere possit. * Sed hæc statuta, de 6
quibus nunc agitur, hos fines excedunt, quia continent actum concernentem etiam ipsos Capellanos; & magis Capellanos, quàm Canonicos, *Steph. Bertrand. cons.* 118. *Super casu n.* 8. *vol.* 6. ex eo quòd Capellani præter solitum arctiùs obstringantur ad chori visitationem; ad quam ex prima eorum fundatione & antiquis statutis sic non obligabantur,
† repugnante etiam eorum nomine, cùm Capel- 7
lani à Capellis, quæ extra chorum sunt, nomen habeant; & in ijs, non in choro debeant esse assidui. Deinde quia gravioribus pœnis subijciantur; quòd corrigendi potestas Decano adijciatur, & Magistris Capellanorum, quibus animadversio & emolumentorum subtractio ultra immemoriale tempus semper permissa fuit, eripiatur: magno & nimis ambitioso latiùs imperandi studio. Vt meritò hæc omnia statuta tamquam ambitiosa, tamquam inæqualitatem nimiam inter Canonicos & Capellanos constituentia, rescindi, *l. Ambitiosa De decret. ab ordin. facien.* & tamquam antiquam consuetudinem Ecclesiæ transgredientia, *c. In his*, 11. *distinct.* retractari debeant: sicut de similibus statutis Canonicorum Ecclesiæ Valentinensis, adversus eorum chorarios factis, eleganter consulendo respondit Stephanus Bertrandus, *d. Consilio* 118. ad quem rursus, quia in terminis adhuc dubitabilioribus hanc litem decidere videtur, remittimus.

Meminisse debebant Domini Canonici formæ veteris,

veteris, quæ olim observata fuit, incidente materiâ controversiæ & occasione statuendi propter abusus aut defectus, communi calculo concordibusque votis conclusa & statuta, imò formali stipulatione observationis corroborata fuisse, quæ pro statutis observari necessum erat; ut apertè indicat instrumentum similis concordiæ per Appellatos exhibitum. Cui nihil adversantur farragines & centones statutorum, per Appellatos semel atque iterum in hac causa exhibitorum: nam quàm parum fidei illis partim volantibus, partim laceris & punctis ac dispunctis chartis tribuendum sit, per Appellantes sufficienter deductum est. Et ne exempla seu extracta in hac causa exhibita fallant, repetito originali libro, in calculo ferendæ sententiæ, evidentius Domino Assessori ad oculum liquebit.

Cùm itaque hęc nova statuta nimium innovent, observationis majoris laqueos injiciant, ad frequentationem assiduamque interessentiam in choro, qui (uti ex testimonijs constat) satis capax non est, præter solitum obstringant; Magistris Capellanorum ab antiquo constitutis, & semper retentis, ferè omnem auctoritatem & potestatem detrahant; & cum incertitudine correctionis, & occasione exercendæ avaritiæ cupiditatis, & vindictæ ad Decani arbitrium, correctionem, ac distributionis privationem transferant; & denique accusationem ac pœnam graviorem Capitulo reservent; nimiâ duritie, magnâ inæqualitate ac injustitiâ laborent: existimamus secundùm conclusionem Appellantium in hac causa pronunciandum esse. Quemadmodum in simili causa inter Canonicos & Capellanos Sancti Albani Namurcensis Dominus & Magister Rythovius, Decanus pridem Ecclesiæ S. Petri Lovanienſis, nunc Episcopus Iprensis, ex delegatione Apostolica aliquando judicavit.

De Consuetudine.

SVMMARIVM.

Statutum Capituli.

1. *Capitulo seu Collegio permittuntur statuta honesta & rationabilia.*
2. *Statutis Collegij derogare potest Papa, dum id expresse declarat.*
3. *Derogatio Papæ restringenda.*

CONSILIVM XV.

STATVTO & consuetudine Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Insulensis is, qui ad possessionem Canonicatus, quem ex ordinaria vel Apostolica auctoritate obtinuit, admitti vult, tenetur inter alia jurare, quòd præbendam suam non permiserit, nec permittet pensione onerari. Hoc juramentum D. Gregorius de Lens Apostolicâ auctoritate de Canonicatu & præbendâ per obitum D. Georgij Imelot noviſſimi illius rectoris & possessoris vacantibus, provisus præstare recusat, & nihilominus, ut à Capitulo ad possessionem dicti Canonicatus per Dominos Decanum, & Capitulum admittatur, contendit ex eo, quòd in bulla suæ provisionis inserta sit hæc clausula: *Non obstantibus sel. rec. Bonifacij Papæ Octavi & aliis Apostolicis constitutionibus, nec non prædictæ Ecclesiæ iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis prædictæ Ecclesiæ, ac dictis filijs illius Capituli Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, ac alias quomodolibet concessis, approbatis & innovatis; quibus omnibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus contrarys quibuscumque.* Quæritur, an prætextu dictæ clausulæ necessitatem præstandi hujus juramenti præfatus D. Gregorius declinare & subterfugere poterit, & nihilominus Capitulum urgere ad sui receptionem?

De validitate & utilitate hujus statuti in primis nulla videtur esse dubitatio. * Iure enim permittitur cuicumque Capitulo licita, honesta, & rationabilia statuta facere, & laudabiles consuetudines recipere, *c. 1. De constit. lib. 6. c. Cùm in Ecclesia De præb. & dignit. lib. 6. Glos. in V. statutum in c. Constitutionem §. cæterum De verb. signif. lib. 6.* quatenus non tendunt in præjudicium auctoritatis superioris, & præsertim Papæ, nec sunt directè ex conjuratione aut conspiratione, *d. c. Constitutionem §. statutum*; aut aliter in damnum aliquorum ambitiosa, *c. Cùm omnes De constit. l. Ambitiosa ff. De decret. ab ord. facien.* & maximè quæ juris communis regulis sunt conformia, aut saltem non contraria: quale omninò judicari debet hoc de præstando juramento Capituli statutum, Iuri communi satis conforme; quo Clericis beneficiatis non permittitur, sed apertè interdicitur Ecclesias seu præbendas suas facere censuales, *c. Præterea in fin. c. Cùm Clerici De censib.* Iure autem permittitur à beneficiato Clerico exigi juramentum de statutis Ecclesiæ servandis, quod in administratione & receptione beneficiati exigi potest, & omnimodò præstandum; nec sine reatu perjurij illi contraveniri potest, *c. Clericus De iureiur.* cùm directè non tendat in damnum tertij, neque contineat conjurationem aut conspirationem contra libertatem aut auctoritatem Sedis Apostolicæ, aut alterius superioris; cujus auctoritas salva manet, & excepta semper videtur, *c. Venientes De iureiur.* † Sed ita ut non censeatur Papa 2 hujusmodi statuto derogasse aut derogare velle, nisi expresse id in dispositione Apostolica caveatur, *d. cap. 1. De constit. lib. 6.*

Quo præsuppositio expedita videtur propositæ quæstionis resolutio; quòd, cùm in dicta bulla non conspiciatur expressa & specialis aliqua dicti statuti derogatio aut relaxatio, illius necessitatem declinare non possit dictus D. Gregorius: neque Capitulum constringi ad ipsius receptionem sine præstatione hujus juramenti, in hac reciproca tam Capituli, quàm dicti D. Gregorij obligatione; in qua initium complementi ab ipso D. Gregorio admissionem petente, fieri omninò debet; nec ante illud Capitulum ad admissionem cogi, *l. Iulianus §. offerri De act. empti, l. Quæro. §. inter locatorem in fin. D. Locati.* Quod in proposito minorem habet dubitationem, imò extra omnem dubitationem est; ex eo, quòd in dicta bulla non obscurè persupponatur necessitas præstandi soliti juramenti, de observandis statutis, & consuetudinibus prædictæ Ecclesiæ; eatenus tantùm factâ relaxatione, ut quòd aliàs corporaliter per ipsum beneficiatum præstandum fort esset juramentum, per procuratorem

torem præstari possit: hæc enim strictior relaxatio in reliquis observationibus dictorum statutorum necessitatem relinquit, *l. Cum Prætor. D. De iudicijs, l. Quod vero, cum l. seq. De legib.* Ita ut ex hac S. D. N. Papæ præsuppositâ voluntate de præstando juramento, de servandis statutis & consuetudinibus, & angustiore relaxatione, manifestè deprehendatur, suam Sanctitatem noluisse derogare dictis statutis: quippe contrarium studium, contrariaque cautio, consilium & voluntatem derogationis ea in parte omnino avertunt, *l. Cumpater 77. §. Titio in fin. De leg. 2.*

3 Et quamvis superiùs per D. Gregorium arrepta derogatoriæ clausula, effusis admodum & latè patentibus verbis videatur esse concepta; ideoque vim specialis derogationis continere videatur, *Felin. in c. Nonnulli n. 10. De rescr.* tamen limitari debet, ut scilicet per illam censeatur derogatum juri & potestati cujuscumque alterius collationis; item statutis & consuetudinibus, per quæ impediri quovis modo posset hæc Apostolica provisio dicto D. Gregorio de hoc Canonicatu facta. Quo nullâ ratione tendit hoc, de quo quæritur, statutum; quod non ad impediendam hanc Apostolicam provisionem, aut arcendum provisum; sed magis ad eam juvandam & confirmandam pertinet: cum contineat expressam præsumptionem utilis & validæ provisionis; sed cujus virtute ac vigore provisus cogi possit ad præstandum hoc juramentum, si ad illius possessionem admitti desiderat: quod recusando, aut quo minùs possit culpam præstando, ipse, non alius effectum suæ provisionis impedit, & damnum inde consurgens sibi imputare debet, *c. Damnum De R. I. lib. 6.* Quæ est vera & genuina dictæ derogatoriæ clausulæ ea in parte potestas: ut rectè & accuratè has clausula interpretatur & expendit Petrus Rebuffus, *in praxi benefic. part. 1. tit. De formandæ provis. in verb. non obstantib. & seqq. aliquot clausulis.*

Quod proclivius certiusque dici potest ex eo, quòd hæc Apostolica provisio non sit de beneficio reservatione corpori juris inclusâ reservato; hoc est apud Sedem Apostolicam in curia Romana vacante ex morte beneficiati in eadem curia, aut ex incompatibilitate, *c. 2. c. Statutum cap. præsenti De præben. lib. 6.* cujus generis beneficia, ut specialem notam habent, ita propter Pontificiæ potestatis & auctoritatis præeminentiam in genere hujusmodi reservationis difficilius Capituli statutis subjiciuntur, faciliusque etiam statutis quibuscumque Capituli derogant. Vt videre est in consuetudine Capituli de optione præbendarum; cui derogatum censetur per collationem seu provisionem Apostolicam de beneficio sic reservato vacante apud Sedem Apostolicam, *c. ult. vers. in præbendis De consuet lib. 6.* Sed in proposito est quæstio de provisione Apostolica vulgari, communi, & ordinaria per concursum & præventionem, sine specie dictæ reservationis corpori juris inclusæ: per cujus generis provisionem, non censetur statutis Capituli in dubio derogatum, *d. cap. ult. in princ.*

Quæ igitur tam ampla derogatoria clausula inseritur in ea parte dictæ bullæ, quâ alterius cujuscumque de hoc Canonicatu provisioni & potestati detrahitur, ut D. Gregorio in alio quocumque jure impedimentum non præstetur, nullâ ratione debet aut potest trahi ad alia, quæ provisioni impedimentum facere non possunt; sed rite provisо incumbunt, & omninò incumbere ex finali clausula dictæ bullæ præsupponitur; imò evidenter satis injungitur, solâ relaxatione corporalis juramenti de servandis statutis factâ, permissa facultate illius præstandi per procuratorem. Quæ finalis clausula sic extensa, & restricta ad statuta & consuetudines Capituli, vel in primis referri debet ad necessitatem præstandi juramenti, quod solitum est exigi in receptione & admissione ad possessionem: ita ut quod pro cautione & augmento observationis statuti cautum invenitur, non debeat trahi ad illius restrictionem aut diminutionem, *l. Legata inutiliter De admin. leg.* Posset in hac D. Gregorij contradictione aliquid probabilitatis constitui, si in hac bulla constitutæ, aut reservatæ alicui alicujus pensionis mentio facta esset, respectu cujus probabiliter videri posset tam generalis derogationis clausula adjecta, & ex illa derogatum statuto, quatenus exigitur juramentum de non permissa nec permittenda oneratione præbendæ per pensionem aliquam: cui per clausulam tam indeterminatè adjectam in vna parte bullæ, quâ de provisione beneficij agitur, non potest censeri derogatum statuto: præsertim ea clausula, quę præsupponit necessitatem servandorum aliorum statutorum, nec illorum relaxationem permittit, nisi quoad formam præstationis, ut per alium præstari possit, etiam eo casu, quo ex statuto contrarium caveatur: ut planè absurda & distorta nobis videatur quæcumque alia dictæ bullæ interpretatio. *Rebuff. in praxi benef. part. 1. tit. de clausulis mandatorum nu. 51.*

His itaque & alijs per D. Advocatum Miroul satis exactè & acutè prolatis rationibus (quas bene collocatas brevitatis studio non repetimus) adducimur, ut existimemus Venerabiles Dominos Decanum & Capitulum dictæ Ecclesiæ bono jure à D. Gregorio exigere hoc, de quo quæritur, juramentum; & ei id subire recusanti, vel ex suo temerario facto præstari non volenti, rectè denegari receptionem & admissionem ad possessionem hujus canonicatus & præbendæ. Ita tamen, ut si impedimentum, quod sibi temerè D. Gregorius injecit consentiendo in reservationem pensionis sustulerit, hoc est pensionis extinctionem obtinuerit, sublato impedimento, admissionis & receptionis potestatem recuperare possit, *l. Etsi contra C. De nuptijs l. si ob turpem, & ibi Baldus De condict. ob turp. caus. c. Post translationem De renuntiat.* præstando hoc juramentum.

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Coadjutoria

1. *Sacerdotium obtineri non potest ante initium vicesimi quinti ætatis anni.*
2. *Coadiutoria in beneficio requirit eundem ordinem, quem ipsum beneficium.*
3. *Suppressio illegitimæ ætatis vitiat gratiam beneficialem.*
4. *Ætas idonea probanda est per eam allegantem.*
5. *Coadiutoria sine consensu Capituli obtineri non potest.*

6. *Expressio*

6. *Expressio nominum capitulantium omnium requiritur in actibus Capitularibus præiudicialibus.*
7. *Coadiutoria simplex habet duntaxat effectum in vita coadiuti.*
8. *Verba ubique spectanda & non ultra illorum significationem trahenda.*
9. 25. *Gratiæ exspectativæ renuntiare censetur, qui incompatibile beneficium postea acquirit.*
10. 18. *Intellectus* Clem. Gratiæ, De rescripris.
11. *Liti super gratia vel beneficio renuntiare censetur qui eâ pendente aliud incompatibile acquirit.*
12. *Coadiutor quid possit vivente coadiuto.*
13. *Coadiutoria cum futura successione odiosissima.*
14. *Creatio Canonicatus cum mandato de providendo de prima præbenda vacatura, est exspectativa gratia.*
15. *Coadiutoria cum successione futura est exspectativa gratia.*
16. *Clausula*, ex nunc prout ex tunc, *pro subiecta materia accipienda est.*
17. *Medium inhabile impedit coniunctionem extremorum.*
19. *Confessio revocari non potest, nisi error probato.*
20. *Confessio geminata revocari non potest.*
21. *Litigiosum beneficium facit lis petitoria, non possessoria.*
22. *Pacifica possessio quæ dicatur ad amissionem beneficiorum ex incompatibilitate, Transigi potest etiam lite super appellatione pendente etiam sine licentia Principis.*
23. 26. 28. *Pacifice obtinere beneficium quis dicatur in materia incompatibilitatis.*
24. *Pacifica possessio unde constituatur.*
27. *Beneficiorum incompatibilitas in momento inducit vacationem prioris.*
29. *Clausula*, absolutionis à censuris, *in rescriptis gratiæ non continet dispensationem super incompatibilitate, aut alterius surreptionis vel obreptionis.*
30. *Incompatibilitatis vitium execrabile.*
31. *Argumentum à maiore ad minus non semper valet.*
32. *Legatorum Apostolicorum mandata & facultates probari debent.*
33. *Gratia exspectativa quando in impetratione alterius beneficij exprimi debeat.*
34. *Verba futuri temporis ex sua natura non continent præsens aut præteritum.*
35. *Gratia consumitur per transactionem super illa.*
36. *Dispensatio de obtinendis duobus incompatibilibus consumitur in duobus prioribus incompatibilibus.*
37. *Gratia beneficialis est surreptitia, nisi in ea specifica mentio fiat aliorum beneficiorum, & gratiarum exspectativarum.*
38. *Clausula*, necnon omnia & singula beneficia &c. *an in gratia beneficiali sufficiat.*
39. *Vacatio de iure tantum sufficit ad electionem & collationem.*
40. *Manus pontificiæ appositio per reservationem in beneficijs quid operetur, & quando nihil.*
41. *Reputatio communis super sacerdotio iustificat illius possessionem.*
42. *Electio quando vitietur propter absentes non vocatos.*
43. *Electio quas solemnitates requirat.*
44. *Electio in discordia facta ut confirmetur, requirit citationem adversarij, non quæ in concordia.*
45. *Electionis confirmatio interdum fieri potest ab uno eligentium.*
46. *Confidentia in beneficijs probanda, & quomodo.*

CONSILIVM XVI.

VT quæ confusè, & ad offendendum tenebras sine ordine proposita & disputata sunt in causa beneficiali, quam Dominus Ioannes Molinæus Actor, coram Reverendo Domino Abbate S. Gertrudis Lovanienſis, adversus Dominum Marcum Sterck Reum, de & super Decanatu Ecclesiæ olim Collegiatæ, nunc Cathedralis Sancti Bavonis Gandavensis, instituit, separentur, & justo ordine componantur, faciliusque rei veritas sic percipiatur; commodissimum erit ea omnia in quatuor capita diffundere: quorum duo priora jus Actoris; duo alia jus Rei Opponentis continebunt: ad quæ quicquid in tanta scripturarum congerie conspicitur commodissimè referri potest. Ea autem hæc constituimus. Primum, an Actori ex Apostolica bulla Coadjutoriæ juris aliquid superfuerit tempore mortis Domini Maij novissimi Decani? Secundum, an deficiente Coadjutoriâ, ex nova provisione, quam Actor protulit, jus aliquod idem Actor prætexere possit? Tertium, an electioni Domini Marci aliquid rectè objiciatur, quod illius nullitatem operari possit? Quartum, an ex externa aliqua causa præcedente, jus ex electione etiam ritè facta, acquiri non potuerit; aut rectè acquisitum ex sequenti aliqua causa resolutum vel sublatum fuerit? Quibus articulis & capitibus discussis, manifestè se offeret veritas juris, quam in præsenti causa stare existimamus ex parte Opponentis contra Actorem impetrantem.

In primo articulo duplex est consideratio; altera, an unquam subsliterit dicta Coadjutoria: altera, an utiliter semel constituta, per supervenientem aliquam causam resoluta non sit? In priore consideratione hoc occurrit primò, quòd Dominus Actor Coadjutoriæ hujus incapax fuerit tempore concessionis illius: ideo quòd non erat legitimæ ætatis. Nam initium nativitatis suæ constituit idem Actor ad vicesimam septimam Ianuarij, anno 1527. stilo Gallicano; qui stilo Romano initium anni faciendo à nativitate Domini, est vicesimus octavus: sic quod ex recta supputatione annorum & dierum, idem Actor nonis Decembris anno 1551. (quæ est data obtentæ Coadjutoriæ) fuerit natus annos viginti tres & circiter decem menses: sic quòd tunc nondum attigerit vicesimum quintum annum, * cujus initium & ingressus requiritur ad hoc, ut quis possit ad sacerdotium promoveri, aut dignitatem Ecclesiasticam, quæ curam animarum annexam habet, obtinere, *c. Cum in cunctis §. interiora De elect. c. Licet canonf. De elect. lib. 6. Conc. Trident. sess. 23. De reform. c. 12.*

* Iam verò manifesti juris est, quòd eadem ætas & conditio, idemque ordo requiratur in Coadjutoria beneficij, quæ requiritur in principali administratore seu rectore, cui auxiliator seu coadjutor, & suc-

& ſuccedaneus conſtituitur, *cap. Nemo deinceps De elect. lib. 6. Ioan. And. & Panor. in c. fin. De clerico agrot. Ioan. Selva in tract. De benefic. parte 2. q. 4. n. 4. in princ. Thom. Campenſ. in tract. De Coadiutore: verſ. Coadiutore opus eſt. &c. Ioan. Staphil. in tract. De literis grat. tit. De modis proviſivis. n. 23.* * ita quòd cùm hæc minor & nondum qualificata ætas Actoris in impetranda Coadjutoria ſit ſuppreſſa, ſurreptitiam faciat hanc conceſſionem; cùm non ſit veroſimile Pontificem id fuiſſe, ſaltem non ſine majore difficultate conceſſurum, ſi inidoneæ ætatis & conditionis, ſeu ſtatus, & ordinis qualitas fuiſſet expreſſa; quòd ſufficit ad literarum Apoſtolicarum in forma tàm juſtitiæ, quàm gratiæ conceſſarum nullitatem & inutilitatem conſtituendam, *c. Poſtulaſti c. Super literis 20. De reſcrip. Felin. in c. Dudum. in princ. De præſumpt.* Quod vitium ex ætatis defectu augetur per acceſſionem deficientis ordinis requiſiti ad Decanatus adminiſtrationem, hoc eſt ſacerdotij, tempore conſtitutæ Coadjutoriæ. Et intenditur hic defectus, quòd Actor nec intra annum à conſtituta Coadjutoria ſacerdos effectus ſit; ſed primùm in Auguſto anno 1556. ut apertè demonſtrant Actoris inſtrumenta cum libello exhibita. Quæ ſerior acceſſio ſacerdotij ſatis etiam arguit, quod Actor tempore conſtitutæ Coadjutoriæ non fuerit in ea ætate quæ ad ſacerdotium requiritur. † Cùm alioqui Actoris officium ſit probare idoneam ætatem, præſertim poſteaquam id illi per Reum formaliter objectum fuit: qui enim in certa ætate ſeu fundat ſeu fundare debet, eum ætatem quoque & allegare & probare oportet, *l. Si minorem C. De in integ. reſtit. l. Cum te C. De probat.* quia ætatis defectus maximus eſt & inſanabilis, *cap. Si eo tempore De reſcrip. lib. 6. Ioan. Staph. in d. tract. De formis exſpectativarum §. nova forma*; ideoque cùm pars ſit fundamentalis ipſius gratiæ, & ſic illius verificationem requirat, magis eſt, ut is probet, qui ſtat pro ætate majore, quàm adverſarius, qui illam negat, *Barbat. in c. In præſentia. De probat. Alciat. in tractat. præſumpt. c. 14. verſic. ſallit ſecundo.* Neque hoc caſu ſtandum eſt illi probationi, quam Actor ex annotatione ſui avunculi in Breviario ſuo ſcriptam profert, cùm ſit privata ſcriptura, *l. Exemplo l. Inſtrumenta C. De probat.* de re, quæ non perinde ad illius, ut ad curam parentum, pertinebat; ita ut nec de ætatis ſuæ principio ſatis conſtet, eaque ſcriptura contra Actorem tamquam eâ utentem, non etiam contra Reum, vim probandi habeat, *l. Publia §. ult. Depoſiti. l. Cum tabernam §. idem quæſit De pignorib.*

Secundò occurrit Actori, unde etiam numquam ſubſtitiſſe videtur eadem Coadjutoria, quòd obtenta ſit ſine conſenſu Capituli, ſine quo præcedente conſenſu eorum, quorum intereſt, Coadjutoria obtineri non debet, & aliter obtenta ſurreptitia & obreptitia cenſetur, *DD. in d. c. fin. De cler. agrot. Oldrad. conſ. 44. Quæritur ſi Epiſcopus.* Cujus quidem requiſiti conſenſus neceſſitatem agnoſcens Actor, ad ſuſtinendam dictæ Coadjutoriæ gratiam, impetrati à Præpoſito & Capitulo conſenſus, tam ante, quàm poſt expeditam bullam, articulos propoſuit; ſed negativâ reſponſione Opponentis rejecti ſunt. Exhibuit quidem Actor duo notarialia inſtrumenta, quorum alterum continere videtur, quod Capitulum capitulariter conſenſum & aſſenſum in futuram hanc Coadjutoriam præſtiterit: alterum, quod idem etiam fecerit Abbas, qui tunc loco Præpoſiti erat; quorum etiam inſtrumentorum ſubſcriptiones Reus quoad manus & ſigna Notariorum agnoſcit, ſed tamen contenta illorum negata ſunt, factâ allegatione contrariorum factorum, per duorum probationem conſtabit illis duobus inſtrumentis veritatem non contineri; & D. Arnoldo de Palude alterius inſtrumenti Notario, propter ejus cum dicto Actore familiaritatem, & erga illum obſequium & obſervantiam, credendum non eſſe: potiſſimùm quòd non ſit veroſimile, eum fuiſſe adhibitum ad annotandum acta Capitularia; qui quòd Capituli Notarius non fuerit, non tantùm allegatur, ſed etiam per Actoris confeſſionem ſatis probatur.

Et cùm hæc ex adverſo objecta facta magni momenti ſint, & duorum illorum inſtrumentorum fidem & effectum enervent, contrariamque veritatem detegant, quia ſcilicet hujuſmodi conſenſus in abſentia & contradictione plurimorum ſit impetratus, ſecundum Domini judicis interlocutoriam latam, meritò ad probandum admitti debebant, in eum eventum, quo eximij Domini Aſſeſſores in animum inducere poterunt, quòd hujuſmodi Coadjutoria ab initio ſubſtiterit, & per ſequentia non ſit reſoluta: quod quia futurum non putamus, latiùs non inſiſtimus in deductione vel deficientis, vel imperfecti, ſeu non ſufficientis conſenſus; illud tamen non prætermittentes, quod, præſuppoſitâ veritate dictorum duorum inſtrumentorum, in illis conſpiciatur quod hujuſmodi conſenſum Actori inutilem faciat. Et primò quidem illud, quòd ad tegendum vitium & imperfectionem Dominorum capitulantium nulla nomina expreſſa inveniantur; † quorum tamen expreſſio ex neceſſitate requiritur in omnibus & ſingulis actibus Capitularibus, quæ magnum momentum habent, & grave præjudicium continent, *Alex. conſ. 1. n. 3. vol. 4.* Refertur enim id ad actus ſolemnitatem, cujus omiſſio, quia ſubſtantialis eſt illius requiſitio, actum, qui geritur, vitiat & annullat, *Præſes in loco à defectu formæ*: quod vitium ex aſpectu dictorum inſtrumentorum apparet; quia ſcilicet non continet dictorum nominum expreſſionem, ideoque alia illius probatio non requiritur, *l. Si binæ. De inuſt. rupt. irrito &c.* † Secundò, quòd hic conſenſus, quem continent dicta inſtrumenta, ſimplex ſit, ad caſum ſolius Coadjutoriæ reſtrictus; cujus explicatio & uſus tantùm eſt in vita coadjuti; ſic quod morte coadjuti exſpiret quoque ipſa Coadjutoria, *c. Grandi in fin. De ſupplen. negl. Prælat. lib. 6. & ibi gloſſ. fin. Panor. & alij in d. fin. De cler. agrot.* Vnde ex conſenſu in Coadjutoriam non poteſt inferri conſenſus in ſucceſſionem, ſeu in Goadjutoriâ ſic qualificatâ cùm ſucceſſione; quia illa à ſimplici diverſa eſt, & à terminis juris exorbitat, nec cõtinetur in generali & ſimplici conſenſu in Coadjutoriam, ut generali mandato non continentur regulariter illa quæ majoris ponderis ſunt, & quæ quiſque in ſpecie non eſſet conceſſurus, *l. Obligatione generali De pignorib.* † In omnibus enim verba ſpectanda ſunt, nec ultrà ea diſpoſitio trahi poteſt; maximè in beneficialibus, & quæ

juris

juris noſtri alienationem & præjudicium Eccleſiæ reſpiciunt; in quibus verba ſubtiliter & eleganter conſiderantur, & ad literam ſeu corticem verborum accipiuntur, *cap. Inter corporalia De tranſlat. Epiſcop. Tiraquel. ad l. Si umquam in V. libertis in princ. C. De revocan. donat.* adeò ut nihil inquiri debeat, niſi quòd in inſtrumento deſcriptum invenitur, *Bal. & Angel. in l. Ad probationem C. De probat. & in l. ult. C. Falſa cauſa adiecta;* & actus potiùs pereat maneatque inutilis, quàm à verbis diſcedatur, *l. Tutores. 39. §. 1. & ibi Bart. De adminiſtr. tut. Iaſ. in l. Quoties in ſtipulationib. 80. De verb. obligat.* Ad quod in ſpecie propoſita proclivius inclinandum eſt, ob id, quod ſucceſſio, quæ nunc urgetur, nullam dependentiam vel connexionem cum Coadjutoria habeat; cùm Coadjutoria, quæ pro utilitate Eccleſiæ, propter infirmitatem vel ſenectutem Prælati indulgetur, eo moriente (ut dictum eſt) extinguatur, præſciſsâ omni ſpe ſuccedendi coadjutori; niſi ex nova electione Capituli aſſumatur: ut meritò hic dicatur, quòd, ſi Capitulum conſenſum ſuum etiam de ſucceſſione intellexiſſet, æquè id expreſſiſſet, ut de ipſa Coadiutoria. Sicuti in ſimili Pontifex alibi, *in d. c. Inter corporalia*, arguendo dicit; ſi circa tranſlationem idem fieri voluiſſet, quod de ceſſione expreſſerat, & de tranſlatione exprimere poterat, expreſſiſſet. Et ſanè præſumptionem huiuſmodi tam latè patentis conſenſus ſub pronuntiatione ſimplici, avertunt ea, quæ ſequuta ſunt diu poſt impetratam Coadjutoriam. Nam Actor vel diffidentiâ, vel metu non ſatis confidens antecedenti huic conſenſui, (nimirum quia reſtrictior & limitatior erat; reſtrictus ad ſimplicem Coadjutoriam, quæ fines vitæ coadjuti non excedit) iterum ſollicitare cœperat Dominos Capitulares per intimationem & inſinuationem bullæ dictæ Coadjutoriæ: ſed ex eorum reſponſis evidenter apparet contradicendi potiùs quàm aſſentiendi ſtudium & propenſio: ita quòd manifeſtum ſit hanc Coadjutoriam, eâ ſaltem amplitudine, quâ exteſa eſt, nudam eſſe & deſtitui conſenſu & aſſenſu eorum, quorum intereſt.

Alteram hujus primi articuli conſiderationem in eo conſiſtere diximus, an utiliter ſemel conſtituta dicti Actoris Coadjutoria, per ſupervenientem aliquam cauſam reſoluta ſit, vel non ſit? In qua dicimus, jus apertum eſſe, quod neque diſſimulari, neque quâcumque interpretatione averti poteſt: videlicet, prætactam Coadjutoriam, etiamſi nullo interno vel externo vitio ex ſua prima origine laboraret, reſolutam tamen & extinctam fuiſſe ante diem, quo illius plenum effectum Actor conſequi potuit, in vita ſcilicet Domini Maij. * Idque ex 9
eo, quod per Clementinam conſtitutionem, *in Clemen. Gratiæ De reſcrip.* conſtitutum ſit, eum renuntiare videri gratiæ, ut de dignitate vel beneficio curato ei provideatur, qui ante ejuſdem adeptionem aliud conſequitur beneficium, quod ſimul de jure cum dignitate vel beneficio, virtute dictæ gratiæ ei debito, retinere non poſſet. Quæ quidem dictæ conſtitutionis verba manifeſta ſunt, nec patiuntur aut admittunt diſtortas illas, quibus Actor ejus ſententiam avertere conatur, interpretationes. Cùm itaque conſtet (quod paulò poſt exactiùs deducetur) Actorem poſt datam dictæ Coadjutoriæ, eâque adhuc pendente, & ante vacantem hunc Decanatum acceptaſſe, & obtinuiſſe plura curata, & dignitate honorata beneficia; conſequens eſt, quòd ex illa eadem gratia poſtea nihil juris prætexere potuerit, nec poſſit.

Et quoniam Actor ſingula dictæ conſtitutionis verba vellicando elabendi conſervandique ſuam Coadjutoriam ſtudio incumbit, ordinem dictorum verborum ſequentes, demonſtrabimus, nihil eſſe, quo in propoſito caſu dictæ conſtitutionis poteſtas averti poſſit. Et primùm quidem, quoniam dictæ conſtitutionis primum verbum de gratia loquitur; idque adhuc non ſimpliciter, ſed cum qualificata reſtrictione de gratia, ut provideatur de dignitate vel beneficio curato: exiſtimat Actor eandem conſtitutionem tantùm pertinere ad mere exſpectativas gratias, quæ non præſentem proviſionem, ſed tantùm mandatum de providendo continent: inter quæ magna proculdubio eſt differentia, cùm præſens proviſio jus in re tribuat; mandatum vero de providendo jus tantùm ad rem, *c. final. De conceſſ. præben. lib. 6.* ideoque hoc illâ ſit imperfectius, faciliuſque ob id extinguatur ex ſuperveniente cauſa. Cæterùm ſententia dictæ conſtitutionis longè alia eſt: continet enim abolitionem & extinctionem omnium & quarumcumque gratiarum Apoſtolicarum, in quibus latet aliqua exſpectatio ad beneficia; ita ut exemplum de providendo in ea expreſſum, conſtitutionis regulam non reſtringat, *l. Damni infecti De damno infecto*; ſed illa obtineat ſive agatur de gratijs proviſionalibus, ſive de mandatis de providendo; ob conſtitutionis uniformem in omnibus rationem; hanc ſcilicet, ut tollatur incompatibilium beneficiorum accumulatio ac pluralitas, quæ odioſa eſt. Rationi quippe ac juri repugnat nimia cupiditas illorum, qui plurium ſtipendia occupare conantur, *c. Execrabilis De præbend. in Extravag. communib.* * Atque hinc eſt, quod ad 10
unum Interpretes omnes dictæ conſtitutionis verba ſic accipiant, ut ſub ea comprehendatur quælibet gratia, quæ plenum nondum ſortita eſt effectum, & in ſuſpenſo adhuc hæret: nam Ioannes Andreæ Gloſſator dictæ conſtitutionis ſic contrahit illius ſententiam, ut velit etiam pertinere ad omnem, qui beneficium exſpectat, qualis proculdubio cenſeri debet, qui ſolâ Coadjutoriâ nititur, etiamſi præſentem habeat proviſionem, ut mox dicetur latiùs. Quò etiam pertinet quod Guilielmus de Monte Laudunò ad eandem conſtitutionem notat, quem in eo ſequuntur Cardinalis Zabarella, Ioannes Imolenſis, Bonifacius de Vitalinis, Petrus Anchoranus, & noviſſimè Andreas Barbatia, *in d. Clem. Gratiæ verſ. & ſic nota quod ius in re*, quòd quamvis in alijs crimen ſit inter jus in re, & jus ad rem, in definitione tamen illius conſtitutionis non ſit, ideoque eandem conſtitutionem non indigere caſu generali vel ſpeciali; cùm facta ſit ex æquitate illa, quæ beneficiorum incompatibilium accumulationem prohibet, *c. De multa De præben. & dignitat.* quam ampliat ad excludendum omnes modos & machinationes pluralitatis, ambitionis, & incompatibilitatis. † Nec 11
conſideratio juris in re tam potens hîc eſt, cum etiam litigans ſuper beneficio, quod virtute ordinariæ collationis vel gratiæ alicujus Apoſtolicæ,

acceptavit (quo ipso jus in re acquiritur) si pendente lite aliud beneficium cum illo, super quo litigat, incompatibile acceptat, censeatur illi liti & per consequens sit acceptato beneficio renuntiare, ut ex Innocentio, *in c. In nostra sub fin. De rescript.* notavit Ioannes Andreæ, *in d. Clem. Gratiæ V. renuntiare*; & probat Panormitanus in interpretatione dictæ Clementinæ constitutionis, *Anchor. Consil. 214. Franc. Ioan. Staphil. in d. tractat. quibus mod. exspir. literæ ad benefic. §. 1. Quarto modo n. 3.* Dubium autem non est, quin per acceptationem & provisionem beneficij ex quacumque gratia jus in beneficio, non tantum ad illud, acquiratur, *c. Si tibi. De præb. lib. 6.* Quo fit, ut etiam in dictæ Clementinæ constitutionis interpretatione non admittatur distinctio, an sit gratia exspectativa de incerto corpore, ut plerumque fit; an verò de certo corpore facta, *Bonif. De Vital. in d. Clemen. Gratiæ. n. 1.* cujus generis est gratia Coadjutoriæ, potissimùm quæ est cum successione; illa enim cum in exspectatione sit, exspectativæ nomen effugere non
12 potest. † Quod rei evidentia demonstrat, ex eo, quòd vivente coadjuto, qui integrâ mente est, coadjutor manum beneficio non apponit, nec se pro rectore aut possessore beneficij gerere potest, neque beneficia vacantia conferre, *Ioan. Selva in tract. benefic. part. 2. quæst. 4.* quia nihil nisi paulò magis affulgentem spem habet, *Cassador. decis. 1. De pactis.* Quod etiam Actor in hac causa in judicio possessorio apertè confessus est; quam confessionem per repetitam exhibitionem illius scripturæ, in qua id in eo judicio confessus fuit, in hac causa factam, satis reiteralle videtur. Ita ut planè absurdum sit, quod prioris hujusmodi allegationis & confessionis immemor dictus Actor in hac lite sustineat, per gratiam Coadjutoriæ plenum jus in re, vel ad rem dari; nec esse revocabilem, propter jus quæsitum: cùm hujusmodi gratia omninò imperfecta, hoc est, conditionalis sit quoad futuram successionem, non tantùm ex virtute verborum, & per rerum consequentias, sed etiam ex verborum, quibus dictæ Coadjutoriæ gratia concepta est, formâ & tenore. Ita enim scriptum est: *Nihilominus Decanatum prædictum cum primum ille per cessum vel decessum præfati I. de Maio vacare contigerit, tibi conferimus &c.* Quæ verba non tantùm potestatem, sed & figuram conditionis habent, *l. Quodcumque 45 §. ult. De verb. oblig. l. 1. De condit. & demonst.* ut hæc eleganter tradit Paulus Paris. *consil. 82. Pensio octo ducatorum. vol. 4.* in articulo de conditione, quæ hujusmodi Coadjutorijs cum successione inest. Ita ut non possit dici Coadjutori plenè esse acquisitum jus in beneficio, propter suspentionem, quam facit adjecta & cohærens conditio: sic quod idem Paulus Parisius respondent ex consensu coadjuti, etsi non accedat consensus Coadjutoris, per Pontificem posse alteri reservari pensionem super fructibus beneficij in coadjutoria positi, propter suspensum effectum ipsius Coadjutoriæ: quod fieri non potest, si perfectum & plenum jus in eo haberet Coadjutor. Vt meritò huic gratiæ Coadjutoriæ quoque applicari possit, quod Actor alio loco ingenuè fatetur, quòd gratiæ conditionales nudam spem tribuant, & facillimè revocabiles sint. Neque ob id jus in ipsa re hoc casu tam sit considerabile, propter vim illam suspensivam, quæ oritur tam ex forma concessionis, quę in figura verborum prorsus conditionalis est, quàm ex vi & potestate juris ac tituli remanentis penes coadjutum, quæ impedit omnem effectum acquisitionis in Coadjutore, cui per Coadjutoriam, quamvis cum successione, in vita coadjuti nisi imperfectum, hoc est conditionale, jus acquiri non potest; ne sint eodem tempore ejusdem beneficij duo in solidum possessores & Rectores; quod juris ratio non patitur. Ad quod absurdum & inconveniens avertendum, Actor in possessorio judicio sustinuit, & per repetitionem illius in hac causa adhuc satis sustinere videtur, quòd Coadjutoria cum futura successione non sit beneficium Ecclesiasticum, sed tantùm spes beneficij Ecclesiastici aliquando obventuri; ne dicatur ejusdem Ecclesiæ eodem tempore duos esse Decanos. Quæ quidem spes abdicari, & illi renuntiari videtur, ex dicta constitutione Clementina, per adeptionem alterius beneficij incompatibilis: generaliterque canon ille illaqueat & constringit omnes, qui cupidè prosiliunt ad incompatibilia cum alijs beneficijs prius speratis vel acquisitis, vigore cujuscumque gratiæ Apostolicæ, & sic perinde obtinet in mandatis seu gratijs præsentem provisionem habentibus, ut futuris. * Et quidem 13
magis in illis, quàm in his: nam gratia, reservatio, vel affectio de beneficio certo viventis alicujus, est longè odiosior & detestabilior alijs, propter votum captandæ mortis, quod in illa latet, *c. Ne captandæ De concess. præben. lib. 6.* & omnium exspectativarum odiosissima Coadjutoria cum successione, quæ ideo irrationabilis gratia dicitur; & in pluribus Concilijs œcumenicis, 8. *q. 1. per totum, Tho. Campeg. in tract. de Coadiut. Episcoporum*; & nuper etiam in Concilio Tridentino, *Sess. 25. c. 7. De reformat.* prohibita fuit. Vt ex alijs etiam ejusdem Concilij Tridentini locis, *Sess. 24. c. 29.* apertissimè percipitur, exspectativarum gratiarum appellationem non restringi ad mandata de providendo, sed latiùs patere ad quascumque exspectationes, *Quintil. Mandos. ad regul. cancel. de annali pos. q. 55.* * Eâque ratione fit etiam, ut qui per Papam in aliqua Ecclesia Canonicus creatur, ejusque hujusmodi creationi adjungitur gratia, seu mandatum de providendo de præbenda, cùm primùm illam per mortem alicujus ex Canonicis vacare contigerit, ex ipsa gratia statim efficiatur verus Canonicus, & sic consequatur non tantùm jus ad rem, sed etiam in re, *c. Si postquam De præben. lib. 6. latè Ioan. Staphil. in d. tract. tit. De formis exspectativarum*: & tamen hujus generis gratia exspectativa dicitur ac reputatur, *c. fin. De concess. præb. lib. 6.* subjacetque resolutionibus & revocationibus, quibus aliæ absolutæ exspectativæ subjacent. * Cui creationi in Canonicum proximè accedit Coadjutoria, quæ respectu coadjuvationis præsentem provisionem habet; at respectu acquirendi beneficij seu tituli illius, exspectativa & conditionalis gratia est, *Paul. Paris. cons. 83. Electus & receptus vol. 4.* quia titulus vel jus dignitatis manet penes coadjutum, *c. 1. De cler. ægrot. lib. 6.* cujus tituli & juris remanentis potestas impedit affectum acquisitionis tituli in coadjutore, qui ob id non antecessor, sed futurus successor vocatur,

Paulus

Paulus Parisius d. consil. 83. Et ut Canonicus creatus sine præbenda, dicitur Canonicus in herbis, *Panor. & alij in c. Cum M. Ferrariensis De constitut. Lud. Gomes. in tract. de grat. exspectat. n.* 37. ita quoque coadjutor Decani, Decanus est in herbis, & in exspectatione, ut ex morte veri Decani, Decanatus verum & plenum jus, & emolumenta consequatur. Vt non mirum sit, si hoc jus facilius, quàm ipsum beneficium perfectè acquisitum amittatur, tollatur, & aboleatur; si medium inhabile, vel inidonea qualitas, medio tempore superveniat, vel ex parte ipsius beneficij, vel ex parte concedentis, vel ex parte accipientis, seu ejus, cui gratia facta est.

16 Nec hac in parte ad magis stabiliendum jus, quod Actor ex coadjutoria sibi acquisitum esse prætendit, quicquam facit illa clausula, *ex nunc prout ex tunc*: quia illa, & decretum, quod in illa latet, accipienda sunt secundùm subjectam materiam, & secundùm naturam gratiæ, cui applicatur, semperque referuntur ad conditionem, quæ gratiæ inest: sic ut nec irritans ei adjunctum decretum retrotrahatur, cùm apponitur super gratia, quæ ex se conditionalis est, & futurum eventum adhuc exspectat; ita quòd non considerentur ea verba, *ex nunc, prout ex tunc*, à tempore datæ seu concessionis, sed à tempore purificatæ conditionis, *eleganter Paul. Paris. d. consil* 83. *n.* 17. Quod maximè locum habet in proposito, ratione subjectæ materiæ & futuræ successionis, cui prædicta clausula, *ex nunc, prout ex tunc*, adjicitur. Nam inde fit, quod & ratione subjectæ materiæ, & ex natura dictæ clausulæ, dicta gratia censeatur conditionalis, & effectus illius suspensus, nullumque jus de præsenti tribuat in Decanatu; sed tantùm ad Decanatum, idque conditionale, quod etiam existente conditione retrotrahi non potest; si pendente scilicet conditione superveniat medium inhabile: quale hic supervenit ex propria temeritate & avaritia Actoris, per aliorum incompatibilium beneficiorum acceptationem, & sui ipsius inhabilitatem; etiam in vita sui avunculi, cui non verus, sed imaginarius & phantasticus coadjutor sine coadjutorio datus est; & sic antequam successio Decanatus Actori obveniret, conditioq; coadjutoriæ in altera parte, quoad successionem scilicet, *ex nunc, prout ex*
17 *tunc*, existeret. † Est enim perpetuò verum, quòd medium inhabile impediat retrotractionem & conjunctionem extremorum, *Bart. & alij in lege Si is qui pro emptore De usucap. Socin. junior cons.* 31. *Themate prædicto, n.* 41. *vol.* 2. Extremum enim à quo debet esse tale, quod actus ille, qui retrotrahitur, possit tunc inchoari; aliàs non procedit fictio, nec admittitur retrotractio, *l. Necessario & ibi Bart. De periculo & com. rei vend.* ita ut si pendente conditione actus, qui inchoatus est, superveniat impedimentum reddens extremum à quo inhabile, cesset fictio & retrotractatio: quia tale impedimentum impedit conjunctionem extremorum, *Paul. Paris. cons.* 11. *Castrum illud n.* 30. *vol.* 1. Ideoque etiam huc referri potest illud, quod in bulla dictæ Coadjutoriæ conspicitur & legitur, videlicet, quòd distinctis orationibus, & formâ verborum, alioque modo & formâ providendi Coadjutoria separetur à successione. Coadjutoria enim simpliciter & absolutè creatur his verbis, *Te præfato Ioanni quoad vixerit* &c. at successio in Decanatum nova orationis periodo & intervallo, verbis exspectativis & verbis conditionalibus constituitur, hoc modo: *Et nihilominus Decanatum prædictum cum primum illum per cessum vel decessum* &c. posita sic in exspectatione futurâ vocatione ejusdem Decanatus.

Atque ideo prorsus frivola sunt quæcumque ab Actore proferuntur de jure & tempore præsenti, ex quo ne ipse quidem audet asserere jus sibi quæsitum esse; sed ex vacatione per mortem Domini Maij, propter præcedentem provisionem: quo ipso deprehenditur gratiam tanquam exspectativam seu mandatum de providendo fuisse hanc provisionem, non præsentem nec provisionalem absolutè: extant enim Actoris de hoc vacationis modo per mortem Domini Maij, plurimæ in actis hujus causæ confessiones. Cùm itaque nulla sit dubitatio, quin gratia futuræ successionis Decanatus in suspenso fuerit, donec Dominus Maijus moreretur, ac penes eum plenum jus & titulus Decanatus remanserit, per certissimam illationem dici potest, nullum jus in re Actori fuisse quæsitum: cum, uti prædictum est, Domino Maijo usque ad obitum ejus inclusivè jus in hoc Decanatu competierit, & sic nullatenus ipsi Actori: cùm duo ejusdem rei in solidum domini & possessores esse nequeant, *l. Si ut certo §. si duobus vehiculum ff. Commodati*; eodemque Domino de Maijo superstite, omnia (quoad jus & titulum in Decanatu) constiterint in terminis futuræ provisionis seu mandati de providendo: in quo dictam Clementinam constitutionem etiam Actor ipse confitetur locum habere.

Sed ut Actori hac in parte credamus, & quod anxiè adstruere laborat, præsupponamus, gratiam Actoris non futuram, sed præsentem provisionem continere, & per illam jam ex eo tempore Actori jus acquisitum fuisse, ita ut eodem etiam tempore duo fuerint Decani; nihilo tamen tutior erit Actor, adversus dictæ Clementinæ constitutionis dispositionem, * cùm ea constitutio locum habeat non 18
solùm in gratijs futuram dumtaxat, sed etiam præsentem provisionem habentibus; cùm longè major sit ratio incompatibilitatis & provisionis in jure adepto in re, quàm in jure acquirendo, *DD. in d. Clem. Gratiæ*. Nam Canon generaliter illaqueat omnes, qui cupidè prosiliunt ad incompatibilia, cum alijs priùs acquisitis vel speratis virtute gratiæ Apostolicæ: ita ut prohibitio non solùm locum habeat in mandatis seu gratijs futuris, sed etiam provisionem præsentem habentibus. Et ut gratia conditionalis, & quæ in exspectatione adhuc hæret, & ex qua speratur jus futurum in re, debilior & infirmior est, ita major & fortior est ratio incompatibilitatis & prohibitionis in beneficio quæsito, seu jure adepto in re, quàm jure acquirendo, *Anchoran. cons.* 214. *Franc. Antiquus num.* 4. *DD. in d. Clem. Gratiæ*: quia consideratio impotentiæ tenendi utrumque beneficium ubique subest; & Canones pluralitatem abhorrentes eo ipso, quo habens jus in vel ad beneficium, convolat ad aliud incompatibile, præsumunt, imò disponunt, eum renuntiare juri priori, sive illud jus quæsitum fuerit, sive quærendum: ideoque uno ore omnes

consentiunt, quod Clementina constitutio non sit simpliciter novi juris dispositiva, sed veteris juris ampliativa: sic quod omnes Canones, qui adversus pluralitatem & incompatibilitatem beneficiorum exurgunt, velut in unam massam conjuncti ad invicem veniant, declarativè, suppletive, & ampliativè, non restrictivè aut limitativè, *And. Barbat. in d. Clem. Gratiæ post princ.* Vnde officium dictæ Clementinæ constitutionis in extensione consistit, quia id quod priùs in Lateranensi Concilio constitutum fuit, *in d. c. De multa de præbend.* ut per adeptionem secundi beneficij curam animarum, vel dignitatem habentis, vacet ipso jure consimile prius obtentum; id Clemens extendit ad gratiam Apostolicam ad hujusmodi beneficium, cujus executio nondum facta est, *Ioan. de Imola in d. Clem. Gratiæ, in princ. & ibi And. Barbat. in princ.* ut per adeptionem secundi incompatibilis beneficij perinde nuda gratia amittatur, ut amittitur perfectè priùs acquisitum beneficium. Ita ut non sit dubium, quin ex conjunctione trium canonum, videlicet Concilij Lateranensis, *in d. c. De multa*, Clementinæ constitutionis, *d. Clemen. Gratiæ*, ac Ioannis vicesimi secundi, *c. Execrabilis De præbend. in Extravag. communib.* execrantis omnem beneficiorum hujus generis pluralitatem, velut triplici funiculo Actor ita illaqueetur, ut quoquò se vertat, per adeptionem sequentium dignitatum seu curatorum beneficiorum, manifestè videat sibi ereptam hanc sive gratiam, sive provisionem hujus Decanatus. Et hoc est, quod aperto ore tradit Cardinalis Zabarella, *in d. Clemen. Gratiæ n. 1.* quòd quamvis in alijs juris articulis plurimùm intersit inter jus in re, & inter jus ad rem, illa tamen comparari, quoad dictæ Clementinæ constitutionis dispositionem: ut perinde acquisitum, ut acquirendum amittatur per adeptionem secundi incompatibilis. Proinde calumniam & cavillationem continet, quod Actor existimat dicti Zabarellæ aliam fuisse sententiam; ex eo, quod in dictæ Clementinæ constitutionis interpretatione dicat, Clementinam constitutionem locum non habere, si post adeptionem beneficij aliud incompatibile acquiratur: nam id eò pertinet, ut demonstret cujusque Canonis proprium officium, ita scilicet, ut Lateranensis Concilij canon pertineat ad priùs perfectè acquisitum beneficium, Clementina verò constitutio proprie ad acquirendum virtute gratiæ; utriusque tamen constitutionis eadem sit ratio, & idem scopus: sic ut in ea parte Cardinalis Zabarella alijs omnibus consentiat, quòd sententia & mens, ipsáque ratio Clementinæ constitutionis perinde pertineat ad acquisita, ut acquirenda beneficia virtute cujuscumque gratiæ. Et sic in proposito sufficit ad demonstrationem deficientis juris in dicta Coadjutoria, quod Actor medio tempore, dum gratia coadjutoriæ suæ pendebat, ad alia incompatibilia beneficia convolaverit, *d. cap. De multa, d. Clemen. Gratiæ, d. c. execrabilis § quia vero.* eorumque pacificam possessionem consecutus sit: quia per hoc tota coadjutoriæ concessio, & successionis reservatio, etiamsi ab initio utilis fuisset, resoluta & penitus extincta judicatur, ex triplici illa dictorum canonum dispositione; quorum certa, & omnibus (præsertim Iuris Canonici Doctori & professori) cognita obviaque est potestas & auctoritas. Sic ut quemadmodum factum ipsum admissorum incompatibilium beneficiorum manifestum & clarum est; ita quoque juris decisio dispositioque, quâ reservatio illa coadjutoriæ perimitur, certa, firma, & indubitata censeri debeat; non solùm quia omnia in jure disposita certa sunt, nullamque dubitationem vel ignorantiam admittunt, *l. 2. De iur. & facti ignor. Bart. in l. Ornamentorum 37. De auro & arg. legato*; verum etiam quia usus dictorum canonum quotidie incidit, & in assidua observatione versatur; tum propter favorem Ecclesiæ; tum ut singula beneficia proprium rectorem habeant, qui Ecclesiæ ministerio diligenter intendere, eique sine ulla intermissione assidere, commissumque sibi gregem attentissimè pascere possit: quo fine generaliter omnem incompatibilitatem excludunt & aversantur: sive agatur de gratijs provisionalibus, sive de mandatis de providendo; sive de illis, quæ ad certum beneficium limitantur; sive de ijs, quæ sunt incerta & indeterminata, propter rationis, ut diximus, identitatem.

Quam juris potentiam metuens Actor, modò negatione, modò excusatione conatus est à se avertere accumulationem incompatibilium beneficiorum: in quibus removendis nunc laborandum est per demonstrationem veritatis acquisitorum postea hujusmodi incompatibilium beneficiorum. Ex superiùs deductis constat, datam Coadjutoriæ, quâ Actor nititur, esse de anno 1551. Nonis Decembris: post quam datam Actor ex gratia Apostolica acceptavit & consequutus est Personatum Ecclesiæ Parochialis Sancti Eligij loci de Eyne, quæ quidem acceptatio multis modis probatur. Primùm per Actoris confessionem, quâ respondendo ad decimum quartum articulum Rei, apertè confitetur sibi fuisse provisum de hoc Personatu, & quod illi incumbat cura animarum. Constat idem quoque per instrumentum notariale apprehensæ per Actorem realis possessionis dicti Personatus quarto Februarij anno 1556. Idem quoque probatur per sententiam in causa possessoria in Concilio Flandriæ pro Actore, contra Magistrum Petrum Bigottum ejus adversarium, quoad dictum Personatum latam anno 1557. decima nona Iulij. Et denique constat per notulam permutationis, & ex ea factæ collationis, de eodem Personatu ex resignatione Actoris ad opus Magistri Ioannis vanden Zavele in anno 1560. 23. Maij. Cui consonat propria Actoris scriptura, in qua apertè declarat & confitetur se dictum Personatum dimisisse sub finem Maij anno 1560. In qua & hoc quoque fatetur, quod in Augusto anni 1569. pendente adhuc causâ possessoriâ in judicio appellationis in Concilio Mechlinienſi, concordaverit & composuerit cum Magistro Petro Bigotto super dicto Personatu. Quod etiam sufficienter probatur per actam Concilij Mechlinienſis, quam ipse Actor in hac causa exhibuit. Ita ut cavillatio illa, qua Actor adversus prædictam propriam scripturam utitur, adjecta ejusdem confessionis tamquam erroneæ revocatione, nullam probabilitatem habeat; tum ex eo, quod recognitio ejusdem scripturæ facta fuerit in prædicto judicio possessorio super hoc Decanatu; tum quod de errore & contraria veritate non doceat Actor.

Con-

19 Confessio enim semel facta tenet, nec potest prætextu erroris revocari, nisi probato errore per contrariæ probationis assertionem, *DD. in l. 2. C. De error. calculi*, probando scilicet rem aliter se habere, *Gloss. in l. Cum De indebito, in verb. ignorantiæ, & ibi Bartol. De probat. & in l. Non fatetur n. 10. De confessu*; cujus sanè contrariæ veritatis probatio, quoad dictum Personatum, quòd illum scilicet pacificè non obtinuerit Actor, nulla extat in hujus causæ
20 actis. † Quinimò ultra prædicta omnia extat in actis hujus causæ alia Actoris tam clara & liquida, ut non possit animo concipi aut excogitari clarior aut liquidior confessio, quòd fuerit pacificus & securus in Personatu de Eyne: quæ per Reum solemniter acceptata, revocationem nullam admittit, propter vim & effectum geminationis, *l. 1. in verbo, & secundis confessionibus C. D. plus pet. Bart. & alij in d. l. Non fatetur*. Vt supra modum mirum sit, cur post toties repetitam hanc confessionem, Actor rursus ad prædictam negationem relapsus sit, negando se unquam fuisse pacificum possessorem hujus Personatus, cùm non doceat, sibi in eo fuisse aliquem adversarium in judicio petitorio, ex quo beneficium propriè dicitur litigiosum, *Ant. de Butrio, Panorm. & alij in c. 1. De confir. utili & inut. Lud. Gomes. ad reg. Cancell. de triennali possess. q. 53. n. 8.*

21 * Et quamvis in judicio possessorio adversarium habuerit quendam Petrum Bigottum, eum tamen in prima instantia judicij manutenentiæ seu possessorij superavit, & cùm eo pendente judicio appellationis transegit, ut constat tam ex notula per Actorem, quàm per Reum exhibita: ita ut de plenissimè obtenta pacifica possessione hujus Personatus dubitandum non sit. In hoc enim articulo amissionis beneficiorum ex incompatibilitate, is dicitur omninò pacificè obtinere beneficium, cui nulla vel inter vel extra judicium movetur controversia, *DD. in d. Clem. Gratiæ & ibi Barbat. vers. in gloss. ibi pacificè, Lud. Gomes. in q. d. 53. num. 2.* cùm tamen plerique, *Anchor. & alij in d. Clement. Gratiæ*, ad pacificam possessionem in hoc articulo constituendam, paucioribus sint contenti. Relinquitur ergo quod Actor verè & pacificè acquisiverit plenum perfectumque jus in hoc Personatu, & quod illius possessionem perfectam obtinuerit, & de illa per viam permutationis, ut de re sua, liberè disposuerit.

Nihil in contrarium urgente, quòd prædicta transactio sit facta lite pendente: nam natura transactionis est, ut plerumque non fiat, nisi lite vel instituta vel imminente, *l. 1. C. De transact.* * Et
22 quod Actor ad offundendum tenebras allegat, lite in causa appellationis pendente, non posse transigi, nisi Licentia, quam vocant *Congedium* Principis seu curiæ obtentâ, per se simpliciter verum non est, sed tantùm respectu amendæ seu pœnæ, quæ frivolè appellanti infligi solet; quia quoad ipsas partes seu collitigantes, dubium non est, quin transactio teneat, ut neuter illi contravenire possit: efficit enim id eorum consensus, *l. ult. §. fin. C. De tempor. appell. l. Tale pactum 40. §. qui provocavit De pactis*; manente tantùm periculo pœnæ, quæ non ipsos litigantes, sed curiam respicit. Vnde est quod Rebuffus, *ad constit. regias tomo 1. tract. de liter. impetr. ad renunciand. provoc. art. 15. gloss. 1. nu. 3.* (quem tamen parum integrâ fide Actor ad patrocinium suum trahit) ex Ioanne Gallo, *q. 127. Vidi pronunciari per arest. reg. Galliæ*, notaverit, quòd pars non possit contravenire ex solo capite pœnitentiæ, nisi per curiam expressè improbetur transactio. Vt prorsus absurdum sit, quod Actor nullitatem & periculum ponat in eo, unde dicti Personatus pacificam possessionem, remotâ omni facti & juris controversiâ, adeptus est, & à die hujusmodi transactionis (quæ fuit 22. Ianuarij 1557. stilo scilicet Brabantiæ) retinuit, usque ad 24. Maij anno 1560. quo die illum non simpliciter, sed ex causa permutationis alterius beneficij dimisit, ut constat ex notula exhibita, & propria Actoris confessione.

Post hunc Personatum sic acquisitum, in illius plenissimè pacificâ possessione adhuc existens Actor, obtinuit quoque Decanatum S. Iacobi Lovaniensis in Octobri anno 1559. quem retinuit usque ad Aprilem in anno 1562. quorum probatio in his actis clara est, tum per instrumenta, tum per Actoris propriam scripturam, tum denique per ejus propriam confessionem. Quam tamen postea constringere & circumcidere laborat per adjectionem, quòd neget se unquam illum Decanatum pacificè possedisse, aut aliquos fructus inde percepisse; dissimulando etiam illud, sub prætextu ignorantiæ, quod officium Decanatus in dicta Ecclesia S. Iacobi exercuerit. † Sed rei evidentia, adeoque etiam prætacta instrumenta evidenter 23
contrarium redarguunt; cùm etiam de pacifico initio constet ex literis institutionis, & confirmationis in dicto Decanatu; nec per Actorem allegetur vel declaretur, quòd aliquem vel quoad possessionem vel quoad proprietatem seu petitorium habuerit contradictorem in judicio vel extra: unde præsumenda est continuatio pacificæ possessionis, quæ in proposito sufficit; lis enim cùm facti sit non præsumi, sed probari debet, *Dominic. Geminianus cons. 82. Bonifacius Nonus, Bellamera dec. 83.* * Cùm præterea per testes, quos Reus in 24
hac causa produxit, evidenter constet de hujusmodi possessionis pacificæ continuatione, atque etiam fructuum perceptione; ita ut plenissima hic sit pacifica possessio, quæ instruitur non tantùm ex pacificè obtento exercitio curæ animarum seu administrationis hujusmodi beneficij, verùm etiam ex perceptione fructuum, *Glossa in c. Commissa in V. pacificum De elect. in 6. Hostien. in c. Constitutis 46. De appel. Panorm. in d. c. De multa, Rota decis. 63. in novis, Castrens. cons. 365. In primo articulo super quo vol. 2.* vel omnium vel majoris partis illorum. Hoc quidem verum est, inter Capitulum S. Iacobi, & Actorem fuisse litem super perceptione fructuum; sed non ex defectu juris Actoris, sed propter illius illaudabilem residentiam, quòd duabus sellis sedere volens, in Sancto Petro fecerit residentiam, tamquam etiam ibi Decanus, omissâ residentiâ in S. Iacobo: quæ lis, neque jus neque possessionem Decanatus S. Iacobi contingit, sed tantùm culpam seu negligentiam ac factum Actoris, propter quod meritò non debuit illi permitti perceptio fructuum, qui illaudabiliter residentibus, etiamsi nihil de eorum titulo & jure dubitetur, eripi possint, *c. Quia nonnulli, c. Cùm ad hoc 16. De cleric. non resident.* præsertim illis, qui de persi naliter residendo jura-

mentum præstiterunt, *c. Ex parte eod. tit.* Ita ut si quod impedimentum in fructibus ex parte Capituli Actor senserit, suæ culpæ imputare debeat, quia per illum stetit, quo minùs perciperet; ex quo facto non potest dici non pacificè obtinere, *Gloss. in V. pacifice in d. Clem. Gratia & ibi* DD. Evidentissimum igitur est etiam per sequentem hujus Decanatus adeptionem, iterum consumptam esse gratiam dictæ coadjutoriæ: imò per retentionem illius cum dicto Personatu de Eyne, præfatum Actorem in gravius periculum incidisse, inhabilitatis scilicet retinendi vel obtinendi quodcumque beneficium, *Extravag. execrabilis De præbend.* de quo inhabilitatis vitio postea plura dicentur.

Accedit, & consumptioni dictæ gratiæ coadjutoriæ incrementum addit, Decanatus S. Petri Lovaniensis, quem per viam electionis adeptus est Actor 26. Januarij anno 1562. pendente adhuc prædicta gratiâ coadjutoriæ, hoc est vivente adhuc D. Maijo, qui primùm decessit in Junio Anni 1563. cujus quoque canonicam institutionem & pacificam possessionem per omnia obtinuit, & inde huc usque sine ulla interpellatione vel turbatione retinuit; ut Actor aperto ore & simpliciter contitetur. * Ita quod vel hujus solius dignitatis acceptatio & retentio, sufficiat ad prætactæ gratiæ subversionem; ex triplici illa canonum prohibitione & indignatione adversus hujusmodi incompatibilium beneficiorum admissionem, *d. cap. De multa, & Clement. Gratiæ. d. c. Execrabilis.* Ita ut etiamsi habenti ex legitima dispensatione duo incompatibilia beneficia (qualia Actori ante illum Decanatum S. Petri duo obtinuisse & retinuisse demonstravimus) aliud incompatibile conferatur, hujusmodi collatio sit inutilis & invalida, *Ordinarij §. in conferendis. De iud. ordin. in 6.* ut multò magis effectum habeat perimendi pendentes gratias.

Neque sane hac in parte Actori proderit, quòd ante mortem Domini Maij, pendente adhuc exspectatione successionis in dicto Decanatu per mortem ejusdem Domini Maij, prætacta priora duo incompatibilia beneficia, videlicet Personatum de Eyne, & Decanatum S. Iacobi, deseruerit.

26 * Nam in proposito ad inducendam extinctionem tacitamque renuntiationem concessæ gratiæ ad incompatibile beneficium, atque item ad inducendam vacationem prioris, per assecutionem & adeptionem secundi incompatibilis, sufficit secundi acquisiti beneficij semel pacificè acquisita possessio, *c. Licet Episcopus, De præb. lib. 6. c. Commissa §. 1. De elect. lib. 6.* ut eleganter respondit Paulus Castrensis, *cons. 165. In primo articulo super quo vol. 2.* Vsque adeò, ut in hoc articulo non requiratur annalis vel minoris alicujus temporis possessio, *Lud. Gomes. ad reg. Cancell. De trien. possess. q. 53.* sed sufficiat in adeptione acquirenti nullam moveri contraversiam juris vel facti, aut motam postea sopiri; itaquod acquirens liberam nactus sit vel ab initio, vel postea acceptati beneficij administrationem & possessionem, saltem majoris partis bonorum, sic quòd in hujusmodi articulo etiam futurus eventus inspiciatur, *Castrens. in d. cons. 255.* Adeò ut Castrensis, *d. consil. 265.* Lapum reprehendat in eo, quòd existimaverit requiri pacificam possessionem, saltem duorum mensium, ut per secundi incompatibilis assecutionem vacet prius; dicens nullum esse textum juris civilis vel canonici, qui hoc dicat. Vt meritò nec Petri Rebuffi *in praxi benef. tit. De non promotis intra annum*, (cujus patrocinio in hoc articulo utitur Actor) traditio de annali possessione huc transferenda sit, cùm loquatur de alio vitio, & periculo amissionis beneficij ob defectum promotionis intra annum adeptæ pacificæ possessionis. Regula enim illa continet expresè hanc temporis præfinitionem, *Gomes. d. quæst. 52.* sed nulla est temporis præfinitio in caducitate seu amissione hac, quæ inducitur per adeptionem secundi incompatibilis. Cum alioqui ex superiùs deductis constet, Actorem tam Personatum de Eyne, quàm Decanatum S. Iacobi, pendente adhuc Coadjutoriâ, ultra annum pacificè possedisse; ac de altero per viam permutationis, de altero per liberam resignationem dispositisse, & ulteriùs Decanatum S. Petri Lovaniensis obtinuisse, & in hunc usque diem sine ulla controversia juris & facti possedisse. * In hoc enim articulo in momento res considerari potest, ut eodem instanti 27
(ut dicit Geminianus, *d. cons. 82. n. 3.*) quo accedit incompatibile, inducatur extinctio prioris, & posterioris ingressus contineat exclusionem prioris. Sic quod in hoc juris articulo pœnitentiæ locus non sit, *Pet. Anchor. in c. Si tibi num. 1. & ibi Phil. Franc. n. 2. De præbend. lib. 6.* ob id, quòd adeptio posterioris executionem juris secum trahat: usque adeò, ut in optione adipiscentis non sit, utri beneficio cedat; cùm posterius tantùm retinere possit, *Clemen. Si plures, De præbend.* & retinendo primum cum posteriore, indignum & inhabilem se faciat, si absque moræ dispendio infrà mensis spatium in manibus Ordinariorum ultrò non resignaverit prius: idque non tantùm ad illud, verùm etiam ad quodcumque aliud beneficium obtinendum, in ò etiam ad sacros ordines suscipiendos, *d. Extravag. Execrabilis §. quia verò deinceps.*

Sed nec hoc hac in re patrocinatur Actori, quod fructus Decanatus controversi non perceperit, sed 28
D. Maius. Nam quamvis verum sit, quòd per adeptionem secundi incompatibilis, cujus fructus adipiscens percipere non potest, quia scilicet alij reservati sunt ad tempus, non vacare primum ipso jure, sed demùm ex tempore, quo, finitâ reservatione fructuum, ex secundo potest recipere fructus, *d. c. Si tibi concesso De præbend. lib. 6.* idem tamen non obtinet in casu converso, cùm ex primo fructus non possunt percipi; possunt autem ex secundo, ut ex verbis Canonis apertè deprehenditur: quia posterioris acquisitio plenior est, quàm prioris, quæ fructuum perceptione destituitur; faciliusque amittitur, quod imbecillius est, per accessionem ejus, quod plenum jus habet, quàm è diverso per imperfectum actum sequentem tollatur antecedens, qui pleno jure constat, *DD. in d. c. Si tibi concesso.* Cùm alioqui posterioris beneficij incompatibilis (cujus fructuum perceptio ad tempus est impedita) acceptatio tam potens sit, ut saltem inducat amissionem prioris; quamvis illius amissionis effectus suspendatur, donec posteriori beneficio accedant ipsi fructus; in quo momento amissio illa plenum effectum habet: & ita quidem, ut non permittatur acceptanti ex pœnitentia, relicto posteriore,

sterioré, retinere prius, *Anchor. in d. cap. Si tibi concesso.* Et hoc est, quòd eleganter docet Philippus Francus, *in d. cap. Si tibi concesso n.* 2. quod officium dicti canonis non sit tollere vacationem inductam ex decreto Concilij Lateranensis, *d. cap. De multa*, sed tantùm suspendere ejus effectum. Quamvis hæc consideratio sit hîc supervacanea; ob id, quòd præsens quæstio non tam versetur in decreto Lateranensis Concilij, quàm in Clementinæ constitutionis dispositione, *d. Clem. Gratiæ*, inducente peremptionem gratiæ ad futurum beneficium incompatibile: sub qua gratia superiùs deduximus etiam contineri Coadjutorias cum futura successione; prout etiam in ipsa Coadjutoriæ bulla hæc concessio specialiter appellatur gratia, *in V. effectus hujusmodi gratia &c.*

Quæ omnia metuens Actor confugit ad verba dictæ bullæ Coadjutoriæ, & præterea præsidium quærit ex dispensatione quadam, quâ sibi permissum esse putat plura incompatibilia beneficia retinere, sine periculo vacationis priorum. Sed in neutro satis præsidij est. Nam quod ad prius attinet, ideo adversus incompatibilitatem secum dispensatum putat, quia bullæ coadjutoriæ inserta est hæc clausula, *Nec non omnia & singula beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura &c.* & præterea quod in eadem bulla contineatur absolutio *à quibusvis excommunicationu, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiastici sententijs, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis*: quasi derogatio hujus majoris vitij, quod omnem acquisitionem impedire solet, *c. 1. De rescript. lib. 6. c. Postulastis De cleric. excommun. vel deposito*, proclivius contineri videatur incompatibilitatis vitium, quod ex sequenti acceptatione seu adeptione beneficij primùm induceretur.

29 Cæterùm manifesta est juris decisio, *in cap. Non potest, in fin. De præben. lib. 6.* quòd per hujusmodi clausulam non inducatur dispensatio super incompatibilitate; sed tantùm tollatur vitium surreptionis, quod exoriri posset, ob omissam individualem expressionem omnium beneficiorum, quæ impetrans tempore impetrationis obtinebat; nec ullo modo pertinet ad dispensationem beneficiorum postea acquirendorum; neque etiam priùs acquisitorum, quatenus incompatibilia sunt. Ita ut hujus clausulæ peculiaris & propria operatio sit, quod operetur effectum tantùm individuæ expressionis, *d. cap. Non potest in fin. DD. in l. 1. ff. De legat. 1. Paul. Paris. cons. 1. n.* 105. *&* 130 *vol.* 3. Quò etiam pertinet clausula *absolutionis à censuris*, ut scilicet tollatur vitium surreptionis & incapacitatis, quod ob censuras suppressas exoriretur, *d. c. 1. De rescrip. lib. 6. Cardin. in Clement. 1. §. 1. quæst. 5. De relig. dom.* Unde etiam est, quòd dicta clausula sit restricta per adjectionem horum verborum, *ad effectum præmissorum*; hoc est ad excusandam præservandamque concessionem ab initio à vitio surreptionis; & minimè adversus futuram incompatibilitatem & inhabilitatem, quam Actor sua sponte incurreret: sic ut nihil operetur adversus ambitionem, & acceptationem, aliaque impedimenta, quæ postea culpâ & præcipiti cupiditate subsecuta sunt. Neque quia per hujusmodi clausulam vitium surreptionis sublatum, & per consequens cum excommunicato dispensatum est, ut valeat impetratio, censebitur quoque in sequenti clausula contineri dispensatio ad incompatibilia, quasi id minus sit: † nam longè majus est vitium incompa- 30
tibilitatis, pluribusque canonibus continetur illius execratio & detestatio, *d. cap. De multa, d. c. Quia nonnulli, d. Extravag. Execrabilis.* Et ut majus sit vitium excommunicationis, ex dispensatione tamen super illa, non potest inferri dispensatio super altero vitio incompatibilitatis. † Cùm alioqui à 31
majore ad minus non rectè semper ducatur argumentum affirmativè, *præses in loco à maiore*; & in odiosis atque exorbitantibus non admittatur extensio: atque ita, sublato uno vitio in concursu plurium, semper manet vis impediendi in altero, quod sublatum non est, *l. Si non lex. 83. De hæred. instit.*

Dispensatio altera ab Actore constituitur in bulla, quam ab illustrissimo Carolo Caraffa Cardinale obtinuisse dicitur, in anno 1557. septimo Calendas Februarij; & quidem tam latè, ut Actor sibi persuadeat, sine ulla restrictione secum dispensatum esse, ut duo quæcumque incompatibilia beneficia obtinere & retinere possit. † Verùm in 32
primis dubitatur de dicti Cardinalis potestate, an scilicet hoc jus dispensandi habuerit: neque enim præsumitur hujusmodi mandatum seu facultas, nisi per literas Apostolicas probetur, *l. 1. C. De mandatu Principum.* Exhibuit Actor impressum quemdam libellum, qui bullæ Apostolicæ, in qua hæc potestas continetur, tenorem seu copiam refert, sed cùm autenthicum non proferatur, fidem meri non potest, *l. 1. De fide instrum.* Et ut fidem mereatur, constatque de facultate & potestate hac Cardinalis, nihilo tutior erit Actor. Primùm ex eo, quòd ea dispensatio planè sit surreptitia, ob omissam expressionem gratiæ Coadjutoriæ & dicti Personatus de Eyne, quæ tempore hujus assertæ dispensationis procul dubio habebat, *d. c. Non potest, c. Is cui De præben. lib. 6.* * Et quamvis gratia, 33
quæ jus ad rem tantùm tribuit, regulariter necessariò exprimi non debeat; debet tamen, quando gratia competit ad beneficium electivum, *Paul. Paris. d. consil. 82. Pensio octo ducatorum n.* 30. *&* 31. *vol.* 4. qualis est hic Decanatus. Secundò hujusmodi dispensatio respicit tantùm futura, non præterita, hoc est, refertur ad beneficia incompatibilia, acquisita post datam dispensationis, & minimè ad ea, quæ eo tempore obtinebat. † Ita enim acci- 34
pienda sunt hæc dictæ bullæ verba, *Si tibi alias canonicè conferentur, aut eligeris, præsentaberis, vel assumeris ad illa*: quæ sunt verba merè futuri temporis, nec præteritum aut præsens ex sua natura comprehendunt, *DD. in l. Si stipulatus fuerim §. 1. l. Si à colono* 89. *De verb. obl.* Sic quòd Personatus de Eyne, & dicta Coadjutoria neque ex verbis, neque ex sententia dictæ bullæ dispensatoriæ, contineantur sub hac dispensatione, *Panor. in c. Ad aures De rescript. Oldrad. consil.* 325. *Thema quæstionis, Rebuffus in praxi benef. in tit. De dispensatione ad duo, in verb. conferantur*; ideoque dictæ Coadjutoriæ plenè renuntiatum sit, per acceptationem & retentionem Personatus de Eyne, quæ hanc assertam dispensationem longo tempore antecessit: nam hæc dispensatio ad hanc combinationem gratiæ Coadjutoriæ & Personatus de

Eyne

Eyne retroferri non potest; sed per acceptationem Personatus de Eyne, qui notoriè incompatibilis est cum Decanatu controverso, censetur renuntiatum gratiæ dictæ Coadjutoriæ, *d. Clemen. Gratiæ.*

Et præsuppositio, quod hæc dispensatio fuerit valida, effectumque suum ad dictum Personatum de Eyne retrò extendere possit; perinde tamen consumptus esset effectus hujusmodi gratiæ, per acquisitionem tertij incompatibilis, hoc est, Decanatus S. Iacobi, quem longiore tempore cum Personatu de Eyne, post datam Coadjutoriæ, pacificissimè possedit, eumque, ut superiùs deductum est, non nisi voluntariâ resignatione, eâque non purâ ac simplici, sed ex causa permutationis, dimisit; obtenta ex hujusmodi resignatione non tantùm Capellaniâ in Schornaco, sed etiam bona & pingui pensione ex eodem Personatu: ita quod adhuc in effectu censeatur obtinere personatum de Eyne, in cujus vicem obtinuit & diu retinuit
35 dictam Capellaniam & pensionem. * Qui enim cum adversario suo concordat, aut aliter de beneficio, ad quod gratiam habuit, disponit, gratiam suam consumit, *Lud. Roman. cons. 329. Præsens consultatio, Ioan. Bapt. Ferret. cons. 26. Super mansionaria n. 2.* quod enim in locum ejus surrogatur, pro eo est, cui surrogatur, & pensiones assignatæ ex causa beneficij dimissi loco beneficij sunt, *Innoc. & alij in c. Postulasti & in c. Ad audientiam 31. De rescript. Gigas de pensionib. q. 67. n. 4.* Et omnem dubitationem discutit sequens, sed mortem D. Maij antecedens, Decanatus S. Petri Lovaniensis acceptatio, & illius perpetua ac continua possessio pacifica: quia hic Decanatus procul dubio aliud beneficium est etiam incompatibile: & sic notoriè finis bullæ suæ dispensatoriæ excessit, illamque consumpsit. *
36 Neque enim ea est dictæ dispensationis potestas, ut nundinationem etiam beneficiorum admittat, & duorum incompatibilium occupationem quamcumque permittat; sed tantùm duorum primorum sequentium, non etiam quorumcumque, quæ priorum renuntiatione, resignatione, compermutatione, vel alia ratione accederent. Aperta enim est juris dispositio, hujusmodi dispensationem consumi in prioribus duobus, quæ post eam obtentam acquiruntur, *d. cap. Non potest De præben. lib. 6.* nisi hoc quoque in dispensatione sit expressum, ut dispensatus utrumque vel alterum incompatibilium dimittere, & in locum dimissi vel dimissorum, aliud recipere possit, *Rebuff. in d. tit. De dispens. ad duo, ad V. & loco dimissi.* Eâ enim clausulâ omissâ, dispensationis effectus concluditur & constringitur intra duo priora, & impedit progressum ad alia, cum eo juris effectu, ut posterioris incompatibilis acceptatio perimat jus priorum, illaque ipso jure vacare faciat. Proinde toto cœlo errat Actor, cùm primum incompatibile constituit in Decanatu S. Petri Lovaniensis, nec oculos conjecit ad duo intermedia, Personatum scilicet de Eyne, & Decanatum S. Iacobi, quæ illum pacificè obtinuisse superiùs apertissimè demonstravimus.

Pariformiter non minor juris error in eo consistit, quòd Actor omnium horum incompatibilium beneficiorum exilimat postremum fuisse Decanatum controversum, & sic priorum, non illius, vacationem ex vitio incompatibilitatis inductam fuisse: nam alterum horum fateri oportet, vel ex tempore bullæ Coadjutoriæ Actori jus acquisitum fuisse in re, illiusque temporis rationem habendam, ut per adeptionem posteriorum beneficiorum, sic acquisiti juris vacatio ipso jure inducta dicatur, *d. Clem. Si plures, d. c. De multa;* vel tunc nihil acquisitum fuisse præter exspectationem seu exspectativam gratiam; quæ ipsa non minùs, quàm acquisitum beneficium, ipso jure resolvitur & extinguitur per sequentem incompatibilis beneficij acquisitionem. Atque ita fit, ut Actor modò initium, modò finem temporis, prout sibi commodum esse putat, arripiat; modò hanc Coadjutoriam pro absolutè acquisito beneficio, modò pro gratia exspectativa reputet, sed utrumcumq; facit, semper impingit in juris prohibitionem & pœnam, *d. Clemen. Gratiæ, d. c. De multa.* Finem itaque in hoc primo capite seu articulo facientes, in eo persistimus, tempore mortis D. Maij Actori nihil juris competisse ex Apostolica bulla Coadjutoriæ.

Quod etiam agnoscens Actor, dum sic videt se undique premi, confugit ad novum remedium, hoc est, novam provisionem, quam se obtinuisse dicit à Pio Papa, Kalen. Augusti anno 1563. in quo consistit secundum consultationis propositæ caput. Sed hac ex parte nihilo tutior aut melior efficitur Actoris conditio: nam conditionalis est hæc provisio, si scilicet tempore datæ hujusmodi novæ provisionis nemini specialiter jus in dicto Decanatu acquisitum esset. Iam verò ex his, quæ postea in tertio capite dicentur, manifestissimè constabit, Reo hujus causæ antea jus in dicto Decanatu acquisitum fuisse, per justam & validam electionem, illiique subsecutam canonicam institutionem: ita quod nihil necesse sit in hoc articulo diu subsistere. Quamvis tamen & hoc verum sit, hanc novam provisionem prorsùs esse inutilem, propter vitium surreptionis & obreptionis non uno, sed multis modis. Et primò quidem, ob commissam, atque ut ex juris præsumptione assumi potest, callidè ad circumveniendum suppressam mentionem quorumdam beneficiorum, quæ ultra expressa tempore novæ provisionis Actor obtinebat; prout partim ex actis constat, partim per Reum amplius probari oblatum extitit de Capella nostræ Dominæ dictæ Ter Piete, impetrata & obtenta in mense Iunio anno 1563. de Personatu de Cruyshaulte, item de annua pensione viginti librarum grossorum Flandriæ super Ecclesia S. Bavonis Gandavensis, cùm in dicta nova provisione tantùm exprimatur Personatus de Eyne, Decanatus S. Iacobi, & Decanatus S. Petri Lovaniensis; idque adhuc cum ea significatione, quasi hujusmodi expressorum nulla simul, & præsertim incompatibiliter tempore novæ provisionis, sed successivè possederit: cùm evidentissimè ex superiùs deductis constet, quod post impetratam gratiam Coadjutoriæ, pacificè possederit eodem tempore Personatum de Eyne, & Decanatum S. Iacobi. * Vsque adeò enim necessaria est in nova provisione ac 37.
quacumque gratia beneficiali expressio omnium beneficiorum obtentorum, ut etiam requiratur expressio quarumcumque gratiarum, quæ effectum sortitæ non sunt; & eâ omissâ inducitur novæ impetrationis

petrationis omnimoda nullitas & invaliditas, *d. c. Non poteſt, De præb. lib. 6. c. Super literis De reſcript.* Et hoc eſt quod Nicolaus Milis dicit *in ſuo Repertorio aureo. in gratia*, gratiam in beneficialibus eſſe ſurreptitiam, niſi in ea fiat ſpecialis & expreſſa mentio de beneficio, vel literis ad beneficia obtentis; ſic quod generalis mentio non ſufficiat, ut latiùs & elegantiùs deducit Paul. Pariſius, *conſil. 74. Gratia ſuper dicta vol. 4.* Quod potentius obtinet in ſequenti gratia ſeu proviſione, quæ prioris proviſionis ſeu gratiæ, potiſſimùm extinctæ (ut eſt in propoſito ad dictam Coadjutoriam) eſt revalidatoria, & quæ non motu proprio, ſed ad preces obtinentis conceditur, *Lud. Roman. conſil. 362. Quoad primum nu. 4. Paul. Pariſ. d. nu. & ſeq.*

Deinde intenditur dicta ſurreptio & obreptio ex diverſis dictæ novæ proviſionis clauſulis, & verbis falſam narrationem continentibus; veluti quòd Reus ſe in hunc Decanatum intruſerit, ſuppreſſa legitimâ ejuſdem Rei electione & confirmatione: narratione præſentis vacationis ejuſdem Decanatus, narrando Reum ſimplicem eſſe clericũ, ſuppreſſo ejus ordine ſacerdotali, in quo ſciebat eum eſſe conſtitutum, narrando quoque ſe obtinuiſſe diſpenſationem ad duo quæcumque incompatibilia beneficia; ſupprimendo ejuſdem diſpenſationis nullitatem, ob omiſſam mentionem beneficiorum, quæ tunc obtinebat & exſpectabat, præſertim gratiæ dictæ Coadjutoriæ, ut ſuperiùs dictum eſt, *c. Cùm adeo & ibi gloſ. in V. ſi dignus exiſteret De reſcript. cum aliis ſuperius allegatis.*

Adverſus quæ ſurreptionis & obreptionis vitia
38 nihil patrocinatur hæc clauſula, in principio dictæ novæ proviſionis poſita, *Nec non omnia & ſingula* &c. quia, ut ſuperiùs diximus, circa bullam Coadjutoriæ, illius poteſtas non operatur effectum individualis expreſſionis, ſed tantùm præſervat à vitio ſurreptionis & obreptionis, *c. Non poteſt. De præbend. lib. 6.* ad finem impetrationis, non etiam ad impetrationis indubitatam validitatem, ſi alicunde illa ex acceſſione alterius vitij poſſit dici eſſe nulla: ut in propoſito, ex præmiſſis, id rectè dici poteſt; concurrente præſertim inhabilitate & incapacitate Actoris, quam contraxit ex retentione plurium incompatibilium beneficiorum (ut ſuperiùs latè deductum eſt) & per ſuperveniens augmentum hujuſcemodi incompatibilitatis & indignitatis, atque adeò etiam irregularitatis, propter excommunicationes adverſus eum latas, & per eum contemptas, factâ etiam celebratione Miſſarum, adverſus quas non conſtat eum umquam legitimè reſtitutum fuiſſe: ut meritò, vel ob hanc ſolam cauſam, omne jus novæ proviſionis reſolutum ſit, *c. Eos, c. Solet, & ibi DD. De ſent. excommun. lib. 6.* quæ quidem acquiſiti juris reſolutio, Reo in hac cauſa ad effectum acquirendæ exceptionis prodeſſe debet, licet aliàs ex ſuperveniente cauſa de novo intentio Actoris non juſtificetur.

Progrediendo ad tertium hujus conſultationis articulum, à cujus tractatione abſtineri poterat, propterea quòd Dominus Marcus non Actoris vicem, ſed Rei partes in hac cauſa obtineat, nihilque ei ob id neceſſe ſit de jure ſuo docere, ſed ex communi juris regula, *l. ult. ff. De rei vindic. l. Qui accuſare C. De edendo*, quæ perinde in beneficialibus, *Purpurat. in d. l. Qui accuſare* 17. ut aliis quibuſcumque cauſis locum habet, abſolvi debeat Reus, Actore non probante, eaque ex cauſa ad aliud quoque non concluſerit Reus, quàm ad abſolutionem ex commodo poſſeſſionis, in qua per duas ſententias conformes Concilij provincialis ac Parlamenti Mechlinienſis manutentus eſt, ut animi conſultiſſimorum Dominorum Aſſeſſorum ad partes Rei ſint inclinatiores, & averſiores ab allegationibus, quibus Actor jus, quod Reus aſſerit, oppugnat, paucis, quo jure Reus nitatur, perſtringemus; remotis his, quæ ad illius ſubverſionem Actor in medium profert. Eſt autem id ex juſta & canonica electione eorum, penes quos erat jus eligendi, ſubſecutâ debitâ inſtitutione ſeu confirmatione, ut conſtat ex horum liquida & clara deductione, unà cum exhibitione inſtrumentorum id probantium. Adverſus quæ Actor plurima in contrarium adfert, partim ex re, partim ex perſona eligentium, partim ex perſona electi, partim ex non obſervata juris forma; ſed nihil eſt quod ſtringat.

Nam ex re quod objicitur, hunc Decanatum tunc non vacaſſe, continet refricationem poteſtatis & effectus aſſertæ Coadjutoriæ, quaſi ex illa, propter inſertam clauſulam, *Ex nunc prout ex tunc*, Actor etiam ante mortem D. de Maio effectus fuerit Decanus Eccleſiæ, de qua hic quæſtio; ideoque ad alterius electionem procedi non potuerit, *c. 1. & ſeq. De conceſſ. præbend.* Cæterùm præfluit hæc objectio ex pertinaci Actoris contentione, quod dicta Coadjutoria non fuerit ſubjecta Clementinæ conſtitutioni, *d. Clemen. Gratiæ*: proinde cùm latiſſimè in primo articulo ſit deductum, hanc Coadjutoriam includi & ſubijci limitibus & terminis ejuſdem Clementinæ conſtitutionis, Actoremque in diverſis locis hujus proceſſus confiteri ex morte Domini Maij vacaſſe hunc Decanatum, manifeſtiſſimum evadit, non rectè hic objici defectum vacationis: cùm veriſſimum ſit, per acceptationem ſequentium aliorum incompatibilium beneficiorum, renuntiatum fuiſſe dictæ Coadjutoriæ, & per eam ſequentis vacationis ex morte D. Maij libertatem nullo modo conſtrictam fuiſſe: ita ut hic occurrat vacatio de jure & facto; * cùm etiam 39
ſola vacatio de jure faciat locum tam electioni quàm proviſioni quarumcumque dignitatum & beneficiorum, *cap. Si tibi abſenti, De preben. lib. 6. Rebuff. in praxi benef. lib. 1. tit. De requiſit. ad collat.*

Secundò objicitur, quòd ſic vacantis Decanatus poteſtas ea fuit, ut quoad ipſos eligentes non cenſeatur tunc vacaſſe: quaſi ſcilicet Ordinarius non poſſit admovere manum beneficio reſervato per Sedem Apoſtolicam, propter reſervationis hujuſmodi poteſtatem; quaſi ſemel affectum beneficium ex reſervatione Papali perpetuò maneat affectum, donec per eandem vel aliam Papæ proviſionem de ea fuerit plenè diſpoſitum, *cap. Si eo tempore, De elect. lib. 6. c. ad Romani in extravag. communib. De præben.* † Verùm veritas juris aliter ſe habet: nam 40
quamvis id verum ſit eo caſu, quo Papa hujuſmodi aliquam reſervationem facit motu proprio in favorem Eccleſiæ, ut ſcilicet de ſic affecto vacante beneficio illâ vice nemo ſe intromittere poſſit præter Papam; cùm tamen hujuſmodi reſervatio ſit ad inſtan-

instantiam & preces certæ personæ, deficiente jure hujusmodi reservationis vel ex morte provisi; vel ex superveniente ejus inhabilitate, vel ex aperta renuntiatione, vel tacita renuntiatione ex acceptatione alterius incompatibilis, hoc casu appositio manus Papæ nihil efficit, quo minùs Ordinarius de vacante beneficio disponere possit, &, si electivum est, ad eligentes libera redeat eligendi potestas: quia nimirum cessat ratio reservationis respectu personæ, vel quia mortua est, vel quia concessæ gratiæ tacitè vel expressè renuntiavit, ut eleganter hæc tradit Cosmas Guymier Glossator Pragmaticæ sanctionis, *in titul. De elect. in pragmat. sanct. ad V. causa.* Cùm itaque tenor dictæ bullæ Coadjutoriæ nullum motum proprium contineat, sed tantùm preces & petitionem dicti Domini Maij & Actoris hujus causæ; evidenterque constet eundem Actorem per acceptationem sequentium incompatibilium renuntiasse dictæ Coadjutoriæ, & per retentionem plurium incompatibilium indignum se fecisse; dubitatio nulla est, quin vacatio ex morte Maij inciderit in liberam potestatem ordinariorum eligentium.

Ex persona eligentium objicitur, quòd excommunicatione gravati, & in mala fide versati fuerunt; ob id, quòd præcepto Decani S. Pharaildis Iudicis & executoris dictæ assertæ bullæ non paruerint: sed non advertit Actor, quòd jus dictæ Coadjutoriæ tunc erat resolutum, & extinctum ex potestate dictæ Clementinæ constitutionis, per quam extinctionem resolvitur quoque deputati executoris potestas, & impunè non paretur, cui jurisdictionis vel executionis nullum est jus, *l. final. ff. De jurisdict. om. judic.* corruente quippe principali dispositione, corruunt omnes clausulæ accessoriæ, *c. Accessorium. De R. I. in 6. Decius cons. 60. Viso themate, Castrens. & alij in l. 1. ff. Si major. fact. ratum habuerit.* Ex qua ratione etiam dissolvitur, quod Reo objicitur, de simili indignatione ex resistentia adversus Decani S. Pharaildis executionem; tam ex bulla dictæ Coadjutoriæ tamquam extincta & resoluta, quàm ex nova provisione, ob quam Actor veritus non est etiam clarissimis Dominis judicibus primæ & secundæ instantiæ impingere notam excommunicationis, de quo in actis satis dictum est.

Ex persona Electi multa comminiscitur Actor, quò illum ineligibilem faciat, ultra prædictam indignitatem & inhabilitatem. Et primò quidem, quòd non constet de ordinibus, & præsertim de sacerdotio Rei: sed nimis evidens est hæc Actoris calumnia; cùm in actis extet ejusdem Actoris clara confessio, per quam confitetur apertè instrumenta omnia per Reum de singulis suis ordinibus, tam minoribus, quàm majoribus exhibita, esse vera & authentica; exceptâ solâ signaturâ ac manu Episcopi Sareptani, qua sacerdotium Rei probatur: in cujus quidem scripturæ negatione non perstitit, sed per geminationem horum verborum, *ignosco, fateor, fateor, inquam, Sarreptam*, &c. ab ea re-
41 cessit. * Vltra quam confessionem accedit quoque positiva Actoris confessio, quòd Reus existat in sacris ordinibus etiam presbyteratus. Accedunt quoque diversorum testium clara testimonia, non de eo tantùm, quod Reus pro sacerdote, verùm etiam pro diacono, subdiacono & inferioribus ordinibus ordinato, ante & post electionem reputatus fuerit: quæ reputatio præsertim confratrum, jus facit super quasi possessione & usu sacerdotij, ut eleganter tradit Baldus, *in l. Ea quam n. 8. C. De fideicomm.* Ita ut supervacuum sit in hac improbabili exceptione consistere; potissimùm quòd inter prædictos testes non pauci sint, qui dicant se interfuisse primitijs Rei.

Secundò objicitur Reo, quòd tempore electionis non fuerit Canonicus vel Thesaurarius dictæ Ecclesiæ, & sic ineligibilis; ob id, quod tempore requisito, post acquisitam Thesaurariam ejusdem Ecclesiæ, non fuisset promotus ad sacerdotalem ordinem, quem expressè requirit dicta Thesauraria, quodque ob id eâdem Thesaurariâ exciderit, & sequenti Decanatu se indignum fecerit. Verùm nec huic exceptioni quicquam tribuendum est, cùm & ipse Actor Reum semper recognoverit esse Thesaurarium & ante tempus dictæ vacationis, post adeptum sacerdotium plusquam sexennium, eandem Thesaurariam pacificè possederit; eique ob id quæstio Dominij refricari non possit: cùm nec possit triennali pacifico possessori, *Reg. Cancel. De trien. possess.* Et vim hujusmodi exceptionis retundit privilegium Vniversitatis Lovaniensis, quo permittitur in dicta Vniversitate studentibus, ut possint septennio differre sacerdotium insistendo studijs: quo quidem septennio currente, & ante illius exitum Reus legitimè ad sacerdotium promotus fuit; ut de his, & studio Rei satis probatum est, tam per testimonia Rei, quàm publica & legitima documenta.

Ex forma electionis oppugnationis causas varias congerit Actor. † Primò ex eo, quòd ad eam 42
non sint vocati omnes absentes: sed ex adverso replicatur absentium vocationem de jure non semper esse necessariam, præsertim eorum, qui tempore hujusmodi absentiæ in Ecclesia ordinariam residentiam non faciunt, *c. Cum inter universa & ibi glos. D. De elect.* Et quamvis ordinariè residens, si in remoto absens non est, contemni dicatur, si non vocetur, & propter ejus contemptum electio infirmari possit, *cap. Quod sicut in fine princip. De elect.* ad hoc tamen præterea requiritur, ut contemptus de suo contemptu conqueratur; sic quod ex hoc capite inducatur nullitas non ipso jure, sed per declaratoriam sententiam, contempto injuriam suam prosequente, *Gloss. prag. sanctionis. tit. De elect. vers. & cum humanæ, in V. adveniente die.* Et cùm electionum directiones ubique uniformes non sint, sed per loca varient, attendenda est obtinens consuetudo, *c. Cum Ecclesia in fin. c. In Genesi. De elect.* quæ in hac Ecclesia non astringit ad omnium absentium necessariam vocationem: quinimo communiùs receptum est, quod ex generali juris interpretatione absentes vocandi non sint, ubi non extat specialis consuetudo, absentes vocandos esse, *c. Cum in Ecclesiis, iunct. ibi glos. De prabend. lib. 6.* cujus probationem in hoc casu Actor facere debuisset: ita quod sufficiat majoris & sanioris partis electio, *cap. Licet vers. ex hoc tamen De election.* nec noceat prætermissio aliquorum non residentium, aut extra provinciam existentium, *c. Coram De election.*

Qua

Quâ ratione curandum quoque non est, quod objicitur huic electioni vitium clandestinitatis, omissio bannorum, omissio Missæ de S. Spiritu, publicationis factæ electionis, & decantationis hymni, *Te Deum laudamus*: nam ut uno complexu omnes has objectionum causas diluamus, dicimus, omnes hujusmodi solemnitates substantiales non esse, & earum prætermissionem non semper vitiare, ut ex Nic. Boerio *in glos. sua ad Mandagotum, in Tract. De elect. n.* 19. *in princ.* Cosma Guymier, *in glossa Prag. sanct. tit. De elect. d. vers. & cum humanæ, in verb. suscipiant.* ac Petro à Biaxio *in Directorio elect. c.* 13. *n.* 2. *& c.* 27. *n.* 4. latius est deprehendere, ad quos sufficiat facta remissio: cùm alioqui ex his actis & instrumentis in ea exhibitis, satis constet, illa, quæ de omissa publicatione & vitio clandestinitatis proponuntur, non esse vera. Quibus addimus, præscriptam illam plurium solemnitatum observationem non perinde obtinere nec requiri in minoribus dignitatibus, qualis est hic Decanatus, qui quamvis dignitatem habeat, jurisdictionem tamen nullam, nec curam animarum habet, quæ reservata est Præposito, *Cos. Guymier in d.* §. *& cum humanæ, Nic. Boerius loco supra citato.*

14 Objicitur quoque Reo, quòd non citato seu vocato Actore hæc electio facta sit, cum jus id requirere videatur, *c. ult. De elect. in* 6. Sed licet id obtineat in eo casu, ubi electio in discordia facta est; non obtinet tamen, ubi illa in concordia facta est, nec apparet contradictor, qui justam contradicendi causam habeat. Atque ita ea juris dispositio non est trahenda ad nullitatem confirmationis ipso jure, sed ad eam, quæ facienda est adhibitâ cognitione justitiæ & injustitiæ, & ex deprehensa contradictionis justitia, DD. *in c. Quoniam De fil. presbyt. Cosm. Guymier ad Prag. sanct. tit. De elect. verſic. facta autem, in verb. præsentata.* Cum ergò plusquam manifestum sit, & Actor ignorare non potuerit, oppositionis vel contradictionis nullam sibi fuisse justam causam, propter renuntiationem gratiæ coadjutoriæ ex Clementina constitutione *d. Clem. Gratia*, consequens est, nullam non esse, quæ non vocato aut exspectato Actore, secuta est electionis confirmatio.

15 Quæ confirmatio quamvis etiam oppugnetur ex eo capite, quòd Præpositus illam fecerit; facere autem non potuerit, ex eo, quòd unus eligentium quoque sit: valida tamen hic censeri debet; ideo quòd jus tam confirmationis, quàm electionis per literas Apostolicas erectionis hujus Ecclesiæ, apertè concessum sit Abbati seu Præposito: qua in parte voluntati atque auctoritati Summi Pontificis deferendum est.

Minùs itaque nocet, quod traditur, *in c. Licet Episcopus De præben. & dignit. lib.* 6. de non inducendo aliquem in corporalem possessionem beneficij, quod per accessionem incompatibilis amittitur, non vocato priore possessore: quia loquitur de eo, qui sic amissi beneficij per illam tacitam re-
2 signationem realis possessor fuit, cui major fieret injuria propter possessionem; quæ non fit illi, qui possessor numquam fuit, ut est in casu proposito, *d. §. Licet Episcopus. & ibi* DD. Ex his itaque omnibus aliisque pluribus, quæ adhuc adduci possent, Clarissimis Dominis Assessoribus existimamus satis liquere de bono jure præfati Rei.

Restat ergò quartus propositæ consultationis articulus; num scilicet ex præcedente aliqua externa causa, vel sequente, jus prætactæ electionis resolutum sit? Constituere sane ita laborat Actor ex nova constitutione Pij Quarti; propter collusionem & tacitæ fidei accommodationem, quam contendit Reum fecisse & iniisse cum Domino Petro Gielis super prætacta Thesauraria. Sed hic hærendum non est, quòd tota hæc res in facto magis, quàm in jure consistat; neque per Actorem probata sint, quæ ad hujusmodi collusionis vel confidentiæ probationem sufficiant.

† Etsi enim dicta constitutio contenta sit argu- 46
mentis & indicijs; argumentorum tamen & indiciorum exacta extare debet probatio: ut fit in doli probatione, *l. Dolum ff. & C. De dolo.* Neque ex sola affinitate aut familiaritate inter Reum, & Dominum Petrum Gielis argumentum sufficiens desumitur; neque etiam ex eo, quod Reus procuravetit eidem Domino Petro provideri de hac Thesauraria: nam quilibet etiam extraneus, multò magis cognatus, affinis, vel amicus potest alij etiam sine mandato impetrare literas seu gratias ad beneficia, *c. Ex ore & ibi Panor. De his quæ fiunt à maior. parte Capituli.* Cum alioqui etiam plena probatio hujusmodi confidentiæ Actori nihil prodesset: propterea quòd id accidisset diu post impetratam per ipsum novam provisionem, quæ justificari non posset ex sequente vel supervenient defectu juris Rei; sed ex præcedente tantùm, propter clausulam conditionalem assertæ novæ provisioni insertam, *si alteri ius quæsitum non sit, c. Abbate, & ibi* DD. *De sent. & re iud. lib.* 6. Vnde etiam percipitur improbitas Actoris, exhibentis priorem quamdam nostram consultationem, quam importunè instante Actore scripsimus, ex præsupposito in alia causa, & inter alias partes: de cujus præsuppositi veritate nihil in hac causa constat; & falsum fuisse præsuppositum, indicat exitus illius causæ in materia possessoria nuper definitæ. Sic quod manifestissimum evadat, nihil occurrere, per quod dici possit jus Domino Reo ex electione & confirmatione acquisitum, ullo modo resolutum & extinctum esse. Proinde finem faciendo (sub correctione Clarissimorum Dominorum Assessorum) concludimus, partes Reverendi Domini judicis esse, ut sententiam in hac causa ferat secundùm conclusionem & petitionem Rei, non tantùm quoad principale, hoc est, absolutionem ab impetitione Actoris; verùm etiam quoad condemnationem omnium expensarum litis, quam idem quoque Actor passus est in utroque judicio possessorio, ob hujusmodi litis persecutionem nimis improbabilem.

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio vitiosa.

1. *Electio per commistionem scrutinij & compromissi valet*
2. 6. *Ab electione ad postulationem rectè duci argumentum.*
3. *Electionis vitium non nocet ante præsentationem.*
4. *Electi præsentatio superiori, an electio siat interest.*
5. *Electus cuari debet ad reiectionem electionis.*
7. *Electionis & postulationis quando commissio est, id sumendum quod utilius.*
8. *Postulationis nullitas impedit devolutionem.*

CONSILIVM XVII.

CONFIRMANDO ea, quæ nuper super collation Præposituræ S. Petri Leodiensis per Reverendissimum Dominum Episcopum Leodiensem jure devoluto, Generoso Domino Lamberto à Bliterswyck facta, scripsimus, ac demonstrando nihil esse, vnde nullitas postulationis per Capitulum S. Petri de persona dicti Domini Lamberti celebratæ constitui possit, dicimus in forma hujusmodi postulationis per Dominos dicti Capituli minimè aberratum fuisse. Nam quamvis videantur scrutinium & compromissum commiscuisse, minimè tamen aberrarunt:

1 * cum ea forma in electionibus non tantùm non sit reprobata, sed etiam aperto jure permissa, *c. Cum dilectus De elect. c. Cum expediat, De elect. lib. 6.* eumque modum electionis testatur Glossa, *in d. c. Cum expediat in V. inquisitus*, optimum expeditissimumque esse, neque hodie meliorem expeditioremque inveniri. * Quod in electione traditum,

2 ad postulationem quoque transferri debet: quemadmodum dispositio *cap. Quia propter De elect.* præscribens formas eligendi, minimeque excludens mixtam viam scrutinij & compromissi, *d. c. Cum expediat*, perinde etiam locum habet in postulatione, ut apertè decidit Panormit. *in d. cap. Quia propter.* Ita ut rectè ducatur argumentum ab electione ad postulationem, etiamsi per electionem electo quæratur jus, non postulato per postulationem, de quo hic non quæritur.

Dicimus perinde ex peccato in materia, si qui postulatus est, eligi debuisset (quod tamen expeditum non est) perfectè & absolutè devolutionis

3 nullum esse periculum. † Nam ante præsentationem postulati, sive erratum sit in forma, sive in materia, quia res omninò integra est, nulla est dubitatio: neque dubitant, qui pro collatione Reverendissimi Domini Episcopi responderunt, quin nihil noceat; quodque ex integro vel ad electionem, vel postulationem redire possint, qui sic aberrarunt, *c. Bonæ 3. & ibi Panor. De postul. Prælat.* Sed & præsentatione per modum postulationis facta, si tempora eligendi vel postulandi præterlapsa non sunt, perinde de novo eligendi est potestas: & in eo distat electio à postulatione, ut testatur Panormitanus, *in d. c. Bonæ De postulat. Prælat.* Quâ distractione attentâ, cùm separationem electionis & postulationis induxerat, non videmus, qua in parte hoc respectu conjunctionem constituat: neque enim vult jus providendi quæsitum esse superiori, cui facta est præsentatio, neque etiam postulantes post hujusmodi præsentationem perdidisse jus suum; sed hoc tantùm, ut præsentatione factâ, postulantium voluntas constringatur & suspendatur; & ei, cui præsentatio facta est, hoc acquiratur, ut præsentatione factâ, & necdum rejectâ, non liceat Capitulo in illusionem superioris, non exspectato ejus judicio, variare & alium postulare.

* Eoque sensu accipiendus est Baldus, *in l. 1.* 4
n. 37. C. De servitut. & aqua, qui discrimen facit inter præsentationem postulato, & superiori factam. Est itaque præsentatæ postulationis ea conditio, ut si legitima inveniatur, per superiorem, cui præsentatio facta est, admittatur, & utrisque manus claudantur; tam præsentantibus, quàm superiori; sin legitima non erit, rejiciatur, * sed ita, 5
ut ad rejectionem pars, si certa & præsens sit, citetur; alioqui citatione per edictum ad versus omnes, qui se opponere, vel sua interesse putabant, præmissâ: quâ citatione omissâ, admissio & rejectio est nulla, ut evenit in electione, *c. fin. De elect. lib. 6.* * à qua in eo articulo ad postulationem 6
omnes extentionem faciunt, *Glossa & DD. in d. c. finali.* Tanta quippe vicinitas est electionis & postulationis, ut mandatum de eligendo extendatur ad postulandum, *c. In causis & ibi glossa De elect.* cùm tamen mandatum strictè, & in forma sit adimplendum, *c. Cum dilecta De rescript. l. Diligenter ff. Mandati*: & qui præscripsit jus eligendi in certa Ecclesia, præscripsisse quoque censeatur jus postulandi in eadem, *Panor. in d. cap. Bonæ n. 4.* Pronuntiare itaque debebat Reverendissimus Dominus, postulationem non esse admittendam; quia postulatus erat, qui debebat eligi, & se non miscere provisioni Præposituræ, durante tempore electionis, *Gloss. c. fin. De postulat. Prælat. in fin.* eamque ad exemplum Summi Pontificis, *in d. c. Bonæ 2. De postul. Præl.* relinquere Capitulo, quod propter tam leve erratum jus suum perdere non debuit, † in eo præsertim articulo, qui in jure con- 7
troversus est, quique Capitulum in dubitationem trahere potuit; & propter dubitationem permittere commixtionem electionis & postulationis; ut sic id assumatur, quod negotio & personæ maximè congruit, ut Glossa & Panormit. *in d. c. fin. in fine*, alijque *in c. 1. De postul. Præl. lib. 6.* tradunt. Sed etsi ob hujusmodi levem errorem, qui juris tamen probabilitate non destituitur, Capitulum meruisset jure suo eligendi privari; non tamen potuit Reverendissimus Dominus, nullâ præcedente citatione, declaratione, ac privatione ex eo capite hanc postulationem improbare, quasi scienter indignum postularint; cùm qui vel postulant vel eligunt scienter indignum, ipso jure priventur potestate eligendi, *c. Cum Vintonienſis, c. Cum in cunctis sub fin. De elect. notabile Glos. in verb. privare in c. 1. De postulationib. Prælat.* nam indignus hic postulatus non est, sed levissimè tantum, tolerabilique errore, ob dubitatam qualitatem, erratum est in eo, quod postulatus sit, qui ex multorum

opinione

opinione eligi poterat; qui error, etiamsi per omnia probabilis non sit, scientiam tamen excludit.

8 † Ideoque recte dici potest, propter nullitatem actus postulationis, præsertim in casu dubio & controverso, non devolui potestatem providendi ad superiorem, quia id jure cautum non invenitur, *d. c. Cum in cunctis*: sed vel tolerandus fuit error, & postulatio ex commistione duarum formarum pro electione accipienda: quia per postulationem pervenitur ad electionem, *Glos. in d. V. privare*; ut confirmatio accommodetur ei, quod confirmabile fuit, propter personæ sic postulatæ idoneam qualitatem, exceptâ solâ dubitatione de ordinibus nondum susceptis: vel si tolerandus non fuit, remittenda fuit potestas eligendi ad Capitulum, cujus nulla argui potuit mala fides, aut negligentia; non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Atque ita eleganter decidit Boerius, *decis. 70.* & consulendo respondit Ludovicus Romanus, *cons. 483. Dubitatur*; faciendo præsuppositum, quasi in nudis finibus postulationis res ibi constitisset, & præsentatio non interveniisset. Sed nec eò respeximus, quasi hic fuerit per unam partem Canonicorum delecta via electionis, per aliam postulationis, in quo inter cætera fundamentum sui responsi fundat Romanus; id enim magis adversatur Domino Lamberto: sed quasi sola postulatio mixto illo modo facta & jure comprobata, ab omnibus etiam facta fuerit, ad impediendam præcisam devolutionem ad Dominum Reverendissimum. Sané quod de exemptione prius respondimus, facti magis, quàm juris quæstionem habere videtur; quando nunc nobis proponitur eam non esse, veremur tamen ob veterem possessionem secundariarum Ecclesiarum patriæ Leodiensis, ne id satis tutum non sit.

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio non qualificati.

1.4. *Personæ habilitas & capacitas requiritur tempore actus.*
2. *Impuberis testamentum non valet.*
3. *Qualitas beneficij observanda.*
5. *Licentiatus non usurpat privilegia doctoris.*
6. *Regulare beneficium obtineri non potest ab eo, qui actu non est regularis.*
7. *Consuetudo mala observanda non est.*
8. *Beneficij fundatio per inferiorem alterari non potest.*
9.11. *Electio conditionalis & incerta non valet.*
10. Dummodò *particula an modum an conditionem faciat.*
12. *Eligens scienter indignum privatur ea vice potestate eligendi.*
13. *Electio unius quando sufficiat.*

CONSILIVM XVIII.

IN erectione Episcopatus Namurcensis Sanctissimus Dominus noster Papa in Cathedrali ejusdem Episcopatus Ecclesia, tres inter alias erexit & instituit dignitates, Archidiaconatum videlicet, Archipresbyteratum, & Pœnitentiariatum: *voluitq; quod ex omnibus Canonicatibus & præbendis ejusdem Ecclesiæ Namurcensis novem, cùm illas vacare contingeret, tribus Magistris aut Licentiatis Decretorum, & tribus alijs nobilibus dictæ diœcesis, etiam in Iure vel Theologia saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Vniversitate Studij generalis promotis, ordine prætermisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant; quodq; ad sex priores tam nobiles, quam alij non nobiles, ut præfertur tamen qualificati; ad reliquas verò tres nulli nisi nobiles & graduati, ut præfertur, assumi possint: & Archidiaconus ad Archidiaconatum, Archipresbyter ad Archipresbyteratum, & Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam ad nominationem solius Episcopi ex dictis novem graduatis assumi possint: & deinde futuris temporibus, quoties aliquem ex dictis novem reservatis Canonicatibus vacare contingeret, ad electionem Episcopi & aliorum graduatorum superstitum conferrentur; Ita ut in hujusmodi electione, Episcopi suffragium non plus iuris aut momenti habeat, quam unus vel graduatorum, nisi vocum paritate occurrente; in quo iteratum Episcopi suffragium hanc vocum paritatem dirimet.* Contigit autem, quòd ultimâ mensis Martij proximè præcedentis anni octuagesimi quinti ex hoc sæculo decesserit Dominus & Magister Ioannes Galotus, unus ex dictis Canonicis in Theologia graduatis, & in dicta Ecclesia Pœnitentiarius, & sic ejus Canonicatu & præbendâ vacantibus, constituto prius die electionis ad secundam mensis Augusti, eoque die ad sextam diem proximè sequentis Augusti prorogato, præfati Reverendissimus Episcopus & reliqui octo graduati superstites, sextâ mensis Septembris procedente ad electionem novi Canonici, in locum dicti Magistri Ioannis per viam scrutinij, sua vota secretò singuli tunc deputatis scrutatoribus retulerunt, & publicato scrutinio compertum est, quod præfatus Reverendissimus Episcopus & cum eo duo alij elegerint Dominum & Magistrum Nicolaum Cousin, Sacræ Theologiæ Licentiatum; duo verò alij elegerint Magistrum Thomam Loups; reliqui quatuor graduati elegerint & postularint Dominum & Magistrum Ægidium Bosman, Curatum de Iamoda, dummodò se qualificatum reddat infra terminum juris per Canones præfixum, habeatque qualitates juxta præscriptum bullæ erectionis dicti Episcopatus Namurcensis requisitas pro hujusmodi Canonicatu obtinendo. Quâ electione sic secretò factâ, & nondum publicatâ, præfati scrutatores videntes eligentium hanc discordiam, interrogaverunt eligentes, an vellent minorem eligentium numerum accedere majori: qui omnes unanimiter responderunt, quòd sic: excepto solo Reverendissimo Domino Episcopo, qui dixit se in hoc consentire, dummodò is, qui excedet in votis, habeat qualitates, juxta præscriptum bullæ erectionis Episcopatus Namurcensis requisitas. Publicatione autem factâ, scrutatores, votis singulorum recollectis, & addito minore numero majori, per organum Notarij declaraverunt, in Canonicum dictæ Ecclesiæ, in locum dicti defuncti Domini & Magistri Ioannis electum & postulatum esse Dominum & Magistrum Ægidium. Quo facto, dictus Reverendissimus Episcopus declaravit, se non velle

nec intendere, illam electionem approbare, tamquam factam contra tenorem bullæ prætactæ. Ob quam causam idem præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus, existimans unius etiam electionem factam de persona idonea, prævalere electioni aliorum in votis excedentium; de persona non qualificata, suo & aliorum, qui præfatum Dominum Nicolaum elegerunt, nominibus, eidem Domino Nicolao de dictis Canonicatu & præbenda cum Pœnitentiaria prætacta providit, eosdemque illi contulit; literis hujusmodi provisionis & collationis, nec non requisitionis ad Dominos Præpositum, Decanum, & Canonicos dictæ Ecclesiæ expeditis: ad quas tamen requisitionis literas præfatus Decanus recusavit dictum Magistrum Nicolaum ad possessionem hujusmodi Canonicatus & præbendæ admittere: cujus recusatione attentâ, idem præfatus Dominus Nicolaus, per suum ad hoc constitutum procuratorem, curavit sibi per Notarium tradi prædictorum Canonicatus & præbendæ possessionem juris: alij verò graduati decreverunt præfato Domino Ægidio literas provisionis, cum insertione clausulæ, *dummodo se qualificatum reddat, iuxta præscriptum bullæ & Canonum.* Occasione hujus contentionis ortâ lite & controversiæ materiâ inter præfatos Dominos Præpositum, Archidiaconum, & alios graduatos Canonicos ex una; & Reverendissimum Dominum Episcopum partibus ex altera; illis præfato Domino Ægidio, isto dicto Domino Nicolao accedentibus, re ad assumptos arbitros ex compromisso delata, & coram illis causa instructa, ad calculum ferendæ sententiæ perducta. Quæritur, utrius electio hic prævalere & confirmari debeat; an Domini Ægidij ex majore eligentium numero; an vero Domini Nicolai à paucioribus, & in effectu à solo Reverendissimo Domino Episcopo electi?

Visis his, quæ proponuntur, excussis quoque actis hujus compromissi, nobis videtur, quòd causa Domini & Magistri Nicolai longè potior sit. Et primùm quidem ex eo, quod Dominus Nicolaus tempore hujus electionis capax fuerit hujus Canonicatus; ob id, quod tempore hujus electionis, & ante illam requisitam, ad obtinendum hunc Canonicatum, qualitatem perfectam habuerit, hoc est, Licentiatus in S. Theologia formaliter & legitimè creatus, ideoque idoneus & dignus ad illud obtinendum fuerit; neque ejus personæ ad constituendam in ea incapacitatem hujus Canonicatus, quicquam ex adverso objicitur: at verò tempore ejusdem hujus electionis, præfatus Dominus Ægidius hanc requisitam qualitatem Doctoratus vel Licentiaturæ in Theologia minimè habuit; & ne quidem adhuc alios inferiores promotionum gradus, sine quibus ad dictum Licentiaturæ gradum promoveri non poterat: quippe Baccalaureus Theologiæ creatus est Lovanij primùm in fine Octobris tunc sequentis, Licentiæ gradum postea sub finem Ianuarij Duaci adeptus: unde manifestum fit, dictum Dominum Ægidium tempore electionis non fuisse qualificatum, secundùm qualitatem in erectione & constitutione horum Canonicatuum requisitam; & sic ad eundem vacantem Canonicatum eligi vel postulari non potuisse, tamquam inidoneum & nondum dignum.

* Vbi enim certa qualitas in quocumque actu aut circa quamcumque personam ad illam habilitandam requiritur, illa nisi adsit & concurrat, impedit actus explicationem, & personæ capacitatem seu habilitatem, *l. Non ignorat & ibi Bart. & Bald. C. Qui accus. non poss. l. Si quæramus De testam.* & quidem nisi adsit tempore, quo actus explicatur: ut nihil sufficiat in tempore actus deficientem qualitatem postea supervenire. Annexio enim seu requisitio certæ qualitatis, ad actus perfectionem, non vero illius aptitudinem pertinet, *Panor. in c. Cum in cunctis §. fin. num. 6. De elect.* † Vnde est, quòd cùm ad testamenti factionem requiratur in testante idonea qualitas ætatis quatuordecim annorum seu qualitas pubertatis, *l. Qua ætate De testamen.* ad hoc, ut testamentum à testatore conditum valeat, non sufficiat illum pubertati esse proximum, nisi etiam impuberis ætatis ultimum diem attigerit; & sic decimum quartum annum compleverit, *d. l. Qua ætate, in fine*: Vsque adeò, ut in illud tempus, quo pubes erit, per impuberem testantem rejecta testamenti conditio, nihilò magis valeat, *l. Ad testium §. 1. ff. De testam.* quia lex qualitatem idoneam personæ testantis requirit, & inspici vult tempus, quo testamentum scribitur, non aliud sequens: sic quod ab impubere conditum testamentum superveniente pubertate, non convalescat propter initium inutile, *§. Præterea vers. nec ad rem Instit. Quibus non est permiss. facere testam.* Ideoque nec militis sine solemnitate juris conditum testamentum, jure militari valet, nisi etiam à militante confectum sit, *l. Titius De milit. testam.* etiamsi tunc id fecit, cùm ad militiam electus erat, & in proximo erat, ut in numeris referretur, *l. Ex eo tempore ff. De milit. testam.* Vnde est, quòd cùm ad obtinendum quodcumque Ecclesiasticum beneficium, requiritur certa & definita in eo, cui providendum est, ætas, eam tunc adesse oporteat, nec sufficiat illam in propinquo esse, aut paulò pòst supervenire, *c. Si eo tempore De rescript. lib. 6. Panor. in c. Dudum n. 8. De elect.* † Et cum Canon, Papa, vel fundatio beneficij, sacerdoti aut presbytero aliquid defert, ut res effectum habeat, requiritur sacerdotium seu presbyterium eo tempore, *Dec. consil. 129. vers. tenui n. 5.* ex regula generali, quod qualitas adjuncta verbo debeat adesse tempore verbi, *l. In delictis §. si damnum ff. De nox. actionib.* † Cùm enim qualitas dispositioni aut actui est annexa, non sufficit adesse aptitudinem, *Panorm. in c. Cum in cunctis §. interiora De election. & in c. Cum accessissent De constit. Barbat. in c. Dilectus De off. legat. n. 19. Calder. consil. 1. De elect.* Vt nec æquum est, ut idem statuatur de eo, qui in via vel accessu seu progressu alicujus rei est, quod de eo statutum est, qui est in illius termino & perfectione, *Alberic. in d. l. Ex eo tempore in fine.* Vnde etiam est, quòd huc proximè pertinet, quòd quæ Licentiato vel Doctori specialiter in dispositione juris vel hominis attribuuntur, non possint his accommodari, qui Baccalaurei dumtaxat sunt: ut rectè ex Baldo docet Angelus, *in d. l. Ex eo tempore*; & illum sequitur Ioannes Imolensis: Baccalaureus enim viam tantùm ingressus censetur ad Licentiam & Doctoratum, *Ioan. de Imola in d. l. Ex eo tempore.*

Et ita

5 Et ita quidem, ut quamvis aliàs cingendus propter vicinitatem & propinquitatem actus sequentis in plerisque pro cincto habeatur, DD. *in l. Filiusfam. ff. De milit. test.* Licentiandus tamen aut Doctorandus, quamvis intra breve tempus pro Licentiato, aut Doctore nullo modo habeatur, nec illorum privilegia usurpare possit: potissimùm quòd sola temporis ratio hîc in consideratione non habeatur, neque illius brevitas sufficiat, sed quod propter cinguli, hoc est, promotionis & tituli collationem, requirantur præcedentes actus examinationum & disputationum, sine quibus Baccalaureus cingendus dici non potest: possunt enim multa intervenire ne admittatur ad ulteriorem gradum, qui ad inferiorem dumtaxat admissus est, *Angel. in d. l. filiusfam.*

Cùm igitur prafatus Dominus Ægidius tempore huius electionis ne quidem perfectè Baccalaureus Sacræ Theologiæ fuerit, nondum ad hoc formatus, sed primùm adhuc formandus, & de facto post electionem primùm in mense Octobri post hanc electionem formatus, non potest dici fuisse in proxima potentia, ut Licentiatus quoque fieret, nondum in inferiore gradu approbatus: cùm alioqui solus etiam formalis Baccalaureatus hanc proximam potentiam non faciat, sed ex statutis & observationibus scholarum, requiratur adhuc ulterioris studij definitum tempus, quod hic Dominus Ægidius non peregit; sed illud antevertendo, & sic in effectu per saltum, si non gradus, saltem temporis, Licentiæ gradum mense Ianuario deinde sequente obtinuerit; non Lovanij, ubi studijs operam dedit, & Baccalaureatum obtinuit, sed Duaci, ubi numquam studuerat, & in cursu promotionis non fuerat; certus quod in anticipatione temporis Lovanij, propter defectum requisiti temporis per illius saltum, hunc gradum obtinere non posset: ita quod proxima potentia adipiscendi requisitum Licentiaturæ gradum in dicto Domino Ægidio non fuerit tempore hujus electionis, nec tunc pro cincto haberi potuerit, qui necdum cingendus erat, nec de eo decretum ut cingeretur, *d. l. Filiusfam.* ad quod etiamsi tunc perfectè perveniisset, nihilo magis capax fuisset, propter vicinam & verosimilem potentiam: non enim sufficit aptitudo ad actum, ubi actus ipse requiritur, *Decius d. consil.* 129. *n.* 5. *Panor. in d. §. inferiora.*

Quod satis agnoscens Dominus Ægidius, incapacitatem ex defectu actus seu præsentis requisitæ qualitatis in tempore electionis, illi ex tenore bullæ Apostolicæ obstare, ad consuetudinis & observationis contrariæ præsidium confugit, allegando & proferendo aliquot exempla, non tantùm ex vicinis Cathedralibus Ecclesijs, ut Leodiensi, & Ruremundensi, sed etiam in hac eadem Ecclesia Namurcensi, de electionibus illorum, qui requisitam qualitatem hanc gradus Doctoratus & Licentiaturæ non habebant, sed factæ fuerunt sub conditione idoneæ hujus qualitatis comparandæ tempore congruo. Verùm quod ad Ruremundensis & hujus Namurcensis Ecclesiarum exempla attinet, ad aliud in proposito non prosunt, quàm ad detegendum abusum & contraventionem illorum, qui terminos bullæ Apostolicæ notorie excedentes, ex defectu per illam requisitæ qualitatis, inidoneos contra tenorem dictæ bullæ eligere, & in sic affectis beneficijs retinere præsumpserunt: ita ut hæc res ad exemplum trahi non possit, non magis quàm judicis iniqua & injusta sententia vel decretum, *l. Nemo* C. *De sentent. & interloc.* cujus effectum habere solet electio, *c. Vt circa De election. lib.* 6. Non enim debet attendi quod fortè non rectè factum est, sed potiùs quod fieri debuit, *l. Sed licet De off. præsid.* † Vnde est, quòd per Pontificem cassetur 6 & irrita declaretur electio ad regularem Ecclesiam seu Prioratum de persona non regulari, *c. Nullus De election. lib.* 6. etiamsi regularis facilè tempore electionis possit fieri: imò etiamsi in habitu Monachali tunc fuerit, & professionem statim expressam facere possit: non obstante præcedenti observatione, quod sæpiùs vacante eodem Prioratu ad illum etiam sæculares clerici electi fuerint, *expressus text. in c. Cum causam De elect.* † Ita quod 7 in hujusmodi tam expressâ contraventione, consuetudo aliqua constitui non debeat vel possit: non enim sequi, sed penitùs eradicare oportet malam consuetudinem, *c. Consuetudo* 8. *dist. Panor. in d. c. Cum causam. n.* 4. & quod contra rationem aliquando receptum est, non debet produci ad consequentiam, *l. Quod verò ff. De legi.* Et quod ab Ecclesia Leodiensi profertur exemplum, rei propositæ non potest applicari: quia non probatur, quòd in Ecclesia Leodiensi ad obtinendum Canonicatum requiratur gradus Doctoratus vel Licentiæ tempore collationis seu provisionis, sed ex adverso per certificationem ab eadem Ecclesia acceptam, & in hac lite exhibitam, constat hujusmodi qualitatem gradus requiri dumtaxat ad hoc, ut quis possit venire & admitti ad residentiam: at in proposito requiritur hæc gradualis seu promotionalis qualitas ad obtinendum aliquem ex his affectis seu qualificatis præbendis. Vnde etiam impertinenter hoc allegatur, quòd per bullam erectionis Episcopatus Namurcensis transferantur privilegia, quæ Ecclesia Leodiensis obtinet: cùm enim hac in parte nullum sit aut saltem esse non probetur in Ecclesia Leodiensi privilegium, quòd beneficia ex certa qualitate qualificata, & qualificatis personis affecta, possint conferri actu non qualificatis, sed in proxima potentia obtinendæ qualitatis constitutis, frustra ab Ecclesia Leodiensi exemplum petitur, aut consuetudinis usurpatio prætexitur: cùm alioqui generalis privilegiorum hujuscemodi concessio non porrigeretur ad casum specialiter notatum, *l. Si servus communis De stipul. servor. l. Cohæredi* 41. *§. qui patrem De vulgar. & pupil. l. Doli clausula* 119. *De verb. oblig.*

Quia igitur in fundatione horum novem affectorum Canonicatuum specialiter per Papam illorum fundatorem ordinatum est, ut illa non nisi graduatis conferri debeant, non potest dictæ Ecclesiæ Leodiensis generalis observatio de aptitudine ad gradum etiam non propinqua, sed remotissima tranferri ad hos Canonicatus sic specialiter qualificatos, sed debet illorum electio regulari secundùm conditionem temporis, quo electio celebratur, *l. Plenum §. equitij De usu & habit.* ut qui tunc sic qualificatus existit, eligi possit; non etiam qui tunc nondum qualificatus est, etiamsi paulò pòst qualificari possit.

8 Et sanè tam constringuntur eligentes ad hujus requisitæ qualitatis observationem, ut non sit in potestate Episcopi, multo minùs eorum, qui illo inferiores sunt, primam beneficij fundationem alterare, aut contra illam vel apertè vel obliquè dispensare, *DD. in d. c. Cum accessissent*; nec hoc efficere, ut presbytero, aut aliter qualificatæ personæ affectum beneficium, ei, qui tempore collationis seu provisionis talis non est, conferri aut de illo ei provideri possit, *Felinus in d. c. Cum accessissent versic. & per hoc dictum, Steph. Bertrand. consil. 329. Illud certissimum n. 2. vol. 4. Cravet. cons. 63. Primum dubium n. 5. vol. 1.* Ita quòd contra formam fundationis facta electio seu collatio ipso jure sit nulla, *Rochus de Curte tract. de iure patronat. in verb. pro eo quod diœcesani, quæst. 15. Cravet. d. n. 5.* potissimùm quia hæc forma & lex per dictam bullam sit data & præscripta à Papa; à qua recedere aut illam dissolvere non potest quicumque illo est inferior, *Clem. Ne Romani. De elect. l. Formam. C. De offic. præf. præt. orientis, Cravet. cons. 170. Proponitur in facto n. 7. vol. 1.*

Relinquitur ergò, quod cùm præfatus D. Ægidius tempore electionis fuerit omninò inidoneus, de eo facta nominatio, & subsecuta electio à scientibus illum talem esse, sit omnino nulla; etiamsi à majore parte Capituli dicatur esse facta, *c. Perpetuo De election. lib. 6. Rochus de Curte in d. tract. De iure patron. in verb. honorificum n. 19. Panorm. in d. c. Cum in cunctis §. ult. n. 6.* præsertim ex eo, quòd sit facta in discordia, *d. c. Dudum d. cap. Cum in cunctis §. clericis, bonæ De elect. Franc. Marcus dec. 1037. part. 1.* De qua dictorum eligentium inidoneæ qualitatis in præfato Domino Ægidio scientia, manifestè hic constat, ob conditionem & modum, quem hi eligentes suæ nominationi & electioni adjecerunt, *si seu modo idem Ægidius se idoneum & qualificatum faceret intra tempus per Canones præfixum iuxta præscriptum dictæ Bullæ.* Plurimùm sane in hujuscemodi adjectione aberrantes: cùm neque per Canones, neque per dictam Bullam, ullum tempus præscriptum sit, in quo seu intra quod electus post nominationem & electionem, requisitas qualitates sibi comparare possit; cùm illas præexistentes, & ex anteriore, non sequente tempore requirat: ita ut quod ex antecedente tempore requiritur, non sufficiat ex sequente supervenire.

Et sanè tantùm abest, ut hæc dicti D. Ægidij nominatio & electio sustineri ullo modo possit ex hac conditionali adjectione, ut etiam ex illa sola
9 tota electio de ipsius persona subverti debeat. † Est enim apertissimo jure constitutum, *in c. 2. De elect. lib. 6.* quòd in electionibus, postulationibus, ac scrutinijs vota conditionalia, alternativa, vel incerta admitti non debeant, sed omninò reprobari & reijci, & sic haberi quasi non data; jure suffragiorum apud alios, qui purè nominaverunt seu eligerunt, residente, hoc est, ut rectè interpretatur Antonius de Butrio, *in d. c. 2. in princ.* potestate eligendi ad alios devolutâ; ita quod ex conditionalibus votis electio non possit sortiri effectum. Non autem sic, quasi rejectâ conditione tamquam nulliter adjectâ, electio ipsa non reddatur nulla; & sic conditionaliter eligentium vota adnumerentur illorum votis, qui purè elegerunt, ut erroneè putat Guido Papæ, *consil. 71. Pro decisione n. 6.* cùm verba constitutionis, *in d. c. 2.* aperta sint, quòd adjecta conditio non tantùm vitietur, sed etiam vitiet ipsam electionem de illo, qui ita sub conditione electus est, *Glos. Ioan. Monachi. Gemman. Anchor. Phil. Franc. in d. c. 2. Luc. Romanus cons. 483. Dubitatur primo. num. 10.*

Cùm igitur hi quatuor eligentes in scrutinio, qui dictum D. Ægidium elegerunt, non purè eum elegerint seu nominaverint, sed sub hac verborum forma, DUMMODÒ INTRA TERMINUM CANONIS REDDAT SE QUALIFICATUM; & sub eadem forma verborum ex hac nominatione per scrutantes facta sit electio & illius publicatio: certum & manifestum est, hanc ex his quatuor nominationibus factam electionem, omnimodò esse conditionalem. † Nam dictio seu particula, *Dummodo*, conditionem potiùs, quàm modum facit; quando refertur ad aliquam qualitatem requisitam in persona pro ejus habilitate; quia habilitas necessario debet præcedere actum, *c. fin. De translat. Episc. c. Quia diligentia De election. cap. Quod sedem De off. iudic. ord. 10. Andreæ in c. Ex tuarum De author. & usu pallij.* Vt etiam generaliter dictio, *Dummodo*, importat conditionem, quando mens loquentis talis est; ut est, quando constat eum aliquid priùs velle impleri, quàm dispositio ejus locum habeat, *l. Cum mota C. De transact. Castrens. in l. Huiusmodi. in princ. Delegat. 1.* Vt est in proposito, in quo constat neminem horum quatuor eligentium fuisse, qui non sub conditione, & in eventum secuturæ qualificationis hunc D. Ægidium elegerit; & qui aliter quàm eâ purificatâ illius electionem ratam esse voluerit. Ita quod indubitatum sit, quod per hujus conditionis adjectionem hic actus electionis horum quatuor fuerit omnino ab initio nullus, *d. c. 2. c. Actus legitimi De reg. iur. lib. 6.*

Ex qua consideratione quoque efficitur, ut non possit sustineri electio Dicti D. Ægidij per hoc, quòd nominatione omnium factâ, ad interrogationem scrutatorum omnes eligentes, excepto Episcopo, dixerint se consentire quòd eligentium minor numerus accedat majori, & quod sic ex tribus illis, qui elegerunt D. Nicolaum, duo videantur per hunc consensum à sua electione recessisse, & suum votum sic tacitè in D. Ægidium contulisse:
* nam & hujus generis votum velut conditionale, saltem ab initio omninò incertum est: quæ in- 11
certitudo perinde vitiat votum, ut adjecta conditio, *d. c. 2.* propter indicij incertitudinem, quæ adhiberi non debet in electionibus. Vnde tradunt omnes, quòd si inter plures eligentes unus dicat se eligere, in quem major pars consentit, non facere numerum inter eligentes: sic quod ipsi non possit prodesse proprium hoc votum, si illo connumerato, aliorum aliquot votis dici possit à majori parte electus, *Anchor. in d. c. 2. n. 1. Everard. Præses. cons. 100. in princ.* In quo certè conspicitur evidens scrutatorum, sive gratia, sive abusus, qui hanc interrogationem non fecerunt ab initio, cùm omnia adhuc incerta erant; sed post omnium nominationem, quando ex illis scrutinium publicandum, & electio finalis facienda seu declaranda erat, & jam jam certò illis constabat dictum D. Ægidium numero votorum superasse; ut sic aliorum accessione eidem D. Ægidio jus indubitatum pareret.

Et

Et quamvis, his omnibus suffragijs semotis propter dictam incertitudinem, & electionem in forma & materia peccantem, solius Episcopi maneat electio, ideoque Dominus Nicolaus in omnem eventum non posset dici electus à maiore parte Capituli, quocumque respectu, sive in comparatione numeri minoris ad maiorem, sive maioris respectu totius Capituli, *c. Ecclesia* 48. *De elect.* rectè tamen, & quidem à toto Capitulo electus censeri debet, † ob id, quòd quatuor, qui D. Ægidium elegerunt, preterquam quod male & reprobato more vota sua conditionaliter, & sic nulliter contulerint, *Panor. in d. §. cleric. nu. 6. vers. unde credo.* scienter quoq; in inidoneum & indignum, hoc est, non habentem requisitam Doctoratus vel Licentiaturæ qualitatem, elegerint seu nominaverint, & per hoc non tantum nihil præfato D. Ægidio prodesse possint, sed præterea se illa vice indignos fecerint, & in illa electione jus voti & suffragij amiserint, *c. Cum in cunctis 7. §. clerici. c. Cum Vintoniensis 25. De elect.* præsertim quia post hanc suam nominationem in illa perstiterint & publicationem in illa scrutatores fieri permiserint, & ex illa D. Ægidium electū esse declaraverint *c. Perpetuo De elect. lib. 6.* Atque ita jus electionis Canonicæ resedit apud illos, qui hunc indignū non elegerunt; hoc est, apud præfatum Episcopū, & duos alios cum eo eligentes, qui in hanc indignitatē non impegerunt; quia quē illi nominaverunt, præfatum videl. D. Nicolaum, omnimodò dignus & idoneus fuit. Et quamvis si non dolo saltem per abusum scrutatorum, à sua prima nominatione aliquo modo recesserit, consentiendo in illum, in quem major pars consentiret, non tamen per id sunt effecti inhabiles ad electionem: sed vel standum est eorum primæ nominationi, in qua nullum conspicitur vitium; vel si ratio habenda posterioris, non ad alium finem id faciendum est, quàm ut propter incertitudinem, illorum quoque sequentia hæc vota reputentur nulla, & ob id nullum D. Nicolao præstiterint impedimentum, *c. Non præstat 54. De reg. iur. lib. 6.* * Ita ut quia nullum vitium conspicitur in voto Reverendissimi Domini Episcopi, sed constans in eo illius perseveratio, ex illo, quamvis unico & solo, potior dici & sustineri debeat nominatio & electio D. Nicolai; cùm etiam unius solius electio, nullo vitio laborans, sufficiat, si omnes alij eligentes indignum scienter elegerint, *Panor. in d. cap. Cum Vintoniensis n. 2.* quasi totius Capituli potestate ad eundem Episcopum delatā seu relictā, non jure devolutionis, sed jure primario: quia Episcopus hanc electionem fecit non ut Episcopus, sed ut Canonicus, *c. Postulastis De concess. præb.* Cùm alioqui potius jus semper stet ex ea parte pro qua stat Episcopus, *Dud. Romanus cons. 366. Quæritur numquid n. 7.*

Nec excusare debet dictos quatuor eligentes, aut ab eis hanc activam indignitatem seu privationem vocis & suffragij, in hac electione avertere, quòd fortè bonā fide putaverant id ita sibi licere, & præfatum D. Ægidium usquequaque non fuisse indignum, propter potentiam adipiscendæ requisitæ qualitatis; nam hic error non est facti, sed juris, cujus ignorantiā nemo regulariter excusatur, *l. In omnibus. Iuris ignorantia De iur. & facti ignor.* & maximè in electionibus, *c. Innotuit & ibi glos. in V. ignorantiam De elect. Barthol. Brixien. Veneral. q. 23.* Cùm igitur sic validè & utiliter facta sit nominatio de persona D. Nicolai, tamquam tunc benè qualificati, quæ etiam ex sola nominatione Episcopi potuit & debuit à scrutatoribus publicari sine ullo alio novo scrutinio ex hoc primo actu, ut rectè tradit Panorm. *in c. Congregato n. 6. De elect.* existimamus ex horum diligenti comparatione causam & electionem D. Nicolai per omnia potiorem, & nominationem seu electionem de persona D. Ægidij ex omni parte nullam & inutilem.

12

13

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio ad Decanatum.

1. *Electus ad sæculare officium quomodo cogi possit.*
2. *Electus ad dignitatem Ecclesiasticam, invitus non cogitur electioni consentire.*
3. *Electus non cogitur electionis suæ confirmationem petere, in quam semel consensit.*
4. *Electus an sua conscientia recusare possit electionem.*

CONSILIVM XIX.

ALIA est ratio munerum civilium, ad quorum administrationem suscipiendam & peragendam quilibet electus per captionem pignorum, & alia juris remedia cogi potest, *tit. ff. De vacat. & excusat. muner.* si non habet vel ex jure, vel ex privilegio immunitatem, vel aliam excusationis causam jure probatam; ideo quòd temporalia, non perpetua sint: * alia dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ qui suscipit, spirituale matrimonium cum ijs contrahit, *c. Cum inter Canonicos 21. De elect.* Ita ut quemadmodum ad carnale matrimonium nemo invitus compellitur, *l. Non cogitur, De ritu nuptiar.* ita nec ad spirituale, *Nic. Everardi in loco à matrim. carn. ad spirituale.* Proinde ut libertas electionis est in eligentibus ad Prælaturam vacantem, ita quoque liber consensus in electo, qui per quamcumque viam jure probatam electus, præsentatā sibi electione, potestatem habet ad mensem usque deliberandi, an oblatam dignitatem acceptare velit, an potiùs illam recusare, *c. Quamvis De elect. lib. 6.* Ideoque in assumendo electo ad dignitatem, ad quam electus est, in conditione ponitur, dummodo electioni de se factæ consentiat, *c. Cum in iure peritus 33. De elect.* * Imò quod magis est, electus non cogitur invitus ad administrationem seu petitionem confirmationis, etiam postquam semel electioni de se factæ consensit, quasi re adhuc integrā, dissentiendi seu renuntiandi juri ex electione ac consensu quæsito sit facultas, *c. Si electio De elect. in 6.* † Quod ex eo manifestum fit, quòd à jure Canonico constitutum sit, jus novæ electionis celebrandæ redire ad ipsum Capitulum, si electus recuset electionem, vel acceptatæ renuntiet, vel debito modo acceptatam non prosequitur petendo illius confirmationem, *d. cap. Si electio.* Vnde est quòd juris Canonici interpretes ad unum omnes in articulo quæstionis, an electus possit compelli ad consentiendum electioni de se factæ, ex sententia

1

2

3

4

Archidiaconi, *in d. c. Sielecto*, resolvant causativè quidem, sed non præcisè quemquam cogi posse ad hujusmodi consensum: hoc est, libertatem dissentiendi esse, sed cum periculo peccati mortalis, si electus temerè, hoc est, cùm in propria conscientia se agnoscit idoneum ad hujusmodi dignitatem, & scit alios in Capitulo idoneos non esse, recuset, *Gemmian. Phil. Francus, Ant. de Butrio & alij in d. cap. Si electio.* Ita quod hac in re post requisitionem tantùm sit locus admonitioni, ne temere recusando peccatum mortale incurrat, sed præcisæ coactioni locus non est: ut sic ad extremum conscientiæ suæ relinquendus sit, non omninò cogendus.

Ex quibus facilè colligent Venerabiles Domini Decanus & Capitulum collegiatæ Ecclesiæ Sancti Petri Lovanienſis, quid respondendum sit ad consultationem & requisitionem Capituli Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Sulpitij Diestensis, super recusatione Domini Francisci Wiggers ad Decanatum dictæ Ecclesiæ electi: nimirum quòd, cùm sic pertinaciter in proposita recusatione perseveret, aliter quàm ad prædictam admonitionem cogi non possit, ut electioni de se factæ consentiat, ideoque nec per suspensionem à perceptione fructuum, aut distributionum quotidianarum, nec per coactionem ad abdicandum suum Canonicatum aut Cantoriam (licet id fortè semel inconsultè se potiùs facturum, quàm consensurum declaraverit, *l. 2. C. Qui bonis cedere poss.*) ad id cogi possit, sed perseverante eo in hac recusatione, per Capitulum procedendum esse ad alteram alterius alicujus de gremio Capituli, si idoneus seu dignus aliquis est, electionem, vel ex alio gremio alicujus alterius postulationem.

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio ad Decanatum.

1. *Electionis forma ex c.* Quia propter 42. De elect. *in quibus dignitatibus locum habeat.*
2. *Electio in dignitatib. sexus muliebris quomodo facienda.*
3. *Mixtus casus an comprehendatur sub simplici.*
4. 8. 10. *Electus sine confirmatione, an quando & quæ administret.*
5. *Electus sine vitio intrusionis potest consentire in electionem.*
6. *Electus in introni sationem condescendere potest.*
7. 9. *Electus ante confirmationem benedicere & iurare potest.*
11. *Electio quid iuris tribuat electo.*

CONSILIVM XX.

VACANTE Decanatu Ecclesiæ Collegiatæ & sæculiaris vtriusque sexus personarum S. Gertrudis Oppidi Nivellensis, per mortem Domini & Magistri Gisberti Gissem illius vltimi possessoris, Præposita, Canonicæ & Canonici constituentes Capitulum ejusdem Ecclesiæ, cupientes ad novi Decani electionem procedere, electâ viâ scrutinij, communiter decreverunt, vt is, in quem plures consentirent, ab omnibus haberetur pro electo; scrutatores ipsos solemni juramento adstringentes, ne vota singulorum alicui revelarent, consuetudini suæ Ecclesiæ etiam in electione Præpositæ novissimè observatæ insistentes, ut omnis discordiæ materia tolleretur. Cùm autem facto huiusmodi scrutinio constaret D. & Magistrum Adrianum Basset ejusdem Ecclesiæ Canonicum à pluribus fuisse nominatum, eiusque assensus à Capitulo per organum vivæ vocis Præpositæ requireretur, concesso ei super hoc deliberandi termino, die undecimâ sequente in electionem de se factam consensit, eamque acceptavit. Vnde tunc Capitulum, ab electo minimè requisitum, eundem ad choros S. Getrudis & D. Pauli respectivè Ecclesiarum deduci, ibidemque installari seu intronisari, & locum Decani in Capitulo ipsi assignari, ac forsan etiam in possessionem hujusmodi Decanatus (prout de prædecessore ejus factū fuerat) eundem poni & induci fecit & mandavit, per organum vivæ vocis Præpositæ prælibatæ: cujus mandatum Scholasticus dictæ Ecclesiæ susceptit, & mox executus est: quo facto; Capitulo adhuc congregato in loco Capitulari, juramentum in libro suorum statutorum præscriptum, & à novo Decano præstari consuetum, idem Capitulum ab electo præstari fecit & recepit. Queritur an electio sit valida & Canonica? An electus dici possit intrusus? An sedere loco Decani in choro vel Capitulo sit administrare, & proinde electus inciderit in pœnam administrantis ante obtentam confirmationem? Et an ad novam electionem procedi poterit antequam ista sit infirmata?

Ad primam quæstionem respondendo dicimus, quòd primo aspectu non videatur hæc electio esse valida; ideo quòd, electâ viâ scrutinij, forma à jure illi per decretum Generalis Concilij præscriptâ, *cap. Quia propter 42. De electio.* non sit observata, sed in pluribus ab ea sit recessum, & potissimùm per hoc, quod ante scrutinium per Capitulares convenerit & ordinatum sit, ut is electus ab omnibus censeretur, in quem plures consentirent, & quòd suffragia seu vota non publicarentur, cùm publicationem illorum dicta Conciliaris constitutio omninò exigat, nec maiore numero suffragantium respectu & comparatione minorum contenta est, sed requirit maiorem & saniorem partem Capituli, quam faciunt duæ partes totius Capituli: ita quod non tantùm non sit servata forma dictæ Conciliaris constitutionis, sed etiam directè subversa.

Verùm in proposito aliud nobis dicendum videtur, ex eo, quòd dicta Conciliaris constitutio suis finibus concludatur, nec extra illos extendatur. 1

† Etsi enim vno ore ferè omnes juris Interpretes hunc juris articulum tractantes hoc admittant, constitutionem illam non tantùm obtinere in Cathedralibus & Regularibus Ecclesijs, quod quosdam voluisse refert Glossa, *in d. cap. Quia propter*, verùm etiā in alijs Collegiatis tam sæcularibus, quàm Regularibus; quasi hæ Ecclesiæ, suo proprio Prælato mortuo, non minùs rectè dici possint viduatæ (ad quas viduatas solas restricta sunt verba dictæ Conciliaris constitutionis, *in d. cap. Quia propter in fine*) quàm Cathedrales; ita tamen hanc extensionem restringunt, *gloss. Abbas, Ant. De Butrio, Panor. & alij, in d. c. Quia propter; Petr. Anchoran. conf.* 51. Con-

51. *Consuetudo quæ habet*, ut obtineat tantùm in ijs aliarum Ecclesiarum Prælatis, qui dignitatem seu Prælationem generalem, hoc est, curam totius Ecclesiæ seu universalem jurisdictionem habent in civilibus & criminalibus, spiritualibus & temporalibus; hoc est in primarijs seu principalibus dumtaxat dignitatibus seu Prælatis: vt qua ratione sic ab omnibus accipitur dicta Conciliaris constitutio in Cathedralibus, ut dumtaxat referatur & restringatur ad Episcopum, minimeque obtineat in ejusdem Cathedralis Ecclesiæ alijs Prælaturis, ut sunt Præpositurę, Decanatus, Archidiaconatus, Cantoria, & alię similes inferiores, *gloss. in d. c. Quia propter*, *Mandagot. in tract. De elect. par. 1. nu.* 21. eadem quoque dictæ constitutionis per justam interpretationem ad alias inferiores Ecclesias facta intentio, limitari & restringi debeat ad solam principalem Prelaturam, & minimè extendi ad alias principali Prælatura inferiores, *Ioan. De Imola in d. c Quia propter*, quæque supra se majorem Prælaturam habent, *Celsus Hugo cons.* 27. *Decidenda est controversia num.* 1. etiamsi aliquam in certis articulis prelationem & jurisdictionem habeant, *Petrus à Braxo Navaren. in suo Directorio facien. elect. c.* 39. *tertiæ partis*, *Bellamer. in d. c. Quia propter n.* 3. *Franc. Marc. decis.* 921. 922. & 926. *part.* 1. ita quod remota necessitate observandæ dictæ formæ per generale Concilium præscriptæ, laxior quoque liberiorque sit electionis potestas quoad formam & modum illius; ut omnis censeatur idonea, quam vel consuetudo Ecclesiæ habet, vel Ecclesiæ statuta, aut eligentium conventio seu decretum antecedens præscribunt, quæ non sit juri contraria.

Cùm igitur in utriusque sexus Collegiata illa Ecclesia Sanctæ Gertrudis Nivellensis principalis & primaria dignitas sit ipsa Abbatialis dignitas, & ad Abbatiam pertineat universalis & generalis prælatio & jurisdictio tam in civilibus quàm criminalibus; in cujus electione ob id etiam observari solet forma dictæ Conciliaris constitutionis; Decanatus verò inferior, quem etiam in eadem Ecclesia præcedere dicitur Præpositura: sequitur, quòd electio, de qua proponitur, non possit dici vitio formæ laborare, cùm formæ certæ ex juris dispositione non fuerit adstricta, sufficiatque illam ritè factam esse secundùm præscriptam à Capitulo & eligentibus formam, quæ reprehensionem non meretur, nec illiciti aliquid habet. Eoque minùs reprehendi aut oppugnari potest, quòd in facto quoque proponatur, consuetudinem & observationem prætactæ Ecclesiæ Nivellensis talem semper fuisse, ut in inferioribus ejusdem Ecclesiæ dignitatibus seu Prælaturis hæc forma electionis, diversa à forma electionis ad Abbatialem dignitatem, servetur; à qua etiam, cùm non sit irrationabilis, nec juri contraria, recedi non posset. Quâ ratione etiam in Cathedralium Ecclesiarum inferioribus Prælaturis electio quoad formam est libera, secundùm ea, quæ prædiximus; quæ tamen cessat, si libertatem consuetudo non habeat, ut in illis observari debeat forma per Conciliarem constitu-
2 tionem præscripta, *Mandagot. d. parte* 1. *n.* 21. † Quæ interpretatio & restrictio in proposito eo proclivius admittenda est, quòd casus propositus exorbitet à terminis Conciliaris constitutionis, quę restricta est ad Ecclesias virorum, ideoque non obtineat in Ecclesijs mulierum, in quibus alia forma à jure præscripta est, *c. Indemnitatibus De elect. lib.* 6. cujus alterius formæ observatio nihilo magis in proposito necessaria fuit; ideo quòd hæc Ecclesia ex utroque sexu constet, atque ita mixtam naturam habeat, ut nec simpliciter mulierum, nec simpliciter virorum dici possit; * eaque ratione 3
rectè dici possit, ad neutrius prædictarum formarum observationem teneri. Cùm enim extet juris dispositio & præscriptum in utroque casu simplici, idque diversimodè; de hoc verò composito seu mixto nihil cautum inveniatur, nec sub alterutro simplicium absolutè comprehendi possit hæc mixtura: magis est, ut hic casus velut omissus relinquatur in priore juris libertate, quæ fuit ante prædictas duas formas, *DD. in l.* 2. *ff. De verb. oblig.* potissimùm quòd in hac Ecclesia potior sit sexus muliebris, apud quem residet principalis seu primaria dignitas, & proxima post eam, Abbatia scilicet, & Præpositura: ut de monasterijs utriusque sexus B. Brigittæ respondit Panormitanus, *consil.* 8. *primò videtur vol.* 1.

Neque hic admittenda est separatio, & in separatione cujusque consideratio; ut cùm de electione Abbatissæ aut Præpositæ agitur, quod fœminino sexui præscriptm est servetur, *d. cap. Indemnitatib.* & vice versâ, cùm agitur de electione Decani, forma Conciliaris constitutionis sit servanda: nam cùm promiscua & communis sit electio, hoc est, ad electionem Decani non tantùm Canonici, sed etiam Canonicæ admittantur, separationis & diversæ considerationis nulla est potestas. Vt nec illud in considerationem venit, quòd Decanus Canonicorum sit caput, & curam animarum cum prælatione & jurisdictione habeat: nam hoc semper verum manet, quòd illa sit inferior, Abbatiali dignitati subjecta, & illi subserviens; minimeque generalis, sed ad certos tantùm articulos restricta: in cujus generis dignitatibus diximus necessitatem nullam esse observandæ dictæ Conciliaris formæ. Concludimus igitur hanc electionem esse validam & canonicam, nec vitio formæ laborare, nec ex ea parte oppugnari posse.

Ad secundam quæstionem respondemus, eam 4
locum habere posse etiam in electione ritè celebrata, & quæ nulla ex parte oppugnari potest, ideo quòd sola electio plenum jus non tribuat, sed sequens superioris confirmatio; quâ non obtentâ, non potest electus manum administrationi dignitatis apponere & illi se immiscere, *c. Nosti. c. Nihil est De elect.* cùm adversus se ingerentem aut immiscentem ante obtentam confirmationem, pœna sit constituta, *c. Avaritiæ. De elect. lib.* 6. non ea tantùm, quòd privetur commodo electionis, sed quòd per hoc habeatur pro intruso, *c.* 2. *& ibi Abbas De restit. in integ. d. c. Avaritiæ*, *Felin. in cap. Veniens vers. quarto electus De accusat.* & sic indignum inhabilemque se faciat ad sequentem confirmationem, nisi eo vitio per superiorem, auctoritatem habentem, dispensatione aliqua purgato & sublato, *c. Cum iam dudum De præben.* Sed in proposito non proponitur, per quod electus, de quo agitur, possit dici aliquid administrasse, quod ad Decanalis dignitatis exe-
cutionem pertineat. † Et sanè quod primò pro- 5
ponitur

ponitur de consensu in hanc electionem & illius acceptationem, ad administrationem nullâ ratione referri potest; quia hæc duo ipsam administrationem necessariò præcedere debent, priusquam de confirmatione agi, aut ad illam contendi possit: imò in conditione conferendæ confirmationis hoc ponitur, si electus in electionem consentiat, *c. Cum in iure peritus* 33. *De elect.* cùm etiam privetur electione, qui in illam intra præscriptum à jure tempus consentire & acceptare differt, *c. Quam sit eod. tit. lib.* 6. Vt nec in eo administrationis aliqua species constitui potest, quòd hic electus post electionem, consensum, & acceptationem, passus sit se in choro intronizari & installari, & sibi lo-
6 cum Decani in Capitulo assignari: * nam & hæc plerumque confirmationem antecedunt, continentque dumtaxat consensus & acceptationis evidentiorem declarationem, ideoque etiam in usu & consuetudine statim explicari solent in die electionis, & in momento declarati consensus. Vnde Guilielmus Mandagotus vetus juris Interpres scribit, *in tract. De elect. parte 1. n.* 35. quòd quamvis non sit jure cautum, quia tamen sic extitit hactenus observatum, debeat electione factâ, *Te Deum laudamus* solemniter decantari, & installari seu intronizari electus, & si præsens fuerit in cathedra collocari: hic quod in proposito fedisse in loco Decani ad intrusionis speciem aliquam referri non
7 possit. * Quinimò quod majus est, si installatus seu intronizatus benedictionem populo dederit, dici non posset administrasse, aut vitium intrusionis incurrisse, *Oldrad. consil.* 246. *Quæstio est, Phil. Francus in d. cap. Avaritiæ n.* 8. *ex sententia Ioan Andreæ ad Specul. tit. De elect. §. consequenter.* Quo etiam fit, quòd verbalis quæcumque possessionis apprehensio, quæ per præmissa constituitur, ad administrationem & ingestionem referri non pos-
8 sit, * quia administratio non consistit propriè in verbo, scriptura, vel signo; sed in reali actu illius, quod nemo sine jure & titulo Prælaturæ post confirmationem agere seu facere potest, disponendo de rebus ad dignitatem & Ecclesiam spectantibus, *d. c. Nosti De elect.* Ideoque constitutio, *in d. c. Avaritia*, pœnalis contra administrationi se ante confirmationem ingerentes, non reprobat aliquem actum, nisi qui jure alioqui priùs reprobatus est: qualis constitui non potest in dicta verbali possessionis approbatione, quæ abusiva est juris magis, quàm facti, *Oldrad. d. consil.* 246. *Hieron. Gabrielius*
9 *consil.* 199. *Vacante Canonicatu n.* 4. * Quamobrem nec in eo, quod progrediendo ulterius hic electus, requirente & exigente Capitulo, juramentum eidem Capitulo præstiterit, administrationis actus constitui potest: nam nihil vetat, quin & hoc confirmationem, tamquam certius præparatorium ad illam, procedere possit; sine quo Capitulum illi etiam confirmato administrationem rerum spiritualium & temporalium Prælaturæ non permitteret: ita ut evidenter inde percipiatur partem administrationis in hoc juramento non consistere, sed velut necessarium aut saltem usitatum antecedens; sic quod satis sit, nullo jure hunc actum ante
10 confirmationem prohibitum esse. * Vnde inter actus administrationis collocatur receptio juramenti à subditis clericis, quam facit electus, *c. Qualiter De elect.* non etiam hæc præstatio juramenti: & ob id expresso jure cautum est, *in can.* 1. *& ult.* VIII. *q.* 3. quod hujusmodi juramentum tam ante, quàm post confirmationem præstari possit, & præstitum nullum faciat impedimentum confirmationi; potissimùm quòd proponatur ita in hac Ecclesia observatum semper fuisse. Quæ observatio etiamsi alioqui hic actus jure improbatus esset, omninò excusaret à vitio, & à pœna intrusionis ex dicta constitutione: idque indubitatè, cùm is, qui prædicta præparatoria consensus, acceptationem, intronizationem, possessionis acceptationem & juramenti præstationem fecit, ulteriùs non progreditur, sed desistit, nec aliter administrat, nec fructus percipit, *Gabriel. d. cons.* 199. *num.* 4. ut in proposito factum esse credimus. Per quę satis etiam expedita est quæstio, quæ tertio loco proponitur.

Quartæ quæstioni insistendum non est: cùm enim in discussione primæ deductum sit, hanc, de qua agitur, electionem validam & Canonicam esse, frustrà quæritur de alia electione facienda; cùm illa fieri non possit, quamdiu prima subsistit, * 11 quia per eam, & illi accommodatum consensum, quæritur electo jus non tantum ad rem, sed etiam in re, ut plerique existimant, *Ioan. Selva in tract. De ben. p.* 3. *q.* 1. revocabile quidem ex causa per superiorem, non etiam per ipsos eligentes, qui jus acquisitum electo per novam electionem tollere non possunt. Hoc tamen obiter addimus, præsupposito, quòd electio esset vitiosa, ad novam electionem trâsitum fieri posse sine præcedenti prioris electionis cassatione judiciali; ideò quod ipso jure nulla sit electio, quæ non observatâ præscriptâ à jure forma facta est, *d. c. Quia propter §. aliter.* Quod latius non prosequimur, cùm hic sit Canonica & valida electio, quam Capitulum omnibus modis tueri debet, & minimè scrupulosè affectare occasiones illam subvertendi & variandi.

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio Ecclesiastica.

1. *Hæreticus vel rebellis semper non est, qui apud hæreticos vel rebelles manet.*
2. *Electionem non vitiat occulta eligentis excommunicatio.*
3. *Electio est pars fructuum beneficij.*
4. *Nobilitas non vitiatur ex ignobilitate matris.*
5. *Nobilitas an & quando amittatur per sordidas artes.*
6. *Mercator quis sit.*
7. *Nobilitas nativitate acquisita filio non perit, si pater postea amittat nobilitatem.*
8. *Ordo ad beneficium requisitus quando adesse debeat.*
9. *Clericus non gestans habitum clericalem quando privetur beneficio.*
10. *Advocationem exercere quomodo possit Clericus.*
11. *Electio Ecclesiastica quo loco fieri possit.*
12. *Electio vitiatur ex defectu citationis omnium, qui eligere debent, & quando non.*
13. *Dismembratio Ecclesiarum & provinciarum privilegia non tollit.*
14. *Instrumenta in actis reperta, si non constat de illorum exhibitione, non probant.*

15. *Electio-*

15. *Electionis & collationis votum datum ante vacationem est nullum.*
16. *Clandestinitas vitiat electionem.*
17. *Vicarius Episcopi an interesse debeat electioni cui Episcopus absens vel mortuus interesse deberet.*

CONSILIVM XXI.

MVLTA in medium ultrò citròque adducuntur tam pro oppugnanda, quàm sustinenda electione, quæ de persona Domini Nicolai Daman V. I. Licentiati tertiâ mensis Septembris hoc currente anno 1585. facta est ad Canonicatum & præbendam in Cathedrali Ecclesia Gandavensi, per erectionem ejusdem Ecclesiæ appropriatam personæ nobili diœcesis illius, in jure Canonico vel Theologia Doctori aut Licentiato; ad eum finem, ut dicta electio per illustrissimum Dominum Archiepiscopum vel irritetur, vel cassetur, vel confirmetur; ut meritò singulæ oppugnationis seu objectionis causæ sint examinandæ & expendendæ, quas vires illæ in hac contentione habeant.

Et ut initium faciamus ab ijs causis, quas putamus vel nihil, vel parum momenti habere, ad infirmandam hanc electionem, in primis objicitur duobus ex his eligentibus, defectus idoneæ qualitatis. Et quidem Domino Guilielmo Valerio dictæ diœcesis Officiali inhabilitas, ex eo, quòd his turbidis temporibus apud hæreticos permanserit, & sic favendo hæreticis in excommunicationem inciderit, *c. Excommunicamus 13. De hæreticis.* ideoque nec activum, nec passivum electionis jus habuerit, *cap. Illa 39. De elect.* Sed ea objectio in re præsenti non sufficit; eo quòd de causa hujus excommunicationis, hoc est, quòd hic D. Guilielmus apud & inter hæreticos resederit, nullo modo constet, & si constaret, cùm nihil proponatur nisi de sola residentia seu commoratione in loco, ubi hæresis viget, & hæretici rerum potiuntur, nihilo magis id sufficeret ad constituendam hujus eligentis inhabilitatem ex vitio excommunicationis; † ob id, quòd sola commoratio Ecclesiasticorum apud hæreticos, si favor & cooperatio cessat, ut plerumque contingit his, qui ob metum amissionis bonorum suorum, aut qui quo se alerent in alia regione non haberent, eos non involvat vel crimini vel contagioni. Vt nec rebellis adversus Principem sæcularem dici potest, qui per tyrannidem vel rebellionem occupatâ republicâ, inter rebelles metu amittendorum bonorum suorum manet, *Thomas Grammat. decis. 18. n. 10. Decius cons. 604. In causa illustri, Hieron. Gratus consil. 5. Thema tale est vol. 1.* Involuntarius enim magis est, quàm voluntarius, qui sic manet; quem ob id Baldus, *consil. 96. Proponitur. vol. 3.* vult dici invitum, seu passivè, non activè rebellem, si non accedat quoque cooperatio in malo, de quo in specie nihil in hac objectione proponitur. Et sæpè magni etiam meriti, & minimè reprehendenda, sed plurimum collaudanda est hujusmodi residentia seu commoratio Catholici sacerdotis apud hæreticos: de qua re extat apud D. August. Epistola ad Honoratum Episcopum *Epist. 180.* Quemadmodum etiam hic D. Guilielmus pro excommunicato numquam per suos confratres habitus, aut reputatus fuit; sed ex adverso pro homine integræ conditionis, cum eo, ut tali, conversando: † 2
ita ut hujusmodi occultæ excommunicationis vitium, si vel hoc subesset, non [illegible] vitiare hanc electionem, *Panor. in c. Veritatis. versic. nunc venio ad secundum membrum De dolo & contum. Felinus in c. Si vero De sent. excommun. Steph. Bertran. cons. 74. Si dominus Petrus vol. 1. parte 2.*

D. & Magistro Carolo vander Varent objicitur defectus juris in Canonicatu, quem in dicta Ecclesia obtinuit, ex defectu requisitæ ad illum qualitatis; quod scilicet non existat Doctor aut Licentiatus Decretorum, sed duntaxat in Jure civili. Cæterùm nec de hac objectione extat aliqua probatio, & verosimilitudinem nullam habet; ob id, quòd sit, diuque fuerit in hujusmodi Canonicatus possessione, scientibus & patientibus alijs collegis, alios simili modo appropriatos Canonicatus possidentibus; quos non est verosimile illum electuros fuisse, si requisitam qualitatem non habuisset. Et consideratio dictæ indubitatæ possessionis hoc efficit, ut quemadmodum propter illam jus & facultatem percipiendi fructus præbendæ seu Canonicatus habet, ita quoque jus electionis & collationis, quod illi annexum est: electio enim & collatio inter fructus prælaturæ ac beneficij computantur. † Ideoque, ut vacante prælaturâ 3
seu beneficio fructus durante vacatione percepti servari debent futuro successori, ita quoque collationes beneficiorum, quia fructuum loco habentur, *cap. Illa Ne sede vacan. c. Quia sæpe De election. lib. 6. Clem. penult. eod. tit. glos. in cap. Cum olim De maior. & obed. & in c. Sicut nostris De iureiur.*

Personæ electi objicitur, quòd requisitam qualitatem nobilitatis non habeat; utpote natus ex patre mercatore & navicularìo, & matre plebeia. Sed contraria probatio, quàm electus sufficienter fecit, de Nobilitate nominis & familiæ de Daman per arma & usum armorum ejusdem familiæ, per connubia cum nobilibus, per exercita officia publica per solos nobiles exerceri solita, facilè discutit hanc objectionem, accedente præsertim confessione illius, qui hanc objectionem fecit, per quam confitetur M. Nicolaum gerere nomen patris nobilis familiæ. † Quam ex patre acceptam 4
nobilitatem non contaminat plebeia conditio matris dicti M. Nicolai: nam nobilitas etiamsi augeatur & illustrior reddatur ex nobili conditione matris, ex eadem tamen matris ignobilitate non efficitur ejus filius ex nobili patre natus ignobilis; quia ex legitimis nuptijs natus, quoad familiam, dignitatem, & nobilitatem personæ sequitur patrem, non ventrem seu matrem, *l. Cum legitimæ ff. De statu hom. & ibi elegans glossa, l. Liberi in fine ff. De Senatoribus.*

Sed nec illud in consideratione habendum est, 5
quòd pater dicti M. Nicolai dicatur fuisse Mercator & navicularius de collegio seu ministerio navicularjorum; & quòd navicularjorum & mercatorum munus sordidę artis sit, *l. 2. C. De prædijs & omnib. reb. navicul. lib. 11.* & per exercitium sordidarum artium amittatur semel ex origine, vel ex privilegio acquisita nobilitas, *l. Ne quis C. De dignit. lib. 12. l. Nobiliores C. De commer. & mercat.* ob id, quòd non constet, neque etiam satis allegetur,

getur, quòd pater D. Nicolai naves aut mercaturâ exercuerit; sed hoc tantùm, quòd in sua vita vsus sit privilegio sui ministerij, ut francus nauta in civitate Gandavensi, sicut videre licet ex injuratis testimonijs seu certificatione & subscriptione sex personarum sic de statu & conditione quondam Nicolai Daman Patris dicti M. Nicolai attestantium: sordidarum enim artium reale exercitium, non jus collegij aut immunitatis, vel privilegium illius, tollit seu contaminat nobilitatem, *Iacobus Mandellus cons.* 43. Vsque adeò, ut si quis verè aliquando exercuerit artes sordidas, interea quàm exercuit amittat quidem privilegia nobilitatis, quæ tamen recuperat, si ab ijs desistat, *l. 2. in princ. ff. De Decurion. Guido Papæ decis.* 196. *Tiraq. De nobilit. c.* 27. *nu.* 5. *Chassan. ad consuet. Burg. Rub. bric.* 4. *des droicts & appartenances à gens mariez* § 1. *ad Ventre gene nobles, nu.* 31. Ad exemplũ clerici mercatoris seu negotiationẽ exerentis qui propter hujusmodi exercitiũ tantisper privatur privilegio clericali quàm illi insistit, sed desistendo illud recuperat *c. fin. De vita & honest. Cleric.* † Cùm etiam mercator seu negotiator non dicatur, nec mercatorum aut naviculariorum privilegijs gaudeat, qui tantùm matriculæ seu albo illorum adscriptus est sed, qui re ipsa actus mercantiles seu nauticos exercet; ut expresso jure cautum est & in mercatoribus & in naviculariis. *l. Qui sub prætextu* 9. *C. De sacros. Eccles. l. Semper* §. *quibusdam ff. De iure immunit.* Eoque pertinet Divorum fratrum Græcum rescriptum, *in d. l. Semper* §. *divinitus*, quo responderunt, quod *licet in corpore seu collegio naviculariorum quis sit, navem tamen vel naves non habeat, nec omnia huiusmodi corpori seu collegio congruentia habeat seu faciat, non posse uti privilegio navicularijs indulto.* Oportebat itaque ad contaminandam vel obfuscandam dicti M. Nicolai nobilitatem ex actu paterno specialiter allegare & probare, quòd idem pater tota sua vita usque ad mortem perseveraverit in exercitio mercantili aut nautico. * Imò & hoc præterea, quòd idem pater in hujusmodi actu seu exercitio fuerit tempore nativitatis ejusdem M. Nicolai. Si enim eo tempore talis non fuit, statim in momento nativitatis ipsius in eum transfusa fuit patris nobilitas, non ex privilegio, sed ex genere obtenta, & per stemmata de gradu in gradum derivata, *l. Senator C. De. dignit. lib.* 12. *l. Senatoris filius ff. De Senatorib.* quę semel illi acquisita, ob quamcumque postea supervenientem patri calamitatem, sive ex casu, sive ex eius delicto, nec tolli nec labefactari debet vel potest, §. *sed etsi quis versic. quia non debet calamitas Instit. De ingenuis. l. Crimen.* 26. *ff. De pœnis.* Præsertim quoad honores & dignitates, *l.* 2. §. *nullum ff. De decurion.* Quinimò amplius dicimus, quòd quamvis pater ad liberos suos, ante obtentum privilegium natos, non transmitrat nobilitatem per eum ex privilegio acquisitam, si semel illam ex quacumque causa amiserit; transmittatur tamen, & filio non adimatur illa quæ per patrem primùm acquisita non est, sed quæ illi à genere seu gentilitio jure tributa fuit, ut eleganter rescriptum est ab Alpheno Iureconsulto, *in l. Eum qui vers. quæ verò non à patre. ff. De interdict. & relegat.* & ab Andrea Tiraquello diligentissimo omnium eorum, quæ ad nobilitatem vel sustinendam, vel tollendam quoquo modo pertinent examinatore, comprobatum, *in tract. De nobilitate c.* 35 *nu.* 3. Cùm igitur hæc nobilitas familiæ Daman, & eius arma gentilitia sint antiquissima, illiusque initia superent omnem hominum memoriam, & exstitisse vltra ducentos annos satis probatum sit, frustrà objicitur hæc patris sui qualitas ex mercantili aut navicularia conditione, ad vitiandam seu impugnandam hanc electionem.

Prout etiam, frustrà impugnatur ex eo, quòd M. Nicolaus, post factam hanc de sua persona electionem habitum laicalem non deseruerit, sed in solito laicali habitu perseveraverit, & præterea in Concilio Flandriæ Advocatum gesserit; quasi ex eo inferri possit, quòd animum ad ecclesiasticum statum progrediendi non habuerit, & se hâc electione dignum non fecerit: † nam cùm constet eum esse clericum tonsuratum, ex literis suæ 8
tonsurę clericalis exhibitis, capax fuit huius Canonicatus, *Cum adeò & ibigloss. penul. De rescrip. cap. Ex literis De transact.* etiamsi is in Cathedrali Ecclesia sit constitutus. Vsque adeò, ut nec talem adeptus, cogatur majores aliquos ordines suscipere, nisi aliquis eorum hujusmodi Canonicatui, vel ex fũdatione vel incũbentis divinij officij necessitate, sit omninò annexus: ut etiã decretis sacri œcumenici Concilij Tridentini est constitutum, *Sess. 12. c. 4 De reform. & Sess.* 24. *c.* 11. *De reformat.* Imò etiam tunc, cùm aliquis ex majoribus ordinibus ad retinendum hujusmodi Canonicatum requiritur, non est necesse, in eo ordine esse eo tempore, quo talis Canonicatus acquiritur; sed sufficit eum in ea ætate esse, ut possit talem ordinem intra annum, seu intra tempus à jure constitutum acquirere, *d. Sess.* 24. *cap.* 12. * Et quamvis clericus in clericali habitu sese gerere debeat, non gerenti tamen non 9
est imposita pœna privationis beneficij vel officij Ecclesiastici; multò minùs incapacitatis ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum: sed dumtaxat pro prima pœna suspensionis à clericali officio, & beneficio Ecclesiastico, illiusque fructibus, non ipso jure, nec statim, sed post reprehensionem, admonitionem & mandatum Ordinarij, *Clement. 1. De vita & honest. Cleric. Conc. Trident. Sess.* 14. *cap.* 9. *De reformat.* Cùm alioqui nec proponatur, nec constet, quod laicali habitu M. Nicolaus utatur, qui clerico non conjugato minus congruat secundùm sacros canones, *c. Clerici officia De vita & honest Cler.* sed magis præsumptio sit, ipsum in decenti & togato habitu incedere, cùm proponatur esse inter Advocatos in Concilio Flandrię, qui ex consuetudine & statutis Curiarum semper seu plerumque solent esse togati, & togatorum nomine honorari, *l. vlt C. De postul. l. Nequis l. Si quis De togatis C. De advocat. diver. Iudic.* * Quod quidem officium & functio Advocationis ipsum M. Nico- 10
laum per se inhabilem aut incapacem ad obtinendũ hoc officium non facit; quia advocationis officium exercere etiam coram judice sæculari, non est clericis simpliciter dumtaxat tonsuratis, in nullo majore ordine constitutis, prohibitum, nisi etiam Ecclesiasticis stipendijs sustententur, *c. 1. & ibi gloss. in V. stipendijs. De postulan.* Cùm ergo non allegetur, quòd M. Nicolaus stipendia aliqua ab Ecclesia habeat, nullam irregularitatem aut inhabilitatem

litatem contraxisse dici potest ex solo exercitio advocationis; quod per se tam laudabile est, & maximis præconijs extollitur & commendatur, *l. Advocati C. De advoc. diverf. iudic.* Quod quidem advocationis officium ante susceptum, ob id deserere non debuit, nec se omninò ad statum Ecclesiasticum, & vitam Canonicam convertere, ob solam hanc electionem, per quam etsi jus ad rem, non tamen plenum in re adhuc acquisivisse dici potest, ante illius confirmationem, nec ante lapsa tempora, quibus electio adhuc impugnari potest, *c. Transmissam De elect. gloss. in c. Quanto 63. distinct.* Vt merito ante confirmationem, seu lapsa tempora impugnandi electionem, non cogatur priorem vitæ statum mutare, & se in totum Ecclesiasticæ seu Canonicæ vitæ conformare.

Objicitur quoque huic electioni, ex vitio formæ, quòd sit celebrata in privata domo præfati Officialis, non in Capitulo aut alio decenti loco prætactæ Ecclesiæ: sed nec hæc objectio ad illam
11 irritandam sufficit. * Etsi enim plerisque locis mentio fiat de electione; modò in Ecclesia, modo in Capitulo, modò in Choro facta seu facienda, *c. Cum terra 14. c. Considerauimus 10. De elect. gloss. 2. in cap. Qua fronte. De appell. Lud. Roman. consil. 551. Quæritur primo. n. 19.* nullus tamen extat locus, in quo pro formâ necessaria seu substantiali præscribatur, quòd in Ecclesia, aut alio illius loco fieri debeat, vel quòd alio loco facta electio, nullius sit momenti vel irritanda: ita ut quocumque loco honesto facta, si aliud non adsit vitium, ratione congrui loci impugnari aut cassari non possit, *Mandagotius in tract. De elect. cap. 20. Petrus de Bluxo in suo directorio elect. part. 3. cap. 13.* præsertim si ex consuetudine extra Ecclesiam celebrari aut fieri soleat, *Panor. in c. Quod sicut n. 2. De elect. Franc. Marcus q. 97. n. 2. parte 1.* Quod in electione horum novem appropriatorum Canonicatuum facilius admittendum est; ob id, quòd hæc electio non pertineat ad omnes dictæ Ecclesiæ Canonicos Capitulares, sed dumtaxat ad Episcopum & reliquos novem hujusmodi appropriatos Canonicatus possidentes: ita ut tanto facilius quemcumque locum honestum ad eligendum sibi constituere possint, cùm ad illos solos in ea qualitate pertineat; & in ipsa Ecclesia, vel illius Choro aut Capitulo, ad quæ omnibus alijs de gremio ejusdem Ecclesiæ patere debet accessus, facilè turbari aut interpellari posset actus electionis. Satis igitur est, quòd hæc electio sit facta in honesto, aperto, minimeque abstruso aut clandestino loco, ut excusetur à vitio clandestinitatis, quam jus in electionibus improbat, *cap. Quia propter §. fin. De elect.*

Restat impugnatio hujus electionis ex omissa citatione seu requisitione Domini Petri Laræi qui
12 nus quoque est inter hos sic qualificatos Canonicos: quæ sanè potens admodùm est ad subvertendam totam hanc electionem, etiamsi cætera omnia vitio careant. † Nam ad electionem Canonicam vocandi sunt solemniter omnes, ad quos electio quoquo modo de jure vel consuetudine spectat seu spectare potest: non tantùm in loco vacantis Ecclesiæ seu beneficij præsentes, sed etiam absentes in eadem provincia, *c. Coram 35. De elect.* nisi consuetudo extet in contrarium, *c. Cum in Ecclesijs & ibi gloss. De præben. lib. 6.* quippe omissa hæc citatio seu vocatio absentium, etiamsi unus tantùm sit absens, inducit absentium seu absentis evidentem contemptum: unius autem contemptus plus obest factæ electioni, quam multorum contradictio; *d. c. Quod sicut c. Venerabilem 34. cap. Bonæ 36. De elect.* Cùm igitur evidenter constet, hunc Dominum Petrum absentem non fuisse citatum, & si non apertè constaret, non citatum esse præsumeretur, *gloss. in d. c. Quod sicut 28. in V. vocatos.* infirmanda omninò est hæc sic facta electio, *in d. c. Quod sicut:* Et sic nihil solici nobis occurrit ex quo à vitio in forma commissa, hanc electionem excusare possimus; præsertim cùm de contraria aliqua consuetudine non constet: sed ex adverso constet generalem illius provinciæ, sicuti & totius Regni Franciæ consuetudinem esse, quòd absentes vocari debeant ad electionem, ut testatur Pontifex, *in cap. in Genesi 55. De elect.*

Et quamvis eadem provincia per transactionem 13
inter Carolum Quintum Imperatorem & Franciscum Primum Regem Franciæ pridem fuerit dismembrata à Regno Franciæ, & ab illius superioritate & obedientia subtracta, jura tamen, privilegia, & consuetudines, quas priùs ante dismembrationem habuit, non amisit, sed retinuit. Vt in illa celebri divisione & dismembratione Archiepiscopatus Tholosani, & erectione plurium novorum Episcopatuum constituit Ioannes vicesimus secundus Papa, *c. Salvator. De præben. in Extravag. communib.* ut scilicet decilæ seu dismembratæ Ecclesiæ ab alia retineant privilegia & jura, quæ ante decisionem & dismembrationem habebant. Vnde etiam est, quod quæ Regi Galliæ in suo Regno ex privilegio competunt jura regaliorum, Regi quoque Catholico nunc competant in Ecclesijs provinciarum à superioritate Regis Galliæ dismembratarum, & Regi Catholico appropriatarum, *Arnulph. Rufæus in tract. De iure Regal. in 5. parte præfat. Carolus de Grassalijs lib. 2. De Regalibus Franciæ. cap. 1.* Quod extra dubitationem est in privilegijs & juribus realibus, quæ Ecclesijs ipsis, non personis certis adhærent, ut latè in similibus terminis respondit Oldradus, *cons. 267.* Divisio enim & dismembratio hæc, ut inquit Guilielmus de Monte Lauduno, *in c. Sedes Apostolica De conceff. præbend. in Extravag. Ioan. XXII. in V. remansissent,* operatur tantùm effectum pro quo facta est; nec ad alia se extendit, nec in alijs casibus præbet præjudicium alicui, sed juvamen: ita enim fieri intelligitur locorum ordinatio, ut singulis sua jura serventur inviolata, *c. Quia monasterium, in fine De relig. domib. Rebuff. in praxi benef. parte 1. tit. De erect. in collegiat.* Proinde ut ante dismembrationem Episcopatus Tornacensis & erectionem hujus Episcopatus Gandavensis hæc consuetudo vocandi absentes ad electionem vigebat, ita quoque nunc adhuc vigere censetur. Quod vitium contempti seu non specialiter vocati illius D. Petri non removetur nec excluditur per hoc, quòd inter instrumenta Reverendissimo Domino Archiepiscopo transmissa, reperiatur notariale instrumentum sub data decimæ septimæ mensis Iulij anno 1580. quo continetur procuratorium seu mandatum D. Cornelio vander Haghe, uni ex

dictis appropriatis Canonicis per præfatum D. Petrum datum, ad speciàliter eligendum ad hunc controversum Canonicatum M. Ioannem Martini; ob id, quòd non constet hoc instrumentum tempore electionis, aut ex ea factæ collationis, fuisse reseratum aut exhibitum. Prout etiam nemo ex Dominis Canonicis, qui huic electioni interfuerunt, de hoc procuratorio exhibito vel reserato deponit; præter Dominum Valerium, cui soli hac in re credi non debet, eoque minùs, quòd is hujus contemptus, & hac in parte vitiosæ electionis & auctor & director fuerit: potissimùm quòd præfatus Dominus Cornelius sic, ut asseritur, constitutus Procurator, nihil de hoc procuratorio deponat.

Quamvis igitur dictum Procuratorij instrumentum à falsitate excusari, & veritatem continere præsupponi possit; nullius tamen momenti est, ad eum effectum, ut per id huic electioni effectualiter interfuisse dici possit D. Petrus: ob id, quòd non constet illud præfato D. Cornelio, aut in Capitulo fuisse exhibitum. De qua tamen exhibitione per acta constare deberet; nec sufficere posset illud casu, vel ex calliditate alicujus inter instrumenta seu acta Capitularia inveniri, nisi etiam de reali exhibitione illius debito tempore facta appareat: nam sine hujusmodi reali exhibitione tempore debito in actis registrata, constare nequit
14 de voluntate partis, an eo verè uti voluerit.

Vnde est quod instrumenta quæ in actis judicialibus seu in illorum sacco, vel apud Notarium causæ inveniuntur, si non constet de illorum formali exhibitione, nihil probent, & ad causam sint inutilia, *Innocent. in cap. Quoniam contra falsam n. 4. De probat. Ioan. de Amicis cons. 137. Redemptoris, n. 4. Celsus Hugo consil. 46. Ex meritis n. 5.* Sed & si constaret de illius reali exhibitione in momento faciendæ electionis coram eligentibus facta, nihilo magis prodesset; eò quod non illud etiam constet, præfatum D. Cornelium hujusmodi mandatum susceptisse, atque eo susceptio, secundùm tenorem illius, personam D. Ioannis Martini elegisse. Mandatum enim sine ipsius susceptione per constitutum mandatarium facta, nullius per se momenti est, cùm nemo mandatum suscipere teneatur, & non nisi susceptum exequi cogatur, §. *Mandatum instit. De mandato. l. Invitus C. De procurat.* Quod minorem habet dubitationem ex eo, quòd præfatus D. Cornelius in hac electione non elegerit præfatum D. Ioannem Martini (de quo solo præcisè loquitur mandatum per relationem ad clausam & obseratam scedulam votum dicti M. Petri de persona M. Ioannis continentem) sed M. Simonem. Vnde evidenter constat, quod hoc mandato uti noluerit; prout nolle jure illi permittitur, *cap. Si quis iusto §. Absens De elect. lib. 6.* & si uti voluisset, seu uti voluisse constaret, adhuc non sufficeret hujusmodi mandatum, nisi etiam constitutus procurator, post acceptas literas mandati, personam in obserata scedula nominatam, ipse quoque in electionis momento illam nominando, nomenque ejus exprimendo, hujusmodi mandatum fuerit exequutus: nam mandatum de nominando seu eligendo etiam certo homine, non est nominatio seu electio; & sic apertura ipsa hujus voti seu obseratæ scedulæ votum continentis, per se nullo modo sufficit, *gloss. in d. §. absens. in V. votum & in V. exprimendum.* imò quod amplius est, hoc addimus, hujusmodi mandatum seu procuratorium per se nullum, & prorsus inutile fuisse, & consequenter vel multò magis dicti voti expressionem in prætacta obserata scedula comprehensam; ob id, quod illa contigerit decimâ septimâ Iulij, quo die nondum vacabat hic Canonicatus; sed vacatio illius, per resignationem procuratoris ad hoc constituti, primùm contigerit decimâ octavâ dicti mensis Iulij: ita quod ex hujusmodi procuratorio argui vel dici non possit, præfatum D. Petrum tempore dati mandati, & conscripti voti, habuisse scientiam vacantis hujus Canonicatus, sed erroneam dumtaxat opinionem; ut de illius contemptu dubitari non possit, ideoque idem M. Petrus postea de hujusmodi contemptu & nullitate dictæ electionis meritò protestatus fuerit. Nec potest hujusmodi procuratorium aut votum dicta die decima septima Iulij datum, trahi ad futuram vacationem; ob id, quod præcisè loquatur de vacatione præsente tunc existente, non de futura: ut verba præsentis temporis non trahuntur ad futurum, *l. Si à colono 89. De verb. oblig.* licet futura faciliùs trahantur ad præsens ac præteritum, *l. Verbum oportebit 8. l. Verbum erit 123. De verbor. significat.* 15

Quia igitur hoc Domini Petri votum factum est ante vacationem hujus Canonicatus, pro nullo est: ut nulla etiam est collatio beneficij ante debitum tempus, & præsertim ante illius vacationem, facta; sic quidem nulla, ut postea sequutâ verâ vacatione, non convalescat, *cap. 2. De præben. libr. 6. Boerius dec. 70. Rebuffus in praxi benefic. tit. De devol. n. 32.* Quinimò citatio ad faciendam electionem facta ante vacationem beneficij, est ipso jure nulla, *d. c. Bone 34. De elect.* & per consequens constitutio procuratoris per absentem ad faciendam electionem facta. Sic quòd inexcusabiliter constet hanc electionem, contempto M. Petro factam, 16
omnimodo esse vitiosam. * Eoque magis quod in illa facienda, affectata sit per præfatum D. Valerium satis manifestè clandestinitas, *cap. Quia propter §. ult. De elect.* non per hoc quòd in privata sua domo facta sit (id enim superiùs excusavimus:) sed quòd per collegas jus electionis habentes, antea non statuto termino seu die quo electio fieri debebat, sua solius auctoritate, ex abrupto & præcipitantius, horâ non satis congruâ, nullo justo temporis intervallo interposito vel dato, eadem pene hora facta sit electio, quâ citatio; & hæc quidem non per Capituli ostiarium aut alium officiarium, nec per aliquem Notarium, sed per proprium ministrum, non indicata causa, ob quam illa hora tam præcipitanter ad domum Domini Valerij vocarentur; non obstante etiam contradictione duorum vocatorum, videlicet Domini Ioannis Archipresbyteri, & Balduini; utroque contendente tunc adhuc differendam esse electionem, & horum altero ante factam per reliquos quatuor hanc electionem, recedente. Quæ clandestinitas augetur etiam ex eo, quòd hæc prætensa electio facta sit, nullo adhibito Notario, duobus post eam factam primùm adhibitis, in publicatione hujus

electio-

electionis, & collationis ex hac tali electione per eos factæ; prout hi testes interrogati aperte testificantur. Ex his enim & similibus causis inducitur vitium clandestinitatis, imò nullitatis factæ electionis, *Mandagot. in tract. De elect. c. 3. & multis aliis. Pet. De Biaxo in Directorio elect. c. 4. & 6. tertia partis.* Quæ latiùs demonstrare necesse non est; cùm absit unicum vitium contemptus, quod per se solum sufficit, etiamsi alia plura objecta facilè discutiantur: in concursu enim plurium vitiorum seu impedimentorum, vis vitiandi & impediendi actum manet, quamdiu omnia sublata non sunt, vel unum dumtaxat supereſt, *cap. 2. De filijs presbyt. lib. 6. l. Si non lex 83. De hared. instit. l. Si domus De servit. urban. prad.* Quotquot enim sunt impedimenta seu vitia, tot debent illorum esse sublationes, ut actus valeat & effectum consequatur, *l. De pupillo 5. §. si in pluribus 16. De novi oper. nuntiat. glos. in c. Cum pro causa. in verbo, tamquam excommunicatum De sent. excommun.*

Vnde etiam scrupulosius discutiendum non est, anne hanc electionem etiam vitiet contemptus Domini Decani dictæ Ecclesiæ & Vicarij vacantis Episcopatus, qui præsens ad hanc electionem citatus non fuit; sufficit enim, ut diximus, vel unum præfatum D. Petrum solum esse contemptum, *d. c. Bona.* * Quamvis alioquin hic articulus, an Vicarius Episcopi eo vivente, vel eo mortuo, per Capitulum continuatus, aut pro administratore constitutus, electionibus, quibus Episcopus interesse debet vel potest, absente vel mortuo Episcopo, adhiberi seu admitti debeat, per omnia non sit expeditus; & facilius sustineri fortè posset cum hoc temperamento, ut si alij eligentes velint admitti possit, sed ijs invitis se electionibus ingerere non debeat; ob id, quòd ut collationes, ita quoque electiones sint inter fructus ipsius Episcopatus, uti superiùs dictum est: ideoque ut vacantium beneficiorum collatio ad Vicarium non pertinet sive vivo, *c. ult. De offic. Vicarij lib. 6.* sive mortuo Episcopo & Ecclesiâ vacante *c. Illa, Ne sede vacante*; ita nec electio, cujus jus personæ cohæret, nec generali mandato mandatum intelligitur, *d. c. ult.* Quod tamen pro certo & indubitato non statuimus, cùm hæc quæstio sit extra necessitatem propositæ rei, & resolutionis ejusdem. 7

Concludendo itaque existimamus, hanc electionem esse ex forma, non ex inidoneitate aut indignitate personæ, vitiosam; & ob id ad aliam ritè, & legitimo modo de novo faciendam, per eosdem etiam eligentes, vocatis omnibus absentibus, progrediendum esse: priùs tamen per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum cassatâ & irritatâ hâc priore electione per declaratoriam sententiam, quòd hæc electio sit & fuerit vitiosa, & ob id irritanda ac cassanda, illâque sic irritâ & cassatâ, permittendum electoribus, ut ad novam seu aliam faciendam ritè, debitè, & legitimè procedant: nam sine præcedente hac declaratoria sententia, cassatione, seu irritatione hujus prioris electionis, non posset sine nullitatis vitio procedi ad aliam seu novam, *c. Auditis 29 c. Super eo 12. c. Consideravimus 10. De elect. Petrus de Biaxio in d. Directorio cap. 5. Partis prima.*

In qua nova electione iterum haberi poterit ratio præfati M. Nicolai in priore electi; ob id, quòd illa prior cassata & irrita non ex vitio personæ ipsius, cùm, ut superiùs diximus, per omnia integram & idoneam habeat qualitatem; sed ex vitioso modo seu forma sic factæ electionis, ut aperto jure decisum est, *d. c. Super eo. De elect.* Poterit etiam in eadem haberi ratio D. Ioannis Martini; quia electio nova, cassatâ hâc priore, omnimodò quoad quosvis idoneos & qualificatos libera erit, nec ullo modo frenum aut vinculum injectum habebit ex priore electione quoad personam M. Nicolai inutiliter facta. Cui D. Ioanni hac in parte obstare non poterit quòd in eadem Ecclesia jam sit Canonicus: quia licet nemo in eadem Ecclesia & sub eodem tecto retinere possit plura beneficia etiam simplicia; obtinere tamen & acquirere successivè potest diversa, sic tamen ut uno obtento, si alterum ei conferatur, ipso jure vacet prius, possitque posterius tantùm retinere, *cap. Literas De concess. prab. Clem. fin. eod. tit. c. 1. De consuetud. lib. 6. Frederic. de senis consil. 120. Quæsitum est in fine.*

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio Religiosi ex alio Monasterio.

1. *Religiosus quomodo possit eligi & transire ad alterius monasterij Prælaturam.*
2. *Religioso ad aliud monasterium electo necessaria est superioris sui licentia.*
3. *Religioso ad alterius monasterij Prælaturam electo quando superior denegare possit licentiam.*
4. *Religioso electo, ut superior præstet transeundi licentiam, per quem cogi possit.*
5. *Religiosus electus petere potest superiorem cogi ad præstandum licentiam.*
6. *Religioso electo transeundi licentiam præstare potest Prælatus electus nondum confirmatus.*

CONSILIVM XXII.

CERTVM est Religiosum unius monasterij posse eligi in Abbatem alterius monasterij quod est ejusdem religionis & habitus, *c Constitutis 47. De electio. Clemen. 1. De elect. c. Si religiosus. De elect on. lib. 6.* * sed non potest hujusmodi electio effectum sortiri, nisi sic ex altero monasterio electus Religiosus, vel ipso, vel electoribus instantibus, priùs petat & obtineat licentiam, quòd possit hujusmodi electioni consentire, & intra tempus à jure definitum consentiat, *d. c. Si religiosus*: quâ præcedente licentiâ opus non habet, si ad proprij sui monasterij prælationem eligatur, *Archidiac. in d. c. Si religiosus in princ.* Et ita quidem hæc præcedens licentia requiritur, ut si sine ea electus Religiosus electioni propriâ auctoritate consentiat, electio evacuetur, & electoribus ipso jure competat potestas aliam electionem faciendi, *cap. Si religiosus in Extravag. commun. De electionib.* Sic ut plerique existiment sequentem licentiam superioris, non expurgare vitium consensus ante licentiam per Religiosum præstiti; cùm sic illicitè præstando,

ipso jure privetur jure electionis; quo sublato confirmatio nulla ex sequente licentia sequi potest, *Dominic. in d. c. Si religiosus n. 8. De elect. lib. 6.* Proinde sequitur quod sic ex altero monasterio electus non possit in realem possessionem Abbatiæ, ad quam electus est, induci sine licentia Prælati sui
2 monasterij. * Quam in proposito petere dumtaxat non sufficit, etiamsi in multis juris articulis sufficiat petita, licet non obtenta licentia superioris; ut est in transitu religiosi à suo monasterio ad aliud, quod arctiorem habet religionem, *l. Licet De regul. & transeunt. ad relig.* sed oportet illam quoque esse obtentam: ita quòd denegatio superioris inutilem faciat electionem, *d. c. Si religiosus, c. Quam sit De elect. lib. 6.* † Quam denegationem superior
3 Religioso facere potest, non ex æmulatione, quæ permissa non est, *l. Opus ff. De operib. publ.* sed ex justa causa, si scilicet Religiosum putet necessarium & utilem esse suo monasterio, & alios esse in monasterio, ad quod electus est, qui ad hujusmodi prælationem sunt idonei, *Dominic. in d. c. Si religiosus*: quo casu ad dandum licentiam compelli non
4 posset per quemquam, † nisi per summum Pontificem, qui hac in re ex plenitudine potestatis arbitrio suo uti posset. Si verò non est justa causa denegationis, etiam per suum immediatum superiorem cogi posset, veluti per generalem Ordinis, vel per Episcopum loci, *Dominic. in d. c. Si religiosus n. 9.* nisi monasterium sit exemptum, & immediatè Sedi Apostolicæ subjectum: nam eo casu solius Pontificis erit in cogendo, aut dando licentiam potestas, quia Episcopus in exemptos nullam speciem jurisdictionis exercere potest, *Paul. Castrens. consil. 187. Super primo in fin. vol. 1.* * Hanc porrò
5 petitionem, sive apud Pontificem omni casu, vel apud Episcopum cessante exemptione, facere poterit, vel ipse Religiosus sic electus per se, idque citra ullam notam ambitionis, *d. c. Quam sit, Boer. in addit. ad Mandagotum De elect. parte 1. cap. 37.* vel (quod melius est) per ipsos electores: idque per supplicem libellum Romam missum, si à Pontifice id petetur, vel in præsentia testium apud superiorem Prælatum, vel Episcopum.

Sed quoniam proponitur, Prælatum Monasterij, ex quo hic Religiosus electus est, electum tantùm esse, sed nondum confirmatum; rectè quæritur, an is licentiam dare possit? Difficultatem facit, quòd electus ante confirmationem non possit se ingerere in administrationem, nec in temporalibus, nec in spiritualibus, *c. Avaritiæ De elect. lib. 6.* † Sed restringitur illa juris prohibitio, ut
6 non obtineat, si monasterium exemptum valdè remotè situm sit à Curia Romana, hoc est, extra Italiam: eo enim casu dispensativè permittitur in concordia electo, propter necessitatem, & utilitatem Ecclesiarum, in temporalibus & spiritualibus administrare, *c. Nihil est. De elect.* Et licet excipiatur potestas alienandi, *d. c. Nihil est, in fin.* & per hujusmodi licentiam alienari videatur Religiosus à suo monasterio, tamen illa exceptio & restrictio pertinet tantùm ad alienationem rerum, non personarum, quarum alienatio, propter majorem utilitatem, facilius permittitur, ut decidit Archidiaconus, *in d. cap. Si religiosus n. 2.*

De Electionibus.

SVMMARIVM.

Electio ad Prælaturam regularem.

1. *Electio ad Prælaturam regularem requirit eligentium professionem.*
2. *Professio ante finitum annum probationis in Ordine Carthusiensi nulla est, etsi accedat gestatio habitus post annum.*

CONSILIVM XXIII.

IN electione, quæ fit de prælatura regulari necesse est eligentes ritè & legitimè esse pro- 1
fessos, vel expressà vel tacità professione; cùm non professi, aut, quod pro eodem est, malè professi ad eligendum idoneam qualitatem non habeant, *c. Ex eo §. in Ecclesijs, c. Indemnitatibus De elect. libr. 6. Gloss. in cap. Nullus in V. eligatur eod. tit. lib. 6.* † Cùm itaque ad consultationem pro parte Carthusianorum responderimus, ex decreto Con- 2
cilij Tridentini *Sess. 25. De regul. & monalib. c. 15.* & particularibus statutis ordinis Carthusiensis, Religiosi cujuscumque ordinis professionem, ante plenè finitum annum probationis factam, nullius esse momenti, nullòque operari juris effectus, etiam accedente gestatione habitus post annum probationis, *Navar. cons. 33. sub. tit. De regul.* evidenter consequitur, sic nulliter professos Religiosos, nullâ ratione debere necessario ad electionem Prælati vocari; sic quod ijs præteritis, seu non adhibitis, facta electio annullari nequeat, cùm sic constitutis Religiosis jus non sit conquerendi de aliquo contemptu, aut factam per alios electionem impugnandi: de contemptu enim conqueri nequit, qui jure permittente contemni potest, *d. c. Ex eo post prime.* Proinde sine metu nullitatis progressus fieri poterit ad electionem novi Prioris, non adhibitis aut vocatis his, qui ante tempus probationis professi vel ab ordine recedere cupiunt, vel de suo statu dubitantes, sibi ipsis controversiam faciunt.

De Renuntiatione.

SVMMARIVM.

Renuntiatio Episcopatus.

1. *Procurator ad renuntiandum constitutus revocari potest re integra.*
2. *Cedendi Licentiam quis à Papa obtinuit, invitus cogi potest.*
3. *Coadiutoris constituendi causæ quæ.*

CONSILIVM XXIV.

DVPLEX causa est, ob quam Reverendissimus ac Illustrissimus D. Robertus à Bergis renuntiationem & cessionem Episcopatus Leodiensis diutiùs differre non possit. Altera, quòd eò res sic deducta, quod cedendi ac renuntiandi facultas per S. D. N. Papam sit obtenta sub conditione justæ pensionis, seu, ut ait Innocentius, *in c. Nisi cum pridem n. 4. versnos dicimus. De renunt.* boni concambij: propter præcedentem tractatum Episcopi cum Capitulo, & cessionis conditiones conceptas, & per Sedem Apostolicam approbatas.

Etsi

Etsi enim abstinendi, & procuratoris ad cedendum constituti revocandi potestas integra maneat, quamdiu ad realem cessionem perventum non est, *cap. fin. De procurator. lib. 6.* honestati tamen non convenit, cùm res omnibus modis etiam quoad
2 præparamenta integra non est, retrogredi.* Quamvis interim specialiter constitutum sit, eum, qui licentiam cedendi à Pontifice obtinuit, invitum etiam cogi ut cedat, *c. Quidam De renuntiat.* quia variatio & illusio in Ecclesiasticis personis improbatur *Clemen. 1. De renunt.* Altera causa præcisam
3 necessitatem habet. * Qui enim in talem corporis infirmitatem incidit, per quam impeditur Episcopale munus exercere, & qui in spiritualibus & temporalibus superesse, quique sine graviore Reipublicæ detrimento, tantæ dignitati præesse non potest, sic ut periculum sit destructionis Ecclesiæ ac regionis, cogitur etiam invitus cedere, *d. c. Nisi cum pridem, & ibi Innocent.* præferenda enim est publica utilitas privato commodo, *Lud. Romanus cons. 523. Quæstio discutienda.* Rectè itaque S. D. N. Papa, motu suo proprio, per speciale rescriptum mandat insigni Capitulo & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis, ut Dominum Robertum requirant ad faciendam cessionem realem secundùm conditiones superioribus suis literis approbatas (hoc est, sub onere solvendi conventam pensionem) cum adhortatione procedendi, si requisitus distulerit: hujusmodi enim dilatio & recusatio ejus, quod quisque facere debet, pro facto habetur ad commodum ejus, cujus interest factum esse: uti aliquot exemplis eleganter deducit Ludovicus Romanus *d. cons. 523.* de urgenda cessione & renuntiatione Pontificatus. Quid autem significetur his ultimis verbis dicti rescripti: *Hortamur vos, ut ad ea iuris remedia, quæ competent & quibus provideatur indemnitati Ecclesiæ & quieti ac tranquillitati illius patriæ provideatis*; primo conspectu satis perspicuum non est: obscura enim videntur, & perinde pertinere ad Coadjutoris constitutionem, ut ad electionem; cujus Coadjutoris constituendi causam plerumque exhibere solet Prælati infirmitas, *c. Ex parte De cler. ægrot.* Sed manifestum est solam electionem Canonicam, & post eam absolutam, progressum ad confirmationem, aliaque in cujuscumque alterius Præsulis præsulatu per mortem vel liberam resignationem vacante requisita & solita significari: ob id, quod præcedentibus verbis non obscurè indicetur, negligentiam aut dilationem pro cessione reali haberi, secundùm prædictam juris dispositionem, *in d. c. Nisi cum pridem*; & quod adjiciatur admonitio de persistendo in nominatione per Dominum Robertum facta: ea autem facta est, non ad Coadjutoriam, sed ad successionem in Episcopatu; uti ex formula nominationis, ac præcedentibus literis, atque etiam ex hoc rescripto constat.

De Translatione Episcopi.

SUMMARIUM.

Consistorij Ecclesiastici translatio.

1. *Retinendi, quàm acquirendi occasio favorabilior.*
2. *Revocandi ad beneplacitum facultas restringitur ad limites rationis.*
3. *Civitatibus suæ prærogativæ servandæ.*
4. *Privilegium ex contractu irrevocabile.*
5. *Translatio privilegia rei translatæ non adimit.*
6. *Transferendi Episcopatus aut consistorij causa.*
7. *Qualitas durare debet, ut duret dispositio.*
8. *Iucundus ingressus more solito fieri debet.*
9. *Tempestas maris excusat a comparendo in iudicio.*
10. *Nemo sibi cum alterius incommodo prodesse debet.*

CONSILIVM XXV.

PERQVAM incommodè infelici oppido Rommerswalensi, undis & procellis maris nunc undique cincto, & à continenti separato, ad alias fortunæ injurias, accedit oppidi Goessani, in secretiore auditorio Serenissimæ Regiæ Catholicæ Majestatis nuper exhibita supplicatio; quæ ad solitudinem inducendam, & frequentiam vicinorum avertandam, incolisque & inhabitatoribus evacuandum hoc oppidum, prorsus tendit, ut translato inde in dictum oppidum Goessanum consistorio ac tribunali Ecclesiastico, quod ibi ultra hominum memoriam ex concessione Episcoporum Trajectensium atque indulgentia Comitum Zelandiæ exerceri sosebat, frequentiæ ac lucri ex litigantium conflictu non contemnendæ occasio præripiatur. Sed tamen, quando ex benignitate illustrissimæ Dominæ Gubernatricis, ac prudentia amplissimi Concilij ad cognitionem atque disquisitionem ea postulatio rejecta, & Rommerswalensium contradictio admissa est; animum, quem in adversis ex usu constantem fecerunt, dejicere noluerunt, nec postulationi Goessanorum temerè cedere: quippe quibus ad manum sunt justissimæ ac prægnantes deprecandi causæ. * Hoc etenim in primis solatij ad spem 1
concipiendam habent, quod Goessanorum postulatio proprio nullo jure nitatur, sed pro adeptione rei alijs concessæ, tota precaria sit, & ex sperata Regiæ Majestatis liberalitate dependeat: ipsorum autem conatus in retinendo tantùm, quod diu obtinuerit, versetur; ideoque tantò sit favorabilior, quantò in omnibus rebus retinendi, quàm acquirendi occasio ac potestas est facilior, *l. Invitis §. 1. l. Non debet §. 1. De regul. iur. l. 3. §. in admittenda De acquir. possess.* Quamvis itaque Rommerswalenses facile agnoscant, proprio aliquo jure se hîc non niti, neque respectu Regiæ Majestatis ullo firmo irrevocabilique obligationis vinculo sibi deberi, quod adversus Goesanos retinere contendunt; præsertim propter revocandi facultatem in literis privilegij per Wilhelmum de Bavaria Comitem Zelandiæ anno 1355. ultimâ Maij. concessi expressis verbis reservatam, ac per Albertum Zelandiæ Comitem, anno 1390. 13. Aprilis, atque novissime per Carolum Quintum Imperatorem, anno 1515. 19. Maij, ac modernam Regiam Majestatem in confirmationibus ejusdem privilegij minimè relaxatam, quæ acquisitionis imbecillitatem instabilitatemque arguit, *l. Omnes actiones 139. §. non videtur expresse. De reg. iur. c. Si gratiose & ibi Gemin. De rescrip. lib. 6. Bald. in c. 1. De feud. guardia & in l. Solent §. Sicut De offic. proconsul.* * quia tamen revocandi arbitrium & facultas, ad bene- 2
placitum etiam expressum excepta, ad limites rationis ac justitiæ, æqui ac boni, etiam in Principe

restringitur; quasi hujusmodi clausula non meram, & quæ temerè moverit contineat voluntatem, sed justificatam; cùm benè placere nequeat, quod absque ratione placet, *Ph. Corneus cons.* 92. *Placet mihi nu.* 12. *vol.* 2. *Bald. in l.* 3. *§. sed & si quis n.* 3. *C. Communi*, *De legat. per l. Thais §.* 1. *De fideicom. libertat.* meritò suggerere possint Romerswalenses causas, quibus Supplicantium postulatio avertatur.

Et sanè cogitare principiò debent Goessani, jure ita constitutum esse, * ut omnium Provinciarum singulis civitatibus sua privilegia & prærogativæ, sarta tecta conserventur, etiam in his, quę ambitionis & honoris tantùm, non per omnia emolumenti sunt: ideoque tam Proconsulibus provinciarum, quàm Rectoribus graviter imperatum est, *l. Observare §. ingressurum. De off. proconsul.* ut in epidemijs, seu, ut vocant, jucundo adventu atque introitu per eam partem provinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est, eamque civitatem ingrediantur, in quam primùm ex antiqua observatione venire solent. Magni quippe faciunt provinciales hujusmodi consuetudines & prærogativas sibi servari, *d. §. ingressurum & ibi Bald. nu.* 2. Vt nihil mirum sit, si ambitiosa Opponentibus videatur Goessanorum postulatio; quâ non tantùm Romerswalensioppido eripitur honoris, sed etiam pecuniarij emolumenti (sine quo sustineri non potest) prærogativa: eaque non usu & consuetudine vsurpata, sed specialiter concessa, alijsque denegata: concessa, inquam, tam ab Episcopis Trajectensibus, quorum fuit jurisdictio, quàm à Comitibus Zelandiæ, in quorum territorio eadem jurisdictio exerceri debet. Et Episcoporum quidem concessio liberalis per omnia, & ad nutum revocabilis non est; sed per viam contractus ac concordiæ pro futuris temporibus perpetua facta. * Vnde cùm constitutiones, statuta, ac privilegia naturam contractus assumant, irrevocabilitatem induant, & perinde Principem, ut quemvis alium, ligent ac devinciant, *cap.* 1. *De probat. Bald. in l. Princeps C. De legib. Roman. cons.* 352. *Quæritur*, *And. Barbat. consil.* 2. *n.* 5. *vol.* 4. sive sit Papa, sive Imperator, *c. Quodam & ibi Dominic. De præscr. lib.* 5. *Rebuf. ad concord. in Rubr. De collat.* fit, ut respectu Episcopi, qui arbitrium revocandi non excepit, sed potiùs exclusit, nulla cadat cogitatio transferendi consistorij à Romerswalensibus ad Goessanos. Quod animadvertentes dicti Supplicantes, respectu Episcopi, non revocandi facultatem, sed potestatis defectum, prætexunt: quasi scilicet dismembrato nunc Episcopatu Trajectensi, eoque in Archiepiscopatum erecto, atque ea parte, quæ Comitatui Zelandiæ subest, ab ejus obedientia ac regimine Episcopali exempto, & in novum Episcopatum Middelburgensem erecto, resoluta sit potestas Episcopi Trajectensis; & per consequens peremptum hoc privilegium Romerswalensium, ab Episcopis Trajectensibus olim datum, ut resoluto jure dantis, resolutum intelligatur jus accipientis, *l. Lex vectigali* 31. *De pign. & hypoth.* Verùm ea cogitatio ac consideratio progressum non habet; tum quòd ea resolutio solùm novum Episcopum Middelburgensem, in quem facta est translatio partis antiquæ diœcesis, concernat; & is adhuc nihil laboret de hac translatione: & præterea Supplicantes solius Principis auctoritatem invocent; ita quod in controversiam hic minime trahi possit Episcoporum Trajectensium concessio. † Tum secundò, quòd respectu Romerswalensium nulla sit resolutio, sed tantùm translatio locorum ad novum Episcopum: cujus translationis potestas tanta non est, ut rei seu loci translati privilegia adimat, sed rem & locum eodem loco apud translatarium relinquat, *l.* 2. *§.* 1. *De privil. cred. l. Tempus in fin. De re iudic.* sicut translatio bonorum intelligitur fieri cum oneribus suis, *l.* 1. *§. pro secundo. C. De cad. tollen. c. fin. §. Porro De offic. ordin. libr.* 6. *Decius cons.* 157. *Quæritur De expensis n.* 3. Respectu igitur Episcopi nihil est, unde hujus translationis occasio arripiatur: ob id potissimùm, quòd nec Goessani paterentur eumdem Episcopum pro suo lubito alibi, quàm intra Australem partem Zelandiæ (cujus partes sunt Romerswalenses & Goessani) constituere.

Liberiùs itaque postulata sua amplificant & ornant Goessani apud Serenissimam Regiam Majestatem; † propter dictæ reservativæ clausulæ effectum, ex inundationibus, quibus miserè jam plus quàm totis triginta annis affligitur Romerswalensium oppidum; quasi inde justa sit transferendi occasio, non tantùm Consistorium aliquod, sed etiam Episcopatum & Ecclesiam, *c. Tribus De consecrat. Distinct.* 1. quodque loci commoditate, quæ fortè olim privilegio causam dedit, ex inundationis calamitate sublatâ, privilegium quoque ea occasione datum, sublatum etiam ipso jure videatur: ob id, quòd privilegium quodcumque ab initio concessum æquitatis ratione non destituatur, etiamsi utile & efficax principium habuerit; si tamen in progressu iniquitatis colore inficiatur, si iniquum esse incipiat, si adversus publicam & communem utilitatem tendere deprehendatur, ipso jure revocatum censeatur, *l. Ex facto* 43. *in prine. vers. etenim iniquum, De vulg. & pupill. c. pen. De Clericis non residen. And. Barbat. cons.* 13. *Ex facto contingenti num.* 4. *vol.* 2. † quasi non satis sit, qualitatem adjunctam verbis dispositivis adesse tempore dispositionis, sed etiam perdurare debeat ultra tempus dispositionis: alioqui propter voluntatem disponentis, & vitandæ absurditatis causa, cessabit dispositio, *Ioannes de Imola in d. l. Ex facto. n.* 4. cùm nullum privilegium, quantumcumque generale, præjudicare debeat publicæ utilitati, *l. In provinciali §. fin. cum l. seq. De novi op. nunt. l.* 2. *§. Si quis à principe Ne quid in loco pub.* Atque ita varia pericula ac incommoda commemorantes, & persuasorio genere scribendi utentes, calamitatemque Opponentium oppugnantes, prædictam translationem ex parte Principis instanter urgent.

Cæterùm hujusmodi persuasionibus conturbari per omnia non debent Opponentes: * nam quòd mari undique cingatur, & quod maris pericula imminere interdum possint, auferendi privilegij justam omninò occasionem habere non videtur. Neque inde excusationem Proconsul, aut Gubernator provinciæ arripere posset, quo minùs per mare provinciam ingrediatur, si consuetudo ingrediendi id habeat, *d. l. Observare §. ingressurum.* Ideoque ad desideria Asianorum Antoninus Imperator

perator Proconsuli necessitatem imposuit per mare Asiam, & in ea primum Ephesum Metropolim ingrediendi, *d. §. ingressurum*, quam sine periculis maris terrâ ingredi poterat. Et alibi voluerunt Imperatores vicissim in urbibus hemare Iudices, quando tempore hiemis navigatio est periculosa, ne cuiquam illorum peculiare fiat incommodum,
9 *l. Civitas C. De off. Rector. provinciæ.* * Et tempestatis in mari pericula, quia in tam brevi & exiguo aquæ trajectu semper prævideri & caveri possunt, non magis quàm aëris cœlique inclementia ac tempestas, commovere non debent; multò minùs ejusdem tempestatis impedimenta: nam jure communi satis prospectum est, ne qui ob tempestatem maris judicio die constituta adesse non potest, in contumaciam aut juris sui periculum aliquod incidat, *l. 2. §. Si quis iudicio. §. quod diximus cum seq. ff. Si quis cautionib. &c.* Et sanè jam triginta annis eadem fuit oppidi Romerswalensis facies ac situs; neque tamen ullum proferri potest exemplum vel naufragij, vel singularis alicujus incommodi ex hoc trajectu.

Quibus duabus difficultatibus, quæ inter cæteras maximè premere videntur, remotis, minimum negotij est in refellendis alijs causis, ex quibus translatio hæc urgetur: in quo propterea, ne prolixiores simus, nullam operam collocamus; præsertim quòd in responsione Opponentium satis discutiantur.
10 * Illud certè desiderio Goessanorum plurimùm adversari debet, quod in eadem omnia pericula & incommoda conijciant Romerswalenses, eosque, qui in ulteriore littore habitant, qui ad oppidum Goessanum sine eodem trajectu, quandocumque causas in judicio Ecclesiastico acturi vel defensuri, pervenire non possent; ita ut sibi prodesse cum aliorum incommodo laborent, quod improbari solet, *l. 1. §. ydem aiunt De aqua plu. arcen.* potissimùm in spendidiore luculentioreque Goessanorum fortuna; quæ infelicitati Romerswalensium hoc extremum, & pènè ad sustinendam rempublicam solùm relictum præsidium, invidere non debet; cùm etiam totius Zelandiæ, imò omnium circumjacentium maritimarum regionum, ex causis per scripturam Opponentium latiùs deductis, interest, salvum extare hoc Romerswalense oppidum; quod ademptis privilegijs ac prærogativis, ademptâ obventionum, quibus adversus injurias maris sumptum faciat, occasione, diu stare non poterit.

His itaque aliisque plurimis ex causis, quas faciunt & excitant partim Romerswalenses in magna adversitatum calamitate commiseratio; partim Goessanorum in præsenti felix ac luculenta conditio; partim denique rationum, quibus hæc supplicatio urgetur, improbabilitas, optima spes affulget ex amplissimorum Dominorum discretione ac judicio, per Serenissimam Regiam Majestatem rejectum iri postulata ac desideria Goessanorum.

De translatione Episcopi.

SVMMARIVM.

Erectio novorum Episcopatuum.

1. *Transactio contra libertatem Ecclesiasticã non valet.*
2. *Erectio Episcopatuum non debet alijs nocere.*
3. *Provincia in duas diversa retinet in singulis antiqua iura.*
4. *Iurisdictio mandata perpetua non est, sed revocabilis.*

CONSILIVM XXVII.

QVAMVIS admodùm multa in medium proferri possint ad subversionem & improbationem concordiæ & tractatus, quem Carolus Dux Geldriæ, super usu & cursu jurisdictionis Ecclesiasticæ in civitate & circumjacente regione ac territorio Groeningensi in anno 1530. 13. Maij inijt & concluſit, inter Officialem Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Monasterienſis, ac dictam civitatem & regionem seu earum incolas; eò quod plurima ejus capita, majorque pars libertatem Ecclesiasticam, ac illius jurisdictionem nimiùm constringant & circumcidant, * ideoque non tantùm ex juris Pon- 1
tificij, *c. Quæ in Ecclesiarum, c. Ecclesia S. Mariæ De constitut.* sed etiam civilis auctoritate & sanctione effectu carere, nec in usu retineri debeant, *l. Privilegia, Authent. Cassa C. De sacros. Eccles.* ut pluribus argumentis deduci possent improbationis hujus argumenta & rationes, quæ etiam ultrò se satis offerunt: tamen residet difficultas in eo, num quod per concordiam seu tractatum personis Ecclesiasticis, hoc est, Officiali ac Commissarijs reservatum est, per eosdem retineri possit, invito ac contradicente Reverendissimo Episcopo Groeningensi, cui per erectionem novi Episcopatus Groeningensis, ac per dismembrationem adjecta & unita est ea pars Episcopatus Monasterienſis, quæ jurisdictioni & imperio sæculari Serenissimi Regis Catholici subjecta est, non tantùm in regione seu ditione Groeningensi, verùm etiam in locis vicinis dictæ sæculari potestati subjectis: ut quæstio sit non inter Principem sæcularem & Reverendissimum Episcopum, sed inter dictos Commissarios, ac Reverendissimum Episcopum Groeningensem.

Causæ difficultatum in his potissimùm consi- 2
stunt, quòd erectio, dismembratio, incorporatio, divisio, & unio, quæ in novis Episcopatibus, & erectionibus inferiorum Ecclesiarum in Cathedrales fiunt, ita fieri intelligantur, ut non adferant præjudicium aliquod vel diminutionem in dignitatibus & officijs, quæ in loco diviſo, dismembrato, & novæ erectæ Ecclesiæ Cathedrali seu Episcopatui incorporato & unito, ante divisionem ac dismembrationem fuerunt; præsertim quoad ea, quæ jurisdictionalia sunt, ut constitutione Ioannis vicesimi secundi in hujusmodi articulo apertè definitum est, *c. Ad Apostolatus De concess. præbend. in Extravag. Ioannis XXII.* Neque enim præsumitur Pontifex in obscuro, aut in generalitate verborum cujusquam quæsito juri derogare, *c. Cum olim De consuet. l. 2. §. Si quis à Principe ff. Ne quid in loco pub.* sed ex adverso, cùm translationem, appropriationem, incorporationem, aut unionem aliquorum locorum ad aliam Ecclesiam facit, id præsumitur facere sine præjudicio eorum, qui priùs in eo loco Ecclesiasticam aliquam jurisdictionem habuerunt: si non id quoque (ut scilicet nulla deinceps sit

prioris Prælati Ecclesiastici in eo loco post separationem & incorporationem, jurisdictio vel superioritas) in literis hujusmodi dismembrationis & unionis fuerit expressum, *c. Quia monasterium De religiosis domib.* * Quemadmodum etiam una eademque provinciâ, sub duobus Præsidibus divisâ, singulis provincialibus jura integra manent, *l. Si eadem ff. De offic. assess.* Quæ rationes hoc postulare videntur, ut quamvis jurisdictio Officialis Monasterienſis in his divisis & unitis regionibus sit penitus suppressa & extincta, dictoque Episcopo Monasterienſi, & ejus Officiali nulla amplius ea in parte competat jurisdictio vel superioritas; quia scilicet bulla erectionis Episcopatus Groeningensis hujusmodi suppressionem apertè & dispositivè continet; neque ulla sit dubitatio, quin Pontifex id facere possit, *c. 1. Ne sede vacante &c.* hoc tamen non convincunt, quòd Ecclesiasticis personis aliquid sit ereptum aut ablatum ex jurisdictione, in ijs dismembratis & unitis locis, ubi degunt.

4 Cæterùm quamvis hæc urgere & premere videantur, vera tamen juris definitio in hoc articulo residet in eo, quòd dictorum Commissariorum contradictio sit prorsus frivola & injusta: ex hac potissimùm ratione, quòd dictorum Commissariorum jurisdictio ab origine & in progressu ad Commissarios proprio suo jure non pertinuerit, ratione alicujus ordinariæ dignitatis, ideoque perpetua esse non potuerit, sed tantùm sit mandata; quam qui suscipit, nihil proprium in jurisdictione habet, *l. 1. §. Qui mandatum ff. De off. ejus cui mandata est jurisd.* sic quòd illa eis possit eripi per mandantem; hoc est, olim ante hanc unionem, per Episcopum Monasterienſem seu ejus Officialem; nunc verò per Reverendissimum Episcopum Groeningenſem, in illius locum etiam quoad jurisdictionem surrogatum. Solvitur enim judicium, & judicandi potestas, vetante eo, qui judicare jussit, *l. Judicium solvitur De judiciis*; & aliud dicendo vel sustinendo, prorsus contraveniretur intentioni & voluntati Pontificis, in facienda hac erectione, divisione, & unione, per quam singulis provincijs succurri voluit curâ novi Episcopi; exclusis ijs, qui in loco unito, non proprio suo jure, sed ex commissione prioris Episcopi (qui solus tam latè provinciæ suæ, sine adjunctione Commissariorum, sufficere non poterat) jurisdictionem Episcopalem exercebant: cui curæ & sollicitudini in parte unita novus Episcopus Groeningenſis solus per se in exercenda jurisdictione sufficere potest; saltem non cogitur invitus, quos non vult, retinere in mandata jurisdictione, quæ per hanc unionem & in ea contentam translationem, amplius Episcopi Monasterienſis, aut ejus Officialis non est, sed Episcopi Groeningenſis, *c. Salvator De præben. & dignit. Extravag. communib.*

Neque rursus hîc in consideratioe habendum est interesse, quod provinciales, præsertim Drenthij prætexunt, quòd extra patriam evocari non debeant: nam ea & Serenissimæ Regiæ Majestatis impetrantis, & summi Pontificis concedentis intentio fuit, ut constat ex præfatione Bullæ erectionis; ne id quoque, & multò minùs quam antea, post erectionem fieret; hoc est Groeningenſes, Drenthij, & aliarum vicinarum regionum, sub principatu sæculari Regiæ Catholicæ Majestatis constitutarum, incolæ, judicij causâ in causis ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentibus, extra patriam, hoc est, extra limites jurisdictionis & superioritatis Regiæ Majestatis ad civitatem Monasterienſem non evocarentur. Quæ ratio & consideratio, atque ex ea consurgens interesse, penitùs cessat quoad jurisdictionem Episcopi Groeningenſis; qui Drenthios & alios vicinos intra limites jurisdictionis Regiæ Majestatis ad civitatem Groeningenſem evocando, aut dictos Commissarios revocando, non censetur illos evocare judicij causâ extra patriam seu patrias; præsertim in tanta loci vicinitate. Ita ut, cessante consideratione interesse provincialium, contradictio & contentio retinendorum veterum Commissariorum, ad veterem formam & observantiam in hoc articulo rejcienda & contemnenda sit; & dicto Reverendissimo Episcopo Groeningenſi permittenda facultas suam jurisdictionem in omnibus istis regionibus suo Episcopatui unitis, secundùm Canones Ecclesiasticos, secundùm terminos juris, ac pro tenore bullæ dictæ erectionis exercendi per se vel alios, *cap. Inter cætera De offic. jud. ordin. lit. De off. Vicarij per tot.*

Sanè quod attinet ad jus temporalis jurisdictionis, quæ per dictum tractatum & concordiam ampliata videtur in multis articulis, contra juris dispositionem & Ecclesiasticam libertatem; licet ita se res habeat, ut propter graves contentiones, quæ in omnibus penè regionibus jam multis sæculis exortæ sunt, passim vel ubique ferè inter Episcopos & Principes initi sint tractatus & concordata, quoad usum jurisdictionis, præsertim in constituendis causis mixti fori; quæ impugnare & expugnare foret difficile, propter probabilitatem rationum utrimque pro hujusmodi concordatis stantium: quia tamen in hoc Cœvordiensi tractatu & concordia pleraque sunt, quæ à jure communi nimis exorbitant; consultum est, ut Reverendissimus Episcopus ea in unum colligat & Regiæ Catholicæ Majestatis Concilio, pro mutatione & emendatione illorum, exhibeat; præsertim quâ parte per ejusmodi concordata impediri potest sanctissima intentio suæ Regiæ Majestatis quam habuit in impetratione & constitutione horum novorum Episcopatuum; nec dubium est, quin justo desiderio Reverendissimi Domini Episcopi faciliter & feliciter succurretur.

De Translatione Episcopi.

SVMMARIVM.

Vocatione beneficiorum ex majore promotione.

1. *Beneficia curata vacant per adeptionem aliorum incompatibilium.*
2. *Beneficia promoti ad Episcopatum quando vacent.*
3. *Possessio pacifica Episcopatus quando censeatur acquisita.*

CONSILIVM XXVII.

ERECTO Episcopatui Ruremundensi per Sedem Apostolicam assignata sunt diversa Ecclesiastica bona: ad quem ex auctoritate Aposto-

Apostolica per nominationem Regiæ Catholicæ Maiestatis, primus assumptus est Reverendissimus Dominus Guilielmus Lindanus, tempore eiusdem assumptionis Decanus collegiatæ Ecclesiæ Hagensis; qui deinde consecratus, inductus est in possessionem eiusdem Episcopatus: quem, quamvis quoad ius & iurisdictionem Episcopalem, & potissimùm quoad curam animarum pacificè aliquot annis possederit; possessionem tamen & administrationem bonorum pro dote eiusdem Episcopatus assignatorum pro media parte adhuc non obtinet; & pro ijs, quæ obtinet, magna ex parte lites in Romana Curia sustinere cogitur: inde oritur quæstio, an dictus Decanatus per hujusmodi assumptionem seu adeptionem Episcopalis dignitatis vacare censeatur, aut eodem dictus Reverendissimus Dominus privari possit?

1 Ad quam quæstionem respondendo dicimus, quòd, ut per adeptionem aliarum dignitatum curam animarum habentium ipso jure vacant beneficia similiter curam animarum habentia, quæ novum hujusmodi beneficium adeptus antea possidebat, *cap. Quia nonnulli De Cler. non resident. cap. De*
2 *multa De præben. c. Licet eod. tit. lib. 6.* † ita quoque ad Episcopatum translatus alia, quæ priùs obtinebat beneficia amittat; non ex die adeptionis seu translationis, sed consecrationis, vel post decursum temporis, quod consecrationi obtinendæ præscriptum est, *c. Cum in cunctis* §. 1. *De election.* sic quòd sine decreto privationis collator seu patronus sic vacantium beneficiorum, illa conferre
3 possit. *Panor. in d. c. Cum in cunctis* §. 1. *nu.* 3.

Sed hoc controversum est, an præter adeptionem seu translationem, confirmationem & consecrationem, requiratur etiam omnium bonorum Ecclesiasticorum pacifica administratio? Vno sanè loco *in d. c. Cum in cunctis* §. 1. indefinitâ oratione (quæ plerumque æquipollere solet universali, *l. Si plurib.* 44. *De legat.* 2.) in conditione vacationis ponitur quoque Ecclesiasticorum bonorum administratio; quasi & illa conjunctim cum alijs requiratur, *Innoc. in d.* §. 1. *nu.* 4. sed Doctorum opiniones sunt in hoc articulo dissidentes. Sunt enim, qui pacificam possessionem & administrationem constituerunt in possessione, & ibero exercitio curæ animarum; quasi hæc sit administrationis Episcopalis pars potissima, *glos. in c. Commissa in V. pacificam De elect. lib. 6.* Alij in possessione & administratione vel omnium vel majoris partis bonorum, *Panor. in d. c. Cum in cunctis* §. 1. *nu.* 4. Sed communiùs recepta & comprobata Doctorum opinio est, ut quamvis ad hoc, ut translatus vel electus ad Episcopatum, intra tempus à jure statutum, debeat promoveri ad ordines, sufficiat possessio & exercitium curæ animarum, *d. c. commissa* §. 1. *& ibi glossa*: ad hoc tamen, ut inducatur vacatio priùs obtentorum beneficiorum, requiratur vel omnium, vel majoris partis bonorum Ecclesiæ pacifica possessio & administratio. In qua sententia est Archidiaconus, *in c. nomine Domini* 23. *dist.* Geminianus *in d. c. Commissa & cons.* 125. *Super primo dubio nu.* 8. *& cons.* 82. *Circa thema nu.* 1. Ancharanus, Philippus Francus, Philippus Probus & alij, *in d. c. Commissa n.* 3. *& in c. De multa De præben.* quos in eo imitatur & sequitur Rota Curiæ Romanæ *decis.* 61 *incip. Sufficit impetranti, alias est* 3. *sub tit. De præben. in novis.*

Vnde verius est, quòd præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus neque privatus censeri, neque privari debeat prædicto suo Decanatu, quàdiu major pars assignatæ seu constitutæ dotis non est in ipsius pacifica & libera possessione atque administratione, potissimùm quòd & de illis bonis, quorum in minori parte administrationem habet, lites & controversias patiatur. Interim tamen ad præscindendas omnes juris & facti controversias consultum erit, ut impetret dispensationem super retentione dicti Decanatus, quam propter multas concurrentes in suæ Reverendissimæ gratiæ persona prægnantes qualitates & circumstantias, Sanctissimus Dominus Papa facilè erit concessurus, cùm id etiam jure communi, ex hujusmodi potissimùm causis permittatur, *d. cap. De multa in fin. c. Dudum* 54. *De elect.*

De translatione Episcopi.

SVMMARIVM.

Vacantium beneficiorum per promotionem ad Episcopatum fructus.

1. *Beneficiorum vacatio per promotionem ad Episcopatū.*
2. *Beneficiorum vacantium ex promotione ad Episcopatum fructus quamdiu percipiat Episcopus.*

CONSILIVM XXVIII.

QVANDOQVIDEM nec per adeptionem Episcopatus, nec per illius confirmationem, nec per consecrationem vacant beneficia, quæ ad Episcopatum translatus prius possidebat, * nisi ex eo tempore, quo 1
majoris partis bonorum ad Episcopatum pertinentium administrationem obtinet, *gloss. in c. Commissa De elect. lib. 6. & ibi* DD. *Gemin. cons.* 82. *Circa thema, & cons.* 125. *Super primo*, consequens quoque est, priorum beneficiorum fructus ad sic promotum adhuc pertinere. † Et cùm id fiat 2
velut ex generali juris dispositione, non aliter quàm si cum eo per Papam (ut ex conditione & qualitate personæ fieri potest, *c. De multa in fine De præben.*) dispensatum esset super retentione priorum beneficiorum; consequens est ut fructus quoque illorum percipere possit, etiamsi sit in exercitio curæ animarum in suo Episcopatu: alioqui juris dispensatio hæc inutilis foret; cùm sola beneficij titulo tenus retentio juris concessionem, & illius finem inutilem faceret: quasi priorum retentio permissa sit, ut interea quàm administrationem bonorum nondum adeptus est ex fructibus priorum beneficiorum sustineatur. Atque ita cùm absentia hæc à prioribus beneficiis licita & jure probata sit debebuntur eorumdem beneficiorum omnes fructus tanquam beneficij accessio, *c. Dilecto in fine De præben.* exceptis quotidianis distributionibus, *arg. c. Cum dilect. De cæt. De Cler. non resid. c. Licet De preb. lib. 6.* ita tamen, ut eadem priora beneficia debito non fraudentur obsequio & servitio; quòd expensis sic absentis per vicarium exhiberi debet, *c. Cum ex eo De elect. libr. 6. cap.* 3. *Sess.* 6. *Conc. Trident. & c.* 5. *Sess.* 7. Cæterùm quoniam Concilium Tridentinum juris communis

nis dispensarionem, licet obscurè, abrogare videtur, permissis tantùm temporalibus dispensationibus ex veris & rationalibus causis, *d. c. 3. Sess. 6. in fin.* consultissimum est, ad omnem dubitationem tollendam impetrare specialem & temporalem dispensationem super hujusmodi prioribus beneficijs duraturam, donec majoris partis bonorum administratio pacifica obtenta erit. Ex quibus satis percipiet Reverendissimus D. Episcopus Ruremundensis, quid juris habeat in & ad fructus Decanatus Hagiensis.

De supplenda negligentia Prælatorum.

SVMMARIVM.

Devolutio beneficij.

1. *Beneficia sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferenda.*
2. *Beneficia in dubio præsumi sæcularia.*
3. *Beneficium regulare quod sit.*
4. *Institutiones beneficiorum eorum qualitates ostendunt.*
5. *Vnio beneficij non nocet eius possessori.*
6. *Devolutio fit ab inferiore ad proximè superiorem.*

CONSILIVM XXIX.

VNo labore resolvemus merita duarum causarum, quæ per venerabilem Dominum Officialem Namurcensem nunc terminandæ sunt inter D. Antonium Hanosium, & fratrem Franciscum Gosseau super Capellania ad altare S. Ioannis Baptistæ in Parochiali Ecclesia Montis super Sombreffiam, item inter Promotorem seu Curatorem Seminarij Namurcensis, & fratrem Iacobum Gauret super Capellania ad altare S. Martini in eadem prætacta Parochiali Ecclesia; est enim utriusque causæ eadem conditio. Status quæstionis in duobus consistit: primum in eo, an dicti fratres Franciscus & Iacobus sint aut fuerint inhabiles ad obtinendum hæc beneficia? Secundum in eo, an præsupposità utriusque inhabilitate, Reverendissimus Episcopus Namurcensis illud conferre potuerit dicto Antonio; hoc vero unire suo Seminario?

1 Quod ad prius attinet, manifesta est juris dispositio, *in c. Cum De beneficio De præben. lib. 6.* quòd benencia sæcularia sæcularibus Clericis, regularia regularibus sint conferenda, & minimè sæcularia regularibus, nec regularia sæcularibus: quæ juris communis dispositio decretis Concilij Tridentini renovata & comprobata est, *Sess. 14. c. 10. & Sess. 25. c. 21. De regularib.* Existimant itaque harum causarum Actores, intentionem suam fundatam esse ex eo, quòd hæc beneficia sint in sæculari Parochiali Ecclesia, & sic sæcularia; quorum ob id dicti Rei censeri debeant esse incapaces * præ-
2 sertim quia in dubio beneficia præsumantur potiùs esse sæcularia, quàm regularia ex primordiali illorum statu, *Gemin. in d. c. Cum De beneficio. & ibi Phil. Probus n. 5. Rota decis. 32. Fuit dubitatum, alias est 2. sub tit. De præben. in novis.* Sed quoniam omnis præsumptio cedit compertæ veritati, *l. Optimam C. De contrahend. & committenda stipula.* & in proposito nulla sit dubitatio de qualitate & conditione horum beneficiorum; extra omnem dubitationem quoque est jus dictorum Reorum: ut mirum sit, cur in tanta luce boni juris sui, hi Rei pacifici dictorum beneficiorum possessores, alter per sedecim, alter per quindecim annos, prætextu Episcopalis collationis ex prætexta inhabilitate seu incapacitate Reorum, inquietentur.

Quippe indubitatum est, hæc beneficia esse re- 3
gularia, non sæcularia: regulare enim beneficium est, quod regularibus conferri consuevit, vel ex ipsa fundatione, si illa lex per fundatorem data est; vel si de origine fundationis non constat, ex longæva possessione, & inde causatâ præscriptione quadraginta vel plurium annorum, *Rota decis. 487. Nota quod impetranti, quæ est 22. sub tit. De probat. in antiquis*; quod latissimè à Felino *in c. In nostra n. 42. & 46. De rescript.* & Philippo Probo *in d. c. Cum De beneficio*, tractatum & decisum, latiùs non persequimur: est enim id extra omnem dubitationem. Nam cùm beneficium per tot annos obtentum, possessum, & rectum est per regulares, impressio regularitatis cohæret inseparabiliter ipsi beneficio.

* Cùm itaque per extracta, tum ex registris 4
Archidiaconi Hannoniæ in Ecclesia Leodiensi, cui ante erectionem hujus novi Episcopatus hæc Ecclesia & beneficia suberant, constet, quòd ante centum & viginti annos continuè sine ulla interpellatione hæc beneficia fiat per Reverendum Dominum Abbatem Bonæ Spei continuâ serie collata fuit Monasterij fratribus; constet quoque, quòd illi per dictum Archidiaconum, ad quem tunc spectabat, in ijs sint instituti; non est dubitandum, quin hæc beneficia sint & reputari debeant, ut verè regularia. Quæ institutiones impressionem hujusmodi regularitatis admodùm ampliant & corroborant, *AEgid. Bellamera cons. 41. vers. Secundo quia si ultra, Phil. Probus in d. c. Cum De beneficio. n. 20.* Vt meritò status beneficij hic sit attendendus, non tantùm quia ultimus est (qui regulariter in beneficijs cùm de possessorio adipiscendæ, hoc est, de Canonica institutione acquirenda agitur, ut sit in proposito, attendendus est, etiamsi illi evinci posset, *c. Consultationibus De iure patron. Rota decis. 557. Quidam impetrante, quæ est 46. sub. tit. De rescrip. in antiquis, & d. decis. 487.*) sed quia etiam tam antiquus, & continui immemorialis temporis beneficio munitus, quod pro titulo eoque indubitato accipiendum est, *l. Hoc iure §. ductus aquæ De aqua quotid. & æstiva.*

His accedit indultum Pontificium Cælestini Papæ, quo in anno 1194. apertè permissum est dicto Abbati in Ecclesijs Parochialibus ad ejus Monasterium pertinentibus ponere tres aut quatuor ex suis Monachis: id enim cùm permissum sit, permissum quoque esse censetur ijsdem beneficia in ijsdem Ecclesijs consistentia conferre. Cujus indulti hanc fuisse sententiam & intellectum, comprobavit sequentis temporis usus; quæ autem certam interpretationem seu intellectum habuerunt, minimè mutanda aut aliter intelligenda sunt, *l. Minimè De legib.* Hanc autem Ecclesiam Montis super Sombreffiam ad dictum Reverendum Dominum Abbatem pertinere, constat ex dicti indulti Apostolici tenore, in quo recitantur Ecclesiæ, quæ in eo altaria nuncupantur, quæ ad dictum monaste-

rium

rium cum suis appendicijs pertinent; cùm etiam id satis confiteantur Actores. Et sic pro indubitato habendum est, Reos hujus causæ habiles esse ad obtinendum hæc beneficia, eosque ob id vigore suæ institutionis, quam Canonicam obtinuerunt (prout ex literis institutionis in his causis exhibitis constat,) illa rectè possidere & obtinere: quæ dictus Reverendissimus Dominus Episcopus cum summa injuria eis arripere, & alterum fratris sui filio, alterum suo Seminario conferre laborat; cùm neutrum vacet aliquo modo, & Rei utriusque respectivè sint capaces; & unio, quæ vigore Concilij Tridentini, *Sess. 23. c. 18.* pro Seminario invitis etiam possessoribus fieri potest etiam ante vacationem, effectum consequi non possit, cum præjudicio possessoris, ut illius cessus vel decessus omninò exspectandus sit; ut expressis verbis hujusmodi decreti expressum est; sic scilicet, *Sine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio.* * Sicuti etiam ex 5
juris communis dispositione unio beneficij facta in vita possessoris illius, non habet effectum, nisi occurrente illius vacatione, *c. Consultationibus De donat. Clement. vlt. De rebus Eccles. non alienan. Rebuffus in praxi benef parte 2. tit. De reprob. benefic. viven. impet. glos. 7. n. 56. & 57.*

Alterum, in quo diximus harum litium statum consistere est, an videlicet præsuppositâ inhabilitate seu incapacitate horum Reorum, Reverendissimus Dominus Episcopus potuerit illa conferre? In quo res expedita est, quod non: cùm enim idem Episcopus hoc se facere testetur, propter diutinam hujusmodi beneficiorum vacationem jure devoluto, certum est sic factam collationem dictis Actoribus non prodesse; quia Episcopus illius faciendi jus non habuit, *l. Si filius tuus C. De donat.* Quippe hoc indubitatum est, & ex prædictis præsertim per extracta ex registris Archidiaconi constat, ordinarium collatorem horum beneficiorum esse præfatum Dominum Abbatem, & ex dicto indulto Apostolico constat, eumdem Abbatem ejusque monasterium exemptum esse ab ordinaria jurisdictione, ut notoriè est totus Ordo Præmonstratensis. † Iam verò ex jure hoc quoque indubitatum 6
est, quòd devolutio collationis beneficiorum fiat semper ab eo, qui jus conferendi priore loco habet, ad immediatum superiorem, *c. Nulla c. Ex parte, cap. Postulasti De concess. præb. Rebuffus in praxi benefic. parte 1. tit. De devolut. glos. 9. n. 36.* Cùm ergò immediatus superior dicti Abbatis sit ipse summus Pontifex, non potest ab Abbate ad Episcopum fieri devolutio: & generaliter ab exemptis devolutio fit ad Papam, non ad Episcopum, *c. Cum singula De præbend. libr. 6. Lud. Roman. consil. 361. in casu proposito n. 6.* Et quamvis in exemptis regularibus hoc specialiter sit statutum, *in Clemen. 1. De supplen. neglig. prælat.* ut Episcopus jure devoluto ex illorum negligentia uti possit; id tamen non potest ex sua ordinaria potestate, sed debet hoc facere auctoritate Apostolicâ, & faciendo eam qualitatem exprimere, *d. Clemen. 1. & ibi DD.* Id autem cùm non fecerit dictus Episcopus, non potest ejus collatio jure devoluto facta subsistere. Nam etsi in parte narrativa literarum collationis dicto Antonio factæ, fiat mentio auctoritatis ordinariæ vel Apostolicæ, in dispositivâ tamen parte, nulla est mentio auctoritatis Apostolicæ: & in collatione Seminario facta, in nulla literarum parte ut illius mentio; sic quod in omnem eventum vitiosæ reputari debeant hæ collationes ex defectu potestatis conferentis: Et sic existimamus extra omnem dubitationem esse causam dictorum Reorum; ideoque venerabilis Domini Officialis officium esse, ut Reos ab impetitione Agentium absolvat; Actoribus in expensis litis condemnatis.

De supplenda negligentia Prælatorum.

SVMMARIVM.

Devolutio in beneficio.

1. *Collatio quæ fit iure devoluto extraordinaria est.*
   Capitulum conferre potest Sede vacante beneficia vacantia ex devolutione ab inferioribus collatoribus.
2. *Devolutio fit ab inferiore ad superiorem.*
3. *Devolutio ab exemptis fit ad Papam.*
4. *Modica non considerantur.*
5. *Cautela nimiæ suspectæ sunt de fraude.*
6. *Devolutio pro illa vice tantum nocet collatori.*
7. *Intrusus quis dicatur.*
8. *Filius presbyteri spurius, non naturalis est.*
9. *Possessio præcessoris coniungenda cum possessione successoris.*
10. *Beneficialis causa possessoria quomodo instruenda.*

CONSILIVM XXX.

Iunge huic CONS. XXXIV. infrà.

NON potest D. Ioannes Pamele Opponens contra D. Godefridum Hombeke Impetrantem ad obtinendum Canonicatum S. Germani Thenensis idoneam habere qualitatem, vel aliquem prætexere colorem in hoc possessorio judicio, vel ad defensionem vel ad duplicandum interdictum ex collatione Turnarij vel Capituli ejusdem Ecclesiæ Thenensis; cùm hoc compertum sit, ad Decanum & Capitulum S. Ioannis Leodiensis non tantùm in præsenti, sed etiam retroprætérito tempore ultra hominum memoriam, ratione unionis & incorporationis utriusque investituræ & Personatus in Ecclesia S. Germani pertinuisse & pertinere jus ordinariæ collationis, provisionis, & præsentationis, non tantùm Canonicatuum, & inter hos nominatim illius, de quo in hac causa litigatur, sed etiam plurimorum aliorum beneficiorum, tam in dicta Ecclesia, quàm alijs capellis in oppido Thenensi: & quod Opponens ex personis Decani & Capituli S. Germani Thenensis, ad illum non prætendat nisi jus institutionis & admissionis; ejusque occasione ex negligentia dictorum ordinariorum collatorum per devolutionem jus extraordinariæ seu subsidiariæ & succedaneæ collationis: * ut re 1
vera non ordinaria, sed tantùm extraordinaria & accidentaria est collatio, quæ fit ex jure devoluto, ut sunt omnia quæ jure supplementi fiunt, *extra De supplen. neglig. prælat. per totum.* Vnde est, quòd, quamvis sede vacante Capitulum, ad quod devolvitur jurisdictio Episcopalis, non possit conferre beneficia, quæ pertinent ad ordinariam collationem Episcopi; quia scilicet sunt in fructu Episcopatus, *c. 2. Ne sede vacan. gloss. in c. Cum olim De ma-*

De major. & obed. in V. Capitulo: ea tamen quæ vel sede vacante, vel etiam ante, ex negligentia inferiorum ordinariorum collatorum & patronorum ad Episcopum devoluta sunt, quia id extra ordinem & ex accidenti est, rectè à Capitulo conferri posse tradit Panormitanus, *in d. c. 2. Ne sede vacante nu. 3.* Iam verò hoc manifestum est, ordinarias extraordinarijs, *l. In causæ 2. ff. De minorib.* naturalia accidentarijs ubique præferri & potiora esse, *l. Qui habet, & ibi Bartol. De tutelis.* In quo juris devoluti articulo duo potenter Opponenti obstant, primum illud quòd non nudum jus præsentationis, quod vel ex iure patronatus est, vel per se solum subsistit; sed ordinariæ & plenæ collationis seu provisionis dicto Decano & Capitulo Sancti Ioannis Leodiensis in his beneficijs competat, ratione dignitatis & præeminentiæ, quam in Ecclesia S. Germani & oppido Thenensi habent: cui consequens est idem ius dictis Decano & Capitulo Thenensi non competere; cùm eadem res in solidum ad plures pertinere non possit *l. Si ut certo §. si duob. Commodati*: ideoque siquid iuris dicti Decanus & Capitulum S. Germani ad beneficia collationi dictorum Decani & Capituli S. Ioannis ordinariorum collatorum subiecta habent, id debet necessariò aliud & discretum esse ab eo, quod ijdem Collatores habent, cùm igitur plenum id sit apud eosdem collatores, non consistens in nuda collatione, sed in Canonici iuris ac tituli collatione, & plena perfectáque de eisdem beneficijs provisione, secum ob id trahente effectum Canonicæ institutionis *Bellamera decis. 716. vers. intelligitur tamen*, sic quòd alia aliqua authorizabili institutione superioris ampliùs non indigeat, ad ius in beneficio consequendum, *Bellamera cons. 10. colum. 6. vers. nam si collatio*, fit ut institutio, quam dicti Decanus & Capitulum S. Germani ad se pertinere dicunt, non iuris, sed facti institutio sit, ad effectum solius corporalis possessionis, quatenus illa facti est; ut iure communi est Archidiaconi, [2] *cap. ad hæc vers. in quadam De offi. Archidiac.* † Atque ita cùm dicti collatores sint ratione prætactæ dignitatis & præeminentiæ superiores, eoque respectu Decanus & Capitulum S. Germani inferiores, & dicta inductio in possessionem seu admissio & receptio ad illam, ius spirituale aut authorizabile iuris collativũ non cõtineat; cõsequitur, quòd à dictis collatoribus nulla ex quacumque negligentia ad dictos Decanum & Capitulum S. Germani fieri potuerit iuris conferendi devolutio, quę numquam fit à superiore ad inferiorem, sed ab inferiore ad superiorem, quia non superior non potest supplere negligentiã alterius, *Panormit. in c. 2. nu. 7. De conces. præben.* * qui [3] superior respectu dictorum collatorum alius non est, nisi Papa, propter dictorum collatorum, ut omnium secundariam diœcesis Leodiensis Ecclesiarum notoriam ab ordinaria Episcopali iurisdictione & superioritate exemptionem; quæ facit. ut in hoc articulo devolutionis non ad ordinarium superiorem, sed ad Papam illa fieri debeat, *c. Sicut, c. licet De supplen. neg. Prælat. Panor d. nu. 7. Lud. Rom. consil. 361. in casu propositæ num. 6.*

Vrget Opponens admodùm, quòd Decanus & Capitulum S. Germani sint & pluribus retroprætentis annis fuerint in possessione conferendi iure devoluto, proferendo quatuordecim aut quindecim illius exempla sic factæ collationis partim recentia, partim antiqua; & duo tempus centum annorum excedentia: sed ea refellit Impetrans ex eo quòd sint de parvis & minutilis beneficijs, & minimè de Canonicatibus aut alijs maioribus: * nam ut quæ exigua & modica sunt plerumque contemni vel negligi solent, *l. Si oleum §. ult. De dolo malo*, & iustâ rei appellatione non continentur quæ diminutiva sunt, *l. Senatus 43. §. 1. vlt. De leg. 1. c. Tertulas* XII. *q. 2.* sic non rectè ab his parvis & nullius propè momenti beneficijs, quæ conniventiâ quadam Decano & Capitulo Thenensi relicta sunt ducitur argumentum affirmativè ad maiora *l. Tam is §. fin. De mort. causa donat.* ut sunt canonicatus, qui ut separatam naturam & rationem habent à minimis Capellanijs seu altaribus, ita ab iis ad Canonicatus illatio aliqua fieri non potest *l. Naturaliter §. nihil commune & ibi Iason nu. 22. De acquir. Poss. l. Papinianus exul. De minorib.* Ideoque effectus huius possessionis sive ad præscriptionem, sive ad præsentem rei statum constituendum, latiùs produci non potest, quàm quatenùs possessio exercita est; & ne quidem ad similia, multò minùs ad majora, *late Felin. in c. Auditis. n. 1. & seq. De præscript.* Est quidem inter prædicta exempla unum de collatione, quæ hoc prætenso jure devoluto per Turnarium Capituli S. Germani in anno 1550. facta dicitur Dionysio Lams; sed ut de facto & sine juris colore illa facta fuit, ita quoque successum non habuit: nam per sententiam definitivam dicto Dionysio postea abjudicatus fuit hic Canonicatus, & adjudicatus Ioanni de puteo, qui eumdem obtinuerat ex ordinaria collatione dictorum Dominorum Decani, & Capituli S. Ioannis Leodiensis; de cujus sententiæ aliqua per remedium appellationis revocatione, cùm nihil per Opponentem allegatum, nihil probatum sit, pro eadem stat præsumptio juris quoad justitiam & solemnitatem; & ut dicit Alexander, *consil. 30. ponderatis. n. 7. vol. 5.* non tantùm quoad rectitudinem, sed etiam rititudinem, pro re judicata & veritate haberi debet, *l. Res iudicata. De reg. iuris.* Et quàm improbabiliter hujusmodi collatio dicto Dionysio facta fuerit, & quanta cum usurpatione juris alieni, clarissimè percipitur ex modo & forma illius; quòd scilicet non sit facta purè & absolutè, sed sub certis conditionibus & cautelis, apertam significationem facientibus, quod certo jure devoluto non pertinebat ad dicti Capituli S. Germani Turnarium: † ex hujusmodi enim nimis anxijs & conquisitis cautionibus seu cautelis, & insolitis [5] clausulis, solet fraus & dolus deprehendi & detegi, *l. Si quis sub conditione. & ibi Bald. in fin. De condit. instit. & in c. Quia verisimile De præsumpt.* Cur enim hujusmodi cautione & indemnitate tibi Turnarius seu Capitulum prospicere debuit, si hoc indubitatum erat, ad ipsum tunc jure devoluto pertinuisse collationem Canonicatus, quam tam trepidâ manu tunc conferebat homini audaci, & casum fortunamque experiri volenti, adversus eum, cui tunc jure ordinario per dictos Collatores de eodem Canonicatu provisum erat, sed non tam audaci, ut auderet etiam solutis juribus receptionis, realem

possessio-

possessionem, nisi post aliquot menses, accipere? Viterius ut verum esse concedatur, quod ad Decanum & Capitulum S. Germani perinde quoad Canonicatus, ut ad modici valoris beneficia, jus devolutionis ex negligentia dictorum collatorum pertineat; non potest tamen illius in proposito casu aliqua esse consideratio: tum ex eo quod nulla fuerit Collatorum negligentia, per hoc, quòd hunc Canonicatum diu ante lapsum semestris ipsis ad eum conferendum competentis, contulerint Antonio van Houthem; ita quod cessante causâ devolutionis, hoc est, Collatorum negligentiâ, effectus illius cessare debeat, *c. Cum cessante De appellat.* tum ex eo, quod satis constet, & si res postulabit latiùs constare poterit, quod hic idem Canonicatus per dictum Capitulum S. Germani, seu ejus Turnarium, semel ex hoc prætenso jure devoluto in mense Augusto anno 1579. (quo semestre dictis collatoribus competens lapsum dici poterat) collatus fuerit cuidam Domino Petro Capellano Episcopi Buscoducensis, qui illius quoque possessionem saltem de facto obtinuit, ut constat ex attestatione Domini Ioannis Pay-tout & Francisci Eyken: nam per hujusmodi prætensam collationem jus devolutionis, si quod illi tunc delatum fuit & competijt, ut minimùm consumptum fuit; nec potuit vigore illius amplius ex parte dicti Decani & Capituli Thenensis, aut eorum Turnarij idem Canonicatus alij conferri. † Ius enim devolutionis non eripit ordinario collatori negligenti 6
in perpetuum jus collationis, sive in eodem, sive in alijs beneficijs; sed dumtaxat pro illâ vice: ita ut postea recurrente ejusdem vel alterius Canonicatus seu beneficicij vacatione, ordinarius jure suo pristino iterum conferre possit intra tempus à jure præscriptum, *c. 2. in fine. De supplen. negligi. prælat. c. Cum propter in fin. De iure patron.* ut regulariter cum quis ob aliquam culpam amittit jus eligendi seu conferendi, pro ea dumtaxat vice, non etiam quoad sequentes occurrentes vacationes illud amittit, *cap. Cum in cunctis §. fin. & ibi glos. in verbo Tunc c. Cum Vintonienſis in V. hac vice De elect. c. Inter dilectos in fine. De excess. prælat.* Quinimò si idem beneficium bis, seu per distinctas vices, diversis conferatur ab eo, cui hæc devolutio obtigit, saltem non cassatâ priore donatione seu collatione, in pœnam inconstantiæ & variationis (quæ etsi patronis laicis, non tamen Clericis seu Ecclesiasticis collatoribus permissa est, *c. Cum autem in fin. & ibi Panor. De iure patron.*) hoc adversus illum statutum est, quod pro ea vice conferendi nullam habeat potestatem, *per expressum text. in d. c. Inter dilectos in fine.* Vnde manifestum est Opponenti hujus causæ ex secunda hac jure devoluto de hoc eodem Canonicatu ipsi facta collatione, nihil juris potuisse competere; sive quia nullâ existente dictorum ordinariorum Collatorum negligentiâ, id non potuit Turnarius ex casu mortis D. Hectoris Lamijns; sive quia si competijt, eo semel usus dictus Turnarius, amplius uti non potuit ex novo casu alterius fortè vacationis contingentis, vel ex obitu, vel resignatione dicti Domini Petri; quam idem Turnarius non bonâ fide per hanc secundam supprimere conatus est.

7 Ex qua consideratione constituitur in Opponente secunda species intrusionis; quod scilicet ab eo titulum hujus Canonicatus prætendat, qui illius conferendi potestatem non habuit. Paria enim sunt; non habere titulum, & habere ab eo, qui illum dare non potest, *cap. fin. De excess. prælat. cap. Quia diversitatem, & ibi Panor. nu. 2. De concess. præben. Decius cons. 120. In causa nu. 3.* & in specie intrusus dicitur, qui beneficium jure devoluto accipit ab eo, quem scit aut scire debet eo jure conferre non posse, *Rebuff. in praxi benef. part. 2. ad regul. De surrog. litigant. gloss. 4. nu. 12. per c. fin. De excess. prælat.* Quæ intrusio cùm faciat vitiosum ingressum in beneficium, *cap. 1. De eo qui mittitur in poss. causa rei ser.* hoc inter alia operatur, quòd admitti aut audiri non debeat intrusus; non tantùm agendo, sed etiam excipiendo: ita quod objectus (ut aiunt) dari non possit adversus eum, qui ex colorato titulo adversus illum sive petitorio sive possessorio agit: non enim habet fundamentum colorati tituli, vel coloratæ possessionis; cùm intrusio utrumque inficiat, & vitiet: potissimùm quando causam & originem trahit tam ex parte collatoris, quàm collatarij, hoc est, tam ex defectu potestatis conferentis, quàm ex inhabilitate seu incapacitate collatarij; quorum duorum concursus hic manifestissimè conspicitur. Ex parte Collatorum quidem, hoc est dictorum Decani & Capituli S. Germani, quod extraordinarium jus temerè usurpando, hanc collationem fecerint; cùm illis id vel absolutè, & in universum non competat, nec competere possit ad Canonicatus dictæ Ecclesiæ S. Germani; vel si umquam competere potuit aut possit, non competierit saltem occurrente vel perdurante vacatione hujus Canonicatus ex morte Dom. Hectoris Lamijns; ob id, quòd de illo præfati Collatores ordinarij ea in parte potiores, tempestivè disposuerint, conferendo id Antonio van Houthem, ita ut nullo modo argui, aut per dictos Decanum & Capitulum S. Germani suppleri potuerit vel debuerit Collatorum ordinariorum negligentia: ut mera usurpatio alieni consistat in hac eorum incompetente collatione, ex prætenso jure devoluto. Ex parte verò Opponentis Collatarij, ob id, quòd sit persona inhabilis & incapax ad obtinendum hunc Canonicatum; propter tam manifestum & reprobrosum, quem patitur defectum natalium ex patre sacerdote natus, ut ipse fatetur exhibendo extractum de asserta sua dispensatione super eo, quod ex patre sacerdote natus fuerit; qui enim instrumentum seu scripturam exhibet, censetur confiteri contenta in illo, *l. Cum precium C. De lib. causa. l. Publia §. fin. ff. De pupill. Oldrad. cons. 198. Circa primum nu. 7.* † Qui 8
quidem natalium defectus in proposito tantus est, ut Opponens non tantùm in genere sit illegitimus, sed in specie etiam spurius & incestuosus: qui naturalis filij appellationem ob id non meretur, *Authen. Ex complexu C. De incest. & inutil. nupt. Ioan. Andreæ in c. Sine culpa. De reg. iuris lib. 6. Bart. in l. Etsi contra C. De nuptijs & ibi Salic.* sed ut turpis & infamis persona in Ecclesia seu Ecclesiastico ordine stationem habere non debet, *Goffredus in summa tit. De filijs presbyt. in princ.* nisi ex legitima & sufficiente dispensatione, qualem Opponens nullam profert, per quam potuerit

vel ad majores sacros ordines promoveri, vel ultra unicum simplex & minimè Canonicatum in illa Ecclesia, in qua pater ejus similem Canonicatum in vita sua habuit & resedit, obtinere. Ita quod nihil in proposito sit unde Opponens prætexere possit coloratum aliquem titulum ad sustinendum possessionem; cujus solius prætextu & fiduciâ existimat se in hoc possessorio judicio esse Impetrante potiorem; quasi tempore priorem: in quo etiam aberrat. Nam etsi hoc verum sit, Impetrantem ad possessionem hujus beneficij venisse primùm in mense Februario anno 1582. quam per intrusionem & de facto Opponens ex cooperatione sui Collatoris Turnarij ingressus est in Novembri anno 1579. & sic plus quàm toto biennio antè, verum tamen non est, eumdem Opponentem ea in parte superare, propter possessionem Antonij van Houthem antè acquisitam in Junio dicto anno 1579. & sic ferè quinque mensibus anteriorem:
9 † cujus Antonij possessio, ut & sequuta D. Germani van Mulck conjuncta cum possessione Impetrantis, uti ex juris ratione & virtute surrogationis oportet, *l. Id tempus. De usucap. l. De accessionibus De diver. tempor. præscrip. c. Is qui in ius. De reg. iuris. lib. 6.* facit, ut Impetrans indubitate in possessione sit prior ac potior.

Proinde cùm tam apertè vacillet & jus & possessio Opponentis, & in beneficiali causa etiam possessoria permittum sit Actori de defecto juris, & coloratæ possessionis sui adversarij, ad intendendum justificationem coloratæ suæ possessionis, ex qua agit, opponere, *Lud. Roman. cons. 347. Quoad articulum*: in eo constitimus, pro Impetrante in hac causa in pleno possessorio judicandum esse. Et si amplissimis DD. Iudicibus videbuntur aliqua in facto consistere, quæ causam & partes ad ulteriores probationes rejicere debeant, eidem Impetranti tamquam in aspectu apparentiora jura habenti, fiduciariam possessionem seu recredentiam adjudicandam esse; & nullâ ratione ad petitorium judicium rejicienda, quæ Impetrans non tantùm pro assertione possessionis suæ suorumque præcessorum, sed etiam juris ac tituli sui justificatione; & ulteriùs pro impugnatione tituli & possessionis, quibus Opponens nititur tam patenter & potenter in medium adduxit. † Nam quamvis in profanis
10 causis justitia possessionis non dependeat à justitia tituli, ideoque in interdicto etiam retinendæ de titulo seu jure proprietatis quæstio seu disputatio non admittatur; in beneficijs tamen Ecclesiasticis ipsa nuda possessio per se non subsistit, nisi ex causa proprietatis adjuvetur, ne ex nudæ possessionis prætextu vitiosus ingressus ad beneficium detur, *c. 1. De eo qui mitt. in possess. causa rei ser. lib. 6.* Ob cujus occasionem vitandam, judici non permittitur etiam ob contumaciam possessoris seu adversarij Actorem in possessionem beneficij mittere, *d. c. 1.* ut sit in alijs rebus profanis, *c. fin. eod. tit.* De quo minor hîc debet esse dubitatio, ob id, quòd Opponens notoriè sit inhabilis & incapax tam juris, quàm possessionis hujus litigiosi beneficij in ea Ecclesia, in qua priùs similem Canonicatum obtinuit & resedit pater ejus, ex quo in sacro sacerdotij ordine constituto ipse spurius filius progenitus est, maculâ hujusmodi genituræ adhuc, saltem quoad obtinendum hoc beneficium, fixè ei inhærente, remedio alicujus validæ dispensationis etjam de præsenti minimè detersa vel abolitâ. Quæ omnia sic ad oculum patent, ut majorem vel altiorem disquisitionis indaginem minimè requirant; & ob id nec dissimulari, nec ad ulterioris judicij cognitionem vel dispensationem rejici possunt aut debent.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum

SVMMARIVM.

De Clericorum ordinatione.

1. *Episcopus alterius diœcesis hominem ordinare non debet, nisi in certis casibus.*
2. *Scholaris à suo Episcopo ordinari debet.*
3. *Episcopus quando possit alienigenam ordinare.*

CONSILIVM XXXI.

IVSTAM dubitationem non habet, quod proponitur, in tam evidente sacrorum Canonum definitione, * arctè prohibente, ne Archiepiscopus aut Episcopus alienæ diœcesis 1
sive laicum, sive clericum ordinet; neve sive clericus sive laicus ordines ab alio quàm à proprio Episcopo petat & accipiat, *c. Clericos, 71. distin. per totum c. Eos. c. ult. De temporib. ordinat. libr. 6. Conc. Trident. Sess. 6. De reformat. cap. 5. & Sess. 14. De refor. c. 2.* sed arctæ huic prohibitioni subjuncta est exceptio de illis, qui proprium Episcopum non habent, aut proprias civitates perdiderunt, vel necessitate ad alias Ecclesias migraverunt, *d. c. Clericos 71. distin.* sive ex hostilitate, *c. Fraternitatem, distinct. 71.* sive ex alia necessaria causa, etiam famis, aut pestis; ut quamdiu illa durat, *Præpositus d. 71. distinct. in princ.* tamdiu prædictæ prohibitionis effectus sit relaxatus, & petendorum ac conferendorum ordinum à vicino quocumque Catholico Episcopo potestas, *Archid. in d. c. Eos. nu. 2. & eum secuti ibidem Gemin. Ant. Butrius, & Ioan. de Turrecremata, & novissimè Phil. Francus.* * Quod etiam 2
scholaribus ab Interpretibus accommodatum est; ut quamvis scholares propter scholaritatem hoc privilegium non habent, nec possint ab alio, quàm suo originario Episcopo ordinari, & perinde in eis, ut in alijs locum habeat dicta prohibitio, *gloss. in d. c. Eos. in V. figmento*; exceptionis tamen beneficio gaudere quoque debeant, si proprium Episcopum, cui obsecundet, Ecclesia non habeat; aut propriam Ecclesiam seu diœcesim perdiderint per oppressionem aut occupationem hæreticorum aut hostium.

Cùm igitur hi, de quibus proponitur, ex eis sint 3
diœcesibus, quæ vel Episcopum non habent; vel is, quem habent, inde pulsus in exilio etiam voluntario agit; perdiderint quoque propriam patriam seu civitatem, quos à suo proprio Episcopo consequi nequeunt ordines; meritò petere possunt à vicino alterius diœcesis Catholico Antistite, præsertim quia nec ullum sit in propria diœcesi

Capitu-

Capitulum, à quo literæ dimissoriæ peti possent, *c. Cum nullus, vers. Episcopo, De temp. ordin. in. li. 6.* Et sanè si ex ea sola causa quis ab alterius diœcesis Episcopo ordines petere & accipere licitè potest, quòd proprius Episcopus à collatione ordinum suspensus est, *d. c. Eos. versic. Clericis*, quod impedimentum in brevi momento tolli potest; multò magis id permissum censeri debet his, qui proprium Episcopum non habet, & propriam Ecclesiam sic perdiderunt: ita ut hâc ratione ex justa causa illis succurri debeat, non afflictio addi, nec tam pio strenuoque conatui impedimentum injici vel præstari, *c. Ex parte, De cleric. ægrot.* In re itaque tam manifesta latiùs insistendum non est.

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

SVMMARIVM.

Dignitatum capacitas.

1. *Literæ gratiæ ex surreptione vitiantur.*
2. *Præposituram minor obtinere non potest.*
3. *Beneficia idoneis & capacibus conferenda.*
4. *Dispensandi potestas non competit ex data potestate conferendi.*
5. *Dispensatio posterior non facta à mentione prioris nulla est.*
6. *Præbendæ an inter simplicia beneficia censeantur.*

CONSILIVM XXXII.

INDVBITATVM est, literas gratiæ, & præsertim ad beneficia, vitiari & ipso jure esse nullas ex defectu veritatis narratorum in supplici libello prò obtinenda gratia porrecto, si ex certa scientia hujusmodi narratio facta sit *c. Super literis De rescrip.* Proinde cùm ostensa nobis bulla dicatur ex assertione supplicantis, eundem supplicantem obtinere ex dispensatione Apostolica aliam Præposituram, cùm in veritate sine dispensatione illam obtineat, non videmus, quâ ratione posterior gratia seu dispensatio super defectu ætatis Abbatiam secularem obtinendam, & cum dicta Præpositura retinendam sustineri possit.

Eo enim præsuppositio, quòd non potuerit dicta
2 Præpositura sine dispensatione Apostolica obtineri ab eo, qui annis minor est, uti de jure cõmuni non potuit, *c. Cum in cunctis §. inferiora De elect. c. 1. De ætate & qualit. & ordin. præfic. lib. 6.* consequitur, concessionis causam pro magna parte consistere in dicta dispensationis narratione; non quasi ex una dispensatione ad aliam fiat transitus, sed quòd eo narrato, quòd dicta Præpositura sine dispensatione fuerit obtenta & retenta, cõtemptus Sedis ac reverentię Apostolicæ argui possit, qui concedentem propterea verosimiliter à concessione retraxisset. †

3 Deinde quamvis proponatur, dictam Præposituram, sive jure patronatus, sive alio jure privilegiario per Pontificem conferenti permisso, sine confirmatione aut approbatione Sedis Apostolicæ conferri potuisse; hoc tamen ex adverso quoque certum est, potuisse non conferentem eandem Præposituram conferre, nisi capaci & idoneo, *c. cum vos & ibi glos. in V. minus idoneæ De offic. ind. ordin.* quæ capacitas ex solo jure communi, vel per Apostolicam Sedem, & certis casibus per Episcopum, ac minimè per patronum laicum dispensativè concedi potest, *d. c. Cum in cunctis, glos. in c. Cum dilectus, De elect. d. c. 1. De ætate & qualitate præfic. lib. 6.* * Neque ex concessione potestatis conferendi, concessa videri debet potestas dispensandi, aut conferendi defectum ætatis patientibus: hæc enim potestas specialem concessionem requirit, *c. Auctoritate De privileg. lib. 6. Calder. cons. 3. De offic. Vicarij, Felin. in c. At si Clerici §. De adulterijs De iudic.* 4

Cùm ergo sine dispensatione, saltem super de- 5
fectu ætatis non potuerit à majore obtineri dicta Præpositura, mentio dispensationis omninò necessaria fuit, ut secunda dispensatio sustineri aut valere posset, *c. 2. De filijs presbyt. lib. 6. Iason in l. Nec damnosa C. De precib. Imp. offeren.* & quatenus mentio prioris dispensationis fide veri destituitur, non videmus, quâ ratione in periculo non sit secunda hæc dispensatio. Consultum itaque est, ut hujusmodi vitium, per novam gratiam Apostolicam tollatur; alioquin in periculo versabitur impetrans per dictæ Abbatiæ assecutionem quoad alia quæ possidet beneficia, si non simplicia omnia, saltem ea, quæ sunt incompatibilia; puta dignitates & alia curata beneficia. * Inter simplicia reputari con- 6
sueverunt Canonicatus & præbendæ nedum Collegiatarum, sed & Cathedralium Ecclesiarum, *c. Execrabilis & ibi glos. in verb. Quæ aliàs De præben. in extravag. communibus. Ioan. Calder. cons. 1. sub. tit. De filijs presbyt.* qui sacramentorum administrationem, aut curam animarum, vel præeminentiam cum jurisdictione non habent, *Rebuff. in praxi benefic. parte 1. tit. Quotuplex sit beneficium. n. 12.* ad quos etiam illi, qui septimum ætatis annum compleverunt, habiti sunt idonei, *c. Si eo tempore De rescript. lib. 6. glos. in c. Ex eo in V. in tua De elect. lib. 6.* Quamvis ea in parte Concilium Tridentinum videatur mutationem induxisse, quæ non immeritò attendenda. *sess. 24. De reform. c. 17.*

De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

SVMMARIVM.

Minor dignitates habere vel Coadjutor dari nequit.

1. *Surreptio & obreptio vitiant gratias Apostolicas.*
2. *Concessionis causa falsa existente non valet concessio.*
3. *Coadiutoriarum usus non est in beneficiis administrationem non habentibus.*
4. *Minor Coadiutor dari non potest.*
5. *Valoris falsi expressio vitiat gratiam.*
6. *Familiaritatis vel Notariatus falsa expressio vitiat gratiam & punitur.*
7. *Minor dignitatem obtinere non potest sine dispensatione.*
8. *Beneficia & dignitates non nisi qualificatis conferri debent.*

9. *Signatura nuda ius non tribuit, nisi literis expeditis.*
10. *Regula Cancellariæ* De non judicando secundum formam supplicationis.
11. *Gratia*, perinde valere, *effectus.*
12. *Clausula irritantis effectus.*
13. 19. *Concordatorum nationis Germanicæ potestas.*
14. *Importunitate extorta non valent.*
15. *Nota specialis quæ indigent specialiter notari debent.*
16. *Concessio generalis non continet illicita.*
17. *Sententijs licet iudicandum non sit, movere tamen possunt.*
18. *Pœna sunt, tempore prohibito fieri, & in tempus prohibitum conferri.*
20. *Præpositura carens administratione, an simplex sit beneficium.*

CONSILIVM XXXIII.

VIsis his, quæ in contentione obtinendi denegandique placiti hincinde in Amplissimo Concilio Brabantiæ, inter Balduinum d'Oingnies Supplicantem ex una, & Nobiles ac Religiosas Dominas, Abbatissam, & Capitulum Ecclesiæ Nivellensis, adjungentemque se illis Generosum D. Ioannem à Berlaymont Protonotarium Apostolicum, dictæ Ecclesiæ Præpositum Opponentes, partibus ex altera, allegata, proposita & exhibita sunt; deprehendimus causas oppositionis dictorum Opponentium esse justas ac rationi consentaneas.

1 Nam in primis, ut ordinem eorum quæ ab Opponentibus proposita sunt sequamur, ea detegunt illa objectum vitium surreptionis & obreptonis, ut planè annullent gratiam Apostolicam super Coadjutoria D. Balduino concessam, *c. Super literis De rescript. l. Etsi legibus C. Si contra ius, c. 2. & ibi glos. & Doct. De filijs presbyt.* cùm ejus generis sint pleraque omnia, ut vel falsò suggesta Pontificem ad concedendum hujusmodi gratiam proculdubio permoverint: vel suppressa & subticita, denegandi aut difficiliùs concedendi, occasionem subtraxerint. * Et sanè inter falsò narrata præcipuum

2 illud est, quòd causa administrationis commodioris petita dicatur hujusmodi Coadjutoria in Præpositura Nivellensi; cui per ætatem, impotentiam, & Episcopalem curam satisfacere ampliùs non poterat Reverendissimus Episcopus Cameracensis, tunc illius possessor: latet enim in ea narrationis parte causa concessæ seu concedendæ Coadjutoriæ, *cap. De rectorib. c. Ex parte De Cler. agrot.* sic ut ex falsitate seu defectu hujusmodi causæ concessionis concessio ipsa vel cessare, vel nulla reputari debeat, *c. Relinqui & ibi Panor. in 3. notab. De custod. euchar.*

3 Nunc itaque cùm proponatur ab Opponentibus, Præposituram Nivellensem in dicta Ecclesia Nivellensi; neque in temporalibus, neque in spiritualibus ullam habere administrationem; sed titulo tenus tantùm dignitatem esse, alioqui per omnia simplicem beneficium, quod sub simplici tonsura obtineri possit, nullam requirens personalem residentiam, deficiente materiâ administrationis, quæ Coadjutoriarum unica & sola est causa, *Rebuff. in praxi benef. sub tit. De reprob. benefic. viven. impetr. Gloss. 7. n. 59 & 60.* obtinendi Coadjutoriam nullus potest esse color: tantò que minùs hîc, quòd ex eventu compertum sit, Balduinum administrationi dictæ Præposituræ vivente Reverendiss. Cameracensi numquam manus admovisse, sed administrationis prioris (qualiscumque illa fuit, & ferè nonnisi fructuum & emolumentorum) curam & operam semper apud eumdem Reverendiss. Cameracensem permansisse, & usque ad illius mortem continuatam fuisse: non enim præsumitur alienatum aut abdicatum, in cujus usu, exercitio, aut possessione perseveratur, *l. Et qui sub imagine C. De distract. pignor.* cujusque transferendi ex persona, in quam facta dicitur translatio, justa decst occasio; * ex eo videlicet, quòd Balduinus, qui admi- 4
nistrationis causa datus dicitur Coadjutor, administrationis ex imperfecta ætate sit incapax, ut absurdum & incivile sit, cum, qui ex suæ personæ conditione rebus suis gerendis & administrandis superesse non potest, & ipse administratore seu curatore eget, alienis rebus administrandis præfici, § *minores autem instit. De excusat. tutor.* Quod facto suo proprio satis manifestè declaravit dictus Balduinus per exhibitionem supplicationis pro obtinenda gratia, *perinde valere*: nimirum suæ Coadjutoriæ priùs obstitisse ætatis imperfectionem, uti mox dicemus.

Inter falsò narrata illud quoque magnam ha- 5
bet considerationem, & in vitiando titulo seu gratia dicti Balduini maximum effectum, quòd dicta Coadjutoria sit expedita expresso longè minore valore, quàm verè quotannis valeat Præpositura ab impetrata scilicet Coadjutoriâ sub valore viginti quatuor ducatorum auri de Camera; cùm, ut per Opponentes propositum est, singulis annis valeat ultra quadringentos ducatos: nam veri valoris suppressio, minore scilicet valore expresso, facit, ut gratia impetrationis ipso jure sit nulla, *Rota decis. 336. nota secundum opinionem De rescript. in antiq. Felin. in c. Ad aures in 2. concl. & ibi Decius in 3. conclus. De rescript.* quam alioqui nullo valore expresso sustineri posset, *glos. in Clement. 1. De præben. Rota decis. 290. Licet impetrans in novis, alias est 20. De præbend.* Quod vitium nullitatis ex obreptione hîc tanto majus est, quòd non motu proprio, sed ad ipsius Balduini preces & instantiam dicta Coadjutoria sit expedita, ut patet ex dictæ bullæ seu gratiæ parte narrativa. Et sanè quod ex hac parte oritur surreptionis & obreptionis vitium, longè maximum est; specialibus etiam & perpetuis singulorum Pontificum regulis Cancellariæ semper damnatum, *Lud. Gomesius ad regul. Cancell. De valore exprimen. in princ.* quod etiam per nudam signaturam gratiæ, *perinde valere*, nullâ ratione expurgatum inventur: cùm in eo non nisi de alijs vitijs, de quibus postea agemus, facta fuerit mentio.

Huic accedit falla suggestio Notariatus & fa- 6
miliaritatis in principio dictæ bullæ mentionata: nam præterquam quod hujusmodi qualitates plurimùm movent Pontificem ad ijs, qui hujusmodi qualitatibus præditi sunt largiùs liberaliùsque concedendum, propter familiarium Papæ, & Cardinalium, & Notariorum Apostolicorum prærogativas,

Paul.

Paul Pariſ. conſ. 77. In cauſa, vol. 4. Rebuff. in d. ſua praxi parte 1. tit. De reſcripto etiam & perinde valere, n. 47. ipſo etiam jure excommunicationem incurrit dictus Balduinus hujuſmodi falſas qualitates ſibi arrogando, *Pariſ. d. conſ. 77. n. 10.* Quod vitium obreptionis ſimiliter cenſeri nequit expurgatum per gratiam *perinde valere*, propter rationes infrà dicendas. Quibus etiam ceſſantibus, adhuc inutilis hac in parte foret eadem gratia, *perinde valere*: quia quamvis expurgata inveniatur in dicta gratia falſa narratio Notariatus, non invenitur tamen in eadem expurgata falſa narratio familiaritatis; quæ non minùs movit Pontificem, quam Notariatus: ſic ut ex unius falſæ narrationis expurgatione, argui non poſſit ad aliam, cujus nominatim nulla facta fuit mentio, ut paulò poſt dicemus.

Sed nunc veniamus ad ea, quæ ſuppreſſa ſunt, inter quæ illa primò occurrunt, quæ ipſius Balduini propria conſcientia & judicio, bullæ ſeu gratiæ ſuper dicta Coadjutoria conceſſæ, omninò obſtant, videlicet minor ætas Balduini, & ſtatuta Eccleſiæ Nivellenſis, de non promovendo ad Præpoſituram, qui actu non ſit dictæ Eccleſiæ Canonicus. * Primum enim tantæ efficaciæ eſt, ut ipſo dictæ Coadjutoriæ aut Præpoſituræ acquirendæ omninò obſtet: non poteſt enim ulla dignitas obtineri ab eo, qui viginti quinque annis minor eſt, *c. Cum in cunctis §. inferiora De elect. Card. in c. Generali De elect. lib. 6.* ſaltem ſine diſpenſatione Apoſtolica *Rebuf. in praxi parte 2. tit. De diſpen. tat. ætat. n. 4.* ſic ut illegitimæ ætatis omiſſa expreſſio impetrationem omninò vitiet, *c. Si eo tempore De reſcrip. lib. 6.* 7

Secundum quoque parem ferè poteſtatem habet; cum enim certa requiratur qualitas, ut obtineatur Præpoſitura; & Iuri conformè ſit, ut quemadmodum electio ex gremio & ordine eligentium fieri debet, *c. Cum cauſam De elect.* ita quoque quæ electioni ex voluntate Pontificis ſubrogatur Apoſtolica proviſio, *c. Eccleſia. Vt lite pend.* qualitatis alterius ſeu contrariæ prætermiſſa narratio, gratiam vitiare ſolet, *Clem. 1. De præben. Caſſadorus deciſ. 12. De præb.* cùm beneficia non niſi qualitates à Iure, conſuetudine, vel ſtatuto præſcriptas habentibus, conferri debeant, *c. Cum ſingula §. prohibemus De præben. lib. 6.* † Quæ quidem vitia per dictam nudam ſignaturam, *perinde valere*, expurgata videri non poſſunt, ſaltem non ſic, ut hujuſmodi ſignaturæ nunc ulla habenda ſit ratio: nuda enim ſignatura nihil aliud eſt, quàm quod ipſum nomen etiam ſignificat; nuda videlicet ab omni juris effectu, cùm ſignatura ſola jus non tribuat, & ſine expeditione literarum ſeu bullarum ex ſignatura, gratia formam & perfectionem non accipiat *Lud. Gomeſ. ad Reg. Cancell. De non iud. ſecund. for. ſup. quæſt. 1. in prin.* cùm aliter quàm per literas expeditas gratia probari non poſſit, *Rota deciſ. 382. Licet Romana Curia, alias eſt 27. De reſcrip. in novis*; & vigore nudæ ſupplicationis poſſeſſio beneficij capi nequeat, *Felin. in c. Veniens De accuſat.* neque ſecundùm eam, aut ſuper ea per quemquam jus dici poſſit, * editâ etiam ad hoc per ſingulos Pontifices ſpeciali regula Cancellariæ, *De non iudicando ſecundum formam ſupplicationis, ſed literarum expeditarum*; quam tradit Lud. Gomeſius, *in d. q. 1.* à jure non eſſe exorbitantem, ſed Iuri communi omninò conſentaneam. 8 9 10

Cùm itaque Papæ annuentis dictæ ſupplicationi, ſeu dictam nudam ſignaturam concedentis, voluntas ſit, ut nullæ vires vel fides eidem ſignaturæ ante literas expeditas attribuantur; nihil eſt, quod Ampliſſimos Dominos movere debeat hujuſmodi ſignaturæ exhibitio. Nec quicquam facit, quòd dicta ſignatura videatur tantùm eſſe acceſſio ad principalem bullam, quodque ideo propter illam ſuſtineri etiam ſine expeditione literarum debeat: nam ex contrario dicimus; dictæ ſignaturæ materiam, principalis cauſæ magis, quàm acceſſionis locum obtinere; † gratia enim *perinde valere*, ſuſtinet antecedentem gratiam in aliquo defectu laborantem, cui accommodatur: qui enim gratiâ *perinde valere* utitur, manifeſtè indicat, quod ſine illa antecedens gratia ſeu bulla ſuſtineri non potuiſſet, nec virtute illius agi ſine hac gratia revalidatoria, ut eleganter diſputando decidit Lud. Gomeſius, *in d. reg. De non iudic. quæſt. 7.* quòd videlicet dicta regula Cancellariæ etiam locum habeat in gratia revalidatoria, ſeu *perinde valere*, ut in ea expeditio literarum ſeu bullarum requiratur, ſicut in principali antecedente gratia. Quâ tamen regula ceſſante, ex dicta ſignatura vitia dictæ bullæ ſatis expurgata dici non poſſent. Vt enim gratia *perinde valere* effectum & utilitatem habeat, neceſſe eſt omnes defectus in ea exprimi; ſic ut unius vitij, erroris, vel defectus expreſſio, non ſuppleat alios non expreſſos, *l. 1. §. Si plura 5. d. c. Turp. l. Gemin. conſ. 15. Reverende pater n. 16. Rebuffus in ſua praxi ſub tit. De reſcripto etiam & perinde valere nu. 37.* ſublato enim uno malo, remanent cætera, *c. Ex tuarum De auth. & uſu pall.* Quæ ſingula vitiandi & annullandi vim ſufficientem ex ſe habent, qualia ſunt illa, quæ ſuperiùs inter falsò narrata recenſuimus. 11

Quibus adjicitur etiam aliud longè potentiſſimum vitium, quod poſtea ſupervenit, videlicet quòd hæc Præpoſitura vacaverit in menſe Auguſto, qui ex concordatis nationis Germanicæ pertinet ad Ordinariorum collationes, electiones, & alias quaſcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitiones: ſic ut ex ſummi Pontificis quibuſcumque gratijs exſpectativis vel præventivis, Ordinariorum jus, collatio, electio, ſeu diſpoſitio turbari non poſſit, & irritum prorſus atque inane fit, quodcumque per quemcumque etiam ſummum Pontificem in contrarium fit. * Clauſula enim irritans dictis concordatis per Pontificem inſerta, ipſum etiam Pontificem ligat, *l. Quidam & ibi Gemin. De præbend. lib. 6.* Ita ut prætacta gratia Coadjutoriæ, vel conditionem in ſe ab initio continuiſſe dici debeat, quoad ſucceſſionem in Præpoſitura, ſi videlicet vacationis tempore occurrente ad collationem ſeu proviſionem Papæ dicta Præpoſitura aliquâ ratione ſpectaret, quæ nunc defeciſſe invenitur; vel ſi pura & ſimplex eſt, valere non potuerit, dictis concordatis obſtantibus, † quæ electionum integritatem, & ordinariorum menſes nullis Papalibus præventionibus impediri patiuntur: ſic quòd quia in menſem Auguſtum incidit dictæ Præpoſituræ vacatio, dictæ futuræ ſucceſſionis gratia aberraſſe ſeu defeciſſe dici debeat, præſuppoſito ſcilicet, quòd dicta concordata locum obtineant, & alternativæ collatio- 12 13

collationis seu provisionis usus, vigore dictorum concordatorum, in Ecclesia Nivellensi vigeat. Quod etiam satis probabile sit non tantùm ex declaratione Cæsareæ Majestatis Caroli Quinti *de anno* 1554. *nona Februarij*, quâ propter Cameracum totius Cameracensis diœcesis caput, Germanicæ nationis Imperio subjectum, dicta concordata per totam Cameracensem diœcesim observari mandavit: ut eâdem ratione propter Leodium, Leodiensis etiam diœcesis caput, eidem Imperio notorie subjectum, per totam diœcesim Leodiensem, & sic etiam Nivellæ in eadem Leodiensi diœcesi sitæ servanda sint: verùm etiam quod per Iulium Papam Tertium dictæ Coadjutoriæ auctorem, motu proprio, & ex certa scientia declaratum sit, hujusmodi concordata observata esse in civitate & diœcesi Leodiensi nationis Germaniæ. Quorum quidem concordatorum tantam volunt esse vim atque vinculum, ut ne summi Pontifices ordinaria vel absolutâ potestate, sine dictæ Nationis consensu, revocari possint; quasi talis constitutio, quæ naturam assumit contractus, liget etiam ipsum Papam seu Principem; non aliter, quàm privatum quemque quilibet contractus: etiam si alioqui Princeps legibus solutus sit, *cap. 1. De probat. Bald. in l. Princeps De legib. eleganter Lud. Rom. cons. 352. Quaritur primo, nu. 16.* Quod ipsum manifestè prædictâ Iulij declaratione expressum est, videlicet, quòd prædicta concordata vim pacti inter partes habere debeant, & quæ ex pacto constant, absque partium
14 consensu abrogari non consueverint. † Sic ut parùm operetur clausula derogatoria dictæ Coadjutoriæ inserta, sub his generalibus verbis, *ac gratia ipsa inter eos & sedem præfatam vim initi contractus habere debeant* &c. quòd ea vel importunitate Balduini adjecta sit, sicuti frequenter in nonnullis causis Papa aut Princeps inverecundâ petentium inhiatione constringitur, ut non concedenda tribuat, quæ tamen sic extorta nihilo plus firmitatis aut roboris habere debent, *l. 1. C. De petit. bon. subl. lib. 10.* vel sine Balduini machinatione adjecta, per se resolvatur, propter prætactam clausulam decreti irritantis; quâ diximus etiam Papæ manus sic ligari, ut in contrarium per eum acta nihil valeant, *d. c. Quodam, & ibi Gemin.* vel denique quod per generalia hujusmodi verba non comprehendantur concordata tam notabilia, non cum uno aut altero, sed tota Natione Germanica, quæ la-
15 tissimè patet, inita. * Quæ enim notabiliter facta sunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta vel prætermissa, vel non cogitata videntur, *l. Item apud Labeonem §. aut prator ...r. l. Cum Aquiliana De*
16 *transact.* * Cùm etiam generali concessione non veniant illicita, *l. Quod servus De acquir. poss. l. Si pater Quæ in fraudem cred. l. Si procurator De condit. indeb.* illicitum autem esse diximus, alterutrâ parte invitâ, à concordatis & pactis recedere *l. Sicut. C. De obligat. & act.* à quibus etiam præfatus Iulius Papa dictæ Coadjutoriæ auctor, in prætacta declaratione omnibus & quibuscumque Iudicibus recedendi, aut illa aliter judicandi, vel interpretandi
17 facultatem ademit. * Et quamvis exemplis judicandum non sit *l. Nemo C. De sentent.* sententiæ tamen à viris magnæ auctoritatis vel in summis tribunalibus latæ, præsertim in dubio, & juris obscuritate, si non exemplum judicandi, saltem vim & effectum instruendi ac commovendi in simili per omnia negotio, adferre debent, *Bald. in d. l. Nemo n. 3.* Proinde cùm exemplum sententiæ super Archidiaconatu Campiniæ latæ per Opponentes exhibitum, huic proposito casui per omnia satis sit simile (per quam sententiam, non obstante Coadjutoriâ, cum futura successione peranteà legitimè expeditâ, pro ordinaria collatione judicatum fuit, quia Archidiaconatus in ordinarijs collatoribus reservato mense vacaverat, idque virtute dictorum concordatorum) existimamus, hoc exemplum in hac causa ex rationum & terminorum paritate, observandum & sequendum esse.

Adversus quæ nihil facit Supplicantis allegatio, quòd dicta Præpositura in dicto mense Augusto non debeat videri vacasse, imò simpliciter non vacasse, quia vivo etiam Reverendissimo Cameracensi de eadem Præpositura sibi facta provisum, virtute clausulæ, *Ex nunc, prout ex tunc* &c. Nam id rationem non habet; tum quòd vivente Reverendissimo Cameracensi id dici non potuerit, quia à duobus id possideri aut obtineri non potuit, *l. Si ut certo §. duobus vehiculum D. commodati*; & ut viventis non est hæreditas, *l. Opimone C. De usucap. pro hærede*; ita nec successio in beneficio, nisi inde recedente eo, qui prius ib obtinuit; tum quòd dicta clausula non trahat vacationem ad tempus datæ literarum, sed è diverso tempus datæ literarum ad tempus vacationis; sic ut sine nova collatione aut provisione, virtute earumdem literarum, acceptari potuisset, si nullum aliud impedimentum obstitisset. * Quâ itaque ratione non valuisset Papæ provisio, si quo tempore facta fuit hæc gratia, ad 18
ejus collationem vel provisionem non pertinuisset hæc Præpositura, eadem nec valebit collata vel incidens in id tempus, quo non Pontificis, sed alterius ex jure dictorum concordatorum fuit collatio: paria enim sunt aliquid facere tempore prohibito seu inidoneo, & dispositionem in illud tempus vel conferri vel incidere, *l. Oratio De sponsa. l. Quod sponsa C. De donat. ante nupt.* & rursus aliquid ab initio esse inidoneum, vel ex post facto devenire ad idoneitatem, *l. Nec interest Ad leg. Falcid. l. pen. De act. empti.* Vacationis autem tempus considerandum esse ipsa bulla apertè exprimit; quæ expresse vacationis omnes modos expressit. Quemadmodùm etiam ipse Balduinus in sua supplicatione signaturæ, *perinde valere*, petijt sibi concedi, ut Præposituram prædictam illius occurrente vacatione, assequi & obtinere possit & valeat: sic ut quâ ratione sine vacatione ad eamdem pervenire non potuisset, *c. Ne captandæ De concess. præbend. lib. 6.* eadem vacationis incidentis seu occurrentis considerationem omninò admittere debeat.

Postremò illud quoque in re præsenti momenti aliquid habere videtur, quòd ad obviandum 19
abusibus, qui circa viventium beneficiorum impetrationem committuntur, constitutione seu ordinatione Caroli Quinti Imp. *anno* 1541. 21. *Octob.* cautum sit, ne literæ Placiti concedantur super Coadiutorijs in præbendis aut alijs simplicibus beneficijs: nam quamvis Præpositura, de qua agitur, sit dignitas; quia tamen, vt proponitur, nullam administrationem in temporalibus & spiritua-

libus

libus habet, simplicium beneficiorum naturæ magis accedit *c. præsenti & ibi gloss. de off. ordin lib. 6.* materiâ potiùs quàm nomine inspectis; & cùm mens dictæ ordinationis sit, excludere Coadiutorias, vbi coadiuvandi propter defectum administrationis nulla est necessitas aut probabilis occasio, manifestè videtur hæc Coadiutoria ad prohibitionem dictæ ordinationis pertinere: mens enim & ratio legis magis, quàm verba inspicienda sunt. *l. Cum ratio De pœnis. quæ lib. damnatorum conced. Nicol. Everard. in loco à ratione legis stricta.* Et cùm eâdem ordinatione inuitè prohibeantur Coadiutoriæ in omnibus præbendis, nullâ distinctione inter Cathedrales aut alias Collegiatas præbendas factâ; Cathedrales autem Canonicatus & præbendæ dignitates sint *c. Statutum & ibi gloss. De rescript. lib. 6.* videtur rectè dici posse, prohibitam esse concessionem Placiti super quocumque beneficio, vbi Coadiutoriæ concedendæ vera ratio non subest, hoc est, vbi nulla est in spiritualibus vel temporalibus præterquam percipiendi proventus ratione beneficij, administratio.

His itaque rationibus, quibus omnia fundamenta iuris quod præfatus Balduinus virtute dictæ Coadiutoriæ ad Prætactam præposituram prætendit, aduersa videntur; & per quas velut in primo aditu ac limine defectus iuris ipsius detegitur, credimus Amplissimos Dominos animi sui motum informare posse ad denegandum Balduino Placitum Regium super dicta bulla, & præscindendum occasionem & materiam multarum longarumque litium, quæ concesso Placito inter dictas partes esse, & durare poterunt sine spe obtinendi quoad præfatum Balduinum. *Sic iudicatum in Consilio Brabantiæ 12. Martij 1588.*

De filijs presbyterorum.

SVMMARIVM.

Spurius non potest esse beneficiatus.

1. *Spurius irregularis est, & incapax ordinum ac beneficiorum, nisi ex dispensatione.*
2. *Filius presbyteri dispensatus ad ordines; an censetur dispensatus ad beneficia.*
3. *Dispensatio illegitimi ad maiores ordines vel ad beneficium curatum vel ad plura reservata est Sedi Apostolicæ.*
4. *Potestatis defectus in actu quovis omnium maximus.*
5. *Dispensatus ad unum beneficium, an eo dimisso aliud acceptare possit*
6. *Dispensatio indefinita ad beneficia, quæ & quot contineat.*
7. *Impedimentis pluribus concurrentibus unum tolli non sufficit.*
8. *Spurius non potest esse beneficiatus in Ecclesia, in quæ eius pater ministravit.*
9. *Constitutio nova quando extendat effectum suum ad præterita & pendentia.*
10. *Intrusus quis dicatur.*

CONSILIVM XXXIIII.

Vide in eadem causa sub CONS. XXX.

CONCEDENDO D. Ioanni Pamele Opponenti, quod D. Godefridus Hombeke impetrans in lite possessoria pro Canonicatu & præbenda in Ecclesia Collegiata S. Germani Thenensis sibi concedi postulat, propter allegatam per Opponentem originalium literarum de sibi collata tonsura clericali amissionem, & præsupponendo, rem ita se habere, aliud occurrit, quod potentius Opponenti ad constituendam idoneam qualitatem, pro obtinendo & retinendo illo Canonicatu, ex iuris communis dispositione resistit, hoc videlicet, quòd Opponens non tantùm non negavit, sed satis manifestâ confessione etiam recognovit, se esse filium presbyteri; & quidem illius, qui in dicta Ecclesia Thenensi Canonicatum & præbendam temporibus vitæ & mortis suæ obtinuit, * quæ macula & vitium dictum Opponentem irregularem ab initio fecit & incapacem, non tantùm clericaturæ, atque aliorum ordinum, sed etiam cuiuscumque beneficij ecclesiastici, *cap. 1. De filijs presbyter. lib. 6.* 1

Verum quidem est per Episcopi, non tantùm per Papæ dispensationem, hic illegitimè natum posse promoveri etiâ ad omnes successivè minores ordines, *d. cap 1.* & per extensionem dispensationis posse fieri capacem simplicium beneficiorum; sed destituntur Opponens ea in parte iustâ & sufficiente probatione: obiid, quòd de hac dispensatione Opponentis, ut, non obstante maculâ originis seu genituræ, cùm possit ad ordines promoveri, & ultra hoc etiam obtinere beneficia, neque Pontificię, neque Episcopales literæ proferantur. Quod etiam ex eo, quod paulò antè concessimus, præfatum Opponentem esse clericum tonsuratum aut saltem pro eo reputatum, inferri minimè potest: nam separata sunt hæc, clericatura & beneficiorum capacitas: * sic quòd dispensatus ad ordines, non censeatur eo ipso quoque dispensatus ad capacitatem beneficiorum; nisi id ipsum quoque in dispensatione ad ordines specialiter fuerit expressum: nihil enim prohibet, quò minus quis ordines habeat sine beneficio, *c. Literas De filijs presbyt. Ant. Butrius in c, Ad si clerici §. De adulteris nu. 14. vers. numquid autem dispensatio, De iudicijs.* Et quamvis sint *Ant. Butrius in d. c. 1. De filijs presbyt. lib. 6. in princ.* qui dispensatum ad omnes ordines eo ipso quoque putent habilitatum ad capacitatem beneficij; quasi indignum sit, eum, qui ad maiores ordines promotus est, carere omninò Ecclesiastici beneficij provisione, *c. Proposuit eod. tit.* in sola tamen clericatura (qui an ordo Ecclesiasticus sit variè disputatur, *c. Cum contingat, & ibi Panormit. & alij De ætate & qualit. ordin* & indubitatè sacri ordinis appellatione non continetur, *c. De eo de temp. ordinan.*) certum est in illius concessionis consequentiam non venire habilitatem ad beneficia obtinenda, quia diversa sunt *Rebuf. in praxi benef. p. 2. tit. De dispensat. super defect. nat. nu. 48.* 2

Præsumptio itaque, quæ hic pro cleticatura Opponentis assumi posset, ex illius quasi possessione & communi reputatione, Præsertim accedente allegatione amissionis literarum Episcopalium de ipsa primæ tonsuræ collatione, non potest extendi ad dispensationem super capacitate beneficij; ne quidem unius, multò minus plurium, ut mox dicetur. Exhibuit quidem Opponens quoddam extractum ex regiſtro Collectorum, quos Episco-

Episcopus Leodiensis eo tempore Lovanij habebat, de solutis juribus dispensationis, non tantùm ad minores, sed etiam ad majores ordines, & ultra illos ad obtinendum tria beneficia, quorum unum etiam posset esse curatum, sed non satis in forma probante: cùm huiusmodi extractum descriptum sit sine aliqua competentis Iudicis commissione, & sine citatione partis adversæ cujus interfuit. Nam concesso, quòd hujusmodi registris seu protocollis originalibus aliqua fides adhiberi possit, quod multis rationibus negat Ægidius Ballamera, *consil. 10. post princ.* inde tamen descriptis exemplis seu copijs, sine præcedentis Iudicis commissione, parteque ad id non citatâ fides adhiberi non debet, *l. 2. & ibi Odofred. n. 2. De fide instrum. c. Cum P. Tabellio & ibi Doct. De fide instr. Castren. cons. 202. In causa consimium, nu. 1. vol. 1.* præsertim in re seu actu, qui absurditatem aliquam continet, ut esset in hac dispensatione, si illa sic obtenta fuisset.

Nam ut præsupponamus, rem ita se habere, ut scilicet Opponens tam latè patentem dispensationem ab Episcopo Leodiensi obtinuisset (quamvis ex illo extracto satis deprehendatur Episcopi factum id non esse, sed Collectorum seu Commissariorum in oppido Lovaniensi deputatorum, ad colligenda Episcopi emolumenta, in ea parte diœcesis Leodiensis, quæ sub Ducatu Brabantiæ tunc erat) præsuppositio etiam, quòd Opponens de ea literas sub sigillo Episcopi expeditas haberet, non possent tamen illa Opponenti suffragari ad demonstrationem, & probationem, quòd ipse hujus Canonicatus, de quo hic quæritur, capax umquam fuerit, aut sine alia novâ non Episcopali, sed Papali dispensatione, illius aut alterius capax effici possit; est enim hâc formâ facta dispensatio planè monstrosa excedens omnes fines Episcopalis potestatis. † Et primò quidem ex eo, quòd in illa contineatur dispensatio illegitimè nati, non tantùm ad minores, quod ius illi permittit, *d. c. 1. in princ. De filijs presbyt. lib. 6.* verùm etiam ad majores Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyterij ordines, quòd expressa Iuris constitutio Episcopo interdicit & prohibet; eâ potestate soli Sedi Apostolicæ reservatâ *d. c. 1. vers. ad ordines*: usque adeo ut nec Legato Apostolico id permissum censeatur, *gloss. in d. c. 1. in V. Sedis Apostolicæ*. Secundò ex eo, quòd cùm Episcopo à jure hoc tantùm permissum sit, ut cum illegitimè nato dispensare possit, ut unicum dumtaxat beneficium simplex cui scilicet cura animarum non imminet, obtinere possit, *d. c. 1. & ibi glossa, in V. beneficium, & §. ille vero*, ulteriore potestate soli Pontifici reservatâ; per hanc tamen dispensationem, de qua hic quæstio, ad pluralitatem, & plusquam pluralitatem, hoc est, ad tria beneficia, Opponens contra tam apertam juris dispositionem dispensatur; & quidem ad unum ex illis, cui incumbit cura animarum, cujus potestas ad solum summum Pontificem, non ad Episcopum aliquo modo, pertinet, *d. c. 1. §. 1. & d. § ille verò, & gloss. in V. Sede præfata in c. fin. De filijs presbyt. lib. 6.* Cujus dispensationis tam prodigiosæ, & à juris communis dispositione nimis notoriè exorbitantis, concessio ob id ad culpam & imperitiam, vel avaritiam præfatorum Collectorum potiùs, quàm ad imprudentiam Episcopi, sub cujus plerumque ignorantis nomine hæc & similia exorbitantia per Officiatos committi solent, referenda est; & in omnem eventum vitio nullitatis infectam esse dicendum est. * Nulla enim ad nullitatem cujuscumque actus inducendam major & evidentior est causa, quàm quæ desumitur ex causa efficiente, hoc est, ex defectu potestatis ejus, qui actum agit, *l. 1. §. final. Ad Tertull. l. 1. §. hæc autem verba Quod quisque iuris*; & præsertim illius, qui aliquid dat vel concedit, quod dare vel concedere non potest, *l. Si filius C. De donat. l. Nemo plus. De reg. iuris*: & omnium maximè in expediendo id, quod à jurisdictione dependet, *Bal. in rubric. C. Si à non compet. iud. n. 4.* Atque ita fit, ut in proposito eo loco sit hæc allegata dispensatio, quasi numquam contenta fuisset, quia scilicet nulliter & inutiliter impetrata & concessa est: partia enim sunt superioris auctoritatem non interveniisse, & interveniisse illius, qui potestatem non habet, *l. 1. C. Si à non compet. iud.*

Cùm igitur hæc dispensatio; quatenus est ultra unum simplex beneficium, sit ipso jure nulla, non potuit virtute illius, hujus causæ Opponens manus suas extendere ad hunc Canonicatum; ob id, quòd ex conformi trium fide dignorum testium attestatione constet, præfatum Opponentem antè prætensam suam provisionem de hoc Canonicatu, obtinuisse & adhuc de præsenti pacificè obtinere & possidere, non tantùm unum, sed etiam quinque alia simplicia beneficia, & quidem unum in dicta Ecclesia Thenensi: fic quòd evidentissimum sit gratiam dictæ dispensationis, quatenus illa jure aliquo modo subsistit, diu consumptam fuisse, & vigore illius hunc Canonicatum litigiosum nec acceptari nec obtineri potuisse: limitata enim concessio, & præsertim adversus jus commune dispensatio ad unum, limitatum quoque effectum ad unum dumtaxat habere debet, *l. Cancellaverat De his quæ in testam del. Tiraq. in tract. cessante causa p. 1. n. 147.* & dispensationis causâ cessante, cessare debet ipsa dispensatio, *Tiraquel. in d. p. 1. n. 91.*

Quinimò ampliùs dici potest, etiamsi constaret tempore hujus assertæ provisionis Opponenti factæ, eumdem Opponentem nullum beneficium Ecclesiasticum habuisse, sed illa, quæ priùs habuit vel resignasse, vel ijs renuntiasse, nihilo magis qualificatus censeri posset ad obtinendum hunc litigiosum Canonicatum vigore dictæ dispensationis, ob id, quòd, ut jam dictum est, effectus dictæ dispensationis non tantùm quoad unum simplex, ad quod validè dispensari potuit per Episcopum, sed etiam quoad tria, ad quæ de facto, non de jure per Episcopum dispensatus dicitur, ante assertam hanc provisionem fuerit omninò consumptus, eoque loco constitutus Opponens, quoad alia quæcumque etiam simplicia beneficia, quasi minimè dispensatus. * Etsi enim ex sententia Ioannis Monachi, *d. cap. 1. De filijs presbyt. lib. 6.* Ioannes Andreæ *in d. c. 1. in novella*, ubique illegitimè natis (inter quos se quoque fuisse testatur, *in addit. ad Specular. tit. De filijs presbyt. Panor. in c. Inter cæteras nu. 1. De rescript. Gabr. Paleotus de nothis & spuriis cap. 66.*) plus æquo favens, existimet, unius beneficij simplicis adeptionem non impedire, quò minus dimisso illo aliud à sic dispensato obtineri possit;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

possit; crebrior tamen & in jure magis fundata est, ac decisione auditorij Rotæ Romanæ *decis.* 339. *alias* 1. *De filijs presbyt. in novis*, approbata, Archidiaconi sententia *in d. c.* 1. *in fine*, quòd primo loco obtentum beneficium consumat gratiam & effectum dispensationis, ubi simplex & indeterminata est dispensatio ad beneficium, vel determinata ad unum beneficium; ex generali juris ratione, quòd sermo simpliciter prolatus, de primo intelligi, & primo actu consumi, perfici, & finiri debeat, *l. Bares. §. hoc sermone De verb. sign.* in hoc præsertim articulo, ubi cum illegitima persona sic restrictè dispensatur. Hujus enim generis dispensatio, contra id, quod de natura sua semper inducit inhabilitatem (ut est defectus natalium,) plurimùm odiosa est, nec favorabilem interpretationem aut extensionem meretur; quòd satis etiam agnoscunt, qui sententiæ Ioannis Andreæ adhærent, *Phil. Francus in d. c.* 1. *in fine. Anchar. cons.* 404 *Tria dubia nu.* 5. illam sic limitando, ut non obtineat in odiosa dispensatione cum illegitimo, præsertim filio presbyteri; quasi perinde prohibita sit successiva pluralitas beneficiorum, ut accumulata, *Bellamera cons.* 32. *Pro introductione, in princ. & versic. sed in opinione*; & in dubio non magis illa, quàm hæc etiam à Papa concessa intelligatur. † Ut cùm à Papa dispensatio fit plurali locutione ad beneficia, effectus illius dumtaxat ad duo priora porrigitur; & cùm nominatim ad duo vel tria concedatur, restringenda est ad duo, vel tria, quæ dispensatus prima obtinebit, *c. Non potest §.* 1. *De præb. lib.* 6. non etiam ut obtentis tribus, dimisso uno aut altero, ex his quartum aut quintum virtute hujusmodi dispensationis obtineri possit, *Phil. Francus in d. c. Non potest §. Illud n.* 3. *And. Tiraquel. in d. §. hoc sermone n.* 38. *Decius cons.* 169. *Diligenter.* Vnde extra omnem dubitationem est, quòd etiam stante dictâ dispensatione, & præsuppositâ illius validitate, Opponens vigore illius non potuerit hunc Canonicatum obtinere tunc & postquam virtute ejusdem dispensationis numerum ternarium in ea comprehensum, & amplius, implevit, atque in ternario, imò majore numero pacificus beneficiorum plurium possessor factus fuit. 6

Imò amplius huic dispensationi hoc objicitur, quod si constaret dictum Opponentem vel nullum vel nisi unum aut duo beneficia vigore dictæ dispensationis obtinuisse aut obtinere, nihilo magis qualificatus aut habilis esset ad obtinendum hunc Canonicatum, qui est in dicta Ecclesia S. Germani; ob id, quod ex propria etiam Opponentis confessione satis constet, patrem suum, dum vixit fuisse in eadem Ecclesia Canonicum præbendatum; quæ res facit, ut ipse Opponens ejus spurius filius, non possit etiam virtute Papalis dispensationis, si id quoque in ea expresè non contineatur, non tantùm eumdem, quem pater mediatè vel immediatè habuit, *c. Præsentium c. Cum decorem c. Ad abolendam. De filijs presbyt.* sed nec quemcumque alium Canonicatum, aut aliud beneficium in eadem Ecclesia obtinere, *c. Ad præsentiam, cap. Conquerente eod. tit.* Ita quòd hujuscemodi dispensationis ad duo simplicia, & unum curatum, beneficia vires suas non extendat ad illa, quæ sunt in illa Ecclesia, in qua pater dispensati intitulatus seu beneficiatus fuit; sive sit simile, sive dissimile. Vnde etiam est quod surreptitia dicatur esse dispensatio à Papa obtenta, quâ alicui sic illegitimè nato conceditur, ut in Ecclesia, in qua pater ejus ministravit, Capellanus esse possit, si hoc quoque, quòd sit in sacerdotio patris sui genitus, non expresserit, *d. c. Ad præsentiam.* Sunt enim duo distincta & separata hæc vitia seu impedimenta, natum esse ex presbytero, & patrem presbyterum in eadem Ecclesia administrasse seu beneficiatum fuisse, *Panor. in d. c. Ad præsentiam n.* 1. * quorum altero sublato per dispen- 7
sationem, manet vis impediendi ex reliquo, cujus in dispensatione nulla mentio facta fuit, *l. Si non lex* 83. *De hæred. instituen.* quot enim sunt seu occurrunt impedimenta, ut res quæ agitur, progressum & effectum habeat, tot debent illorum esse speciales, saltem per accumulationem, sublationes seu dispensationes, *l. De pupillo §. Si in pluribus De novi op. nuntiat. gloss. in cap. Cùm pro causa. in verb. tamquam excommunicatum De sent. excommun.* Indeque est, quòd in dispensationibus, præsertim odiosis, qualis est omnis dispensatio cum omni illegitimo, præsertim ex presbytero nato, *cap.* 2. *De filijs presbyt. lib.* 6. casus omissus habeatur pro omisso, & relinquatur dispositioni juris communis, *c. Susceptum De rescrip. lib.* 6. *d. cap.* 1. *§. ult. De filijs presbyt. lib.* 6. *l. Commodissimè* 10. *De liberis & posthum.* † quæ est, 8
ut diximus, quòd filius ex presbytero natus non possit assequi beneficium in Ecclesia, in qua pater administravit.

Nec quicquam facit ad tollendum hoc impedimentum, nec effectum hujus dispensationis, si per se valida esset, ampliat aut extendit ad hunc Canonicatum, illud, quod Opponens ulteriùs allegat, patrem suum ante plures annos obijsse, & sic se cum suo patre in eadem Ecclesia in beneficijs non concurrere, nec Concanonicos esse: nam juris communis prohibitio non concluditur, in ejusdem temporis simultaneo concursu, neque ad incapacitatem seu inhabilitatem filij hoc requiritur, quòd pater adhuc superstes sit, cùm filius in eadem Ecclesia, vel simile vel dissimile beneficium ambit; sed illam quoque constituit & perdurare vult, cùm pater desijt in eadem Ecclesia esse beneficiatus: ita ut juris hæc prohibitio stet, & locum habeat, potissimùm in filio presbyteri beneficium ambiente, seu impetrante, post patris obitum aut resignationem, *c.* 2. 3. & 4. *De filijs presbyter.* Quamvis in filio legitimè ante sacerdotium nato, tanta non sit juris prohibitio, *Panor. in d. c. Ad præsentiam n.* 1. *vers. oppono quod repellatur*; ex una nimirum & eadem ratione, quòd probrum versetur in filio presbyteri, qui ob id inter infames & turpes personas refertur: cujus probri vestigia propter honestatem non debent in eadem Ecclesia per successionem inter patrem & filium continuatam extare, vel continuari ex persona filij, *Panor. in d. c. Præsentium in fine.* sed ejusdem probri & incontinentiæ paternæ memoria longissimè à locis Deo consecratis arceri debet.

Ex qua consideratione, per decretum sacri œcumenici Concilij Tridentini, juris communis hæc antecedens constitutio renovata & ampliata est, *Sess.* 25. *c.* 15. *De reformatione*; ut non liceat filijs clericorum, qui ex legitimo matrimonio nati non sunt,

sunt, in Ecclesijs, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesijs quoquo modo ministrare; & sic quidem, ut super eo impetrata dispensatio censeatur subreptitia. * Aperta sanè est hæc conciliaris constitutio, quæ post publicationem dicti Concilij pro communi jure observanda est. Et sic quidem, ut cùm hoc Concilium ex bulla Pij Papæ Quarti, sub data decimo quinto Calendas Augusti anno 1564. vim novarum constitutionum acceperit, & omnes Christifideles ligare inceperit ex Calendis Maij eodem anno 1564. *ut constat ex hac bulla subiecta impressioni dicti Concily Tridentini*; dubium non sit, quin effectum suum prohibitivum ad casum, de quo hîc quæritur, & diu post dicti Concilij publicationem in anno 1579. accidit, porrigat & extendat. Etsi enim nova constitutio non extendat effectum suum & operationem nisi ad futura, *c. 2. in fin. De constitut.* præterquam si hoc in nova constitutione cautum sit; ut ad præterita quoque & pendentia negotia pertinere debeat, *l. Leges & constitutiones* De *legib.* extendit tamen, & retrofertur ad præterita, & potissimùm adhuc pendentia, nec omninò consummata, quando in illa continetur juris veteris declaratio aut confirmatio magis, quàm novi juris introductio, *c. Cùm tu* De *usuris, in Auth. De fil. ante dot. instrum. natis, Bart. in l. Omnes populi* De *iust. & iure*; ut est in proposito articulo, ne filius presbyteri consequi possit beneficium in Ecclesia, in qua pater, ex quo illegitimè natus est, priùs intitulatus seu beneficiatus fuit vel adhuc est; quod jure veteri satis quoque prohibitum fuit, *d. c. 2. 3. & 4. De filijs presbyt.* licet non tam apertè & distinctè. Cùm alioqui in dicta assertæ Episcopali dispensatione non contineatur hujus juris prohibitivi relaxatio, seu adversus illud dispensatio, ut virtute illius Opponens quoque consequi posset vel paternum beneficium, vel aliud in ea Ecclesia, ubi pater antea beneficiatus fuit, aut tunc adhuc erat, vel esse non desierat.

Ex quibus omnibus manifestissimè constat, hujus causæ Opponentem prorsus incapacem & inhabilem fuisse & esse ad obtinendum & retinendum hunc, de quo in causa litigatur, Canonicatum; propter maculam genituræ, quam ex patre sacerdote patitur: adversus quam nullam proferre potuit efficacem seu validam Papæ, multò minùs Episcopi sui eum ad ordines promoventis, sufficientem dispensationem, per quam habilitatus vel qualificatus fuerit, ad obtinendum hunc Canonicatum in illa Ecclesia, in qua ejus pater similem in vita & morte sua habuit & possedit: sic quod Opponens verè intruïus sit in hoc beneficium, & pro intruso in illud omninò reputari, omnesque pœnas adversus intrusos à jure constitutas pati debeat. † Intrusus enim extra omnem dubitationem est, qui se ingerit beneficio, cujus capax non est ex conditione seu qualitate suæ personæ, sive quia Clericus non est, *c. 2. De institut.* cum in laïcum non cadat jus Canoniæ, aut alterius Ecclesiastici beneficij, *glos. in V. tales in d. c. 2. De institut. & in c. Cum M. Ferrariens. in V. receperunt* De *constit. Franc. Marcus decis. 1355. parte 1.* sive quia etiam stante clericatu, ex aliqua juris prohibitione beneficij incapax est: vel in genere, ut est cùm illegitimus clericaturam ex dispensatione Papæ vel Episcopi consequutus, sed non perinde dispensatus est etiam ad beneficium obtinendum, *d. c. 1. De filijs presbyt.* ita ubi ob delictum incapax factus est, ob simoniam videlicet, *Card. in cap. Nisi cum pridem* De *renuntiat. Felin. in c. In nostra nu. 30.* De *rescrip.* hæresin, aut aliud delictum, ob quod Clericus ipso jure privari posset beneficio, quod tempore delicti commissi obtinebat, *Felin in d. c. In nostra*; item cùm Clericus ex constitutione Ioannis XXII. Papæ, *in extravaganti Execrabilis De præben.* ad quæcumque etiam simplicia beneficia inhabilis factus est, ob simul eodem tempore contra juris prohibitionem, *in c. De multa §. 1.* De *præben.* retenta incompatibilia beneficia, *d. Extravaganti Execrabilis §. porro, versic. & inhabilis penitus, Geminian. cons. 86. In causa Traiectensi in fine & in c. Licet Episcopus* De *prab. lib. 6.* vel etiam in specie, ut est in beneficio regularibus conferri consueto, quod prohibetur Clericis sæcularibus conferri, *c. Cum de beneficio* De *præb. lib. 6.* item quod huc spectat, in beneficio patris sacerdotis filio ejus immediatè, & interdum etiam mediatè non conferendo, *c. Veniens. in princ. in V. intrusu De accusat. cap. Ex transmissa, cap. Ad extirpandas De filijs presbyter.* item in omnibus beneficijs Ecclesiæ, in qua filij spurij pater aliquando ministravit seu beneficiatus vel est vel fuit, *d. Concil. Triden. c. 15. Sess. 25.* Et generaliter intrusus est, qui laborat aliquo vitio, propter quod deberet privari beneficio, cùm illud de facto obtinet, etiamsi auctoritate superioris in illo positus sit, *Felin. in d. c. In nostra nu. 11.* Cùm ergò jus præcipiat, ut ab Ecclesia seu beneficijs amoveantur, qui ex patre sacerdote nati sunt, etiamsi sint Clerici, si super hoc debitè dispensati non sunt, *c. 2. & 3. c. fin. De filijs presbyt.* dubitandum non est, quin pro intrusis haberi debeant, qui sic illegitimè nati, sine sufficiente dispensatione ab eo, qui dispensandi potestatem habet, in beneficium & præsertim paternum, vel quod est in Ecclesia in qua pater vel est vel fuit beneficiatus, se ingerunt; etiam ex collatione seu provisione illius, qui alioqui conferendi seu providendi personæ minùs qualificatæ potestatem habet.

De filijs presbyterorum.

SVMMARIVM.

De filijs presbyterorum ad ordines non promovendis.

1. *Religionis professio tollit spurietatis maculam quoad promotionem ad ordines.*
2. *Ordinatus à non suo Episcopo quando non habeat susceptum ordinis executionem.*
3. *Irregularis non efficitur qui in ordine vitiosè susceptò ministrat, nisi suspensus sit ab ordine.*
4. *Promotus vitiosè ad ordines, an per Episcopum rehabilitari possit.*
5. *Filius presbyteri per solum Papam dispensatur ad ordines maiores.*

CONSILIVM XXXV.

IN proposito casu varia est & multiplex juris consideratio: quippe in primis video non satis expensum esse, quod in casu seu themate proponi-

proponitur, quòd Dominus Cornelius sit Religiosus domus Fratrum civitatis Buscoducensis: id enim si ita est, ut Fratres dictæ domus professionem religionis absolutè faciant, & Monachi seu Religiosi habeantur ex emissione votorum, quæ monasticam seu regularem vitam inducunt, *toto tit. De regul. & transf. ad religionem*; consequitur, quòd idem Frater Cornelius dispensatione Apostolica ad hoc, ut ad majores ordines promoveri
1 possit, minimè indigerit. * Nam filij presbyterorum, qui monasticam vitam confessi sunt, nullâ ratione indigent dispensatione vel Pontificia vel Episcopali ad hoc, ut ad hujusmodi ordines promoveri possint; quasi scilicet ingressus & professio monasterij omnem natalium maculam tollat, *Gemin. cons.* 15. *Reverende pater*: ita enim in Concilio Pictavensi constitutum est, *c.* 1. *De filijs presbyt. c.* 1. *c. Nisi* 56. *dist.* Proinde si id dictus Cornelius ex Iuris communis dispositione habet, non est in consideratione habenda bulla Apostolica obtentæ dispensationis, quoad ipsos ordines; superabundans quippe cautela non nocet, *l. Testamentum C. De testam.* si vitiosè aut nullitèr sit adhibita, aut in hujus usu sit peccatum, *l. Si tabulæ De bonor. possess. secun. tabulas*: ita quòd quoad susceptos ordines majores, si aliud vitium non obstet, nihil noceat, quòd literæ dispensationis dicantur vitiosæ ex defectu diei, qui cum bulla omissus invehitur; sed effectus hujusmodi vitij, si nihil aliud obstaret,
2 tantùm esset quoad obtinendum beneficia. * Interim tamen manet semper vitium suscepti ordinis à non suo Episcopo; quod generaliter prohibitum est, *cap. Quod translationem De temp. ordin. c. Eos eod. tit. lib.* 6. Verùm non est illud tam efficax, ut inducat nullitatem suscepti ordinis, sed inducit tantùm impedimentum, quod ita promotus non possit habere executionem suscepti ordinis: character quippe suscipitur, & susceptus indelebilis
3 est, *Guid. Papæ decis.* 449. * Cujus impedimenti effectus non hic est, quòd irregularis efficiatur; qui in sic vitiosè suscepto ordine ministrat, nisi quoque accedat Episcopi formaliter decreta suspensio: quâ factâ efficeretur irregularis, qui sic vitiosè promotus in suscepto ordine ministraret, ut aperto jure cautum, *can. ult.* IX. *q.* 1. & non tantùm à Doctoribus juris Canonici, *Ioan. Monach. & Archidiac. in d. c. Eos. Ioan. de Turrecrem. in d. can. ult. Gemin. consil.* 133. *Istud dubium.* verùm etiam à scholasticis Theologis, *Summa Angelica in V. Irregularitas*; *nu.* 13. *Silvestrina in V. Irregularitas q.* 9. *Dominicus Soto ad* 4. *Sent. dist.* 25. *q.* 1. *artic.* 4. com-
4 probatum est, † & sic quidem ut sit in potestate Episcopi proprij sic vitiosè promotum, ad exercitium & executionem ordinis admittere, & cum eo dispensare; ita ut non sit necesse propterea ad Papam confugere. Quæ sententia pluribus decretis sacri Concilij Tridentini comprobata est, quòd scilicet ab alio Episcopo promotus à susceptorum ordinum executione suspensus sit, quamdiù proprio ordinario videbitur expedire, *Sess.* 7. *c.* 10. *Sess.* 10. *c.* 1. *Sess.* 13. *c.* 8.

Nec obstat, quòd alio quodam loco *in can. ult.* IX. *q.* 2. Episcopo permittatur hæc dispensatio sub conditione, si canonicè & sine pravitate aliqua Clerici ordinati sunt: nam id referendum est ad alias causas, quæ ordinationem etiam proprij Episcopi facerent vel nullam vel vitiosam, ut sunt conditio & status personæ, quæ ordinem omnimodò prohibent; item Simoniaca pravitas: non etiam hoc, quòd quis scienter alienum Episcopum adeat. Si ergò dictus Frater Cornelius verè Religiosus est, sufficiet Reverendissimi Domini Episcopi Buscoducensis dispensatio, ad hoc, ut possit pergere in executione ordinis presbyteralis, *gloss. in c. ult. in V. presbyterorum dist.* 55. non etiam ad hoc, ut possit obtinere Ecclesiam parochialem: & si Religiosus seu Monachus non est ad neutrum sufficiet. * Solius enim Papæ est dispensare cum 5
filio presbyteri, ut possit ad majores ordines promoveri, *c.* 1. *De filijs presbyt.* non ob hoc tantùm, quòd mensis in bulla sit omissus, *glos. in l. Generali C. De tabular. lib.* 10. sed quòd mandatum dispensationis non sit ad executionem perductum per eum, cui id per dictam bullam delegatum fuit: fuit autem delegatum restrictè illi Episcopo, cujus dictus Cornelius diœcesanus fuit; fines enim mandati diligenter observandi sunt, *l. Diligenter ff. Mandati.* Et sic cùm Cornelius indubitate fuerit Diœcesanus Episcopi Buscoducensis, executio dictæ dispensationis per Episcopum Leodiensem facta nullius momenti est; non obstante illâ incorporatione in conventum Fratrum civitatis Leodiensis: quia illa ficta & simulata, & per consequens nulla est, nec rei veritatem mutare potest, *l. Acta simulata C. Plus valere quod agitur.* Proinde omninò necessarium est, si Cornelius Religiosus professus non est, ut Sanctissimo Domino Papæ iterum supplicet, & hunc defectum & abusum apertè narret, pro obtinenda abolitione commissi vitij, & approbatione susceptorum majorum ordinum, cum dispensatione ad obtinendum beneficium etiam curatum: si verò Religiosus est, poterit pergere in executione hujusmodi majorum ordinum sine dispensatione Episcopi; sed ut etiam obtinere possit curatum beneficium, necessaria erit nova dispensatio, factâ expressâ narratione, quòd sit Religiosus, quæ in dicta bulla non invenitur.

De corpore vitiatis.

SVMMARIVM.

Oculi defectus.

1. *Vitium in oculo quando impediat promotionem ad sacerdotium.*
2. *Oculus Canonis quis sit.*
3. *Oculi defectum in Clerico quis dispenset.*
4. *Episcopus absolvere potest à levi manus in Clericum iniectione.*

CONSILIVM XXXVI.

ABordine sacerdotij arceri non debet Religiosus ordinis Præmonstratensis, cujus dextro oculo ex accidenti supernata est macula, quæ ipsi videndi ex eo facultatem ademit, integro manente sinistro oculo, cum facultate expeditè videndi, † præsertim quia hoc 1
vitium corporis deformitatem aliquam notabilem non inducat, hujusmodique vitium sine ulla culpa Religiosi supervenerit, non tantùm post ingressum

& pro-

& professionem Religionis, sed etiam post collatos ei ordines Subdiaconatus & Diaconatus: ne sic afflicto afflictio addatur, & debito ordine ac loco in suo ordine defraudetur, *c. 2. De corpore vitiatis, c. vlt. vers. verum De Cler. ægrot. vel debilit.* cùm sine scandalo solemnia Missarum possit celebrare,

2 † potissimùm sano & integro existente siniſtro oculo (quem oculum Canonis vocant *Rebuff. in praxi benefic. parte 2. tit. De dispens. cum corp. vitiat. nu. 11.*) ut in eo nec defectus alicujus propter debilitatem, nec scandali propter deformitatem, ullum in officio divino sit periculum, *Navarr. in manual confess. c. 27. De irregul. nu. 199.*

3 Sed an id fieri debeat mediante dispensatione, controversum est. Sunt enim qui Alexandri Tertij Papæ de hac re rescriptum, *in d. c. 2.* accipiunt & intelligunt de dispensatione canonis; quali adversus hoc modicum vitium Canon ipse dispenset, *Panorm. in d. c. 2.* Alij ad dispensationem hominis id referunt; sed disceptant, à quo homine hujusmodi dispensatio peti & obtineri debeat. Quidam à solo Papa super hoc vitio dispensari posse, *Innoc. in c. 2. De corp. vitiatis*, alij etiam Episcopis ejus rei potestatem attribuunt, *Ioan. Andreæ in d. cap. 2. in princ.* si deformitas corporis ex hujusmodi vitio non sit magna, unde non possit generari magnum scandalum, quia nusquam invenitur hujusmodi casus specialiter reservatus dispensationi Apostolicæ. Atque ita se, consultis pluribus notabilibus viris, concludisse & observasse tradit Ægidius Bellamera Episcopus Avenionensis, *in can. De gradibus n. 3. xxxv. q. 8.* Quod etiam majorem rationem habet, ne ob leve vitium cum gravibus sumptibus necesse sit adire Sedem Apostolicam ex provincijs præsertim ultramontanis. † Vt nec pro levi manuum in Clericos injectione quis ad Sedem Apostolicam pro absolutione mitti debet; ejus rei potestate propriò Episcopo relictâ, *c. Pervenit De sent. excommunic. & ibi glos.* quam Episcopus non habet, si manifesta & violenta est manuum injectio.

4 Cùm igitur in hoc Religioso omnia hæc concurrant, hoc est, modicum vitium, tolerabilis seu non horrida deformitas, & scandali nullus metus; meritò debet saltem dispensativè ex auctoritate Episcopali etiam ad ordinem sacerdotalem promoveri.

De corpore vitiatis.

SVMMARIVM.

De claudo vel luſco.

1. *Claudus morbosus est, item & luscus morbosus.*
2. *Claudus ad ordines promoveri potest.*
3. *Luscus an ad ordines promoveri possit.*

CONSILIVM XXXVII.

STATVTVM Ecclesiæ Collegiatæ requirit, ut quatuor Canonici ex ordine receptionis seniores ad gradum presbyterij promoveantur, sub certis pœnis. Horum unus allegat, quòd alterum crus mancum, mutilum, & claudum gestet; quodque defectum patiatur oculorum, sic quòd difficillimè possit legere, & vix hostiam super albo jacentem nisi investigando conspicere. Quæritur an justum sit impedimentum quod excuset à pœna statuti?

Dubium non est quin qui claudus est morbosus 1
seu vitiosus sit, *l. Item claudus De aedil. edicto*; & qui luscitione laborat, seu myops est, hoc est, qui nisi admota oculis continere nequit, vitiosus quoque sit, *l. Idem Ossilius §. pen. vers. De myope eod. tit.* Ideoque videri posset, inde justi impedimenti causam desumi posse, quia corpore vitiati non facilè ad sacerdotalem ordinem admitti, quanto magis ab illo excusari debent, *extra De corp. vitiat. per tot.* Sed quoniam omnia vitia corporis non impediunt promotionem hanc, sed ea tantùm, quæ deformia nimis sunt; non facilè est admittenda ea excusatio in eo, qui jam Ecclesiasticus est, & in statu illo, ac retentione beneficij manere contendit. * Prius 2.
vitium de claudo nullum impedimentum præstat; cùm ex generali consuetudine totius mundi claudus ad ordinem etiam sacerdotalem admittatur, *Archid. in c. 2. 49. distinct. Hostien. in Summa tit. De corp. vitiatis §. fin. Henr. Bohic. in c. ult. eod. tit. Rebuff. in praxi benefic. parte 2. tit. De dispens. cum corp. vitiatis nu. 6.* * Vitium oculorum certam definitionem 3
non habet, sed ut pleraque alia vitia corporis dubia, in hoc articulo arbitrarium est, *Doct. in c. Cum De tua. De corp. vitiat. Henric. Bohic. in d. c. ult. in princ.* hoc est, dependet à discretione illius, ad quem cognitio ejus rei spectat *d. c. Cum de tua*: ita ut si tanta sit luscitio, ut dedecori ac deformis futura sit tanta capitis inclinatio & oculorum admotio, excusatio ejus tamquam ob legitimum impedimentum admitti debeat; alias verò statutis se conformare compellatur.

De officio Vicarij.

SVMMARIVM.

Vicarij collatio.

1. *Vicarius beneficia non confert.*
2. *Collatio post devolutionem facta est nulla.*
3. *Prælatura vacante ius collationis non devolvitur.*
4. *Approbatio male factæ collationis reddit possessionem coloratam.*
5. *Provisio nova sub forma* Perinde valere *per simplicem signaturam.*

CONSILIVM XXXVIII.

CERTVM est, collationem D. Adriano Valen de Canonicatu & præbenda Cathedralis Ecclesiæ Gandavensis vacantibus per mortem D. Lucæ Baert factam per D. Vicarium Generalem Episcopatus Gandavensis, ejus initio & origine inspectis, fuisse nullam & inutilem, * non tantùm quòd Vicario Generali non competat jus conferendi beneficia, nisi illius 1
potestas specialiter illi concessa fuerit, *cap. fin. De offic. Vicary lib. 6.* verùm etiam ex eo, & quidem potissimùm, quòd collatio beneficiorum computetur inter fructus Prælaturæ, seu beneficij, cui jus collationis cohæret; & quòd vacante Sede Prælaturæ omnes fructus illius reservari debeant futuro successori, *c. Cum vos De offic. iud. ordinarij*; usque adeò, ut nec totum Capitulum Sede vacante beneficia conferre possit, *cap. Illa Ne sede vacante*: Ita quòd ex vitiosa collatione D. Adrianus nihil juris prætendere posset ex hac Domini Vicarij collatione

tione; & ne quidem ex illa gaudere privilegio triennalis possessionis, *Glos. pragmat. sanct. in V. coloratum §. 1. tit. De pacifi. possess. Rebuff. in praxi benefic. 2 parte 1. tit. de forma Vicariat. nu. 6.* * Quod potentius respectu dicti Vicarij dici debet; ex eo quòd hæc collatio per eum sit facta, postquam pluribus annis dictus Canonicatus per prætactam mortem vacasset: quæ diuturna vacatio in omnem eventum induxisset devolutionem collationis ad superiorem, *c. Literas, De suppl. neglig. Prælat. c. Nulla De conces. præben.* quæ devolutio cuicumque ordinario Collatori eripit potestatem, quandocumque conferendi post tempus hujusmodi devolutionis, *c. vlt. De suppl. neglig. Prælat. Rebuff. in d. praxi parte 1. tit. de 3 de devolut. nu. 27.* * Quamvis in juris veritate nulla fuerit aut esse potuerit hujus sic vacantis Canonicatus devolutio, si mors dicti D. Lucæ contigit vacante dicto Episcopatu; quia vacante Ecclesiâ, futuri Prælati negligentia nulla argui potest; sine qua nulla sit devolutio, *d. c. Nulla:* ut nec illa sit in præjudicium illius qui quoquo modo justè impeditus est, & minimè qui de facto vel de jure conferre non potest, *c. Quia diversitatem de con-4 cess. præben. d. c. Illa in fine.* † Cæterùm hanc hujus collationis nullitatem & inutilitatem sustulisse videtur sequens Reverendissimi Domini Episcopi tacita approbatio & ratificatio; per quam hanc Vicarij collationem D. Adriano factam, non tantùm non improbavit; sed literis etiam ad Dutem Parmensem scriptis confirmasse dicitur: quæ approbatio sufficiens esse videtur ad diluendum hoc vitium malè factæ collationis per dictum Vicarium, *Rebuff. in d. praxi p. 1. tit. De forma Vicariat. nu. 11.* cùm sola patientia pacifico possessori accommodata hoc casu sufficiat, *d. c. Literas De suppl. neglig. Prælat.* & ex inutili titulo acquisita possessio beneficij, ex superveniente justo titulo coloriri & roborari possit, saltem ex die factæ approbationis, seu adhibitæ patientiæ, *Glossa in V. patientia. in d. cap. Literas. Bart. Ang. Alex. & alij in l. 3. in princ. De acquir. possess. Decius cons. 191. In causa quæ agitur in fin. Ioan. Bapt. Ferret. consil. 1. nu. 8.* per quam prius discolorata possessio efficitur colorata: ita ut nobis videatur, Dominum Adrianum tutâ conscientiâ suam possessionem continuare posse, nec debere cujusquam alterius impetrationem metuere.

5 Interim tamen pro extrema & indubitata certitudine, & ad eximendum omnem scrupulum, potest D. Adrianus à S. D. N. Papa impetrare novam provisionem, cum clausula *perinde valere, Rebuf. in d. praxi p. 1. tit. De nova provisione*: impetrando illius solam nudam signaturam, quæ ipsi omnem scrupulum conscientiæ eximet, etiam non expeditis bullis super hujusmodi nova provisione, quam expediri facere poterit, si vel quandocumque ei ab aliquo controversia movebitur: quod non facilè futurum speramus post tam longam Domini Adriani pacificam possessionem, & dicti Reverendissimi Domini supratactam approbationem & patientiam.

De officio judicis delegati.

SVMMARIVM.

Iurisdictio delegati prorogabilis.

1. *Tertius ad causam benefícialem comparens admitti debet.*
2. *Delegati ad universitatem causarum iurisdictio prorogabilis est.*

CONSILIVM XXXIX.

NON rectè D. Ioannes Stabulonius recusat ad hanc beneficialem causam, de & super Capellania Sanctissimæ Trinitatis in parochiali Ecclesia de Gesto S. Ioannis admittere Gerardum Mossis, ex prætenso defectu jurisdictionis D. Conservatoris, quòd dictus Gerardus non sit suppositum Vniversitatis Lovaniensis. Neque enim in hac causa constituitur jus jurisdictionis ex persona Gerardi, sed ex persona M. Gisberti Danielis; qui ut suppositum dictæ Vniversitatis, ex conservatoriali jurisdictione ad judicium evocavit Robertum Miste colonum dict. D. Ioannis, pro quo idem D. Ioannes interveniendo dictum M. Gisbertum compulit ad deductionem juris, quod prætendit ad dictam Capellaniam; & præterea ad eum excludendum ex adverso ab asserto suo potiore jure ad eamdem Capellaniam: sic non tantùm agnoscendo dicti D. Conservatoris jurisdictionem contra se, sed illam fundando, & asserendo adversus dictum M. Gisbertum; ut dubitandum non sit, quin saltem ex prorogatione dicti D. Ioannis præfatus D. Conservator sit competens Iudex in hac causa, *l. 1. & 2. De iudic. c. Significasti De foro compet.* * Et quam- 1 vis neque dictus M. Gisbertus, neque M. Ioannes hunc Gerardum ad hanc litem vocari fecerint; nil tamen prohibet, quò minùs pro assertione & defensione juris sui, quod ipse potentius ac dictam Capellaniam prætendit, ad hanc litem comparere, & triangularem processum facere potuerit: ex elegante & aperta traditione Glossæ, *in c. Constitutus. in V. produxisse De testib. & ibi Panorm. nu. 1.* quâ docet duobus super aliqua re litigantibus, tertium ad eamdem litem pro suo interesse comparere, adeoque se admitti petere posse, eumque audiendum & admittendum esse, quia illius interest. Quam traditionem latiùs assumens Innocentius, *in cap. Veniens 1. De sponsal.* dicit id non tantùm in prima, sed & in secunda instantia seu judicio appellationis fieri posse, *l. Is à quo fundus ff. De rei vindicat.* imo etiam post sententiam latam, in executi- ne judicati, *c. Cum super De sent. & re iudic.* † Id- 2 que perinde coram judice delegato, ut coram ordinario, etiamsi alioqui delegatus judex tertio sic comparenti, nec adversus illum videatur datus esse judex, *l. à Divo Pio §. Si super rebus De re iudic.* Et hunc esse notabilem casum, quo delegati judicis jurisdictio etiam prorogari & extendi potest, licet aliàs regulariter delegati jurisdictio ita prorogabilis non sit, *c. P. & G. De off. iudic. deleg.* Permittitur enim id ratione connexitatis causarum,

ne de eadem re apud plures judices, aut pluribus judicijs ágere necesse sit; & commodiùs sit inter omnes, quos causa contingit uno judicio, unâque cognitione causam peragi, *l. 1. & 2. ff.* De *quib. reb. ad eund. iud. eatur Panor. c. Veniens nu. 8. & ibi Felin. nu. 16.* De *restit.* De quo in proposita lite dubitandum non videtur, ob id, quòd D. Ioannes Sabulonius procuratorem constituerit indeterminatè ad hanc causam, & non specialiter aut restrictè adversus M. Gisbertum dumtaxat: & sic perinde adversus tertium vel tunc vel postea comparentem, ut adversus M. Gisbertum citari procurantem. Ita ut hîc cesset illa dubitatio, quam Collector decisionum auditorij Rotæ Romanæ movet, *decis. 456. Si causa committatur, alias est 40. sub tit. De procurat.* an procurator Rei ad causam citati specialiter constitutus contra Actorem citari procurantem, tertium ad causam admittere debeat, propter defectum mandati adversus tertium postea Reo absente comparentem? Quia defectus iste hîc argui non potest, propter generalitatem dicti mandati ad totam causam; cui ut hic Gerardus adversus M. Gisbertum citari procurantem, ita quoque adversus D. Ioannem Opponentem se potest adjungere, non tantùm alteri litigantium se adjungendo, verùm etiam per se & pro suo speciali titulo, & interesse adversus utrumque conjunctim & divisim jus suum asserendo vel defendendo. Potissimùm in duplicibus judicijs beneficialibus, ubi plures jus ad idem beneficium prætendunt, & Actoris & Reorum partes omnes ex æquo sustinent: ut est in familiæ erciscundæ, & alijs similibus duplicibus judicijs, *d. l. 1. ff.* De *quib. reb. ad eund. Iudic. eat.* Vt mirum & absurdum veteri non debeat, si non tantùm adversus M. Gisbertum, cujus nulla hac in re est contradictio, sed & adversus D. Ioannem Sabulonium hic tertius comparens admitti debeat; ex quo perinde hîc, ut ille, de titulo & jure ad hanc Capellaniam contendendo Actoris loco sit: potissimùm eo etiam considerato, quòd hic tertius in exordijs causæ compareat; & tam citò de suo bono jure ac illi de prætensis suis titulis promptè per exhibitionem Articulorum & instrumentorum doceat; & sic per ejus comparitionem causa non retardetur, sed paribus passibus triangulariter decurrere possit, *d. decis. 456. & ibi Ant. Maria Papazo in addit. Cassadorus decis. 1. De except. Felin. in d. cap. Veniens.*

Officium itaque Reverendi D. Conservatoris erit, ut hunc tertium comparentem pro suo interesse admittendum esse decernat, tam adversus D. Ioannem Sabulonium contradicentem, quàm adversus magistrum Gisbertum non contradicentem.

De officio judicis delegati.

SVMMARIVM.

Iurisdictio delegata.

1. Delegatio iudicis quomodo probanda sit.
2. Conservatorum iurisdictio quomodo sit restricta.
3. Exemptis qui subsunt quando exemptionis privilegio gaudeant.
4. Subiectio unde arguatur.
5. Privilegium unius consortis alteri non prodest.

CONSILIVM XL.

QVOD nulla Reverendo D. Abbati S. Gertrudis in hac causa, quam Paulus Keysermans, & Nicolaus Lenaerts, assistente eis D. Liberto Bollen, ut & tanquam magistri fabricæ, & mensæ S. Spiritus loci de Beets, adversus Gerardum T'sroyen citatum, competat jurisdictio, ex eo primùm liquet, quod de literis Apostolicis Conservatoriæ ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, Domino Abbati non constet; & non constitisse probetur per decretum quintâ Iulij in hac causa latum; quo postquam in hac causa ultra annum litigatum esset, citra tamen litis contestationem, dilatorijs & declinatorijs exceptionibus adhuc locum habentibus, *l. ult. C.* De *except.* etiam post editum, desiderante Reo, libellum, *l. Non videtur* De *iud.* ordinatum fuit, ut Actores literas conservatoriales exhiberent; nihil facientibus quibusdam literis citatorijs, seu fulminato processu à Reverendo Domino Petro Was præfati Domini Abbatis prædecessore olim omissis, & in hac causa ex alio processu veriùs repetitis, quàm exhibitis: istæ enim literæ cùm ad hanc causam, aut ad partes hujus causæ, non pertineant, morte dicti Domini Petri inefficaces effectæ sunt, *c. Si delegatus c. Si super, & utrobique gloss.* De *off. iud. delegati*; sic quòd sine nova præsentatione originalium bullarum, aut sumpti seu transumpti ex originalibus bullis facti, Reverendo Domino Abbati moderno nulla possit competere jurisdictio:

† mandatum enim delegatorium jurisdictionis regulariter probandum est, vel per ipsum originale, vel per exemplum legitimè ac solemniter scriptum ex originali, *Panor. in c. Cum in iure peritus, nu. 6. De offic. & potest. iud. deleg. Lud. Roman. cons. 336 Circa propositum num. 7.* De quo minus hic dubitandum est, quòd per copiam bullæ, quam procurator Actorum in hac causa exhibet, id expresse exigatur, ut scilicet exhibeatur originalis bulla, vel transumptum ex ea. Quod cùm in hac causa dici non possit, quid mirum si Reus contra regulas juris, *l. Iuris ordinem C.* De *iurisd. om. iud.* ex foro domicilij sui ad eum, qui nulli dictorum agentium judex est, evocatus, de defectu jurisdictionis objicere possit ex defectu præsentationis originalis bullæ, dicto D. Abbati factæ, aut legitimi transumpti ex illa? Ad cujus transumpti solemnitatem cùm plura requirantur, *c. penult. & ult. & ibi Doct. de fide instrum.* quæ in copia per procuratorem Actorum exhibita, seu repetita non conspiciuntur; nihil hujusmodi copia ad fundandam Reverendi Domini Abbatis jurisdictionem efficere potest.

Deinde etiam si originalis bulla, aut solemne transsumptum ex illa Domino Abbati debitè exhibitum esset, eaque omnia, quæ per decreta Concilij Tridentini circa abrogationem Conservatoriarum statuta sunt, *Sess. 14.* De *refor. c. 5.* cessarent; & dictæ bullæ tenor latiùs pateret, quàm communis

nis Iuris disposítio permittit, quę potestatem Conservatorum peculiariter restrinxit ad avertendas manifestas injurias & violentias; nec extendi patitur ad civilia negotia, quæ indaginem & causæ cognitionem requirunt, *in cap. 1. & ult. De off. & potest. iud. deleg. lib. 6.* adhuc tamen pro parte Rei rectè proposita esset hæc declinatoria exceptio,
3 * ob id, quòd hæc causa non contingat Ordinem aut personas Ordinis fratrum S. Ioannis Hierosolymitani; sed tantùm magistros fabricæ, & mensæ S. Spiritus dictæ Ecclesiæ de Beets: qui magistri, & eorum magisterio subjecta bona, neutro jure, multò minùs utroque jure dicto Ordini subjecta sunt, hoc est neque in spiritualibus, neque in temporalibus. In spiritualibus subjectos non esse dictos magistros, seu dictæ Ecclesiæ fabricam, vel pauperum mensam, ex eo facilè percipitur, quòd non constat magistrum dicti Ordinis, aut Pastorem dictæ Ecclesiæ, habere institutionem aut destitutionem dictorum magistrorum, unde solet causari spiritualis & obedientiaria jurisdictio, *Clem. Quia regulares De suppl. neglig. Prælat. Bonif. De Vitalinis in Clemen. 1. n. 1. De rescript.* In temporalibus neque ipsos magistros, neque dictam fabricam aut mensam, neque eorum bona dicto Ordini esse subjecta, sed ab illis omninò separata, articulatim posuit Reus, & Actores confessi sunt: præsertim quoad reditum ob quem hæc causa proponitur, quem sine cooperatione vel Pastoris, vel alicujus alterius de dicto Ordine, laica persona (videlicet Georgius de Heere dictæ fabricæ magister) acquisivit ad opus fabricæ ejusdem; ideoque falsum sit, quod Actores declaraverunt hæc bona dicto Ordini esse subjecta. Vnde cùm dictæ fabricæ, aut mensæ S. Spiritus bona, non sint de mensa dicti Ordinis, aut personarum ejusdem Ordinis, neque etiam prætactæ parochialis Ecclesiæ, quatenus illius fructus ad Religiosum prædicti Ordinis pertinent; non potest dici membrum hoc fabricæ,
4 aut mensæ S. Spiritus subjectum dicto Ordini, *Bonifacius De Vitalinis d. nu. 1.* † Vtenim Ecclesia aliqua, aut aliud aliquod corpus, vel membrum dicatur alteri Ecclesiæ, corpori, aut ordini subjectum, ad hoc præsertim, ut illius privilegijs gaudeat, debet utroque & pleno jure illi esse subjectum, *Gloss. cap. 3. §. in Ecclesijs in verb. pleno iure De privileg.* Atque ita cùm neque dicta fabrica, neque dicta mensa, neque bona illarum, nec denique magistri seu mamburni illarum, pleno jure subjaceant dicto Ordini; consequens est, eosdem virtute alicujus privilegij dicto Ordini concessi ad privilegiarium ejusdem Ordinis forum, contra regulas juris, trahi non posse: privilegium enim uni seu certo corpori concessum, ad aliud non debet porrigi, *c. Sane de priviq.* Nihil faciente in hac re adjunctione Domini Liberti Bollen Fratris Religiosi ejusdem Ordinis & Parochi dictæ Ecclesiæ de Beets; quia per evidentem collusionem facta est illius adjunctio, ut sub obtentu personæ ipsius, evocatio Rei colorari posset, quam certò sciebat sustineri non posse ex personis dictorum Pauli & Nicolai, qui sunt homines prorsus laici, dicto Ordini nullâ specie subjectionis in spiritualibus aut temporalibus subjecti, & ejusdem fori cum
5 Reo. † Cùm alioqui generaliter verum sit, etiam inter consortes, unius privilegium alteri non prodesse, *l. 1. C. Si in com. cad. caus. &c. & l. Ex pluribus De admin. tutor.* & in hac causa Dominus Libertus consors dici non possit, quòd hæc causa fabricæ, & dictæ mensæ ad eum nullo modo pertineat; cùm neque in numero Magistrorum dictæ fabricæ, aut mensæ, Pastor loci esse soleat; neque talem se esse D. Libertus, post formalem negationem Rei, probaverit. Sic quod manifesta calumnia & abusus lateat in hac adjunctione D. Liberti, & usurpatione Conservatorialis hujus jurisdictionis, ad causas & personas sub eadem Conservatoria minimè comprehensas: cùm delegata jurisdictio de persona ad personam prorogabilis non sit, *c. P. & G. De off. ord. deleg.* Cui abusui proinde occurrendum censemus & per Reverendum D. Abbatem decernendum, se non esse causæ vel partium judicem competentem; dictis Actoribus in expensis temerariæ evocationis condemnatis.

De officio Iudicis delegati.

SVMMARIVM.

Iudex delegatus.

1. *Intellectus* c. Quærenti De off. & potest. jud. deleg.
2. *Iudex delegatus quando post annum exæquatur suam sententiam.*

CONSILIVM XLI.

ALLEGATVR ex Stephano Aufrerio decisio quædam, *quæ est 84. Capellæ Tholosanæ incip. Iam fuit quæsitum*, per quam restringi existimatur dispositio *c. Quærenti De off. & potest. iud. delegati*: * quæ judici delegato permittit potestatem exsequendi suam sententiam 1
intra annum à die latæ sententiæ: ut scilicet ea locum non obtineat, si à sententia judicis delegati appellatum sit; sed tunc hic annus primùm currere incipiat à die finitæ appellationis. Sed errorem continet ea allegatio; neque enim id tradit Aufrerius; sed hoc tantùm dicit, ex sententia Innocentij, *in d. c. Quærenti V. annum*, quòd si fuit appellatum à sententia judicis delegati, & appellatio hæc post annum invenitur deserta, quòd tunc Iudex etiam post annum, suam sententiam exsequi possit. Qui non est casus præsentis litis: * nam nihil hîc 2
proponitur de deserta appellatione à sententia per Reverendum D. Abbatem pronunciata, sed tantùm de illa per Iudicem tertiæ instantiæ confirmata: & sic apertis verbis dictam sententiam Innocentij interpretatur Ægidius de Bellamera, *in d. c. Quærenti nu. 2.* ut scilicet non indistinctè locum non habeat, quando est appellatum, sed tunc tantùm fallat, si, cùm appellatum est, appellatio sit deserta, non etiam, si sententia confirmata est per judicem ad quem provocatum est: hâc assignatâ discriminis seu differentiæ causâ, quòd desertâ appellatione judex ad quem executionem non habeat; at verò confirmatâ sententiâ judex confirmans illam possit executioni mandare, *c. Pastoralis §. præterea De offic. & potest. judic. deleg. &*

sic non sit necesse confugere ad judicem à quo. Vnde etiam est, quòd ad unum omnes interpretes scribant, *d. c. Quærenti, præsertim Panorm. nu. 3.* hujus anni terminum non esse utilem, sed continuum; & numerari de die in diem; nec inde deduci quæcumque impedimenta: ideoque admonet Panormitanus, his verbis, *Cave ne decipiaris*; quia ista Decretalis habet locum etiam quando est appellatum; addità tantùm supra tactâ limitatione, nisi appellatio fiat deserta. Quæ cum apertissima sint, facilè perspicitur non rectè, nec ex bona fide allegari, prætactam Auferij ex Innocentio decisionem, ad sustinendam jurisdictionem Reverendi D. Abbatis, non tantùm ad executionem, sed etiam ad cognitionem, hoc est, ad taxationem expensarum, quæ cognitione judicis expeditur; cujus cognitionis nulla est potestas lapso prætacto anno.

De officio Legati

SVMMARIVM.

Legati Apostolici potestas.

1. *Concordata Germanicæ nationis reservant Papæ alternos menses.*
2. *Legatus vel Nuntius Apostolicus quando conferat beneficia.*
3. *Nuntij Papæ cum potestate Legati de latere potestas.*
4. *Legati vel Nuntij potestas non exspirat morte Papæ.*
5. *Beneficia in dubio non sunt sacerdotalia.*
6. *Monocularia beneficia confert Papa, eiusque Legatus.*
7. *Monocularis Collator quis sit.*
8. *Assertioni Imperatoris quando credatur.*
9. *Monocularia beneficia non cadunt sub exspectativis.*
10. *Mandatum de conferendo uni directum alium non perstringit.*
11. *Gratia exspectativa non fulminata, an habeat effectum.*

CONSILIVM XLII.

IN beneficiali hac causa, quæ coram Reverendo D. Conservatore privilegiorum Almæ Vniversitatis studij generalis Oppidi Lovaniensis agitur, inter M. Guilielmum Rameyum ex una, & D. Ioannem Stassin partibus ex altera, de & super jure Capellaniæ ad altare SS. Andreæ & Martini in Collegiata Ecclesia S. Pauli Leodiensis, longè potior est conditio dicti M. Guilielmi, jus suum metientis & fundantis ex collatione illi facta per Reverendissimum D. Ioannem Franciscum Episcopum Vercellensem, tempore hujusmodi collationis Sedis Apostolicæ Nuntium, cum potestate Legati de latere in partibus tunc agentem. † Cùm enim perinde M. Ioannes, ut dictus M. Guilielmus allegent hanc Capellaniam in dicta Collegiata Ecclesia S. Pauli, & sic intra terminos Germanicæ nationis; ex morte D. Ioannis Voronx ultimi illius possessoris vacavisse in mense Martio; & M. Ioannes apertè confessus sit, & alioqui per se notorijssimum sit *Domin. Gemin. cons. 56. In casu prædicto. Iacob. Puteus decis. 345. lib. 2.* quòd mensis Martius sit unus ex alternatis mensibus Sedi Apostolicæ, ejusque Legatis seu Nuntijs per Concordata nationis Germanicæ reservatis; idemque M. Ioannes satis confiteatur, præfatum Reverendissimum D. Episc. Vercellensem in dicto mense Martio ante & post fuisse Nuntium Sedis Apostolicæ, eoque tempore intra terminos suæ legationis præsentem; & quòd literæ ejusdem Reverendissimi D. Nuntij, quoad illarum sigillum, scripturam ac signaturas per decreta ult. Ianuarij, 18. Februarij, & 8. Aprilis sint decretæ pro recognitis & confessatis: dubitatio nulla ampliùs supereſt, de sic utiliter facta per dictum Nuntium Apostolicum præfato M. Guilielmo collatione hujus Capellaniæ, * manente solâ quæstione, an 2
dictus Nuntius vigore suæ legationis habuerit facultatem conferendi beneficia intra dictos terminos suæ legationis, ob id, quòd etiamsi Legato de latere, hoc est Cardinali, propter honoris prærogativam, ipso jure ex solo injunctæ legationis munere competat facultas conferendi beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta; alijs tamen dictæ Sedis Apostolicæ Legatis seu Nuntijs idem juris attributum non sit, nisi hoc specialiter per mandata Apostolica (quæ facultates appellantur) eis sit indultum, *c. 1. De off. leg. lib. 6. Franc. Marcus decis. 135. parte 1.* Ita ut, cùm hic Reverendiss. Nuntius Cardinalatus dignitatem non habeat, sed Episcopalem tantùm, meritò dubitari possit de validitate hujus collationis.

Cæterùm hæc quæstio seu difficultas sine magno 3
negotio resolvitur: nam quod deest ipsi Cardinalatus dignitati, hoc supplet S. D. N. Papæ voluntas; ob id, quòd sit datus seu missus Nuntius cum potestate Legati de latere, ut habent literæ facultatum in illarum fronte; quod perinde accipi debet, ac si ut Cardinalis de latere missus fuisset. Quid enim interest, an quis sit Proconsul, an proconsultari potestate, *l. 1. ff. De tutor. & curat. dat. ab his*? Legatus à latere, aut simplex legatus cum illa potestate, *Iac. Philipp. Porrius cons. 28. Reverendiss. Apostolicæ Sedis nu. 6.* cùm voluntas Papæ & initium & finem huic rei faciat. Hoc ergò solum, quòd hic Nuntius sit datus cum potestate Legati de latere, continet quoque beneficiorum conferendorum potestatem, *d. c. 1. Paulus Paris. cons. 17. De bono iure vol. 4.* Quæ tamen potestas etiam specialiter est dicto Nuntio concessa, in codicillis seu literis dictarum facultatum, per hæc verba: *Ad hæc quæcumque beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura sæcularia, & quorumvis ordinum regularia intra limites suæ legationis consistentia, etiamsi Plebanæ, Vicariæ, aut Capellaniæ perpetuæ &c. conferendi & de illis providendi.* Quas facultates hujus Reverendiss. Nuntij, quamvis notorijssimas, præfatus M. Ioannes bonâ fide agnoscere noluit, conijciendo M. Guilielmum in necessitatem magnis sumptibus ex commissione D. Iu- 8
dicis extrahendi authenticum exemplum ex authentico extracto registrato de publicatione & insinuatione dictarum facultatum in civitate Leodiensi in anno 1585. solemniter facta; ut nulla possit esse dubitatio de his facultatibus, quas fel. rec. Gregorius Papa Decimus tertius huic Reverendissimo dedit, *Franc. Marcus decis. 14. parte 2.* Potiùs cùm quòd hæc descriptio & extractio legitimè sit facta & exemplata, non tantùm ex dicti D. Iudicis commissione, sed etiam parte adversa ad hoc legitimè citata & præsente, nec legitimè contradicente; *c. fin. & ibi DD. De fide instrum.*

Quod satis agnoscens præfati M. Ioannis Ad- 4
vocatus, ut dictis facultatibus omnem effectum & pote-

& potestatem detraheret, dicti S. D. N. Gregorij XIII. Papæ supervenientem obitum, ante datam dictæ collationis, in jure aberrando, allegavit; quasi superveniens illius obitus, revocationem legationis induxerit, & post hanc revocationem facta hæc collatio, ex defectu potestatis censeri debeat nulla. Sed hanc erroneam allegationem feliciter removit & rejecit D. Iudicis super hac objectione latum decretum, per processum ad ulteriora; propter manifestam & notoriam juris dispositionem, quòd Legatorum Pontificiorum potestas non exspiret superveniente morte Pontificis, qui illos delegavit, *d. c. 2. De off. legat. lib. 6. Franc. Marcus dec. 308. parte 2.* Est enim Sedis Apostolicæ magis, quàm personæ delegatio; ita ut cùm Sedes perduret, perdurare quoque censeatur à Sede data potestas; quamdiu specialiter vel per successorem, vel per cœtum Cardinalium revocata non probatur, *glos. in V. declaramus in d. c. 2.* Proinde post obitum Gregorij XIII. facta hæc collatio, durante adhuc legatione, censeri debet legitima, etiamsi facta sit non sub nomine Gregorij Decimi tertij tunc defuncti, sed Sixti Quinti ejus in Pontificatu successoris; à quo dictus Reverendiss. Nuntius non tantùm non est revocatus, sed etiam specialiter confirmatus, & in eo munere continuatus, prout si res (alioqui per se notorijssima) postularet facilè probari posset; sed probatione non eget in tam aperta juris dispositione.

Et ut secundùm præmissa nullus defectus est ex parte ipsius Collatoris, ita nec ipsius Collatarij: quippe per literas tonsuræ, quas M. Ioannes recognovit, constat M. Guilielmum tempore collationis fuisse Clericum legitimè tonsuratum, & sic habilem ad hoc simplex Capellaniæ beneficium obtinendum, *c. Ex literis De transact. c. 2. De institut.* * non obstante, quòd ex parte M. Ioannis fuerit propositum & objectum, quòd hæc Capellania sit sacerdotale beneficium, & illius præfatus M. Guilielmus ex sua qualitate, hoc est, ex defectu sacerdotalis ordinis incapax, *Doct. in c. Cum in cunctis §. inferiora. De elect. And. Barbat. cons. 33. Quoad primum n. 22. vol. 2. Phil. Decius cons. 128. Licet in casu n. 5. sub fin. Phil. Franc. in c. Ei cui De præben. lib. 6.* Nam sic qualificatam esse hanc Capellaniam, quòd scilicet ex fundatione, dotatione, statuto, vel consuetudine, non posset obtineri, nisi ab eo, qui vel actu est sacerdos, vel in ea ætate, ut intra annum talis fieri possit, probatum non est, *c. Licet Canon De elect. lib. 6.* Iam verò beneficia simplicia non curata (qualis est hæc Capellania) in dubio censentur esse liberæ conditionis & minimè conditionata aut qualificata alicui servituti vel speciali oneri; saltem non alij, quàm simplicis clericaturæ obnoxia, *Innoc. in c. Cum venerabilis in fine De exception. Bellamera decis. 676. Cassad. decis. 1. in fine De dilat. & decis. 4. nu. 7. De probat.* ideoque per simplicem Clericum obtineri & retineri possunt, etiamsi illis incumberet aliquod onus sacerdotale, seu alterius Ecclesiastici ordinis, quod per alium explicari potest, *Doct. in c. Super inordinata De præbend.* Vnde etiam est, quòd Advocatus M. Ioannis deducendo principaliter jus suum in hac causa, nullam amplius fecerit mentionem hujus sacerdotalis qualitatis; non obscurè ab hujusmodi allegatione præcedente recedendo.

Illud satis percipi non potest, quid eumdem 6
Advocatum moverit ad allegandum, quòd hæc Capellania sit monoculare beneficium; ex eo, quod Cantor dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Pauli, ordinarius hujus Capellaniæ Collator, solus vel conjunctim cum Decano non habeat conferre aliquod aliud beneficium, nisi hanc unicam Capellaniam: neque enim explicat, ad quem finem hoc allegat; an ad illum, ut inde arguat defectum potestatis Nuntij conferentis, an ad inducendam M. Guilielmi incapacitatem. Si enim eo fine id facit, ut Reverendiss. Nuntio Apostolico detrahat facultatem illius conferendi; quasi monocularia beneficia non comprehendantur sub prædictis Concordatis Nationis Germanicæ, aut quòd Papa ejusque Legati nullam habeant potestatem in monocularibus beneficijs, à vero aberrat: quippe leges & conditiones dictorum Concordatorum in alternis mensibus tribuunt Sedi Apostolicæ jus ordinarium conferendi omnia beneficia, in illis mensibus vacantia; quibus mensibus ordinarij Collatores nihil juris prætendere possunt in beneficia tunc vacantia: quamdiu enim durat potestas Papæ, nulla est Ordinarij potestas, *c. Statutum De præbend. lib. 6.* Vsque adeò ut durante potestate Papæ, Ordinarius manum beneficio apponere non possit, *c. Licet Ecclesiarum eod. tit. lib. 6.* Neque enim Papæ collatio in illis mensibus fit per præventionem, aut per speciem exspectativæ, cum gravamine ordinarij Collatoris; neque per modum mandati, gravando Ordinarios, sed per viam ordinariæ collationis sine gravamine Ordinarij, cui in mense Apostolico nihil juris competit in quocumque beneficio etiam monoculari. Sic quod manifestum sit, hoc beneficium, non obstante monocularitate, per dictum Reverendissimum Nuntium conferri potuisse ex illius vacatione contingente in mense Papali. * 7
Cùm alioqui certiore ratione dici & sustineri possit, hoc beneficium minimè monoculare esse, sive dicti Decani, sive dicti Cantoris persona spectetur: ob id, quòd quamvis hi duo conjunctim specialiter sint hujus Capellaniæ ordinarij Collatores, inde tamen non sequatur, quòd hi duo conjunctim vel divisim non habeant aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum collationem seu dispositionem; cùm uterque jure Canonicali, in dicta Collegiata Ecclesia vel conjunctim, vel quisque saltem in suo turno, vice & ex parte Capituli, habeant jus conferendi plura & diversa beneficia: satis enim est quocumque modo plurium beneficiorum dispositionem habeant, actu vel potentiâ. Vnde decidit Rota *decis. 241. Nota quod ubi aliquis, aliàs est 40. sub tit. De rescript. in antiqq.* & sequitur Felinus, *in c. Nostra n. 23. De rescript.* quod habens unicum beneficium conferre per se, sed cum Capitulo plura, monocularis in collatione non sit, sed pluralis: ita ut etiam illud unicum cadat & comprehendatur sub mandato seu exspectativa gratia. Ex quibus omnibus manifestè constat de bono & liquido jure M. Guilielmi.

Ex adverso quoque facilè est ad oculum demonstrare, dicto M. Ioanni ex collatione seu acceptatione, quam ille prætendit, nihil juris competere ad hanc Capellaniam. Etsi enim jus suum fundet in nominatione Imperatoriæ Majestatis, exhibito

de illo formali instrumento; inde tamen non constat, dicto Imperatori jus fuisse nominandi, cùm id laicæ personæ sine speciali Pontificis concessione, nullo modo competere possit, *c. Decernimus De*
8 *iudicijs.* † Vnde etiam est, quòd in dictis literis nominationis Imperator asserat hoc nominandi jus sibi competere ex indulto fel. record. Gregorij Decimi tertij Papæ, de quo tamen indulto præfatus M. Ioannes in hac lite non docuit: ut sic dictæ relativæ narrationi stari non debeat, *Authent. Si quis in aliquo. C. De edendo:* præsertim cùm non de suo, sed de alterius facto sit hujusmodi assertio; & in proposito non quæratur de facto proprio Imperatoris, quo casu illi facilius credi posset, & illius assertioni standum esset, *Clem. 1. De probat. Steph. Bertran. cons. 109. Multa sunt n. 1. vol. 3. par. 2. Quod denuò repetitum vol 6. cons. 99.* sed de facto Gregorij Papæ; de quo sanè aliter, quàm ex nuda assertione Imperatoris, constare debet. Non caret sanè magnâ suspicione, quòd dictus M. Ioannes dumtaxat exhibuerit literas nominationis, & minimè processum super illa, vel per Archiepiscopum Moguntinum, vel alium executorem in dictis literis nominationis deputatum, fulminatum: in quo proculdubio, ex obtinente jure, fuisset insertum dictum Gregorij XIII. indultum. Et mirum est, quòd Advocatus M. Guilielmi, illius processus fulminati exhibitionem non urserit: quo processu fulminato exhibito, ad oculum constaret, dictum Gregorij XIII. indultum Rudolpho Secundo Imperatori concessum, sic esse limitatum & restrictum, ut vigore illius non potuerit acceptari hæc Capellania, quam dictus M. Ioannes tam formaliter allegat esse monoculare beneficium; ob id, quòd dictum indultum patiatur tantùm gravari Collatores habentes saltem quatuor beneficia conferre. Ita quod præsuppositâ dictâ monocularitate, ex dictis limitantibus & restringentibus verbis dicti indulti, non potuerit acceptari hæc unica Capel-
9 lania, † ut regulariter etiam receptum est sub quibuscumque præventivis seu exspectativis gratijs, atque etiam nominationibus, non comprehendi beneficia monocularia, nisi ad illa quoque indultum sit specialiter extensum, *Glos. in verb. in certa in Clement. 1. De præbend. Rota d. decis. 241. Ioan. Selva in tractat. De benef. part. 3. q. 11. nu. 71.* cùm verosimilè non sit, Papam voluisse Collatorem privare illo unico lumine, quod ei vix semel in vita contingit, *Felin. in d. c. In nostra. nu. 23. Petrus Rebuffus in tract. nominat. quæst. 15. nu. 41.* Sic quòd etiam ex hac propria Advocati allegatione omnimodò enervetur jus dicti M. Ioannis, præsuppositâ illâ monocularitate. Quâ monocularitatis consideratione cessante (prout secundùm superiùs dicta verè cessat) nihilo magis potuit virtute nominationis Imperatoriæ acceptari hæc Capellania; ob id, quòd dictæ literæ nominationis sint decretæ dumtaxat Decano dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Pauli, idque ei soli, nullâ factâ mentione conjunctim vel disjunctim, Cantoris ejusdem Ecclesiæ. Sic & usque adeò, quòd virtute hujus nominationis ad solum Decanum factæ, non potuit acceptari beneficium spectans conjunctim ad dictum Decanum & Cantorem; quia gratia nominationis ita non loquitur, nec extra suos terminos proferri po-
10 test, *c. Cum in illis §. ult. De præben. lib. 6.* † Vnde expresso jure definitum est, quòd mandatum Papæ de providendo alicui factum, ad collationem Capituli, non pertineat ad beneficium, quod ad aliquem de Capitulo pertinet specialiter ratione alicujus dignitatis, personatus, vel officij, *c. fin. De præbend. lib. 6. Bald. cons. 242. Factum tale est, vol. 3. Rebuff. in tract. De nominat. q. 15. nu. 37.* Ideoque mandatum de beneficio spectante ad collationem unius, impleri non potest in beneficio, cujus collatio ad eum simul cum alio pertinet, *d. c. Cum in illis §. fin.* Et concessum ratione rei vel loci, effectum sortiri non potest, aut extendi ad aliam rem vel locum, *c. Sanè c. Cum capella De privileg. c. Cui de non sacerdotali De præben. lib. 6.* Sunt enim hujusmodi indulta & literæ Apostolicæ stricti juris & ambitiosa; & ob id omninò restringenda intra limites verborum, quibus concepta sunt, *d. c. Cum in illis. versic. cum autem.* Cùm igitur ex propria etjam allegatione præfati M. Ioannis constet, hujus Capellaniæ collationem pertinere conjunctim ad dictos DD. Decanum & Cantorem, prorsus censeri debet nulla & inefficax acceptatio, quam idem M. Ioannes fecit virtute hujusmodi indulti Imperialis, ad solius Decani collationem directi. * Ad 11
cujus acceptationis inutilitatem quoque facit, quòd non constet dictas nominationis literas præfato D. Decano, imò nec alicui ex Executoribus in illis deputatis fuisse præsentatas, aut processum aliquem desuper per executorem fulminatum; quod omninò fuit necessarium, ad effectum obtinendi ex hujusmodi nominationis indulto, aut etiam constringendi seu ligandi manus illius, ad quem diriguntur, *c. Super eo 12. in fin. c. Vt debitum in V. priusquam De legato De appellat. Lapus decis. 84. Rota decis. 459. Circa tertium, alias est 21. sub tit. De concess. præben. in novis.* Nam in suis terminis sine effectu stare dicuntur literæ, quæ Executoris operam non habent, *Glos. in Clement. 1. V. in volumus De magistris.* Ita quòd ex defectu debitæ executionis præfatus M. Ioannes nihil juris prætexere possit ex hujusmodi nominationis indulto, super quo neminem ex deputatis Executoribus adijt vel requisivit; ideoque nihil momenti constituendum sit in illa notula, quæ in dorso literarum nominationis paucis verbis ascripta inventur, de his literis dicto Decano insinuatis 24. Martij anno 1586. pridie scilicet, quàm idem M. Ioannes hanc Capellaniam acceptavit, totis ferè quinque annis post datam ipsius nominationis; ut ex collatione datarum deprehenditur. De quo scrupulosiùs disputandum non est, cùm dicto M. Guilielmo sufficere debeat, quòd ipsius collatio jure per omnia subsistat.

Quare tametsi tempore præcedat M. Ioannis acceptatio, quia tamen facta est extra & ultra terminos Imperalium literarum nominationis, de beneficio, quòd ad solum Decanum non pertinet, sed conjunctim ad ejus socium seu consortem, hoc est ad Cantorem ejusdem Ecclesiæ, ad cujus collationes nulla facta fuit nominatio; existimamus secundùm conclusionem dicti M. Guilielmi, contra dictum M. Ioannem in hac causa judicandum, tam quoad expensas litis, quàm ad judicationem dictæ Capellaniæ.

De offi-

De officio judicis Ordinarij.

SVMMARIVM.

Foraneus Officialis quis sit.

1. *Intellect.* Clement. Etsi principalis, De rescrip.
2. *Officiales plures habere potest Episcopus.*
3. *Foraneus Officialis quis sit.*

CONSILIVM XLIII.

INTOLERABILIS est error, in quo versatur Advocatus Augustini Wevers mariti Annæ Schuermans, * dum pro applicanda, & ad usum partis suæ accommodanda Clementina constitutione, *Clem. Etsi principalis, De rescrip. de non delegandis causis ad Sedem Apostolicam devolutis Episcoporum Officialibus foraneis*, audentiùs allegat Venerabilem D. Officialem Reverendissimi Episcopi Leodiens. in Brabantia constitutum, non esse principalem, sed foraneum Officialem: cùm ex usu & observatione constet de contrario. * Potest enim Episcopus plures habere officiales æquè principales, *Doct. in d. Clement. Etsi Principalis, c. Romana De off. ordin. lib. 6.* & singulis his causæ Apostolicæ committi possunt. * Foraneum autem non esse præfatum D. Officialem per Brabantiam constitutum, ex duobus manifestissimum fit, primùm ex eo, quòd non certo alicui loco, sed toti provinciæ, hoc est per totam Brabantiam sit constitutus; & fines non multò angustiores habeat, quàm Officialis Leodij constitutus: cùm foraneus sit, qui certo dumtaxat alicui loco in Diœcesi est deputatus; & nunc ex moribus ac observatione magis ad deferendum delicta, causasque subitaneas audiendas, quàm terminandas plerumque constituitur. Secundò ex eo, quod à prefato D. Officiali Leodiensi Lovanij in Brabantia residenti non appelletur vel ad Episcopum, vel ad ejus Officialem Leodij residentem, uti ex usu indubitatissimum est: à foraneo autem Officiali appellare liceat vel ad Episcopum, vel ad ejus Officialem principalem, *d. c. Romana. Steph. Bertran. cons.* 131. *Ex processu vol.* 8. Deinde in præcedente instantia judicatum est secundùm subdelegationem per eumdem D. Officialem Reverendo Domino Abbati S. Gertrudis factam; atque etiam in hac causa, in qua Venerabilis Dom. Præpositus ex ejusdem Domini Officialis subdelegatione decrevit, se hujus causæ judicem competentem; à quo decreto appellatum non est, sed ulteriùs ad terminorum substantialium observationem processum: ita quod evidenter constet, partem adversam vel calumniari, vel cavillari, & calumniando temporis lucrum captare; ut interea ex urbe Romana rescriptum avocatorium causæ accipiat. Existimo itaque articulos partis adversus jurisdictionem Venerabilis Domini Præpositi exhibitos reijciendos esse, & ulteriùs in causa procedendum.

De officio judicis ordinarij.

SVMMARIVM.

Vicarius aut Officialis Episcopi laicum sibi non substituit, nec per advocatum sententiam recitat.

1. *Matrimonialis causa ardua.*
2. *Matrimonialis causa per judicem laicum ne incidenter quidem cognosci potest.*
3. *Clericus contrahendo matrimonium an amittat Clericatum.*
4. *Officialis Officialem constituere non potest, sed bene singulas causas delegare.*
5. *Officialis substitutus principali præsente nihil potest.*
6. 8. *Substituendi potestatem habens debet idoneum substituere.*
7. 10. *Laicus non potest esse Vicarius vel officialis Episcopi.*
9. *Assessor Judicis an sententiam pronuntiare possit.*
11. *Irregularis non potest esse Ecclesiasticus judex.*
12. *Consuetudo quando jurisdictionem tribuat.*
13. *Jurisdictionem spiritualium laicus nulla præscriptione acquirit.*

CONSILIVM XLIIII.

NVLLITAS sententiæ in causa matrimoniali inter Iosinam van Antwerpen actricem Appellantem, & Ioannē Bryenberch Reum Appellatum latæ, in conspicuo est & inexcusabilis. † Est enim indubitatum, causam matrimonialem nedum esse gravem & arduam, cujus decisio ob id non quibusvis sed Ecclesiasticis dumtaxat personis, *c. 1. in fine De consang. & affinit.* & ferè Episcopis, tantùm committi debeat, *c. Accedentibus De excess. Prælat.* sicut ex stilo Romanæ Curiæ Episcopis tantùm committitur, *Specul. tit. De rescriptis in præf. vers. nunc ad instructionem. Panor. in c. Causam De off. iud. deleg. Maria. Socin. in c. Ad hæc n.* 1. *Vt lite non contest.* verùm etiam merè specialem esse, *Clem. Dispendiosam De iud. & ibi Glos. in V. Matrimonys*: * ita quòd laicus de illa, cùm non de facto, sed de vinculo juris queritur, an sit & teneat matrimonium, nullatenus cognoscere possit; & ne incidenter quidem, *c. Lator. c. Causam quæ, Qui filij sint legit. c. Tuam. De ord. cognit. Bart. in l.* 2. *nu.* 4. *De iurisdiction. omn. iud.* Quibus consequens est, nec laico alicui hujusmodi causæ spiritualis definitionem committi seu delegari posse, quia illius laicus prorsus incapax est, *c. Decernimus & ibi Glos. De iudic.* & sic judicando, judicatum nullum facit, non magis quàm quod judicatur ab eo, qui jurisdictionem aut notionem non habet, *l.* 4. §. *condemnatum De re iudic. l.* 1. §. *fin. Ad* 5. *C. Tertull.* cùm major nullitatis species esse non possit, quàm quæ exurgit ex jurisdictionis incompetentia, *l.* 1. *& ibi Bal. ad rubr. C. Si à non compet. iud.* Et quamvis causæ civiles etiam Clericorum committi possint laicis; spirituales tamen & criminales non possunt, *d. Glos. in d. c. Decernimus, & ibi Panorm. nu* 15. *Dec. nu.* 15. *Ioan. Franc. Ripa n.* 34. *And. Barbat. cons.* 45. *Mandato & iussu nu.* 8. *Vol.* 2. Proinde cùm sententia hæc non ab Officiali Cameracensi, sed à Magistro Dionysio Sgroets lata sit (ut appellatus fatetur; licet exhibitæ sententiæ instrumentum mentionem dicti M. Dionysij non contineat, sed Officialis tantùm) constet quoque eumdem M. Dionysium tunc fuisse virum conjugatum; de nullitate sententiæ dubitandum non est: præsertim quòd non constet de speciali aliqua hujus causæ delegatione eidem M. Dionysio facta, nec etiam de illius clericatura: de qua tamen si constaret nihilo solidior esset hæc sententia, * ob id, quod

id, quod conjugium Clericum ad laici conditionem redigat; quia contrahendo matrimonium explicat actum clericatui contrarium, & privilegijs clericatus renuntiare censetur, *Ioan. And. in cap. 1. §. in cæteris De Cler. coniug. lib. 6. & in c. Diversis fallacijs. De clericis coniug.* Exceptis tantùm duobus casibus, fori scilicet, ne per judicem sæcularem puniri possit, & injectionis manuum violentarum, *c. 1. De cler. coniug. lib. 6.*

4 Nec ad sustinendam sententiam facit quod M. Dionysius, ut Officialis seu ut substitutus Officialis, hanc sententiam protulisse dicatur: nam in primis non exigua dubitatio est, an Officialis seu Vicarius Episcopi suo loco alium Officialem seu Vicarium substituere possit, licet possit singulas seu speciales aliquot causas idoneis personis committere, *DD. in c. Clericos. De offic. Vicarij, c. 1. eod. tit. lib. 6. Rota decis. 350. Licet Officialis, aliàs est 3. sub tit. De offic. Vicarij in novis*: plerisque id permittentibus, cùm speciale ad hoc mandatum habet, *Rota decis. 379. Fuit dubitatum, aliàs est 4. sub tit. De offi. Vicarij in novis*; pront in mandato Officialis Cameracensis apertè continetur potestas substituendi alium Officialem: hujusmodi tamen mandatum seu potestas duplicem ex jure restrictionem habet.

5 Primò ut, scilicet hujus substitutionis usus aut effectus nullus sit, nisi absente, hoc est, foras profecto Officiali principali; prout etiam habet statutum Curiæ Cameracensis per appellatum exhibitum, secundùm cujus tenorem hæc substitutio accipienda est, *arg. l. Quero §. inter locatorem. ff. Locati. præsumpt. vicem alicuius &c.* Qui enim ex necessitate aliquid facit, aut ad executionem alicujus rei seu causæ præcedentis, secundùm necessitatis & præcedentis rei fines ac limites id facere censetur, *Hippol. De Marsil. in l. Statu liber nu. 8. De quæst. Ioan. Alciat. De reg. 2. cap. 24.* ut regulariter servatur in omnibus officijs eorum, qui vicem alicujus Judicis vel Officialis obtinent, *Gloss. in l. Suggerente C. De off. eius qui.* Iam verò non constat, Dominum Officialem Cameracensem absentem fuisse tunc, cùm hæc sententia ferretur: cùm alioqui hujusmodi substitutio ex usu ferè pertineat & restringatur ad decisionem causarum, quæ fieri solet de plano, judice pro tribunali sedente; non etiam ut virtute hujusmodi generalis commissionis liceat substituto causas viâ ordinariâ, & per formalem processum peractas, sine alia speciali commissione, arripere & terminare: quod satis indicant exempla sententiarum, quæ appellatus exhibuit; in quibus semper exprimitur nomen & cognomen Advocati, cui causæ specialiter commissæ fuerunt. † Secundò

6 ut virtute hujus potestatis non possit Dominus Officialis nisi idoneas personas, & hujusmodi jurisdictionis, notionis, & cognitionis capaces substituere; quia in concessione generali, non veniunt illicita, *l. Quod servus De acq. posses. l. Si pater De his quæ in fraud. cred. l. Si procurator De condict. indeb.* nec ea quæ in specie verosimiliter non fuissent comprehensa, *l. Obligatione generali De pignorib.*

Iam verò indubitatum est, quòd laicus non pos-

7 sit esse Vicarius vel Officialis Episcopi in spiritualibus, *Panorm. in d. c. Decernimus nu. 13. & ibi Dec. nu. 15. Rota. d. decis. 378.* multo minùs Vicarij seu Officialis primarij vicarius & substitutus. Qui enim principalem locum obtinere nequit, propter status conditionem, personæ incapacitatem, aut aliam causam, ad vicariam operam assumi non potest, nec debet, *l. Paraboläni, & ibi Bald. C. De Episc. & Cler. l. 1. in fine C. De præpos. agen. in rebus sub fin. lib. 12.* Surrogatus namque ejusdem juris & conditionis esse debet, cujus est ille, in cujus locum surrogatur; & talis esse debet, qui ab initio principaliter assumi potuisset, *Bald. in d. l. Paraboläni.*

* Vnde insurgit & clamat Baldus, *in d. l. Paraboläni*, adversus judices & Officiales, qui ad tempus recedentes de loco suæ jurisdictionis, curiæ suæ Advocatos, ex jure vel statuto principalis officij incapaces, substituunt: † & adversus Assessores 9 hujusmodi Officialium Panormitanus, *in d. c. Decernimus nu. 13.* dicit eos excedere, dum ore proprio sententias, quæ per Officiales & Iudices Ecclesiasticos proferri deberent, ipsi proferunt. † Vt rectè 10 ex sententia Ioannis Andreæ *in c. Ioannes De Cler. coniug.* dixerit Ioan. de Imola, *in d. c. Ioannes nu. 18. Paulus Paris. cons. 40. Quamvis Ioannes nu. 25. vol. 4.* sententias per hujusmodi laicos homines etiam non bigamos; sive ut Vicarij seu Officiales principales, sive ut eorum substituti seu subdelegati id faciant; esse omninò & ipso jure nullas, tamquam latas & pronunciatas à judicibus non competentibus, *l. 1. & 2. C. Si à non compet. iud.* † potissi- 11 mùm (quòd omnem dubitationem removet) cùm hujusmodi substitutus non tantùm laicus, seu ad instar laici, sed præterea etiam irregularis est, *Decius in d. c. Decernimus n. 15. vers. & maximè hoc procedit*: quia fortè fuerit judex vel executor causarum criminalium, *c. Sententiam sanguinis Ne Clerici vel Monachi &c.* In qua conditione dictum M. Dionysium Sgroets, tempore latæ prætactæ sententiæ, fuisse constat ex propria ejusdem M. Dionysij testificatione: nam respondendo ad interrogatorium, quod circa octavum articulum articulorum pro parte appellata exhibitorum, pars appellans proposuit; an ne, scilicet, idem M. Dionysius ante multos annos fuerit vir laicus & conjugatus, & quod in causis criminalibus seu sanguinis consilium dederit, sententias tulerit, & in suo Dominio de Wommersem executioni præfens mandari fecerit; apertè confitetur hujusmodi interrogatorium verum esse: cui ea in parte quamvis soli deponenti de facto & statu suo proprio, omninò credendum est, *Gloss. in c. Dudum in V. reprobare De elect.*

Quæ cùm ita sint, nihil facit ad sustinendam hanc sententiam, eamque adversus objectam nullitatem excusandam, allegata consuetudo Curiæ Cameracensis: nam consuetudinis hujusmodi probatio, qualem jus exigit, hic non extat. * Et 12 quamvis aliàs consuetudo jurisdictionem tribuat, ut præscriptio, *c. Cum contingat De foro compet.* non tamen admittenda est consuetudo, quæ juri divino nimiùm repugnat, & Ecclesiæ nimium gravamen, jurisdictionumque confusionem adfert, & potissimùm quæ Ecclesiasticæ ac spiritualis jurisdictionis ac cognitionis translationem ad laicos invehit, *cap. 1. c. Ad audientiam c. Quanto De consuet. & ibi Panor.* * Vt nec præscriptio etiam vetustissi- 13 ma efficere potest, ut qui incapax est actus spiritualis, ut est laicus præsertim irregularis, illius

capax

capax efficiatur; quia repugnat juri & rationi, *Panorm. in d. c. Quanto num. 2.* non enim benè concordat Psalterium cum Cithara, *Glos. in d. c. Diversis fallacijs, in V. cithara, & ibi Archidiac. de clericis coniug.*

Concludo itaque per Venerabilem Dominum Decanum hujus causæ Iudicem pronuntiandum esse, hanc sententiam esse nullam, partemque appellatam pro hac nullitate tantem, dictamque sententiam defendentem, in expensis litis condemnandam.

De officio judicis delegati.

SVMMARIVM.

Iudex an per alium possit sententiam pronuntiare.

1. *Assessor iudicis quando sententiam pronuntiare possit.*
2. *Redintegrationis spolij sententia est interlocutoria.*
3. *Sententiæ pronuntiatio ex consuetudine per alium, quàm per iudicem fieri potest.*

CONSILIVM XLV.

QVÆ per Reverendum D. Abbatem primæ instantiæ judicem, pro Maria Beys Begina, lata est restitutionis seu redintegrationis spolij sententia, adversus Magistras Beginagij Lovanienlis de nullitatis vitio argui non potest, ex eo, quòd dicta sententia pronuntiata sit per os M. Gregorij Wytfliet prefati D. Abbatis Assessoris, hominis laici & conjugati, † quasi læsa seu non observatâ juris formâ, quæ 1 præscribit, ut judex pro tribunali sedens ore proprio sententiam, ex scripti recitatione, non per alium pronuntiet, *l. 1. C. De sent. ex brevic. recitan. c. fin. De sent. & re iudic lib. 6.* & Episcopis, propter dignitatis prærogativam, hoc concessum sit, quòd per alium sententias suas pronuntiare possit *d. c. vlt.* Nam etsi hoc regulariter verum sit in sententijs definitivis; in interlocutorijs tamen sententijs non obtinet, *glos. in l. Statutis in V. proferant, & ibi Bart. & Bald. C. De sent. ex brevic. recitan.* * qualis censeri 2 debet hæc sententia redintegrationis spolij, quæ tantùm provisionalis est, & ultimam causæ definitionem non continet, *d. l. Statutis in verb. ultimas definitiones, & ibi Bart. & alij*: quia per eandem parti adversæ reservatur potestas probandi, & sic ulteriùs in principali negotio procedendi; post quam adhuc alia exspectatur sententia definitiva super causis, quas Appellantes se habere prætendunt ad privationem & rejectionem dictæ appellatæ, *Glos. & DD. in Clem. 1. De sequestrat. possess. Ioannes de Anania cons. 93. Viso processuum. 10.* * Quinimò etiamsi 3 dici posset, quòd sententia esset definitiva, aut quòd saltem habeat vim definitivæ, nihilo magis posset in eo constitui nullitas; ob id, quòd hæc pronuntiatio per organum vocis dicti Assessoris sit facta ex consensu procuratorum utriusque partis, idque ex causa debilitatis & impotentiæ præfati Reverendi Domini Iudicis id mandantis: hic enim procuratorũ consensus nullitatem diluit; cùm hæc juris communis solemnitas non sic præscripta sit, nec tam strictè servanda, quin consuetudine aliter observari possit, ut numquam judex ipse per se, semper verò vel ejus Notarius vel alius, eo mandante, sententiam recitare seu pronuntiare possit. *Bald. in l. 2. nu. 15. C. De sent. ex brevic. recit. Phil. Francus in d. c. ult. nu. 6. Felinus in c. Super quæstionum nu. 7. De off. iud. deleg. Ioan. de Anania d. cons. 93. n. 3.* Vnde cùm consuetudo possit, poterit quoque partium litigantium consensus remittere hujusmodi juris solemnitates in ferendis sententijs præscriptas; ut sunt quòd in scriptis feratur, & à judice pro tribunali sedente ore proprio pronuntietur: ut expresso jure satis decisum est, *l. Quoties in fine, & ibi gloss. final. & Bartol. C. De privileg. schola. lib. 12. Angel. in Authentic. Nisi breves. C. De sent. ex brevic. recit. Afflictus decis. 191. nu. 7.*

De majoritate & obedientia.

SVMMARIVM.

Concilij provincialis convocatio, & definitio.

1. 3. 11. *Concilium provinciale quis indicat & celebret.*
2. 6. *Concilio provinciali qui interesse, & qui ad illud vocari debeant.*
4. *Abbates an ad Concilia provincialia vocari debeant.*
5. *Cathedralium Ecclesiarum Capitula ad Concilia provincialia vocari debent.*
7. *Mendicantes & exempti non debent ad Concilia vocari.*
8. *Concilio in provinciali quis vocem habeat.*
9. *Cathedralium Ecclesiarum Capitula in Concilio provinciali vocem consultivam, non decisivam habent.*
10. *Episcopus consilium Capituli sequi non debet in Concilio provinciali.*
12. *Formula concludendi Concilia provincialia.*
13. *Episcopi ad Concilia provincialia personaliter comparere debent.*

CONSILIVM XLVI.

QVÆRITVR, qui ad Concilium pro- 1
vinciale, quod Metropolitanus seu Archiepiscopus indicit, *c. Si Episcopus. c. Si quis Episcoporum 18. distinct.* vocari possint, & vocati ire debeant? Ad quod respondetur, omnium, qui sunt de Ecclesiastico ordine, non esse eamdem rationem. * Episcopi enim Metropoli- 2
tano subjecti, quos Suffraganeos vocant, quin vocari debeant ac possint, & vocati cessante legitimo impedimento, venire debeant, nulla est dubitatio, *d. c. Si quis Episcoporum Ant. de Rosell. in tract. De Concilijs artic. 5. Qui sint vocandi ad Concil. nu. 3. Henric. Botteus in tract. De Synodo Episcoporum p. 2.* Nec mirum; quia Episcopi Suffraganei sunt in ea Synodo in cognoscendo ut conjudices, *can. Scitote VI. q. 3.* & in definiendo ut assessores, *c. ult. 15. q. 8. Ant. De Butrio & Imola in c. Grave. De præben.* † Vnde Me- 3
tropolitanus dicitur Concilia provincialia cum suis Suffraganeis celebrare, *cap. Sicut olim De accusation.* † Abbates, quamvis generaliter cum alijs 4
Clericis vocari possint, vocari tamen necessariò non debent; nec vocati ire ad provinciale Concilium coguntur, si in diœcesi alicujus Suffraganei Episcopi sunt; quia sufficit eos interesse Concilio Synodali seu Episcopali, in quo ijs intimantur, quæ in provinciali Concilio definita sunt, *c. Episcopus non debet, 18. distinct. 6. Decernimus end. distinct.* Felin.

Felin. in cap. Quod super his De maior. & obed. ne frequentatione duplicis Concilij, Provincialis & Episcopalis, graventur, *Henr. Bohic. in d. cap. Sicut olim. Gloss. Pragm. sanct. tit.* De *auctoritate sacri Concilij in princ. ad V. Conciliorum.* Vnde consequitur, Abbates Metropolitano immediatè subjectos, eâdem ratione vocari posse, si post provinciale Concilium Metropolitanus in sua tantùm diœcesi Synodale
5 quoque celebrare consuevit. * Cathedralium Ecclesiarum Capitula necessariò vocari debent, *c. ult. De his quæ fiunt à Prælat.* non etiam aliarum Collegiatarum Ecclesiarum, *Ioan. And. Imola & alij, in d. c. ult.* Quamvis sint, qui dubitent, num omitti possint, & tantùm si ultrò veniant admitti, *Innocent. in d. c. Grave*, cùm eorum intereat; quod verius improbatur, *Panor. in d. c. ult. Henr. Bottem d. parte 2. nu. 22. &* 30. cuique Tridentini Concilij definitio, licet obscuriùs, accedere videtur, *Sess. 24. c. 2. De reform.* dum Episcopos omnes & alios, qui de jure vel consuetudine interesse debent, ad provinciale Concilium convenire præcipit: post Episcopum enim proximum locum obtinent Capitula Cathedralia.

6 Ex quo infertur, alios inferiores Clericos cujuscumque ordinis vel generis vocandos non esse, nec generaliter vocatos ad veniendum urgeri; cùm sufficiat eos vocari & comparere, dum in Synodali seu Episcopali Concilio statuta Concilij provincialis publicantur, *Cardin. De Turrecrem. in d. c. De-*
7 *cernimus* 18. *distinct.* † Multò minùs, etiam vocati, venire debent Fratres Mendicantes, qui nec ad Synodale Concilium vocati venire coguntur *c. Nimis* 17. *De excess. Prælat. Felin. in d. c. Quod super his nu. 1. De maiorit. & obed.* In pari causa sunt omnes exempti, & per exemptionem Sedi Apostolicæ immediatè subjecti. Cùm enim convocare Concilium sit de lege diœcesana, & jurisdictione Episcopali, *d. c. Episcopus. DD. in c. 1. De maiorit. & obed. Hostien. in d. c. Quod super his.* non coguntur exempti ab hujusmodi jurisdictione parere, *Mar. Socin. tract. De visitat. n. 16. Henr. Botium in d. tract. parte 2.* præsertim quia per Concilium Tridentinum hac in parte nihil sit immutatum, sed tantùm quoad Synodale seu Diœcesanum Concilium, ad quod etiam exempti ire jubentur, *d. Sess. 24. De reformat. c. 2.* quò eundo decretis Synodalibus se conformare debent, cùm Synodalibus Concilijs decreta Concilij provincialis publicentur ac notificentur, *Henr. Botteus d. parte 2. nu. 21.* Qui Capitulis generalibus subijciuntur Religiosi, ex definitione etiam Concilij Tridentini, *d. c. 2. Sess. 24.* nec vocari, nec comparere debent.

8 Quod secundo loco quæritur, qui in provinciali Concilio vocem definitivam, seu jus definiendi, concludendi, ac judicandi habeant? Expeditum est quoad eos, qui necessariò vocari non debent ad Concilium provinciale, quos paulò antè enumeravimus, hoc est omnes inferiores ab Episcopis. Cùm enim neque vocari, neque vocati omninò comparere debeant, nullæ sunt eorum in tractatu aut definitione provincialis Concilij partes; sed audire tantùm debent, proponere, & consulere, opinionemque suam solùm declarare; sed non concludere, judicare, aut statuere, *Ant. De Rosellis, d. tract. De Concilijs. q. 6. nu. 4. &* 15. sic quòd vocem consultivam, non definitivam habeant.

Sed non perinde expeditum est de Capitulis 9
Cathedralibus, quæ ad provinciale Concilium vocanda esse diximus; an videlicet consultivam, an verò etiam decisivam vocem in eo habeant? Et quamvis necessitati vocationis, ac præsentiæ conjuncta videri posset facultas ac potestas concludendi, judicandi, definiendi, ac statuendi, ut in Episcopis, verius tamen & receptius est, vocem consultivam hujusmodi Capitulis tantùm permitti, *Panorm. in d. c. ult. & in q. 1. incip. Episcopus, nu. 20. Ant. de Rosell. in d. tract. De Concil. art. 6. nu. 4. & art. 5. nu. 4.* ob id, quod etiam aperto jure, *in c. ult. De his quæ fiunt à Prælatis*, hujusmodi Capitula invitentur & admittantur ad Concilij provincialis tractatum; quo verbo rei definitio, absolutio, & perfectio minimè continetur, *can. Sine exceptione* XII. *q. 2.* † Cùm alioqui etiam generaliter Epi- 10
scopus expediat negotia non propriè cum consensu, sed cum consilio Capituli sui, *c. Novit, & ibi DD. De his quæ fiunt à Prælatis:* quod quidem consilium, sibi à Capitulo datum, potest Episcopus, non etiam cogitur semper sequi, *c. Cum olim, De arbitr.* Et quamvis in alijs rebus arduis Episcopus consensum Capituli sui habere debeat, *Innoc. & Panor. in d. c. Novit. Lud. Roman. cons. 369. Circa primum, nu. 21.* illum tamen habere non debet in Concilio provinciali; quod Concilium non Clericorum, sed Episcoporum vocatur, *c. De Concilijs, 18. distinct. d. cap. Sicut olim De accusat.* quia in hac provinciali Synodo Episcopi velut novum ac separatum Collegium constituunt, *Petrus de Anchar. in d. c. Sicut olim.* De quo minùs in hoc provinciali Concilio, de quo nunc agitur, dubitandum est; quòd in eo solùm ferè agatur de executione eorum, quæ per Concilium Tridentinum definita sunt; de quorum validitate dubitare non oportet, & in quo de reverenter recipiendis decretis ferè tantùm agitur ut eodem Tridentino Concilio definitum est, *Sess. 25. c. 2. De reformat. &c. De recipien. & observan. decretis Concilij, & in confirmatione Concilij per Dominum Papam facta.* Quæ ad Metropolitanum quoque Capitulum transferenda sunt: cùm nullo jure hac in re discrimen inter Cathedralia & Metropolitana Capitula constitutum legatur; & generaliter dictum sit de Cathedralibus Capitulis ad Conciliorum provincialium tractatum invitandis & admittendis. Et ut in comparatione Metropolitanarum ad Cathedrales, & Cathedralium ad Collegiatas, quoad dignitatis prærogativam, aliqua in alijs constitui possit differentia, *c. Quamvis. De præben. lib. 6. Felin. in c. Postulasti De rescrip. Pet. Rebuffus in praxi benefic. tit. De dispens. ratione ætat. n. 14. in V. Cathedralib.* in re tamen proposita, nulla constitui debet, propter juris, quod in subjecto articulo versatur, angustias, *d. c. fin. De his quæ fiunt à Prælat.*

Quæ ita constringuntur, ut in definiendo, judi- 11
cando, ac statuendo solus Metropolitanus & Episcopi comprovinciales sint judices, definitores, ac statuentes, *Panor. in d. c. fin.* & quòd in provinciali Concilio definitur per Archiepiscopum, cum consilio & assensu aliorum Episcoporum omnium vel majoris partis definiri dicatur, *Hostien. & Innoc. in d. c. Grave.* * Eòque etiam pertinet formula con- 12
clusionis, cujus usus in provincialibus Concilijs,

hæc

hæc videlicet, *Henr. Bohic. in d. c. Grave. Nos Archiepiscopus cum consensu Suffraganeorum nostrorum in Concilio congregatorum statuimus. &c.* Atque item verba Concilij Tridentini hæc *Sess.* 25. *decreto De invocatione, veneratione, & reliquijs in fin. Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam exspectet.* Sic quod manifestum sit, quòd cum de voce seu suffragio judicandi vel statuendi quæritur in provincialibus Concilijs, solis Episcopis id attribuendum sit; quasi in eis magis electa sit industria personæ: quod perinde in Capitulo, quod diversis personis constat, dici non potest *Ant. de Rosel. d.n.* 15.

13 † Quæ etiam ratio est, cur Episcopi ad hoc Concilium vocati, cessante legitimo impedimento, personaliter comparere debeant, *d. c. Si Episcopus*; alij autem omnes Prælati inferiores, atque etiam Capitula Cathedralia, per nuntium, seu procuratorem, *d. c. fin De his quæ fiunt à Prælat.* Sic quod hinc manifestum fiat, necessitatem vocationis & comparitionis, non habere conjunctam facultatem judicandi, definiendi, aut statuendi: & Episcopos quidem necessariò vocari ut consulant, judicent, & statuant; alios autem ut consulant, audiant, & opinionem suam tantùm proferant *Ioan. And. & Panor. in d. c. fin. Petr. de Monte Venetus in Monarchia Conciliorum tit. De Concilij generalis congregatione q.* 7. *versic. si autem dubitaretur.*

De majoritate & obedientia.

SVMMARIVM.

Calendarij correctio.

1. *Intercalationis effectus in reformatione Calendarij.*
2. *Papa in rebus spiritualibus & Ecclesiæ omnem potestatem habet.*
3. *Annus completur illucescente ultimo die.*
4. *Annus inchoatus pro completo habetur.*

CONSILIVM XLVII.

GREGORIVS XIII. Papa in anno Domini 1581. & sequente publicavit restitutionem Calendarij, operâ & studio Aloysij Lilij Mathematici compositam; non per intercalationem vel embolimæorum dierum insertionem seu additionem, ut ex Iulij Cæsaris instituto fieri solet, sed ad exemplum veterum Græcorum & Siculorum, per subtractionem exhæresimorum, hoc est, exemptitiorum dierum decem: Romæ quidem in mense Octobri anno 1582. in alijs verò provincijs, ad quas novi hujus Calendarij notitia seriùs pervenit, in mense Februario aut Octobri sequente faciendam: ita ut vel October illo anno viginti & uno, Februarius octodecim diebus dumtaxat constaret. Per indultum Apostolicum nominandi Facultati Artium in Universitate Lovaniensi concessum, inter alia cavetur, ut qui novem annis in eadem Facultate promotus fuerit, nominari possit ad beneficia valorem annuum sexaginta florenorum auri de Camera non excedentia: item per concordata Sedis Apostolicæ cum Natione Germanica statutum est, ut nullis preventivis aut exspectativis gratijs Apostolicis gravari possint ordinarij beneficiorum collatores in alternis totius anni mensibus, Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri, & Decembri. Virtute hujus indulti per dictam Facultatem ad collationes beneficiorum Abbatis S. Iacobi Leodiensis primâ mensis Martij anno 1583. post dictorum decem dierum exemptionem factam in Februario nominatus est M. Henricus Freisne; qui vigore ejusdem nominationis acceptavit Capellaniam ad dicti Domini Abbatis collationem, vacantem sextâ dicti mensis Martij; quam idem Abbas, non obstante dictâ nominatione, suo familiari contulit.

M. Henrico nominato objicitur quòd tempore nominationis nonum annum à die promotionis non compleverit; utpotè primâ Martij annò 1574. promotus. Objicitur quoque, quòd beneficium hoc vacaverit in mense Ordinarij, hoc est, in Februario; ratione habitâ ad vetus Calendarium, licet secundùm novum hęc vacatio incidisse videatur in Martio, intra primos decem illius dies, qui in numeratione dierum totius anni (qui 365. constat *l. Cum hæres* §. *Stichus De statu liberis, l. Ita vulneratus Ad Leg. Aquil. l. Annaeus non statim* 132. *De verb. signif.*) non factâ hâc exemptione, futuri erant mensis Februarij.

Quæritur, an hæc duplex objectio nominato efficaciter obstet? In constitutione Pontificia, super hac restitutione, unica legitur exceptio; ut scilicet hæc subtractio decem dierum non faciat præjudicium annuis vel menstruis præstationibus. Ordinatio Regiæ Catholicæ Majestatis in permissione usus illius, latiorem facit exceptionem, per extensionem ad præscriptiones, actiones, exceptiones, dilationes, & alia similia; ita ut primo aspectu videri posset hic casus contineri sub adjecta hujusmodi exceptione. Sed quoniam exceptio regulam confirmat in casibus non exceptis, *l. Ob quæ vitia* §. 1. *De edil. edicto*; nobis verius videtur neutrum vel nominationi vel acceptationi prædictæ obstare; beneficiumque hujus restitutionis Calendarij nominato prodesse, non obesse debere. * Primùm 1
ob id, quòd prædictum novennium compleviſſe intelligatur, qui pervenit ad primum, & multò magis si ad secundum diem dicti mensis Martij: nam quâ ratione in usu intercalationis per bissextum duo dies pro uno habentur, per legis auctoritatem, *l. Cum bissextum* 98. *De verb. signif. c. Quæsivit* §. *ult. extra De verb. signif.* eadem quoque exemptis decem diebus, in acceleratione sequentium factum dici debet; & civiliter ac commentitiè factum censeri deberet, si in rei veritate exemptio seu subtractio facta non esset: quia favor reipublicæ id postulat, ut certa temporum ratio constet, quod in necessitate hujus exemptionis fieri non posset, si, propter privatum aliquorum commodum, in privatis actionibus per numerum non mensium, sed dierum temporis dinumeratio fiat. Sic enim omnes menses præcedentes cum sequentibus concurrerent, & nullus suo numero per se staret: ita quòd in observatione hujus alternationis seu alternatorum mensium ex dictis Concordatis, ordinarius Collator æquo animo ferre debeat, quod ei unicus mensis Februarius, unâ tantùm vice, numquam intra hominum memoriam reditura, sic decisus & abbreviatus fuerit ab eo, † qui in illis principa- 2
tum obtinet ex plenitudine potestatis *c. Antiqua De*

privileg.

Privil. Clem. 1. in fine Vt lite pendente &c. ex qua & beneficia & quodcumq; aliud jus cuiq; clerico auferre Potest, *c. Proposuit De concess. præben.* Vt & Imperator de suis subditis statuere potest, præsertim ex Justa & omnium maximè reipublicæ vel necessaria vel utili causa, *DD. in l. Item si verberatum §. 1. De rei vindic. Iason. in l. fin. C. Si contra ius vel utilit. publ.* qualis est hæc festorum & Calendarij reformatio; quam consultum erat facere in intercalari mense, hoc est, Februario, sine confusione & perturbatione aliorum sequentium; quod fieri deberet, si qui ex Februario detracti sunt, ex Martio suppleri deberent: ita enim consequenter faciendum esset & in alijs mensibus, sed cum nimis magna absurditate.

3 Verum itaque est hunc nominatum, exacto mense Februario, quamvis sic deciso & abbreviato, illucescente vltima illius die, etiamsi plenè exacta seu completa non fuerit, complesse nonum promotionis suæ annum: regulariter enim in favorabilibus tempus pro completo habetur, cùm ad novissimum diem perventum est, etiamsi is nondum totus præterijt, *d. l. Anniculus, l. si ita fuerit De mu-*
4 *nimf. testam l. 3. §. minorem De minorib.* † Quinimò certiorem rationem juris sequendo, ad constituendum dictum novennium videri posset sufficere initium novi anni attigisse, & ingressum esse, etiamsi nondum adimpletus fuerit: nam cùm de honoribus & promotionibus agitur, quæ certæ ætati debentur vel deferuntur, inchoati anni pro plenis habentur, *l. Ad rempublicam §. annus De munu. & honor. l. Qui filium, §. Sabinus Ad S. C. Trebell.* Quo respectu nihil necesse est scrupulosiùs insistere in hac ambiguitate, an exempti hi dies suppleri debeant ex sequente Martio, ut novi anni integrum implementum per decursum trecentorum sexaginta quinque dierum constitui possit, ad constituendam habilitatem nominati ad majorem taxam dicti indulti Apostolici. Et quoad prædicta Concordata, quia vacatio illius Capellaniæ in Martium incidit, Pontifici, non Ordinario cedere debet; & per consequens indubitatè comprehensa sub prædicta nominatione: cùm alioqui per dictum indultum Apostolicum, præsertim quod Hadrianus Papa ad augmentum confirmando concessit, dictis concordatis sit derogatum. Atque ita jus nominati putamus esse justum & validum, illiq́ue dictas objectiones, quas facit hoc nouum Calendarium, nulla ex parte resistere.

De Pactis.

SVMMARIVM.

Pactum incertum de salario

1. *Salarium incertum promissum an peti possit.*
2. *Clericus quas causas agere possit.*
3. *Salarium quando qua petere possit.*
4. *Consanguineus consanguineo gratis operam impendere præsumitur.*
5. *Obligatio remuneratoria actionem non dat, licet retentionem permittat.*

CONSILIVM XLVIII.

QVAMQVAM abundè satis scriptum, & ex jure deductum sit per D. Advocatum hujus causæ in prima instantia, quòd ad obtinendum victoriam Domicello Guidoni de Roze Appellato, contra Dominum Ludovicum à Mathys Appellantem, sufficiat; ad illustrandam tamen causam paucula adijciemus. Et illud inprimis quòd clavum totius causæ continet, quòd in actis nusquam extet probata aliqua promissio certi vel incerti salarij per quandam Ioannam Psalmier, materteram Appellati ipsi Appellanti facta. * Quo casu dubitari posset, num et- 1
jam incertum salarium, per stipulationem solemnem promissum, peti posset; quod à plerisque negatum, *Glos. in l. Salarium & in l. 1. C. Mandati*, plerique alij admittunt, *Salic. in l. Adversus nu. 2. C. Mandati*: sed tantùm nuda pollicitatio, ex sola voluntate dictæ Ioannæ, incertæ remunerationis. Nam percurrendo testimonia, D. Ioannes Charle de promissione aut pollicitatione d. Ioannæ nihil deponit; sed hoc tantùm, quòd ipsa testi confessa sit, quòd Appellanti *pro servitio suo in testamento providisset*; quod & verum fuit, uti ex testamento ejus exhibito constat. Franciscus Genique secundus testis de nuda pollicitatione incertæ remunerationis testificatur, quòd scilicet dixerit *se gratissimam fore, & liberaliter remuneraturam.* Cui per omnia est similis (quamvis tamen minimè contemporanea, sed ex loco & tempore singularis (depositio Martini de Renerse quarti testis, atque item testimonium Balduini Massyn, quòd d. Ioanna Actori dixerit, *ego recompensabo sic, quod tibi gratulaberis*: in quo nihil adhuc est præter nudam pollicitationem, hoc est, offerentis nudam promissionem, interrogatione aut stipulatione nulla præcedente, *l. Pactum De pollicitat.* Alij testes Actoris de promissione, aut pollicitatione, vel recognitione nihil deponunt: ita ut neque ex prædictis tribus singularibus testibus, pollicitationis probatio constitui queat, multò minùs promissionis alicujus, *l. Iurisiurandi C. De testib. c. Licet ex quadam eod. tit.* neque ex probata pollicitatione actio aliqua dari: cum expresso jure, *d. l. Salarium C. Mandati & l. Qui mutuam. §. Salarium D. eod. tit.* quod in proposito dissimulari aut circumveniri non potest, constitutum sit, ex incerti salarij vel remunerationis pollicitatione, nec actionem, nec Judicis officium dari; neque illud petendi ordinariè, vel extra ordinem, ullam esse facultatem: * præsertim quia Appellans in ea 2
functione & conditione non fuerit, imò nec esse potuerit, ut causas alienas agere aut sollicitare potuerit; quia scilicet Clericus fuerit beneficiatus, & Canonicus, *c. 1. Ne Clerici vel monachi &c.* cui coram judicibus sæcularibus postulare, aut procuratorem seu sollicitatorem agere, non permittitur, nisi pro conjuncta aut miserabili persona; idque adhuc eo casu gratis, *c. 1. De postulan. & ibi Innoc. Hostien. Bohic. & Panorm. Specul. tit. De advocatis §. 1. vers. Consanctas autem.* † Nam qui implorationem officij ju- 3
dicis permittunt ei, qui citra ullam conventionem, hoc est, solemnem promissionem operas suas alicui exhibuit, *Salic. in d. l. Adversus. C. Mandati*, hoc requirunt, ut is, qui remunerationem laboris petit, in ea conditione fuerit, quòd soleat suas operas locare, & ex hujusmodi operis se sustentare: ut est in eo,

qui

qui officium procuratoris, Advocati, vel sollicitatoris publicè exercet, & se petentibus exhibet, *Bart. in l. 1. §. Iudex. De var. & extraor. cognit. Frederic. de Senis consilio 218. Alex. cons. 109. Super eo quo quæritur vol. 6.* Iam verò ex his actis non tantùm non constat, Actorem in ea qualitate, aut ejus professionis fuisse, sed ex adverso constat præsumptione juris, non potuisse eum tale officium exercere, aut sub mercede operas suas sic locare; & ex propria confessione Actorem cognatione propinquâ d. Ioannam contingere: † ideoque inspicien-4 do initium ex ibitorum laborum, præsumptionem esse, quòd affectione domestica & sanguinis id fecerit; atque ita vix esse ut sumptuum factorum ulla debeat haberi ratio, multò minùs salarij ac remunerationis, jure alicujus obligationis, aut officio judicis *l. 1. in fine. in verb. pro affectione domestica, l. Alimenta l. Quod in vxorem l. Si paterno. C. De neg. gestis.* Ita ut manifestum sit, Actorem ex morte d. Ioannæ induisse audaciam & invercundiam petendi id, quod eâ vivâ numquam cogitaturus erat; quod plerisque familiare est; qui animo & 11 cogitatione officij, & amicitiæ amico operas suas exhibent, ut postmodum depravatâ primâ intentione, hæredes amici vexent. In summa in nuda d. Ioannæ declaratione nihil constitui potest, nisi forte nuda naturalis obligatio antidotalis seu remuneratoria, † ex qua numquam potest competere actio ad exigendum, sed tantùm potestas datum retinendi, *l. Sed etsi lege §. consuluit De petit. hæred. Ioan. de Amicis consilio 41. Quamvis probatum.* Et 5 cùm liberalitati ac remunerationi finem & modum faciat propria remunerantis ac liberalitatem exercétis voluntas, & in aliquo consuluisse ac providisse amico sufficiat; inquirendum esset in primis, an d. Ioanna suam pollicitationem insequendo, (quâ contentus in genere fuisse dici debet Actor, qui alio modo sibi caveri aut modum salarij sibi præscribi non curavit) aliquam remunerationem fecerit; quod in proposito accidit: nam constat ex depositione supradicti primi testis, quod d. Ioanna ei declaraverit, quod remunerationem hujus sollicitationis fecisset per legata in suo testamento, de quo etiam hic constat: & quod Actor dicit sibi inutile esse legatum, quasi ei abjudicatum, nihil est, quia de eo non constat in his actis.

Sic ergò ex his, quæ diximus, & præfati D. Advocati consilio luculenter deducta sunt, indubitatissimum esse putamus jus partis appellatæ & pro eo stare victoriam causæ: ideoque partes Reverendi D. Iudicis esse, ut absolutoriam sententiam D. Officialis Leodiensis confirmet; Appellante in omnibus expensis condemnato.

De Pactis.

SVMMARIVM.

Pactum ex turpi causa.

1. *Promissum turpiter exigi nequit.*
2. *Iudex ex officio potest partem ex turpi causa petentem repellere.*
3. *Possidentis conditio melior in paritate turpitudinis.*
4. *Dos ad iustum matrimonium tantum pertinet.*
5. 7. 11. *Stuprans virginem debet eam ducere aut dotare.*
6. *Stuprator præsumitur seduxisse.*
8. *Admittendi potestate concessa non est libertas dissipandi.*
9. *Statuto vel consuetudine induci non potest, ut Clerici immodice donent de bonis Ecclesiæ.*
10. *Prælati debita ex fructibus beneficij solvenda.*
12. *Dos illicitè promissa, vel matrimonio non sequuto soluta, condici potest.*
13. *Lucrum nuptiale vigere statuti vel consuetudinis non debetur ex clandestino matrimonio.*

CONSILIVM XLIX.

CERTA & analytica responsio dari non potest ad casum propositum; propter facti propositi incertitudinem, & ex utraque parte contrarietatem ac diversitatem. Cæterùm quia sic res proponitur, ut ad utrumque responsio ac decisio postuletur; præsuppositâ veritate facti propositi, ut in utramque partem proponitur; seperatim ad utramque quæstionem respondebimus. Et primò quidem, præsupponentes facti contingentiam talem esse, qualis pro parte Boatini regularis Prælati proponitur, nulla est dubitatio, † quin Seia ejusque modernus maritus nullam 1 prorsus actionem habeat ad tria millia coronatorum Caiæ matri ipsius promissa; ob id, quod Caia mercalem habens filiam Seiam dicto Boatino stuprandam educare vicissim promiserit usque ad pubertatis annos; ita quòd turpitudo matris stipulantis hujusmodi pecuniæ exactionem impediat, *l. Mercalem C. De condict. ob turp. caus.* imò actionem 2 nasci non permittat: * sic quòd iudex adversario etiam non postulante, aut de tali turpitudine non opponente, ex officio repellere possit ex ea causa agentem, *Bal. in d. l. Mercalem*; satis enim se excludit agendo, & intentionem ex tali turpitudine proponendo: cùm etiam pro hoc stupro pœnâ legis Iuliæ affici debuerit, *l. Et si amicis cum l. seq. Ad l. Iul. de adult.* Et quâ ratione Caiæ matri inde nulla obligatio aut actio saltem efficax competere potuit Seiæ filiæ, quia eadem est causa hæredis & defuncti; nec debet ex delicto ac turpitudine defuncti hæres captare lucrum. † Nihil obstante quod par 3 sit turpitudo Boatini super stupro & lenocinio hoc promittentis; quia in pari turpitudinis causa melior est possidentis conditio, *l. 1. C. de condict. ob turp. caus. l. In pari. De reg. iuris*: quæ certiùs dicentur, si, quod pro parte Boatini proponitur, nulla alia promissio intervenit, quàm liberalis tractationis.

Quod ad alteram summam decem millium coronatorum attinet, propter inficiationem Boatini nihil dubitandum, quin ad illam nulla quoque actio competat; ex hac nimirum causa, quòd, uti proponitur, promissa non fuerit: non etiam ex ista objectione, quòd Seia ad suum concubitum Edmundum ministrum Boatini admiserit, durante concubinatu ipsius Boatini. * Etsi enim propter adulterium uxor donationem propter nuptias seu illius spem amittat, *l. Consensu C. De repud.* in ea tamen, quæ adulterium non committit, hoc est, quæ verè uxor non est, ut nec donatio propter nuptias, sic nec illius amissio constitui potest, *l. Propter vio-*

latam l. Si ea. l. Servi tum l. seq. C. Ad L. Iul. De adult. Dotis enim & donationis propter nuptias appellatio referri non potest, nisi ad matrimonia, quæ jure subsistere possunt, *l. 3. De iure dot. l. ult. C. De donat. propter nupt.*

Verum tamen est, quod saltem propter stuprum & defloration em hoc casu Boatinus obligatus sit dictæ Seiæ, etiamsi nihil ei aut matri ipsius promiserit. † Est enim claro jure constitutum, quòd qui virginem stupro corrumpit, cogatur eamdem vel uxorem ducere, vel dotare, *cap. 1. De adult.* præsertim si is sit Clericus, qui stuprum intulit. Is enim cùm injuriam per stuprum illatam, contracto matrimonio emendare nequeat, præcisè cogitur dotem stupratæ dare, *c. 2. & ibi Panor. & alij eod. tit. Henr. Bohic. in d. cap. 1.* non ex naturali obligatione, neque ex liberalitate, sed involuntariè pro pœna delicti. Idque in proposito casu tanto magis quòd Boatinus dissimulatâ conditione sui status atque ordinis Ecclesiastici, & regularis, in quo tempore stupri seu defl orationis fuit, simulato libero statu, non sub simplici specie concubitus, sed prætextu matrimonij (uti Scia allegat) stuprum intulerit. Cui etiam ad excusationem prodesse non poterit, si fortè alleget, atque etiam probet, quòd Scia voluntaria se ad concubitum admiserit, 6 * quia in hac juris materia, principium delicti in stupratore, ejusque persuasionibus & illecebris quibus virginem ad concubitum etiam volentem pertrahit, constituitur; cùm virgo semper præsumatur à stupratore seducta, & invita ad lapsum carnis perducta, *l. 1. C. De raptu virgin. Glos. & Dyn. in c. Scienti De reg. iuris lib. 6. Panor. in d. c. 1.* habeatutque hujusmodi persuasio plusquam pro violenta coactione, *Dynus loco supra citato nu. 4. Pet. Anchar. in d. c. 1. n. 1.* Ita ut etiam non credatur stupratori, si ante suum concubitum puellam compressam seu devirginatam ab alio fuisse dicat: stat enim juris præsumptio pro puella asseverante, se à stupratore fuisse devirginatam.

7 Cæterùm quanta futura sit hæc dos, incertam habet definitionem; ob id, quòd non satis liqueat de conditione Seiæ, quæ se patricio patre natam dicit: quam Boatinus probare intendit natam esse ex stupro Caiæ matris suæ, & cujusdam Nobilis Veneti. Cùm enim dos, quæ propter stuprum à stupratore præstanda est, præstari debeat pro conditione puellæ stupratæ, *Panor. in d. c. 1. & ibi Henr. Bohic.* plurimùm interest, qualiter & quo patre nata sit, ut plus præstetur legitimæ, quàm naturali. In quo tamen judicis arbitrium exspectandum est; qui in definienda hac dotis quantitate rationem habere debet, primùm conditionis, ipsius Boatini, 8 * qui quamvis suorum fructuum ac proventuum, qui supra onera suæ Prælaturæ supersunt, liberiorem aliquam potestatem habere videatur, ex speciali etiam, ut proponitur Sedis Apostolicæ licentia; dissipandi tamen prodigendique, ac luxu perdendi, nullis finibus constrictam, non habet potestatem, sed erogandi tantùm in honestas causas: quemadmodum contingit in servo aut filiofamilias, qui obtentâ liberâ peculij administratione liberè quidem donare potest, sed tamen donando perdere non debet, *l. Filiusfam. De donat.* Et sic in Prælatis donandi facultas angusta est, dependens à justitia atque honestate causæ, ob quam donatur, *c. 2. De donat.* & à consuetudine terræ seu loci, ubi monasterium situm est. *c. Cæterum eod. tit.* Ita ut quandoque toleranda sit Prælati donatio, tolerari tamen non debeat, quæ Ecclesiæ nimis gravis esset futura, *d. c. Cæterum*: * Vsque adeò, 9 ut nec consuetudine induci possit, ut tales immodicè & effrenatè de bonis Ecclesiasticis disponere, *Panorm. in c. Cum in officijs De testam. stat. c. Relatum 2. §. licet autem mobilia De testam.* & omnium minimè, ut etiam ob hujusmodi turpes causas, & ex dissolutiore vita donare possint. † Et quamvis 10 de fructibus Prælaturæ vel beneficij, creditoribus Prælati, non tantùm ex contractu seu quasi, sed etiam ex delicto satisfieri possit) ut quidam volunt, *Doct. in c. Pervenit De fideiuss. Ant. de Butrio, & Ioan. de Imola, in c. Olim 16. De restitut. spoliat.*) in proposito tamen, quia ex conditione stupratoris, dotis quantitas constituenda ac definienda est, strictior debet esse illius modus; ut propter restrictiorem potestatem donandi, à jure ei permissam, tenuiorem quoque dotem judex assignare debeat.

Secundò tenuioris hujusmodi dotis assignandæ 11 occasionem præbent jam de facto cum ministerio dicti Boatini contractæ nuptiæ; cùm scrupulosam strictamque juris rationem, & subtilitatem sequendo, probabiliter defendi posset, nullam prorsus dotem dictæ Seiæ deberi: nam causa hujus dotationis propter antecedens stuprum est, ut stuprata faciliùs maritum inveniat, quem non benè dotata se dignum non inveniet amissâ virginitate, quæ velut secunda dos est, *Panorm. in d. cap. 2. De adult. nu. 15. & ibi Ioan. de Anania nu. 2. in fine. Paris de Puteo tract. De Syndic. in dict. compositio-versic. quia plures nu. 2. & 3.* Invento autem marito, eique fine exactione hujus dotis muliere nuptâ, nulla similis occasio est petendæ hujusmodi dotis, velut cessante illius causâ finali. Sed rigidiore hâc consideratione omissâ, hoc saltem verum est, minorem dotem esse assignandam propter jam contractas nuptias; talem scilicet, qualem postulat conditio mariti, & quâ ille ab initio, si ante contractum matrimonium ultrò oblata fuisset, contentus futurus erat. Consultum igitur est, ut Boatinus æquis moderatisque conditionibus cum dicta Seia, ejusque marito paciscatur, pro evitando scandalo; aut si hujusmodi conditiones admittere nolint, arbitrio judicis res permittenda erit.

Ex contrario præsupponentes factum, ut pro parte Seiæ ejusque mariti propositum est, videlicet mentito & simulato statu regulari, sub specie & spe futuri matrimonij, tam Caiæ matri, quàm Seiæ filiæ factas respectivè fuisse promissiones trium millium, & decem milliũ coronatorũ, quantumvis eo respectu majore commiseratione digna videri posset Seia, non eò tamẽ magis sustineri poterit conclusio ac petitio pro parte dictæ Seiæ ejusque mariti adversus Boatinum proposita. † Id- 12 que primùm ex ea ratione, quòd soluta etiam hujusmodi summa, causâ de jure aut facto non secutâ, repeti posset, *l. Avunculo De condict. sine causs. l. 1. C. De condict. ob caus. datorum*: multò ergò magis promissa retineri; etiamsi in promittente turpitudo versetur, & stipulantes in ignorantia fuerint impedimenti, *DD. in d. l. Avunculo & in d. l. 1.*

Nam

Nam agendo ex hujusmodi promissione, sine actione litem instruere dicendi sunt. Deinde quòd rem exactè perpendendo, in executione hujus rei deprehendatur par delictum stipulantium & promittentis; ex hac nimirum consideratione, quòd non proponatur inter Boatinum & Seiam matrimonium saltem clandestinè & de facto contractum fuisse. Inde enim consequitur, nec de facto quidem impletam fuisse causam, ob quam promissio facta dicitur: ita ut hoc casu sit, quod Caiæ & Seiæ imputetur, cur omisso matrimonio per stuprum Beatino adhæserint; idque maximè, si detectus priùs fuerit status dicti Boatini, ex quo jam tunc intelligere poterant & debebant cum ipso jus connubij esse non posse, & inter ipsos legem seu conventionem dici non potuisse, ex qua promissa propter nuptias exigi possent, *c. Et si necesse De donat. inter vir. & uxorem.* Sin verò de facto fortè contractum fuerit matrimonium, vel per interpositionem Sacerdotis, vel ex secuta copula, propter antecedentem aliquam promissionem futuri matrimonij, *cap. Is qui fidem De sponsa. & matrim.* nihilo justior erit petitionis causa, propter vitium clandestinitatis, quod quoad sic conjunctos inducit præsumptionem malæ fidei, & scientiæ impedimenti, *c. Cum inhibitio De clandest. desponsa.* 13 quemadmodum etiam lucrum statutarium seu consuetudinarium non debetur alterutri conjugum, qui clandestinè matrimonium contraxerunt, *August. in Berous q. 107. Hostien. in Summa tit. Qui filij sint legitimi §. 2. & tit. De clandest. desponsa. §. fin.* Ita ut quoquo res vertatur, certissimum sit, præfatam Seiam non esse fundatam, ut ex proposita actione quicquam obtinere possit; multoque minùs ratione interesse, quod prætendit, de amissa successione trium millium ducatorum propter hoc stuprum ac simulatum matrimonium; ob id, quod sua culpâ in id se conjecerit; quæ rebus adhuc integris, detectâ conditione Boatini, pedem referre potuisset, & minimè debuisset clandestinè peccando in ea ætate (quâ ad concubitum viri idonea, ignorare non potuit se peccare, *c. 1. De delictis puerorum.*) se corream delicti facere; ita quod sibi imputare debeat damnum, in quod suâ culpâ incidit, *l. Qui occidit §. in hac Ad Legem Aquil.* cùm nemo ex improbitate sua actionem sibi pariat, *l. Itaque fallo De furtis* vel ex suo delicto conditionem suam meliorem faciat, *l. Non fraudantur. §. nemo De reg. juris.* Cùm alioqui exorbitantia hujusmodi promissionis in ipsum Boatinum non cadat, ut superiùs dictum est; quæ in omnem eventum restringenda esset ad fines & limites, de quibus paulò ante diximus; quia ad summum & extremum, quod Seia cum suo marito obtinere poterit, erit tantùm moderata quædam summa loco dotis, propter illatum stuprum.

De Pactis.

SVMMARIVM.

Pactum super fructibus in absentia percipiendis.

1. *Dietarum dinumeratio in delegationibus quomodo facienda.*
2. *Delegatio causæ in qua diœcesi fieri debeat.*
3. *Fructus beneficij vendi possunt.*
4. *Simoniacum non est pro remuneratione aliquid dare.*
5. *Concessio perpetua de percipiendis fructibus in absentia est illicita.*
6. *Intellectus c. ult. De rescript. lib. 6.*
7. *Beneficia personalem residentiam non requirentia possessoribus in absentia concedunt fructus.*
8. *Remunerationis loco fructus beneficij absenti permitti possunt.*
6. *Concessioni gratiosæ Capitulum non cogitur perpetuo stare.*

CONSILIVM L.

AD quæstiones, quæ pro parte D. Ioannis van Vergel wegen super controversia, quam habet cum Decano & Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Walburgis oppidi Furnensis, proponuntur, ordine respondendo, & primò ad illam quâ quæritur, an citatio per Reverendissimum Episcopum Iprensem delegatum Iudicem Apostolicum adversus dictum D. Ioannem Bruxellis in alia diœcesi residentem, decreta & executioni mandata, jure subsistat, dictumque D. Ioannem ad comparendum, & juri stiendum, constringat, non obstante, quod oppidum Bruxellense ab Iprensi civitate ultrà tres dietas distare videatur, ultra quas virtute rescripti Apostolici, multò minùs ejus Legatorum, quis coram delegato judice citari & conveniri nequit, *c. Nonnulli De rescript. c. Statutum §. Cùm verò sub finem De rescript. lib. 6.* 1 paucis respondetur in constituendis dictis, ad illarum debitum concursum vel excessum, non inspiciendum esse locum, ad quem quis citatur, seu unde evocatur, sed extremos fines utriusque diœcesis tam evocantis quàm evocati *d. §. Cum verò. in verbis, à fine suæ diœcesis.* ita ut, si illa, seu extrema pars diœcesis Iprensis ab extremo fine diœcesis Mechlinienſis (sub qua est Bruxella) non distat ultra tres dietas, rectè ex diœcesi Mechlinienſi vigore rescripti Apostolici fieri possit citatio & evocatio in diœcesi Mechlinienſi commorantis.

Verùm alio respectu, certioreque ratione potest 2 hæc citatio oppugnari, & nullitatis argui ex nullitate & inutilitate rescripti Nuntij Apostolici; quę in eo constituitur; quòd per constitutionem Bonifacij Papæ VIII. *in d. c. Statutum §. Cùm autem Actor*, constitutum sit, quòd, cùm Actor & Reus sunt diversarum diœcesium, Actor debeat adversus suum Reum impetrare rescriptum, non in sua diœcesi vel civitate, sed vel in diœcesi Rei, vel in alia tertia. Cùm igitur dictus D. Ioannes Reus in oppido Bruxellensi, & diœcesi Mechlinienſi reſideat; Furnense verò Capitulum sit sub diœcesi Iprensi, non potest valere aut subsistere hoc Nuntij Apostolici rescriptum, quo D. Ioannes Reus ex sua diœcesi Mechlinienſi trahitur ad alienam diœcesin Iprensem: inde enim resultat manifesta dicti rescripti nullitas, propter clausulam *decreti irritantis* dictæ Bonifacianæ Constitutioni subjectam, *in d. c. Statutum §. ult.* quâ ipso jure irritum & inane decernitur, quicquid contra dictam constitutionem attentari contigerit. Ex qua consideratione præfatus D. Ioannes jurisdictionem dicti D. Episcopi Iprensis certiùs declinare poterit.

Plus perplexæ difficultatis est in ea quæstione, an simoniaca vel illicita sit concessio, per dictum Capitulum præfato D. Ioanni facta, de percipiendis viginti quinque libris grossorum Flandriæ in absentia, de suis Canonicatu & præbenda in dicta Ecclesia, ratione fructuum, & proventuum eorundem quoad vixerit, eosdemque suos Canonicatum & præbendam retinuerit? Et simoniacum quidem non esse expeditè sustineri potest; ideo quòd hæc pactio seu conventio nullâ ratione verfetur aut conspiciatur circa acquisitionem aut præstationem alicujus juris spiritualis, seu spirituali juri annexi pro re temporali; quod ut simoniæ crimen seu vitium contrahatur, omnimòdè necessarium est; ex simoniæ vulgò recepta definitione. *in rub. extr. De Simonia.* Neque enim mediante hâc pactione seu conventione, vel præfato D. Ioanni, vel Capitulo prædicto juris aliquid in dictis Canonicatu & præbenda acquisitum, aut acquiri adlaboratum est: sed versatur hæc conventio dumtaxat circa jam stabiliter acquisiti beneficij fructus; qui juris spiritualis nihil habent, & in nuda temporalitate consistunt. Vnde est, quòd beneficij cujuscumque fructus per ejus possessionem non tantùm ad certum & præfinitum tempus (quod nullam habet dubitationem, *Clem. 1. De reb. Eccl. non alienan. c. Querelam Ne prælati vices suas &c.*) verùm etiam pro toto tempore vitæ suæ concedi vel vendi possint, *Præpositus in c. 1. 1. q. 3.* multò magis pro illis aliquid certum constitui ab his, qui præstandorum fructuum obligatione tenentur.

4 Neque simoniacæ pactionis aut vitij aliquid in hunc contractum irrepit, per hoc, quòd pro impulsiva saltem causa hujus tam liberalis & amplæ promissionis prætexitur, quòd dictus D. Ioannes Cantoriam dictæ Ecclesiæ ad manus Capituli resignavit. Nam inde non potest argui simoniaca pravitas: ob id, quòd hujusmodi resignatio non sit facta sub præcedente hujusmodi promissione, nec dicta promissio sub conditione faciendæ resignationis; id enim directè simoniacum esset: sed post liberè, sine ulla pravitate factam hanc resignationem, ex intervallo temporis: nihil enim prohibet post resignationem aut collationem alicujus beneficij, munus dare, & oblatum licitè accipere, non tantùm modicum, sed etiam, quod magni pretij est, si modo nulla præcesserit pactio aut conventio. *c. Sicut Episcopum 1. q. 3. c. Etsi quæstiones & ibi Hostien. & Ioan. de Anania num. 5. De Simonia.*

5 Iustior est dubitatio, anne saltem illicita censeri debeat hæc conventio, & omni jure prohibita, ex eo, quòd per Bonifacij Octavi constitutionem *in c. fin. De rescrip. lib. 6.* ambitiosa vocetur indulgentia perpetua de percipiendis beneficiorum fructibus in absentia? quam ob id idem Bonifacius etiam revocavit, tamquam materiam insolentiæ, vagationis, & dissolutionis præparantem; præsertim cùm eamdem Bonifacij revocationem (quæ quibusdam non jus commune sed temporalem prohibitionem dumtaxat continere videbatur) ad perpetuam & ad terminos juris communis reduxerit Concilium Tridentinum, à quo expresè cautum *Sess. 6. c. 2. De reformat.* quòd *nulli privilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur; nemoq; ob id tutâ conscientiâ fructus in absentia percipere possit, nec illos facere suos, Sess. 13. c. 1. De reformat. & Sess. 24. c. 12. De reformat.* Cùm itaque hæc assignatio viginti quinque librarum grossorum sit perpetua, hoc est sine ulla temporis præfinitione, *Ioan. Monachi in d. c. fin. De rescript. lib. 6.* & sic concepta, quòd illius effectus durare potuerit, quoad idem D. Ioannes in vivis esset, *Glos. in V. perpetuas in d. cap. fin. & ibi Ioan. Monachi nu. 4.* neque restricta ad certum numerum annorum, sed ad numerum incertum, *Phil. Franc. in d. c. fin. nu. 6.* justâ ratione videtur in tam manifesta juris definitione, oppugnari & de nullitate seu inutilitate redargui posse. Potenter sanè hæc tam aperta juris dispositio præfato D. Ioanni resistit, & Capituli intentionem in evertenda hac indulgentia, probabilem omninò facit.

Sed penitiùs inspiciendo occurrunt pleraque, quæ hanc Capituli intentionem retundunt, & præfati D. Ioannis, si non per omnia, saltem pro magna parte oppositionem, & hujus conventionis promissionisque nedum probabilitatem, sed etiam justitiam detegunt. * Et in primis quidem, quia 6 illud, quod ex Bonifaciana constitutione *d. c. fin. De rescript. lib. 6.* & decretis sacri Concilij Tridentini ad impugnationem & subversionem hujus perpetuæ assignationis & promissionis adfertur, limitatam causam contineat, non jus seu dispositionem universalem: quippe quo sensu, & quàm restrictè accipi debeat hæc ambitiosæ pactionis seu indulgentiæ prohibitio, manifestè indicant & exprimunt dicti decreti Conciliaris verba, *d. c. 2. De reformat. Sess. 6.* quibus hæc prohibitio restringitur ad ea beneficia, *quæ personalem residentiam de iure vel consuetudine exigunt*; in cujus generis beneficio ratio dictæ prohibitionis manifestè locum & effectum habere potest: sed ut idem quoque constitutum censeatur in beneficijs necessariam personalem residentiam non habentibus aut requirentibus, ex consideratione cessantis rationis in lege seu Canone prohibente, expressa juris ratio non patitur, *l. Quod dictum 32. De pactis Adigere §. Quamvis De iure patron.*

Cùm igitur in hac Collegiata Ecclesia Furnensi 7 præcisè (ut præsupponitur) non requiratur personalis residentia, sed usu & consuetudine obtinuerit, Canonicos à residentia absentes esse posse, saltem cum perditione non tantùm quotidianarum distributionum, sed etiam alicujus partis seu portionis in grossis fructibus; non potest improbari statutum, consuetudo, aut conventio de præstandis & percipiendis grossis fructibus, seu eorum certa aliqua portione in absentia; si modò non idem permittatur de quotidianis distributionibus, *c. Cùm omnes in fin. & ibi Doct. De constitut. Gloss. 1. in cap. Ad audientiam, De Cler. non resident. Gloss. penult. in cap. Dudum 2. De elect.* potissimùm tunc, cùm Ecclesia non patitur defectum in necessarijs ministris; aut cùm per Capellanos aut alios substitutos beneficijs ex consuetudine deserviri potest, *d. cap. 1. De Cler. non residen. lib. 6.* Si igitur in hac Ecclesia hactenus semper observatum fuit, Canonicos ad personalem residentiam necessariò non teneri, sed absentiam cum diminutione

alicujus

alicujus partis fructuum hactenus semper, saltem de licentia Decani & Capituli, toleratam fuisse (ut regulariter de licentia Prælatorum vel gratiosè, vel ex justa seu probabili causa residentiæ necessitas relaxari, & absenti fructuum aliqua etjàm justa portio assignari, & præstari potest, *c. Relatum c. Inter quatuor De Cler. non residen.*) iniqua vel illicita reputari non poterit dicta conventio seu absentiæ indulgentia. Justæ enim causæ consideratio non ex futuro tantùm tempore inspicienda est, sed & ex præterito assumi potest; velut pro remuneratione. Ideoque in proposito casu non hoc tantùm inspiciendum, an D. Ioanni hæc gratia facta sit pro futura ejus opera & industria in dirigendis & sollicitandis Capituli negotijs in aula seu Regijs Concilijs; verùm etiam, quòd facta sit pro tunc in præteritum impenso tali labore & præstita opera; velut pro remuneratione & mercede eximij laboris, *l. Qui id quod §. fin. ff. De donat.*

8 * quæ etiam jure Ecclesiastico non improbatur, *d. cap. Etsi quæstiones*; cùm qui in negotijs Ecclesiæ occupatus est, juris interpretatione pro præsenti reputetur, *c. Ex parte 1. De Cler. non resid.* Ita ut in proposito satis sit, ad sustinendam hanc indulgentiam, quòd à Decano, & Capitulo non sit concessa ex injusta aut improbabili causa, *d. c. Relatum, & ibi Gloss.* Cùm alioqui propius inspiciendo ad verba hujus indulgentiæ, satis deprehendatur per illam D. Ioanni concessam non esse perpetuam absentiæ indulgentiam, cujus tam libera semper non est potestas; sed in obtinente ex consuetudine hujus Capituli, absentiæ & non residentiæ facultate, cum periculo minoris perceptionis fructuum, factam dumtaxat esse pactionem super portione seu quantitate, quam loco fructuum D. Ioannes perciperet: ita ut hoc certo convento pretio viginti quinque librarum D. Ioannes in effectu videatur vendidisse fructus; quod jure permissum esse diximus etiam ad totam vitam beneficiati, *Præpositus in d. cap. 1. quæst. 3.*

9 Cæterùm ut hæc probabiliter ex parte D. Ioannis sustineri possint ad eum effectum, ut pro præterito tempore usque ad contradictionem Capituli has viginti quinque libras singulis annis exigere jure possit; vehementer tamen veremur, ne idem dici non possit de futuro, & pro tempore post dictam contradictionem secuto: ob id, quòd hujusmodi gratiosa per Decanum & Canonicos, qui tempore hujus concessionis superstites fuerunt facta concessio, non ita obliget successores, quin ab ea recedere possint, & illam revocare seu illi renuntiare, *c. ult. De Cler. non residen. & ibi Doct.* Quæ quidem revocatio & renuntiatio in præteritùm non trahetur, sed in futurum tantùm effectum suum operabitur; ita ut D. Ioanni gratiam hanc obtinenti non sit nocitura ante factæ revocationis notificationem, *Phil. Franc. in d. c. ult. De rescript. lib. 6. nu. 5.*

Ex his facilè intelligere poterit D. Ioannes, quid in hac causa metuere, quid sperare debeat, & secundùm illa decursum hujus litis dirigere: in progressu & disputatione causæ forsan quædam incurrent vel occurrent, quæ illius faciem in unam vel alteram partem fortè alterabunt: sed hæc pro causæ præsenti statu, & secundùm proposita.

De Transactionibus.

SVMMARIVM.

Transactio super instrumento non viso.

1. *Instrumento publico qui nititur fundatam & probatam habet intentionem.*
2. *Iuramentum remitti non potest post commissum periurium.*
3. *Periurus repellitur à limine iudicij.*
4. *Persuasio falsa plerumque dolum habet, ob quem contractus rescinditur.*
5. *Transactio non visis instrumentis quando non valeat.*
   Intellectus l. De his D. De Transactionib.
6. *Transactio iurata non visis verbis instrumenti valet.*
7. *Transactio valet ubi timor litis subest.*
8. *Transactionis finis est ut à lite recedatur.*
9. *Pensionis promissio sub beneplacito Papæ valet etiam super beneficio curato non valente plus centum ducatis annuis.*
10. *Interesse deberi in facti obligationibus.*

CONSILIVM LI.

EX claro, liquido, eoque indubitato instrumento publico fundata est intentio Domini Ioannis Valerij V. I. Licentiati hujus causæ Actoris, adversus Dom. Davidem Metsium Rectorem Ecclesiæ parochialis de Kerckhove Reum: cujus instrumenti contenta, hoc est, transactionem & conventionem inter Actorem & Reum de procuranda reservatione, constitutione, & assignatione annuæ pensionis quadraginta octo florenorum super fructibus beneficij Ecclesiastici, seu beneficiorum Ecclesiasticorum sub beneplacito & interveniente auctoritate S. D. N. Papæ, aut alterius ad hoc potentiam habentis, idem Reus quoque aperte confessus est; & eo non confitente, per testimonia ex parte ipsius Rei in hac causa recepta, sufficienter probata sunt: ut etiam Reus adversus hujusmodi instrumentum aut illius contenta, de re vel omninò non, vel non eo modo, quo in eo continetur acta nihil proponit, nec ipsum instrumentum oppugnat; sed externis quibusdam exceptionibus utitur, de quibus solis discutiendis labor suscipiendus est. * Nam qui ex publico in 1
publicam formam redacto instrumento agit, non tantum fundatam, sed etiam probatam, non probandam intentionem habere dicitur: cùm hujusmodi instrumentum apparentem veritatem contineat, nec fori discussione seu disceptatione indigeat, *Bald. in l. Imperator post princ. De statu hom. & in l. 2. C. Quando fisc. vel privat.* quia rem claram & manifestam facit, *l. fin. & ibi gloss. 1. C. De reb. credit. c. Cum olim De verb. signif. Bartol. in l. 1. versic. venio ad quæstiones De op. novi nunc.* Et tantùm abest ut Reus fidem instrumenti oppugnet, ut etiam plura quàm in eo continentur, inter eum & dictum Actorem acta esse confiteatur, per exhibitum pro ipsius parte instrumentum Episcopalis absolutionis à juramento ad effectum agendi & defendendi; quod juramentum idem Reus supplicando suo Episcopo Tornacensi pro impetranda ea absolutione narravit, & narrando confessus est, *l. cum precum C. De liber. causa*, se

præstitisse pro recognitione & corroboratione dictæ transactionis. Cujus Rei confessioni quoque accedit testimonium Domini Iacobi Bauters; & Petri van Hasselt, testium instrumentariorum, dictæ transactioni adhibitorum, & per Reum in hac causa in testes productorum; qui apertè deponunt Reum in dicta transactione manu dexterâ pectori admotâ in verbo sacerdotis illam observare & adimplere promisisse. Quæ sanè absolutio Reo hac in re neque ad actionem pro rescindenda dicta transactione, neque ad defensionem seu exceptionem adversus intentionem Actoris patrocinari potest; ideo quòd illa primùm sit impetrata ultimâ mensis Februarij anno septuagesimo sexto, tunc & postquam idem Reus dictæ transactioni & juratæ suæ promissioni diu contravenerat: primùm per revocationem dictæ transactionis aliquot diebus post illam initam: deinde per oppositiones & exceptiones contra dictam transactionem in hac lite propositas, usque ad datam dictæ ablolutionis, & sic plusquam toto biennio, cum pervicace perseveratione continuatas; ita quòd serius impetrata fuerit hæc absolutio, tunc & postquam dictus Reus per supratactas contraventiones & oppositiones in perjurium semel, imò sæpiùs inciderat.

2 Nam ut in potestate contrahentium non est, remittere juramentum ad effectum tollendi perjurij; cùm illud alter contrahentium contraveniendo contractui incurrit, *Bart. in l. Labeo De iureur. Bal. in Authen. Quod si* C. *De nupt.* etiamsi alioqui ante commissum perjurium utrique potestas sit relaxandi seu remittendi juramentum, *c.* 1. *De iureur. c.* 2. *De sponsal. l. fin. ff. Qui & a quib. manum liberi &c.* ita nec in potestate Episcopi aut alterius superioris est, post incursum perjurium, beneficio absolutionis à juramento, perjuro succurrere; quia frustra legis invocat auxilium, qui in legem committit seu peccat, *c. Quia frustra De usur. Fred. De senis cons.* 300. *Factum tale.* * Quod sanè perjurium, hoc facit, ut quemadmodum perjurus Actor à limine judicij repelli potest, quia contravenit juramento; ita quoque Reus ab exceptionibus & defensionibus juratum contractum contingentibus, *Specul. tit. De act. versic. item quod est periurus, Ant. de Butr. in c. Intelleximus in fin. De iud. Alex. cons.* 17. *Ponderatis vol.* 3. Ita ut hæc præstiti juramenti, & periculi perjurij ex contraventione consideratio, causam Actoris longè probabiliorem fundatioremque faciat; & ex adverso Rei quascumque exceptiones & oppositiones magis improbabiles.

Objcit sanè Reus admodum multa, per quę existimat se posse evadere necessitatem præstationis & implementi eorum, quæ promisit in dicta transactione, de procuranda reservatione & assignatione dictæ pensionis ex auctoritate Apostolica, seu alterius potestatem habentis; deque ea, cùm reservata erit, sine ulla contradictione aut exceptione de anno in annum solvenda, visâ etiam solâ reservationis nudâ signaturâ, & præstatione interesse, si minus faciat.

4 Et in primis quidem objcitur, quòd Reus falsis persualionibus Actoris inductus ad hanc transactionem descenderit; in falsa autem persuasione alterius, in contractu aut alio negotio dolum latere, *l. Servus tuus* §. *si pers. aseris l. Cum quis persuaserit De dolo malo*; & ex dolo, etiam adversus transactionem, non tantùm exceptionem, si ex ea, qui dolo malo fecit agat, sed etiam actionem ad rescindendam transactionem dari, *l. Interpositas & ibi glos. & DD. C. De transact.* ne dolus ipsi dolofo prosit; cùm & ex falsa causa, cessante etiam alterius persuasione, transactio facilè vitiari possit, *And. Barbatius cons.* 16. *Illud in medium nu.* 29. *vol.* 3. Persuasiones autem falsas Actoris, in hac lite plures, quàm in supplicatione pro impetranda dicta absolutione à juramento, proposuit: in hac enim unicam tantùm proposuit, & ex illa sola dictam absolutionem obtinuit; quòd scilicet Actor tempore transactionis Reo persuaserit seu asseruerit, quòd ultra nominationem, quam ab Vniversitate Lovanienfi obtinuerat, certum quoque rescriptum Apostolicum collationis Ecclesiæ parochialis de Kerckhove obtinuisset; & id se habere, quo collationem ordinariam per dictum Reum de eadem Ecclesia obtentam, invalidare & penitus evertere posset; comminando dicto Reo litem, Reumque ex hujusmodi commination e, metu litis perductum esse ad dictam transactionem. Cæterum hanc assertionem & persuasionem in hac causa Actori objectam, idem Actor apertè negavit, & negatam Reus sufficienter non probavit; quod percurrendo testimonia ejusdem Rei facilè deprehenditur.

Quamobrem ad aliam objectionem transit Reus, objciendo Actori, quòd hæc transactio sit facta & inita non visis per ipsum instrumentis, seu documentis nominationis, acceptationis, provisionis, inductionis, aut præsenti novi indulti; & quòd de tenore privilegij nominationis informatus non fuerit, quasi scilicet ob hanc causam transactio sit nulla: ut ex communi Doctorum opinione nulla est transactio super ijs controversijs, quæ ex testamento proficiscuntur, & quæ facta est verbis testamenti non inspectis cognitisque, *l. De ijs, l. Non est ferendus De transact. l.* 1. §. 1. *Quemadm. testam. aperiantur.* Nam in primis sustineri posset, illam vulgarem Doctorum traditionem falsam esse, nihilque impedire, quò minùs etiam non visis, aut cognitis testamenti verbis facta transactio, de his, quæ ex testamento dependent, valeat; & verba Iureconsulti, unde hæc Doctorum traditio deducitur, non ad jus, sed ad factum referenda esse: quasi scilicet vix fieri possit, ut super hujusmodi controversijs veritas exquiri aut transigi possit, nisi inspectis verbis testamenti; quia vix est, ut antè controversia vel intelligi vel moveri possit super his, quæ ex testamento dependent. Ideoque Iacobus Cujacius *in l.* 1. *De transact.* ex sententia Æmilij Ferreti, *in l. Imperatores* §. *cum transactio nu.* 6. *& in d. l. De ijs De transact.* existimat verbum *transigi*, in Iureconsulti responso, *in d. l.* 1. §. 1. *Quemad. testam. aper.* per translationem accipi, & non ad compositionem, quæ genere ad speciem redacto propriè transactio est, sed ad judicatum, seu judicem referri. Sed hac in re immorari, aut communiùs receptam Interpretum sententiam convellere, in re subjecta non est necessarium: nam ut id quoad controversias, quæ ex testamento dependent, sit verissimum, & jure singulari admittatur favore ultimæ voluntatis & publicæ utilitatis,

(quia

(quia publicè interest suprema hominum judicia exitum habere, *l. Vel negare ff. quemad. testam. aper.* & ab ijs non recedi, nisi in plena cognitione eorum, quæ testamento scripta sunt; idque in odium eorum, qui testamenta occultant, *Bart. in d. l. De ijs in princ.*) non est tamen id extra fines seu causam testamenti seu ultimæ voluntatis extendendum ad alia hominum negotia, *l. Quod verò, l. In ijs ff. De legibus.* Vnde generaliter traditur, quòd transactio ex repertis postea instrumentis rescindi non possit, *l. Sub prætextu 19. C. De transact. l. Imperatores De re iudic.* ut nec eo prætextu res judicata rescinditur, *l. Sub specie C. De re iud.* Ita ut certissimum sit, ad substantiam & validitatem transactionis minimè necessarium esse, visa & inspecta esse debere à transigentibus instrumenta alterutrius, partis, ex quibus controversiam seu litem moveri posse prætenditur.

6 Cùm alioqui etiam in interpretatione, & sententiâ illa communi, quòd transactio super dependentibus ex testamento fieri non possit, nisi visis verbis testamenti, inspectis, & cognitis, sic accipiatur res & restringatur, ut non obtineat, si interposito (ut hîc accidit,) juramento transactio sit inita, *Aemyl Ferret. in d. l. De ijs in fine*: & præterea ita vulgò accipitur vulgaris hæc traditio, quòd sufficiat scire, immò etiam audisse tantùm, testamentum extare, etiamsi oculis corporeis non inspiciatur, *Bart in d. l. De ijs n. 6. DD. in l. Qui Romæ, §. duo fratres ff. De verb. oblig. Paulus de Castro in d. l. De ijs in fine, Marc. Ant. Natta cons. 145. Vertente n. 2. & 3. vol. 1* Et sic in proposito sufficere debet, quòd Reus etiam ab Actore intellexerit, eum ex nominatione Lovaniensi acceptasse hanc Ecclesiam, & ex ea in timorem litis eum incidisse, etiamsi ipsa nominatio verè esset nulla aut inutilis. * Nam expresso jure decisum est, *in l. 2. C. De transact.* quòd timor litis etiam de facto, & non de jure, sit sufficiens causa ad transigendum, & transactionem sustinendum, satisque sit si vel dolus, vel calumnia partis verè non possit argui; prout in proposito argui non potest, cùm assertio Actoris de nominatione Lovaniensi vera fuerit, ut constat etiam ex probationibus Actoris, qui ex registris Vniversitatis exhibuit instrumenta seu extracta, non tantùm de sua nominatione, verùm etiam acceptatione, virtute hujusmodi nominationis de prætacta Ecclesia facta. Vnde sufficienter constat Actorem non falsò persuasisse, nec mentitum esse de sua nominatione; sed verum asseruisse; quòd satis est ad faciendam & sustinendam transactionem, etiamsi fortasse jus Actoris ex dicta nominatione competens, posset vel de vitio aut nullitate, vel aliquo alio defectu redargui: * in transactione enim 8 non requiritur veritas & justitia materiæ, unde lis & controversia moveri posset, sed qualiscumque prætextus, cùm per transactionem veritas non verè detegatur, sed obumbretur & occultetur: qui enim transigit, id agit, ut discedat à lite, de veritate nullo modo sollicitus, *d. l. 1. d. §. Cum transactio De transact.*

Quæ consideratio facit, ut supervacaneus sit omnis labor, quem Reus susceperit in allegatione & probatione eorum, ex quibus jus nominationis Lovaniensis, quod Actor huic transactioni prætexuit, existimat infringi, vel enervari potuisse, partim ex persona ipsius Actoris nominati, quasi propter divitias & excessum taxæ in bulla nominationis præscriptæ nominari aut vigore nominationis hanc Ecclesiam acceptare non potuerit; quòd in bonis tam Ecclesiasticis quàm temporalibus vltra quadraginta aureos florenos annuos in bonis habuerit: item quòd nominatio tantùm competet ijs, qui post nominationem & acceptationem vno anno in Vniversitate resederint; & si quæ sunt similia. Ea enim, imò nec aliquod eorum hîc propter virtutem transactionis, ad rescindendam transactionem in quæstionem venire non debent, *l. 2. C. De transact.* alioqui enim si propter defectum vel vitium juris alterutrius partis transigentis, transactio postea rescindi posset, transactionis nullus esset vsus, nec litium aliquis finis, *l. Fratris C. De transact.* Quamvis hæc omnia, quæ ex his & similibus capitibus Reus objicit facilè, si res postularet, discuti possent: ita ut admodum ineptum & frivolum sit, quòd Reus proponit se tempore transactionis de conditione & viribus privilegij nominationis informatum non fuisse; sibi enim & suæ facilitati id imputare debet, cur eo aliter non discusso ad transigendum se dimiserit.

Objicit tandem hoc quoq; Reus, quòd hæc pensio quadraginta octo florenorum sit excessiva, quodque ea deductâ ipsi Reo non erit superfuturum vtile se exhibere & hospitalitatem intertenere possit; & quod per decreta Concilij Tridentini *Sess. 24. cap. 13. §. adhæc De reformat.* constitutum sit, *ne Ecclesiæ parochiales, quæ summam centum ducatorum secundum verum annuum valorem non excedunt, vllis pensionibus graventur.* * Sed in hujusmodi objectione nihil momenti est; ob id quòd Reus nusquam 9 positivè alleget, multò minùs probet, quis aut quantus sit valor annuus fructuum & emolumentorum dictæ Ecclesiæ de Kerckhove: ita ut eo non probato, decerni aut dici non possit, an hujusmodi pensio quadraginta octo florenorum sit futura excessiva: & si de valore annuo minore centum ducatorum constaret, idcirco Reus non liberaretur à sua promissione in dicta trãsactione contenta: eo quòd in potestate Pontificis sit ex causa majorem etiam pensionem constituere, & beneficia centenario ducatorum minora, pensione gravare, etiamsi dictum Concilium præcipiat ordinariè id non fieri; propter Pontificis ex plenitudine potestatis majorem auctoritatem in & circa beneficia, *Clement. 1. in fin. Vt lite pendent.* quæ facit, ut nulla dici non possit hæc promissio, quæ sic facta est sub beneplacito Sedis Apostolicæ, & relata ad illius auctoritatem: ita quòd Reus propter suam promissionem de procuranda assignatione, debeat facere quantum in se est, vel saltem tentare voluntatem S. D. N. Papæ; eoque facto, quod in se est, si impetrare non poterit, extunc impossibilitatis exceptione sese defendere, *Phil. Decius cons. 313. Promisit, nu. 2.*

Per quam considerationem etiam avertitur quod Reus objicit de denegatione Placiti Regiæ Majestatis quoad bullas Pontificias reservationis pensionum super Ecclesijs seu beneficijs certis: quamvis positivè id non alleget, sed dubitanter, adjectis his verbis, *Sicut Reus intelligit.* Deinde

tota hæc impossibilitatis allegatio avertitur per hoc quòd Reus non promisit procurare reservationem pensionis super hac Ecclesia de Kerckhove, aut illius fructibus, sed (ut apertè sonant contenta dicti instrumenti) super fructibus beneficij Ecclesiastici, seu beneficiorum Ecclesiasticorum ferre valentis seu valentium hujusmodi pensionem: ideoque angustiæ ex dicto decreto Concilij Tridentini, & impetratione Regij Placiti hic formi-
8 dandæ non sint † cùm Reus omninò curare debeat, quod impossibile non est, aut in defectum illius condemnari ad id, quanti Actoris interest promissum non adimpleri. Ad quod interesse propterea etiam Actor in defectum procurationis rectè concluſit; cum in obligationibus facti seu faciendi, debitore non faciente, condemnatio ad interesse seu in pecunia fieri debeat, *l. Si quis ab alio § fin. De re iudic.* Quod sanè interesse in proposito minus esse non potest, quàm quanti erat futura ipsa pensio, si procurante Reo reservata fuisset; hoc est pro singulis annis à tempore moræ, quadraginta octo florenorum. Ex quibus omnibus concludo partes Reverendi D. Iudicis esse, ut Reum condemnet secundùm conclusionem pro parte Actoris in libello suo propositam.

De Transactionibus.

SVMMARIVM.

Transigens super crimine an sit infamis.

1. *Infamis quando efficiatur transigens super crimine.*
2. *Transigens super crimine pro confesso habetur.*
3. *Iniuriarum non tenetur qui sui defendendi causâ in iudicio probrosam exceptionem obiecit.*
4. *Infamia quando tollatur per remissionem delicti.*

CONSILIVM LII.

QVI homicidium commisit, cum liberis occisi pacem faciendo, dictumque homicidium ac delictum apertis verbis confitendo, & veniam rogando, super homicidio transegit, diversis pecuniarum quantitatibus, hæredibus occisi promissis ac solutis. Quæritur, an hic infamis sit, eique sine periculo injuriæ infamia pro commodo & utilitate illius, qui cum eo seu contra eum in judicio Ecclesiastico consistit,
1 objici possit? * Et quidem videri posset, quòd nulla infamia ex hujusmodi transactione sit contracta; ob id, quòd super criminibus pœnam sanguinis inferentibus, ut est homicidium, *§. item lex Cornelia Iust. De pub. iud.* permissa sit potestas transigendi, *l. Transigere C. De transact.* Cujus potestatis effectum inter alios, hunc tradit Paulus Castrensis, *in d. l. Transigere nu. 7. & ibi Franc. Curtius nu. 11.* quòd quamvis aliàs qui transigit datâ pecuniâ super delicto, super quo lex transactionem non admittit, quasi accusatorem aut delatorem corruperit, infamis fiat, *l. Imperatores De iure fisci*; illo tamen respectu non contrahat infamiam transigens super eo crimine, cujus transactionem lex permittit: non enim meretur pœnam qui id agit, quod lege permittente fit, *l. Gracchus C. Ad leg. Iul. De adult.*

Sed verius est infamiam per transactionem etiam in casu permisso contrahi; non quidem respectu corruptionis alicujus, sed confessionis, quam transigendo fecit. Etsi enim simplici transactione interpositâ in casu licito Reus non habeatur pro confesso, *gloss. in d. l. Transigere & ibi Castrens. nu. 7.* in transactione tamen super pœna delicti confessati non potest non latere infamia: confessus enim & condemnatus æquiparantur, *l. 1. C. De confess.* Ita ut multum interfit, an transactio fiat sine confessione (hæc enim quia super dubio fit, *l. 1. De transact.* vim confessionis habere non debet) an cum confessione super sola pœna; quia non fit propriè transactio super delicto aut accusatione, sed certæ pœnæ, pro reparatione & emendatione delicti, conventio. Vnde Baldus *cons. 350. proponitur quod quidam Clericus vol. 1.* adversus Dynum, dicit damnatum per inquisitionem etiam fieri infamem; quia liqueat de crimine per confessionem; cùm alioqui hoc quoque verum sit, quòd transigens in crimine, etiamsi non pro confesso, pro condemnato tamen habeatur ad hoc, ut incurrat infamiam, *Castren. d. nu. 7. per l. 1. & l. Quoniam De his qui not. infam. l. Non damnatos C. Ex quibus caus. infamia irrog.* * Absurdum quippe & à ratione alie- 2
num esset eum, qui homicida est, & quem talem esse ex propria confessione constat, pro infami non haberi; cùm ob furtum aut injuriam pactus, infamis habeatur, quia scilicet paciscendo intelligitur, seu fingitur crimen fateri, *d. l. Quoniam*, ne plus operetur fictio in casu ficto, quàm veritas in re comperta. † Proinde injuriam huic homicidæ non fa- 3
ciet, qui juris sui protegendi aut adjuvandi causâ in judicio ad eum repellendum, aut ad alium probabilem finem ei objicit, quòd sit homo infamis; quia calumniæ aut injuriandi causâ id factum dici non potest, *l. Si non convitij l. Si quidem aviam C. De iniurijs*, & sine affectu, studio, ac intentione injuriandi actio injuriarum non nascitur.

Quod autem proponitur de remissione seu ab- 4
solutione delicti à Principe obtentâ, incertam facit rei propositæ definitionem: si enim generalis est indulgentia, criminis tantùm & pœnæ remissio, stabit adhuc hujus homicidæ infamia, *l. ult. C. De generali abolit. l. Generalis C. De sent. pass. & restit.* quia illa sine restitutione obtineri non potest, *l. 1. C. d. tit.* Sin verò hæc remissio plenior sit, sic ut etiam contineat restitutionem, nulla est dubitatio, quin & infamia abolita sit, *l. Cum indulgentia C. eod.* & ita quidem ut citra periculum injuriæ nota infamiæ ei objici non possit, *Cravetta cons. 168. De duobus, in princ.* Quare antequam certi hic aliquid definire possimus, inspiciendus ac discutiendus esset tenor literarum dictæ remissionis. Quibus tamen non visis, si objiceretur dicta infamia, extra periculum injuriæ futura esset ea objectio: sed prolatis literis remissionis, si tam plenæ sint, ut etiam restitutionem contineant, ab objectione statim desistendum esset; quia ante, non post, esset justa causæ ignorantia.

De pro-

De Procuratoribus.

SVMMARIVM.

Procurator an sibi acquirat.

1. *Procurator an rei ex mandato emptæ efficiatur Dominus.*
2. *Procurator confitendo & paciscendo Domino non nocet.*
3. *Collusionis præsumptio inter coniunctas personas facilis.*
4. *Actus posterior censetur factus in executionem præcedentis.*
5. *Mandatarius fidem non servans sit infamis.*

CONSILIVM LIII.

IVSTA & benè fundata est actio, quam D. Thomas Ruthers, contra D. Theodoricum van Homont Reum, coram Vicedecano & Capitulo collegiatæ Ecclesiæ S. Odæ Rodensis instituit; quâ contendit, ut Reus condemnetur sibi tradere, & per legis operas in eum transferre, fundos ex mandato & jussu Actoris, eiusdemque pecuniâ per Reum emptos, vnà cum ædificijs etiam ex pecunia Actoris ædificatis ac reparatis.

1 † Nam quamvis ex subtilitate juris, procurator eius rei, quam ex mandato, atque etiam ex pecunia alterius emit, & traditam accepit, dominus efficiatur, sibi acquirendi voluntatem habuit, neque tunc priùs domino mandanti acquiratur, quàm procurator, qui comparavit & traditam accepit, vlteriùs ei tradiderit. *l. Res ex mandato* 59. *l. si procurator* 13. *& ibi DD. De acq. ter. dom.* personali tamen actione mandati adversus procuratorem ad huiusmodi traditionem faciendam agere potest dominus mandans, *l. si procuratorem §. dolo. D. Mandati*; prout in proposito casu D. Thomas apertè agit ut Reus ei legis operas & inhæredationem de emptis hujusmodi fundis faciat: dolo enim egisse dicitur procurator, si cùm domino acquirere debebat, sibi suo nomine traditionem ac legis operas facere curavit aut passus sit, nisi petenti domino statim tradat aut legis operas facit, *d. §. dolo.* Quod quidem in proposito nullam habet dubitationem; prout etiam Reus satis animadvertit: idcòque pro evitanda hac traditione atque inhæredatione, collusione cum noverca sua factâ, simulatâ syngraphâ recognovit hujusmodi emptionẽ, ædificationẽ & reparationẽ factas fuisse nomine & ad opus ejusdem suæ novercæ ac illus pecuniâ. * Quæ quidem confessio quamvis novercæ prodesse posset in præjudicium Rei ad personalem obligationem; Actori tamen obesse non potest: quia procurator confitendo, *Bart. in l. Certum §. sed an & ipsos De confes. Bald. in l. 1. nu. 30. C. eod. tit*, aut paciscendo, præsertim post executionem mandati, Domino præjudicare non potest, *l. Contra §. fin. cum l. seq. & ibi Cast. & Iason De pactis.* † De simulatione autem & collusione non tantùm ex eo constat, vehementissimâ juris præsumptione, quòd hæc confessio inter conjunctas personas sit facta, *Bart. in l. Post contractum De donat. & in l. Non solum De ritu nupt. Bald. in l. Si quis posthac C. De ho. proscript. Per. Anchar. cons. 251. Ex his quæ superius*, imò etiam concurrente verosimilitudine, quòd mulier alio loco nata, alibique olim nupta & domiciliaris, in Rode fundos atque ædificia comparari & ædificari non curaverit; verùm etiam evidentius ex eo, quòd ex rationibus, quas Reus Actori de administratione sibi in bonis ac pecunia Actoris permissa, reddidit, constet ex pecunia Actoris dictos fundos emptos, & impensam in ædificia factam esse: ita ut falsissima sit Rei syngraphalis confessio, fallendi circumveniendique causâ facta. * Est autem juris certissima præ- 4
sumptio, quòd actus posterior censeatur factus in executionem præcedentis mandati, *l. 4. §. Vnde quæri De manumiss. l. Qui in aliena §. Si is qui putabat, De acq. hæred. And. Alciat. De præsumptionib. reg. 2. præsumpt. 24.* hoc est, quòd emptio & impensæ factæ sint ex pecunia ac nomine Actoris, quia faciendi mandatum ab eo habuit. † Et sanè meri- 5
tò infamiâ affici debet Reus ob hujusmodi perfidiam dolosamque versationem in mandato, quod uberrimè bonam fidem requirit, *l. 1. Post princ. l. Furti §. mandati De his qui not. infamia.* Vnde cùm nimis evidens sit rei calumnia ac mala versatio, qui non tantùm sibi & suo nomine inhæredationem fieri procuravit, sed præterea sibi factam sub confictâ ac simulata syngrapha, alteri personæ appropriare studuit; existimo Venerabilium Dominorum esse officium, ut Reum secundum conclusionem Actoris per omnia condemnent.

De Procuratoribus.

SVMMARIVM.

Procurator an finito officio teneatur.

1. 5. *Procurator aut administrator an finito officio proprio nomine teneantur.*
2. *Procurator tenetur exhibere mandatum.*
3. *Geminatio actus enixam voluntatem indicat.*
4. *Venditor pignoris evictionem non præstat.*

CONSILIVM LIV.

VARIE admodum disputatur apud juris Interpretes in eo juris articulo, an procurator seu generalis administrator voluntarius, finito officio conveniri ac condemnari possit ex contractu ultrò citroque obligatorio; solâ contrariâ mandati actione adversus Dominum mandantem ei relictâ: † nam li- 1
cet in contractu, qui ex una tantùm parte obligationem inducit, ut est mutuum, stipulatio & similes, existiment plerique, procuratorem finito officio non teneri, si expresè procuratorio nomine contraxit, *Bart. Cast. & alij in l. Procurator qui pro evictione, De procur.* in contractu tamen ultrò citroque obligatorio variant sententiæ; quas hîc referre & excutere longum est. In eo crebriùs convenire videntur, quòd etiam in contractu utrimque obligatorio non teneatur procurator finito officio, quando constat contractum contemplatione Domini mandantis, *l. Si pupilli §. 1. De neg. Socin. cons. 154. Consultationem n. 2. vol. 2.* expresâ qualitate procuratorij seu mandati, *Castr. in d. l. Procurator sub fin.* initum esse: hic enim, propter voluntatem contrahentium, obligatio & actio à procuratore in Dominum rejcienda est, censeturque procurator eo casu nudum ministerium exhibere, *l. Et licet 15. De constit. pecunia; l. ult. & ibi Castr. De instit. actione.*

& cor-

& contrahens cum Domino non procuratore contrahere, *Socin. conſ.* 154. *in princ. vol.* 2. † ita ut
2 hoc caſu procurator non teneatur ad aliud, quàm ad oſtendendum mandatum ſibi à domino datum, *Bart. in d. l. Procurator. num.* 4. *& ibi* Caſtrenſ. *nu.* 3. *Paul. Pariſius conſ.* 78. *Magnificus Dominus num.* 37. *vol.* 1.

Cùm itaque M. Martinus Græcia Appellans in
1 diſtractione reditus in hac cauſa controverſi, & ejuſdem tranſportatione quondam Franconi marito Helwigis originalis Actricis nunc Appellatæ factâ, expreſſerit, ſe ut Receptorem monaſterij Vallis Ducis, & in ea qualitate tranſportare dicto Franconi hujuſmodi reditum: in eademque qualitate eamdem tranſportationem Franco admiſerit: dicendum eſt, dictum monaſterium, non M. Martinum inde obligari, præſertim propter ſæpiùs reiteratam prædictæ qualitatis mentionem:
3 † hujuſmodi enim repetitio & geminatio enixam voluntatem exprimentis oſtendit, quòd aliter quàm nomine dicti monaſterij hunc actum, exercere, idemque monaſterium tantùm non ſe obligare voluerit, *l. Balliſta* 32. *& ibi* Doct. *Ad S. C. Trebel. Paul. Pariſ. d conſ.* 78. *nu.* 48. quod uti dictum eſt,
4 procurator facere poteſt. * Quod igitur aliquibus locis, *in d. l. Procurator, & in l. Servum Titij* D. *Mandati*, traditum eſt, procuratorem venditorem, de evictione rei, per eum venditæ, emptori teneri, ſic accipiendum eſt, ut tunc obtineat, cùm ſimpliciter rem vendit, & tam manifeſtè non oſtendit ſe nolle obligari. Quare non rectè conventus ac condemnatus eſt M. Martinus evictionis nomine, joſtaque eſt illius ab ea condemnatione appellatio: præſertim cùm hæc diſtractio ſit non rei ad dominum mandantem pertinentis, ſed alienæ pignoris jure obligatæ, cujus nomine venditor evictionem generaliter non præſtat, *l.* 1. *&* 2. C. *Cred. evict. pig. non deb.*

5 Quibus non obſtat, quod M. Martinus ſpecialiter promiſerit Franconi *ſatisfacere, quantominus ſatisfactum eſſe comperiretur*: nam his verbis evictionis promiſſionem contineri, liquidum non eſt; cùm videantur tantùm pertinere ad ea, ad quæ creditor, diſtrahens pignus, communiter & generaliter teneri ſolet: generalis enim ſermo non includit
6 ea, quæ ſpecialem notam requirunt, *l. Item apud* §. *hoc edictum De inſtit. c. Quamvis De præb. lib.* 6. Et ſic in propoſito ſub hac generali promiſſione *ſatisfaciendi* non continetur evictionis præſtatio; quia ad illam non tenetur, qui jure creditoris vendit, niſi ſpecialiter eam promittat, *d. l.* 1. Sed & ſi ijs verbis contineretur evictionis promiſſio; nihilo magis ex illa conveniri vel condemnari poſſet M. Martinus: quia eam expreſsè promiſit, in prædicta Receptoris qualitate; ſic quod finito officio ob id conveniri nequeat, ſecundùm ſupradicta: potiſſimùm quia pro ſe & hæredibus ſuis non promiſerit (quo caſu difficilius averti poſſet obligatio, *Socinus d. conſ.* 154. *nu.* 9.) ſed nomine receptorio Franconi & hæredibus ipſius. Itaque conſultum puto pergendum in cauſa appellationis.

De Procuratoribus.

SVMMARIVM.

Mandati ad reſignandum revocatio.

1. *Mandatum ſpeciale requiritur in matrimonio tam ſpirituali, quàm carnali.*
2. 6. *Mandatum an irrevocabile dari poſſit etiam ad reſignandum beneficium.*
3. 10. 18. 19. *Mandati revocatio non impeditur per iuramentum.*
4. *Diviſioni renuntiari non poſſe, ne quidem iuramento.*
5. *Teſtamentum irrevocabile fieri non poteſt.*
7. *Revocans mandatum iuratum an ſit periurus.*
8. 11. 13. *Mandati revocatio an inſinuari debeat.*
9. 12. *Intellectus* Clement. 1. De renuntiat.
14. 16. *Procuratoris revocati factum nullum eſt.*
15. *Procurator an quis ſit ante receptum vel præſentatum mandatum.*
17. *Beneficium etiam pro ignorante impetrari poteſt.*
20. *Mandatum metu datum eſt ipſo iure nullum.*

CONSILIVM LV.

AD ea, quæ ex facto pro parte D. Philippi de Wernenburg proponuntur, eorumdem in facto propoſitorum veritate præſuppoſitâ, reſpondendo, nobis inſraſcriptis de jure dicendum videtur, præfatum Dom. Philippum bono jure fundatum eſſe ad perſequendum jus, quod ex collatione Vicarij Abbatis de Charon obtinuit in & ad Prioratum de la Breveriere; nihil obſtante, nec impedimentum faciente ejuſdem Vicarij ſequente ſeu poſteriore collatione facta D. Ioanni Pommereux. Cujus boni juris demonſtratio & deductio tantò eſt expeditior, quòd ex his, quæ proponuntur, manifeſtè deprehendatur nullam eſſe, aut dicto D. Philippo moveri difficultatem circa titulum acquiſiti per eum hujus Prioratus ex priore collatione dicti Vicarij, cùm etiam D. Ioannes Pommereux adverſarius; illum aſſerat, & inde authoramentum tituli ſui petat; ſuſtinendo, quòd dicto Prioratu noviſſimo vacante ex reſignatione ſeu renuntiatione ejuſdem Domini Philippi, per eumdem dictum Vicarium ei ſit de eodem Prioratu proviſum, eumdemque D. Philippum ſui tituli & juris auctorem habeat; ideoque de defectu juris illius excipere aut proponere non poſſit, *l. Qui in alterius* 24. De R. I. Sed incumbit omnis queſtio, & difficultas in hoc, num Dominus Philippus ſic acquiſitum Prioratum amiſerit per reſignationem, quam ad manus dicti Vicarij fecit Nicolaus Gualtier, virtute mandati ſeu procuratorij cujuſdam, à D. Philippo obtenti, ad reſignandum hujuſmodi Prioratum ad opus perſonæ ſibi placentis: dubitatio enim non eſt, quin ut quiſque reſignando & renuntiando per ſe beneficio cuicumque, quod habet, excidit ab illo *c. Ex tranſmiſſa De renunti.* nec ad illud regreſſum ullum habet, *l. Quæritur.* §. *Si venditor De adil. edicto*;
* ita quoque ſi alius id faciat ex profeſſoris ſeu 1
Rectoris mandato, *c. Qui facit De reg. iur. in* 6. quod in hac re dictus Nicolaus omnino habuit ſpeciale, ut requiritur tam in hujuſmodi negotio matrimonij ſpiritualis, quàm carnalis, *c. ult. & ibi DD. De procurat.*

procurat. lib. 6. Sed in eo non hæret difficultas, an id mandari potuerit; nec in eo, an de facto processerit resignatio ex hujusmodi mandato: sed an datum revocari potuerit; & an verè etiam ac sufficienter revocatum sit, & facta revocatio Nicolao intimata, ac demique, an post revocationem resignatio fieri potuerit, seu facta effectum sortiri debeat? Quibus discussis expedita erit propositæ quæstionis resolutio.

Quoad primum, difficultatem facit, quòd dictum mandatum seu procuratorium sit juratum, continens clausulam jurisiurandi *de non revocando eo*: 2 * Etsi enim omne mandatum generaliter sit revocabile; & ut scribit Accursius, *in* §. *rectè quoque in verb. evanescit Instit.* De *mandato*, specialiter mutandæ voluntatis potestas sit in mandato, aliter quàm in alijs contractibus, *l. Sicut C.* De *obl. & act.* etiamsi contineat clausulam *de illo non revocando*, *Bart. in l. Cum precario* De *prec.* imò etiamsi datum sit in mandatarij rem propriam, *Bald. in l.* 1. *nu.* 11. *C.* De *oblig. & act.* tam in spiritualibus, *d. c. fin. De procur. lib.* 6. quàm prophanis causis *l. Si remunerandi* §. *si tibi mandavero*: D. *Mandati*: cùm tamen additum quoque est juramentum de non revocando, ut omnia, quæ vinculo jurisiurandi constricta & vallata sunt fortius stringunt & obligant ad observationem juramenti, *c.* Debitores *c. Ad nostram* 7. *c. Cùm contingat* De *iureiur.* ita quoque meritò dubitatur, an non obstante juramento, mandati ad resignandum revocatio fieri possit. † Sed verius est 3 revocationem mandati seu procuratorij non impediri per vinculum jurisiurandi illi adjectum: cùm enim à sola voluntate mandantis pendeat mandatum, & sic voluntatis perseverantiam usque ad plenam illius executionem requirat, nec intelligitur mandatum sine perdurante voluntate, *arg. l. Tamdiu C. Pro socio*, *d.* §. *Si tibi mandavero*; nullo vinculo constringi potest mandatum, quod impediat revocationem: † non aliter quàm in societate seu communione, quæ à sociorum seu cohæredum voluntate sic pendet, ut quandocumque velit quisque sociorum, possit ad divisionem provocare, etiamsi convenerit, ne id fiat, *l. In hoc iudicium* §. *Si conveniat* D. *Communi divid.* imò etiamsi juratum sit, ne ad divisionem provocare liceat, *Oldr. cons.* 241. *Factum tale*, *Alexan. cons.* 18. *Visis Capitulis*, *in princ. vol.* 2. *Scrin. cons.* 278. *In quæstione vol.* 2. 4 * Et simili ratione testamentum, quod à sola testatoris voluntate pendet, sic scribi non potest, ut non liceat testatori id revocare aut mutare, etiamsi testator juraverit se non revocaturum, *Bart. & alij in l. Si quis in princ. testamenti* 22. De *legat.* 3. *Ioan. de Imol. in c. Cum contingat De iureiur.* * Ita ut communi opinione receptum sit, procuratorem constitutum cum juramento de non revocando, nihilominus revocari posse, *Gloss. in c. ult.* De *procurat. lib.* 6. *Bart. in d. l. Cum precario Felin. in c. Si diligenti* De *foro competente*, *Dec. in c. Ad nostram.* De *constit. utili & inut.* Quod nominatim receptum est in procuratore constituto ad renuntiandum beneficio, seu illud resignandum, *Gloss. in d. c. fin. & ibi DD.* ut multis rationibus latè deducit Felinus, *in c. Ex parte Decani nu.* 9. De *rescriptis*, qui communi Doctorum opinione ita receptum esse tradit; & licet dicat contrariam quandam extare Rotæ Romanæ decisionem, *quæ est* 8. *incip. Nota quod ubi aliquis. tit. De procur. in antiquis*, *aliàs est* 104. & Alberici de Rosate traditionem, *in l. Si procuratorem nu.* 9. De *procurat.* (qui tamen indistinctè existimat, non posse revocari mandatum, quod irrevocabiliter datum est, sive cum juramento, sive sine eo; & dicta Rotæ decisio loquitur in mandato ad resignandum ex causa permutationis, in qua propter obligationem compermutanti acquisitam, id facilius recipi posset, *Phil. Prob. in addit. ad Ioan. Monachi in d. c. fin. nu.* 6.) hoc tamen fatetur idem Felinus, alteram illam opinionem, quæ revocationem permittit, in practica prævalere: & hoc quidem obtinet etiam sine metu & periculo perjurij.

Etsi enim plerique existiment, revocationis po- 7
testatem esse ad effectum, ut mandati nullus sit effectus, licet contraveniens suo juramento, fiat perjurus, *glos. in d. c. alt. DD. in d. c. Cum contingat. Did. Covarr. ad c. Quamvis* 2. *parte* §. 2. *nu.* 3. De *pact. lib.* 6. *Alex. cons.* 16. *Ponderatis partis nu.* 4. *vol.* 3. id tamen tunc tantùm obtinet, quando sine causa fit revocatio; secùs si revocationis justa sit causa; nam tunc effectum habet revocatio, & revocans in perjurium non incidit, ut consulendo respondit Alexander Imolensis, *cons.* 29. *Perspectis consideratisque nu.* 17. *vol.* 5. *quem sequitur Phil. Prob. in d. c. fin. n.* 5. *De procur. lib.* 6. Cùm itaque justa fuerit Domino Philippo causa revocandi hujus mandati, ad resignandum hunc Prioratum præfato Nicolao dati, (de cujus causæ justitia postea dicetur) dubitandum non est, quin illius revocatio valuerit, etiam sine metu vel periculo alicujus perjurij: & præsupposito defectu justæ causæ, stante sic periculo perjurij, nihilominus adhuc fieri potuit revocatio hujus mandati, propter libertatem voluntatis, à qua mandatum dependet.

Sic itaque definito primo articulo, hoc est constitutâ facultate, & potestate revocandi dicti mandati præfato Nicolao ad resignandum dati, succedit secundus, de quo quæritur, an hoc mandatum verè & sufficienter revocatum fuerit, & revocatio intimata? * neque enim præsumitur, cùm facti 8
sit; ideoque mandans, qui contendit mandatum ad resignandum vel revocandum datum, revocatum fuisse, probare debet non tantùm revocationem, sed illius quoque intimationem seu certificationem, *Cardin. in Clem.* 1. *nu.* 2. De *renunt.* Et sanè secundùm ea, quæ proponuntur, de eo dubitandum non videtur; quippe ut mandatum nudo consensu nudâque voluntate quocumque modo verbis, literis, aut per nuntium declaratâ, datur & contrahitur; *l.* 1. D. *Mandati*; ita quoque eodem modo, & longè facilius, resolvi & revocari potest, *l. Nihil tam naturale* 35. De *reg. iuris.* Vnde cùm proponatur hanc revocationem factam esse coram Notario & testibus, eaque de re publicum extet instrumentum, dubitare de illa non oportet: quia instrumentum publicum continet probatam probationem, ut ait Baldus, *ad rubr. C. De fide instrum. & in l. Imperator De statu homin.*

Sed dubitatio aliqua versatur circa factæ revocationis intimationem, an illa ante factam per Nicolaum resignationem, Nicolao intimata quoque sufficienter fuerit? Dubitandi occasionem subministrat, quòd Petrus Rebuffus quodam loco hac

de re

de re agens tradat, *in prax. benefic. tit.* De *revocat. procur. nu.* 15. *parte* 3. hanc revocati procuratoris intimationem faciendam esse coram Notario, & duobus testibus, vel coram duobus Notarijs: ad exemplum appellationis interpositæ ab electione, quæ nisi sic solemniter parti adversæ intimata, non habet juris effectum, *clem. Causam, De elect.* Eoque casu existimavit Bonifacius de Vitalinis *in d. Clem. Causam §. intimatio n.* 35. non sufficere si per amicos aut Advocatos ejus, qui appellat, appellato fiat intimatio. Sed hac in re non satis sibi constat Rebuffus; quippe alio loco, *ad concordata Franciæ rub. De sublat. clement. literis*, tradit, ad impediendum effectum revocati mandati ad renuntiandum, sufficere, si coram duobus testibus, & aliter, quàm per scripturam fiat, quæ de jure nusquam in hoc actu requiritur, ut nec Notarij seu Notariorum adhibitio; quod ipsum indicium est, hanc revocationis intimationem non requirere actus aliquam solemnitatem, sed sufficere quamcumque notitiam ad
9 constitutum procuratorem deductam. † Nam Clementina constitutio *Clement. 1. De renunt.* ad hoc, ut per revocationem constituti procuratoris ad resignandum impediatur mandati executio, & resignationis post revocationem factæ effectus, aliud non requirit, quàm verbis generalibus quod ad notitiam ipsius constituti, & deinde revocati procuratoris deducta sit ipsa revocatio: quæ cùm aliter etiam fieri possit, quàm per specialem revocantis intimationem & certioratione, fit, ut non possit dici certo aliquo modo illam esse faciendam. Ideoque Glossa, *in d. Clem. 1. in V. Deducta.* in genere tantùm requirit, quòd de deducta hac ad procuratorem notitia fides fiat; ita ut sufficiat etiam notitia undecumque, adeoque & per tertium aliquem ad revocatum procuratorem perlata. Vnde Bonifacius de Vitalinis in interpretatione dictæ Clementinæ constitutionis, *nu.* 9. dicit sufficere, si revocatio ad procuratorem sic perlata sit, vel per amicos, vel Advocatos, ut probabiliter debuerit credere: sic ut discrimen non sit constituendum, per quem denuntiatio, seu intimatio revo-
10 cationis sit facta, *l. Item veniunt §. peritam vers. quo primum. De perit. hared.* * Vnde etiam est quod Paulus Castrensis in simili vel multùm vicina specie de procuratore constituto ad præsentandum ad beneficia, etiam cum juramento, de hujusmodi mandato non revocando, consulendo respondent, *cons.* 361. *Venerabilis vir nu.* 5. & 6. *vol.* 1. quòd forma præscripta ad faciendam intimationem appellationis interpositæ ab electione, non obtineat, nec sit servanda in intimatione revocationis procuratorij ad conferendum, præsentandum, resignandum, vel renuntiandum beneficia dati: quod etiam decisivè tradidit Nic. Boërius *decis.* 147. in
11 mandato Vicario Episcopi dato ad conferendum beneficia. † Sufficit itaque quoquo modo superinducta Procuratori factæ revocationis notitia, vel per literas revocantis, seu ejus ministri, *Roland. à Valle cons.* 46. *De duob. quæritur nu.* 31. *vol.* 1. vel si verbo ei intimetur; aut si cùm revocatio fit, præsens sit. In summa nihil refert, quocumque modo notitia, vel scientia revocationis ad procuratorem in his, & similibus juris articulis pervenerit, *Fel. n. in c. Cum contingat nu.* 9. *De rescrip. Boer. decis.* 347. *nu.* 14. præsertim ex mandato aut destinatione mandantis, qui revocationem fecit *Panor. in c. Mandato nu.* 8. *De procurat.*

Cùm ergò hæc revocatio facta coram Notario & testibus, fuerit primo loco intimata seu significata Domino Archidiacono, in cujus manibus, velut sequestri, depositum erat instrumentum hujus procuratorij ad resignandum; idque eo tempore, quo idem procuratorium erat adhuc in manibus ipsius, ut clarè apparet ex literis ejusdem Domini Archidiaconi ad Dominum de Valquoy; deinde insinuata quoque fuerit præfato Nicolao per M. Carolum de Cardevacque Advocatum, ex mandato & jussione Domini Philippi in instrumento factæ revocationis constituti procuratoris, ad intimandum eamdem revocationem; ac deinde etiam per alium Nuntium per dictum Dominum Archidiaconum ad eundem Nicolaum missum; & præterea ex literis per dictum Nicolaum ad Dominum de Valquoy scriptis, non obscure appareat hæc factæ revocationis scientia: dubitandum non videtur, quin notitia hujusmodi revocationis plenissimè sit deducta ad præfatum Nicolaum: ad quem deductam fuisse sufficit ad plenum effectum dictæ revocationis; ita ut necessarium non fuerit eandem quoque deduci ad ipsum dicti Prioratus patronum seu Collatorem, vel illius Vicarium. 12

Nam etsi intimatio revocationis facta superiori, hoc est, Collatori seu Patrono, vel ejus Vicario, ad impediendum effectum mandati de resignando seu renuntiando, fieri possit; necesse tamen non est, ut ei fiat sive soli, sive conjunctim ei & procuratori; sed sufficit, si alterutri fiat, *d. Clem. 1. De renunt* ita enim alternativè seu disjunctivè oratione proponitur, de revocatione deducta ad notitiam *vel procuratoris, vel illius in cujus manibus facienda est cessio seu resignatio*: ad cujus alternativæ orationis veritatem & effectum sufficit subsistentia seu eventus alterutrius, *l. Si hæredi plures 5. De condit. instit. l. Si quis ita stipulatus fuerit 129. De verb. oblig.* sic ut sufficiat intimatio procuratori facta: * usque adeò ut Bonifacius de Vitalinis, *in d. Clem. 1. De renunt.* tradat, consultius esse, quòd procuratori fiat intimatio factæ revocationis, quàm Collatori seu Patrono, qui sæpè incertus est. Nullus igitur est defectus in ipsa revocatione, & factæ revocationis notitia ad Nicolaum deducta.

Restat tertium ex propositis, an post sic factam revocationem dicta resignatio fieri potuerit, & facta effectum aliquem juris sortiatur? cujus ex- 13
pedita videtur resolutio. * Etenim ut quæ sine mandato, nomine alterius ignorantis vel inviti fiunt in illius præjudicium, rata non sunt, nec effectum habent, ne in potestate alterius sit alteri jus suum ignoranti vel invito auferre *l. Id quod nostrum De reg. jur. l. Si Stichum §. fin. De novat.* ita quoque nec quæ fiunt à revocato procuratore, *c. Ex insinuatione & ibi gloss. in V. sententia, c. In nostra De procur. l. Si mandassem, à contrario sensu*, D. *Mandati.* Quid enim interest inter falsum procuratorem, hoc est, eum, qui nullum unquam mandatum habuit, & eum, qui habuit quidem, sed quod revocatum est? *l. Licet. C. De procurat. Boërius decis.* 274. *nu.* 6. Imò minus nocent facta à revocato procuratore, quàm ab eo qui numquam mandatum habuit

habuit;& plus est revocatum esse mandatum,quàm nullum habuisse : ideò quòd omnino falsus procurator, praeter voluntatem seu sine voluntate domini ; sed revocatus procurator directò contra illum faciat, *d. c. Ex parte decani & ibi gl. in fin. Ioan. Staphilaus in d. tit. De signat. lit. inst. §. postremò nu. 7.* Proinde quia constat hanc resignationem, quam Nicolaus vigore dicti mandati fecit, factam esse post revocationem, quam D. Philippus fecit, sequitur, quòd hujusmodi resignatio sit omnimodè nulla, nec aliquem juris effectum habeat, ut expresso jure cautum est, *d. Clem. 1. De renunt.* sic ut per illam nulla fuerit inducta vacatio dicti Prioratus. Verum quidem est nudam revocationem non sufficere (ut diximus) nisi quoque probetur perveniisse illius notitiam ad constitutum procuratorem, aut beneficij collatorem, ne superiori illudatur : sed quia utrumque hic interveni', dubitare non oportet, quin nullum sit quicquid Nicolaus vigore hujusmodi revocati mandati postea fecit;& per consequens censeri debet omninò nulla provisio, quæ ex causa hujusmodi resignationis facta est D. Ioanni Pommereux : nulla enim est provisio seu collatio, quæ fit de beneficio non vacante, *c. 1. c. Nulla De concess. præben.* * Cujus quidem dicendi in proposito casu tantò major est occasio, ex eo, quòd potestas hujus mandati numquam fuerit in manu dicti Nicolai;sed D. Philippus illud, ejusque instrumentum voluerit esse velut sequestratum in manu dicti Domini Archidiaconi; cum expressa declaratione & conventione, ne id ex sua manu dimitteret,nisi cum expresso consensu D. Philippi: inde enim manifestum fit, Nicolao per solum actum mandati seu constituti procuratoris jus mandati acquisitum non fuisse, sed demùm acquirendum per futuram traditionem instrumenti. Quemadmodum qui ad aliquem scribit literas mandatum continentes, non priùs censetur transferre potestatem mandati, quàm literæ ad manus illius pervenerint,*l. Si procuratorem De procurat. Eald. in l. Si literas C. Mandati & in l. Si defunctus De procur.* Hac enim in re comparantur literæ privatæ,& publica instrumenta; ut ex his nemo dici vel reputari possit procurator ante mandatum sibi præsentatum, ut de eo expressi sunt in jure textus, *in c. Is qui De procurat. lib. 6. Clem. 1. eod. tit. Bart. cons. 73. Quæritur utrum procurator in princ. vol. 1.* quasi scilicet procurator non recipiat potestatem executivam ante receptum mandatum seu literas mandati. Et quamvis extent aliquot decisiones Rotæ Romanæ,*decis. 7. De procur. alias 145. in fin. in novis & decis. 19. De procurat. alias 248. in antiq.* quibus decidi videtur procuratorem constitutum ad resignandum seu renuntiandum, aut alium actum explicandum, posse resignationem seu alium actum facere ex die notæ constitutionis, seu mandati, etiam ante præsentatas literas seu instrumentum mandati; sicuti ex sententia Alexandri Imolensis, *cons. 146. In causa & lite nu. 33. vol. 5.* in beneficialibus etiam communiter servari scribunt Nic. Boërius, *decis. 274, nu. 2.* & Petrus Rebuffus, *in prax. benefic. tit. De procurat. ad resig. cons. nu. 24. par. 3.* non potest tamen (stante etiam veritate hujusmodi opinionis, quæ sine difficultate non est) nuda scientia dati mandati, antequam per instrumentum aut literas procuratori sit præsentatum, aliquem effectum habere, quando contraria aliqua extat constituentis seu mandantis voluntas, quòd videlicet nolit dati mandati ullum esse usum ante instrumenti traditionem, veluti si prohibeat ne instrumentum tradatur, nisi ex alio mandantis consensu, aut aliter quoquo modo sciat vel intelligat, mandantem, executionem mandati fieri nolle, *l. Fundi §. 1. in fine De acq. possess.* Voluntas enim, ut in omnibus actionibus & conventionibus humanis dominatur, & naturam cujusque contractus superat, *l. In conditionibus De cond. & demonst.* sic ut effectus quicumque contingens præter intentionem agentis, non consideretur, *l. Qui foveas Ad leg. Aquil. l. 2. De cond. & demonstrat.* ita quoque qui præsens quidem mandatum dat, sed illius usum (non permittit ut censetur facere, qui prohibet instrumentum dati mandati tradi)necdum verè mandasse dici potest, sed ex die,quo patitur instrumentum tradi : non aliter quàm qui sic solvit nummos, ut statim restituantur, quia solvisse non videtur, *l. Qui sic solvit De solution.* & qui sic rem alij donat, ut ipse tamen de ea disponere possit, efficaciter donasse non censetur, *l. cum quis decedens §. pater De leg. 2. Alex. cons. 18. Circa primum nu. 17. vol. 3. Natta consil. 270. Cum considerassem nu. 4. vol. 2.* Vnde fit etiam, ut (quod huc propiùs pertinet) cùm vel sponsionis causâ, vel ex diffidentia, res velut sequestro apud tertium deponitur ad hoc, ut alteri in casum aliquem tradatur, re non traditâ, vel donec tradatur illius dominium traditum non censeatur, *l. Si apud te ff. De præscr. verb. l. Si soluturus De solut.* Ita ut hujusmodi mandatum neque purum omninò, neque absolutum dici possit, quod seu cujus exequendi potestas requirit adhuc alium successivum mandantis consensum, ut est in casu proposito. Quâ ratione factum, ut D. Archidiaconus dicto Nicolao non tradiderit hoc mandati instrumentum, nec sine alio consensu D. Philippi tradere potuerit; propter tacitam imò satis expressam prohibitionem : ut nec potest Notarius, qui constitutionem procuratorij excepit, post constituentis revocationem aut prohibitionem de non conficiendo, aut non tradendo instrumento, *Rebuff. in praxi benefic. tit. De revocat. procurat. nu. 9. parte 3.*

Quamobrem satis apertè deprehenditur dicti Nicolai dolus, quòd sciens hanc conditionem hujus mandati, progressus sit ad realem resignationem, cujus potestas ei facta non erat,nisi ex die,quo ei ex consensu Domini Philippi traderetur hoc instrumentum. Ad quem quidem consensum etsi videatur præfatus D. Philippus obligatus fuisse; propter promissam à D. Philippo remunerationem seu recompensationem laboris & industriæ dicti Nicolai in impetrando & obtinendo eidem Domino Philippo hunc Prioratum; ea tamen obligatio non sic stringebat D. Philippum, neque in ea conditione erat, ut si quocumque vellet modo pro sua aviditate & cupiditate, Nicolao teneretur remunerationem facere à qua idem D. Philippus abstinuit seu facere distulit, non quia nolebat promissis stare, sed quia idem Nicolaus exorbitantiorem remunerationem exigebat, & inter ipsum & dictum Nicolaum de ejus modo conveniri non poterat; ita ut

ita ut in culpa dilationis fuerit non D. Philippus, sed Nicolaus. Vt enim censetur non velle vendere qui rem immodico pretio vendere vult, *l. Non dubium §. fin. & ibi Gloss. De legat. 3.* ita quoque nec remunerationis modum statuere, nec illam admittere, qui exorbitantiùs illam ex suo lubito statuit: indeterminata enim remunerationis promissio ad rationem & æqualitatem reducenda, ut in immensum non crescat, aut pro voluntate ejus, qui illam accepturus est, statuatur: ea enim est mens promittentis remunerationem, etiamsi illam reijciat ad arbitrium donatarij, seu ejus, qui promissionem hujusmodi accipit, quòd speret donatarium rectè arbitraturum; non quia immodicè obligari velit, sed vel arbitrio bonorum virorum, vel judicis hæc res est relinquenda, *elegans text. in l Si libertus De oper. libert.* Alioqui consentiendo ab initio in exorbitanter indeterminatam remunerationem, conjicere se poterit in periculum simoniæ; quasi impetratum per dictum Nicolaum hoc beneficium, remunerationis ingentis compendio redemisset; cùm gratuitæ ac moderatæ remunerationis præstatio aut promissio, post impetrationem, nullo omninò dandi pacto antecedente (ut in proposito nullum omninò antecessisse constat, cùm ignorante D. Philippo hic Prioratus sit impetratus) ad vitium aut delictum non referatur, *c. Etsi quæstiones in fine De simonia.* Quæ ignorantia impetrati pro D. Philippo hujus Prioratus (ut hoc obiter quoque admoneamus) ad defectum juris ipsius in hoc Prioratu
17 nihil operatur † nam quilibet etiam extraneus, non tantùm cognatus, affinis, aut amicus, potest etiam sine mandato alicui, cui benè vult, impetrare beneficium, literas, vel gratias ad beneficia, *c. Ex ore & ibi Panor. De his quæ fiunt à maiore parte capit.* satisque in proposito est, quòd Dominus Philippus perlatâ ad eum notitiâ dictæ impetrationis & collationis, hujusmodi collationem acceptaverit & approbaverit; ut eum acceptasse & approbasse demonstrat mandatum seu procuratorium dictis Nicolao & Iudoco, per D. Philippum datum ad acceptandum dicti Prioratus possessionem, ad recipiendum fructus, & ad resignandum, *arg. l. Si avia C. De iure delib. & eorum quæ notantur in l. Per procuratorem De acq. hæred.* †
18 Respectu cujus exorbitantis petitionis, & irregularis seu insatiabilis cupiditatis, quam dictus Nicolaus ostendit per exorbitantiam petitæ remunerationis, planè justificatur dicta revocatio, & de jure licita censeri debet; quasi scilicet promissio de non revocando tacitè contineat hanc conditionem, rebus ita stantibus, & nisi justissima revocandi causa intercedat; qualis est, si procurator in fraude, dolo, vel nimia negligentia versetur; etiamsi promissio de non revocando sit jurata, ut respondit Paulus Parisius, *cons. 8. Ex lectura in fine vol. 4.*

19 Quâ consideratione cessante, succedit alia, quæ non minorem habet effectum impediendi, & annullandi renuntiationem ac resignationem post revocationem factam, quòd videlicet hoc mandatum seu procuratorium de renuntiando seu resignando velut metu & coactè fuerit per dictum Nicolaum à præfato D. Philippo extortum; per hoc, quòd cùm per dicti Nicolai impetrationem, & illius notitiam ad D. Philippum perlatam, ejusdemque D. Philippi acceptationem, plenum quidem jus in eodē Prioratu irrevocabiliter fuerit eidem D. Philippo acquisitum; sed ad illius possessionem & usum commodè pervenire non potuerit, nisi per traditionem literarum dictæ collationis, aut saltem per apprehensionem possessionis ejus nomine faciendæ; quæ ut sine literis collationis fieri commodè non potuit, ita facilè idem D. Philippus metu & timore, ne dictus Nicolaus non obtento hoc mandato seu procuratorio ad resignandum, literas ad Collatorem referret, aut aliter eas D. Philippo interverteret, inde permotus fuit, ut hoc mandatum ad resignandum, velut pro cautione & securitate seu incitamento remunerationis faciendæ, dederit. Qui sanè metus & timor justus, non vanus censeri debet; quia causatur ex amissione & perditione omnium bonorum, quæ dictus D. Philippus habere potuit: cui cùm priùs nihil proprium fuerit, utpote monasticæ vitæ addicto, & suo monasterio incluso, *c. Cum ad monasterium De statu monach.* hic Prioratus futurus erat quodammodò proprius, imò jam perfectè acquisitus esse cœperat, & vice omnium bonorum, quibus se deinceps sustentare posset. Quæ amissio omnium bonorum, imò etiam majoris partis eorumdem, morti solet comparari, *l. propter litem De ex. cus. tutor. in princ. Bart. in l. Si ob turpem De condict. ob turp. caus. nu. 6. Bald. in l. Interpositas. C. De transact.* Vt meritò illius metus justissimus sit censendus: prout etiam aperto jure definitum est, *in c. 2. De eo quod metus caus. &c.* justum metum causari ex amissione beneficij Ecclesiastici, præsertim boni seu pinguis. Iam verò hi, qui sentiunt quòd jurati mandati revocatio non habeat effectum, nisi notitia illius ad procuratorem fuerit perlata, *Rebuff. in tit. De pacif. poss. nu. 155. Ioan. Selva in tit. De benef. part. 3. q. 16.* etiam in ea sententia sunt, quòd non requiratur illius notificatio aut scientia, si quis coactè procuratorem sic constituerit; quia jus requirit hoc casu mandatum ad renuntiandum, sponte datum esse, *Clem. 1. De renunt.* non per metum, ut interpretantur Glossa, Cardinalis, Imola, & alij, *in d. Clem. 1.* * Imò quod magis est, etsi 20
regulariter quæ per metum fiunt ipso jure teneant, & remedio restitutionis sint rescindenda, *D. & C. De eo quod metus caus.* hujus tamen generis mandatum per metum datum, est ipso jure nullum ab initio, *Card. in d. Clem. 1. nu. 7. c. Accedens De procurat. Doct. in d. c. 2.* sic ut nullâ revocatione opus esse videatur; quanto igitur magis effectum habere debet revocatio hujusmodi mandati per metum, & non sponte dati.

Quamobrem omnibus maturè expensis, existimamus, in obtinendo, & retinendo hoc Prioratu potiorem esse dictum D. Philippum, & præfato D. Ioanni ad illum nihil juris umquam acquisitum.

De ijs

De ijs quæ vi metusve causa fiunt.

SVMMARIVM.

Metu susceptus ordo.

1. *Spiritualia omnia voluntaria esse debent,*
2. 4. *Metus iustus quis sit.*
3. *Metus reverentiæ paternæ actus spirituales vitiat.*
5. *Alimenta qui negat necare videtur.*
6. *Testibus duobus affirmantibus metu aliquid esse factum magis creditur, quam mille dicentibus sponte esse factum.*
7. *Metu factum vi quoque factum dicitur.*

CONSILIVM LVI.

NOn video causam aliquam, quæ Venerabilem Dominum Vicarium Illustrissimi Domini Episcopi Leodiensis remorari debeat in proferenda sententia declaratoria, secundùm tenorem Bullæ Apostolicæ M. Petro Crucio in officio Pœnitentiariæ Apostolicæ concessæ, quoad nullitatem & invaliditatem ordinum Subdiaconatus & Diaconatus, ad quos dictus M. Petrus de facto promotus est.

† Verè enim nullum est, quodcumque in spiritualibus liberam voluntatem requirentibus, vi ac metu fit vel suscipitur, *c. 1. De ijs quæ vi metusve causa, & ibi Ant. de Butrio nu. 9. & in c. Ad aures eod. tit. Gloss. in cap. Abbas eod. tit.* quoties nimirum metus exhiberet causam actui proximam & immediatam, *Baldus in tract. De Schism.* Voluntariè enim sibi sacrificari vult Deus, ac voluntaria oris beneplacita fieri debent in ejus conspectu, *c. Præsens* xx. *q.* 3. metus quippe omnem voluntatem tollit. 1

Hoc ergò solùm videndum, num Impetrans metum & coactionem satis probaverit? Et sanè testimonio matris continentur illa, quæ aliò quàm ad vim & metum referri non possunt, *l. Nihil consensui* 116. *De reg. iur. cap. Super hoc Decernunt.* Deponit enim patrem minis & terroribus induxisse & coëgisse filium ad suscipiendos hos ordines; exprimit quoque minarum modum, quòd scilicet, si non pareret voluntati patris, à paterna successione exhæredaretur. * Neque verò justus tantùm est 2
metus, qui ex comminatione mortis, vulnerum, carceris aut cruciatus corporis concipitur, *l. 3. in fine cum 3. ll. sequent De eo quod metus causa &c.* sed etiam qui ex comminatione amissionis patrimonij infligitur, sivè sit omnium bonorum, sive majoris partis, *c. Abbas eod tit. Bald. in l. Isti quidem §. 1. D. eod. Bart. in l. 1. in fin. De condict. ob turp. causam, Rota decis. 463. Dubitatur, alias est 7. De remiss. in novis*; quem Innocentius metui mortis comparat, *in c. Dilectus De ijs quæ vi metusve caus. Socin. Nepos* 3
cons. 77. Licet nu. 35. vol. 1. * Cùm alioqui etiam solus metus reverentiæ paternæ, spirituales hujusmodi actus vitiet, *Gloss. in d. c. Præsens in V. patrem:* quia nimia reverentia & metus æquiparantur, *l. 1. §. qui evitandæ D. Quarum rer. actio non detur*; præsertim quòd deponat eadem mater, patrem hujusmodi minas ante susceptos ordines exequi cœpisse, ademptis scilicet libris & vestibus; factâ quoque interdictione matri atque alijs amicis, ne quispiam Impetrantem domo reciperet, pecuniâ juvaret aut aleret. † Ita ut jam tum videatur fuisse 4
ventum ad actum morti propinquum, unde justissimus metus causari dicitur, *Ant. De Butrio in d. c. 1. nu. 4. De his quæ vi metusve causa &c.* * Qui enim filium abijcit, alimenta ei negat, & ne ab alijs ei 5
exhibeantur, sollicitè agit, necare videtur, *l. Necare De liber. agnosc.* Ita ut extrema paupertas, & majoris periculi suspicio Impetrantem compulisse deprehendantur ad suscipiendos hos ordines; qui quamdiu per vitæ angustias potuit, refugit; & nisi desperatis rebus omnibus, propter patris sævitiam, velut impressione & majore vi adactus, manus dedit. Et quamvis hæc matris depositio ad plenam probationem suspecta videri posset, nulla tamen dici non potest: facit enim ad præsumptionem, *Archid. in d. c. Præsens. nu. 5. & ibi gloss. in V. patrem*; quâ cessante confirmatur per apertissimam depositionem Gasparis de Nyens, qui eadem cum matre deponit: atque item per depositionem M. Dionysij Silverto deponentis de præcedentibus patris querelis, de jactatione & gloriatione ejus post susceptos ordines, cum commemoratione prædictarum minarum, privationis dicti Impetrantis, si patris voluntati obsecutus non fuisset; ita ut ad plenissimam probationem judicium metus nihil desiderari videatur. Sanè de perseverationc in metu usque ad mortem patris, de inviti reluctantisque animi & voluntatis declaratione, omnes quinque testes deponunt; ut ad instruendam religionem suam, credulitatemque sibi faciendam nihil desiderare possit dictus Dominus Vicarius: cùm etiam paulò imperfectior probatio metus, spontaneæ voluntatis præsumptionem facilè excluderet: † quippe duobus 6
testibus affirmantibus metu aliquid esse gestum magis creditur, quàm mille alijs dicentibus sponte esse factum, *Innoc. in d. cap. Super hoc, Ant. Corsetus Singulari* 10. *incip. mille testes, in dict. Testes.*

Neque est quòd Dominum Vicarium conturbet quòd prædicta Bulla loquatur *de vi*, Impetrantem scilicet renitentem, vi coactum ad suscipiendos ordines: † nam vim in proposita materia 7
non tantùm accipimus, quæ corpori per vulnera & coërctionem corporis infertur, *l. Extat. De eo quod metus causa*; sed omnem necessitatem, quæ contrariæ voluntati imponitur, *l. 1. D. eod. tit.* & unde metus causari potest; in hujusmodi enim materia unum idemque & vi & metu factum dicitur; sed vis ad inferentem, metus ad patientem refertur, *Bart. in d. l. 1.* Ita ut rectè dixerit Odofredus, *in d. l. 1. post princ.* quicquid metu fit, vi quoque fieri; cùm intelligi nequeat metu factum, quod vi non sit factum; & nihil obsit si nominatim & formaliter de vi nihil dicant testes; cùm satis sit de actu dicere, qui pro vi accipiatur. Sed nec illud movere debet, quòd longum temporis intervallum nunc intercedat: nam nisi probato extrinsecùs libero consensu, & per exercitia actus comprobatione, *c. Veniens 13. Desponsal. Socinus Nepos cons. 77. nu. 62. vol. 1.* perseverabit adhuc prioris metus effectus; in hoc præsertim speciali actu, qui per solum temporis lapsum sine actione & exercitio, aut ex conditione loci vel habitus, per se non potest continere aliquod approbationis signum, quod præcedentem defectum expurget.

De ijs quæ vi metusve causa.

SVMMARIVM.

Metu ordinatus.

1. *Metus reverentialis sufficit ad rescissionem.*
2. *Metus amittendorum bonorum an sit iustus.*
3. *Ordines metu suscepti an sint nulli, an verò rescindendi.*

CONSILIVM LVII.

FACTI propositi veritate præsuppositâ, eoque etiam præsupposito, quòd Andreas Manriquez, de quo quæritur, in sic susceptis ordinibus Subdiaconatus & Diaconatus non deservivit, ex quo argui posset approbatio susceptorum ordinum; videtur quòd susce-
1 ptio huiusmodi ordinum non teneat; † propter præcedentem metum, non tantùm reverentialem, qui solus per se plerisque sufficere non videtur ad inducendam invaliditatem contracti matrimonij spiritualis per susceptionem ordinum, DD. *in cap. 1. De iis quæ vi metusve causa fiunt*; sed propter præcedentes quoque matris minas de eo privando successione in suis bonis, si ad ejus
2 petitionem ordines hos non susciperet. * Hæ enim minæ non minùs quàm verbera aut timor mortis conjiciunt etiam constantem virum, multò magis adolescentem minorem, in justum metum; cùm timor amittendorum bonorum seu amittendi patrimonij, timori mortis comparetur, *cap. Abbas eod. tit. l. Propter litem De excusat. tut. Bart. in l. Si ob turpem nu. 6. De condict. ob turp. caus.* potissimùm quòd hujusmodi matris minas, & earum executionem, non vano timore metuerit; sed præsenti periculo propter illius iracundam instantiam, & conformem voluntatem defuncti pa-
3 tris sui testamento declaratam. * Verùm quoniam hæc coactio, quæ ex hoc metu oritur, non præcisa & absoluta fuit, quæ hoc operari solet, ut omninò nulla voluntas in actu constitui debeat, sed conditionalis tantùm; à qua non intelligitur abesse voluntas, *l. Si patre cogente De ritu nupt.* non potest dici hæc ordinum sic facta susceptio omninò ipso jure & facto nulla; sicuti regulariter quæ metu fiunt, quia non possunt dici fieri sine voluntate, licet coacta, *l. Si mulier §. penult. De eo quod met. caus.* ipso jure nulla non sunt, sed tenent; licet officio judicis rescindi possint. Et quamvis plerique existiment, in spiritualibus proclivius induci nullitatem actus, propter præcedentem metum etiam conditionalem, ut est in voto, in professione religionis, in electione, & similibus; id tamen non obtinere tradunt in his, ex quibus character imprimitur, qui sic etiam coactè susceptus, cùm sit indelibilis, nullitatem actus avertit: imò quod magis est, etiam rescissionem, quæ ex officio judicis procedit, impedire solet, *c. Maiores. §. Item quæritur & ibi Panorm. in fine De baptis. idem Panorm. in c. 2. in fine De his quæ vi metusve caus. Gosfred. in Summa tit. De ætate & qualit. ordin. versic. circa hanc distinct.* Ita ut decisio casus propositi, quoad modum liberandi dictum Andream à sic susceptis spirituali charactere, ansciscet viâ ordinariâ absolvi possit à sic susceptis ordinibus, non satis sit expedita: ideoque tutissimum esse putemus à Summo Pontifice impetrare dispensationem adversus hos ordines; ut in simili respondisse se scribit Martinus Azpilcueta Navarrus, *in Manuali confessar. c. 22. nu. 51.* de filio maximi Principis Infantis, & patrui Regis Portugalliæ, qui ordinem Diaconatus simili reverentia & metu susceperat.

De in integrum restitutione.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum ex minore ætate.

1. *Nullitas & restitutio accumulari possunt.*
2. *Nullitas & appellatio coniungi possunt.*
3. *Prorogari potest iurisdictio delegati ad universitatem causarum.*
4. *Rescindens iudicium cum rescissorio coniungi potest.*
5. *Nullitas triginta annis proponi potest.*
6. *Tempus quadriennij ad restitutionem integri obtinendam quando incipiat currere.*
7. *Minor ætas probatur ex datione curatoris.*
8. 11. *Minoris res immobilis alienari non potest sine solemnitatibus, & quæ illæ sint.*
9. *Minor curatorem habens pupillo comparatur.*
10. *Curatorem habenti alius non datur.*
12. *Alienatâ re minoris non creditur Iudici vel Notario asserenti rem ex iusta causa alienatam.*
13. *In alienatione rei minoris an pro auctoritate sit Scabinorum præsentia.*
14. *Curatoris auctoritas validat contractum, non tamen restitutionem excludit.*
15. *Consuetudo non efficit, ut à contractu minoris excludatur restitutio integri.*
16. *Restitutio integri ubi nulla est læsio non conceditur.*
17. *Minor læsus dicitur, si inconsultè res eius sit vendita.*
18. *Restitutio integri non impeditur per rei melioration-em.*
19. 21. *Restitutio minoris non impeditur per pretij receptionem.*
20. *Restitutioni obtentæ minor renuntiare potest.*
22. *Restitutio integri non amittitur, si minor rem venditam maior factus tradiderit.*

CONSILIVM LVIII.

ACCVMVLATIO nullitatis & restitu- 1
tionis integri de jure permissa est, ut disiunctivè ex altera concludi possit, *c. Constitutus De restitut. in integr. Guido Papæ, decis. 143.* quamvis enim alternationis libellus propter incertitudinem plerumque ineptus sit, *l. Vbi autem 75. §. qui illud penult. & ibi Bart. De verb. oblig.* dum constare potest, utrum ex duobus præcisè peti possit; disiunctivus tamen, ut utilis, toleratur, cùm non purè & simpliciter duo contraria vel contradictoria petuntur, sed subordinatè: eligitur enim ex duobus diversis remedijs alterum, licet sub conditione, *latè Castr. cons. 65. Viso quodam libello vol. 1. Car. Rainus cons. 58. Visis & diligenter nu. 18.*

Vol. 3. * Eoque exemplo sustinetur libellus appellantis, in quo concludit, ut sententia pronuntietur nulla; & si nulla non est, ut declaretur iniqua, *Bart. & alij in l. 1. Cod. Quando provoc. non est necesse.* Quare de utilitate libelli (quo Martinus Clerx adversus Joannem van Gelmen consluisse ad declarationem nullitatis alienationis bonorum immobilium per suum curatorem in minore sua ætate factę, & si ea alienatio ipso jure licere inveniatur, ad restitutionem in integrũ) nihil dubitandũ est; * ut nec de competentia jurisdi-
3 ctionis Reverendi D. Abbatis: nam reus illam confitendo expresse prorogavit, & quam (quia D. Abbas non simpliciter ad unam causam, sed ad universitatem causarum delegatus est) prorogare potuit, *l. 1. C. De iurisd. om. iud.* Quod etsi apud plerosque sit controversum, *Marian. Socin. in c. Significasti, nu.* 25. *De foro compet.* tamen controversiam non patitur, quando sic sub delegatione persona prorogantis saltem in genere continetur, *Bald. in l. Si qui ex consensu, C. De Episc. aud.* prout in Conservatoria & sub jurisdictione conservatoris manifestè continetur Reus hujus causæ, qui jure scholaritatis officium Conservatoris invocando, & se paratum huic juri stare declarando, causam à tribunali Domini Officialis Leodiensis huc evocavit; & sic ad suum judicem, *l. 2. C. Vbi & apud quem cognitio in integ. &c.* potestatem habentem in omnibus actionibus & negotijs, scholares quovis modo concernentibus, justitiæ complementum exhibere, *ut patet ex bullis Martiniana & Paulliana Vniversitati Lovaniensi concessis*; quo etiam continetur restituendi in integrum potestas, *l. ult. C. Vbi & apud quem cognit in integ. &c.*

4 Sed nec ex eo de utilitate dicti libelli dubitari potest, quòd restitutio integri, & velut vindicatio seu recuperatio rei conjunctim proponantur: nam hoc communiter receptum est, judicium rescindens cum rescissorio simul & successivè eodem libello proponi posse, DD. *in l. Si cum exceptione §. hæc autem actio De eo quod metus caus. Iaf. & Zas. in §. rursus. Instit. De action. Guido Papæ d. decis.* 143.

Et postremò de facultate proponendi utriusque
5 actionis ex tempore nulla etiam est dubitatio † nam nullitatis causa seu actio etiam ad triginta annos durat, *gl. in l. Querela C. Ad L. Corn. De falsi. Spec. in tit. De sentent. §. quoniam vers. in summa Sebast. Vant. in tract. De nullit. tit. quoties & intra quod tempus &c.* Contractus autem, de cujus annullatione agitur, initus est anno 1548. 3. Septembris, & præsens lis ad effectum nullitatis, vel restitutionis instituta sextâ Octobris anno 1537. ut tempestivè inchoata inveniatur; quia scilicet contractus hujusmodi in minore dicti Actoris ætate contigit, & ante ætatis suę vicesimum nonum annum restitutio hęc petita,
6 *l. ult. C. De temp. in integ. rest.* * Quadriennium enim non à die contractus, sed à vicesimo quinto anno ætatis ejus, qui in minore ætate læsus dicitur computandum, *d. l. ult. & ibi Salic. Ioan. Mauritius in tract. De rest. in integ. cap.* 46. Minorem autem fuisse dictum Actorem non tantùm tempore contractus, sed etiam petitæ & hîc propositæ restitutionis, evidenter constat ex depositionibus testium pro parte Actoris productorum; qui concorditer omnes testificantur, Actorem tempore suæ depositionis non attigisse vicesimum octavum annum; ita ut retroacto numero annorum ad tempus contractus liquidò constet, eundem Actorem vix decimum sextum ætatis annum excessisse: * quæ minor 7
ætas etiam cessantibus dictis testium testificationibus sufficienter probata hîc censeri deberet ex datione curatoris, de qua prætactum venditionis instrumentum meminit, & pars rea objicit: satis enim probari minorem ætatem per dationem curatoris tradunt Baldus & Angelus, *l. Cum te C. De probat. Carol. Rain. cons. 95. Præsupponitur quod Hannibali n. 6. vol.* 4. Et quamvis Alexander, *cons.* 21. *Viso processu vol.* 1. ex sententia Saliceti, *in d. l. Si minorem C. De in integr. rest.* existimet, per hujusmodi dationem curatoris minorem ætatem generaliter non probari adversus quoscumque; ex ejusdem tamen Saliceti sententia, *in d. l. Si minorem. nu.* 1. *vers. quæro quidam*, fatetur plenæ probationis potestatem in hujusmodi curatoris datione esse, adversus eum, cum quo tempore dati curatoris is, qui minor dicitur, contraxit. Et sic in proposito, quia Reus fatetur dicto Actori, tempore alienationis fundorum, de quibus nunc controvertitur, curatores deputatos fuisse; hoc quoque fateri debet, eundem Actorem tunc minorem fuisse. Et licet ex ea præsumptione non satis videatur constare, in quoto minoris ætatis anno fuerit idem Actor tempore contractus, an vicesimo secundo, an ulteriore; quo casu videri posset seriùs proposita restitutio, quæ novem annis ex post proposita est; an verò citeriore: quia tamen inde constat contractum in minore ætate celebratum, sufficere id debet, & onus probandi tempora restitutionis esse elapsa, incumbit ei, qui petitæ restitutioni se opponit, *d. l. Si minorem, & ibi Salicet.* ita ut ex prędictis omnibus evidenter constet, extrinsecùs nihil incurrere, unde impediri possit alterutra actionum propositarum.

Videndum itaque est, an intrinsecùs nihil sit, quod vel hoc, vel illud judicium actori impedi-
8 tum faciat? * Et sanè conclusio ad nullitatem optimè fundata est ex juris communis dispositione, *tit. ff. De rebus eor. C. De præd. minor. per tot. l. Lex quæ tutores C. De admin. tut.* quâ res immobiles seu stabiles minorum, sine decreto aliisque in jure præscriptis, & à Baldo, *in Margarita sua ad Innoc. in dict. contractus*, atque alijs, *Matth. De afflict. decis. Neap.* 249 *Paul. Paris. cons.* 98. 99. & 100. *vol.* 1. collectis solemnitatibus, alienari prohibentur; & aliter earum rerum factæ alienationes nullius sunt momenti. Et cum Mattheus de afflictis, *d. decis.* 242. octo ad validitatem alienationis rerum minoris requirat, quorum singula omissa vitium nullitatis injiciant; nullum eorum omnium hîc interveniisse dici potest. Nam requirit primò, ut interveniat urgens causa alienandi, *l. Ob æs C. De præb. minor. l. Magu puto §. non passim D. eod. tit.* de qua neque ex allegationibus rei, neque ex instrumento alienationis constat: ut neque de secundo, quòd urgens necessitas aliunde dissolvi non potuerit, *d. §. non passim, l. Tutor urgentib. D. De minorib.* Nec etiam de tertio, quod requirit, ut judici, diligenti bonorum excussione factâ; constet aliunde, nisi per distractionem horum bonorum, necessitate urgente succurri non potuisse, *d. l. Magu puto*

pito §. in primis igitur. Et quamvis quarti ac quinti requisitio in proposito casu in considerationem non veniat; sexti tamen urgens est, & hic omninò deficit, interventus scilicet auctoritatis curatoris, *l. Neque, l. Eum qui C. De auct. præstanda*; sine qua nulla alienatio per minorem facta teneri potest, *§. 1. Instit. De auctor. tut.* † quia minor curatorem habens, furioso & pupillo comparatur, *l. Si curatorem habens C. De in integr. restit.* quem constat nullam rem sive mobilem, sive immobilem alienare posse; imò nec contractum, unde alienatio sequatur, inire sine tutoris auctoritate *§. nunc admonendi Inst. quib. alien. licet vel non.*

Neque ad rem facit, quòd in instrumento hujus alienationis intervenire dicatur Paulus vander Molen, dicti Actoris tunc curator: nam de legitima hujus datione non constat, sed in instrumento tantùm hoc videtur dici, quòd per Martinum Clercx assumptus fuerit hic Paulus pro curatore; ex quo non potest dici legitimè datus: judicis enim seu magistratus est dare, *l. 1. C. Vbi petantur tut.* & minoris à judice postulare, *l. 1. C. Qui petant tut. vel curat.* non pro suo lubitu assumere curatorem; præsertim quia pro parte Actoris per testes probatum sit, eidem actori jam tunc auctoritate dicti Domini Officialis Leodiensis alios datos fuisse curatores, quorum nullus huic venditioni se interposuit, aut auctoritatem præstitit: * habenti enim curatorem frustrà, saltem sine cognitione non remoto priore, & causæ cognitione non interposita, alius curator datur, *l. Curatorem habenti C. Qui dare tut. vel curat. pos.* & plerumque ambitiosæ sunt hujusmodi curatorum assumptiones, quæ in transitu & sine judicio fiunt; præsertim quod non constet de legitima assumptione curatoris per Paulum facta; interpositâ scilicet satisdatione aut juramento, *l. ult. §. omnem autem De admin. tut. l. De creationibus. C. De Episc. audien.*

Neque adversùs hæc facit, quòd Reus consuetudine loci, ubi bona sita sunt, receptum esse objicit, valere alienationes auctoritate hujusmodi curatoris factas: nam præterquam quòd non constet, datum esse hunc curatorem, sed per Actorem transitoriè assumptum; in primis dubitari posset de probatione hujusmodi consuetudinis: nam qui per turbam producti deposuerunt, nullum inveniuntur juramentum præstitisse, & sic nullam fidem merentur, *l. Iurisiurandi C. De testib.* Deinde quòd neque illi, neque Nicolaus Vilters, neque Philippus Clingers (qui separatim super hujusmodi consuetudine examinati sunt) aliter, quàm judicando, deponant, & exercitæ seu observatæ consuetudinis in judicio contradicto exempla nulla proferant; uti in probanda consuetudine omninò necessarium est, *l. De quib. l. Cum De consuetudine, De legib.* Denique quòd adhibito hujusmodi transeunte curatore omnes dicant requiri causæ cognitionem, quæ hic non intervenit, uti mox dicemus.

Sed nec septimum, quod omnium maximè necessarium, intervenit; judicis scilicet seu Scabinorum antecedens cognitio, ac subsequens, decretum; usque adeò ut neque cognitio sine decreto, neque decretum sine cognitione, utilem facere possit alienationem, *d. decis. Neap. 249.* ideoque etiam sententia interloquutoria præcedere debeat, & causæ utilis alienationis probari; sic ut in dubio non præsumantur hæ solemnitates interveniſſe, * imò nec judici aut Notario eas interveniſſe aut justam causam subesse asserenti credatur, *arg. Auth. De Eccles. rer. alien. coll. 5. latè Paulus Paris. d. cons. 98. & 100. Lud. Roman. cons. 321. In casu propositæ*; sed requiratur, ut de tali causæ inquisitione, cognitione, & probatione fiat scriptura separata ab ipsa venditione & decreto alienationis, *Iason. in l. Sciendum. De verb. oblig. & in l. Nec quicquam §. ubi decretum De offic. procons. Paris. d. cons. 98. num. 9.* Vti etiam in usu consuetudinum oppidi Lovanienſis priùs expediri videmus actam decreti alienationis, ante transportationem, & à transportatione etiam separatam. A quo septimo requisito per obiectam contrariam consuetudinem non videtur recessum: testantur enim omnes, qui de consuetudine interrogati sunt, quòd inquisitione & causæ cognitione opus sit in alienatione rei immobilis, adhibito hujusmodi curatore; de qua observatione adhibita neque Reus docuit, neque instrumentum verbùm ullùm continet, & sic præsumi nequit. Cùm alioqui generaliter consuetudo secundùm juris dispositionem accipi & intelligi debeat, *c. Cum dilectus & ibi gl. & DD. De consuetud. Bald. in l. 2. C. De nox. alib. action.* præsertim ut indemnitati & saluti minorum consulatur, & ne commentitia ac imaginaria curatoris fortuiti, & sine judicio ac cognitione præcedente, adhibitione, in periculum & rerum suarum iacturam deducatur.

Adversus quod ut exactius prospiciatur, requiritur in alienatione rerum minoris octavò & illud, ne simpliciter res vendatur, sed per subhastationem & auctionem publicam; alioqui venditio, etiam concurrentibus alijs, erit nulla, *l. Et si sine vers. & quotidie & ibi Bart. De minor. d. decis. Neap. 249. Decius cons. 403. Quamvis in casu nu. 11. Paris. d. cons. 98. nu. 10.* cujus octavi requisiti defectus hîc quoque invenitur. Ita ut omnibus exactè perpensis, tota hæc alienatio nihil sani habeat, quo sustineatur; interposito scilicet simulato curatore; nullâ causæ cognitione præcedente; nullo decreto interposito, nec auctione publicâ propositâ.

Quæ quidem vitia non poterunt dici emendata per adhibitionem & præsentiam Scabinorum ac Villici: nam primùm ambitione & captione res plena est; procurante nimirum Rei vitrico, M. Ioanne de Lamminia, adjuuante Ioanne Gelmè cognato; quorum uterque Scabinus fuit. Deinde Scabinorum præsentia non pro auctoritate & decreto accipi potest, sed pro publico & judiciali testimonio, *Bal. in l. Tutores De consir. tut. Catellia. Cotta in memorabilibus dict. Decretum.* cùm, ut diximus, magistratus præsentia non validet alienationem sed præcedens cognitio, & subsequens decretum; quæ hîc neque intervenerunt, neque interveniſſe præsumuntur; sita ut curatoris etiam præsentia sine illis nihil faciat ad vitium nulliter contractæ alienationis diluendum, *l. 2. l. si prædium C. De prædijs minor.* & per consequens rectè ex capite nullitatis petita est restitutio.

Sane si ex huius capitis fundamento intentio Actoris aliquo modo vacillare videbitur (quod tamen ut ingenuè, quod est, fateamur, non videmus) extremum refugium erit restitutio in integrum,

grum, per subordinationem hîc petita. Adversus quam nihil faciet vel curatoris interpositio, vel al-
14 legatæ consuetudinis potestas: * Nam quamvis curatoris auctoritas & interventio faciat contractum ipso jure valere; non excludit tamen restitutionem in integrum, *l. 2. & ult. C. Si tutor. vel curat. interven. l. fin. C. De fideiuss. minor.* & pro parte rea nusquam allegatum aut probatum est, ex consuetudine loci sic validas esse hujusmodi venditiones, aut sic sortiri effectum, quòd adversus eas minor
15 in integrum restitui non possit: † ita ut si hujusmodi consuetudo vera & tolerabilis esset, ut citra judicium & in transitu sic adhibitus tutor, servatis solemnitatibus alijs in alienatione rerum minoris etiam auctorisante curatore facta requisitis (quarum nulla omninò hic intervenit) faciat alienationem ipso jure valere; non plus tamen operabitur præsentia & auctoritas hujus imaginarij cutatoris, quàm veri ac legitimi secundùm formam juris communis constituti, qui nullâ ratione, solâ suâ præsentiâ, etiam adhibitis solemnitatibus requisitis, irretractabilem facere potest alienationem rei immobilis; quin saltem per in integrum restitutionem rescindatur, *d. l. 2. & ult. Bart. in l. Si res pupillaris De minorib.* ut scilicet consuetudo ex jure communi interpretationem & restrictionem accipiat, *c. Cum dilectus & ibi gloss. &* DD. *De consuet.* & illi minimùm deroget, & quàm fieri potest minimùm ab eo recedatur; præsertim cùm disponit super eo, super quo jus commune disponit: cùm neque statutum, neque consuetudo in dubio censeatur tollere beneficium juris communis, *Bald. in l. 2. nu. 1.* Ideoque quod reus allegat, hujusmodi venditiones cum curatore factas, sortitas esse effectum, intelligendum & restringendum est ex jure communi, nisi restitutio integri adversus illas petatur.

16 Quod etiam agnoscens reus confugit ad allegationem, quòd Actor non sit læsus, sed utilis ei fuerit contractus, licet nunc melioratione & operâ rei, pluris valeant alienati fundi; ita ut nulla sit læsio, sine qua restitutio integri obtineri non solet, *l. Ait prætor in princ. l. Verum §. sciendum l. Quod si minor De minorib.* Verùm magnum est discrimen inter res mobiles, quæ servando servari non possunt, quæque sine decreto alienari possunt; ut in harum alienatione non detur restitutio, nisi ob grande aliquod damnum, & evidentem utilitatem minoris, *l. Etsi sine. §. 1. l. Si res pupillaris De minor. & ibi gloss. & Bart.* & inter res immobiles; in quarum alienatione quælibet læsio, modò aliquod momentum habeat, ad restitutionem sufficit; quia facilitate suâ deceptus est, *d. l. Etsi sine §. quæsitum De minor. & ibi Alberic.* Quod tunc est, cùm rem, quæ pluris vendi
17 poterat, minoris vendidisse reperitur: † verum enim est, inconsultè cùm vendidisse, quod ad restitutionem obtinendam satis est, *l. Minor. 25. annis §. 1. De minorib.* Cùm etiam ob affectionem restitutio concedatur, *l. Si in emptionem De minor.* veluti si res avitas aut paternas temerè vendidit; interest enim etiam supra justam æstimationem eas retineri, *l. Si cui fundus De legat. 2. Pet Anchor. in c. Constitutus De restit. in integ.* atque etiam ob majus lucrum amissum, Panor. *in d. c. Constitutus.* Sic ut lex ob id permittat minori, ut restitutione impetratâ rem iterum ad licitationem deducat, *d. c. Quæsitum*: hoc enim verum est ejus interesse, rem venditam non esse, sive ob affectionem, sive ob probabile pretij incrementum & intentionem, *Ioan. Mauritius De restit. in integ. cap. 140.*

Neque in contrarium aliquid facit, quòd reus allegat hæc bona fuisse onerata reditibus, quos pater suus dequitaverit: hujusmodi onus expressim exceptum fuit in venditione, & ex pretio defalcatum; ut proinde non possit pretium ex eo augeri, sed diminui. Et quantum ad dequitationem attinet, hîc disputandum non est; cedet enim ea commodo ipsius Rei, qui utiliter gesto negotio, in locum creditorum (hoc est, quibus reditus ex dictis bonis debebantur) succedet, redituíque illos annuè percipiet, aut si in eo se fundatum putabit, poterit retentione uti post petitam hanc concessionem restitutionis, *l. Quod si minor §. pen. De minor. l. Vnica C. De reputat.*

Quâ ratione impediri quoque non debet hæc 18
restitutio per allegationem expensarum & meliorationum: nam melioratio restitutionem non impedit, ne tunc quidem, cùm vero curatore adhibito, venditio facta est; quamvis expensæ, quas bonâ fide emptor se fecisse probaverit, ei restitui debeant, *Expres. tex. in l. Intra utile §. vendentibus De minor.* de quibus postea demùm in reputationis & liquidationis judicio specialiter agendum erit.

In eadem conditione est allegatio solutæ partis pretij, centum scilicet florenorum, pro defalcatione & diminutione viginti florenorum annuorum:
* nam solutio & receptio pretij non impedit re- 19
stitutionem, sed venit in reputationem; prout etiam Actor satis obtulit, *d. l. Quod si minor §. pen. l. Patri §. item ex diverso, l. Si iudex De minor. d. l. unic.* & in officio judicis versatur, ut hoc restitui jubeat, *d. l. Si iudex d. §. item ex diverso*: sic ut reali aliquâ oblatione, vel consignatione, vel accepti pretij, vel expensarum opus non sit; cùm ex læsione, non ex oblatione perceptorum restitutio integri competat, † liberumque adhuc sit minori post obten- 20
tam sententiam restitutionis, restitutionem contemnere, & pretium retinendo contractum ratum habere, etiamsi Actor per judicem restituentem, ad restitutionem pretij condemnatus sit, *d. l. Si iudex.* † Receptio sanè hujusmodi pretij nihil ar- 21
guit contractus approbationem, sic saltem, quin restitutio adhuc adversus principalem contractum competat; non tantùm quia & illa facta est in minore ætate dicti Actoris, conjunctim scilicet tempore venditionis & transportationis: verùm etiamsi facta fuisset post lapsam minorem ætatem, durante adhuc petendæ restitutionis tempore: inspiciendum enim est initium, in cujus consequentiam venit, actus posterior, *elegans tex. in l. 3. §. Scio etiam De minorib.* † Vnde dicit Bartolus, *in d. l. 3.* 22
§. Si quis cum minore sub fin. si minor vendidit, & major factus tradidit, restitutioni locum esse: nam per hujusmodi receptionem non comprobatur antecedens factum, sed ex consequentia illius, in captatione & illius continuatione perseveratur, *gl. in V. restituendum in d. §. Scio etiam.*

Pariformiter non obest Actori ad petendam restitutionem redditum esse computum de pretio,

illudque conversum in solutionem æris alieni: cùm enim id contigerit durante adhuc minore ætate, non potest inde alienationis approbatio inferri, præsertim cùm in consequentiam venerit actus prioris, *d. l. Tutor urgentibus* De *minor.* & utilis conversio pecuniæ, restitutionem non impediat, *d. l. Si iudex d. §. Item ex diverso*; quia ad restitutionem pretij accepti semper tenetur & condemnatur, qui restitutionem petit integri.

Quamobrem omnibus hujus causæ angulis pertentatis, in ea fumus sententia, quòd Reverendus D. Abbas debeat prædictum contractum & transportum declarare nullum; & si quis fuerit, Actorem adversus eum in integrum restituere; Reo insuper condemnato prout in conclusione libelli per eundem actorem petitum existit.

De in integrum restitutione.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum pro minore & scholari.

1. *Minor adversus confessionem restitui potest.*
2. *Minor pro majore per statutum reputatus habet restitutionem integri.*
3. 8. *Forensis statutis alterius loci non ligatur.*
4. *Scholares statutis laicorum non ligantur.*
5. *Confessio iudicialis an & quando revocari possit.*
6. *Confessio procuratoris an noceat domino, & an revocari possit.*
7. *Confessio geminata revocari non potest.*
9. *Sequentia deteguni præcedentia.*
10. *Restitutio in integrum ubi petenda.*
11. *Restitutio in integrum exceptive quocunque loco peti potest.*

CONSILIVM LIX.

DVBITAVI, an iterum manum adhibere deberem causæ, quam Dominus Carolus Nicquet Reus, & in hac quarta instantia Appellans defendit, adversus Ioannem Malierbo originalem Actorem, & in secunda ac tertia instantijs Appellantem: propterea quòd tribus distinctis consultationibus justitiam defensionis dicti Domini Caroli, & injustitiam intentionis præfati Ioannis ita deduxisse mihi persuadeam, ut ad pleniorem deductionem nihil desiderari possit. Sed quoniam ab homine juvene, cujus judicium & ingenium nondum satis maturuit, nec ad juris judicandi peritiam adhuc occalluit, video duas priores conformes sententias, à viris ætate, judicio, eruditione, atque integritate præstantissimis, secundùm præfatum D. Carolum latas, sic tractatas & prosciissas esse, ut non satis constet, errore & imperitiâ, an gratiâ aut sordibus sic lata sit tertia, à qua postremò provocatum est, sententia, non detrectabo causam rursus ad incudem revocare. Summatim tantùm refricabo, quæ prioribus nostris responsis scripsimus; videlicet inprimis de Actoris intentione (quod scilicet Reo per Catharinam Malierbo impositum sit onus fidei commissi de dimidia parte mobilium bonorum) nullam extare directam probationem, vel per instrumenta, vel per testes, quinimò præsumptionem contrarij vehementissimam, imò certissimam facere instrumentum donationis, quam mortis causâ eadem Catharina Malierbo pridie suæ mortis fecit; quâ Reo omnia sua bona, etiam mobilia, simpliciter & absolutè donavit, nullâ alicujus fideicommissi factâ mentione. Et quamvis hujusmodi probationem Actor conficere conatus sit ex aliqua confessione ipsius Rei, ijs tamen testibus ad hoc usus est, quibus vir bonus in re tam gravi & ancipiti, meritò fidem adhibere non debet; ut qui domestici fuerunt & familiares ipsius Actoris: † cùm alioqui adversus hujusmodi confessionem Reus se in integrum, quatenus opus foret, restitui petierit, & secundùm terminos juris restitui debuit, *l. Certum §. minorem* De *confess. Bart. & Bald. in l. Eum qui* De *iureiur. Io. Mauritius trad. de restit. in integ. c.* 152. prout etiam per primam sententiam, in quantum opus esset (revera enim opus non erat) hujusmodi restitutionem obtinuit. 1

Quo factum est, quòd Actor potestatem juris circa dictam restitutionem integri perpendens, omnem conatum suum in secunda & tertia instantijs converterit ad tollendum ea omnia, quæ restitutioni locum facere possent, constituendo & faciendo inprimis ipsum Reum majorem, non per naturalem ætatem; cùm in actis extet Actoris confessio, quòd Reus minor viginti quinque annis tempore, quo hujusmodi confessio facta prætenditur, fuerit: sed per repræsentationem consuetudinis Namurcensis, ubi hæc asserta confessio facta dicitur. Quæ tamen restitutionem integri impedire non potuit: * hujusmodi enim consuetudinaria vel statutaria repræsentatio hoc tantùm facit, ut contractus, cum sic per repræsentationem majore instus non sit ipso jure nullus; qui nullus seu inefficax esset, non interpositâ tutoris seu curatoris auctoritate, *Doct. in l.* Puberes De *verb. oblig.* sed tamen non impedit restitutionem integri adversus actus hujusmodi majoris, si per eos læditur, *Gloss. & Bald. in l. un. C. Si de moment. possess. & in l. Exigend. C. De procur. Lud. Roman. cons.* 90. *Viso themate. Boer. Decis.* 131. *nu.* 20. Cùm alioqui etiam dictę consuetudinis plena probatio confecta non sit per demonstrationem exemplorum, aliaque, quæ ad consuetudinis, præsertim juri communi adversantis, plenam probationem requiruntur. *Doct. in l. De quibus legib. & in l. 1. & 2. C. Quæ sit long. consuet.* 2

Quæ etiamsi plenissimè probata esset, in hoc casu adversus Reum obtinere non posset, ob id, quòd forensis hujusmodi statutis, quibus persona alioqui ad validè contrahendum inhabilis, contra terminos juris communis habilitatur, non subijciatur, *Alex. Cons.* 41. *Visis quæ subtiliter nu.* 5. *vol.* 5. *& Cons.* 111. *Videretur prima. nu.* 6. *vol.* 7. *Iason. cons.* 48. *Vt veritas. in fine vol.* 1. potissimùm si privilegiata persona sit vel ex ordine, ut Clerici, *Lapus allegat.* 101. *In civitate Florentiæ. Bald. in l.* 1. C. *De sum. Trin. & fide Cathol.* vel ex alia favorabili causa, ut scholares; quos laicorum statutis obnoxios fieri æquum non est, *Rebuff. de privil. scholarium. privil.* 31. 155. & 156. Scholarem autem Vniversitatis Lovaniensis tempore dictæ assertæ confessionis, ante ac post, atque etiam petitæ restitutionis, fuisse Reum, & in eadem Vniversitate, usque ad diem petitæ restitutionis, pro majore parte anni resedisse, Actor apertè confessus est: quam confessionem quia ad extremum sibi obstare vidit propter prædictam juris 3

rationem

rationem (secundùm quam scholares statutis laicorum non ligantur, sed subjiciuntur statutis loci studij sui) ad palinodiam confugit; revocando in præcta tertia instantia prætactam suam confessionem, ultra triennium prius judicialiter factam.

5 Magna sanè improbabilitate; tum ob id, quòd hæc confessio pro parte Rei fuerit acceptata; tum quòd ex tam longo intervallo, quæ judicialiter facta est revocari non possit, *Baldus ad Speculat. in tit.*
6 *de confess.* * & quòd confessio procuratoris per viam contentiosæ jurisdictionis facta, statim domino noceat, *Doct. in l. 2. §. quod observari C. De iureiur. propter calum. & in l. Certum §. sed an & ipsos De confess.* præsertim postquam effectus est per litiscontestationem dominus litis. Ex necessitate enim officij respondere tenetur ad exhibitas partis adversæ positiones; quod bona fide faciendo domino omninò præjudicare debet, *eleganter Bald. in l. 1. nu. 3. C. De confess. Philippus Corneus consil. 17. Videtur in*
7 *hac n. 5. vel. 4.* † Potissimùm quia hæc confessio plus quàm geminata sit, quatenus ex libello Actoris in prima instantia exhibito constat Reum positivè allegasse & allegando confessum esse, *l. Cum precum C. De liberali causa*, quòd non tantùm tempore institutæ litis, sed etiam diu ante illam institutam fuerit scholaris, & suppositum dictæ Universitatis; quod etiam ex immatriculatione ejusdem Rei diu antecedente probatur & per publicum instrumentum constat: ita ut propter geminationem confessionis, revocandi potestas omninò alijs etiam cessantibus, sit impedita, *l. In contractibus, & ibi Doct. C. De non num. pec.* & ab extremis argumento ducto, præsumenda sit medij temporis continua pro majore parte temporis residentia, *c. Quia 28. distinct. l. Sed etsi §. solennis De hæred. instit.* probato scilicet initio per immatriculationem seu intitulationem; probato quoque, quòd tempore institutæ litis Reus in hac Universitate resederit.

Unde non potest ad Reum, saltem ratione hu-
8 jus loci forensem, laicale hoc statutum porrigi; quia ut extra territorium suum nemo jus dicit, & extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *l. ult. De iurisd. om. iudic.* ita quoque laicalia statuta vel consuetudines extra locum statuentium, aut consuetudinem introducentium, in personas alterius jurisdictionis, vim aut effectum suum non exercent, *c. Ecclesia, S. Mariæ De constit. l. Neque C. Qui dare tut. poss. DD. in c. per venerabilem Qui fil. sint legit. & in l. Cunctos populos: C. De sum. Trinit. & fid. Cath.* Et cessante hâc consideratione, non potest videri Reus ibi forum aut domicilium contraxisse, vbi ex causa ad tempus tantùm fuit, propter necessaria negotia; veluti propter funus & exequias aviæ; propter res domus mortuariæ, quæ ad eum hæredem in effectu ex asse institutum pertinebant: sic quod non possit dici desijsse habere animum residendi Lovanij, aut eo revertendi; ad id enim demonstrandum oportuissent docere, quòd se & sua Lovanio transtulisset. Quod in proposito tanto minùs dici potest, propterea quòd constet Reum Lovanium esse reversum, & tempore litis inchoatæ ibi deprehensum, & in qualitate scholaris per
9 Actorem conventum † ex sequentibus enim detegitur & deprehenditur quis fuerit animus & intentio antecedens *l. Servus qui bona fide §. fin. in fine De acq. rer. dom. l. Naturalem §. cervos eod. tit. Ang. & Imol. in l. Qui non militabat §. 1. De hær. instit.* cùm alioqui per absentiam annalem, etiam continuam, jus aut privilegium scholaritatis non amittatur.

Proinde quoquo res vertatur, nihil est, quod petitioni restitutionis integri in hoc articulo ex omnibus, quæ actor accumulat, obstare possit:

† & ne hoc quidem, (quod tamen Actor non al- 10
legat, sed exactè cogitanti scrupulum facere possit) quòd hæc restitutionis petitio non sit facta coram judice Actoris; uti generaliter restitutio in integrum facienda est coram judice illius, contra quem restitutio petitur, *l. 2. C. Vbi & apud quem cog. in integ. rest. agi poss.* Nam non obstinet id in scholaribus, & qui clericorum privilegio gaudent, *Rebuff. locis supra citatis. Horat. Lucius in tract. de privileg. scholarium, privil. 2.* quos constat posse beneficium restitutionis adversus alios coram suo judice proponere, *Ant. de Butrio in c. Constitutus De in integr. rest. additio ad Bart. in l. Hæres absens §. proinde De iudic.*† Cùm alioqui etiam nihil vetet, quin per viam 11
exceptionis coram suo judice restitutionem proponere possit, qui ab eo, adversus quem competit beneficium restitutionis, in judicio convenitur: cùm generaliter verum sit, incidentem articulum restitutionis in integrum definiri posse per eum, qui alioqui principaliter & directò propter restitutionem adiri non posset, *c. Causa De in integ. rest. Fulgos. in l. ult. nu. 3. C. Vbi & apud quem &c. Doct. in d. l. 2.*

Quamobrem concludimus, retractandam esse hanc Domini Officialis Namurcensis parum exacto judicio latam sententiam, & duas priores secundùm limites petitionis in secunda instantia propositæ confirmandas, Actoremque in expensis omnium instantiarum simpliciter condemnandum. Quòd Reverendum Dominum judicem propensiorem futurum speramus, quòd Actor legitimè secundùm statuta Universitatis à secunda instantia non appellaverit, ideoque per Dominos Judices appellationum declaratum sit, quòd eorum sententia transierit in rem judicatam, tamquam desertâ appellatione per defectum legitimæ & solemnis appellationis; cui statuto non constat Pontificem in suo rescripto Officiali Namurcensi præsentato derogasse; cùm neque id petitum, neque dispositivè in eodem rescripto cautum inveniatur: certum autem est quod appellans in appellando sequi debeat statuta & formam loci, ubi de causa cognitum & judicatum est, etiamsi appellans alterius fori sit. Dd. *in d. l. Cunctos populos Lud. Roman. cons. 8. Visis mihi.*

De in integrum restitutione.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum.

1. *Restitutione in integrum pendente continuanda redituum annui solutio.*
2. *Restitutionis causâ pendente quando non impediatur negotium principale.*

CONSILIVM LX.

Improbabilis est oppositio Domicellæ Catharinæ Vallet, adversus Immannum Claessen, quâ propter causam restitutionis in integrum

adversus

adversus aditam hæreditatem indecisè pendentem, laborat subterfugere continuationem solutionis reditus per quondam Petrum Balzam dictæ Catharinæ priorem maritum præfato Immanno pro-
1 missi * quasi causâ restitutionis pendente nihil innovandum sit, *l. 1. C. In integ. rest. postulata &c.* Nam in contrarium versâ dictâ juris regulâ, faciendâ omninò est dictæ solutionis continuatio; quia denegare solutionis continuationem in reditu per annos reiterabili, verè est attentare in præjudicium litis, *c. Suscitata De in integr. restit.* idque in praxi servari testatur Rebuffus, *in tract. de sent. execut. art. 7. gloss. 10. nu. 3. & in tract. de restit. art. 1.*
2 *gloss. 1. nu. 43. ad ord. Regius.* * Quod in proposito casu certius dici potest, ob id, quòd restitutionis materia eo loco sit collocata, ut magna sit præsumptio contra illam; tum quòd ex narratione dictæ Catharinæ constet eam etiam ab initio & vivo marito suspectas habuisse mariti facultates; ex eo, quòd narret maritum facultates etiam uxoris ampliſſimas distraxisse. Sic quòd meritò debuisset ab initio deliberare aut per inventarium sibi consulere, & adeundo hæreditatem bonis sese non immiscere jam major annis effecta, *l. Si mulier ad S. C. Velleian. l. Si mulier De minorib.* tum quòd hæreditatem diutius retinuerit, *l. Juris ignorantiam & ibi Jas. Roman. & alij C. Qui admitti ad bonor. possess. poss.* & Immanno duorum annorum pensiones solverit, partemque sortis seu capitalis, diminuto pro parte reditu, restituerit: & sic in effectu fidem obligationis agnoscendo hæreditarium creditum proprium effecerit: & denique quòd hæc solutio sit reiterabilis & retractabilis, ita quod cautione per Immannum præstitâ, finito restitutionis judicio dictæ Catharinæ satis provisum erit, si secundùm eam judicabitur, *Steph. Aufrerius decis. Tholos. 54. in fin. addit.* Neque prædictis obstant literæ attentatorum, tum quòd debitæ executioni mandatæ non sint; tum quòd non loquantur de sistendo cursu alicujus reditus, sed de suspendendis causis originem habentibus ex hujusmodi debito, cujus unica solutio totam obligationem perimit; tum etiam quòd partis oppositionem & contradictionem admittant: quæ ut supra dictum est in proposito casu benè de jure fundata est, ita quod nullum sit Immanni attentatum.

De Arbitris.

SVMMARIVM.

Arbitrium.

1. *Expensarum quæstio finitâ lite non est refricanda.*
2. *Compromissum solvit antecedens judicium.*
3. *Compromissi forma servanda.*
4. *Arbitrium compromisso insertum personam arbitri non egreditur.*
5. *Arbiter ore proprio sententiam dicere debet.*
6. *Instrumentum publicum est probata probatio.*
7. *Notarius publicus præsumptionem juris pro se habet.*
8. *Instrumentum an testibus contrarium dicentibus credendum sit.*

CONSILIVM LXI.

NVLLITAS sententiæ D. Conservatoris decimâ octavâ Martij, anno 1562. latæ inter D. Henricum Matthæi Appellantem & Ægidium Schellekens Appellatum ex pluribus causis demonstrari potest. Et primò quidem, quòd Dominus Conservator super controversia & quæstione expensarum utriusque litis, tam conventionalis quàm reconventionalis, judex competens non fuerit. * Nam etsi utraque causa coram eo cœpta 1
fuerit inter dictas partes; transactione tamen utraque extincta fuit decimâ sextâ Aprilis anno 1561. ita ut sine nova instantia, sine novo citatorio, aut saltem sine compromisso partium, ad D. Abbatem causa reduci non potuerit; neque etiam finitâ lite de expensis generaliter queri, *l. Terminato C. De fruct. & litium expens.* † Et quamvis in dicta concordia 2
seu transactione super principali sit facta protestatio, ac reservatio quoad expensas; quo casu etiam post transactionem ad eundem judicem propter expensas iri, & condemnatio expensarum fieri potest, *Guid. Papæ decis. 55. Silite pendente in fin.* constat tamen in proposito quòd partes ad Dominum Abbatem reverti noluerint, sed super expensis in momento factæ concordiæ compromiserint in Advocatos suos; quodque certo tempore post, videlicet 28. Octobris tunc proximè sequentis, ab eo compromisso recessum sit, alio compromisso facto in M. Theodoricum Peelmans. Solvitur enim judicium per subsequens compromissum; liberaque est potestas, omissâ viâ ordinarij judicij, ad arbitrium seu compromissum confugere; eoque iterum omisso ad judicem redire, *l. Sed etsi in servum in fine 2. ll. sequent. De recept. arbit.* sed stante compromisso, invitâ alterâ parte, sine pœna id fieri non potest, *l. Si quis rem De recept. arbit.* Cùm igitur non constet vel utramque vel alterutram partem ab arbitrio seu compromisso in personam M. Theodorici Peelmans facto recessisse, causamque coram dicto Domino Conservatore rursus introduxisse, neque ad introducendum specialiter procuratores constituisse, consequens est, quod nullitatis vitio infecta sit appositio manus Domini Conservatoris per dictarum expensarum condemnationem, quarum definitio & arbitrium delata erant ad M. Theodoricum Peelmans.

Nec ad sustinendum eam condemnationem 3
quicquam facit, quod in ea dicatur, factam eam esse ex relatione sui Assessoris; quia in arbitrio seu laudo, forma compromissi servanda est, nec aliud licet arbitro, quàm quod ut efficere possit, compromisso cautum est, *l. Non distinguemus §. de officio. De recept. arbit.* † ita ut sententiæ sive arbitrij pro- 4
nuntiationem in alium non possit reijcere, *d. l. Non distinguemus §. quæsitum est*: in compromisso enim arbitrium personæ insertum, personam non egreditur, *l. In compromisso De recept. arbit.* † imò nec hoc 5
permittitur arbitro, ut sententiam suam litigantibus in scriptis tradat, si non ipse priùs illam proprio ore recitaverit, *l. 1. C. De sent. ex brevi recitan.* Quinimò non valet arbitrium seu compromissum, ut quod uni placet seu justum videtur, alter pronunciet; quia sic non est libera facultas sententiæ, *l. Si unus §. inde Pomponius De recept. arbit.* Quod quidem vitium non eluitur verbis assertivis in dicta sententia Domini Abbatis insertis, quibus idem Abbas asserit partes articulum condemnationis expensarum litis sibi reliquisse decidendum ad

relatio-

relationem sui Assessoris: quia huiusmodi judicis assertioni fides veri decisi; cùm ex instrumento compromissi, quod prioribus actis alligatum inventur, & in hac instantia formaliter repetitum, conspiciantur duo compromissa, per quæ semper recessum est a persona Domini Abbatis; prius videlicet in Advocatos causæ; posterius pure & simpliciter in M. Theodoricum Peelmans, nullâ Domini Abbatis factâ mentione: quod quidem posterius compromissum idem M. Theodoricus etiam ita simpliciter in se suscepisse reperitur, cum promissione de pronuntiando laudo secundùm jus & conscientiam, secundùm qualitatem causarum; sic quod susceptum arbitrium, & promissam pronuntiationem in alium reijcere non potuerit, sed per se etiam invitus arbitrari debuerit, *l. Idem Pomponius §. recepisse De recept. arbit.*

Quæ præmissa non conturbantur ex eo, quod allegatur partes præsentes causæ communi consensu petivisse, ut Dominus Abbas ad relationem sui Assessoris sententiam de expensis diceret; quia id manifestè falsum esse ostendit tenor publici ac notarialis instrumenti compromissi, in quo nullum
6 est verbum de Domino Abbate; † ita ut cùm hoc instrumentum sit publicum, habens omnia sua solemnia ac substantialia, pro probata probatione & indubitata fide haberi debet, *Bald. in l. Imperator 8. De statu hom. & in l. Interest nu. 2. C. De solut.* eique tam diu stari ac fides adhiberi quàm contrarium liquido probatum sit; præsumptione scilicet juris pro instrumenti fide stante, *l. cum precibus & ibi* DD.
7 *C. De probat.* * Est enim pro Notario (qui bonæ famæ est, ut in proposito accidit) præsumendum, propter officium publicum, *Guid. Pap. decis. 540.* quod præsumitur benè ac fideliter exercere *c. Ad audientiam De præsumpt. Alciat. in tract. præsumpt. reg.*
8 *3. c. 14.* * eaque est sententia Speculatoris, *in tit. De testibus §. 1. vers. sed pone ecce iudex, & in tit. De fide instrum. §. testat vers. quid si dum attestationes*, & aliorum ferè omnium *Cyn. Ang. Saliceti & aliorum in l. Si quis decurio Ad L. Corn. De falsi. Iud. Roman. in l. 1. in fine. De verb. oblig. Socin. in fallen. reg. 421.* traditio; quæ indubitatè obtinet, cùm instrumentum contradictionem non patitur ab omnibus testibus instrumentarijs, sed ab uno aut altero tantùm; dummodò tot remaneant, qui remotâ vel conjunctâ personâ Notarij, testes repugnantes, aut contradicentes numero vel superent vel adequent: tunc enim instrumento potius, quàm contrariantibus testibus standum est, *Imola & alij in c. Cum Ioannes De fide instrum. Ph. Corn. cons. 219. Licet videatur dicendum nu. 8. vol. 1. Decius cons. 101. Pro tenui facultate sub fin.* Vnde in re subjecta, cùm non extet contraria depositio alterius testium instrumentariorum, stat pro Notario authoritas ac fides publica; quæ coadjuvata uno teste, prævalere debet duobus instrumentarijs contradicentibus, multò magis uni tantùm, *Decius d. cons. 101. nu. 2. vers. quarto considerandum, Cravetta cons. 56. n. 7.* Atque ita quia Domino Abbati nulla competit jurisdictio super ista expensarum controversia, evidens exurgit nullitas sententiæ per eum latæ; quæ & prorsus inemendabilis, cùm nulla sit major nullitas, quàm quæ ex defectu jurisdictionis consurgit, *l. ult. c. Si a non compet. iud. Bald. ad Rub. C. eod. tit.* Vt proinde secundùm conclusionem seu petitionem dicti Appellantis omninò judicandum sit.

De judicijs & foro competen.

SVMMARIVM.

Episcopalis jurisdictio.

1. *Clausularum derogatoriarum potestas.*
2. *Privilegiorum revocatio quando assumenda.*
3. *Dispositio quælibet intelligitur rebus sic stantibus.*
4. *Translatio Ecclesiæ non tollit eius privilegia.*
5. *Erectio regularis Ecclesiæ in collegiatam secularem.*
6. *Intellectus Concilij Tridentini* in cap. 4. sess. 6. De reformat.
7. *Dictio etiam est augmentativa.*
8. *Prælatorum receptio & admissio sine onere fieri debet.*
9. *Decisio Sacræ Congregationis Cardinal. super c. 6. Sess. 25. De reform. Conc. Trident.*
10. *Capituli nomine In Concil. Trident. qui intelligantur.*
11. *Causæ Ecclesiasticæ quæ?*
12. *Decisio Sacræ Congreg. Super Conc. Trident. c. 20. Sess. 24. De reform.*
13. *Delictum idem sæpius puniri non debet.*
14. *Recusatio iudicis ordinarij difficilis est.*
15. *Obedientiæ iuramentum cui & quando præstandum.*
16. *Iudex ordinarius quis sit.*

CONSILIVM LXII.

IN causa arbitrali pendente indecisâ coram Reverendissimo Domino Gisseno De Voerde, Episcopo Salubrienſi, in Pontificalibus Suffraganeo Archiepiscopi Mechlinienſis, nec non Dominis Assessoribus illi adjunctis, inter Reverendissimum Dominum Episcopum Buscoducenſem ex una, & Commissarios seu procuratores Capituli sui Cathedralis Buscoducenſis ex altera partibus, tam multa utrimque deducta, producta, reproducta sunt, ut nihil prætermissum videatur, quod ad sustinendam justificandamque intentionem utriusque partis pertinere possit. Cæterùm quia res magni momenti est, atque ad exemplum pertinet, pro avertenda occasione novarum controversiarum in posterum, non erit inconveniens ea, quę præcipua sunt, brevi repetitione comprehendere, atque oculis dominorum judicantium subijcere.

Ex quibus primum & principale caput esse videtur, an adversus novam erectionem Episcopatus Buscoducenſis privilegia & exemptiones dicti Capituli valeant, & contra illam in præjudicium ordinariæ jurisdictionis Episcopalis, vim & firmitatem habere debeant? Quod procuratores Capituli magno molimine sustinent; quoniam proferuntur diplomata Apostolica, pridem omnibus secundarijs Ecclesijs diœcesis illius, sub qua dictum Capitulum olim fuit, indulta; quibus dictæ Ecclesiæ & earum suppositа ab omni superioritate & jurisdictione Episcopi sui diœcesani, nec non quorumcumque aliorum Archiepiscoporum & Episcoporum, illorumque vicariorum & Officialium, atque aliorum ordinariorum Iudicum exempta & libera declarantur. Quæ quidem privilegia sicut alijs

secun-

secundarijs, sustinet Capitulum salva manere & perdurare debere, nec per dismembrationem aut erectionem novi Episcopatus, subversa aut immmuta videri. Quamvis ex altera parte, si singula rectè ponderentur, ac scopus & intentio summi Pontificis ac Regiæ Catholicæ Majestatis, nec non verba dictæ novæ erectionis penitiùs inspiciantur, majore probabilitate & ratione sustineri posse videatur, illa privilegia secundariarum Ecclesiarum huic novæ erectioni non obstare, & ad impediendam ordinariam jurisdictionem Episcopi Buscoducensis nihil virium habere. Nam licet propter amplitudinem veterum Episcopatuum, atque locorum distantiam, justum olim fuerit singulis Collegijs jurisdictionem propriam attribui, ac facultatem visitandi corrigendique indulgeri: postea quam tamen Sanctitas sua dignum, imò debitum judicavit, inferioris Germaniæ partem, quæ Regi Catholico paret, propagatione novarum sedium, venerabiliumque Præsulum assistentiâ & regimine decorari, cessant prædicta incommoda & impedimenta, quæ ex locorum distantia alijsque causis olim provenerunt; ità ut cessante causâ dictorum privilegiorum & exemptionum, dum quælibet propemodum insignis Ecclesia proprium Episcopum habere cœpit, meritò etiam cessare debeat ipsa illa privilegiorum concessio, *c. Cum cessante De appellat.* Et eam fuisse voluntatem & intentionem ipsius Pontificis prima verba dictæ erectionis ostendunt, quibus continetur, *plantationem novarum sedium fieri, ut populis augeatur devotio, divinus cultus efflorescat, & animarum ipsarum salus subsequatur; populique, ipsi venerabilium Præsulum assistentiâ, regimine & doctrina suffulti, spiritualibus proficiant incrementis; hæreticorum fraudes & insidiæ excludantur.* Quæ omnia inania forent, & impediretur officium, ob quod novi Episcopi instituti sunt, si vetera illa exemptionum privilegia remanerent: quod perabsurdum esset, & contrarium intentioni Pontificis; quæ deprehenditur non solùm ex verbis illis præmij, verùm etiam ex parte dispositiva, in qua *ex certa scientia & Apostolicæ potestatis plenitudine oppidum Buscoducense cum alijs in civitatem erexit*, atque in ea sic erecta Ecclesiam Sancti Ioannis Apostoli priùs collegiatam & secundariam, in Cathedralis Ecclesiæ formam redegit, ac jurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia & singula, quæ ad ordinem & jurisdictionem, ac munus Episcopale pertinent in ea exerceri præcepit. Quod stare non potest; si per veteres exemptiones jurisdictio omnis apud Capitulum remaneat, & ipsum potestati Episcopi sui subtrahatur, ut multis rationibus prætendunt dicti procuratores: simpliciter enim & absolutè absque ulla limitatione vel restrictione in bullis erectionum, unicuique Episcopo jurisdictio & authoritas datur in suam Ecclesiam & suos diœcesanos, quatenus ipse Pontifex disertis verbis civitates, diœceses, clericos, & populos, quod ad ordinariam Episcopalem jurisdictionem & potestatem attinet, suis ipsorum qui pro tempore fuerint Episcopis subjectos esse decernit: *Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac prædictarum & quarumvis aliarum Ecclesiarum, nec non monasteriorum & Ordinum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus; privilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis Ecclesijs, Monasterijs, Ordinibus, Archiepiscopis, Episcopis Capitulis & alijs Prælatis, & quibusvis alijs sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs aliisque efficacioribus efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis etiam motu proprio & ex certa scientia ac consistorialiter concessis ac etiam iteratis vicibus confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita ad hoc forma servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum suis literis inserta fuissent pro sufficienter expressis & insertis haberi voluit; illis alias in suo robore permansuris, eâ vice dumtaxat suarum literarum serie specialiter & expressè derogavit; illaq; adversus præmissa suffragari nullo modo posse seu debere decrevit, cæteriscq; contrarijs quibuscumque.* Quæ manifestam omnium adversantium privilegiorum derogationem continere videntur: non solùm quia per posteriorem constitutionem derogatur præcedentibus privilegijs *clem. Dudum De sepult. c. fin. circa fin. De sentent. excommunic. lib. 6. c. Vt officium De hæret. eod. lib.* * verùm etiam quia verbis prædictis continentur urgentissimæ & specialissimæ clausulæ derogationum quorumlibet statutorum, & privilegiorum ex quibuslibet causis & cum quibusvis clausulis concessorum; & præterea derogationes illæ inducuntur ex publica causa & utilitate universalis Ecclesiæ, per dispositionem, quæ habet vim legis generalis; & cujus ea est virtus, ut absque speciali & individua expressione privilegiorum in contrarium militantium mutationem inducat, *Steph. Aufrerium decis. Tholos. 444. Nic. Mulis in suo repertorio §. lex, versic. legis vim obtinet*; præsertim propter utilitatem publicam totius Ecclesiæ. Patienter enim illi qui læduntur, tolerare debent incommodum proprium, si per hoc utilitas Reipub. augeatur; *l. Postliminium §. filius ff. De capt. & postl. reversis. l. Minimè De religios. & sumpt. funer.* quia constitutio propter bonum publicum edita, præponderat utilitati privatæ, *c. Licet De regular. & c. Si diligenti. De foro compet.* † Adeò ut hic meritò obtinere debeat regula ab Interpretibus tradita, Quandocumque constat de mente Pontificis derogare volentis priori privilegio, sufficere, ut privilegium illud censeatur revocatum, quibuscumque verbis summus Pontifex utatur, *Freder. De Senis cons. 233. Casus talis est. Lud. Roman. cons. 335. in ult. col. Felin. in c. Nonnulli nu. 7. & 8. De rescript.* & eo proclivius, quòd Pontifex in erectionis bulla non solùm derogaverit obstantibus privilegijs, sed eo amplius prætactam Ecclesiam collegiatam seu secundariam in Cathedralem erexerit, & jurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia & singula, quæ ad ordinem, jurisdictionem, ac munus Episcopale pertinent, in ea exerceri præceperit; erecto atque instituto omninò novo Episcopatu ad reformationem Ecclesiæ, & pro bono publico; reducendo rem ad jus commune & pristinum statum & primævam suam institutionem, quæ proinde per antiqua illa & odiosa exemptionum privilegia impediri non debet: nam quæ de novo emerguat, novo indigent auxilio, *l. De ætate §. ex causa De interrogator. act.* & propter temporum varietatem, variant humanæ constitutiones, *c. Sciendum 29. Distinct.*

1

2

Distinct. c. Non debet De consang. & affinit Nec debent exemptionum illa privilegia extendi ultra suos limites, *c. 1. in princ. De privil. lib. 6.* nec aliter intelligi aut accipi, quàm rebus sic stantibus & in pristino statu remanentibus, *l. Quod Servius & ibi*
3 *DD. De condict. causa data*; * ut generaliter in verbis dispositivè relatis ad certam personam vel rem subintelligitur ea conditio, *si res perseveret in eodem statu, l. Cum quis & ibi Castren. & l. Si cum Cornelius De solutionib.* Vsque adeo, ut qualitas superveniens rei vel personæ, efficiat, quòd dispositio præcedens cesset in illa re vel persona; & concessiones Principum referantur tantùm ad statum præteriti temporis, & non ad mutationem, quæ postea inducitur, præsertim pro bono publico, & ex auctoritate Sedis Apostolicæ, *c. Venientes. De iureiur.* per quam manifestum est, veterum Ecclesiarum statum prorsus mutatum esse, ac novas diœceses constitutas; ita ut cesset hîc omnis successionis & surrogationis consideratio, propter noviter erectum & institutum Episcopatum datâ novâ formâ & lege, ex qua omnia hoc tempore metiri convenit. Neque enim præcedentia privilegia exemptionum adversus diœcesanos Episcopos, aliosque superiores, qui tunc erant, obtenta, videri possunt concessa etiam adversus proprium Episcopum postea creatum & institutum, atq; in Ecclesia sua residentem; ne privilegium limites suos egrediatur, vel extendatur ad personam, de qua tempore impetrati privilegij non fuit cogitatum, *c. Cum personæ De privileg. in 6. l. Si unus §. ante omnia De pactis.* aut illi applicetur & prosit, cui non fuit concessum: quod fieret in specie proposita, si exemptio olim Collegiatæ & secundariæ Ecclesiæ Buscoducensi data, nunc ad exclusionem proprij Episcopi, & ad impediendam ordinariam illius jurisdictionem integra esset Cathedrali Ecclesiæ, potestateaquam veteri nomine & qualitate derelicta, novam prorsus formam accepit, & Cathedralis titulo decorata est, mutatâ formâ veteris status; ita quod Capitulum ab usu veteris exemptionis excludatur respectu novi Episcopi, quem Pontifex in Ecclesia illa Cathedrali jurisdictionem & omnia, quæ sunt auctoritatis Episcopalis, ex-
4 ercere voluit. † Nam quamvis (ut ad veri investigationem nihil prætermittatur) regulariter cùm Ecclesia auctoritate superioris transfertur ad alium locum, vel alij unitur, retineat propria privilegia, *Innoc. in cap. 1. Ne sede vacante & in c. 2. De novi oper. nunc.* sicut de ijs dicitur, quæ Regno vel provinciæ adijciuntur, *Bart. & alij in l. Si convenerit. §. si nuda. De pignor. act. Alexand. consil. 140. Circa primum vol. 5.* id tamen, ut Innocentius innuit, *d. cap. 1. in princ.* non semper procedit, sed attendendus est tenor privilegij; quod in dubio cessat, si cum principali dispositione, & nova forma, quæ inducitur, non possit commodè consistere; aut Ecclesia simpliciter alteri subijcitur, mutato priore titulo & nomine.

Quin quod propiùs ad decisionem præsentis causæ facit apertè scribit Innocentius, *in d. c. 1. Ne sede vacante*, quando de uno ordine fit translatio ad alterum, illud quòd transfertur sumit naturam illius, ad quem transfertur; ita quod prioris qualitatis consideratio cesset. Quod magni faciendum est: nam cùm Ecclesia, de qua hîc agitur, non solùm novo Episcopatui per S. dem Apostolicam subjecta sit, derelicto priore nomine & titulo, verùm etiam mutato statu & ordine, Cathedralis effecta sit; ratio nulla permittit usum veteris exemptionis ad impediendam jurisdictionem Episcopalem, & enervandam totam dispositionem Summi Pontificis pro utilitate publica institutam.

Adversus quæ nihil urget præjudicium, quod ex sententia judicis ordinarij, pro alia Ecclesia Collegiata & exemptione illius ab ordinaria Archiepiscopi sui jurisdictione latâ objiciatur, *vide infra consil. 64.* nam præterquam quòd præjudicijs seu exemplis judicandum non sit, *l. Nemo C. De sent. & interlocut. om. iud.* evidens ratio discriminis inter inferiores Collegiatas, & eas, quæ per hujusmodi novorum Episcopatuum erectiones ex Collegiatis in Cathedrales sunt erectæ, constitui potest; quia illæ inferiores, cùm priorem statum retineant, nec mutationem aliam senserint, quàm ipsius diœcesiôs, faciliùs omnia pristina jura retinere possunt. Ita ut quemadmodum ex interpretatione & statuto Ioannis vicesimi secundi, *in c. Ad Apostolatus De concess. præb. in Extravag. Ioan. XXII.* qui celebris illius Episcopatus Tholosani divisionis in unam Metropolitanam & quinque Cathedrales Ecclesias & diœceses author fuit, *c. Salvator. De præben. in Extravagan. communib.* Prælati & subditi decisarum Ecclesiarum seu separatarum ab antiquis seu primarijs Ecclesijs prohibentur impedimentum facere his, qui in antiquis seu primarijs Ecclesijs remanentes, quo minùs jura & jurisdictionem, quæ priùs in decisis diœcesibus habebant, exerceant, si modò id quoque in divisionum hujusmodi literis Apostolicis expressè non caveatur; ita quoque æquum non videatur, quòd Prælati decisarum diœcesium alijs Ecclesijs & corporibus Ecclesiasticis suas jurisdictiones, jura, vel privilegia, quæ bulla erectionis expressè non aufert, vel turbent vel auferant: nam divisio, ut inquit Guilielmus de Monte Lauduno, *in c. Sedes Apostolica De concess. præben. in Extravag. Ioan. XXII. ad V. remansissent*, operatur tantùm effectum, pro quo facta est, nec ad alia se extendit, nec in alijs casibus præbet præjudicium alicui, seu juvamen; ita enim fieri intelligitur locorum ordinatio, ut singulis sua jura inviolata serventur, *c. Quia monasterium in fin. De relig. domib. Petr. Rebuffus in praxi benefic. part. 2. tit. De erectione in collegiatam.* At verò quæ ex Collegiata in Cathedralem erecta est, non tantùm communem illam qualitatem diœcesis, sed præterea conditionem propriam mutat & alterat, illam deponendo, quæ dicitur causa exemptionis, aliorumque hujusmodi privilegiorum: ita ut cùm Ecclesia ista, de qua hîc quæstio, desierit esse Collegiata & secundaria, effectaque sit Cathedralis & primaria, non rectè amplius usurpare possit Collegiatis & secundarijs Ecclesijs concessa privilegia; ut privilegij causa cessante, cesset quoque ipsum privilegium, *l. Athletæ §. 1. in verb. quoad in præfidatu sunt; de excus. tut. late Tiraq. in tract. cessante causa par. 1. nu. 210. & sequent.* & exutâ qualitate ac nomine Collegiatæ, exutum & ademptum quoque censeatur illi qualitati cohærens

5 seu per illam concessum privilegium. † Non aliter quàm usu venit in transmutatione & erectione regularis Ecclesiæ in Collegiatam sæcularem, in quâ transmutatione Collegiata sic erecta retinere non solet privilegia, quæ propter regulam seu ordinem Ecclesiæ, cùm regularis esset, obtinebat. Eâque ratione Innocentius Papa Tertius privilegium à prædecessoribus suis concessum monasterio S. Bertini in Artesia, ut ex eorum monasterio Abbas a Monachis Alciacensibus, quoties in Alciacensi monasterio Abbatis electio imminet facienda eligatur, ita interpretatur *c. Abbate. De verb. signific.* & restringit, ut obtineat tam diù donec in monasterio S. Bertini viguerit observantia regularis; alia namque qualitas aliud jus postulat in hujusmodi commutationibus, *c. Cum inferior De maior. & obed.* Atque ita quicquid dici posset de alijs Collegiatis Ecclesijs huius novi Episcopatus, quæ ab eadem diœcesi, sub qua olim fuerunt decisæ sunt, de quibus in hac causa nulla quæstio est, manifestum est non rectè adversus Episcopalem iurisdictionem ex privilegio aliarum secundariarum Ecclesiarum per huius Cathedralis Ecclesiæ Canonicos opponi privilegium exemptionis quo prius niti potuerunt, quamdiu in alia statione adhuc erant.

6 † Idque tanto minùs, quòd præter ea, quæ ex bulla erectionis pro asserenda iurisdictione & superioritate huius Episcopi, & subvertenda contraria libertatis & exemptionis assertione in medium adducta sunt, eidem Episcopo plurimùm suffragantur sacri Concilij Tridentini decreta *Sess. 6. c. 4. & Sess. 25. c. 6.* quæ quorumcumque Episcoporum jurisdictionem & potestatem sic ampliant, etiam quoad visitationes, correctiones & emendationes, ut nullæ exemptiones, consuetudines, juramenta aut concordiæ eam avertere vel impedire possint, observatâ saltem in dictis decretis præscriptâ formâ; idque non tantùm Apostolicâ,

7 sed uti videtur, etiam ordinariâ potestate. * Nam dictio *etiam* in priore decreto addita, *Sess. 6. c. 4. in fin.* est augmentativa, ampliationem & extensionem denotans, *l. Actionis, l. Alienationis De verb. signif. Rubr. C. etiam ob chirogr. pecun. Parisius cons. 144. scripseram nu. 5. vol. 4.* ac majora expressis, diversamque speciem includens etiam in materia stricta & odiosa: multò magis in materia favorabili, & per quam sit reditus ad jus commune: sic ut per hujusmodi decretum rursus resuscitari & in usum reduci, saltem aliqua ex parte videatur à jure communi concessa, *c. Tanta De simonia, Gemin. consil. 65. circa primam nu. 8.* & per exemptionem privilegia partim suppressa, partim in angustum coacta ordinaria jurisdictio, quæ favorabilis est; cùm ex adverso exemptiones, cæteraque quæ recessum à iure communi continent sint odiosa, *c. Omnes basilicæ xvi. q. 7. c. Cum personæ in fin. De privileg. lib. 6.* meritoque ob id tam prefractè sub prætextu pristini privilegij adversus Episcopum agi, omnisque propè jurisdictio, & superioritatis exercitium sic ei detrahi & denegari non debeat, ut sola reverentialis obedientia per nudam honoris exhibitionem, quæ honoratis omnibus debetur, *l. Semper De iure immunitatis, c. 1. De maiorit. & obedien.* ei relicta videatur.

Quamobrem nec hoc ad sustinendum usum dictæ veteris exemptionis urgeri potest, quòd hîc Episcopus in adeptione possessionis sui Episcopatus præstiterit juramentum de conservandis juribus, privilegijs, immunitatibus, & exemptionibus Ecclesiarum & Ecclesiasticorum omnium sub civitate & diœcesi Buscoducensi noviter erectis, existentium; ideò quod in formula ejusdem juramenti addita sit hæc restrictiva particula, *Quatenus illis per Concilium Tridentinum non est derogatum.* Ea namque adiectio efficit, ut iuramento suo non possit dici contravenire, si permissam per dictum posterius decretum Concilij Tridentini, *d. cap. 6. Sess. 25.* jurisdictionem & superioritatem exerceat. Cùm alioqui vis & potestas huiusmodi juramenti sit suspensa per hanc adiectionem eidem formulæ insertam, *Quatenus ad illud præstandum teneatur*; quæ conditionem facit, *l. Stichum. De leg. 1. Bart. l. 1. n. 20. De condit. & demonst.* & obligationem, quæ ex juramento exoriretur auertit, si præstandi iuramenti nulla fuit obligatio aut necessitas; ut verè in ea adeptione nulla fuit: * cùm iuri permissum non 8
sit, in electionibus & admissionibus Prælatum alio onere gravare, quàm ius præscribit, aut consuetudine inductum est, *c. 1. Ut Ecclesiast. beneficia sine d.m. confer.* & si aliud exigitur, ut nec præstari, ita nec per aliquam extensionem etiam conditionalem præstitum servari debet, *c. Ad. nostram 2. De iureiur.* Præstari autem non debuisse inde manifestum fit, quòd & dicto decreto Conciliari, *d. Sess. 6. c. 4. & Sess. 25. c. 6.* repugnet, aut saltem eo sensu, quo pars adversa contendit, acceptum detrahat, & ultra intentionem iurantis extendatur, quod fieri non oportet, *d. c. Ad nostram.* Ita ut iusta interpretatio adhibenda sit, ut iuramentum stet, & vel illicitum non contineat, vel ad non cogitatum non extendatur, hoc est, ut iuramentum de servandis privilegijs & immunitatibus referatur non ad ea privilegia, quæ esse desierunt, sed ad ea, quæ adhuc obtinebant, & in integro statu remanserunt, ac ad securitatem collegij seu Capituli pertinebant, quæque ex nova illa erectione aut ex iure communi Cahedrali Ecclesiæ attributa erant, *c. Cum inferior, De maiorit. & obed. c. Venerabili De verbor. sign.* Neque enim Episcopus præstando hoc iuramentum in mente seu cogitatione habuit venire contra Canonicas sanctiones, *c. Quod super De maior. & obed.* aut violare leges superioris in dicta erectione præscriptas: alioquin enim id non iuramentum, sed periurium potiùs extitisset, nec esset aliquâ ratione servandum, *d. c. Ad nostram.*

Quæ sanè omnia sic in genere pro asserenda & stabilienda Reverendissimi Domini Episcopi iurisdictione, superioritate & potestate, & pro auertenda laxa illa exemptionis ex indulto secundariarum Ecclesiarum libertate, per prædictas rationes & demonstrationes deducta; facilem reddunt resolutionem singulorum articulorum, qui in controversiam pertrahuntur, de his quæ possit, vel non possit; quæ vel rectè, vel minus rectè fecisse dicitur idem Reverendissimus Episcopus, ut non sit necesse singulos prefsiùs excutere: quę res ut infiniti laboris, ita summi quoque tædij esset, cùm ex iuris communis regulis ac præceptis constet, quid possit, quid non possit Episcopus ex Episcopali

pali dignitate & potestate, cujus summa respectu subditorum hæc est, inquirere, ulcisci, judicare, secundùm quod Canones censent absque impedimento alicujus; & cùm opus fuerit ad id etiam publicum invocare auxilium, *c. 1. c. Irrefragabili De off. ord.* Verùm quia pleraque in controversia sunt quæ ex decretis Concilij Tridentini ad avertendam vel constringendam Reverendissimi Domini Episcopi potestatem à dictis procuratoribus proferuntur, operæpretium erit in illa inquirere. Et quidem ex eo decreto, *d. c. 6. Sess* 25. quo inter alia diximus, Episcopis adversus privilegia exemptionum maxima ex parte restitutam esse jurisdictionem olim jure communi concessam, duplicem restrictionem constituunt: priorem ex genere personarum; posteriorem ex genere causarum. Ex genere personarum, quòd in eo decreto extra visitationem strictior videatur esse potestas procedendi contra eos, qui in Ecclesia Cathedrali dignitates habent, & de Capitulo illius sunt, quasi illam exercere non possit nisi adhibitis duobus Canonicis; laxior verò adversus eos, qui nec dignitates habent, nec de Capitulo sunt. Quæ dicti decreti verba tam latè extensivâ interpretatione accipiunt, ut ijs comprehendi ac contineri existiment quotquot sunt dictæ Ecclesiæ sive subditi & suppositi, sive Capellani, sive alij; quasi de Capitulo sint, quotquot Capitulo subjiciuntur; ut nec adversus hos, nisi adhibitis duobus Canonicis, Episcopus procedere possit.

9 Cæterùm facilis minimeque perplexa est hujus objectionis resolutio; nunc præsertim, postquam per congregationem eorum, qui discutiendis & definiendis difficultatibus, quæ ex Concilio Tridentino suboriuntur, à Sanctissimo Domino Papa constituti sunt, ad quæstionem pro parte Archiepiscopi & Episcoporum provinciæ Mechlinensis propositam, apertè responsum est, *illos censeri de Capitulo non esse, qui in ijsdem Ecclesijs Cathedralibus officia vel beneficia Ecclesiastica simplicia obtinent, aut præstus Ecclesijs in divinis seu alijs ministerijs famulantur, sive sub Capitulo, sive extra illa degant*: pro jure enim indubitato id accipi debet, quod ab ijs definitum est, quibus à Pontifice definiendi potestas permissa est, *c. Ne invitatus De constit. l. Non ambigitur De legibus.*

10 † Quâ interpretatione cessante, res ipsa, aliaque loca aliorum decretorum in dicto Concilio Tridentino, de Capitulo, & his, qui de Capitulo sunt loquentia, demonstrant, de Capitulo eos tantùm esse & censeri, qui Capitulum constituunt, & pars seu membrum Capituli sunt, videlicet Prælati & Canonici. Veluti quo loco statuitur, *Sess. 23. c. 18. De reform.* de Seminario constituendo per Episcopos cum consilio duorum de Capitulo, qui in eodem loco paulò antè declarantur esse Canonici, his verbis, *Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum &c.* Item quibus locis *de consilio Capituli per Episcopum adhibendo* agitur *c. 1. Sess. 5. & c. 12. Sess. 24.* & sic quidem, ut manifestum sit solis in dignitate constitutis, vel Canonicis ea accommodata esse. Quinimò dum in eodem illo decreto, unde hîc quæstio oritur, *d. Sess. 25. c. 6. vers. absente verò*, decernitur, *ut absente Episcopo Capitulum convocari, vota exquiri, ac secundum ea concludi possit ab ijs de Capitulo, ad quos de iure vel consuetudine spectat*, pluiquam manifestum redditur per *eos de Capitulo* solos Canonicos & in dignitate constitutos designari: nam verosimile non est, quòd Canonici hoc permitterent Capellanis aut alijs suis officiarijs aut ministris. Quæ demonstratio cùm latissimè sit facta per scripturas pro parte Reverendissimi Episcopi exhibitas, latiùs eam urgere aut ei prolixiùs insistere, necesse non est. Hoc tamen adijcimus ex communi juris ratione & moribus utentium indubitatum esse, Capellanos, alioscque minora Ecclesiæ beneficia vel officia obtinentes de Capitulo non esse: virtus enim hujus particulæ *de* ut proximam & immediatam causam continet, *l. Non distinguemus* 1. *De officio De arbitr. Bartol. in l. Si finita* 5. *De cæteris De dam. infecto*; ita quoque includendi & excludendi potestatem habet. Sic ut in proposito de Capitulo censeantur, qui ex Capitulo & Capituli corpore sunt; quales non sunt nisi Canonici & Canonicorum capita, hoc est, in dignitate in eadem Ecclesia constituti; qui soli, ut inquit Panormitanus, *in c. Dilecti in princ. De maiorit. & obed. & in c. Cum ad hoc De cler. non reside.* sunt de Capitulo: non etiam Capellani, vel alij beneficiati in Ecclesijs Cathedralibus aut collegiatis; qui ob id etiam per se Capitulum aut Collegium facere non possunt, *panor. in c. Dilecta De excess. prælat.* Et est usus hic loquendi, ut per hæc verba tantùm comprehendantur Canonici & dignitates obtinentes, qui sunt de corpore & gremio Capituli, in Pontificum decretalium epistolis frequentissimus, *c. In causis c. Quia propter. De elect.* Ita quod cùm *Capituli* significatio ad Canonicos referatur, & hæc inter se velut convertantur *Capitulum* & *Canonici*, non nisi absurda & distorta censeri debeat interpretatio, quæ per hæc verba, *Nec sunt de Capitulo*, ad alios Capituli, quàm extra Capituli corpus constitutos subditos extendit: ideoque indubitatum maneat Episcopi jurisdictionem adversus hos, quàm Canonicos liberiorem esse, hoc est, quòd non adhibitis duobus Canonicis contra Capellanos, alioscque beneficiarios & officiales minores procedere possit.

Ex genere causarum existimant Capituli Procuratores restrictiorem esse Reverendissimi Domini Episcopi potestatem adversus eos, qui nec obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, quod in eodem decreto, *d. cap. 6. Sess.* 25. ij Episcopo subjiciantur in causis dumtaxat Ecclesiasticis; quasi verba hæc *in causis Ecclesiasticis* pro restrictione accipienda sint ad exclusionem causarum profanarum, & sub illis tantùm contineantur spirituales causæ. Verùm & in hac parte aberrat illa interpretatio: † cum enim multiplex sit Ecclesiæ significatio, & Ecclesiasticarum causarum magna multiplicatio & varietas, ambigendum non est, Ecclesiasticarum causarum appellatione omnia contineri, quorum cognitio laicis denegata, Iudici Pontificio attributa est; sive agatur de re Ecclesiæ, sive clerici persona conveniatur; sive neque de persona clerici, neque de re Ecclesiæ quæstio vertatur, sed controversia oriatur inter merè laicos de causa seu re spirituali; veluti hæresis, usurarum, matrimonij. Et ita scribit Baldus, *in l. Quoties C. De iudicijs*, quæstionem Ecclesiasticarum sive facti, sive juris, tractandam esse coram judice Ecclesiastico, idemque probat Lapus, *alleg. 55. incip. quidam coram* 11

iudice. Ita ut res seu causa Ecclesiastica accipienda sit non ea tantùm, quæ de rebus seu bonis Ecclesiæ, aut de spirituali aliquo articulo est, verùm etiam illa, quæ vel est Ecclesiasticæ personæ, vel contra personam Ecclesiasticam; sic ut perinde causa efficiens, ut materialis, genus causę Ecclesiasticæ constituat, *cap. Super quibusdam De verb. sign. c. Ecclesiarum servos* XII. *q.* 2. vel etiam causa injuriarum clerici, pro re seu causa Ecclesiastica accipatur *c. Pervenit* 2. *& ibi glos. in V. Ecclesiasticis De testib. cogendis*, & sic sub his dicti decreti verbis manifestè contineantur non tantùm spirituales, sed etiam profanæ, civiles, & criminales causæ. De quo in præsenti minor est dubitatio, ex eo, quòd per Concilium provinciale Mechlinense declaratum sit, *sub tit. De correctione Clericorum.* id obtinere tam in criminalibus quàm civilibus causis. Quod cùm vocatis & præsentibus Commissarijs prætecti Capituli celebratum & conclusum, deinde in dicta Ecclesia Buscoducensi, atque adeò in consessu totius Capituli publicatum, & sine ullius contradictione receptum fuerit, non rectè nunc id ipsum, aliaque de jurisdictione Episcopi in con-
12 troversiam trahuntur. * Et ne quidem eo etiam prætextu, quod per dictam congregationem Interpretum Concilij Tridentini ad propositas interrogationes, inter alia responsum sit, *iurisdictionem Episcopi in causis matrimonialibus, criminalibus, aliisque ad forum Ecclesiasticum pertinentibus per decreta Concilij Tridentini concessam c.* 20. *Sess.* 24. *De reform. non se extendere ad eos, qui immemorialem consuetudinem habent de huiusmodi causis cognoscendi.* Nam cùm hæc potestas dicto Capitulo attributa fuerit non ex consuetudine, sed ex dicto indulto & privilegio secundariarum & Collegiatarum Ecclesiarum, idque jam demonstratum sit, Ecclesiæ & Capitulo Buscoducensi per hanc felicem tranſmutationem, transformationem & translationem in aliam stationem, ademptum esse, consequens est dictum Capitulum prætextu immemorialis consuetudinis non posse retinere aut prætendere hujusmodi jurisdictionem; sed locum esse debere priori parti interpretationis per dictam congregationem factæ, *quòd dictum decretum se etiam extendat ad Decanum & Capitulum ab ordinaria iurisdictione exemptum ex privilegio Apostolico.* Ex quâ consideratione minor quoque (re etiam integrâ, ac cessante dicti Capituli saltem tacitâ approbatione decretorum & statutorum dicti Concilij Provincialis) esset dubitatio, num dictis statutis Capitulum se conformare & obtemperare debeat; cùm per decretum Concilij Tridentini ordinatum sit, *cap.* 2. *Sess.* 24. *De reform.* exemptos hujusmodi Concilijs Provincialibus subijci, & ad eorum, quæ in ijs statuta sunt, observationem teneri; & eos, qui nulli Archiepiscopo subjecti sunt, vicinum aliquem Metropolitanum eligere debere, in cujus Synodo Provinciali cum alijs interesse debeant. Vnde in proposito & ipsa necessitas comparendi ad hujusmodi Concilia, & potestas Episcoporum in statuendo, & præsentia vocatorum, ac interesse debentium, & sequuta admissio publicationis sine ulla contradictione efficiunt, ut in hac contentione satis solida non videatur dicti Capituli contradictio, & oppugnandorum hujusmodi decretorum usurpatio, *Innoc. in c. Vestra, De locato. Felin. in c.* 1. *De maior. & obed. & in c. Cum omnes. De constit.* præsertim cùm liberior soleat esse potestas, etiam singulis Episcopis statuendi in præjudicium subditorum, circa ea quæ concernunt exercitium jurisdictionis, *c.* 2. *De maiorit. & obed.*

Ex quibus satis convincitur, improbabile non esse, quod pro parte Reverendissimi Episcopi proponitur de gravioribus & atrocioribus criminibus, quæ merentur degradationem, depositionem, excommunicationem, similesque graviores pœnas, quarum potestatem Capitulum non habet, sed ad Episcopalem jurisdictionem pertinent, soli jurisdictioni Episcopali privativè quoad Capitulum relinquendis: nam cùm per decreta Concilij Tridentini, *d. c.* 20. *Sess.* 24. *& cap.* 14. *Sess.* 25. *vers. Supradictorumque*, non ad Archidiaconos (qui in Cathedrali Ecclesia esse solent) nec ad Decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos referatur majorum criminum cognitio ac correctio, & non rectè criminis cognitio subijciatur judicio illius, qui pro modo potestatis sive jurisdictionis suæ crimini convenientem & eo dignam pœnam infligere non potest, *arg. l.* 1. *C. Qui pro sua iurisd. iud. dar. pos. l. Solemus §. fin. De iudicijs l. Scholarium Cod. De off. magist. off. l. Præfectus C. De off. præf. August. l.* 2. *§. constat, De pœnis*: non satis justè Capitulum sibi vindicat eam cognitionem & correctionem criminis, quam jus vel ex solo genere pœnæ ad majorem potestatem refert; cùm ipso jure nulla sit sententia, per quam pœna irrogatur, cujus potestatem condemnans judex non habet, *l.* 2. *Cod. De pœnis l. Non valet C. Ad L. Fl. De plagiar.* Vnde ex juris communis interpretatione ad illum referenda est hujusmodi majoris cognitionis & pœnæ potestas, cujus jurisdictio ad eum porrigitur: † alio- 13
qui de ejusdem hominis delicto bis cognoscendum, bis quoque illud pœnâ coërcendum esset; contra juris regulas, cùm de eiusdem hominis admisso seu delicto sæpiùs quæri non debeat, *l. Licet §. fin. ff. Nauta caupones stabul.* aut si quæri posset, ut interdum fieri jure permittente potest, *c. Felicis De pœnis lib.* 6. *c. Dilecta De maiorit. & obed.* per cognitionem & punitionem Capituli, majoris pœnæ inducendæ, & sic de crimine iterum cognoscendi potestas Episcopo permissa censeri deberet, ut de correctione Abbatis exempti eleganter respondit Ludovicus Romanus, *consil.* 375. *in proposita.* Ad quod si dictum Capitulum urgere perget, in aliud (quod tamen sub prætextu interpretationis per dictam congregationem factæ omninò avertere laborat) impinget; quòd scilicet post cognitionem & correctionem Capituli, Episcopo licebit in idem crimen iterum inquirere, & si majore pœnâ, quæ in potestate Capituli non est, dignum fuerit, illam infligere, *d. c. Felicis*: nam ea interpretatio ex ratione iuris communis accipienda & restringenda esset ad crimen, cuius pœna ad iurisdictionem Capituli quoque pertinet.

Neque sanè hac in parte multùm refragari, & Reverendissimo Episcopo virtute alicuius exemptionis in faciem resistere debet Capitulum; cũ exemptionis privilegium ex iure communi sic semper restringatur, ut non excludat cognitionem & correctionem Episcopi in delictis; imò etiam in

iuris

contractibus extra locum privilegiatum commissis vel initis, *c. 1. De priuil. lib. 6.* qui ut frequentius extra, quàm intra illum committuntur vel ineuntur, ita etiam frequentior esse solet usus jurisdictionis ordinariæ, non tantùm ex dicta novi hujus Episcopatus erectione, & decretis Concilij Tridentini; verùm etiam ex definitione & constitutione juris communis per Innocentium Quartum, *in Concilio generali Lugdunensi*, jam diu antea obtinentis, *d. cap. 1. De privileg. lib. 6.* & per decretum Concilij Tridentini, *Sess. 7. c. 14. De reformat.* iterùm ad usum revocatæ. Cujus constitutionis usum non impedient derogatoriæ clausulæ in dicto privilegio secundariarum Ecclesiarum etiam specialiter quoad eandem constitutionem Innocentij Quarti insertæ; ideo quòd, ut diximus, dicti privilegij quoad prætactam Ecclesiam, de qua hic agitur, usus per novam transformationem in Cathedralem prorsus sublatus sit. Sic quod omnibus his, quæ ad exemptionem vel tollendam tendunt, vel in exemptione restrictionem faciunt, ob oculos positis, eo loco constituantur Canonici, cæterique dictæ Ecclesiæ beneficiati, ut longè consultius sit Episcopi sui moderatam jurisdictionem comiter agnoscere, quàm pertinaciùs resistendo juris majorem rigorem sibi superinducere; & Reverendissimo Episcopo occasionem dare, ut collimando in dictam Innocentij constitutionem, etiam adversus Canonicos solus sibi, non adhibitis duobus Canonicis, jurisdictionem exerceat ex delictis & contractibus extra locum exemptum commissis & initis; & præterea urgendo supratacti decreti *d. Sess. 25. cap. 6.* verba, ijsque pressius intistendo, cum ratione & summa probabilitate contendat Capituli omnem jurisdictionem sublatam, & in Episcopum ac deputatos & adhibitos duos Canonicos ex præscripta forma dicti decreti transfusam esse in causis, ex quibus extra visitationem contra Capitulares procedere potest. Nam ut hoc quoque non prætermittatur, efficax admodum est dicti decreti *d. c. 6. Sess. 25.* adversus Capitulum operatio; cùm per illud præcipiatur, ut Capitulum initio cujuslibet anni eligere debeat ex Capitulo duos, de quorum consilio & assensu Episcopus & ejus Vicarius tam in formando processu, quàm in cæteris omnibus articulis, usque ad finem causæ inclusivè, coram Notario tamen Episcopi, & in ejus domo aut consueto tribunali procedere teneatur: cujus sane decreti satis manifesta est forma, quæ nullam Capitulo jurisdictionem ad formam prioris exercitij tribuit, sed moderatur & temperat jurisdictionem Episcopi, ne possit per se in casibus, quibus Capituli privilegium adhuc aliquo modo stare potest, secundùm præscriptum, & tenorem dictæ Innocentianæ constitutionis, *d. cap. 1 De priuil. lib. 6.* corrigere aut procedere contra personas in eodem decreto expressas, absque adhibitione duorum Canonicorum; quorum authoritas pendet non ex jurisdictione aut reliquijs jurisdictionis Capitulo olim competentis, sed ex nova dispositione & lege novæ Conciliaris constitutionis ex qua satis manifestè appareat totius Capituli jurisdictionem, si quæ adhuc remanserit, transfusam esse in dictos duos Canonicos Episcopo adjunctos; idque ex necessitate novæ constitutionis, ut non possit dici hæc dictorum duorum Canonicorum deputatio esse merè voluntaria, sed necessaria sine potestate revocationis; relicta solâ facultate mutationis in initio cujuslibet anni. Quæ adjunctio duorum Canonicorum hoc quoque efficit, ut per eam sublata censeatur facultas recusationis adversus dictum Episcopum ex causa cujuscumque suspicionis, si quando observatâ hâc forma, contra Canonicos seu Capitulares procedet. Neque enim ea adjunctio ob id solùm permissa censeri debet, ut veteris jurisdictionis vestigia extarent, sed ob id quoque, & quidem multò magis, ut tanto minùs querelis & reprehensionibus obnoxius sit Episcopi processus, omnem suspicionem discutiente hac adjunctione duorum Canonicorum totum Capitulum representantium: † ut enim difficilius judex ordinarius ex causa suspicionis recusatur, *gloss. & Doct. in l. Apertissimi De iudic.* ita omnis recusandi potestas aufertur, si vel ex juris dispositione, vel ex consensu partium ei alius adjungatur, *Authen. Si vero contigerit Cod. De iudicijs*: cùm hic sit finis adjunctionis potissimus, ut per recusationem & suspicionum occasionem debita correctio non impediatur vel differatur. Per quæ satis quoque percipitur, per tantam Episcopi, tam ex jure communi, quàm ex bullla erectionis, & decretis Concilij Tridentini concessam majoritatem, superioritatem ac potestatem, non tantùm minores dictæ Ecclesiæ Capellanos, & alios officiatos ministros, verùm etiam Canonicos & in dignitate constitutos in subjectione & obedientia Episcopi esse: majoritas enim inferiorum obedientiam inducit & exigit, cùm ut relativa inter se composita sint, majoritas & obedientia, *extra De maior. & obed.* quæ sic subditos afficit, ut cessante etiam omni juramento ac speciali promissione, ipsos constringat: nam ad inducendam illius obligationem, sufficit legis seu Canonis obligatio; ut necessaria non sit ejus rei scriptura, juramentum, aut promissio, *c. Legabatur eod. tit.*

14

* Dubium tamen non est, quin, si Episcopus velit, singulos etiam Capitulares urgere possit, non quidem ad præstandum juramentum obedientiæ (id enim potest ab his dumtaxat, qui administrationem seu dignitatem aliquam in Ecclesia habent, exigere, *c. Nullus De iureiuran. c. ult. De reg. iuris*) sed ad præstandam manualem obedientiam, hoc est, promissionem exhibendæ obedientiæ & honorificentiæ in manibus Episcopi, *c. His quæ De maior. & obedient.* In qua præstanda, qui negligens aut contumax erit, per censuras Ecclesiasticas ad officium cogi potest, *c. Quod super eod. tit.* Imò si de inobedientia aut rebellione aliquis suspectus erit, etiam ad jusjurandum cogi poterit, non sufficiente ad hoc necessitate ordinis aut loci, quem in Ecclesia clericus obtinet, *cap. cum in Ecclesiis d. t.t.* Et sanè perquàm absurdum esset per dictos Capitulares dicto Reverendissimo Domino Episcopo non promitti aut præstari obedientiam, cui ex Iure communi, ex decretis Concilij Tridentini, *d. cap. 6. Sess. 25.* atque etiam per Bullam erectionis hujus novi Episcopatus & Ecclesiæ

15

Cathedralis permittitur convocandi seu indicendi Capituli, vota exquirendi, ex illis concludendi potestas, & omnium rerum agendarum præcipua authoritas; quam sine obedientia exerceri non est possibile.

Illud autem satis improbabile est, quod Procuratores dicti Capituli, ut ad suum sensum pertrahant dicti Concilij Tridentini decreta, de ordinarijs & ordinariorum authoritate & potestate loquentia, existimant & contendunt, per ordinarios non semper Episcopos, sed etiam inferiores vel ex jure communi, vel ex privilegio ordinariam jurisdictionem in suos subjectos habentes significari; præsertim in eo decreto, *d. cap. 20. Sess. 24.* quo *omnes causæ ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinarijs locorum dumtaxat cognosci debent.* † Nam 16 quamvis rectè ordinarius judex quoque dicatur, quisquis à Canone, lege, vel consuetudine jurisdictionem habet, *gloss. in c. Ordinarij in V. locorum De off. ordin. lib. 6.* in dubio tamen ordinarij appellatio per excellentiam referenda ad Episcopum, qui per totam suam diœcesin in jurisdictione ordinaria fundatam habet intentionem & in jurisdictione universalis est, *Archidiac. in d. c. Ordinarij, in princ.* præsertim ubi ex re subjecta deprehenditur de Episcopis magis, quàm alijs inferioribus Iudicibus agi, *Bet. Anchar. in d. c. Ordinarij*; & inferioribus ejus rei, de quâ agitur, potestas non est. Quæ cùm per dicta decreta partim sublata, partim mirum in modum restricta sit, & quibus casibus permissa censeri potest per supramentionatum Concilium provinciale, *sub tit. De correctione clericorum*, ita sit composita ut prævention locus sit; dubium non est, quin Episcopi universalis ordinarij potestas semper & ubique sit exuberantior & major.

Quæ majoritas & immediata dicti Episcopi ad dictum Capitulum superioritas, sic uti præmittitur sublato privilegio exemptionis ex indulto secundariarum Ecclesiarum, hoc quoque postulare videtur, ut à sententijs Capituli utique ad Episcopum, ut ab inferiore ad superiorem appellare, aliaque juris subsidia, in quibus superioris authoritas necessaria est, ab eo petere liceat; non obstante quòd idem Episcopus Buscoducensis ejusdem Ecclesiæ quoque sit Canonicus, & cum deliberatur aut quid aliud agitur non ut Prælatus, sed ut Canonicus Capitulo interfit, ut aperto jure decisum est, *c. A collatione De appellat. lib. 6.* Remotâ enim exemptionis consideratione, si quæ manet aut relinquitur dicto Capitulo jurisdictio, illa non nisi ordinaria esse potest; & ob id ex inferiore gradu seu ordine subjecta est majori judici, ad quem provocandum est, *c. Dilecti d. tit.*

Cùm igitur eo loco constituta sit dicti Reverendissimi Episcopi majoritas, superioritas, & jurisdictio, ut eam non tantùm adversus Capellanos, sed etiam contra Capitulares, secundùm juris communis dictorumque decretorum præscriptum exercere possit, Reverendissimi Domini arbitri erit ex judicio prudentissimorum Assessorum, sic rem omnem æquabili ratione componere, ut salvâ manente dicti Episcopatus erectione salva quoque maneat quæ inde competit Episcopo superioritas & jurisdictio, cessentque deinceps omnes contentiones inter eundem Episcopum & suum Capitulum, quæ sine gravi scandalo & offendiculo esse nequeunt.

De judicijs & foro compet.

SVMMARIVM.

Iurisdictio Episcopalis in exemptos.

1. *Pius IV. indultum seu motus proprius, ut Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati possint procedere contra quoslibet exemptos.*
2. *Iurisdictio consuetudine acquiritur.*
3. *Translatio fit cum oneribus rei translatæ.*
4. *Capitulum qualem iurisdictionem habere possit.*
5. *Papa vel Princeps iuri quæsito non censetur derogare.*
6. *Papa exemptorum Iudex immediatus.*
7. *Superior administrationi inferioris se non facilè intromittere debet.*
8. *Præventio quando locum habeat.*

CONSILIVM LXIII.

SANCTISSIMVS Dominus noster Pius Papa Quartus motu proprio, sub data pridie nonas Septembris anno 1560. concessit & indulsit omnibus Archiepiscopis & Episcopis in Archiepiscopatu seu Episcopatu suo residentibus inter alia, ut tamquam à Sede Apostolica delegati in quibuscumque civilibus, criminalibus, vel mixtis causis contra quoscumque clericos sæculares particulares, atque etiam regulares extra eorum monasteria degentes, quomodolibet exemptos authoritate Apostolicâ procedere, & delinquentes juxta eorum excessus corrigere, omnemque jurisdictionem in eos exercere possint, aliaque facere, quæ ipsa Apostolica Sedes facere & exercere posset, adjectis clausulis irritantibus & derogantibus. Hujus Privilegij & concessionis authoritate Reverendissimus Dominus Episcopus Middelburgensis in suo Episcopatu residens, adversus quemdam D. Lambertum Canonicum Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Levini Zirizeensis in suo canonicatu residentem ob stuprum violentum per eum commissum procedere, & eundem ad examen suum evocare cœpit, emisso citatorio pœnali adversus dictæ Collegiatæ Ecclesiæ Decanum & Capitulum, præfatum Dominum Lambertum ob idem delictum in carcere detinentes, & eundem Reverendissimum Dominum Middelburgensem in puniendo hoc crimine prævenientes. Quæritur itaque, an hic conatus Reverendissimi Domini Episcopi quantumvis pius & bono zelo susceptus, juri sit conformis, & cujus in cognoscendo puniendoque hoc crimine, potior sit causa?

Et quoniam veritas ubique præferenda est, arbitramur prędicti Capituli jus esse potentius, prędictumque Reverendissimum Dominum limites delegationis Apostolicę excedere. Ad quod demonstrandum dicimus, notoriam & evidentem esse dictæ Collegiatæ Ecclesiæ in capite & membris ab ordinaria jurisdictione exemptionum, tam ex fundatione per Albertum de Bavaria Hollandiæ & Zelandiæ Comitem, primaque ejus per Episcopum Traje-

Traiectensem (cuius Diœcesis per totam Zelandiam tunc extendebatur) erectione & approbatione dictæ fundationi accedente, *anno* 1378. quâ aperte eidem Ecclesiæ inter alia concessa est cognitio & correctio delictorum, reservatâ sibi solâ potestate supplendi negligentiam, si in exhibenda iustitia aut facienda correctione Decanus & Capitulum notabiliter negligentes essent; quùm ex speciali Sedis Apostolicæ per Bonifacium concesso indulto, quo confirmatis omnibus antecedentibus privilegijs ab omni iurisdictione, potestate ac dominio loci ordinarij & Metropolitani, ac aliorum quorumcumque iudicum ordinariorum & officialium totaliter ac perpetuò exempta est prætacta Ecclesia, cum omnibus membris ac suppositis suis; sic quòd ex accessione Pontificiæ exemptionis, neque de potestate, neque de iurisdictione Capituli quicquam amplius dubitari possit: * 1 præsertim propter longævum vsum & exercitium huiusmodi iurisdictionis criminalis per Capitulum à prima huius Collegij erectione in quibuscumque etiam delictis exercitæ; adeo ut adversus ordinariam iurisdictionem plenissimè etiam præscriptum sit, & ex adminiculo præscriptionis neque de iure, neque de facto amplius quæri possit de huiusmodi iurisdictionis soliditate; cùm etiam sola præscriptio ac consuetudo ad sic acquirendam iurisdictionem sufficiat, *Oldradus cons.* 251. *Nos Rheginus Archiepiscopus, & cons.* 172. *Quia omnes nu.* 8. Quin autem prætacta exemptio per Episcopum Traiectensem concessa iure subsistat dubium non est *Oldrad. d. nu.* 8.

Nec quicquam ad resolutionem huiusmodi sic concessæ iurisdictionis facit, quod dismembrato nunc Episcopatu Traiectensi, eoque in Archiepiscopatum erecto, ea pars, quæ Comitatui Zelandiæ subest, ab eius obedientia ac regimine Episcopali sit exempta, & in novû Episcopatum Middelburgensem erecta, & inde quoque resoluta videatur potestas Episcopi Traiectensis, & per consequens peremptum privilegium exemptionis seu iurisdictionis; ut resoluto iure datoris plerumque resolvi solet ius accipientis, *l. Lex vectigali De pignor.* † 2 Nam ea resolutio hoc privilegium non contingit sed quoad illud aliaque, quæ in Zelandia sunt resolutio non est, sed tantùm translatio locorum ad novum Episcopum; cuius translationis potestas tanta non est, ut rei seu translati loci privilegia adimat, sed rem & locum in eadem conditione relinquat, *l.* 2 §. 1. *De privileg. credit. Tempus in fine De re iud. Felin. in c. Quia iudicante De præscript. sub fin.* sicut translatio bonorum intelligitur fieri cum oneribus suis, *l.* 1. §. *pro secundo C. De Cad. tollen. c. fin* §. *porro De. off. iudic. ordin. lib.* 6. *Phil. Decius cons.* 157. *Quæritur De expensis nu.* 3. Atque ita cùm hæc Episcopi Traiectensis concessio Episcopum Middelburgensem ut surrogatum afficiat & constringat, nihil per ipsius Reverendissimam Gratiam fieri debet, quod dicto privilegio repugnet: huiusmodi enim concessio Episcopalis mera arbitraria, & ad nutum revocabilis non est, sed perpetua; quia scilicet in contractum perpetuumque privilegium transijt, *Ant. De Butrio in c. At si clerici* §. *de adulterijs & in c. novit. De iudic.* ob id, quòd primæ fundationi atque erectioni huiusmodi lex dicta sit. Cùm alioqui iuri communi satis consentaneum sit, maiores Ecclesiæ Prælatos sese non immiscere iurisdictioni inferiorum etiam subditorum, nisi ob intervenientem negligentiam minorum seu inferiorum Prælatorum: quod indubitatissimè procedit, vbi ad inferiorem iurisdictio pertinet de iure communi, privilegio, vel consuetudine, *c. Irrefragabili, & ibi Felin. in princ. de off. iudic. ord.* * Quæ quidem specialis per Episcopum facta concessio illam disputationem avertit, an graviorum delictorum, quale est istud, quod de stupro proponitur, coërtio ad hoc Capitulum pertineat? Nam etsi iure communi leviorum tantùm criminum & excessuum coërtio huiusmodi Capitulis permissa videatur, *DD. in d. c. Irrefragabilis*; specialis tamen in ipsa fundatione & erectione facta correctionis potestas, ad omnia extendi debet, ut aliquanto plus concessum videatur, quàm tacente fundatore, vel erectore jus adjecisset. Et quamvis hîc non de iurisdictione ordinaria ac Episcopali agatur, cui prætactum Reverendissimi Domini Episcopi citatorium minimè innititur, pro qua avertenda prædictæ considerationes tantùm facere videntur; ad rem tamen propositam definiendam plurimùm conferunt: ob id, quòd delegatio Apostolica, cui Reverendissimus Dominus innititur, respectum tantùm habeat ad exemptiones Apostolicas, non etiam ad eas, quæ jure subnixæ sunt; qualis est hujus Capituli Ziriczeensis ex fundatione & erectione per specialem Episcopi concessionem exemptio; cui, quia singularis & specialis est, neque eidem considerationi, quam tunc verosimiliter S. D. N. Papa præ oculis habuit, subjacet, non præsumitur verbis tam generalibus derogatum: † quia quæ specialem notam 4 habent, specialem quoque exceptionem aut derogationem postulant, *l. Item apud Labeonem.* §. *ait prætor De iniur. l. Si servus communis De stipulat. servor. l. Doli clausula* 119. *De verb. oblig.* cùm non præsumatur Papa vel Princeps juri quæsito in præjudicium obtinentis facilè derogare voluisse. *l.* 2. §. *Si quis à Principe Ne quid in loco publ. latè Lud. Gomes. in regul. De iure quæsito non tollendo.* Quinimò cùm jurisdictio, de qua nunc controversia est, non innitatur exemptioni, neque in consequentiam exemptionis Capitulo obvenerit, sed singulari concessioni, quæ eodem tenore etiam quibusvis subditis fieri possit, *l.* 1. *De off. eius cui mand. est iurisdictio*; bonâ ratione dici potest hanc delegationem, quæ tantùm respectu exemptionis & adversus exemptos concessa est, ad hanc concessionem non pertinere.

Sed ne in eo tantùm consistamus, quocumque jure censeatur hæc jus dicendi & corrigendi potestas, verissimum semper est, nihil derogatum esse per hoc privilegium seu delegationem Apostolicam. * Pontifex enim vices suas tantùm delega- 5 vit: ut quemadmodum is suâ amplitudine inter cæteros exemptorum immediatus est superior, & delicta exemptorum in capite & membris coercere ac plectere potest, ita quoque mandare, *extr. De off. & potest. iud. deleg. D. De offic. eius cui mand. est iurisd.* Sed tamen mandando nihilo amplius, nec aliud concedere unquam præsumitur, quàm habet, *d. l.* 1. §. 1. *De off. eius.*, nec mandatarius seu delegatus

ampliùs ex delegatione consequi; cùm non pro suo imperio agat & exerceat, sed pro eo, cujus mandato agit, *l. Etsi prætor d. tit.* Iam verò certissimum est, nec ullam dubitationem habet, quòd quamvis Papæ superioritas in exemptos maxima sit, omnemque gradum superioritatis excedat, tanta tamen non est, quin accumulativè saltem jurisdictio primaria quoad cognitiones causarum & delictorum coërtiones maneat apud Collegium exemptorum: † ita quod quemadmodum in inferioribus Prælatis alius superior jurisdictioni inferioris se intromittere non solet, nisi datâ negligentiâ illius, *Felin. in d. c. Irrefragabili*, ita quoque ex ordinaria potestate Pontifex inferiorum jurisdictionem non occupet, nisi ad supplendam negligentiam ejus, cui primo loco competit jurisdictio. Et ut par sit & æqualis, non gradualis seu subalterna potestas; simultanea tamen intelligi non potest, sed ita accipi, ut præventioni locus sit. † Sicut generaliter observatur, quoties duobus æquè principaliter, sed non conjunctim in easdem personas competit jurisdictio; qui in exequendo jure, & administranda justitia prior est, & alium prævenit, potior sit, *c. Ut debitus De appellat. c. 3. De offic. jud. ordin. Felin. in d. c. Irrefragabili. in princ. vers. declara prædicta.* Atque ita cùm non tantùm nulla omninò negligentia Dominorum de Capitulo argui possit, *Paulus Parisius consil. 34. Circa resolutionem, vu. 45. vol. 4.* nec aliqua præcesserit Reverendissimi Domini monitio, quæ in hujusmodi casibus requiri solet, *Bart. cons. 102. Charissime Domine vol. 1.* Sed ex adverso ex tempore & rebus ipsis constet de eorum in præveniendo summa diligentia per præparatoriam informationem, ac deliquentis apprehensionem, ordinariumque adversus eum instructum processum; non satis justâ ratione moveri videntur, qui Reverendissimo Domino authores sunt ad tam rigorosum citatorium emittendum: cùm, ut diximus, hæc delegatio eo tantùm loco constituat ipsius Gratiam, quo ipse Pontifex est; apud quem proculdubio jurisdictio Capituli sarta tecta semper manet: ut absurdum planè foret illam deteriore loco constitui apud Reverendissimum Dominum Episcopum hac in parte jure delegationis Sedem Apostolicam repræsentantem. Quinimò tentati etiam posset, delegationis hujusmodi usum ad nec strictiorem esse; tantumque pertinere (ut etiam habent verba Bullæ) ad clericos sæculares particulares, hoc est, in nullo collegio residentes, sed à loco suæ residentiæ absentes; quemadmodùm paulò pòst apertioribus verbis subjicitur de monachis non in universum, sed extra monasteria sua degentibus. Verùm ad rei propositæ decisionem scrupulosior hæc indagatio non est necessaria.

Consultò itaque fecerint Domini dictę Collegiatæ Ecclesiæ Ziriczeensis, si ad evitandos majores motus, qui Ecclesiasticis viris parum conveniunt, has rationes Reverendissimo Domino commonstrent, & bonâ gratiâ exitum dicti citatorij, perseverantiamque in eo deprecentur: nihil enim dubitamus Reverendissimam suam Gratiam juri & æquitati sese conformaturam; si nihil eâ viâ impetrabunt, non deerit ratio, quâ in jure audientur.

De judicijs.

SVMMARIVM.

Jurisdictio ordinaria contra exemptos.

1. *Privilegium exemptionis Cleri secundary Leodiensis à jurisdictione ordinaria.*
2. *Clausula* ex certa scientia *potestas.*
3. *Dismembratio Ecclesiarum sit sine amissione Privilegij cujusque.*
4. *Exemptioni an sit derogatum per Conc. Trident.*
5. *Exemptio non tantùm est personarum, sed etiam rerum.*
6. *Arresti jus ex consuetudine vel privilegio.*
7. *Cautio* Judicio sisti *non tollit exceptionem declinatoriam.*

CONSILIVM LXIV.

MIRVM est, cur cùm tam aperta & notoria sint privilegia secundariarum Collegiatarum Ecclesiarum Leodiensis diœcesis, quoad exemptionem à quacumque jurisdictione Ordinarij sive Archiepiscopi, sive Episcopi, in cujuscumque generis caussis, & usus hujus consistorij id amplissimè demonstret; in hac caussa, ad quam per viam arresti in jus, coram Venerabili Domino Officiali Mechlinienſi, ad instantiam Domini Ioannis Grauwels, ejusque litis consortium vocati sunt Dominus Ioannes Ranst, ejusque consortes Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani Thenensis, hujus caussæ Opponentes, Advocatus arrestantium Actorum tantopere obnitatur exceptioni declinatoriæ, quam Opponentes adversus Domini Officialis jurisdictionem proposuerunt ex dictis privilegijs Apostolicis; quibus inter cætera continetur (uti ex eorundem privilegiorum justo exemplo seu copia constat) non hoc tantùm in genere, quod *dictæ Ecclesiæ, & earum suppositæ sint ab omni superioritate & jurisdictione Episcopi Leodiensis, nec non quorumcumque aliorum Archiepiscoporum & Episcoporum, Vicariorum, Officialium, & aliorum ordinariorum Iudicum, liberæ, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectæ*; sed insuper in specie, quòd *nemo prædictorum in hujusmodi suppositæ aliquam jurisdictionem exercere valeat, etiam ratione delicti, contractus, vel rei de qua ageretur.*

Cujus quidem privilegij substantia non tantùm 1
consistit in nudo usu consuetudinis aut illius repetitione, ut Advocatus partis adversæ allegat; sed in speciali etiam Sedis Apostolicæ nova concessione: ita quod substantia hujus privilegij & exemptæ jurisdictionis consistat in duobus: in inveterata consuetudine, quam Pontifex per dictas literas confirmat; & in novo privilegio Pontificio: quorum alterum sufficere potest ad exemptionem ab ordinaria jurisdictione, & acquisitionem propriæ, *c. Auditis. c. Cum ex officij. c. Cum olim De præscript. c. Cum contingat De foro compet. & ibi gloss. c. Cum capella De privileg. Alex. consil. 240. Perspectis vol. 6.* Vnde non est hoc privilegium tantùm habendum pro nuda innovatione, vel conservatione antiqui privilegij; quæ non solet aliquid juris per se tribuere, *c. Cum dilecta De confirm. utili vel inut. c. Quia intentionis De privileg. c. Quia diversitatem & ibi gl. & DD. De conces. præbend.* sed pro formali confirmatione, & quate-

quatenus opus est novâ concessione, ut tener ipsarũ
2 literarum demonstrat † idque additâ clausulâ, *ex certa scientia*, cujus vis & potestas tanta est, ut per se, nullâ etiam factâ mentione novæ concessionis, qui sic confirmat, non tantùm confirmare, sed etiam dare intelligatur, si dandi aut concedendi ab initio seu de novo facultatem habet *cap. pen. & ibi Panorm. it. num. 5. De confirm. vtili vel inut.* nam inducit præsumptionem plenitudinis potestatis, & effectum derogationis omnium, quæ in contrarium militant. *And. Gail. pract. obser. lib. 2. obs. 56. nu. 14.* Vsque adeò ut etiamsi confirmatum esset nullum vel invalidum, validaretur per hujusmodi potestatem habentis confirmationem, cui addita est clausula, *Ex certa scientia. Car. Molin. ad consuetu. Paris. §. 5. nu. 69. tit. 1.* multò magis cùm ultra confirmationem adjicitur nova concessio, ut in literis dicti privilegij conspicitur.

Cùm igitur dubium nullum sit, quin summus Pontifex possit concedere exemptionem ab ordinaria jurisdictione *c. 1. & ibi gloss. in V. exemptionis De privileg. libr. 6. c. Frater, versic. & cum aperuisset* XVI. *q. 1.* nulla quoque sit dubitatio, quin tenor dicti privilegij exemptionis, continens clausulam, *Ex certa scientia*, & præterea specialem & expressam novam concessionem exemptionis, ab omnimodâ jurisdictione ordinarij; planum est & apertum dicto Domino Officiali ordinariam jurisdictionem exercenti, adversus citatos nullam competere jurisdictionem in hac causa.

Nec dici potest, quod usus huius privilegij dictis citatis & eorum Ecclesiæ sit præreptus per hoc, quòd Ecclesia Sancti Germani Thenensis amplius non sit de, seu sub Diœcesi Leodiensi, sed per dismembrationem Episcopatus Leodiensis, &
3 erectionem Archiepiscopatus Mechliniensis inclusa intra terminos diœcesis Mechliniensis * nam hujusmodi dismembratio & alteratio sit, & facta intelligi debet, sine præjudicio privilegiorum antea competentium; illa enim, indictis, dismembratâ, & alteri diœcesi subjecta Ecclesiâ, salva manent & perdurant, ut in his terminis expresso jure decisum est, *c. Ad Apostolatus De concess. præbend. in Extravag. Ioannis XXII.* Et sunt hæc manifestiora, quàm ut longâ deductione comprobari debeant; cùm idem in usu quotidiano observare liceat, in aliis omnibus Collegiatis Ecclesijs, quæ Lovanij, Diestheniij, Leeuwis, Arschoti sunt, quæ itidem fuerunt olim Leodienses, nunc verò Mechlinienses diœcesis limitibus inclusæ sunt.

Cui tam apertæ exemptioni nil derogat Concilij Tridentini locus, per Advocatum Actorum designatus, *Sess. 24. de reform. c. 11.* Nam in illo, aut quocumque alio in eodem Concilio non conspicitur aliqua exemptionum priùs ritè concessarum revocatio aut abolitio, sed tantùm in usu quoad certas personas restrictio: quinimò pluribus locis ejusdem Concilij præsupponitur, imò etiam approbatur usus hujusmodi exemptionum, *Sess. 7. c. 8. & Sess. 14. c. 4.* ita ut quæ expressè revocatæ non inveniuntur, adhuc stare dici debeant, *l. Sancimus C. De testam.* Nec quicquam obstat, quòd per idem Concilium Tridentinum renovata, & in usum revocata sit Innocentij Quarti in Concilio Lugdunensi ædita constitutio, *d. cap. 1. De priv. lib. 6.*, quâ cavetur, quod exempti, ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, possint coram locorum Ordinarijs convenire, si delictum commissum, aut contractus initus est extra locum exemptum. Nam ea constitutio, ejusque innovatio tam præcisa non est, quin per Sedem Apostolicam illi derogari possit; prout eidem in hoc, de quo agimus, privilegio derogatum esse reperitur; non per clausulas, sed per specialem & individuam derogationem, factâ expressâ mentione dictæ constitutionis Innocenti; Quarti: cujus generis derogatio, ex sententia Ioannis Andreæ, *in d. c. 1. De privileg. lib. 6. in princ.*, quam alij omnes Interpretes approbant, *Anchar. in d. c. 1. n. 2. & ibid Phil. Franc. nu. 1. Domm. Gemm. nu. 9.* est omninò valida, & effectum atque usum exemptionis, latiùs porrigit, etiam ad eos casus, ubi delictum commissum, vel contractus initus, aut res, de qua agitur sita est extra locum exemptum; ut conceptis & formalibus verbis in hoc privilegio expressum est. Ita ut nihil curandum sit quod Actores allegant de non extendendo hoc privilegio ad casum præsentem, in quo agitur contra rapientes aliena, atque invasores & expilatores alienæ hæreditatis: nam indeterminata dicti privilegij concessio, mentionem faciens de delicto & contractibus, ad cujuscumque generis delicta & contractus extendi debet, ex natura indeterminati sermonis, qui æquivalet universali, *l. Si plurib. & ibi Bart. De legat. 2. & in l. Omnes populi De iustit. & iure, Io. Andr. a, Archidiac. & Do. Gemm. in c. Vt circa, De elect. li. 6.* cùm nulla sit ratio cur privilegio locus non sit etiam in casu spolij aut expilationis.

Nihil etiam prodest Impetrantibus ea allegatio, quòd hoc judicium cœperit per arrestum bonorum sub laicis personis existentium: nam cùm ea bona pertineant ad citatos, nihil aliud est hujusmodi arrestum, quàm indirecta citatio eorum, quorum bona sunt; hi autem sunt in ea qualitate, ut nec directè vel indirectè conveniri possint co-
5 ram ordinario Iudice virtute dicti privilegij † exemptio enim hæc & personas, & eorum bona respicit; quia personæ quodammodò cohærent, ideoque eodem privilegio, quod personæ competit, frui debent, *c. Ecclesiarum servos* XII. *q. 2. gloss. in c. fin. De vita & honest. clericor. vet. Rebuff. ad constitut. Reg. de literis obligat. art. 2. gloss. 1. nu. 106.* † Pro-
6 inde arresta hodierna, quæ à jure communi recedunt, & regulariter prohibita sunt, nisi quatenus jure, consuetudine, vel privilegio apparet esse permissa, *Carol. Molin. ad consuet. Paris. tit. 2. §. 52. nu. 2.* nihil aliud sunt, quàm obliquæ citationes, & in jus tractiones; quæ ob id etiam relaxantur per comparitionem ejus, cujus bona sunt, & resolvuntur in simplicem citationem datâ saltem cautione de sistendo juri, *l. Si fideiussor. §. fin. Qui satisdar. cog. Nic. Everar. cons. 102. Venerabilis Domine.* prout in hac causa factum est; in qua per satisdationem citatorum speciali decreto relaxatum est hoc arrestum bonorum, manente adversus eosdem Reos solo effectu citationis, qui propter prædictam exemptionem aliquis esse non potest; & ne
7 quidem per satisdationem de sistendo juri * Nam illa satisdatio non excludit facultatem allegandi privilegij aut declinandi forum; nisi hujusmodi

pri-

vilegio expresè renunciatum sit, *d. l. Si fideiussor in fin. princ. ff. Qui satisd. cog.* cùm & judicio sistat, qui comparet, & privilegium suum allegat *l. Si quis ex aliena De iudic.* Vnde etiam est, quòd Venerabilis Dominus Officialis relaxando hoc arrestum sub hac cautione expresè adjecerit, *de stando iuri coram eo iudice, qui huius causæ iudex competens declarabitur:* per quod decretum tolluntur omnes cavillationes, quæ de seriùs propositâ hac exceptione exemptionis & prorogata jurisdictione Venerabilis Domini Officialis proponuntur.

Sic concludentes, partes Venerabilis Domini Officialis esse, ut decernat se non esse causæ & partium hujusmodi judicem competentem.

De judicijs & foro compet.

SVMMARIVM.

Iurisdictio ordinaria quoad monachum exemptum.

Monachus ad curatum beneficium præsentatus, an possit per Abbatem revocari sine consensu diœcesani.

1. *Iurisdictionis incompetentia continet insanabilem nullitatem.*
2. *Privilegiatus citatus comparere, & de privilegio excipere debet.*
3. *Clausula iustificatoria in præcepto omissa vitiat præceptum.*
4. *Ordinarius non supplet negligentiam exemptorum.*
5. *Ordinarius potiùs ordinariè, quàm delegatâ potestate procedere præsumitur.*
6. *Monachus servo ac filio-fam. comparatur, & de iniuria non agit contra suum Prælatum.*
7. *Servo inhumaniter tractato etiam adversus dominum succurritur.*
8. *Monachus a suo Prælato malè tractatus apud quem conqueri possit.*
9. *Ordinarius exemptorum privilegijs deferre debet.*
10. *Præsentatus a Prælato regulari ad Ecclesiam parochialem non potest per eundem sine consensu Episcopi inde removeri.*
11. 16. 18. *Intellectus* c. 1. De Capell. monach. lib. 6.
12. *Vicarij monachi non sunt perpetui.*
13. *Monacho beneficium perpetuò committi non debet.*
14. *Monacho facta provisio, non expresso, quòd sit Monachus non valet.*
15. *Monachorum beneficia sunt manualia.*
17. *Monachus Ecclesiæ alicui præfectus non desinit esse obedientiarius.*
19. *Exempti multis modis gravantur ab Ordinarijs.*
20. *Statutum, ut non liceat Monachum ad suum Monasterium revocare, non valet.*
21. *Verba statutorum ad intellectum iuris communis trahenda.*
22. *Arresta & sequestra iuri communi repugnant.*
23. *Brachium sæculare quando invocandum.*

CONSILIVM LXV.

RIGOROSÆ admodùm, & sine juris ac praxis intellectu compositæ, nullitatisque vitio obnoxiæ sunt literæ arrestatoriales, inhibitoriales, tacitè citatoriales, & brachij sæcularis invocatoriales, quæ sub nomine Reverendissimi D. Episcopi Namurcensis adversus Reverendum Dominum Abbatem & Monasterium Bonæ spei Ordinis Præmonstratensis duodecimâ mensis Augusti novissimè præteriti decretæ, expeditæ, & executioni mandatæ sunt; ob eam prætextam causam, quòd idem Reverendus D. Abbas fratrem Augustinum Gaurensem suum, dictique sui Monasterij Religiosum, Pastorem, seu Curatum parochialis Ecclesiæ de Corcelles Namurcensis diœcesis, ex dicta parochiali Ecclesia ad suum Monasterium revocaverit, revocatum apprehendi, & carceri cum mala tractatione includi fecerit; ex ea causa, quòd idem Frater Augustinus dicti Monasterij colonũ quendam in jus coram Officiali Namurcensi ob denegatam seu dilatam solutionem cujusdam annui reditus, ei (ut prætenditur) ratione dictæ parochialis Ecclesiæ debiti, pertraxerit; quoipso eædem literæ asserunt jurisdictionem dicti D. Episcopi multipliciter lædi. Quæ dictarum literarum vitia paucis detegendo, initiumque à nullitate faciendo, hoc in primis proponitur, * 1 nullam in quocumque Iudicis seu superioris præcepto, vel alio actu judiciali, seu jurisdictionali, maiorem esse nullitatem, quàm quæ ex defectu jurisdictionis causatur: quippe impunè non paretur judici non tantùm qui extra suum territorium, sed & qui supra suam jurisdictionem jus dicit, *l. ult. De iurisd. om. iudic. l. Non videtur. De. iud. late Sebast. Vantius de nullitat. tit. de nullit. ex defectu iurisd.* Vnde quicquid ab incompetente iudice judicialiter vel extrajudicialiter statuitur, decernitur, mandatur, aut judicatur, pro non acto est, *l. 2. C. Si à non compet. iud.* nec quemquam constringit, *l. ult. C. d. t. l. privatorum. C. De iurisd. omn. iud.* Cùm igitur per notoria privilegia Apostolica totus Ordo Canonicorum regularium Præmonstratensium in capite & membris, suisque bonis omnibus sit exemptus à jurisdictione ordinaria & immediatè subiectus Sedi Apostolicæ, sequitur, quòd ex ordinaria dicti Episcopi jurisdictione nihil adversus illum seu illa statui possit.

Et quamvis aliàs Ordinarij Iudicis citatio adversus exemptum seu privilegiatum hoc saltem arctet citatum, ut comparere, & privilegium suum allegare debeat, & hic à necessitate ulteriùs comparendi judicemque agnoscendi liberetur, *l. Si quis ex aliena De iudic. c. Cum persona De privil. lib. 6.* eoque id non faciente, acta per judicem quamvis in specie incompetentem propter fundamentum generalis iurisdictionis, non sint ipso iure nulla, *Castren. in d. l. Si quis ex aliena:* non arctat tamen perinde aut constringit illum, cuius exemptio est notoria, & quam iudex nullâ probabilitate potest ignorare, *late Ioan. Andr. in c. Scienti. De R. I. lib. 6.* Qualis proculdubio est exemptio Ordini Præmonstratensi concessa; cuius ignorantiam neque R.mus Episcopus, neque eius Officialis in magno & longo usu prætendere possunt. Cùm alioquin res hîc excedat terminos nudæ simplicisque citationis per ius iudici ordinario permissæ (in qua tantum periculi aut incommodi non consistit) sed habet longiorem in iurisdictione progressum, per sequestrationem fructuum & redituum dicti Reverendi D. Abbatis, & sui Monasterij, * idque adhuc nullâ iustificatoriâ clausulâ ijsdem 2

literis

literis inserta, cujus omissio hujusmodi pœnalia præcepta, seu executiva mandata, cùm ab illis judex litis initium facit, omninò vitiat, *Castren. in l. De pupillo. §. Meminisse nu. 4. De novi oper. nunc. Ioan. de Amicis cons. 35. Magnifice Domine nu. 4 Steph. Bertrand. cons. 156. Præcepta quæ vol. 3. part. 2. repetitio cons. 155. vol. 5.* Quę clausula iustificatoria si fuisset his literis inserta, & sic Domino Abbati facta potestas dicendi aut allegandi causas & rationes, cur hujusmodi arrestum fieri, aut idem Abbas Procuratori fiscali super prætensis excessibus respondere non deberet; ex comparitione & oppositione D. Abbatis res hæc pro nuda & simplici citatione haberi potuisset, *DD. in d. §. Meminisse. Bald. in l. 2. nu. 7. versic. venio ad citationem C. De Episc. audien.* Ad quam idem Abbas facillimè potuisset citantis jurisdictionem declinare ex allegatione & probatione suæ exemptionis per exhibitionem Bullarum Apostolicarum: quia exemptio ordinario judici omnem jurisdictionem in exemptum eripit, & maximè in delictis & excessibus; etiamsi exemptus delictum commisisse dicatur in rem non exemptam. † Vnde est quòd Ordinarius ex ordinaria 4
sua potestate non possit supplere negligentiam Prælati exempti, sed delegata seu Apostolica *Clement. 1. De suppleud. negl. Prælat.* id quod Ioannes de Imola à negligentia extendit ad alia, *in d. Clem. 1. nu. 8.*

Cùm igitur hæ literæ ex ordinaria potestate sint decretæ, nullâ factâ mentione Apostolicæ seu delegatæ, ex defectu talis jurisdictionis in exemptum censeri debent nullæ: nam id omninò necesse est, cùm ex discrimine & differentia qualitatis modus 5
jurisdictionis dependeat. * Vt enim naturalis seu communis & ordinaria causa in quocumque dubio, & in plures partes propendente actu, potius quàm accidentaria seu extraordinaria præsumitur, *l. Qui habet De tutel.* præsertim ubi naturalis & accidentariæ concursus non permittitur, *glossa in d. l. Qui habet in verb. cum magu*: ita quoque in exercitio jurisdictionis, concurrente in eundem judicem ordinariâ & delegatâ potestate, præsumitur potiùs ordinariæ exercitium, quàm delegatæ tamquam accidentariæ jurisdictionis; & Iudicem utrâque hâc qualitate præditum potiùs ut ordinarium, quàm ut delegatum actum jurisdictionalem facere per respectum ad naturalem seu ordinariam potius, quàm accidentalem & extraordinariam potestatem, *Andr. Barbatia consil. 88. Mihi videtur nu. 15. vol. 3.* Vnde est quod Fredericus de Senis *cons. 130. Factum est tale, quidam Dominus nu. 3.* aperte scribat, processum Episcopi seu ejus Vicarij habentis ordinariam & Apostolicam authoritatem, non tantùm ex speciali Pontificis delegatione, sed etiam ex generali Canonis dispositione (ut in multis casibus id ita constitutum est, *Clem. Quia contingit De relig. domib. Clemen. 1. De suppl. neglig. prælat.*) esse omninò nullum, si cùm illum ordinariâ potestate facere non potest, eundem faciat nullâ qualitate expressâ; ob id, quod nullâ expressione factâ censeatur actum facere suâ ordinariâ, non alienâ delegatâ potestate. Ex qua ordinaria cùm non possit in proposito R.mus Episcopus aliquid in dictum Abbatem, aut ejus bona facere, propter notoriam illorum exemptionem, & non constet, quòd ex delegata seu Apostolica voluerit, detegitur aperta pugna inter voluntatẽ & potestatem: quod enim vult ex ordinaria potestate, non potest; & quod potest, se velle non declarat. *§. Cum super De offi. & potest. iud. deleg. l. Multum interest C. Si quis alteri vel sibi &c.* Non voluisse autem R.mum Dominum Episcopum uti delegatâ potestate, verba dictarum literarum manifestius demonstrant per hoc inter alia, quòd causam hujus arresti, inhibitionis, & processus super excessibus fundet; super assertione & vindicatione suæ ordinariæ jurisdictionis, quam prętendit lędi per D. Abbatis hoc factum circa suum Religiosum ob colonum in jus coram sup Officiali vocatum; item per hoc, quòd prætendat D. Abbatem contravenisse statutis Synodalibus Archiepiscopatus Cameracensis, quæ ordinariam, non Apostolicam seu delegatam jurisdictionem contingunt; cui ordinariæ jurisdictioni cùm præfatus Abbas, eiusque Monasterium ac bona subiecta non sint, nihil potest contra illum authoritate ordinariâ dicti Episcopi statui aut decerni; sed si ea in parte quicquam per dictum D. Abbatem peccatum aut excessum existimari posset, deberet de ea re Abbas coram suo superiore, cui subiacet, conveniri; & minimè in causam trahi coram dicti R.mi Episcopi Officiali judice per omnia illi incompetente. Tantoque minus, quòd præfatus R.mus Episcopus per hujusmodi arrestum, & criminalem velut processum procedat ob iniuriam, quam prætendit D. Abbatem prędicto fratri Augustino suo Religioso per dictam apprehensionem, & incarcerationem fecisse; & id quidem diserris & directis his verbis: *Donec & quousque dictus D. Abbas iniurias dicto Fratri Augustino illatas readiter & cum effectu reparaverit, & cautionem dederit de ulterius ipsum non molestando aut inquietando:* in quo sanè latet magna juris imperitia.

Est enim indubitati juris Monachum servo, § 6
aut saltem filio-familias æquiparari, & ad illorum conditionem redactum esse, *Innoc in c. Cum olim 2. De privileg. Bart. in l. 1. De stipulat. servor. nu. 3. DD. in c. In præsentia De probat. Bald. & alij in l. Deo nobis C. De Episc. & cler. Bart. & alij in l. 1. De vulg. & pupil. substit.* ac proinde ut filius-familias, multò minus seruus, nullam actionem aut querelam injuriarum adversus patrem aut dominum habet, etiamsi atrox sit injuria, *l. Prætor edixit. §. sed & si quis ex liberis. De iniur.* ita multo minùs Monachus in potestatem sui Prælati redactus, qui propter bonum obedientiæ, cujus vinculum arctius illi injicit professio monastica, non potest cõqueri de aliqua injuria sibi per suum superiorem illata: cùm quicquid illi per superiorem ĩt aut iniungitur, præsumatur pro salute factum & iniunctum, *cap. Reprehensibilis in fine De appellat.* Et adeò quidem ut nec magis ei liceat tunc, cùm aliquo modo per suum Prælatum velut manumissus est, hoc est, ad Prioratum aliquem aut curatam Ecclesiam translatus: est enim eo casu Religiosus similis liberto, cui non permittitur injuriarum actio adversus suum patronum, nisi ob atrocem injuriam, etiamsi flagris & verberibus mediocriter per eum pulsatus, imò etiam vulneratus fuerit *d. l. Prætor §. præterea vers. sed si flagru.* † Verum quidem est, etiam servum nimis 7
inhumaniter, nimiâ intolerabiliquę asperitate per
domi-

dominum malè tractatum, adversus dominum audiri, §. *sed & maior asperitas Instit. De his qui sui vel alien. iur.* & in plerisque alijs causis servum adversus dominum in judicio consistere posse, *l. Vix certus D. De iudic.* ut idem quoque monacho adversus suum Prælatum, si pessimè ab eo tractetur, permittendum esse videatur, *Baldus & Castren. in d. l. Vix certus Ioan. Faber in §. sed hoc tempore Instit. De his, qui sui vel al. iur. sunt*; imò eo casu per Abbatem litis expensæ illi etiam ministrari debeant, sicut generaliter tradit Ioannes Faber, *in d. §. sed hoc tempore sub fin.* cuicumque subjecto permittendum id esse, ut ubi duriùs tractatur per suum Superiorem, ad sævitiam id reputari possit, adeoque eo casu subjectum eximi à subjectione & jurisdictione illius, & ea in parte per judicem ex officio sic gravato & oppresso succurrendum & providendum esse, *l. Illicitas. §. ne potentiores. De off. præsidis*: sed inde non consequitur, quòd præfatus R^mus Episcopus, aut ejus Officialis se huic rei interponere
8 debeat vel possit. † Permittitur quidem id etiam monacho, non apud quemvis judicem, sed competentem; apud eum scilicet, qui Abbatis superior & competens judex est: huic enim rectè supplicare potest Monachus, si exorbitantius à suo Prælato male tractetur; vel si irrationabiliter à cura, cui præfectus fuit, ad monasterium revocetur, *Ioan. Andreæ & Geminian. in c. Cum singula De præben. lib. 6. Ioan. de Imola in Clemen. 1. nu. 44. De supplend. neglig. prælat.*

Cùm ergo neque R^mus D. Episcopus, neque ejus Officialis ex ordinaria jurisdictione sint præfato D. Abbati notoriè exempto competentes judices, non potest hic Frater Augustinus ad eos contra proprium Abbatem recursum habere, multò minùs illi se huic rei ultrò interponere, sed debet hæc res ad superiorem Ordinis, aut saltem ad Sedem Apostolicam deferri, quibus hic Abbas, & ejus Monasterium subjacent: potissimùm quia hoc factum, quod in dictis literis pro causa excessus assumitur, non concernat exercitium curæ animarum; respectu cujus etsi Episcopus se intromittere
9 aliquo modo possit, † ultrà tamen nihil potest, sed debet Apostolicis privilegijs, quibus nituntur exemptiones ab ordinaria potestate, in cæteris reverenter deferre, & nullam in exemptos jurisdictionem usurpare, vel exercere, *d. c. Cum capella c. Ex ore De privileg. c. Per exemptionem De privileg. lib. 6.* Vt proinde etiam in dictis arrestatorialibus literis malè assumatur, quòd dictus Frater Augustinus Episcopali jurisdictioni in omnibus & per omnia sit subjectus. Cum igitur hæc apprehensio, & incarceratio hujus Monachi non respiciat aliquo modo curam, seu exercitium curæ de Corcelles, sed ejus inobedientiam, quod (ut habent dictæ literæ) præsumpserit sine consensu, imò contra prohibitionem sui Abbatis in jus trahere colonum dicti Monasterij, & id quidem contra expressa, & per Sedem Apostolicam multipliciter confirmata, imò illius auctoritate facta statuta, inter alia statuentia, ne Religiosi Ecclesijs parochialibus præfecti lites intentent contra aliquos, multò minùs contra proprios Abbates, aut eorum colonos seu decimatores, nisi de consensu Abbatis proprij & domus vel superioris, & coram Conservatore privilegiorum Apostolicorum; debuit, & potuit hæc illius contumacia, apprehensione, & incarceratione pro discretione proprij sui Prælati coërceri: cui se R^mus Episcopus quoquo modo immiscere non debuit, nec potuit, cùm id sit supra ejus jurisdictionem respectu personarum, in quas nullam potestatem habet, nisi quoad exercitium curæ animarum; ratione cujus superioritatem & jurisdictionem dumtaxat habet *c. 1. De capell. monach. lib. 6.*

Probabilior est alia causa, quæ in narrativa 10
parte dictarum literarum proponitur, quòd Reverendus D. Abbas contra statuta diœcesis Cameracensis dictum Fratrem Augustinum ad suum Monasterium revocaverit; quasi id eidem Domino Abbati non licuerit, propter Bonifacij Octavi Papæ constitutionem *in d. cap. 1. De capel. monach. lib. 6.* quâ constitutum est, quòd *presbyteri, qui ad curam populi per Monachos in eorum Ecclesijs præsentantur Episcopis, & instituuntur ab ipsis (cùm debeant esse perpetui) consuetudine, vel statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeant Ecclesijs, (nisi per Episcopos ex causa rationabili) amoveri.* Ad cujus confirmationem ultra jus commune in dictis literis adjicitur quoque Capitulum ex statutis Synodalibus Archiepiscopatus provinciæ Cameracensis (sub qua est Episcopus Namurcensis) quo statuit *c. 6. De ministr. Eccles.* dicunt Abbates, qui suos Religiosos Episcopo diœcesano loci pro cura animarum in ejus diœcesi exercenda præsentarunt ad beneficia curata, non posse Religiosos hujusmodi diœcesano invito, & sine ejus consensu ad sua beneficia revocare. Probabilior quidem in aspectu, sed non
perinde in recessu verior aut justior est hæc causa: 11
* nam in primis quod ad Bonifacianam constitutionem *in d. c. 1.* attinet, loquitur illa de presbyteris sæcularibus, qui ad Ecclesias Monasterio seu alijs exemptis locis incorporatas, ad curam parochialem Episcopo præsentantur; eoque sensu Ioannes Monachi dictam constitutionem accipit, *in d. c. 1.* Cujus rationem hanc adfert Ioannes Imolensis, *in d. Clem. 1. De supplen. neglig. prælat. nu. 45.* quòd presbyteri sæculares amoti à beneficio, in quo semel instituti fuerunt, quò se conferant, non habent; aliter quàm monachi presbyteri, qui ad suum claustrum seu Monasterium revocari possunt, & revocati extra provisionem non sunt, sed provisione sui Monasterij gaudent; ita ut cùm in Religioso revocatio locum habere possit, non in clerico seu presbytero sæculari, qui de claustro seu Monasterio non est, nec illius obedientiarius, major & proclivior sit potestas revocandi Monachi, quàm clerici sæcularis. Vnde non sine mysterio in dicta Bonifaciana constitutione, dicitur non de non revocandis presbyteris, sed de non amovendis, quasi facilior sit revocatio, quàm amotio. Nec sanè mirum si monachus facilius à cura domum revocari possit, cùm ut nihil proprij habere potest, ita non conveniat eum esse perpetuum; † ideo- 12
que Ægidius Bellamera scripsit *decis. 702. Supposito.* quòd quamvis Vicarij constituti in Ecclesijs incorporatis sint perpetui, propter institutionem Episcopi, id tamen ad sæculares restringendum sit Vicarios, non ad proprios Monasterij, seu Abbatis præsentantis Monachos: quippe proprius Monachus

chus sic præsentatus non liberatur, nec absolvitur à jugo & obedientia sui claustri; & ob id adhuc claustralis & obedientiarius dicitur, & habetur,
13 *Freder. de Senis cons.* 134. *Casus talis est.* † Quæ causa est, quòd nulli Religioso aliquod beneficium perpetuò retinendum seu possidendum committi possit; sed sic semper, ut per suum superiorem quandocumque, saltem ex rationabili causa, revocari possit, *c. Cum ad Monasterium §. tales, c. 2. §. priores, De statu monach.* Irrevocabilitas namque aliquo modo professioni Monachi repugnare videtur. * Ex quo est, quòd confirmatio, quam
14 Monachus à Papa impetrat super administratione Prioratus, aut alterius beneficij, non expressio, quòd sit regularis seu Monachus, non valeat ut surreptitia; & si id expressit, præsumatur falsa, *c. Ad nostram, c. Porrecta De confirm. utili & inut.* Imò quod magis est, si ex Abbatis seu alterius regularis Prælati negligentia collatio alicujus beneficij, vel Ecclesiæ, Monacho seu regulari conferri soliti, fiat jure devoluto per Episcopum, sive suâ in non exemptis, sive Apostolicâ potestate in exemptis Monacho, dicto Abbati seu Prælato subjecto, is nihilo magis sit perpetuus, & irrevocabilis, sed possit liberè per suum Prælatum ad claustrum revocari ex Clementis Quinti constitutione, *in Clem. 1. De supplen. negl. prælat.* * Ad cujus constitutio-
15 nis interpretationem Cardinalis Zabarella *in d. Clemen. 1. §. præmissa nu. 7.* docet hujusmodi Monachorum beneficia manualia dici, & velut ad beneplacitum conferri, *benedict. Capræ d. conclus. 73. nu. 4.* & non tam esse beneficia, quàm obedientias, *c. 2. versic. prioratus. De statu monach.* ob id, quòd & in acceptando, & in dimittendo illas, obedire debeant, & obediendo revocati sine tergiversatione inde recedere. † Verum quidem est
16 Ioannem Andreæ, *in d. c. 1. De capell. monach.* (reprobatâ sententiâ Ioannis de Deo *quæst. 37.* existimantis, dictam Bonifacianam constitutionem dumtaxat loqui de presbyteris non monachis) putare discrimen non esse constituendum inter presbyteros sæculares & Monachos; eaque in re eum sequi Geminianum, *in d. c. 1. nu. 7.* & Philippum Francum, *ibid. nu. 5.* ob id, quòd dicta constitutio indistinctè, seu indefinitè loquatur de presbyteris à monachis præsentatis, & per Episcopum institutis; ideoque generaliter tam de Monachis quàm sæcularibus presbyteris accipi debeat, *benedict. Capra in regulis d. conclus. 73.* sed ratio rei subjectæ postulat, ut quamdiu Monachus quamvis presbyter manet sui claustri, seu prælati obedientiarius, tam diu stet & cadat dominio suo, & ex obedientiæ necessitate, quæ illum ut umbra corpus sequitur, possit præsertim ex justa causa revocari. * Id
17 quod indubitatum est tunc, quando Monachus presbyter per suum Prælatum præficitur Ecclesiæ parochiali subjectæ seu incorporatæ suo Monasterio, ad quam semper solet aliquis ex eodem Monasterio præsentari. Vt enim Ecclesia ipsa Monasterio subjecta est; ita quoque Monachus inde assumptus, subjectus manet, nec censetur propriè ex Monasterio translatus, nec ab obedientia Monasterij liberatus. Aliter quàm si Monachus per suum superiorem ad aliquam aliam Ecclesiam suo Monasterio minimè subjectam aut incorporatam præsentatus, & per Episcopum in illa esse institutus: hoc enim casu non tam est obedientia, quàm manumissio Monachi, per quam Monachus desinit sui monasterij esse obedientiarius, & pleno jure transit in subjectionem Episcopi. Quæ est elegans Panormitani doctrina & distinctio, *in cap. 2. De statu Monach. nu. 2. & in cap. Quod Dei timorem. nu. 9. eod. tit.* & ante illum Frederici de Senis, *d. cons. 134. Casus talis, quidam Abbas*: eoque sensu accipiendum est, quod Ioannes Monachi scribit, *in d. cap. 1. De capell. Monach.* de pari conditione presbyteri sæcularis, & Monachi habentis intitulatam administrationem.

Et ad hunc sensum trahenda est Ioannis An- 18
dreæ interpretatio de Bonifaciana constitutione; ut quoad Religiosos accipiatur de his presbyteris Religiosis, qui à Monasterio ad Ecclesias, quæ non sunt de mensa Monasterij, seu Monasterio non sunt incorporatæ, omninò transferuntur, *cap. cum & plantare § in Ecclesijs De privileg. in cap. Lateranensi De præben.* non etiam de illis, qui in obedientia retinentur; ut sunt qui præficiuntur Ecclesijs Monasterio incorporatis: quo casu institutio Episcopi magis accessoria, quàm principalis est, & sequitur naturam principalis, hoc est conditionem Monachi & voluntatem Abbatis *Ioan. Andr. in cap. Veniens. in verb. examinandi De verb. signific. lib. 6. Benedict. Capra d. conclus. 73. nu. 4.*

De quo minus in proposito dubitandum est, quòd per statuta dicti ordinis ita statutum & observatum fuerit, quod revocatio Monachorum ab Ecclesijs parochialibus Abbatis seu Prælati liberæ etiam potestati sit permissa *l. Si De interpretatione, De legib.* Et quamvis dicta Bonifaciana constitutio in effectu revocet, tollat, & annullet omnia & quæcumque statuta & consuetudines in contrarium facientes his verbis. *Consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante*; non perinde tamen eâdem constitutione tolluntur privilegia contraria, præsertim per Sedem Apostolicam concessa: nam in concursu plurium, sublato uno impedimento, vis impediendi manet in eo, quod sublatum non est, *l. Si non lex De hared. institut.* Quæ est interpretatio Glossæ ex Innocentio & Hostiensi ad dictam Bonifacianam constitutionem, *in d. cap. 1. in V. consuetudine.* ab omnibus approbata. Et ex ea consideratione scribit eadem Glossa, & sequitur Ioannes Andreæ, *in d. cap. 1. sub fin. em.* per illam constitutionem statuta & consuetudines, non etiam privilegia abrogari; ideoque in Fratribus humiliatis & nominatim in Præmonstratensibus locum non habere. Vt dubium non sit eum vidisse hujusmodi Præmonstratensium privilegia permittentia generalem potestatem revocandi suos Monachos à quibuscumque beneficijs, quibus eos tam in proprijs, quàm alienis Ecclesijs præfici contingit. Vt sanè multa admodum clara & manifesta hac in re is Ordo habet à Clemente Quinto, Ioanne XXII. Alexandro Quinto, Honorio quarto, Nicolao Quarto, Cælestino Quinto, Pio Secundo, Sixto Quarto, Alexandro Sexto, Iulio Secundo: quæ nuper etiam approbatione felicis recordationis Gregorij XIII. sunt renovata & approbata, quatenus decretis

sacri œcumenici Concilij Tridentini non repugnant. Vltra quæ extat quoque Guidonis Episcopi Cameracensis ab hinc trecentis ferè annis de hac revocandi Monachos parochialibus Ecclesijs præfectos libera potestate, speciale indultum.

Ad quæ privilegia conijciendo oculos, facilè tollitur quod ex statutis synodalibus Archiepiscopatus Cameracensis adfertur in contrarium: nam inprimis cùm inferior non possit legem superioris tollere, *c. Cum inferior De major. & obed. Clem. ne Romani in princ. De elect.* quatenus in decretis seu statutis dictæ synodi aliqua continentur, quæ adversantur privilegijs Apostolicis, rata esse non debent, nec exemptos hac in parte privilegiatos
19 complecti. † Quinimò aperto jure reprobantur huiusmodi Archiepiscoporum & Episcoporum statuta; & inter cætera damnata gravamina, quæ Ordinarij exemptis inferre solent, hoc quoque est quòd ab ijs statuta fiant exemptorum privilegijs derogantia *Clem. 1. §. quidam statuta. De excess. prælat.*

* Imo in genere non valet statutum, per quod
20 statuitur, ne liceat Abbati suum Religiosum alicui Ecclesiæ vel administrationi præfectum etiam cum institutione Episcopi ad suum claustrum revocare, *Freder. de Senis consil. 259. Casus talis est, posito*; quia simul stare non potest ut Monachus sit obedientiarius (qualem diximus esse eum, qui monasterio proprio incorporatæ Ecclesiæ præficitur) & non sit, saltem ex rationabili causa etiam non requisito Episcopi consensu, ad monasterium suum revocabilis, quia per se perpetuitatis in quacumque administratione sub suo Prælato capax non est. *d. c. 2. § priores. d. c. Quod Dei timorem.* Quo pertinet quod in formula reformationis Ordinibus Imperij per Carolum Quintum proposita, & in Synodo Cameracensi anno 1550. exhibita, & ijs approbata inter alia continetur, quòd Monachi à suis Prælatis missi ad curam animarum, manere nihilominus debeant sub eorum obedientia, qui eos corrigere, & revocare possunt. Etsi enim illæ dictæ reformationis ordinationes per se Ecclesiasticos non ligent, quod à Principe laico propositæ sint, *c. Ecclesia S. Mariæ De constit.* quia tamen in dicta Cameracensi synodo satis receptæ & approbatæ, & unà cum dictæ synodi alijs actis, decretis, & statutis impressæ & editæ sunt, & per se alioqui sacris Canonibus maximè in hoc articulo consentaneæ, plurimùm faciunt ad detegendam improbabilitatem eorum, quę hac in parte propter revocatum dictum Fratrem Augustinum ex parte & sub nomine dicti Reverendissimi Episcopi adversus præfatum Revdum D. Abbatem acta sunt, agantur, & adhuc in futurum fortè ijsdem vestigijs insistendo agentur.

Ad quam improbabilitatem magis redarguendam plurimùm facit, quòd is, qui author seu dictator fuit dictarum literarum arrestatorialium, ut ad suum sensum dictum statutum seu decretum synodale trahere & accommodare posset, parum integrâ fide, & non sine reprehensione verba illius immutare seu sub immutatis verbis illa dictis literis inserere non erubuerit, *l. fin. Ad leg. Cornel. De falsis*. Cùm enim vera dicti decreti verba nihil proponunt aut contineant de suis seu proprijs Religiosis Abbatum, quorum monasterio curata beneficia unita sunt; neque etiam de prohibitione, ne Abbates suos Religiosos ad curata beneficia præsentatos ad sua Monasteria sine consensu Episcopi revocare possint; in dictis tamen literis, corruptis au saltem mutatis verbis dicti decreti, & contra illorum fidem additum est, *de suis Religiosis*; item *de revocatione suorum Religiosorum ad sua monasteria*: ob id nimirum, quòd sine hujusmodi additione & mutatione, dictum decretum huic intentioni Rmi D. Episcopi inservire non posse facilè animadverterit: nam in vero suo sensu, quem verba ipsa ex eorum communi usu præ-se-ferunt (quæ in primis & ante omnia in consideratione haberi debent, *l. In usu 158. l. Annicultus 132. §. 1. De verb. signif. l. 2. §. is qui navem De exerc. act. l. 3. §. hæc verb. & ibi Bart. De neg. gest. l. Labeo De supp. leg. l. Non aliter. De legat. 1.* nihil aliud invenitur continere dictum synodale statutum, quàm continetur in supradicta Bonifaciana constitutione, *in d. c. 1. De capella monach.*

Prout etiam in dubio verba simpliciter pronun- 21
tiata referri debent ad sensum legis, seu canonis, *l. 1. C. De fruct. & lit. expens. & ibi Bald.* & sic potiùs accipienda, ut non inducant juris communis correctionem, sed potiùs ad illius concordantiam, & consonantiam reducantur, *l. 2. C. De nox. act. l. 1. C. De inoff. donat. cap. Cum expediat De elect. lib. 6.* & intelligantur secundùm limitationes & declarationes, quæ sunt in eodem correspondente juris communis articulo, etiamsi per eam interpretationem statuti nulla alia esset operatio, *Bart. in l. ult. §. in computatione. De iure delib. & ibi Castrens. nu. 2. Decius cons. 356. In causa D. Mariæ nu. 4.* ob id, quòd favorabilis sit interpretatio statuti, per quam illud reducitur ad terminos juris communis, *gloss. in c. Statutum in V. numerandum De præben. lib. 6. Decius cons. 444. Concurrit patruus. nu. 15.* Cùm ergo de suis seu proprijs Religiosis Ecclesijs curatis à suis Abbatibus præfectis dictum statutum in specie non loquatur, sed in genere de pastoribus ad beneficia curata Abbatiæ seu Monasterio unita præsentatis, admissis, & approbatis, ex sensu dictæ Bonifacianæ constitutionis accipiendum & restringendum venit ad presbyteros vel sæculares, vel Religiosos Abbati præsentanti minimè subjectos, nec obedientiarios; secundú distinctionem, quã ex veriore Doctorũ interpretatione dictę constitutioni Bonifacianæ accommodamus.

In quo sensu accepto dicto synodali decreto seu statuto, cessabit id, quod superiùs dictum est de nullitate & invaliditate hujusmodi statuti seu decreti, tamquam ambitiosi in præjudicium Abbatum, *l. Ambitiosa. C. De decret. ab ord. fac.* cum derogatione Canonis Pontificij, quod inferioribus nullâ ratione permissum esse diximus, *d. Clemen. ne Romani.* Relinquitur ergo quod dictæ literæ nihilo sint validiores ob prætextam illam causam revocati præfati Fratris Augustini ad suum monasterium sine Episcopi consensu. Et ut aliquo modo per præfatum Rmum D. Episcopum adversus dictum D. Abbatem procedi potuillet ad restituendum præfatum Fratrem Augustinum dictæ Ecclesiæ contra illius revocationem (quod jure fundatum non esse satis demonstratum est) nullâ tamen ratione fundatum est arrestum bonorum seu fructuum

22 fructum dicti Abbatis & sui monasterij, * eo quòd vulgaris juris regula sit, à sequestro, cujus species est bonorum arrestum, non esse incipiendum, perinde jure Canonico, *Clement. 1. De sequestr. poss.* ut civili approbata, *l. 1. C. De probib. seq. pecu.* Est enim hujus generis arrestum velut species seu modus executionis, *Card. Molin. ad consuetud. Paris. §. 52. gloss. 1. nu. 2.* à qua numquam faciendum est initium, *l. 1. l. ult. C. De exec. rei iud.* & violentiæ quandam speciem habet hujusmodi arrestum, per quod possessor si non omninò propriè spoliatur suâ possessione, illi tamen eripiuntur, vel saltem impediuntur possessionis commoda, propter impeditam facultatem continuandi perceptionem fructuum: ideoque nullâ ratione secundùm terminos juris communis ferenda, *Felin. in c. Licet causam n. 11. De probat. Petr. Anchoran. cons. 248. Ad prædicta dubia nu. 3. Steph. Bertrandus cons. 257. Viso processu nu. 7. vol. 8.* Et quamvis apud judices laicos in usu passim nunc sint hujusmodi arresta, & ab illis plerumque fiat initium litis; in foro tamen Ecclesiastico tam barbarus usus receptus non est, nec tolerari debet, propter juris communis illi repugnantes rationes. Neque enim quod in foro sæculari usitatum est inter merè laicos, statim quoque eodem exemplo rapiendum & transferendum est ad forum Ecclesiasticum, in quo non secundùm leges aut consuetudines laicorum, sed secundùm præscriptum juris tantùm procedendum, & judicandum est, *c. Quod clericis De foro compet.*

23 Absurda quoque est, quæ in dictis literis continetur, brachij sæcularis invocatio dicto arresto & executioni dictarum literarum adjuncta; ob id, quòd ab illa multò minùs fieri debeat initium litis, & ad illam judex Ecclesiasticus contra Ecclesiasticum procedere non possit, nisi propter extremam inobedientiam: potius enim quàm ad illam perveniat, debet adhibere omnia alia juris remedia, quibus contumacia non obtemperantis jus dicenti aliàs coërceri potest, *l. 1. D. Si quis ius dic. non obtemp.* & tunc demùm ad invocationem hanc descendere, cùm fecit quicquid potuit, & non habet ultra quod amplius faciat: ita ut hoc remedium invocationis brachij sæcularis pro supplemento tantùm sit; ut benè notat Archidiaconus, *in c. De persona xi. q. 1.* Quod cùm factum non sit in hac causa, consequens est hujusmodi invocationem tam improprie factam nullius esse momenti *c. Cùm non ab homine De iudic. Oldrad. consil. 89. Episcopus invocat brachium sæculare, nu. 5.* Quæ omnia cùm se ita habeant, consultum, imò necessarium est Redo D. Abbati, ut adversus has Remi D. Episcopi literas tot vitijs nullitatis & injustitiæ laborantes, oportuno juris remedio sibi consulat: & quidem expeditissimè & consultissimè per refugium ad D. Conservatorem privilegiorum Ordinis Præmonstratensis, cujus authoritate (quia major est ordinariâ potestate, & adversus ordinariam potestatem infringentem privilegia Ordinis constituta est) per literas inhibitoriales & hujusmodi attentatorum revocatoriales facilè cassabuntur & irritabuntur quæcumque dictus Reverendissimus Episcopus per dictas suas literas & illarum occasione hactenus fecit, & fortè adhuc, antequam illi sic occurratur, facturus erit.

De Iudicijs.

SVMMARIVM.

Iurisdictio ordinaria quoad clericum exemptum.

1. *Actor ex certa qualitate agens eam probare debet.*
2. *Residere nemo duobus locis potest in beneficio.*
3. *Iudicium ubi finiri debet ubi coptum est.*
4. *Ordinaria iurisdictio prorogabilis.*
5. *Prorogatio iudicij quomodo fiat.*
6. *Exemptus ratione rei alibi forum sortitur.*
7. *Beneficia plura habens ratione cuiusque forum sortitur.*
8. *Exemptus ad officium aliud assumptus amittit respectu illius privilegium exemptionis.*
9. *Rectoris Ecclesiastici appellatione venit etiam is qui simplex possidet beneficium.*

CONSILIVM LXI.

MAGNA deductione aut subtili demonstratione opus non est in demonstrando, quod malo jure D. Petrus Trutius & cum eo Capitulum B. Mariæ Antverpiensis, à Reverendo Domino Abbate S. Gertrudis impetraverit literas inhibitoriales, contra Dominos Decanum & Capitulum S. Gummari Lirensis Opponentes. In primis enim certum est, D. Petrum, ex cujus persona dependet hæc causa, illas impetrasse in qualitate Capellani residentis in Collegiata Ecclesia B. Mariæ Antverpiensis, & virtute exemptionis, quæ dictæ Ecclesiæ competere dicitur; & de neutro constare ex actis. Nam etsi Impetrans positivè allegaverit D. Petrum tempore citationis ab Officiali Cameracensi decretæ, fuisse residentem in Capellania in Ecclesia B. Mariæ Antverpiensis; est tamen id ab Opponentibus manifestè negatum, nec per impetrantem probatum; ita ut defectus qualitatis, in qua intentionis seu inhibitionis suæ causam & fundamentum constituit Impetrans, necessariò arguat juris defectum: * qui enim in qualitate aliqua se fundat, præsertim si sine ea jus fundantis stare non potest, qualitatem illam ante omnia probare debet, *gloss. & DD. in l. Eum actum, De negot. gest. Alex. consil. 24. Animadversis nu. 2. vol. 2.* etiamsi alioqui in alijs facilè præsumi posset illa qualitas; veluti paupertas, quæ licet naturaliter magis præsumatur, quàm divitiæ, probanda tamen est ab eo, qui paupertatem intentionis suæ causam proponit, *gloss. Bart. & aly in l. Si verò §. qui pro rei Qui satisd. cogan. Bald. in l. Non prius in princ. C. Quando fis. vel privat.* Sanè instrumentum in hac causa exhibitum, nihil facit ad probationem residentiæ in dicta Capellania; sed hoc tantùm probat, quando Dominus Petrus factus fuerit Capellanus: at verò hoc non arguit residentiam; non magis quàm residentiam in Ecclesia Lirensi, in qua tunc etiam erat Capellanus: † nam utroque loco residisse dici non potest, *cap. Quia nonnulli D. cler. non residen.* & si posset, nihil obstaret, quo minùs ratione alterius domicilij coram Officiali in jus trahi possit, *cap. fin. De foro compet.* Et si præsumptione hic agendum esset, præsumi potius deberet tempore dictæ citationis in priore loco

resedisse, ex prioritate beneficij; eo quòd mutatio non præsumatur, sed probanda sit *l. Eum qui De probat.* præsertim quòd tam magnum intervallum temporis intercesserit inter executionem citationis dicti Domini Officialis, & impetrationem harum
3 literarum inhibitorialium. † Quo constituto certissimum est nihil prodesse Impetranti, ad evadendum jurisdictionem Domini Officialis, quæ jam non tantùm citatione, sed etiam longo judicij progressu cœpta & præoccupata erat: ubi enim cœptum est judicium, ibi finiri debet, *l. Vbi acceptum De iud.* & mutatio fori seu domicilij subsequens, judicium præoccupatum non mutat, *l. Cum quædam puella De iurisdict. om. iud.* Idque etiamsi litis contestatio ante mutationem facta non sit, *c. penul. & ibi gloss. & DD. De foro compet.* potissimùm ubi ordinarius judex citavit; ut est in proposito. Sic ut nihil prosit Impetranti ad subterfugiendam jurisdictionem Domini Officialis (cui secundùm communem juris dispositionem ante residentiam in Ecclesia Antverpiensi Impetrans subjectus erat; est enim Episcopus & Officialis omnium clericorum ordinarius Iudex, *c. 1. De foro compet.*) quod postea alterius privilegiarij fori esse cœperit, *l. Si quis postea quam De iudicijs*: de quo tamen privilegio nihil etiam hîc constat; nam in tota actorum lectione nusquam comperio exhibitum privilegium exemptæ Ecclesiæ Antverpiensis ab ordinaria jurisdictione; quod propterea præsumi non debet, tum quia facti est, tum quòd exemptiones odiosæ sint, *c. Cum personæ, c. Authoritate §. 1. De privilegijs lib. 6.* omniumque exemptionum tenor & potestas non semper sit eadem, *c. Si Papa. De privileg. lib. 6.*

Sed ut concedamus impetrantem utrumque
4 probasse, exemptionem & residentiam tempore primæ citationis, an inde melior nunc futura erit dictarum literarum inhibitorialium conditio? nequaquam; nam prorogatione Impetrantis fundatum & stabilitum fuit judicium & jurisdictio D. Officialis; ordinarij enim, seu Episcopi jurisdictio prorogabilis est, *l. 1. & 2. De iudic. l. Privatorum, De iurisdict. om. iudic. Marian. Socinus in c. Significasti. nu. 2. De foro compet. Fred. de Senis cons. 14. incip. Monachus Perusinus. Albericus in l. Si quis in conscribendo C. De pactis.* & ab exemptis prorogari potest etiam, ut plerique putant, sine licentia Papæ, cui immediatè subsunt: res enim facilè redit ad suam naturam, *l. Si unus. §. pactus De pactis*; nec prohibetur quis favori pro se introducto renuntiare, *d. l. Si quis in conscribendo.*

De actu etiam prorogationis satis constat per
5 id quòd Impetrans petierit absolvi, quòd arrestum amoveri petierit, & obtinuerit, quòd cautionem eo nomine præstiterit, & appellationi ab amotione arresti pro Opponentibus interpositæ restiterit, causasque & rationes, cur hujusmodi appellationi deferri non debuerit, scripto exhibuerit; item in appellationis causa terminum collegerit ad respondendum articulis Opponentium, eundemque prorogari obtinuerit; eaque omnia sine ulla protestatione aut propositione declinatoriæ exceptionis: non enim tantum per litis contestationem solemnem, sed etiam alios actus, qui pro contestatione habentur & admixtum habent consensum prorogationis, fit judicij prorogatio, *eleganter Socin. in d. cap. Significasti nu. 47.* Sic itaque & hac ex parte ubi cœptum est judicium, finiri debet, nullâque inhibitione prætextu exemptionis turbari.

Eo quoque cessante, adhuc salva est prioris 6
judicij coram dicto D. Officiali cœpti conditio; exemptio enim aut privilegium, quod quis nisi coram certo judice valeat in jus trahi, non extendit se ad eas lites quæ ratione rei alibi sitæ oriuntur; sed quoad eas manet integra jurisdictio ordinarij Iudicis sub cujus jurisdictione res est, *cap. 1. De privileg. lib. 6.* ut generaliter ratione rei quis forum sortitur, *cap. Sanè De foro compet.*

Proinde cùm controversia, quæ est inter Op- 7
ponentes & Impetrantem, sit de deservitura, & excessu vel delicto commisso circa deserviturам beneficij, quod est sub jurisdictione Episcopi Cameracensis, debet ratione ejusdem beneficij coram eodem Episcopo seu ejus Officiali stare juri: nam sicut ille qui varijs locis plures res possidet, potest in quolibet, ratione cujuslibet rei conveniri; ita quoque qui plura habet beneficia in diversis locis, ratione cujusque beneficij ex quo controversia oritur, sortitur forum in loco beneficij, *gloss. cap. Quia in tantum in V. plures. De præben. DD. in cap. Dilectus filius 2. De rescrip.* non tantùm si agatur de ipsa re seu beneficio, verùm etiam si actio vel querela aliqua oriatur circa vel propter rem aut beneficium *Socin. in d. c. Sanè, nu. 4. versic. tertia declaratio.* * Vnde dicit Ancharanus *in d. c. 1.* 8
nu. 6. De privileg. lib. 6. si exemptus assumatur ad regimen Ecclesiæ non exemptæ, ratione non exemptæ Ecclesiæ subest ordinario illius sub quo est eadem Ecclesia: † quod autem de Ecclesia di- 9
ctum est, ad quæcumque alia beneficia transferendum; cùm appellatione Rectoris Ecclesiastici comprehendatur etiam Rector simplicis beneficij *Socin. in cap. Cum sit generale nu. 5. De foro compet.* Exemptus itaque ex causa unius beneficij seu rei vel loci, non debet censeri exemptus circa ea, quæ respiciunt aliud beneficium minimè ab ordinaria jurisdictone exemptum & ab eodem possessum, ut expresso jure cautum est, *c. Cum Capella & ibi gloss. fin. De privileg.* Hujusmodi enim privilegia personalia non sunt, sed realia, *Panor. in d. 6. Cum Capella nu. 2.* ideoque intra terminos & fines rei concluduntur, neque ad alia extenduntur, *cap. Porrò De privileg.* & est bona concludensque ratio; ne sub hujusmodi privilegij prætextu beneficiatus impunè circa alia beneficia excedat, & se ab ordinaria animadversione & correctione subtrahat, *Panor. in d. c. Cum Capella. in princ.*

Quia igitur causa litis coram Domino Officiali Cameracensi contra Impetrantem instituta concernit malam deserviturам Capellaniæ trium Regum, quam Impetrans habet in Ecclesia Lirensi, de qua nullum exemptionis privilegium allegatum est; sequitur, quòd exemptio, quæ competere posset ratione alterius Capellaniæ, quam Impetrans habet in Ecclesia Antverpiensi, prodesse non possit eidem Impetranti ad subterfugiendam ordinarij Episcopi jurisdictionem circa causas emergentes

ex Ca-

ex Capellania Lirensi. Atque ita apparet, triplici ratione Impetrantem malo jure impetrasse literas inhibitoriales; ratione privilegij exemptionis Ecclesiæ Antverpiensis de quo non constat; & si de eo constaret, uti non potuisse tempore litis coram Officiali inchoatæ, propter defectum residentiæ, & præsuppositi residentia illud prorogatione inutile sibi fecisse; & denique quòd intra suos fines constrictum ad causam Capellaniæ Lirensis extendi nequeat: sic ut officio Reverendi Domini Abbatis, falsâ Impetrantis allegatione circumventi, incumbat hujusmodi literas revocare & cassare, & Opponentes ab instantia & observatione judicij absolvere, Impetrante in expensis condemnato.

De Iudicijs.

SVMMARIVM.

Iudex Ecclesiasticus de rebus sæcularibus.

1. *Iudex affectibus moveri non debet.*
2. *Papæ subjiciuntur omnes Ecclesiastici.*
3. *Appellari semper potest ad Sedem Apostolicam.*
4. *Iudex Ecclesiasticus quando de rebus profanis iudicet.*
5. *Mansionarij Ecclesiæ quamvis laici, quoad iurisdictionem rerum subsunt Ecclesiæ.*
6. *Ecclesiastici possunt sub se habere laicalia tribunalia.*
7. *Causa Ecclesiastica quæ.*
8. *Causa semel coram Ecclesiastico introducta semper manet Ecclesiastica.*
9. *Appellare à quocumque gravamine quando possit laicus.*
10. *Ecclesiastici quando ut laici censeantur quoad res profanas.*
11. *Intellectus* cap. Romana. §. debet. de appel. lib. 6.

CONSILIVM LXVII.

MVLTIS ac gravibus ijsque falsis criminationibus & delationibus in summam indignationem atque odium apud Dominum Drossardum de Stockhem pertractos audimus Matthiam N. aliosque ipsius consortes litis, quam pendentem habent in appellationis causa coram D. Decano S. Iacobi Lovaniensis ex delegatione Apostolica adversus mulierculam quandam, quæ lachrymis suis & in cœlum usque sublatis clamoribus omnem hanc invidiam dictis consortibus concitavit. * Laudandum sanè Domini Drossardi propositum, si in hoc incumbit, ne iniquum damnum quis sentiat, *l. Illicitas. in princ. De off. præsid.* ne à potentioribus humiliores opprimantur, *d. l. Illicitas §. ne potentiores*; ut malis hominibus provincia careat, *l. Congruit. De offic. præsidis*; laudandum si hæc non cæco impetu, si non ad calumnias falsasque delationes aliorum faciat, eorum præcipuè, quos res contingit. Excandescere namque adversus eos, quos malos putat, precibus calamitosorum illachrymari, vel improbitati cedere facilè, neque constantis, neque recti Iudicis est, *l. Observandum d. tit. l. Nec quicquam §. observare De offic. procon. & leg.* Proinde ut ad hanc animi moderationem non tam vocemus, quàm retineamus Dominum Drossardum in causas tantæ invidiæ & odij, quæ dictos Appellantes in magnum metum comminati carceris & concussionis conijciunt, inquiremus; & inquirendo (ut speramus) animum D. Drossardi in diversam partem deducemus.

Intelligimus inde potissimùm omnem hanc invidiam & offensam esse exercitatam, & in eam opinionem Dominum Drossardum pertractum, ut omnibus modis id agat, quo Appellantes à persecutione suæ appellationis desistant; quod appellantes hanc causam; quæ de re mere temporali, hoc est fundo seu agro est, ad judicium Ecclesiasticum pertraxerint, & extra ditionem Leodiensem Lovanij nunc persequantur. Hinc si demonstrare poterimus, Appellantes neque ex loco seu Iudice, neque ex materia, neque in modo peccasse aut aberrasse, non videmus quâ ratione sine læsione justitiæ, sine crimine concussionis (quod gravissimum & severiore castigatione dignum est, *l. severiter. C. De excusat. tut. l. Quod evitandi C. De condict. ob turp. caus. l. Qui officij De contrah. empt. l. 2. De concussion.* ac lege Euangelica prohibetur, *Lucæ c. 3.*) debeat vel possit Dominus Drossardus Appellantes ab appellatione (quod oppressorum in judicio unicum fere remedium est, *l. 1. D. De appellat.*) depellere.

Equidem quod ad locum seu judicem attinet, arbitramur summam injuriam Appellantibus fieri, si inde adversus eos duriùs statuendi prætextus aliquis arripiatur, aut veluti vindictæ propter læsam temporalem jurisdictionem Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis (in cujus territorio & jurisdictione est pagus de Dissen, ubi bona, de quibus est controversia, sita sunt,) occasio sumatur: * vulgatissimum namque simul & notissimum est, omnes omninò Ecclesiasticas personas, sive Archiepiscopos, sive Episcopos, sive Cathedrales, sive etiam Collegiatas Ecclesias, cæteraque corpora Ecclesiastica immediatè vel mediatè subjici velut capiti & communi omnium Domino ac judici, sacrosanctæ Sedi Apostolicæ, *c. per venerabilem Qui filij sint legit. c. Antiqua De privileg. c. cuncta* IX. *q. 3. c. fin. & ibi gloss. & Panor. De foro compet.*

† Vt & illud ab ijsdem personis & corporibus regulariter, omissis etiam medijs & subalternis judicibus, si quam sententiam dixerint, ad Sedem Apostolicam appellari posse, atque appellationem ab ijs interpositam, ritè & legitimè ad eam devolvi. *d. c. Cuncta c. Ad Romanam* II. *q. 6. c. Si duobus c. Solicitudinem. De appellat.* Cùm itaque evidentissimè ex actis constet, hanc appellationem, quæ præfato Domino Decano per Sedem Apostolicam est commissa, interpositam esse à decreto lato per Decanum & Capitulum S. Servatij Trajectensis, quos sine ulla probationis necessitate constat esse Ecclesiasticas personas, & jure exemptionis ab ordinarij jurisdictione immediatè subjectos Sedi Apostolicæ; inevitabili ratione infertur, appellationes ab eorum sententijs & decretis ad Sedem Apostolicam esse interponendas.

Quam juris constitutionem nihil turbat, nec ut officium suum perdat efficit, quod materia hujus litis sit de re merè reali, ac prorsus temporali inter personas prorsus laicas; nam potest judex Ecclesiasticus cognoscere & judicare tam in causa

merè reali, quàm personali ; & tam super rebus sæcularibus & profanis, quàm spiritualibus ; his, inquam, quæ ad suam jurisdictionem vel ex lege, vel contentione subditorum, vel ex consuetudine pertinent ; idque non tantùm si clericus clericum, vel laicus clericum ; verùm etiam si laicus laicum conveniat, licet alioqui regula sit in contrarium *c. Si clericus, c. Licet ex suscepto De foro compet.* Pertinent autem causæ reales civiles seu sæculares laicorum ad Iudicem Ecclesiasticum varijs ex causis; inter quas una est, si laici bona tenent ab Ecclesia in feudum *c. Verum & ibi Panor. De foro compet. c. Cæterum. De iudicijs* ; quibus proxima sunt bona emphyteutica & censualia, *Nic. Everardi in locis legal. loco à feudo ad emphy. aut censum.* Cùm igitur mulierecula illa per appellationem à Scabinis seu mansionarijs Curtis S. Servatij in Dilsen ad dictos Decanum & Capitulum interpositam, & per eos terminatam, atque etiam specialem frequenterque reiteratam allegationem satis demonstraverit, fundos seu agros controversos in censum à dicti Decano & Capitulo teneri, & sub prædicta eorum mansione seu Curte moveri, nihil dubitandum, quin à sententia super his fundis dicta, ad Sedem Apostolicam provocari potuerit.

5 Neque hanc considerationem impedit, quòd primæ instantiæ judices merè laici fuerint: quamvis enim id negari non possit, si eorum judicum conditionem simpliciter sine ulla relatione intueamur, aliquo tamen & diverso respectu negari potest ; eò scilicet, quòd sint subditi dicti Capituli, ejusque mansionarij; sic ut bonorum seu mansionis & Curtis (unde indicandi potestatem desumunt & habent) respectu non possint dici omninò subjecti esse superiori jurisdictioni sæculari, sed spirituali seu Ecclesiasticæ; quia curia seu mansio, cujus sunt mansionarij ad Ecclesiam pertineat, ideoque ex vi & natura subrogationis & representationis, eodem jure censeri debeant, quo illi, quos repræsentant ac referunt, & quorum sunt mansionarij, *l. 1. §. Hæc actio & ibi Bart. Si quis testam. lib. esse tuus fuerit.*

6 Et hoc est quod ait Baldus, *in c. 1. De eo qui cur. vendi in usibus feud.* Ecclesiasticos posse habere suppositum sibi aliquod inferius tribunal seu territorium ac jurisdictionem ratione bonorum suorum, quibus adhærere solet jurisdictio. Et sanè si in hoc peccatum dici posset (quod non admittitur) majus esset dictæ mulierculæ, quæ à dictis laicis ad Ecclesiasticos causam pertraxit, quàm Appellantium, qui non mutatâ judicij qualitate ab Ecclesiastico ad Ecclesiasticum provocarunt.

7 Adjuvantur hæc, quæ diximus, ex eo, quòd causa Ecclesiastica varijs modis consideretur; non tantùm ratione materiæ, veluti si est de rebus spiritualibus, beneficijs, matrimonijs, vel similibus, *gloss. in c. 1. & per totam* XI. *q.* 1. aut personæ conventæ, ut puta quòd sit clericus qui convenitur, *c. Clerici. De iudicijs*; verùm etiam solius judicis, qui de causa cognoscit, *c. Quanto De iudicijs c. Si diligenti. c. Significasti. De foro compet.* sive sit spiritualis sive profana causa ; & id quomodocumque judex Ecclesiasticus de ea cognoverit sive recta & ordinaria via, sive per prorogationem, reconventionem, vel (ut est in proposito casu) appellationem.

Vnde semel introductâ hâc causâ in foro atque auditorio Ecclesiastico, hoc est, coram dicto Capitulo S. Servatij, naturam fori immutavit, & Ecclesiastica facta est, in posterum semper per solum Ecclesiasticum judicem cognoscenda in quacumque instantia ; atque ita ab inferiore ad superiorem, id est, Ecclesiasticum, secundùm naturam appellationum deferenda ; non etiam ad aliquem sæcularem, qui quantumvis maximus sit, quocumque judice Ecclesiastico inferior censetur, *c. Solitæ De maior. & obed. c. Vt nostrum & ibi Doct. De appellat.* & causæ cui Ecclesiasticus se immiscuit manum apponere non potest, *d. c. Vt nostrum c. Statutum De rescrip. lib.* 6. † Atque hinc est, quòd Archidiaconus dicat, *in cap. Non ita* 11. *q.* 6. quòd laici possint à quocumque gravamine appellare, quia id permittit Ius Canonicum (licet jure civili, cui aliàs sunt obstricti, id non liceat, *l. Ante sententiæ C. Quor. appell. non recip.*) tunc cùm coram judice Ecclesiastico litigant; sive id faciant ex natura causæ, sive extraordinaria jurisdictione; sive ex causa accidentali, ut ex prorogatione, appellatione, vel reconventione: immutat enim causa naturam suam ex foro, & pro fori consuetudine ac jure terminanda & decidenda est, *Specul. tit. De constit. §. 1. vers. & sunt hæc per c. Cuius in agendo* III. *q.* 8. *Hostiensis in Summa. tit. De testam. §. qualiter conficiantur Panorm. in cap. Quod clericis De foro compet.* 8 9

Neque audienda erit pars adversa, si conversâ rotâ dicat dictos Decanum & Capitulum censendos esse jure laicorum, propter rem ; quasi in bonis feudalibus & censualibus judices Ecclesiastici pro laicis habeantur, ac persona Ecclesiastica tali casu judicetur ut laica & sæcularis, *d. c. Solitæ in verb. qui ab eo suscipiunt temporalia De maior. & obed.* Nam quamvis hoc verum esse possit eo casu, quo constat Ecclesiasticos hujusmodi bona habere & tenere à laicis seu sæcularibus Principibus; alijs tamen casibus censendi sunt ut Ecclesiastici, *Panor. & Felin. in d. c. Cæterum. in fin. De iudic.* sicut est in proposito ; nam nec ex actis, nec aliunde constat, & multò minùs præsumi potest, *Panor. in c. Veniens. in* 2. *notab. De accusat. Felin. in d. c. Cæterum in fin. l. Alius. C. De servitut. & aqua*, dictos Dominos Decanum & Capitulum ista bona ab aliquo sæculari, jure feudi vel census tenere : sic ut de appellationis devolutione ad Sedem Apostolicam nulla possit esse dubitatio, eoque jure utendum esse tradunt omnes, *glos. & Panor. in c. Cum Ioannes. De fide instrum. Guid. Papæ decis.* 436. *concluſ.* 7. *& in tract. De appellat. q.* 119. *Panormit. & Felin. in d. c. Cæterum in fin.* 10

Et ne longiore disputatione contendamus, est de hac re apertissima, nullâ dissimulatione prætereunda Iuris Canonici definitio, *in c. Romana §. debet De appellat. lib.* 6. quæ apertis conceptisque verbis decidit, quòd in causis, in quibus Episcopi temporalem jurisdictionem exercent (ut Domini de Capitulo in dicta sua mansione) ab Episcopis appellari debeat ad Archiepiscopos, & sic ad superiorem Ecclesiasticum ; non ad Imperatorem, aut alium sæcularem Principem : quod intelligit Speculator, *tit. De appellat. §. nunc tractemus in fine* etiam eo casu obtinere, quo Ecclesiastici bona tenent à Principibus laicis. Vnde par, imò major 11

erit

erit ratio appellandi à Capitulo aliquo ad superiorem Ecclesiasticum vel immediatum vel mediatum, hoc est, ad Sedem Apostolicam, quæ jure communi judex superior est quoad omnes. Sanè quòd extra ditionem & territorium Leodiensem commissa sit causa, reprehensionem non meretur; non enim territorio temporali addicta fuit, sed, uti dictum est, quia translatione à foro laico ad Ecclesiasticum, territorij laici & temporalis angustias evasit, transferibilis effecta est quocumque superioris tribunalis Ecclesiastici conditio postulavit, *d. §. debet.* Tantoque minus aliqua hîc est reprehensio, quòd intra limites Ecclesiasticæ jurisdictionis Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis, hoc est intra diœcesin Leodiensem, causam per Sedem Apostolicam committi procuraverint Appellantes; quod secundum terminos Iuris Canonici (cui nullâ parte jus civile derogat) satis est; quia Appellantes & dicta muliercula sub illa eadem sunt diœcesi; *c. Statutum §. cum verò, De rescript. lib. 6.* Sic itaque arbitramur Appellantes ab hac calumnia sufficienter esse defensos; ut sibi scrupulum facere non debeat Dominus Drossardus, num ex hujus appellationis commissione & prosecutione, quasi ad vetitum examen sine consensu Principis vocata causa, *l. In criminali C. De iurisdict. omnium iudic.* Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis temporalis jurisdictio & superioritas læsa sit; neque Appellantes vano aliquo timore alicujus mali concuti; quia juris executio & usus, injuriam vel delictum non continet *l. Iniuriarum §. 1. De iniurijs*: infamiâ *l. Iudici De iniurijs, l. Illud 8. De appellat.* etenim, & gravis mulctæ dispendio *l. Quoniam 21. C. De appellat.* afficitur, qui vel convitio vel aliâ ratione appellantibus impedimento est.

De Iudicijs.

SVMMARIVM.

Episcopalis audientia.

1. *Iudex Ecclesiasticus in laicos iurisdictionem non habet.*
2. *Iurisdictio iudicis Ecclesiastici, non etiam laici, per clericum prorogari potest.*
3. *Audientia Episcopalis differt à iurisdictione.*
4. *Iurisdictio Ecclesiastica in laicos consuetudine & præscriptione acquiri potest.*

CONSILIVM LXVIII.

EX argumentis collectis pro sustinenda jurisdictione Reverendi Domini Commendatoris, Provincialis Bailliviæ de Iuncis Ordinis Theutonicorum, & excludenda jurisdictione Ecclesiastica Officialis Leodiensis, tamquam Iudicis ordinarij in dominio temporali de Gruydtroede, non potest commodè constitui status causæ, nec certo judicio illius resolutio proferri; quòd ea argumenta inverso juris ordine, *l. Si quidem C. De except.* de viribus exceptionis seu defensionis agant, non priùs deductâ & fundatâ intentione dicti Domini Officialis in hac causa, ut videtur, Actoris. Consultius itaque fuisset plus operæ ponere in subvertenda Actoris intentione ex suo genere magis, quàm ex viribus exemptionis, & jure singulari dicti dominij de Gruydtroede quippe dicti Domini Officialis jurisdictio ex juris communis ordinaria potestate non est; † cùm secundùm regulas juris non magis judex Ecclesiasticus jurisdictionem temporalem in laicos usurpare possit, quam laicus judex in Ecclesiasticos, seu Ecclesiasticorum causis, XVI. *q. 1. per totum, c. Novit De iudic.* * hoc ferè solo discrimine, quòd clerici sæculares judicis jurisdictionem prorogare, vel in illam consentire non possint; possint autem laici jurisdictioni Ecclesiastici judicis se subijcere; vel si non jurisdictioni, saltem audientiæ per speciem aliquam compromissi seu arbitrij, *l. Si qui ex consensu C. De Episcop. audientia.* * Vnde Ecclesiastici judicis in laicos propriè nulla est jurisdictio, sed tantùm audientia, *l. Episcopale C. d. tit.* ideoque *de Episcopali audientia, non de Episcopali iurisdictione* in Codice Iustiniani est inscriptus titulus. Sed hæc consideratio ad fundandam Domini Officialis jurisdictionem in subditos prætacti dominij de Gruydtroede per se sola sufficiens non est: quia audientia dumtaxat volentium, & se subijcientium est; jurisdictio verò etiam in invitos exercetur, *l. Inter stipulantem 83. §. 1. De verb. obligat.* † Quamvis interim verum sit jurisdictionem Ecclesiastici judicis in laicos, ut prærogabilem, præscriptione vel consuetudine etiam in invitos jure ordinario acquiri posse, *c. Cum contingat & ibi gloss. De foro compet.* Proinde id in primis cognoscendum, in quo Dominus Officialis hanc suam Ecclesiasticam jurisdictionem fundet, quæ illi ex ratione juris communis non competit: an id sit ex immemoriali consuetudine, an ex generali subditorum sive conventione, sive consensu: si enim neutrum horum subest, facilè poterit averti illius hæc intentio.

Supradicta argumenta aliquo modo indicare videntur neutrum hîc subesse; potissimùm propter testimonia non tantùm subditorum prætacti dominij de Gruydtroede, sed etiam vicinorum dominiorum, non modò exercitam non fuisse jurisdictionem sed etiam intentato aliquando illius exercitio, illi contradictum fuisse, & post contradictionem per legitima tempora ab usu illius abstentum: quæ contradictio, cum tanto temporis decursu, etiam sufficere posset, non tantùm ad conservandum exemptionis seu libertatis usum, sed & ad excludendam ordinariam illius jurisdictionem in causis etiam ex jure communi ad illam pertinentibus, *l. ult. in fin. D. De usucap. l. Si quisquam De diver. temp. præscript. & utrobique gloss. & DD.* Itaque non potest commodè resolvi, quo loco haberi debeat D. Officialis hæc intentio, nisi priùs plenius cognitio, in quo illa fundetur: potissimùm quòd nihil proponatur de aliquibus exemplis in præcedentibus temporibus in dicto dominio de Gruydtroede per D. Officialem exercitæ jurisdictionis Ecclesiasticæ indifferentur in eo, ut in alijs locis, pagis, & dominijs vicinis.

De Iudicijs & foro competenti

SVMMARIVM.

Iurisdictio laici in clericum.

1. *Expensarum condemnationem non potest iudex in sententia reservare.*
2. *Victus victori in expensis condemnandus.*
3. *Expensarum condemnationem facere potest iudex incompetens.*
4. *Scholaris coram iudice laico conveniri potest.*
5. *Iudex laicus quomodo possit suam sententiam contra clericum exequi.*

CONSILIVM LXIX.

FVNDATA non est allegatio Impetrantis, quâ se eximere vult à necessitate vlteriùs standi juri coram Scabinis in eo iudicio, quod ipso agente ibi cœptum est, & cuius iudicij pars & sequela est damnorum & expensarum liquidatio; quia hæc sunt in executione sententiæ, quæ continet condemnationem ad damna & expensas, reseruatâ tantùm eorum taxatione
1 * Neque enim post latam sententiam aliud est iudicium damnorum & expensarum, si illorum condemnatio quoque facta non est in principalis litis decisoria sententia *l. Terminato, C. De fructib. & lit. expens.* Vsque adeo ut iudex ferendo sententiam in principali, non possit sibi reservare condemnationem damnorum aut expensarum, sed tantùm taxationem illorum, *Felin. in c. Significavesunt nu. 6. De except. Hippolyt. De Marsilijs in l. Patre. nu. 69. & 70. D. De quæstion.* quam cùm facit, seu cùm de illius liquidatione cognoscit, non aliud judicium instituit, sed institutum priùs continuat: ut frustrà Impetrans nouum sibi judicium coram suo judice dictari petat, iam semel factâ condemnatione & acquisitâ re iudicatâ. Et absurdum planè esset, si supposito Vniversitatis permitteretur potestas conveniendi suum adversarium coram iudice laico; iudici autem laico non permitteretur facultas suppositum temerè litigantem in damna
2 & expensas condemnare: † cùm in eo sit iuris necessitas, ut iudex requisitus hoc debeat facere, *l. Eum quem temerè De iudic. l. Properandum §. sive autem C. De iudic.* & non faciendo litem suam faciat, illaque ob id parti vincenti restituere cogatur *d. §. sive autem, vers. non ignorantes. Bart. in l. 4. §. hoc autem De damno. infecto.* † Actor enim etsi non subsit ordinariæ iurisdictioni Iudicis sui adversarij,
3 quem in illius foro convenit, agendo tamen in hoc se subijcit, ut possit coram illo reconveniri, *l. Cum Papinianus, cum Auth. & consequenter. C. De sentent. & interloc. omnium iud.* & per illum puniri, si autem iudicis offenderit, *arg. l. Nullum C. De testib.* vel si in ulla litis parte contumax fuerit *c. Causam De dolo & contumacia*, atque etiam propter temerariam litem, in expensas & damna, litis condemnari *l. Non ignorat. C. De fruct. & lit. expens.* alioqui impunita relinqueretur Actoris, qui de eadem cum Reo jurisdictione non est, temeritas; quam leges omnimodò condemnatione ad damna & expensas litis coërceri volunt, *d. l. Eum qui temerè, §. hoc autem in fi. Instit De pœna temerè litig. c. 1. De dolo & contum. lib. 6.* Quod igitur Impetrans proponit se non potuisse prorogare jurisdictionem Scabinorum Lovanienſium, nec per eos condemnari, neque etiam executionem pati, perquàm ineptum est; cum virtute prorogationis non superinducatur hæc potestas condemnandi Actorem in expensas & damna litis, sed ex juris authoritate; quæ Actorem alterius fori in hoc subijcit jurisdictioni & potestati judicis sui adversarij, ut possit per illum condemnari in expensas & damna litis, *d. l. Non ignorat.* etiamsi is sit clericus, qui laicum in sæculari judicio convenit; & nisi causa sit privilegiata in eo judicio laicum convenire debet *c. Si clericus. c. Cum sit de foro compet.* * Cùm alioqui verum non 4
sit, scholarem, sive privilegio scholastico gaudentem, si clericus tonsuratus quoque non est, non posse alterius laici judicis jurisdictionem, etiamsi ut Reus in iudicium trahatur, prorogare; cùm etiam secundùm terminos iuris communis scholaris rectè cõveniatur coram Magistratu loci; quamvis conventus desiderare possit, ut coram suo Rectore vel Episcopo conveniatur, *in proœmio d. §. illud verò satis vers. & hæc quidem Bart. in Auth. Habita nu. 5. C. Ne filius pro patre.* Quòd si conventus non desiderat, censebitur alterius judicis jurisdictionem prorogasse, *Bald. in d. Auth. Habita. nu. 45.* licet clericus tonsuratus iudicis laici iurisdictionem prorogare non possit, *c. Si diligenti De foro compet.* * §.
Prorogato itaque seu priùs constituto per dictum Impetrantem coram dictis Scabinis iudicio, sequitur quoque condemnandi in damna & expensas potestas; atque etiam exequendi, si non rectâ viâ, saltem per iuris subsidium, imploratâ Magnifici Domini Rectoris licentiâ & officio, ut vel ipse exequatur, vel per dictos Scabinos, executioni mandari patiatur, ut solet obseruari in executionibus sententiarum, quæ per laicos adversus clericos in casibus à iure permissis feruntur *Panor. in c. Non minus nu. 15. in fin. De immunit Eccles. Barbat. in c. Iuravit. nu. 26. De probat. Natta cons. 27. Viso processu. vol. 1* Quod hactenus factum non esse Impetrans conqueri non potest; cùm nondum agatur de executione sententiæ: ut nec executioni mandari potest dictorum Scabinorum sentencia, nondum absoluto iudicio liquidationis damnorum & expensarum.

Revocanda itaque & cassanda est dicta inhibitio, velut per surreptionem & obreptionem impetrata, & Impetrans Opponentibus condemnandus in expensas huius litis.

De Iudicijs & foro competenti.

SVMMARIVM.

Iudicium diffamatorium.

1. *Diffamatus ubi agere & conveniri debeat.*
2. *Diffamatus instituto iudicio diffamatorio potest diffamatum in suo foro convenire.*
3. *Foro privilegiato renuntiari potest.*
   Scholaris an privilegio fori possit renuntiare.
4. *Promissio de renuntiando in subhastationibus pro renuntiatione habetur.*

CONSILIVM LXX.

DISPVTARI solet, * an iuris illud remedium, quod ex Imperatorum constitu- 1
tione

tione proditum est, adversus diffamationem, *in l. Diffamari* C. *De ingenuis manumiss.* proponi debeat in foro diffamantis tamquam Rei, an verò in proprio foro diffamati? Nam sunt qui existimant, *Panorm. in c. Si quis contra clericum. De foro compet. Ant. de Butrio in c. Cum inter De except. Alex. cons.* 103. *Consideratis vol.* 5. *Andr. Gaill. pract. observat.* 9. *nu.* 7. hoc remedium proponendum esse in eo foro, ubi jactitata actio proponi debet, & sic in foro diffamati; aliis contrariam sententiam tenentibus, *Cast. Alex. & alij in l. Libertus à patrono De in ius vocando Matth. De Afflict. decis. Neap.* 268. *Decius consil.* 487. *In quæstione proposita nu.* 10. debere illud tractari in foro Rei diffamantis, ex regula generali, quòd actor sequi debeat forum Rei, *c. Cum sis De foro compet.* ex quorum opinione etiam judicatum esse testatur Matthæus de Afflictis, *d. decis.* 268. Hoc interim certum est, quòd cùm diffamans in pluribus locis seu coram diversis judicibus diffamatum suum debitorẽ convenire potest, ratione videlicet domicilij, loci contractus, loci destinatæ solutionis, aut consensus seu submissionis, non præripitur diffamanti hæc judiciorum optio; ita ut non obstante, quòd diffamans in uno loco sit conventus ad proponendum suam actionem, non amittat jus eligendi judicem, quem ex pluribus competentibus velit, sed eo petente causa debeat remitti ad judicem, quem actor diffamans elegerit, *Georg. Natta in repetit. Clement. Sæpe De verb. sign. Barthol. Socin. cons.* 94. *In causa vertente. vol.* 3. † Vnde judicio hoc diffamatorio instituto coram judice competente diffamantis, diffamans statim potest non exspectatâ sententiâ Iudicis super diffamatorio judicio aditi, actionem coram competente judice diffamati intentare, sine ullo periculo aut metu exceptionis litis pendentiæ *Hieron. Cagnolus in d. l. Diffamari nu.* 10. C. *De ingenu. manumiss.* Imò quod amplius est, respondit Socinus, *d. consilio* 94. *in princ.* quòd si Reus non propriè diffamatorium hoc judicium intentaverit, ad hoc ut Actor vel actionem suam proponat, vel ei silentium imponatur, sed formaliter contra creditorem exhibito libello asserat, se non esse debitorem, petatque se sic absolvi; nihilominus possit creditor, omisso eo judice, adire alium quemcumque qui Reo alioqui competens judex est; nec obstabit ei exceptio litis alibi cœptæ ac pendentis. Cum ergò D. Paulus Roelsius Medicinæ Doctor, contra M. Henricum Ghysens coram D. Rectore Academiæ Lovanienſis communi & ordinario utriusque judice aliam conclusionem seu petitionem non proposuerit, quàm ut, si quam actionem dictus M. Henricus contra ipsum haberet, ratione venditionis & emptionis domus, eandem institueret sub pœna seclusionis & perpetui silentij (quod secundùm juris dispositionem intelligendum est in eo foro, in quo Dominus Paulus conveniri potest) potuit utique idem M. Henricus illam instituere statim à facta citatione ad hoc judicium diffamatorium, & in illius momento, coram Scabinis Lovanienſibus, coram quibus (ut mox dicetur) dictus D. Paulus juri stare promisit, renuntiando suo privilegiato foro coram Domino Rectore: cùm idem etiam potuisset post institutum & cœptum judicium & post litem coram Domino Rectore in isto judicio diffamatorio contestatam; quia omnia judicia in quacumque parte litis sunt bsolutoria, dato aut facto eo quod Actor petit, § *ult. Instit. De perpet. tempo. act.* Quorsum enim judicium aut sententia illius, quod petitur, exspectaretur, cùm conventus id non tantùm facere paratus est, sed præterea etiam facit *l. Si debitori. De iud.*

Neque audiendus hîc est D. Paulus Actor quòd M. Henricum Reum velit cogere, ut coram D. Rectore proponat hanc suam ex vendito actionem; nam id in litis principio non petijt, neque secundùm præmissa petere potuit. † Etsi enim Dominus Rector eorum communis Iudex sit, ex conventione tamen in hac causa alium judicem sibi assumpserunt, hoc est Scabinos Lovanienſes, illis se quoad eam subijciendo cum renuntiatione privilegiati fori Domini Rectoris; quod juri consentaneum est. Nam quòd D. Paulus Actor dicit se non potuisse renuntiare suo privilegiato foro, ex juris imperitia proficiscitur: quia licet clericus tonsuratus non possit renuntiare suo ordinario foro, & ne quidem cum juramento, *c. Si diligenti De foro compet.* quin tamen laicus, & præsertim bigamus (ut notorie est Dominus Paulus) privilegiato suo foro renuntiare possit dubium non est: aliud enim est privilegium, quod ratione ordinis clericis competit, cui renuntiare non licet, *d. c. Si diligenti c. Significasti. De foro compet.* aliud quod competit favore studiorum, aut ex alia causa, cui utique renuntiare licet. Quod nominatim de scholaribus traditur, *glos. ult. in fin. l. Si convenerit* p. *De iurisd. omn. iudic. & ibi Bart. Alex. & Iason.* quibus quamvis detur optio, coram quo judice conveniantur, *Auth. Habita* C. *Ne filius pro patre*, an coram suo Rectore, an coram suo Episcopo, vel coram sæculari magistratu loci; si tamen consenserint in jurisdictionẽ magistratus, seu Scabinorum, renuntiando privilegio fori Rectoris, aut Episcopi, valet renuntiatio: nec in eo est aliqua dubitatio, docetq; id quotidiana experientia, & frequentissimus usus renuntiationis privilegiorum scholaritatis.

Illud ergò solum inquirendum restat, an Dominus Paulus renuntiaverit privilegijs Vniversitatis & se subiecerit magistratui dicti Oppidi? Negat id D. Paulus magnâ usus subtilitate, quod tantùm promiserit seu obligatus sit renuntiare, nondum autem renuntiaverit; quasi plurimùm intersit inter renuntiationem, & promissionem de renuntiando; ut plurimùm differunt venditio, & promissio de vendendo, *gloss. in l. In bonæfidei De eo quod certo & ibi Iason.* † Sed ea est conditio & natura subhastationum ac licitationum in venditionibus, ut quodcumq; in lege venditionis præscriptum est, vel ad obligationem, vel ad factum, id censeatur quoque promissum solâ licitatione, oblatione, & superatione in illa, etiamsi alia solemnis stipulatio vel promissio inter vendentem & subhastantem non intercedat, ut eleganter tradit Bartolus, *in l. Licitatio, nu.* 4. *De publicanis & vectig. & in l. Si tempora nu.* 3. C. *De fide instrum. & iure hastæ fisc. lib.* 10. *Alex. in addit. ad Bart. in d. l. Licitatio in V. Feri.* Sic quòd ut pactum de vendendo in lege venditionis, quæ in subhastatione & licitatione præscribitur seu proponitur, accedente licitatione & oblatione emptoris, pro reali venditione habetur; ita quoque lex

lex seu conditio de promittendo aut renuntiando in realem promissionem ac renuntiationem resolvatur per licitationem & oblationem. Vnde in proposito quemadmodum prima verba dictæ legis, seu conditionum, sub quibus dicta subhastatio proposita est, *domus vendetur*, habentur pro venditione, accedente oblatione, nec requiritur alia venditio post factam oblationem: ita quoque hæc verba, *emptor renuntiabit*, pro renuntiatione accipienda sunt; sic ut alia sequens formalis renuntiatio non requiratur. Remittendus itaque est D. Paulus Actor ad dictos Scabinos, & ibidem ei permittenda suæ actionis prosecutio; ubi cætera quæ Actor in quæstionem & disputationem adducit de affectu & recessu à venditione discutientur: respiciunt enim causam principalem, non hoc diffamatorium judicium; à quo Actor statim auditâ citatione & propositione actionis coram Scabinis facta, abstinere debebat: qui proinde etiam nunc condemnandus erit in expensis hujus litis.

De mutuis petitionibus.

SVMMARIVM.

Reconventio ubi & quando admittatur.

1. 9. *Reconventione reiectâ appellari potest.*
2. 4. 8. *Reconventio ubique & in omnibus causis admittitur.*
3. *Clericus coram laico reconveniri potest.*
5. *Reconventio etiam coram feudalibus de re non feudali proponi potest.*
6. 10. *Reconventio prorogationem continet, & simultaneum postulat processum.*
7. *Reconventio quando sistat causam conventionalem.*

CONSILIVM LXXI.

EX mera præcipitantia Dominorum Scabinorum oppidi Trajectensis rejecta est reconventio, quam Domicellus Wernerus Huyn Dominus in Amstenroede per viam arresti coram iisdem Scabinis ad instantiam Domini Ioannis sui fratris in jus tractus adversus eumdem Dominum Ioannem ex debito personali proposuit; eo solo prætextu, quasi Dominus Ioannes Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonicus, Ecclesiasticæ jurisdictioni subjectus, non possit cogi coram laico judice juri stare, *c. Si Diligenti De foro compet.* * Vt meritò potuerit Domicellus Wernerus ab hujusmodi rejectione, & declaratione reconventionis non admittendæ, ad amplissimos Dominos Commissarios appellationum provocare, uti expresso jure cautum est, *l. 1. §. fin. Quæ sint sine appel. rescind. Ioan. de Imola in c. 1. & Marian. Socin. in c. 2. nu. 10. De mutuis petit.* vim enim definitivæ sententiæ obtinet hujusmodi rejectio, & interlocutoria mera non est, *c. Significantibus De off. deleg.* Et quamvis nulla sit juris dubitatio in hoc articulo, tamen quia prædicti Scabini nimis contemptim habuisse dicuntur hujus reconventionis propositionem; sic ut eam de plano, eodem momento, quo proposita fuit; nullâ maturiore deliberatione interpositâ, non quidem omnes, sed tres tantùm, reliquis quatuor absentibus, & sic nulliter, *l. Sucuti. De recept. arbitr. l. Duo ex tribus* D. *De re iudic.* rejecerint, pro sublevando clarissimorum Dominorum labore, & demonstrando nimis evidenti dictorum Scabinorum errore, paucula quædam dicemus.

2 Equidem notissimum est, conveniendi potestatem, reconventionisque usum latissimè patere, omnesque regulas, quæ circa hujus reconventionis materiam ac illius capita versantur, affirmativè conceptas esse: sive de judice quæratur; quia qualiscumque is sit, sive ordinarius, sive pedaneus, sive delegatus, sive laicus, sive Ecclesiasticus, coram eo potest proponi reconventio, *l. Cum Papinianus C. De sent. & interloc. om. iud.* etiamsi alioqui causæ per reconventionem propositæ non sit judex competens; veluti si usque ad certam summam tantùm judicare possit, & de majore summa proponatur reconventio, *l. Si idem. §. quod si mutuæ. De iurisd. om. iud.* sive de personis litigantium; quia quisque per quemcumque coram quocumque judice conventus & in jus tractus, potest eundem Actorem ibidem reconvenire, *d. l. Cum Papinianus, latè Marian. Socin. in d. c. 1. artic. 5. nu. 14.* sive quæratur de causis & mutuarum actionum generibus ac qualitatibus; nam in omnibus causis, obligationibus & actionibus, & generaliter super omnibus rebus regulariter locum habet reconventio, *d. c. 1. & 2. De mut. petit. Marian. Socin. in d. c. 1. nu. 44* ita quod semper & omni casu cuicumque Reo permissa sit potestas reconveniendi Actorem; nisi in casibus, qui aperto jure inveniuntur prohibiti, *Socinus d. nu. 44.* * Cum igitur nullo jure inveniatur pro- 3
hibitum, ne laicus à clerico coram sæculari judice conventus, ibidem clericum reconvenire possit, nihil dubitandum est, quin justa fuerit præfati Domicelli Werneri reconventio coram dictis Scabinis adversus fratrem suum, quamvis Ecclesiasticum, proposita: idque ex authoritate glossæ, quæ id apertè tradit, *in d. c. 1. in verb. super suis quæstionibus. in fine*, & ab omnibus communiter approbatur, communique approbatione tam in foro, quàm in scholis pro indubitato, communi, ac recepto jure habetur, *Bartol. in Auth. Et consequenter. in fine C. De sent. Lapus allegat. 126. Decius in c. At si clerici nu. 25. & ibi Felin. nu. 8. De iud. Specul. tit. De convent. & reconvent. §. 1. vers. quod si laicus*; propter naturalem causam defensionis, quâ jus reconveniendi in genere niti traditur, *d. l. Cum Papinianus, latè Marian. Socin. ad rubr. De mut. petit. in 3. artic.* & ob jurisdictionem, quæ Reo reconvento necessitatem injicit eo loco reconveniendi Actorem, quo ipse conventus est, si durante conventione de aliqua re Actorem vicissim reconvenire intendit, *l. Nulli C. De iudic. l. 1. & 2. C. De quib. reb. ad eundem iud. catur*; quodque hæc prorogatio Iudicis laici non sit hominis, sed legis, *l. Bart. in d. Auth. Et consequenter. nu. 19.* Quæ communis Doctorum traditio per antiquam consuetudinẽ, ut ait Ioannes Andreæ *in d. c. At si clerici*, approbata, in proposito casu omninò obtinere debet, quia hæc reconventio est de re merè profana, de quâ in abstracto judex laicus judicare potest, hoc est de pecunia, de abducto equo, & ablata pecunia debita civiliter, seu civili actione petita: nam si spiritualis esset, reconventio non permitteretur, *gloss. in d. c. DD. in d. c. At si cle-*

si clerici. * Nec quicquam curandum est, quod
4 ex eadem causa non oriatur utrimque conventio, & reconventio; quia id non requiritur, cùm natura conventionis & reconventionis sit diversissima, & contrarias qualitates admittat, *late Decius in*
5 *d. c. 1. & ibi Socin. nu.* 45. *& seq.* † Vsque adeò ut etiam coram Paribus curiæ feudalis, qui nullius alterius rei cognitionem vel consuetudinem habent, quàm de re feudali, Actori super feudo agenti possit proponi reconventio de pecunia aliunde debita, *gloss. in c.* 1. De *controuer. feud. apud par. cur. verbo. in ver. faciendum. in fine, & ibi Bald. & Matth. de afflictis nu.* 35. *Marian. Socin. in l. c. Ex transactis nu.* 24. *de foro compet.* Quæ quidem reconventio in proposito casu tanto magis sine vlla hesitatione admittenda, obid, quòd Reus ipse sit conventus coram iudice prorsus extraneo, cui neque ratione superioritatis mediatè vel immediate, neque ratione domicilij aut contractus subjectus est; idq; non per vim voluntariæ prorogationis, sed exorbitantem atque involuntariam coactionem, hoc est, per arrestum & pignorationem: ita ut mirum non sit, si eundem iudicem pati debeat Actor, quem ipse Reo invito superinduxit; cùm etiam reconventioni locus sit, quando Actor Reum sine arresto non declinantem coram non suo iudice convenit; *Maria n. Socin. in d. c.* 1 *nu* 13. Quod eo magis in casu proposito obtinere debet, quod Actor in patria Leodiensi resideat, ac in patrimonialibus regionibus Regiæ Maiestatis conveniri commodè nequeat; sic ut in iuris subsidium non debeat Reo præscindi occasio reconveniendi Actorem in ditione Regiæ Maiestati subiecta.

Illud profectò in re proposita dici non potest, quòd Reus hanc reconventionem seriùs proposuerit, cum causa conventionali; quia tempestivè satis reperitur Reus suas actiones seu actionum capita proposuisse, licet Actor illis respondere, & litem desuper contestari diutiùs recusaverit;

* Ita enim se res habet, ut in tempore proposita
6 reconventione, hoc est vel ante litis contestationē vel in ipsa contestatione, seu incontinenti *d. Auth & consequenter* C. *d. sent. & ibi* DD. *Clemen. Saepe §. verum quia & ibi Card. Zabarella* De *verb. signif. Socin. in d. c.* 1. De *mut. petit. n.* 97. *in fine*, non tantùm habeat effectum prorogativum, si forte sit incompetens; aut Actor sub eo forum non sortiatur *d. l. cùm Papinianus* C. De *sent.* sed etiā inijciat necessitatem simultanei, ut ajunt, processus; DD. *in d. c.* 1. De *mut. petit Lanfrancus in d. Clem Saepe col* 8. *in fine versic. sequitur textus in V. exordio.* sic ut pari passu causa utrimque decurrere debeat, neque maiore diligentiā acceleranda sit causa conventionis, quàm reconventionis; vel è contra. Vnde Actor conveniens si recuset respondere libello reconventionali aut in alia quacumque iudicij parte tergiversetur, pœnam patitur; nempe quòd causa conventionis sistatur, & in ea iudex audientiam ei non accommodet, *Spec. in d. tit. u.* De *conven & reconvent. §. fin. & §. videndum vere. sed num. quid si actor.* Nec citiùs accelerari aut ante terminari potest conventionalis causa, quàm reconventionalis, *Socin. in d. c.* 2. De *mut petit. nu.* 13. adeoque etiam vel vnâ sententiâ ex eodem breviculo recitandâ terminari debet, ut plerique volunt, *gloss. in d. c.* 1. De *mut. petit. per c. Cum dilect.* De *ord. cognit. Bart. in d. Auth. Et consequenter. Spec. in d. §. videndum col.* 1. vel certè duabus sententijs distinctim & in scriptis, sed eodem tempore coniunctim pronuntiandis, *Socin. in d. c.* 2 *nu.* 6 De *mut. petit.* Idque non tantùm in ordinarijs iudicijs, sed etiam in summarijs, & in quibus velo levato proceditur, si modò reconventionis causa summariam etiam tractationem patiatur. † Quamvis enim causam conventionalem, quæ summariè expediri potest, non remoretur obiecta reconventio, si longius examen & cognitionem desideret, *Bart. in d. Auth. Et consequenter & in l.* 1. *in fin.* De *ver. & extraord. cognit. Innoc. & Host. post gloss. in d. c.* 1 De *mutuis pet.* non rejicitur tamen reconventio si summarie quoque pertractari potest *d. clemen. Saepe, Socin nepos cons.* 60. *Viso puncto ad me transmisso nu.* 7. *vol.* 1. † Vsque adeo, ut etiam debito liquido proposito, non impediatur reconventio, *Salicet. in l. Neque scripturae in fine* C. De *compensat.* & quod magis est, nequidem instrumentis paratam executionem habentibus, quæ appellant guarentigiata; quamvis his vix quicquam possit objici, quia habent vim sententiæ definitivè transeuntis in rem iudicatam, *Cyn. in l.* 1. C. De *confess.* post quam regulariter reconventio seriùs proponitur; cùm tunc cognitio non suscipiatur, sed cognitum executioni mandetur, *Socinus senior cons.* 41 *Antequam ad quæstionem nu.* 6. *vol.* 1. Admittitur, inquam, reconventio non tantùm quæ eiusdem est generis, hoc est, si petitio reconventionalis proponatur ex alio instrumento guarentigiato; verùm etiam quæ tantùm est de debito liquido: nam compensatio eo casu admittitur. *Ang. cons* 132. *Quida. Nicolaus, Felinus in c. Suborta* De *re iud. Hipp. de Marsi. sing.* 208. *Compensatio* quæ cum reconventione summam affinitatem, in plerisque identitatem, habet, DD. *in d. Auth. Et consequenter.* Nec mirum; habet enim vim solutionis cuius allegatio nullo casu excluda est.

Quibus quidem omnibus casibus non admissa, vel ijsdem progressibus non tractata, & in cognitionem non recepta reconventio, etsi vitio nullitatis non inficiat processum, vel sententiam iudicis, appellandi tamen materiam & occasionem subministrat, ut expresso iure cautum est, *l.* 1. §. *fin. Quæ sententiæ sine appell. rescind. Specul. d. tit.* De *reconven. §. videndum vers. etsi iudex. Panor. in d. c.* 1. *col.* 3. *in fine* De *mut petit.* Quod ipsum quidem non tantùm accipiendum est de fine iudicij, hoc est, si conuentio ante reconventionem definitivè terminetur, verùm etiam de ijs, quæ in lite inciduñt, & non decisoria sed ordinatoria litis respiciunta præscriptus enim est iuris ordo, qui perturbari non debetut scilicet neque celeritate, neque tarditate alterutra causa vel præcipitetur, vel plus æquo differatur, secundùm ea, quæ superiùs dicta sunt. Vnde tradunt Doctores generaliter, *Castren. & aly in l. Si quaramus. De testam.* perversionem aut conturbationem iudicij seu processus sive in exceptionibus sive dilationibus, sive alijs quibuscumque tractandis, iudicium non statim facere nullum sed prebere iustam appellandi occasionem *et exhibita* De *iudic,*

Quia igitur reconventio ista per dictum Reum immediatè proposita fuit post negativam responsionem factam ad proposita per Actorem actio-

7

num

num capita, nullo alio interveniente Actoris actu aut processu judiciali, satis tempestivè & incontinenti dici debet cum Actoris conventione proposità, etiam ad effectum simultanei processus *gloss. in d. c. 1. & in d. Clem. Sæpè in V. exordio. De verb. signif. Socin. in d. c. 1. nu. 8. Bald. in c. Cum venissent De nid. Iason in l. Non solùm. §. morte De novi operis nuntiat.* ita ut quocumque res vertatur, nihil obstante conditione ac qualitate Actoris, nihil immutante statu causæ, hæc reconventio omninò admitti & simul tractari ac terminari debuerit. Ideoque in quantum id per dictos Dominos Scabinos factum non est, sententia ipsorum tamquam iniqua & erronea retractari, & in causa tam conventionali quàm reconventionali, non quidem coram dictis Scabinis, quia judicando partem læserunt, *c. Cum Appellationib. De appellat. lib. 6.* sed coram vobis amplissimis Dominis Commissarijs procedi debeat.

De Mutuis Petitionibus.

SVMMARIVM.

Reconventio ex arresto.

1. *Reconventio locum dumtaxat habet actione propositâ.*
2. *Reconventio in causa spolij locum non habet nisi eâ expeditâ.*
3. *Arrestum summariè tractatur & mediante cautione amovetur.*
4. *Arrestari nequeunt res militum & Scholasticorum.*
5. *Reconventio quando habeat beneficium simultanei processus.*

CONSILIVM LXXII.

IN discussione altercationis, quæ facta est in causa Gerardi Coemans Actoris, contra Dominum Gummarum Ilias Reum; super eo, num secundùm petitionem Actoris Reverendus Dominus Abbas decernere debeat arrestum tollendum & Actori permittendum, ut fructus per Reum arrestatos tollat, & in usus sibi placentes convertat; an verò secundùm petitionem Rei hujusmodi arresti causa, & tollendi arresti necessitas suspendenda sit, donec lis, quam adversus Actorem Reus velut sub specie reconventionis instituit, decidetur & terminabitur? hoc in primis diligenter expendendum, in quo Advocatus Rei impegisse videtur, nullam propriè inter Actorem & Reum esse conventionem & reconventionem; sed ex parte Actoris simplicem querelam; ex parte verò Rei non reconventionem, sed ordinariam conventionem: ita ut frustra hîc suspiciatur disputatio, an causa conventionalis ante reconventionalem decidi & terminari possit aut debeat; an in idem tempus utriusque definitio & decisio rejicienda sit. Actor enim non tam convenit Reum, quàm ne alibi, hoc est, in loco & coram judice, cujus authoritate arrestum positum est, conveniatur, contendit; & non tam agit, quàm ut citatus actionem, ob quam ad arrestum prosilijt, coram judice Impetrantis proponat, ut patet ex illa clausula literarum de arrestatorialium, *& si quid ab eodem Actore actione personali petere velit &c.* † Non enim omnis petitio in jure proposita reconventioni locum facit, sed ea tantùm, quæ actionis faciem & formam habet, *Bald. in c. 1. De controver. apud pares curiæ in usib. feud. Marian. Socin. cons. 167. Non inutilis. nu. 26. vol. 2.* † ideoque fit, ut in causa spoliationis non admittatur reconventio petitorij, ante expeditam causam spolij, *c. Fin. De ord. cogn. & ibi gloss. pen. in princ.* cui causa arresti non absurdè comparari potest; quia quodammodo initium ab executione ante cognitionem facit; quod jure prohibitum est, *l. Vnica C. De prohib. sequest. pec.* ita ut petitio amotionis arresti non tam sit judicium seu actio, quàm præparatio ad judicium & demonstratio unde atque ubi, qui arrestari procuravit, intentionis suæ propositionem facere debeat.

Vnde etiam fit, ut causa arresti summariè tractetur; & eo etiam casu, quo ex jure vel consuetudine fieri potest, facillimè amoveatur, datâ cautione de standoo juri & judicato solvendo, *Pet. Anchar. cons. 85. ex Theoricis Pet Philip. Cornetus cons. 136. Visis actis nu. 2. vol. 4.* * multo magis ubi ex privilegio constat arrestum fieri non potuisse; ut est in præsenti causa, propter privilegia Scholaribus Vniversitatis Lovaniensis concessa, ne eorum res & bona detineantur; ne directè vel indirectè (quod fieret, si arrestum teneret) alibi, quàm coram suo Rectore aut Conservatore extra muros Oppidi Lovaniensis in jus trahantur: cum alioquin etiam jure communi res Scholasticorum seu militum retineri vel arrestari nequeant, *gl. l. Nepos Proculo in V. dignitate De verb. signif. Ias. in §. item Serviana Instit De action. Steph. Aufrer. decis. Tholos. 136.* † Et concedamus conventionalem ac reconventionalem hîc esse causam; nihilo tamen magis locum obtinebit, quod Advocatus Domini Gummari sustinet: nam ut propter quamcumque petitionem, sive sit ordinaria actio, sive officij imploratio, sive querela, sive interdictum, qui impetitur possit cujusuis generis actionem per reconventionem proponere, omni tamen reconventioni hoc privilegium non inest, ut conventio numquam terminari vel decidi possit ante reconventionem instructam, & ad definiendam præparatam: quia quotiescumque causa conventionalis summaria est, reconventionalis verò ordinaria *Bart. inl. Naturaliter. §. nihil commune. De acquir. possess. DD. in c. fin. De caus. poss. & propriet.* quoties in limine Iudici liquet de meritis causæ conventionalis, & causa reconventionalis altiorem indaginem ac ampliorem causæ discussionem desiderat; non debet per reconventionalem illi quidam liquidæ conventioni, quò minus decidatur atque terminetur, & executioni mandetur, mora aliqua fieri, *latè Marian. Socin in c. 1. nu. 59. & in c. 2. nu. 17. De mut. petit.* ita ut liquidato negotio conventionis ante propositam reconventionem, reconventioni omninò locus non sit *Baldus in Auth. Et consequenter. nu. 10. C. De sentent.* Et quamvis stante conventione quandocumque post litem contestatam reconveniri possit actor, simultanei tamen processus naturam & prærogativam non habet, *Panorm in d. c. 1.*

Cùm itaque ante litem in causa reconventionali contestatam satis liquidata sit petitio Actoris, per hoc quòd Reus confitetur fructus arrestatos ad Actorem pertinere; sit etiam periculum, ne fructus

fructus deteriorentur, aut bona nomina tempore deteriora fiant, *Guid. Pap. decis. 366. in addit.* & præterea Reus declaraverit contentum se esse, ut arrestum relaxetur: nihil est, cur ob causam reconventionalem effectus arresti pereat, hoc est, actorem non sequantur fructus sub manibus colonorum seu debitorum existentes? præsertim quia Actor cautionem offerat, quia interpositâ semper, ut diximus, tolli debet arrestum; quòdque per negationem actoris planè illiquida effecta sit Rei reconvenientis petitio, nulla illius probatione hactenus allatâ, *c. Si clericus hic cum & ibi Felin. De foro comp.*

De litis contestatione.

SVMMARIVM.

Litis contestatio.

1. 3. *Litis contestatio an sit necessaria in causa appellationis.*
2. *Litis contestatio quid sit.*
4. *Litis contestatio in summarijs necessaria non est.*
5. *Causa quæ in prima instantia est summaria, est quoque summaria in causa appellationis.*

CONSILIVM LXXIII.

1 QVAMVIS controversi juris articulus sit, an in causa appellationis à sententia definitiva requiratur & necessaria sit litis contestatio, & illâ omissâ sententia lata sit nulla; quibusdam existimantibus illam omninò esse necessariam, & omissam vitiare sententiam, *gloss. in c. Ramaldus. in V. contestata, & ibi Panormit. De testam. Bart. in l. Cum anterioribus §. illud C. De appellat. Archidiac. in c. Si autem in fine 11. q. 6. Bart. Cynus & alij in l. 1. C. Ne liceat in eadem caus. tertiò provoc.* communius tamen receptum est, litis contestationem in appellationis causa necessariam non esse, si in prima causa seu instantia facta fuerit, *Canonistæ & præsertim Phil. Decius in c. Per tuas De appellat. Matth. Mathesil. singulari 63. nu. 4 in addit. Bald. ad Rubr. C. De usur. & fruct. legator. & in d. l. 1. C. Ne liceat &c. Rota decis. 467. auditor in novis, alias est 7. De litis contest. & 208. Nota quod servat, alias est 5. & 669. Quando aliter, alias est 9. De litis contest. in antiquis. Marianus Socin. in c. Quoniam frequenter nu. 74. in 79. Fallentia Vt l te non contest.* quia in tali causa articulus de justitia appellationis non est separatus à negotio principali; ut meritò sufficiat contestatio facta in causa principali coram judice, qui de principali cognovit, sive utraque pars causam appellationis prosequatur & in ea consistat, sive altera contumaciter absit. Et sanè qui originem & verum usum litis contestationis expendit, facilè deprehendit errorem eorum, qui in appellationis causa
2 contestationem requirunt † Contestatio enim nihil aliud est, quàm expressa declaratio partium volentium litigare potiùs quàm à lite recedere; cujus animi & voluntatis declaratio potissimùm deprehenditur, cùm Reus primi Judicis sententiâ condemnatus, manus non dat, sed pertinaciùs adhuc se litigare velle significat per interpositionem & prosecutionem appellationis. Cùm igitur in causa primæ instantiæ, quæ introducta est coram Magnifico Domino Rectore inter Ioannem Maes Actorem, & Antonium Bergaingne Reum, formalis facta fuerit litis contestatio, nihil nocere debet, si in secunda instantia appellante Antonio, eadem contestatio tã formaliter repetita non fuerit.

De quo dubitari non potest, ob id quod ex omnium, etiam illorum, qui regulariter contestationem in appellationis causa requirunt, sententia, litis contestatio omissa in appellationis causa non causet nullitatem vel Actorum vel sententiæ, si sine contradictione partium tacito velut consensu omissa fuerit, nec ab ullo litigantium petita, *Phil. Franchus & Decius in d. cap. Per tuas nu. 3. Covar. in d. c. Raynaldus nu. 1. in fin.* & hoc est, quod dicit Baldus, *in d. l. 1. C. Ne liceat in una &c. in fine*, quòd si partes de concordia processerunt in causa appellationis lite non contestatâ, judicium valeat. Cùm ergo hæc causa appellationis per omnium decem terminorum substantialium observationem sit ad finem perducta, & utrimque jus petitum; non potest nunc sine evidente calumnia processus irritari ex defectu solemnis contestationis. Quæ tamen iterum hic in effectum includitur ipso juramento de calumnia, quod in hac causa præstitum est, quod jus nominatim præcipit præstandum etiam in appellationis causa, *c. 2. in princ. De iuramento calum. lib. 6.* Deinde hoc quoque hic ad excusationem adferri potest, quod nemo sit, qui non admittat in appellationis causa omitti posse litis contestationem tunc, cùm in prima instantia sine vitio nullitatis amitti potuit, *Decius in d. c. Per tuas num 4.*

4 Est autem certum, quòd in summarijs causis; atque item in judicijs, ubi summariè causæ tractantur non requiratur litis contestatio, *Clem. Saepe De verb. signif. & ibi Cardinalis Zabarella, & alij.* Iam verò certum & indubitatum est, quod omnes causæ, quæ coram D. Rectore hujus Universitatis Lovaniensis tractantur; summariè tractari debeant, nullâ judiciorum solemnitate servatâ: * atque ita 5 cùm ejusdem naturæ & qualitatis sit causa appellationis, cujus fuit prima instantia, sequitur, ut si prima instantia fuit summaria, secunda quoque summaria esse debeat, *Angel in l. 1. An per alium causa appell. reddi poss.* & sic perinde in secunda, ut in prima, omitti possit litis contestatio, potissimùm cùm pars eam non urget: eâque ratione decidit Robertus Maranta, *in tract. De ord. iudiciario parte 6. tit. De litis contest. in princ.* quòd quia omnes causæ in regno Neapolitano summariæ sunt ex constitutione regni, in ijs procedi possit sine litis contestatione. Quod in causa hac tanto magis locum habere debet, ex eo, quòd per reformata statuta ejusdem Vniversitatis *sub tit. De officio & iurisdict. Dominorum quinque iudicum appellat. a. 4.* constitutum sit, causam appellationis ex ijsdem actis primæ instantiæ decidi debere, omissâ terminorum solemnium observatione; nisi appellans nova facta velit allegare, aut non probata probare, declarando id in primo aut secundo termino: quæ quidem declaratio etiamsi in proposito casu facta sit per appellantem, ex post subsecutis tamen inventur falsa fuisse; quia neque nova facta aliqua allegata sunt, imò nec aliquis libellus appellatorius exhibitus; neque item probationes aliquæ adductæ: sic quòd evidentissimum sit Appellantem nihil aliud quàm dilationes & occasionem trahendi causam quæsivisse. Quamobrem dicimus, partes Magnifici Domini Rectoris esse, ut rejectâ hac frivolâ allegatione seu objectione nullitatis, ad taxationem expensarum & executionem latarum sententiarum procedat.

De litis contestatione.

SVMMARIVM.

Litis contestatio.

1. *Exceptiones declinatoriæ ante litem contestatam proponendæ & decidendæ.*
2. *Litis contestatio etiam in interdictis possessorijs requiritur.*
3. *Litis contestatio quomodo fiat.*
4. *Litis contestatio non est necessaria in supremis Concilijs.*

CONSILIVM LXXIV.

NVLLA spes est obtinendi ex his, quæ ad convellendam seu impugnandam Secreti Concilij sive decretum sive sententiam objiciuntur; quod scilicet hujusmodi sententia lata sit ante litem contestatam, extra petitionem partis, nullis præcedentibus probationibus, super inepta Actorum seu Impetrantium petitione. Nam in primis quod de non facta litis contestatione proponitur ad eam dicti decreti partem, quâ propolita exceptio incompetentiæ rejicitur, nullitati subjiciendam nihil facit; † quia 1
exceptionis declinatoriæ, atque etiam dilatoriæ, ut ante litem contestatam proponi, *c. Pastoralis De except. l. ult. C. eod. in.* ita quoque per judicem decidi & definiri debent, cùm ad litis contestationem impediendam proponantur. *gl. & DD. in l. Exceptionem. C. De probat.* Quatenus verò eodem decreto ulterius dictis Impetrantibus adjudicatur usus & possessio medietatis decimarum controversarum sub idonea cautione de ijs in Crentum restituendis, etsi in primo aspectu probabilis videri posset hæc deficientis litis contestationis exceptio; * ideò quòd communius receptum sit, etiam in 2
interdictis possessorijs, præsertim retinendæ possessionis, §. *Hodie. Instit. De interd. Bart. in l. Naturaliter. § nihil commune D. De acquir. poss. salcet. in l. 2. C. Si per vim aut alio modo &c.* litis contestationem requiri; illius tamen defectum hic esse non deprehenditur. † Neque enim hodiernis moribus veteris juris illa forma solemnis litem contestandi per interpositas sponsiones & formulas verborum amplius in usu est; sed ad eam, seu potius ejus effectum inducendum sufficit, quoquo modo declarata per Actorem & Reum voluntas lite contendendi; quæ manifestatur per hoc, quòd Reus ad petitionem Actoris contradicendo peremptorie respondet & proponit, *c. 1. Vt lite non contest.* & judex per narrationem negotij ex utraque parte causam audire incipit, *l. 1. C. De litis contest. Guido Papæ dec. 369.* Et hoc est quod dicit Petrus Rebuffus, *in tract. De materia possess. art. 3. glos. 1. in fin. ad constitut. regias tomo 3.* in his etiam possessorijs judicijs contestationem fieri, quando allegantur contrariæ possessiones, & unus negat alterum possidere, multò magis si de defectu proprietatis quoque allegatio adjungatur. † Sed in hoc scrupulosius per- 3
sistendum non est, ob id, quod receptum sit, litis contestationem non esse necessariam in supremis Concilijs, quale est hoc Secretum; nec ob id ex defectu litis contestationis sententias aut processum in illis nullitati subijci posse.

De Ferijs.

SVMMARIVM.

Feriarum violatio.

1. *Dies Dominicus est omnino sacer.*
2. *Opera quæ fieri possint in die festo.*
3. *Expensas ferre debet Actor qui adversus Reum confitentem ulterius procedit.*

CONSILIVM LXXV.

DE re parva velut ad crimen postulatur & Reus sit Ioannes de Beckere, ex eo solo quòd quòdam die Dominico ex loco seu pago de Winsele ad pagum de Wespelaer, uno miliari inde distantem, suo curru vexerit instrumenta culinaria cuiusdam coci: * non 1
quòd extra peccatum sit violare diem festum, præsertim Dominicum, qui ex jure divino *Leviti. c. 23* Ecclesiastici juris determinatione accedente, *cap. 1. De ferijs 2.* sic sacer est, ut ab omni opere servili eo die omnes Christianos vacare oporteat, & nisi sic vacent mortale peccatum incurrant, cùm ex præcepto decalogi sit ista observatio: sed quòd opus hoc, quod Reo ad contraventionem hujusmodi præcepti objicitur, tale sit, quod reprehensionem non mereatur, nec pro peccato mortali aut culpa aliqua objici possit. * Neque enim 2
judaicè & ad literam accipiendum est hoc præceptum de nullo omninò opere in die festo faciendo (quod sic ob duritiem cordis in lege veteri scriptum fuit, ideoque strictiore religione servandum, adeò ut nec cibos parare possent, *Exod. 16. & 35. Domin. à Soto De iustit. & iure lib. 2. quæst. 4.*) sed de eo dumtaxat, quod formaliter, & finaliter servile est, ordinatum ad proprium & proximum, ad bonum corporis temporale seu ad lucrum; hoc enim opus sub præcepto prohibitiuo continetur, *Angel. De Clavasco in Summa dict. Feriæ nu. 9.* ita ut multa & prope infinita opera sint, quæ sub præcepto non cadunt, sed excusationem merentur, *Dominic. à Soto d. q. 4.* Quam excusationem sæpè etiam facit modus ipsius operis, si scilicet modicum id sit, & tam modicum; ut non impediat vel spiritus libertatem, vel divini cultus observationē; ita ut operis quantitas omninò sit consideranda; quæ si parua est ad peccatum referenda non est; quia modica in consideratione non habentur *Angel. d. dict. Feriæ, nu. 9. Barthol. Fumus in sua Armilla, in dict. Festum nu. 18.* Cùm ergo Reus dumtaxat accusetur de transvectione dictorum instrumentorum ad unum miliare, condemnationem nullam meretur; præsertim quia ex actis ipsius adeoque actoris confessione constet, quòd hæc transvectio non sit facta principaliter propter ipsa instrumenta, sed tantùm incidenter propter transvectionem personarum, hoc est Rei & vxoris, quam Reus licitè facere potuit; nullo enim jure prohibitum est proprio curru, proprijsque equis aliquò etiam in die festo transuehi; ut nec pedibus aliquo ire: imò tanto magis curru aut equo transvehi, quando plus laboris corporalis est in eundo seu ambulando. De quo in proposito minùs dubitandum, ob id, quod ex confessione Actoris

Actoris quoque conſtet, quod cauſa tranſvectionis principalis fuerit, ut Reus ſe uxoremque ſuam & Henricum van Huiſt ejus levirum ex pago de Winſelis tranſferret ad pagum de Weſpelaer, non mercatus aut alterius profanæ rei cauſa, ſed ex cauſa rei divinæ & ſacræ; ut ſcilicet intereſſet celebritati & divino officio in honorem S. Huberti tunc celebrando; idque ex cauſa neceſſaria, quia ſcilicet Reus de confraternitate S. Huberti in Eccleſia de Weſpelaer erat, & ſic obſtrictus ad præſentiam in illa celebritate; quod etiam teſtificari videntur teſtes per Actorem producti: eſt enim indubitatum, quin licita ſint opera, quæ præparatoria aut deſtinata ſunt ad divini officij cultum, *Domin. à Soto d. q.* 4. Quod autem deſtinatio hæc talem effectum habuerit, demonſtrat ipſius Actoris confeſſio, quatenus reſpondendo ad quartum Rei articulum, credit Reum cum ſua uxore & dicto ſuo leviro miſſe S. Huberti ex parte dictæ confraternitatis celebratæ interfuiſſe, & oblationes ſuas ad altare feciſſe; ita ut de depravata aliqua Rei intentione non appareat, ſed ex adverſo de pia & timorata conſcientia proficiſcentis. Potiſſimùm quia non conſtet etiam Reum hanc tranſvectionem dictorum inſtrumentorum pro mercede feciſſe: nam quod primus teſtis ab Actore productus extra articulata deponendo dicit, ſe intelleXiſſe Reo de hujuſmodi vectura ſolutum fuiſſe, fidem non facit; tum quòd ſolus id deponat, *l. Iuriſiurandi de teſtib.* tum quòd de auditu alieno, non ex propria ſcientia id dicat, *c. Licet cauſam eod. tit.* tum etiam quod alter per Reum productus teſtis declaret Reum rogatum à Wilhelmo Stuckens id feciſſe; idque (ut Actor reſpondendo ad tertium articulum Rei fatetur) tunc cùm Reus itineri ſe cum ſua uxore & levito accinXiſſet. Inde enim perſpicitur, cauſam tranſvectionis fuiſſe dictam celebritatem, non ipſa coquinaria inſtrumenta; quæ & ipſa conſtat tranſvecta fuiſſe cauſâ parandorum ciborum, qui in dicta confraternitate poſt peractam Miſſam conſumerentur: cur enim ut parare & coquere cibos die feſto licet, *Domin. à Soto locis ſuprà citatis*, non liceat etiam per tam exiguum loci ſpatium inſtrumenta coquinaria de loco ad locum curru aut humeris transferre? Nec eſt quod Reo ad culpam referatur, quòd pridie aut prius id non fecerit: nam ex articulis Rei per Actorem confeſſatis, adeoque etiam ex teſtimonijs Actoris conſtat, quod inſtrumenta illa ad Reum eodem die Dominico fuerint per Wilhelmum Stuckens ad tranſvehendum delata, & ſic caſu ejus curru impoſita; unde conſtat affectatam hac in re Rei nullam eſſe negligentiam. His accedit quod idem Wilhelmus Paſtorem ſuum pro obtinenda licentia hujus tranſvectionis rogaverit, quæ nec abillo negata, ſed dumtaxat illius periculo, quaſi conceſſa fuerit; in dubitatione ſcilicet, num in ea re peccatum aliquod conſiſteret: ſic quod Reo non poſſit objici affectata aliqua culpa. In ſumma eo loco hæc tranſvectio eſt, ut ob eam Reus in foro pœnitentiali, multo minus judiciali, puniri non debeat, cum ex cauſa, modo, & fine hæc res licita rectè dicatur, *l. Gracchus C. Ad l. Iuliam De adult.* * Et quoniam expenſæ litis rem principalem excedunt, nulla etiam cauſa eſt, cur in eas vel earum aliquam partem Reus condemnetur, qui in nulla culpa invenitur, præſertim quia idem Reus in exordio litis rem ipſam, ut acta eſt, confeſſus fuerit; idque longè amplius & latius quàm Actor allegavit vel articulavit: ita ut ad hujuſmodi Rei confeſſionem Actor ſubſiſtere debuerit, & Reum ulterioribus expenſis minimè gravare, *l. Si debitori De iudicijs*, cùm nullæ ſint judicis aut judicij partes in conſitentem, niſi in condemnando vel abſolvendo, *l. Proinde § ult. Ad leg. Aquiliam.* Eâ itaque Rei confeſſione contentus debebat eſſe Actor, & ex ea petere ſententiam; prout Reus eâ confeſſione factâ, & declarato, quod exiſtimaret ſe per dictam tranſvectionem nihil peccaſſe, ſeſe ordinationi Venerabilis D. Officialis ſubmiſit: uſque adeò, ut etiamſi pœnam aliquam meritus fuiſſet Reus ex illa tranſvectione, damnum tamen ſequentium expenſarum ſuſtinere non deberet, *Baldus in Auth. contra qui propriam in fine C. De non nu. pec. Hippolit. De Marſil. in l. Patre, nu.* 43. *De quæſt.* cùm illis faciendis cauſam non dederit, ſed præſciderit. Itaque exiſtimo officium Venerabilis Domini Officialis eſſe, ut Reum abſolvat, & Actorem in expenſis litis condemnet.

De Ferijs.

SVMMARIVM.

Exceptio dilatoria Feriarum.

1. *Ferijs meſſium nemo invitus in ius vocatur, etiamſi non ſit agricola.*
2. 4. *Alimentorum cauſa ferijs quando tractari poſſit.*
3. *Alimentorum legatum quod dicatur.*
5. *Alimenta quando ad piam cauſam referantur.*
6. *Feriæ quando ceſſent in his quæ acceleratione requirunt.*

CONSILIVM LXXVI.

EXCEPTIO dilatoria ex præſentibus ferijs meſſium propoſita adverſus citationem pro parte Antonij Zoy Actoris, contra Iacobum du Boys Reum factam, bono jure nititur. † Quippe manifeſti & indubitati juris eſt, meſſium tempore neminem poſſe adverſarium ſuum invitum cogere venire ad judicium, nec rectè facere judicem, qui quemquam eo tempore ad judicium evocaverit, *l.* 1. D. *de ferijs*; ita ut evocatus non comparendo durantibus hujuſmodi ferijs contumax reputari non poſſit, nec adverſus eum ut contumacem procedi, & contra eum dicta ſententia pro nulla & nullius momenti reputetur, *d. l.* 1. *poſt princ.* non tantum ex civilis, ſed etiam ex Canonici juris diſpoſitione, *c. fin. De ferijs*: idque ſine diſcrimine & diſtinctione inter ruſticos, qui potiſſimùm eo tempore circa rempublicam ſolent eſſe occupati, *d. l.* 1. *in princ.* & cives ſeu otioſos quoad meſſem homines; nam & clericis & militibus perinde, ut ruſticis privilegium hujuſmodi feriarum indultum eſt, *gloſſ. in d. l.* 1. *in V. occupati*, *Pileus quæſt.* 123. ideoque præfato Reo de ferijs his excipienti objici non poſſit, quòd ſit civis, nec agriculturæ aut meſſi operam det: prout nec dictus Actor objecit, ſed hoc tantùm, quòd hæc cauſa ſit cauſa alimento-

rum, quod moram non patiatur; quòd Actor ob hanc causam Bononiâ civitate Italiæ Lovanium venerit; ideoque ferijs non obstantibus, non tantùm solitis & ordinarijs, sed alternis etiam diebus in hac causa procedendum esse. Verum quidem est feriarum sive indultum, sive prohibitionem tam præcisam non esse, quin multæ sint causæ, ob quas ad judicium quis evocari possit, & evocatus in causa cum evocante saltem usque ad litis contestationem, interdum etiam usque ad definitivam sententiam procedere debeat, sed quas Actor proponit, ad neu-
2 trum effectum idoneum habent. * Nam quæ primo loco proponitur, quòd hæc sit alimentorum causa, sic ab Actore proponitur, ut ex modo propositionis apertè percipiatur illam frivolam esse; ideò quòd id non assertivè proponat, nec ex literis Apostolicis, unde initium hujus causæ constituitur, appareat, sed quod suo loco clarius id deducturus sit, quàm deductum est in dictis literis Apostolicis; quod cum in facto consistat & hactenus deductum non sit, D. Iudicem ex generali, vaga, & indeterminata allegatione commovere non debet. Neque enim ex causa nec allegata, nec deducta, nec probata, judicem aliquid constituere oportet, sed causa causatum antegredi & præire, non sequi debet, *l. Huiusmodi Quando dies leg. vel fideicom. cedat.*

Sed quoniam Actor ex comminatione seu jactitatione clarioris deductionis tacitè ex virtute comparationis significare videtur in dictis literis Apostolicis contineri & Venerabili D. Iudici mandatam esse causam alimentorum, exquirendum est, num id sit verum; ob id, quod verum sit in causis alimentorum coram judice, etiam invito adversario, procedi posse in ferijs messium ac alijs similibus ob necessitatem hominum introductis? *l. Eadem C. De ferijs.* Origo hujus causæ est (ut indicant dictæ literæ Apostolicæ) testamentum Lucæ Zoy fratris dicti Actoris; in quo ei legavit mille octingentos florenos per ejus executores convertendos seu collocandos in annuos reditus hæreditarios ad dicti Actoris commodum & utilitatem, ut illis quoad viveret frueretur, cum substitutione proximorum agnatorum pro dimidia, & pro altera dimidia pauperum Oppidi Namurcensis, si eum sine liberis decedere contingeret.
3 * Quod quidem legatum præcisum, determinatum, & circumscriptum est certæ rei, honoris, & emolumenti, non verò alimentorum causa, nullâ alimentorum seu alendi mentione adjectâ: quod etsi ex voluntate legatarij magis, quàm testatoris converti possit in alimenta, ut omnia quæ habemus, quæque nobis undecumque obveniunt; ad alimenta tamen nec restrictum nec conclusum est, & perinde aleâ, aut aliâ prodigalitate ac luxu consumi potest, ut ad necessarios & familiares usus converti. Cùm alioqui nec alimentorum legatum propriè dici possit, quod certum & definitum alicui legatur, ut inde se alat & exhibeat: quia hujusmodi adjectio referenda est ad causam, quam vocant impulsivam, & ad consilium & providentiam, non ad constituendum alimenta, nec ad nudum usum, *l. Liberti libertabusque, l. Cum alimenta* §. 1. *in fin. De alim. lega. l. Donationes* §. *species* De *donat.* Quod etiam ex effectu hujus legati percipitur, qui in eo consistit, quod morte dicti Antonij non extinguetur hoc legatum, sed vel ad ejus liberos, si cum illis decesserit ab intestato, seu, ut plerique volunt, jure fideicommissi, *l. Lucius & ibi Doct. De hæred. inst.* vel si sine liberis decesserit, jure fideicommissi ad proximos agnatos pro semisse, & pro alio semisse ad pauperes pervenire debebit; non ad finem alimentorum, sed absolutè & pleno jure: repugnat enim talis continuatio & perpetuitas naturæ alimentorum sive ex promissione, sive ex legato, sive ex jure debeantur; ut quæ unà cum personâ alimentarij, cui illa debentur, prorsus finiuntur & extinguuntur, sicuti & usus & ususfructus, *l. Cum ij* §. *modus. vers. constat. De transact. l. Mela. in princ. De alim. legat. l. Hæreditatum ff. ad l. Falcid.* Alimentorum itaque non potest dici hæc causa respectu commutationis illius, ad quam ex absoluta Pontificis potestate, *Clem. 2. De relig. domib.* per dictum rescriptum Actor contendit: hæc enim commutatio ferè tantùm continet peremptionem fideicommissi Antonio injuncti, in casum, quo Antonius sine liberis moreretur; propter jam plures liberos illi natos, & sic propter apparentem & quasi certam spem defecturæ conditionis dicti fideicommissi, per superexistentiam liberorum; præventione quâdam detectivonis hujusmodi defectæ seu certo deficiendæ conditionis, facta per hanc Pontificiam commutationem: ita quod corpus ipsum seu jus legatum, non sit per hanc commutationem in alteram speciem alimentorum conversum, sed velut relaxato vinculo injuncti fideicommissi, dicto Antonio facta potestas dictos mille octingentos florenos, aut reditum vel fundos ex illis comparatos, levandi in suos, familiæque suæ usus & utilitatem, atque etiam in dotes filiarum convertendi, & de illis liberè disponendi: ex quo non potest constitui aliqua species alimentorum: quia hujusmodi libertas naturæ alimentorum prorsus repugnat; cùm vera alimenta non ita sint in libera facultate ejus qui illa vel data vel legata habet, *d. l. cum ij.* multo minus in illius libera dispositione; eò quod illa, ut diximus, cum vita alimentarij finiantur. Quia igitur nec testamentum, nec bulla Pontificia ullam mentionem facit alimentorum, & res ipsa ad speciem aliquam alimentorum non declinat, non rectè prætendit Actor hanc esse causam alimentorum, ut Reo beneficium feriarum subtrahat. * Cùm alioqui non omnes causæ ali- 4
mentorum hoc privilegium, ut ferijs de illis agi possit, habeant; sed illæ tantùm, ubi ex officio judicis alimenta personis necessarijs constituenda sunt; ut liberis, pupillis, & similibus personis; non etiam cùm alimenta vel ex stipulatione, vel ex donato, vel ex testamento codicillis debentur & petuntur, *Ant. De Butrio & alij in c. fin. De ferijs, Alex. in l. 1. nu. 13. Soluto matrim. Castrens. Iason, & alij in l. 1. §. sed excipiuntur. De ferijs.* nam illo casu agitur de illis constituendis; hoc verò de constitutis exigendis, in qua exactione privilegium nullum est, nisi alimenta inopi seu pauperi, & propter inopiam seu paupertatem sint promissa aut legata, *l. 2. in verb. alimenta constituantur. De ferijs*; quasi eo casu hujsmodi alimenta habeant

præ-

prætextum pietatis, & privilegium piæ causæ; quod inter cætera est, ut etiam ferijs de ijs agi & cognosci possit, *Alex. Iaſ. & alij locis citatis, Franc. Aretinus conſil. 97. In cauſa & puncto nu. 4. And. Tiraquel. De pia cauſa privil. 156.* † Cujus generis non sunt alimenta, quæ fratri aut alij propinquo vel amico, testamento relinquuntur, paupertatis aut inopiæ nullâ factâ mentione, cùm ut alia, sic etiam hoc legatum, præsumantur esse facta ex impellente causa conjunctionis & amicitiæ, non propter paupertatem, cujus testator non meminit, nec aliud argumentum præbuit, quod respectu inopiæ ita legaverit. *And. Tiraquel. de pia cauſa in præſat. verſ. item legatum:* prout etiam Actor non proponit tibi ut pauperi, respectu paupertatis seu inopiæ, hoc legatum relictum esse. Quinimò nec Pontifex hanc commutationem, de qua in hac causa agitur, respectu aut contemplatione paupertatis dicti Actoris fecit: etsi enim ex parte narrativa dictæ Bullæ constet, Actorem pro impetranda hac commutatione in suo supplice libello inter alia narrasse, quòd sit pauper & valetudinarius, in anno sexagesimo secundo suæ ætatis constitutus; in parte tamen dispositiva, nulla est hujusmodi qualitatum repetitio; ut proinde non possit dici Pontifex hanc commutationem feciſſe respectu illarum, sed magis ex ijs causis, quæ in eadem dispositiva parte exprimuntur; nimirum quod (ut Actor exposuerat) proximiores agnati iuri suo cesserint, & pauperibus, Actore cum liberis decedente, nihil possit deberi. Quæ etiam causa est, cur Actor privilegium piæ causæ vel in genere vel in specie hic non proponat, sed in specie de privilegio alimentorum, quorum consideratio idcirco hic in cognitione tantùm versari debet.

Quoad secundo loco propositam causam, pro avertendo beneficio feriarum, quod videlicet hæc causa moram non patiatur, ipsius Actoris propria mora & negligentia illam quoque frivolam esse demonstrat; ideo quòd hanc Bullam impetraverit 5. Decembris anno 1577. ut ex data deprehenditur: pro cujus executione nunc primùm post duos & dimidium annos agere incipit: inde enim deprehenditur primùm, quod allegatio paupertatis in dicto supplice libello facta, omninò sit improbabilis: paupertas enim tantam dilationem & negligentiam in prosequenda executione dictæ Bullæ, & consequendo illius effectu, admissura non erat. Deinde quod post tam longam moram duorum cum dimidio annorum, Actori parum in omnem eventum nocitura sit dilatio, quam facit restans tempus jam ad finem decurrentium feriarum messium, ad quarum beneficium Reus meritò confugere potest, quando Actor eum imparatum & inexspectatum sic subitò opprimere, & super hac lite deliberandi & se instruendi occasionem præripere conatur, *l. Si quando C. de dilationib.*

6 Vltra quæ hoc etiam in consideratione habendum, quòd feriarum usus non cesset simpliciter & indeterminatè in omnibus causis, quæ ex quacumque causa, festinatione seu acceleratione indigent, nec moram patiuntur, sed tunc cùm necessitas urget, vel pietas suadet, ut inquit Pontifex, *in c. fin. de ferijs.* At in proposito necessitas nulla est; id enim convincit Actoris in utenda & exequenda hac bulla dilatio, mora, & negligentia: at nec pietas, quæ non ex cujusque majore emolumento vel commodo constituenda est, sed ex causa, quæ pietatem, vel respectu Dei immediatè, vel contemplatione hominum ex commiseratione non sine devotione in Deum, habet; qualis hic nulla est, sive testatoris testamentum, sive Pontificiam commutationem inspiciamus. Præterea necessitas, quæ ferias excludit, non ad hominis indigentiam, quòd illi fortè necesse sit habere, quod in judicio petit, sed ad illam, in qua propter moram res tempore peritura esset, hoc est, ut Iureconsultus interpretatur, *in d. l. 1. §. ſed excipiuntur de ferijs*, si dilatio actionem esset peremptura; ut est in temporalibus actionibus, quæ continue sine discrimine utilium & inutilium dierum decurrunt: de qua re hic nullum periculum est; cùm perinde post has ferias, ut nunc, Actori salua futura sit actio, si quæ ei ex dicta bulla competit. Quo tamen casu, cùm res vel necessitas sic urget, ad hoc tantùm prosunt feriæ, ut litem cum adversario Reus contestari non debeat, *d. §. Excipiuntur verſ. Sanè quoties*, & sic actio tempore finitura fiat perpetua, *l. Non ſoleat deterior & ibi gloſſ. De reg. iur.* non etiam ut ulteriùs in causa durantibus ferijs cogatur Reus invitus procedere, *d. §. Excipiuntur verſic. denique alterutro:* ut admodum malè contendat Actor non ad hoc, ut Reus litem contestetur, sed cum eo alternis diebus in hac causa procedat.

Tertia ad avertendum usum harum feriarum causa, cæteris duabus adhuc infirmior minusque probabilis est: cùm enim Actor forum Rei sequi debeat, *l. Iuris ordinem C. De iuriſd. om. iudic.* nec usquam in jure discrimen inter eandem vel diversam, proximam aut longinquam provinciâ Actoris & Rei hac in parte constituatur; non potest ex ratione longioris itineris, juris ordinem invertere, vel feriarum beneficium tollere, sed hoc tantùm cum Terentiano Critone conqueri, nec facilè nec utile esse hospitem alibi lites sequi, *in Andria actu 4. ſcena 6.* Et debet sibi Actor imputare, quod sic seipsum arctaverit, & in angustum redegerit; quod cùm sciverit seu scire debuerit ferias messium ubique in usu esse, & in idem ferè tempus, hoc est geminis istis mensibus Iulio & Augusto incidere, non prius vel citius iter Lovanium ingressus sit, & sic se composuerit, ut adveniens præscriptione feriarum non excluderetur, *l. Non exigimus §. ſi quis tamen, Si quis caution. &c.*

Vltra quæ omnia hoc diligenter expendendum, quòd causa hæc non sit D. Decano commissa, ut de illa de plano & sine strepitu ac figurâ judicij cognoscere aut in ea procedere possit, (quo casu probabilius posset Actor contendere ferias istas non obstare, *Clem. ſæpe De verb. ſignif.*) sed cum præscriptione ac mandato servandi ac habendi legitimos processus super contentis dictæ Bullæ; ut apertè expressum est in clausula executoria & delegatoria ejusdem Bullæ, ex qua Venerabilis Dominus Decanus omninò adstrictus est, solitum & ordinarium procedendi modum in hac causa servare, nec potest acceleratione extra solitum & observatum morem alijs diebus in ea pro lubitu Actoris procedere. Æquo igitur animo ferre debet Actor hanc dilatoriam

præscriptionem feriarum, & non tantùm eam ferre, sed præterea condemnari in expensis inutilis citationis factæ tempore feriato in diem perinde feriatum, *l. Dies festos C. De feriis, Guido. Pap. cons.* 36. *Citatus fuit Iacobus.*

De plus petitionibus
SVMMARIVM.

Plus petitio.

1. *Delegatio pro solutione est.*
2. *Compensatio ipso iure minuit.*
3. *Victor etiam in expensis condemnari potest.*
4. *Plus petentis pœna qua sit.*

CONSILIVM LXXVII.

INIQVITAS sententiæ latæ in favorem Domicellæ Heilwygis van Binckem, orginalis Actricis contra Ioannem Laurentij nunc Appellantem, compendio demonstratur in scedula appellationis à dicta sententia interpositæ; idque ex tribus capitibus, videlicet ex majoris summæ quàm oportuit, condemnatione, obiectæ compensationis omissa ratione, & tertiò in expensarum exorbitante condemnatione.

Nam quod ad primum attinet, quatenus sententia condemnat Reum in septem halstaria tritici, non potest non esse iniqua eadem sententia: cum enim petitio Actricis sit de quinque modijs
1 & uno halstario tritici, * & Reus ex Actricis delegatione, quæ pro solutione reputatur, *l. Qui debitorem De fideiuss. l. Qui libertinus §. nihil autem De oper. liber.* solverit quinque modios, ut Actrix tandem post longam cavillationem confessa est; non potest subsistere petitio & condemnatio nisi in uno halstario, quia in eo tantùm subsistit actio, eadem quoad quinque modios extincta. Vt enim obligatio, *Instit. Quibus modis toll. oblig.* ita quoque quæ ex obligatione nascitur, actio solutione tollitur, *l. Licet §. ea obligatio De procurat.* Nam quod attinet ad alium modium seu sex halstaria tritici, quæ in condemnatione quoque continentur, extra petitionē in conclusione libelli positam fuerunt; sic ut in hanc condemnationem venire non potuerint; ne sententia petitionem excedat, *l. fin. C. De fideicomm. libert.* saltem non aliâ ratione quàm infrà circa articulum expensarum dicetur.

Ratio compensationis omissa non levem quoque iniquitatis & gravaminis articulum continet:
2 † cùm enim tanto minùs semper sit partis petentis debitum, quantum Reus per compensationem servare potest, quia compensatio ipso jure accedente partis objectione minuit obligationem, *l. fin. C. De compensat.* rectè quoque ob non habitam rationem compensationis appellari potuit. Nam licet salva maneat petitio, *l. Quod in diem §. fin. De compensat.* quia tamen in judicium deducta, neglecta fuit, appellari propter non habitam illius rationem potuit; præsertim ex eo, quòd admissa exceptio, & confessione Actricis liquidatâ, plenissimè in judicio discussa & cognita fuerit; sic ut eo respectu, appellatione non interpositâ, exceptione rei judicatæ à petitione illius perpetuò excludi potuerit Reus, *Bal. & alij in l. Sin autem §. si quocumque De neg. gestis.*

Exorbitans expensarum condemnatio justæ appellationi causam hic dedisse, imò præcipuum iniquitatis dictæ sententiæ articulum contineri, ex eo demonstratur, quòd Reus in judicio septem halstaria tritici, & octo cum dimidio vasa siliginis, si Actrix juraret, solvere obtulerit; quam oblationem Actrix perseverans in majoris summæ petitione, aperte recusavit admittere; ita ut hâc ratione Actrix, quamvis victrix pro parte, in omnes expensas condemnari debuerit; cùm non sit novum ut in expensis condemnetur qui vincit, *l. Properandum §. & si quidem C. De iudic. eleganter Bart. in l. si rem alienam §. fin. De pign. act.* Est enim hæc oblatio in judicio facta, quamvis verbalis tantùm, tantæ efficaciæ, quanta extrajudicialis cum consignatione, *Bart. in d §. fin. in fine,* propter partis agentis recusationem expressam, *Ias. & alij in l. Qui Romæ. De verb oblig. gloss. final. in c. Pastoralis De off. iud. ordin. Ph. Corneus consil.* 291. *In præsenti nu.* 2. *vol.* 3. *arg. c.* 2. *De dolo & contum. lib.* 6. quæ ut pœnæ commissionem impedit, *Bald. in l. Acceptam. in* 3. *oppos. C. De usur.* & usurarum cursum sistit, *l. Si per te & ibi Bart C. De usur.* ita quoque periculum expensarum, si ulteriùs in lite pergatur, adimit. Absolutoria enim sunt omnia judicia intervenientе solutione, aut eo, quod pro solutione reputatur, *§. fin. Instit. De perpet. & temp. act.* * Nam post illud temerè judicium suscipitur seu in lite Reus 3
retinetur; ideoque expensas luere debuit Actrix, *l. Eum quem temere De iudicijs.* Quod proclivius dici potest ex eo, quòd Actrix plus debito non tantùm petierit, sed etiam allegatam solutionem partis diu negaverit, & in negatione perseveraverit; † ita ut secundùm regulas juris scripti, propter perse- 4
verationem in ampliore petitione, & temeraria inficiatione post litem contestatam, pœnam sustinere debeat: quæ etiam ante litem contestatam, petitionem mutando, in omnem eventum expensas litis, & indebitæ fatigationis luere debuisset, *Hostien. in c.* 1. *De plus petit. Iason in §. & hæc quidem Instit. De action.* Quare existimamus sententiam D. Conservatoris in melius reformandam.

De causa possessionis & proprietatis.
SVMMARIVM.

Possessorium quando dicatur intentatum.

1. *Conclusio est libelli clavus.*
2. *Iudex extra conclusionem iudicare non debet.*
3. *Possessorium non requirit tituli seu causæ allegationem.*
4. *Possessorium quando dicatur intentatum.*
5. *Registra solutionum an probent.*
6. *Spurio nisi alimenta relinqui possunt.*
7. *Relictum ad alimenta finitur morte alimentarij.*
8. *spurio donatum simpliciter an ad alimenta tantum censeatur donatum.*

CONSILIVM LXXVIII.

QVALITAS libelli detegitur ex subjecta illi conclusione, *c. Ex parte De foro compet. c. Literæ De dilation. c. Ex parte* 2. *De rescrip. Bart. in l. Aurelius §. Sticho De liberat. leg.* 1

leg. cùm conclusio sit libelli & totius processus velut clavus: quo fit, ut verbosior vel in libelli narrativa parte, vel in processu, allegatio aut disputatio, non faciat, quo magis judicis potestas possit egredi terminos & cancellos conclusionis propositæ. * Vsque adeò, ut si judex in litis progressu conspiciat aliquid, quod aliâ judicii facie constituta aliam postularet sententiam, non possit eò manus suas extendere, sed præcisè cogatur jus dicere tantùm usque & intra fines propositæ conclusionis; reservato alterius viæ remedio post peractam litem propositam, *l. Babius Marcellus De pact. dotal. & ibi Bald. & in Auth. Sed & si quis C. De secund. nupt.* Hinc quia ex inspectione libelli, unde hujus longæ & penè immortalis litis initium factum est, aperte deprehenditur, quòd Domina Clara de Steenvoorde Actrix contra Reverendum D. Ioannem ab Harff ejusque consortes Reos in solo judicio possessorio concluserit, non ad declarationem, reditum ei deberi, sed tantùm ad continuationem possessionis & solutionis reditus sedecim modiorum speltæ, factâ in ejusdem libelli narrativa parte mentione solius possessionis hujus reditus, quòd Actrix & ejus prædecessores fuerint plurimis annis in vera, quieta, & pacifica possessione juris vel quasi, de & ab occupatoribus & manuplicatoribus terrarum, ratione quarum Rei seu eorum coloni conveniuntur, prætactum reditum quotannis percipiendi; addita mentione subtractionis, privationis, & spoliationis dictorum Reorum pro quatuor tunc novissimè elapsis annis; nullâ facta mentione causæ aut tituli, unde ex & quo idem reditus debeatur: nullæ protuerunt judicantis aliæ esse partes, quàm super sola hujusmodi possessione judicare.

Nam quando agitur judicio possessorio ad præstationem pensionis, reditus, aut cujuscumque alterius annuæ præstationis subtractæ aut denegatæ, non est necessaria allegatio & deductio causæ, unde vel quare hujusmodi pensio, reditus, aut annua præstatio debetur, sed sufficit agenti dicere, quòd erat in possessione seu quasi possessione percipiendi hujusmodi reditum, eumque sibi nunc per adversarium subtrahi & denegari; ut expresso jure definitum est, *c. Querelam § ult. De elect. Innoc. in c. Pervenit De censib.* Et sic hac in re sufficit facti allegatio, absque alia ulteriore allegatione: quia possessio in facto consistit, *eleganter Bald. in l. solent §. fin. in 10. quæst. n. 5. De offic. proconsul.* Neque hujus judicij seu propositæ conclusionis faciem alterat, ut petitorium vel solum, vel mixtum cum possessorio propositum dici possit, quod in conclusione libelli petatur, ut Rei condemnentur dare, tradere, & exsolvere hujusmodi sedecim modios speltæ pro dictis annis debitos; quasi mentio debiti causam contineat, & terminos possessionis egrediatur: quia cùm debiti nulla exprimatur specialis causa, non potest videri petitorium propositum; sed mentio debiti ad præcedentis possessionis, subtractionis, denegationis, ac continuationis expressas causas accommodata, ad illas quoque restringenda est.

Vnde in facti contingentia se obtinuisse scribit Angelus, *inl. 1. nu. 10. De eden.* quod si in libello proponam me spoliatum à te possessione annui reditus mihi debiti, non censeri petitorium institutum, sed possessorium tantùm; & probatâ spoliatione, etiamsi non probetur debitum seu causa debiti, me obtenturum, *Innoc. in d. c. Querelam in fin.* Indubitatum ergo manet, solam possessoriam causam hîc institutam esse: ita ut nihil restet inquirendum, quàm an Actrix illam satis probaverit? In quo quia præconsulentium labor consumitur, multùm laborandum non est; propter partis agentis tam evidentes probationes: primùm per registra solutionum de hoc reditu tum marito Actricis, tum ipsi Actrici successivè factarum; * quæ registra saltem adminiculum probationis conferunt, *DD. in l. Instrumenta & l. Rationes C. De probat.* etiamsi omninò privata sint, nullaque extet consuetudo, quæ hujusmodi registris majorem fidem attribuat. Secundò, per depositiones plurium testium per dictam Actricem productorum, qui de hac possessione partis agentis nimis quàm clarè deponunt. Quibus accedit tertiò Reorum propria confessio, quâ confitentur hujusmodi solutiones factas esse tempore quo mater Reorum, horum bonorum, super quibus hujus reditus usufructuaria possessio constituitur, vivebat. Nihil in contrarium faciente, quod Rei allegant, hujusmodi usufructuariam possessionem ipsis non debere præjudicare: nam id causam petitoriam concernit; cùm ad possessionem constituendam sufficiat nuda facti explicatio, etiamsi jus statim non demonstretur.

Cùm igitur hic sit hujus causæ status, & Dominus Iudex concludatur intra cancellos propositi libelli & conclusionis, qui nihil nisi possessorium continent; consequens est, causam hanc non aliter quàm secundum conclusionem dictæ Actricis terminari posse super sola possessione: sic quòd allegatio deficientis tituli ac juris, quam Rei putant esse notoriam, item allegatio finiti juris per mortem Domicelli Ioannis dictæ Actricis mariti, quasi tantùm ad illius vitam hujusmodi reditus jure alimentorum debitus fuerit, *l. Cum ij §. modus in fin. De transact.* in proposita lite sint impertinentes, nec in consideratione habendæ: quia de solo facto possessionis continuatæ etiam in persona dictæ Actricis (ut per testes probatum est) quæritur, ideoque allegatio deficientis tituli ac juris (quod nullum in specie aut genere ab Actrice propositum aut allegatum est) admitti non debet; ut per præconsulentes benè deductum est. Et quamvis Rei certam spem defigant in allegatione deficientis juris, ex eo, quòd cessio seu donatio per D. Walterum N. de hoc reditu dicto Ioanni suo filio & Actricis marito tamquam spurio (ut Rei allegant) facta valere non possit, saltem non ultra vitam ejusdem Ioannis; * ob id, quòd notorij juris sit, spurio nisi alimenta relinqui posse, *Bart. in l. Si quis à liberis §. utrum De Liber. agnosc. DD. in c. Cum haberet De eo qui duxit in matrim. &c.* * & relictum ad alimenta finiri morte alimentarij *d. §. modus in fin.* & redire ad hæredes donatoris seu testatoris, *Bald. cons. 448. Quæritur imprimis nu. 5. vol. 1.* quia tamen Actrix in hujusmodi donatione causam petitionis & conclusionis suæ non ponit, sed tantùm in præstatione annua & continuatione possessionis, quæ in multis casibus contingere potest, etiam ex persona D. Walteri, & per immediatam personam

dicti Domicelli Ioannis ejus filij, officere Actrici non debet ista Reorum allegatio: præsertim quia iure non improbetur, si forte modum alimentorum excedat donatio, vel sic facta sit, ut ad hæredes transmitti possit. Quid enim si appareat, quòd hic reditus non simpliciter sit donatus filio spurio, nec ejus contemplatione tantùm, sed etiam ipsi Actrici in subsidium matrimonij? an non ab initio latiùs patuisse dicetur donatio, & ad Actricem (cui alioqui etiam ex obtinente consuetudine, saltem doharium & ususfructus deberetur) transmissus reditus? quam sanè iniquum foret ea in parte decipi, *arg. l. Si fraudator §. si a socero D. Quæ in fraud. credit.* Rursùs quod voluntas D. Walteri fuerit, ut hic reditus ad legitimos liberos Ioannis ex prefata Actrice perveniret: illius enim evidens argumentum facit extractum, quod Rei ipsi ex testamento dicti D. Walteri exhibuerunt; in quo apertè legitur, quod idem D. Walterus voluerit hunc reditum pertinere ad Domicellum Ioannem, & ejus liberos, ordine scilicet successivo, *l. ult. & ibi Doct. C. De verb. signif.* ita ut liberi Ioannis ipsi substituti censeri debeant: quo respectu certum est, liberos filij etiam spurij, potiores esse legitimis hæredibus ipsius donatoris seu testatoris, *Bald. d. consil. 448. num. 5.*

8. Accedit quod nec hoc liquidum sit, an hæc donatio ad finem alimentorum restringi debeat; cùm expressè ad alimenta non sit facta, sed simpliciter & absolutè: quo casu fieri potest, ut quod spurio donatum est, etiam jure proprietatis ad eum ejusque hæredes pertineat. Si enim quod ita donatur aut relinquitur simpliciter, nullâ factâ alimentorum mentione, tam tenue est, ut ad alimenta non sufficiat, æstimanda res est, & exquirendum, an æstimatio modum alimentorum excedat; factâ supputatione annorum, quibus spurius tunc cùm donatio fit, secundùm juris supputationem, *l. Hæreditatum ad L. Falcid.* vivere potest: ita ut si æstimatio alimentis minor inveniatur, res veluti æstimata pro alimentis pleno jure retineri possit, & eo casu morte non finiatur donationis aut legati effectus, ut eleganter consulendo respondit Baldus, *d. consil. 448. nu. 5.* Quæ consideratio ad propositum applicata, Reorum spem prorsùs retundit, & allegatam notorietatem deficientis juris prorsùs confuscat; ut meritò eadem allegatio per D. Officialem recipi non debeat. De his enim omnibus plenius disputabitur tunc, cùm finito possessorio, & Actrice in sua possessione, unde deturbata est per denegationem ac subtractionem solutionis, reposità, petitorium propositum fuerit. Quo consilio factum est, quod Actrix ubique, quantum potuit, abstinuerit à juris & tituli sui extremâ allegatione. Cum præconsulentibus itaque perbisto, secundùm Actricis conclusionem esse judicandum.

De causa possessionis & proprietatis.

SVMMARIVM.

Possessio temporis longissimi.

1. *Præstatio conformis præcedentem obligationem arguit.*
2. *Titulus non requiritur in tempore immemoriali.*
3. *Possessio probatur ex receptione pensionis.*
4. *Episcopus quartam decimarum ex iure communi habet.*
5. *Decimæ vagantes ad quem pertineant.*
6. *Divisio an peti possit post immemoriale tempus.*

CONSILIVM LXXIX.

REVERENDISSIMVS D. Episcopus Tornacensis cum suo Cathedrali Capitulo communes habet decimas novales in Wasia; quarum tamen administrationem, locationem, & pensionis receptionem habet Capitulum, tam ex contractu, quàm antiquissimâ temporis observatione, cum onere dimidium dictæ pensionis solvendi præfato Reverendissimo D. Episcopo. Pertinuerunt quoque ad dictum Capitulum in solidum, nullam partem in ijs habente Episcopo, tres aliæ decimæ dictis novalibus decimis Wasiæ vicinę & contiguę in parochia S. Ægidij vocata Notenes; item antiqua novalia in Kieldrecht & Verrebrouck, & decima versus Rypelmonde: quas quidem decimas proprias cum communibus illis decimis in Wasia, Capitulum circa annum Domini 1461. conjunctim ac promiscuè locavit annuè pensione 180. lib. ex qua pensione Capitulum sibi præcepit ac retinuit singulis annis triginta sex libras; reliquo pensionis inter Capitulum & Episcopum æquis portionibus diviso. Hæc divisionis forma inde usque in hunc diem semper fuit continuata & observata, etiam auctâ pensionis quantitate: ita ut quamvis paulatim pensio omnium harum decimarum aucta fuerit, tandemque ad annuam summam 1680. librarum creverit; Capitulum tamen sibi inde propter conjunctionem commistionemque prædictarum decimarum ad ipsum insolidum pertinentium, in dividenda pensione per totum hoc tempus tantum præcepit dictas triginta sex libras, reliquo pensionis æquis portionibus inter ipsum & Episcopum diviso. Quæritur itaque, num Capitulum, hoc errore nunc primùm animadverso, in quantum minus pro suis proprijs decimis præceperunt aut deduxerunt pro tempore ejus Receptores, repetere, aut per retentionem ex futuris pensionibus sibi compensare possit, & ab hac promiscua commixtaque locatione recedere, dictasque trium propriarum decimarum portiones separatim locare, totamque inde sibi pensionem habere; manente tamen communione in communibus decimis Wasiæ?

Quæstio hæc sanè anceps est, & quæ licet in re recenti nullam habitura esset difficultatem, quin utrumque facere posset dictum Capitulum; nunc tamen interuentu tanti temporis, difficultate & periculo plena est: plurima etenim concurrunt, quæ Reverendissimo Domino Episcopo adversus Capituli intentionem suffragari videntur. Et in primis lapsus tanti temporis, quod annum centesimum excedit; quo omnes hæ decimæ simul, & pro una summa seu pensione annua sunt per Capitulum locatæ; factâ semper uniformi dictæ pensionis distributione, præceptionis seu deductionis illius modo numquam aucto aut alterato: hujusmodi enim uniformis, & per tantum tempus continuata divisio ac præceptio, præbet non leve argumentum

mentum communicationis seu communionis omnium harum decimarum; salvâ Capitulo hâc præ-
1 ceptione triginta sex librarum; * uti alias ex uniformi etiam minoris temporis præstatione antecedens obligatio prælumitur, etiam si alter non probetur, DD. *in l. Si certis annis* C. *De pactis. Car. Molin. De contract. usur. quæst.* 20. *num.* 205. *& seq.* Neque sanè verosimile est Capitulum hanc communem locationem, omniumque decimarum sub una locatione, unaque, non diversis pensionibus, conjunctionem facturum, ac tanto temporis decursu continuaturum fuisse, nullâ majore latioreque præceptione pro propriarum decimarum ad communes conjunctione facta, nisi observandæ hujus formæ aliqua præcessisset conventio, quam non videmus, sed ex tanto temporis cursu præsumimus, DD. *in d. l. Si certis annis.* Erroris opinionem in tanta auctæ pensionis immensitate, inducere non possumus; quia erroris opinionem discutit per tot annos conformiter hâc formâ facta divisio ac præceptio: ut satis probabilis non sit in facto proprio erroris allegatio *l. ult. in fin.* D. *Pro suo*, qui probabilis videri posset, si harum omnium decimarum locatio & administratio, pensionumque receptio penes Reverendissimum D. Episcopum fuisset: at cùm in Capituli manu hæc omnia fuerint, idem commodè dici non potest; potissimùm quia non tantùm locationem, sed etiam annuarum rationum potestas in manu Dominorum de Capitulo fuerit, rationesque receptorum & expensorum per deputatos Capituli de anno in annum auditæ, cognitæ, dispunctæ, conclusæ, subsignatæ, & communi decreto Capituli postea approbatæ fuerint: & sic si quis error apparere posset, is communis dici deberet, qui etiam jus facere solet *l.* 3.
2 *in fin De supel. legata l. Barbarius De offic. Prætoris* † Et cùm à manu Capituli hæc profecta sint, præscriptionis per Episcopum allegatæ consideratio intentionem Capituli prosternere videtur, propter concurrentem præsertim in illius Episcopi, qui circa annum 1461. fuit successoribus bonæ fidei opinionem, & possessionis tantam longinquitatem; ita ut de prædicta conventione, aut titulo, qui non requiritur *l. Hoc jure* §. *ductus aquæ De aqua quotid. & æstiva*, *c. Super quibusdam De verb. signif.* in immemorialis temporis decursu, quem centum anni sine dubio faciunt, *Innoc. in c. Veniens De præscript. Alex. & alij in l. Cum aliquis* C. *De jure deliber.* nulla exigatur probatio; sed ad Episcopi defensionem sustinendam sufficiat uniformis hujusmodi præstationis & administrationis allegatio *l. Cum de in rem verso* D. *De usuris.* Et cùm non proponatur, quod in harum omnium decimarum collatione distinctio aliqua facta sit communium ac propriarum decimarum, per communem utriusq; hoc est, Capituli & Episcopi locationem, inducta dici debet possessionis quoque omnium decimarum communio, & inde reputatio, quòd Episcopus in ijsdem decimis alteram partem pro indiviso posse-
3 derit; † quia ex receptione pensionis probari solet possessio, *Bart. in l. Qui universas* §. *quod per colonum De acquir. poss. Ph. Corneus consilio* 315. *Videtur in hac vol.* 4 Imò & ex locationibus toties iteratis, & per tantum tempus, de cuius initio nulla extat memoria, continuatis, dominij acquisitio inducitur, *Panor. in c. Cum venerabilis De relig. domib. Felin. in c. Cum Bertoldus nu.* 25. *De sent. & re iud. Bart. & Bald. in l. Ad probationem C. De probat.*

Nec parum ad stabiliendum jus Reverendissimi 4
Episcopi facit, quod cùm sit generalis pastor totius suæ diœcesis, concurrens cum singulis pastoribus parochiarum, potiore jure niti videatur quàm Capitulum; cùm ex jure communi quartam omnium decimarum habere debeat, *c. Conquerente De off. iud. ordin. c. De quarta De præscript.* † & ad eum solum 5
pertineant decimæ vagantes, hoc est quæ non sunt in certa diœcesi, *c. Quoniam De decimis*; ut, cùm facilè res ad suam naturam revertatur, *l. Si unus.* §. *pactus De pactis*, adjuvando, non coangustanda sit hac in parte Episcopi in sua defensione intentio; præsertim quia Episcopus & Capitulum unum corpus constituant, *c. Novit De his quæ fiunt à prælat.*

Quæ rationes nos impellunt, ut non audeamus dicto Capitulo authores esse movendæ litis suo Episcopo in re non satis clara, & quæ ex tanti temporis decursu contra Capitulum certam formam accepit, cujus temporis authoritas ubique maxima est: mutanda enim non sunt quæ certam semper, hoc est, per tantum tempus interpretatione habuerunt, *l. Minimè De legib.* & sine evidente causa nec à veteribus recedendum, nec novandi studio incumbendum, *l. In rebus De constitut. Princip.* Non dubitamus quin multa adferri possint, etiam in aspectu probabilia pro sustinenda Capituli intentione; & præsertim ex origine & certitudine antecedentis temporis, quo constat tres has portiones decimarum ad Capitulum in solidum spectasse; quam originem & certitudinem demonstrant dicti Capituli, quæ adhuc extant regesta, & sententiæ in Capituli favorem ante trecentos ferè annos latæ: sed insequentis temporis contraria observatio nos conjecit in suspicionem infelicis exitus litis, si illa moveatur vel ad repetitionem, aut pro compensatione retentionem, vel ad separationem earum quæ Capitulo olim propriæ fuerunt à communibus * 6
Imò facit, ut admodum probabiliter dubitare liceat, an adhuc communi dividundo Capitulum agere posset; cùm multorum opinio sit, post longissimum tempus, præsertim immemoriale, ad divisionem agi non posse, *Fulgos. & alij in l.* 1. D. *Famil. erciscund. Salic. in l.* 1. C. *Communi dividundo:* potissimùm ubi communionis qualitas aliquo modo restricta, & inter socios ex modo possidendi difformis est; ut est in proposito, ubi soli Capitulo competit tota administratio & locatio harum decimarum, ac pensionis ob illas receptio, cum onere partis pensionis solvendi Reverendissimo D. Episcopo. Et quoniam utilitas inde nulla consurgeret, nec maius emolumentum Capitulo adjiceretur, si omnium harum decimarum conjunctarum facienda esset divisio, sine separatione earum, quæ olim soli Capitulo propriæ fuerunt, latius in hunc articulum non inquirimus: sed Reverendos Dominos hortamur, ut æquabili aliquâ transactione (cujus faciendi procul dubio occasio satis iusta & probabilis est) cum Reverendissimo Domino potiùs componant, quàm ancipiti lite adversus caput suum cõtendant.

De cau-

De causa possessionis & proprietatis.

SVMMARIVM.

Possessorium & petitorium eodem tempore.

1. *Breve Apostolicum ut pendente possessorio procedatur ad petitorium.*
2. *Possessorium iudicium beneficiale ad Iudicem laicum multis locis pertinet.*
3. *Pendente possessorio coram laico in quacumque instantia non potest petitorium coram Iudice Ecclesiastico intentari.*
4. *Possessorio & petitorio uno tempore agi potest.*
5. *Placitum Principis non est necessarium super literis iustitiæ*

CONSILIVM LXXX.

SIXTVS Quintus Pontifex Romanus dedit alicui suorum familiarium in commendam Prioratum quendam in Belgio sine conventu & cura, occupatum à clericis sæcularibus per sexaginta annos & amplius. Virtute ejusmodi commendæ à Sede Apostolica emanatæ, familiaris ille, impetrato Placito Regio, & servatis solemnitatibus debitis & requisitis, legitimè missus est in realem possessionem dicti Prioratus. Oppositum se Religiosus quidam affirmans dictum Prioratum ad se & conventum suum pertinere; itur ad judicium; judex visis titulis & auditis partibus fert sententiam pro familiari Pontificis. Appellat Religiosus; causa multùm diuque protrahitur; familiaris summi Pontificis volens viâ compendiosiore finem litibus imponere, obtinet breve Apostolicum ad Ordinarium (qui est Reverendissimus Tornacensis) ut pendente possessorio procedat ad petitorium, & parti adversæ coram sæculari iudice contendenti de possessione silentium imponat, si probari possit dictum Prioratum ab antecessoribus suis Romanis Pontificibus datū fuisse alicui clerico sæculari in commendam. Quæritur, an Ordinarius accepto brevi Apostolico procedere possit ad petitorium pendente possessorio, & an ut procedat de necessitate requiratur Placitum Regis?

1 Si de absoluta Pōtificis potestate quęratur, dubiū non est, quin hæc S. D. N. Papæ voluntas in observatione haberi debeat; propter summam auctoritatem, quam habet in beneficialibus, *c. 2. De præbend. lib. 6. Clement. 1. in fin. Vt lite pendēn. &c.* sed cùm rescripta Apostolica de surreptione & obreptione possint redargui, & surreptitia nullius sint momenti, saltem nullius efficaciæ, tamquam veritate tacitâ impetrata, nobis videtur, quòd suprascriptum breve Ordinario directum nullius sit momenti; 2 quia impetratum (uti præsumimus) nullâ factâ mentione, quod, ut in Gallia, *Guid. Pap. decis. 1. & 85. Franc. Marcus decis. 19. & 511. parte 1. & decis. 119. P. 2.* ita quoque in his Belgij regionibus, ad judicem laicum pertinet cognitio causarum super possessoriis Ecclesiasticorum beneficiorum, etiam privativè ad judices Ecclesiasticos: & ita quidem ex usu & consuetudine; * quod pendente possessorio coram judice sæculari, non tantùm in prima, sed etiam secunda instantia, non possit petitorium coram judice Ecclesiastico introduci, nisi possessorio judicio penitùs & per omnia decisō, & sententia in eo lata plenissimè executioni mandata *Pet. Rebuff. in tit. de caus. poss. benefic. art. 12. gloss. 1.*

* etiamsi alioqui secundùm terminos juris communis nihil vetet uno eodemque tempore, vel per accumulationem judiciorum, vel per plura judicia agere judicio petitorio & possessorio *Bart. in l. Naturaliter §. nihil commune nu. 21. De acq. poss. DD. inc. Pastoralis De causa poss. & propriet.* difficilius tamen petitorio, quando possessorium priùs intentatum fuit; nam petitoria causa priùs intentata facilius illa suspenditur, si ea dimissa pars, possessoria agere velit, *d. c. pastoralis Rebuff. in d. tit de caus. benef. poss. artic. 7. gl. 1. nu. 9.* In cujus juris sive recepti, sive consuetudinarij usu, judicem laicum turbari, & sic suâ jurisdictione, privari ratio non patitur; ne præjudicium fiat laicæ jurisdictioni & potestati, *c. Novit De iudic. c. per venerabilem Qui filij sint legit.* Sic quod Ordinario procedenti ex dicto Brevi Apostolico in petitoria causa, supramentionatus Religiosus qui pro possessorio stat, facilè per literas cassationis occurrere poterit, non obtentis præsertim per suprадictum Commendatarium literis Placiti super usudicti Brevis Apostolici: * Quod ipsum quidem Breve etsi justitiæ magis, quàm gratiæ esse videatur, ideoque non comprehendi sub ordinatione curiæ, prohibente usum literarum Apostolicarum super quacumque dispositione beneficiali, ejusque usus esse possit sine ulla pœna, etiam non impetrato aliquo Placito; haud difficulter tamen illi per literas cassationis occurri poterit. Nec sanè verosimile est, dictum Commendatarium super huiusmodi Brevi, judice laico intercipiente seu præcipiente jurisdictionem & cognitionem illi competentem, facilè obtenturum literas Placiti, fine quibus impedimentum laicalis jurisdictionis perdurabit, & Commendatario volenti agere petitorio obstabit: ita ut Commendatarius consultiùs facturus videatur, si in causa appellationis possessorij procedat potius, quàm introducto petitorio super illius admissione velut novam litem moveat, quam prius decidi oportebit, quàm progressus fieri poterit in petitoria causa.

4

5

De causa possessionis & proprietatis.

SVMMARIVM.

possessoria causa quandoque titulo proprietatis instruenda.

1. *Advocatus in causa possessoria pro una parte potest alteri patrocinari in causa proprietatis.*
2. *Possessoria causa, quando instruenda sit allegatione & probatione proprietatis.*

CONSILIVM LXXXI.

QVOD priùs veritus fui, ne non possem justo aliquo consilio seu juris resolutione patrocinium meum exhibere Illustri & Generoso Domino Adolpho Comiti in Nieuwenar, Moers &c. in causa, quæ pro parte Dominorum Decani & Capituli S. Servatij Traiectensis Impetrantium adversus suam Illustrem gratiam instituta est in secretiore Concilio Regiæ Catholicæ Maiestatis, de & super possessione decimarum villæ superioris de Weerd pro dimidia parte,

ondum

nondum visis actis & actitatis ejusdem causæ, ex eo, quòd ante annos aliquot pro parte dicti Capituli requisitus, de jure responderim super proprietate ejusdem dimidiæ partis decimarum; id nunc visis & excussis his, quæ ex actis dictæ causæ possessoriæ ad me transmissa sunt, propius & certius deprehendi. * Etsi enim causa possessionis cum causa proprietatis nihil commune plerumque habeat, & ab invicem illæ separatæ sint *l. 1. §. huius autem Vti possidet. l. Naturaliter §. nihil commune De acquir. possess.* adeoque nec vitio vel nota prævaricationis, ac periculo infamiæ *l. Athletas §. penult. De his qui not. infamia, l. Si is De prævaric.* in causa possessoria patrocinio & consilio adesse possit Advocatus adversus eum, cui prius patrocinatus fuit in causa petitoria super proprietate ejusdem rei; ut etiam in causa possessoria testimonium dicere potest; in quo judex esse adversus eum, cui prius in petitoria Advocatus fuit, *c. fin. & ibi D. De testib. l. 6. l. ult. D. De testib.* & de hac possessoria causa pro parte dicti Capituli numquam consultus vel interrogatus fuerim: hic tamen invenio causam utrinque tractatam, ut qua ratione causa possessionis a quæstione proprietatis omnino separari & per hanc consultationem possessionis instituta sine admixtione proprietatis adjuvari possit non videam. utrinque enim rum injecta proprietatis quæstione, exhibitis etiam his, quæ solam proprietatis causam contingunt; idque non tam Advocatorum, qui utrinque causæ interviverunt, studio & voluntate, quàm juris necessitate. * Quamvis enim rerum corporalium possessio & possessionis sive juris ficatio sive defensio ad victoriam causæ in judicio deduci & agitari possit, separato omnino, imo rejecto vel suspenso proprietatis articulo, *c. Possessionis De causa poss. & propriet.* in his tamen, quæ incorporalia sunt, quæque rebus sacris seu spiritualibus attribuuntur, ut sunt causæ beneficiales, decimarum, & similes, interdicta possessoria causam proprietatis continet *l. 2. §. quadam De interdict.* quia illarum possessio sine justificatione tituli nec tueri nec deduci potest, *gl. in Clem. 1. in fine De causa poss. & proprietat. Stephan. Aufr. de ss. §.* Proinde veniam dabit Illustris & Generosus Dominus Comes, & æquo animo feret, quòd hic in causa exspectationi ejus satisfacere me non patiatur juris & honestatis ratio; potissimùm quia sic etiam constituta & collocata sit in puncto primæ pali, ut plus sit desperationis, quàm spei de obtinenda victoria: quod facilè & sine periculo prævaricationis demonstrare possim, si necessum foret, & non arbitrarer sufficere posse sic obiter suam Illustrem Gratiam præmonuisse.

De causa possessionis & proprietatis.

SVMMARIVM.

Interdictum possessorium retinendæ.

1. *Possessionem qui non habet de turbatione vel spolio conqueri non debet*
2. *Possessionem antiquiorem qui habet vincit in interdicto, uti possidetis.*
3. *Hæres adeundo omnium rerum hæreditariarum dominium requirit.*
4. *Tutor possessionem rerum pupillarium non habet.*
5. *Possessio morte possidentis extinguitur.*
6. *Pupilli res eius morte periculo tutoris esse desinit.*
7. *Tutelæ rationes quando exigi possint.*
8. *Vacuam possessionem qui occupat vim non admittit.*
9. *Ex interdicto possessorio obtinere debet qui in paritate possessionis melius habet.*
10. *Hæres si prius an per fideicommissarium impediri possit ne in possessionem mittatur.*
11. *Trebellianicam cum legitima detrahit filius.*
12. *Fideicommissarius fideicommissum propria authoritate occupans fideicommissio cadit.*
13. *Missio in bona auctore iudice fieri debet.*
14. *Facultas propria authoritate occupandi quid operetur.*
15. *Possessio nemini auferri debet sine causæ cognitione.*
16. *In possessorio manutenendus qui de proximo est possessor.*
17. *Concessiones inique pro nullis habentur.*

CONSILIVM LXXXII.

CONTROVERSIAM patitur Domina Ermgardis Bemmelsberch, seu ex illius capite D. Gosuinus Raesvelt ejus maritus, ratione possessionis Dominij ac Castri de Raesvelt, quam ex morte Ioannis sui filij impuberis apprehendit: controversiam, inquam, patitur ab Illustrissimo D. Episcopo Monasteriensi, tamquam Principe superiore; imploratibus ejus auxilium alijs dicti Ioannis impuberis mortui paternis cognatis & tutoribus: inde quæritur, cùne loco sit illa possessio, ut in eadem manuteneri & defendi potiùs debeat dicta Domina, quàm ab ea ultrò desistere, aut alioquin illius sequestrationem vel quodvis aliud interdictum pati? Totius controversiæ causam ac molestiarum occasionem præbet, quòd Domina Ermgardis cum dicto suo marito statim post mortem Ioannis sui filij impuberis propria authoritate possessionem dicti Castri de Raesvelt occupaverit, non requisito judice seu superiore, aut tutoribus dicti pupilli, nec redditis per eosdem tutores rationibus administratæ tutelæ. Et sanè non videmus, cur non debeat dicta Ermgardis adversus quoscumque in hoc judicio possessorio retinendæ obtinere, & à spolio excusari: cùm de possessione ejusdem constet, quam à nemine vi, clam, vel precario possedit. Nam si respiciamus personas hic obturbantes, & Principis auxilium officiumque implorantes, nemo omnium est, qui tempore, quo Ermgardis possessionem dicti castri occupavit, in aliqua possessione ejusdem castri naturali vel civili fuerit; * sic ut respectu eorum neque de possessione, neque de vi vel spolio queri possit, *l. 1. §. deijcitur De vi & vi armata*; † cùm qui antiquiorem possessionem habet in interdicto *Vti possidetis* vincere debeat, quia justior præsumitur, *Bart. in l. Si duo Vti possidet. Felin. & Phil. Decius in c. Licet causam De probat.* Quod autem hi obturbatores nullam possessionem habuerint, hac ratione deducitur. Nam quantum ad proximos pupilli paternos cognatos attinet, constat eos numquam corporaliter per se aut procuratorem suum ingressos fuisse dictum castrum de Raesvelt à morte pupilli; nec potuisse per solam illius mortem in eos transferri possessionem, etiamsi defuncto pupillo proximi

3 proximi fuissent : † hæres enim sive ex testamento, sive ab intestato adeundo hæreditatem, omnium rerum hæreditariarum dominium acquirere censetur, sed non perinde possessionem, nisi naturaliter comprehensa fuerit, *l. Cum hæredes* DE *acquir. poss.* usque adeo ut ne in suis quidem hæredibus possessio sine comprehensione acquiratur, etiamsi dominij continuatio fiat *l. In suis & ibi Doct. De lib. & posthumis.* Quod ad tutores attinet perinde quoque constat, illos possessionem nullam tunc
4 habuisse. * Nam vivente pupillo etsi rerum pupillarium administrationem habeant tutores, earumdem tamen possessionem nullam habent: imò author est Bartolus, *in l. 1. in princ. nu. 20. De tutel. & ration. distrah.* ne detentionem quidem eos suo nomine habere, sed quidquid habent, pupilli nomine
5 habent. † Quemadmodum ergò morte pupilli possessio quoque pupilli extinguitur, quia mors omnia finit, & morte pupilli tutela ipsa statim finitur, *l. Nisi finita d. tit.* ita quoque omnia finiuntur & haberi desinunt, quæ in consequentiam tutelæ ad tutorem administrationem pertinere videbantur;
6 * ideoque etiam post mortem pupilli res, quæ pupilli fuerunt, periculo tutoris esse desinunt, *l. Cum post mortem* DE *admnistr. tut.* Atque ita terminus mortis pupilli, ut tutelam adimit, ita quoque quæ in administratione tutelæ sunt. Nec quidquam facit quod rationes nondum tunc fuerint redditæ: nam rationum redditio ex antè gesto dependet, & futura non respicit; absurdumque foret in eo constituere tutelæ seu administrationis prorogationem aut continuationem, quod nisi termina à administratione constitui nequit, *arg. §.*
7 *item is Instit. De obligat. ex quasi contract.* * non enim possunt exigi rationes nisi finitâ tutelâ, *d. l. Nisi finita.* Vnde etiam fit, ut si tutor finitâ tutelâ administrationem continuet, tutelæ judicio non contineantur postea administrata, *l. Si tutor post pubertatem cod. tit.* De quo minus hic dubitandum; quia ipsi tutores in corporali dicti Castri possessione numquam fuerunt, aut per se custodiam illius exercuerunt sed per alios pupilli nomine. Atque ita cùm horum omnium adversariorum respectu nulla sit possessionis (quam non habuerunt) turbatio, inquietatio, aut expulsio, nihil quoque esse potest, cur in eorum comparatione, dicti conjuges possessione excedere juberi debeant. Conditio sanè possessionis quam habent dicti conjuges extra omnem reprehensionem est, etiamsi ad justitiam causæ petitoriæ nullus habeatur respectus: nam tempore quo dicti Castri possessionem ingressi fuerunt, vacavit, hoc est possessorem nullum habuit, præterquam illos, qui custodiæ causâ nomine pupilli ibidem erant. Jam autem diximus morte pupilli extinctam fuisse pupilli possessionem: jacens enim hæreditas quàmdiu adita non est vacare dicitur, *l. 1. De succeff. edicto & l. 2. §. 1. D. De rer. divis.*

8 At verò vacantem possessionem qui occupat, neque vim, neque spolium ullum committit, etiamsi ab aliquo velut custode detineatur, *gl. in verb. per ignorantiam & ibi Bald. in l. fin. C. Vnde vi.* Ita ut neque interdicto *Vnde vi*, neque ex regula *spoliatus ante omnia restituendum esse, c. fin. De ord. cognit. l. Si quis ad se fugdum C. Ad. leg. Iul.* DE *vi publ.* toto *tit. decret. De restit. spoliator.* quicquam adversus dictos conjuges statui possit, *Angel. in l. fin. C.* DE *edicto Divi Adriani toll.* Et hoc est, quod ait Baldus, *in c. In præsentia De probat.* & nominatim in occupata hæreditate Philippus Decius, *in d. l. fin. De edicto D. Adriani toll. nu. 5.* beatos esse, qui hic præveniunt, ideoque etiam defendendos; præsertim accedente titulo, & tituli justitia, & defectu juris adversariorum, *Innoc. in c. Cum Ecclesia Sutrina De causa poss. & propr.* Quod ipsum in casu subjecto notorie & apparenter constat ex eo, quod pupillus mortuus sit, ejusque mater in successione intestata proximum gradum tunc obtinuerit, & nemo eam obtinere ignorare potuerit: † Nam eo casu etiam 9
in paritate probationum in interdicto possessorio obtinere debet is qui titulum habet, *Bartol. & Alex. in d. l. si duo Vti possid. Iason. in l. Is potest. De acq. hæredit.* Neque hic aliquid præjudicij adfertur ex allegato titulo adversariorum: quia tutores nullum prætexere possunt ex capite tutelæ, ut diximus; sicuti nec cognati paterni, qui ut gradu in consanguinitate, ita quoque jure & titulo in successione sunt remotiores, *l. Avunculo. C. Communia. De succeff.*
* Qui quidem cognati si titulum substitutionis 10
vel fideicommissi prætexere velint, perinde probabili ac colorato titulo destituuntur, eo quòd uterque controversus sit, neque probetur aut superficialiter ostendatur per testamentum, non vitiatum, non cancellatum aut aliquâ sui parte non suspectum, *d. l. fin. C.* DE *edicto D. Adriani toll.* & fideicommissum sufficiens non sit titulus qui impediat hæredis aditionem aut immissionem in bona hæreditaria, *Bart. in d. l. fin. & in l. Filiam fratribus Ad S. C. Trebel. vbi. Decius cons. 218. in casu ad me nu. 2.* imò ad sui validitatem, vel voluntariam vel coactam hæredis aditionem (ex qua causatur possessionis apprehensio) requirit, *l. Ea quam & ibi* DD. *C. De fideicom.* Quod quidem in hac re animadversione dignum est, tam in petitorio, quàm possessorio; si fortè adversarij ex pacto antenuptiali jus fideicommissi constituere volent; (cujus tamen probabilitas non est major quàm pupillaris substitutionis) * quippe eo casu matri proximè hæ- 11
di ex capite pupilli competeret jus detrahendi non tantùm quartam Trebellianicam, verùm etiam legitimam; ut communior habet opinio, *canonist. in c. Raunutus* DE *testamentis*: occasione cujus detractionis & aditione & rerum hæreditariarum occupatione omninò opus est, * nam si fideicom- 12
missarius propriâ authoritate fideicommissum occupet, cadit jure suo, *l. 1. & ibi* DD. *C. Quorum legat. gl. in l. Paulus 1. ad S. C. Trebell.*

Neque hujus possessionis conditionem deteriorem facit illud, quod dicti conjuges propriâ authoritate illam apprehenderint: † quia licet bo- 13
norum possessio præterea magistratus interventum postulet, *§. fin. Instit.* DE *bon. possess. l. fin. C. Qui admit. ad bonor. possess. poss.* aditio tamen hæreditatis illum nullâ ratione postulat. † Operatur enim ti- 4
tulus proximitatis, ut propriâ authoritate possessio rerum hæreditariarum vacans sine vitio vel violentiæ vel clandestinitatis occupari possit, *Decius in d. l. fin. nu. 4. & ibi alij C. De edicto D. Adriani toll. & cons. 191. In causa nu. 9. Bald. in d. c. In præsentia. De probat.* quamdiu ab alio legitimè justo titulo

pro

pro hærede aut possessore occupata non est; quo solo casu authoritate superioris opus est, *Phil. Decius cons.* 400. *viso elegan.* Quæ quidem causa facultatis occupandæ possessionis propriâ authoritate facit, ut ingrediens possessionem non teneatur possessionem restituere ante discussam causam proprietatis, *Cepol. cons.* 60. *Omissa facti*; neque hoc casu etiam adhibita vis in refringendis fortè ostijs aut tabulis ad amissionem juris aut dominij quicquam facit; ut evenit quoque in eo, qui rem commodatam vel depositam violenter aufert, *gloss. in l. Si quis in tantam in verb. earumdem rerum. C. Vnde vi.* Vt ergò rem contrahamus, quia longiore discussione non indiget, & ab alijs Doctoribus pro parte dictorum conjugum consultis, exactè satis tractata est, eò tandem recidit, ut neque in reprehensionem vocari debet, neque revocari hæc dictorum conjugum possessionis apprehensio; etiamsi de eorum jure ooscurius liqueret.

Porrò cùm nulla injustitia possessionis argui possit, & ex sola tituli (quem dicti conjuges proponunt allegatione adversariorum jus reddatur controversissimum, vltrò sese satis offert resolutio postremæ quæstionis, de injustitia præcepti Reve-
15 rendissimi Monasterienſis: † possessio enim etjam ex colorato tantùm titulo acquisita, nemini auferri debet sine causæ cognitione; & ne quidem prædoni, *c. In literis. in fin. De restitut. spoliat. c. Licet Episcopus De præben. lib. 6.* Cùm ergo prohibito uno, prohibita censeantur omnia, per quæ ad prohibitum perveniretur, *l. Apud antiquos C. De furtis*; consequens est, ut non possit Reverendissimus vel mandare præcisam restitutionem possessionis hujus Castri, vel ea imperare, quæ ad necessitatem restitutionis possidentem impellerent, ut est commeatus, accessus vel egressus prohibitio: spectant etenim hujusmodi præcepta ad rei sequestrationem; à quâ, alterâ parte possidente & invitâ, incipiendum non est, *l. Vnica C. De prohibit. sequest.* quia altero possidente, tantum periculum non est, ne ad arma proveniatur, *l. Æquissimum D. De usufructu*, propter possessionem, cùm is possessionem suam tueri possit: & si illius metus esset, non foret magnopere curandus; quia non potest superior juste interdicere possidenti, ne armis suam possessionem tueatur, *Franc. Curtius senior cons.* 60. *Super eo sub fin. per l. Si servus C. Quod cum eo &c.* Ideoque etiam Paris de Puteo, *in tractat. Synd. in V. negligentia vers. Officialis respondens*, tradit, quòd si partes armis contendere incipiant de possessione, vel minentur, non imperandam esse statim desistentiam vel sequestrum, sed cognitionem summariam esse adhibendam, uter possideat, eoque cognito præceptum esse faciendum non possidenti, ne ingrediatur ante cognitam
16 causam principalem. † Et est hoc generale, ut cùm constat quis possideat de præsenti, ille manuteneatur in possessione; inhibitione alteri parti facta, ne iterum accedat, *Canonistæ in d. c. Licet causam. De probat.* Itaque hoc præceptum præfati Reverendissimi, quia nudum est, & justitiæ non consentaneum, prorsus nullum est & effectu juris caret, *tit. C. Si contra ius vel utilit. public.* ac proinde etiam sine verecundia per dictum Reverendissimum Dominum retractandum; præsertim quia ad importunam adversariorum sollicitationem impetratum sit: fit enim plerumque ut in nonnullis causis etiam Imperator ipse inverecundâ petentium inhiatione constringatur concedere, quæ concedenda non sunt; † sed tamen hujusmodi con- 17
cessiones mandat lex pro nullis haberi, ne rescripto Principis adversus formam legis aliquid introducatur, *l. 1. C. De petit. bon. subl. lib.* 10. Quod exemplum hac in re Reverendissimus Monasteriensis tamquam justitiæ & pacis cultor imitari non dedignabitur in hac causa; in qua sine operosiore aut ingeniosiore investigatione apparentissimum jus tam proprietatis, quàm possessionis apud dictos conjuges residere statim deprehenditur: sic ut nulla hic sit causa cur superior sese extrajudicialiter interponere debeat, & relictâ ordinariâ cognitione, ad ea remedia præcipitantius confugere, quorum nisi in rebus desperatis, & ubi dissipationis periculum imminet, nullus debet esse usus, *Bald. in d. l. fin. nu.* 3. *C. De edicto D. Adriani tollen.*

De restitut. Spoliator.

SVMMARIVM.

Interdictum *Vnde vi* seu recuperandæ.

1. *Possessor bonorum an sit testamenti executor.*
2. *Remedium possessorium an habeat testamenti executor.*
3. *Possessio rei feudalis sine relevio acquiri potest.*
4. *Possessor naturalis habet remedium redintegrandæ.*
5. *Dominij exceptio non admittitur adversus spolium.*

CONSILIVM LXXXIII.

VIsis actis causæ redintegrationis institutæ in Amplissimo Concilio Brabantiæ, inter Dominum & Magistrum Engelbertum Wamesium, eique adjunctum Domicellum Adamum Bruyn tamquam maritum Domicellæ Margaretæ Roben suæ vxoris, Impetrantes; ac Domicellam Gertrudem van Leroede Opponentem, præsuppositâ probatione eorum, super quibus testes & testimonia recepta sunt, existimamus Impetrantes redintegrationem petitam obtinere debere. Nam cùm præfatus Dominus Engelbertus in testamento seu ultima voluntate Domini Theodorici de Leroede deputatus executor, assumpto onere executionis, ingressus sit domum seu castrum & villam de Merssenhoeven, in dicto testamento præfatæ Domicellæ Margaretæ uxori dicti Domicelli Adami relictam, omniaque mobilia in ea inventa, unà cum pecudibus ibidem repertis descripserit, & in inventarium redigi fecerit, & impositio seu relicto ibidem inquilino, traditis illi clavibus, custodiam tam domus, quàm in ea repertorum mandaverit, ad effectum executioni mandandi dictam ultimam voluntatem, ac dictæ Domicellæ Margaretæ, illam seu eius vacuam possessionem secundùm dictam voluntatem tradendi: consequens est eandem domum cum suis pertinentijs fuisse in manu dicti Domini Engelberti Executoris; ita ut sequens dicti inquilini per præfatam Domicellam Gertrudem exturbatio, non possit pro spolio & ejectione accipi: quod idcirco in primis & ante omnia

rollendum & redintegrandum venit, evacuatâ & restitutâ sic spolio occupatâ possessione, *c. Redintegranda* III *q.* 1. potissimùm quia dicta Domicella Gertrudis adversus præfatum Dominum Theodoricum suum fratrem de his bonis litem possessorium prius, illaque postmodum desertâ, petitoriam instituerit, quæ adhuc indecisa pendet: cujus respectu eadem Domicella Gertrudis in præjudicium ejusdem litis attentavit & invocavit, & vitio spolij vitium attentatorum & innovatorum adjecit; atque adeò etiam se in periculum amittendæ actionis conjecit, propter rem, ad quam jus prætendebat, vi occupatam, *l. Si quis in tantam C. Vnde vi.*

1 Nec huic dictorum Impetrantium Actioni seu petitioni quicquam obstat, quòd Executor testamenti pro possessore rerum hæreditariarum immobilium ipso jure non habeatur, nec ijs quidem locis, ubi possessio defuncti continuatur in eius hæredem, *Rebuff. ad constit. reg. tit. de sent. provis. in præfat. nu.* 72. *And. Tiraquellus in tractat. Le mort saisit le vif declar.* 5. quia licet adversus hæredem difficiliùs ei competat interdictum manutententiæ, seu retinendæ possessionis; pro possessore tamen reputari debet, postquam ad manus ejus sine vitio pervenit rerum hæreditariarum sub executione comprehensarum possessio, aut Executor illam ingressus est, ad hoc saltem, ut inde de facto per vim ejici non possit, & si ejiciatur, recte ei detur remedium & beneficium redintegrandæ possessionis; quod datur etiam ijs, qui nudi rerum detentores dumtaxat, non etiam veri possessores sunt; ut est depositarius & commodatarius, qui rei tantùm custodiam pro alio, nec amplius in re deposita
2 habent, *l. Licet §. ult. D. Depositi*: † his enim competere hoc remedium sive officium judicis propter ejectionem author est Speculator, & eum secutus Joannes, Anderæ, *in tit. De petit. & poss. §. 1. vers. sed numquid*; quorum opinionem amplexus est Marianus Socinus, *in l. Rem quæ nobis, num. 6. De acquir. possess.* & post illum Joannes Franciscus Ripa, *in d. l. Rem quæ nobis nu.* 21. qui dicit hanc communem esse Doctorum sententiam. Est enim Executor testamenti, præsertim cui testator sic bona executioni subjecta in manu posuit (ut contingit in præsenti casu) loco custodis & depositarij, imò quoad custodiam plusquam depositarius: unde Executores hujusmodi vulgò vocari solent manufideles, quia quæ in manu & cura sua habent fideliter distribuere debent. Sed in eo laborandum non est; cùm in omnem eventum hæc per dictum Executorem facta possessionis apprehensio, facta etiam sit ad opus dictæ Domicellæ Margaretæ, cui bona ista testamento relicta fuerunt; contingit enim facillimè, ut alteri per alterum possessio acquiritur, *l. 1. C. De acquir. & retin. possess.* ut meritò illa se huic causæ adjunxerit.

3 Nec patrocinari debet Domicellæ Gertudi, quòd ipsa hæc bona jure feudi relevârit: nam præterquam quòd non constet, hanc domum, in qua vis commissa est, feudalem esse, & quòd relevium seu investitura nihil juris tribuat in præjudicium tertij; hoc quoque verum est, vasallum non posse alium, id quod feudum ejus dicitur, possidentem, spoliare vel ejicere; quia id si facit, incidit in pœnam amissionis rei seu juris, si quod in illa habet *d. l. Si quis in tantam & ibi Cynus, Bart. in l. Si finita, §. fi De rei vindicatione. nu.* 3. *Le dam. infecto & ibi Alex. nu.* 31. adeò ut nec verum dominium seu proprietas ea in re vim inferenti patrocinetur, *d. l. Si in tantam.* Proinde curandum non est, quòd nec dictus Executor, nec dicta Domicella Margareta hæc bona jure feudi relevaverit: nam præsuppositio (non tamen concesso) quòd hæc domus sit feudalis, nihil prohibet, quo minùs illius possessio naturalis saltem sine relevio acquiri possit. Quæ etiam per solum relevium seu investituram non acquiritur; nisi naturalis possessio non vi, non clam, non precario accedat, *c. Per tuas & ibi gloss. in v. in possessione, De donat. c. Ex cte & ibi gl. c. in mandatam De his quæ sunt a maior parte Capituli, Guido Papæ dec. sf.* 415 *nu.* 2. Ita ut in hoc concursu illius, qui naturaliter rem prius sine relevio possidere cæpit, & illius, qui postea præmisso relevio possessionem occupat, quoad possessionem potior sit, qui illam prior ingressus est; ad hoc, ut vi non possit ejici vel spoliari; † cum sit possessor, & in interdicto 4
vnde vi, item remedio redintegratorio, tantum juris tribuatur possessori naturali, ut ei qui potiori jure illam occupat, *c. In literis De restitut. spoliat. Ioan. Franc. Ripa in c. Sæpe, nu.* 23. *De restit. spol. Io. Art. Rubeus in l. Naturaliter, §. nihil commune, De acquir. p. ss.* cum & mala fidei possessori competant, multò magis qui bonæ fidei est, hujusmodi possessoria remedia.

Novissimè intentioni Impetrantium non repugnant ea, quæ per Opponentem objiciuntur de testamenti nullitate vel invaliditate: † nam in 3
hoc genere judicij non admittitur exceptio dominij seu juris deficientis in spoliato; sed ea reijci debet ad judicium petitorium, cùm majorem requirat indaginem, *l. 2. & 3. C. De edict. D. Hadr. tollen.* & spolium ante omnia redintegrari oporteat, *d. c. In literis, Socinus in d. l. Rem quæ nobis, nu.* 20. *De acq. poss.* Quamvis alioquin in aspectu dicti testamenti nihil sit, quod integritati ejus visibili detrahat; quod ad possessionem rerum hæreditariarum etiam consequendam, multo magis retinendam, satis est, *d. l. 2. & 3. C. De edict. D. Hadriani tollen.* Atque ita existimamus secundùm petitionem Impetrantium in primis & ante omnia redintegrationem hujus spolij faciendam esse.

De restitut. Spoliator.

SVMMARIVM.

De interdictis possessorijs.

1. *Interdicta* Vti possidetis & Vnde vi *sibi contrariantur.*
2. *Accumulatio interdictorum quando permissa.*
3. *Libelli ineptitudo quid operetur.*
4. *Clausulæ salutaris in libello potestas.*
5. *Restitutorio interdicto an subjungi possit turbationis amotio.*
6. *Interdicto* Vti possidetis *solus possessor agit.*
7. *Possessio qualis requiratur in interdicto* Vti possidetis.
8. *Possessionis appellatione contineri civilem & naturalem.*
9. *Interdicto* Vti possidetis *quomodo agatur ex solâ civili possessione.*

10. Possessio

10. *Possessionem amittit qui vi expellitur, si non de facto statim recuperet.*
11. *Possessio clandestina pro possessione non est.*
12. *Possessio clandestina in violentam quomodo convertatur.*
13. *Possessio civilis sola an prosit ad interdictum.*
14. *Possessorem rei non esse qui actionem tantum ad illam habet.*
15. *Possessio præterita non sufficit ad interdictum* Vti possidetis.

CONSILIVM LXXXIV.

DILIGENTER & maturè excussis actis causæ possessoriæ, quæ acta & conclusa est in Amplissimo Concilio Brabantiæ inter Venerabilem D. Petrum Dobbelstem Actorem Impetrantem ex una, & Reverendum D. Godefridum Rittersback Reum Opponentem, ex altera partibus; quoad bona, de quorum possessione inter ipsos controversia est, multa occurrunt, per quæ detegitur dicti Impetrantis intentionem in hac causa nec quoad ipsius formulam sustineri posse, nec quoad merita in justitia & æquitate fundatam esse; & ob id sententiam pro Opponente contra Impetrantem ferendam.

Et inprimis quidem quoad actionis formulam hoc in consideratione habendum, Impetrantem in primo litis congressu conclusisse secundùm tenorem literarum, quas ad introductionem hujus causæ in hac Curia impetravit, & paulò pòst illâ conclusione mutatâ ad hoc, ut ipse ante omnia restituatur ad possessionem dictorum bonorum atque in illis retineatur ac manuteneatur: * ita ut manifestè ad oculum pateat, eundem Impetrantem in hac causa accumulasse duo interdicta ex causa & materia sibi satis contraria & repugnantia; interdictum videlicet *Unde vi*, seu remedium redintegrationis adversus spolium; & interdictum manutenentiæ *Vti possidetis*, ad removendam turbationem, quam ab Opponente se dicit passum in possessione bonorum controversorum. Quæ sanè accumulatio jure permissa non est, ob dictam contrarietatem & repugnantiam; quæ facit, ut hæc duo remedia sint incompatibilia: nam qui ad manutenentiam & turbationis sublationem concludit, se fundat in præsenti possessione, asserendo se possidere, & in ea possessione manutenendum esse; qui verò ad restitutionem seu redintegrationem contendit, præteritæ, non præsenti possessioni innititur, & non se, sed adversarium possidere præsupponit: & sic redintegratio restituit amissam possessionem, interdictum verò manutenentiæ tuetur, ne amittatur, *l. 1. §. est igitur D. Vti possidetis*; & ob id spolium seu expulsio ex possessione, interdicti restitutorij est, manutenentia verò prohibitorij, *§. summa. Institut. De interdict.* Et hæc quidem inter se ita contraria & repugnantia sunt, ut in nullam communionem veniant, nullumque sit interdictum, quod ex his duobus mixtum, partim restitutorium, partim prohibitorium sit: cùm alioqui benè sint mixta interdicta in alijs speciebus interdictorum, prohibitoria scilicet, & exhibitoria simul, *l. 1. §. interdictorum D. De interdict. seu extraord.* Vt mirum non sit, si vitio extremæ ineptitudinis laborare dicatur hæc sic ex compositione & conjunctione eorum, quæ simul stare non possunt, proposita petitio & conclusio; ideque ab unâ eâdemque parte. * Etsi enim in eodem judicio horum accumulatio ex utraque parte permittatur, si agatur respectu diversæ possessionis per viam conventionis & reconventionis, Actore ad restitutionem, Reo ad retentionem contendente; vel etiam ab una parte respectu diversæ possessionis, civilis scilicet & naturalis: cujus usus expeditissimus est in conjunctione seu combinatione restituendæ & adipiscendæ possessionis, *Ioan. Faber in §. retinendæ nu. 35. Instit. De interd. Matth. de Afflictis decis. 118.* atque etiam (ut quidam putant) cùm amissa corpore naturali possessione, retenta animo civili possessione, unus idemque petit in altera manuteneri, & alteram restitui: id tamen non magis uni eidemque respectu ejusdem possessionis licet, quàm sorbere & flare simul, in conjunctione recuperationis, seu restitutionis, & retentionis seu manutenentiæ, *Ioan Faber d. nu. 35. versic. nunc veniamus. Bald. in l. Incerti quæst. 11. n. 17. C. De interdict. Lud. Roman. in l. Naturaliter §. nihil commune, nu. 14. D. De acquir possess.* * Cum igitur hæc duo remedia seu judicia sint contraria & repugnantia, seu saltem contradictoria, seseque invicem ob id non compatiantur, debet hæc conclusio ad restitutionem & manutenentiam sic conjunctim proposita, omninò censeri inepta, *l. 16 C. De furt. & ser. corrupto*; & propter ineptitudinem Impetrans cadere si non totâ causâ, saltem ab instantia; & sic per Curiam declarari modo & formâ quibus processit minimè receptibilis: nam super inepto libello, ineptaque petitione, respectu actionis & intentionis, non potest bonus formari processus, nec sententia valida ferri, *c. Cùm dilecti De empt. & vendit.* Ideoque est quod de hac ineptitudine semper & in quacumque parte litis opponi possit, *Panor. Ioan. De Imola, & alij in d. c. Cum dilecti*; imò etiam post latam sententiam, *Iason in l. eleganter. §. 1. nu. 7. De condict. indeb.* quia (ut inquit Iason, *in l. Si patronus nu. 2. D. De iureur.*) super libello inepto non potest sequi actus decisivus; cùm hujusmodi ineptitudo reddat judicium retrò nullum, *Castrens. consil. 401. Viso processu una cum sententia vol. 1.* Quare non recte ab Advocato Impetrantis acerbiùs reprehenditur Opponens, quasi impertinenter & absurdè nullitatem seu ineptitudinem propositæ ex parte Impetrantis conclusionis contra omnem praxim in possessorio objecerit; cùm in usu veræ praxis judiciariæ ex manifesta juris dispositione à summis practicis Ioanne Fabro *in d. §. adipiscendæ nu. 18. vers. narra ergo*, & Guidone Papa *decis. 552. nu. 3.* admoneantur Advocati, ut diligenter caveant, ne dum in judicio manutenentiæ seu retinendæ possessionis, & ad illum finem concludere volunt, ullam faciant mentionem expulsionis seu spolij; ob id, quòd per expulsionem seu spolium possessor possessionem amittat, *l. Naturaliter De usucap.* & qui illâ excidit seu illam etiam de facto amisit, non possit contendere se possidere de præsenti; & ex consequenti non possit experiri interdicto aliquo, quod possessoribus tantùm competit, quale est interdictum *vti possidetis* seu manutenentiæ, *gloss. in l. si quis vi in v. possideret, in fin.*

in fin. De acq. poſſeſſ. l. 1. §. *hoc interdictum* D. *Vti poſſidetis.* Et ſanè ita ſe res in hac lite habet, ut Impetrans fateri & agnoſcere debeat vel hanc ex accumulatione incompatibilium ineptitudinem, & inde periculum abſolutionis ab inſtantia ex rationibus ſupradictis: vel quòd alterutro dumtaxat remedio aut reſtitutionis ſeu redintegrationis; aut retentionis ſeu manutenentiæ egerit in hac cauſa: quorum duorum poſteriorum utrumcumque dicatur, in maiore periculo conſtitutus deprehendetur Impetrans, hoc eſt, quòd ſi non formula cadet ex irreceptibilitate, causâ tamen cadere debebit ex non fundata intentione.

4 Ita ut operæ precium non ſit ſcrupulosè hîc diſputare, an ne ſaltem hæc conſideratio ineptitudinis libelli ſeu concluſionis averti & removeri poſſit per clauſulam ſalutarem adiectam in formula concluſionis, quam Impetrans ſcripto propoſuit in principio prædictæ ſuæ ſcripturæ factorum, *de adminiſtranda iuſtitia meliore quoad commodum Impetrantis fieri poterit, modo*: hujus enim clauſulæ vis & operatio quamvis maxima ſit, cùm libellus generaliter conceptus eſt, nullâ ſpeciali cauſa deducta aut narrata in eo, *Alex conſ.* 121. *Viſo proceſſu nu.* 11. *vol.* 1. nulla tamen eſt ad eum finem, ut videatur concludendo petitum quod repugnans eſt vel contrarium iis, quæ per Actorem alioqui ſpecificè ſeu ſpecialiter petita ſunt, *Alex conſ.* 96. *Conſideratis his nu.* 7. *vol.* 5. Vt in propoſito contingit ex eo, quod Impetrans ſpecialiter petierit ſe conſtitui ſeu reſtitui in poſſeſſionem controverſorum bonorum; reſpectu cujus ſic expreſſe petiti, non poſſet effectus concluſionis ex illa clauſula ſalutari deflecti ad retentionem ſeu manutenentiam ejuſdem poſſeſſionis: quia illa repugnat reſtitutioni ſeu redintegrationi. Et quia ſimili modo ſpecialiter per eandem concluſionem petijt ſe manuteneri in poſſeſſione eorundem bonorum, & removerit turbationes & moleſtationes per Opponentem illatas; non poteſt virtute ejuſdem clauſulæ Impetranti ex poteſtate prætactæ clauſulæ adjudicari reſtitutio ſeu redintegratio poſſeſſionis; cùm id præjudicaret petitioni manutenentiæ, in qua reſtitutio locum non habet: dolo enim facit, qui petit quod intus habet, *l. ſi culpa* §. *ipſo quoque, De rei vendicat.*

5 Sed nec in eo multùm laborandum eſt, an ne hæc Impetrantis concluſio in hac accumulatione reſtitutionis & retentionis ſuſtineri poſſit, ut vel in ſolo poſſeſſorio redintegrandæ & reſtituendæ, vel in ſolo poſſeſſorio retinendæ poſſeſſionis concluſum dici poſſit: in ſolo quidem reſtitutionis poſſeſſorio, tanquam præcipuo & primo loco propoſito ut ſubjecta mentio retentionis & manutenentiæ vel pro non adiecta haberi poſſit, ut in ſimili reſpondit Baldus, *conſ.* 425. *viſis actis nu.* 1. *in fine vol.* 3. vel ſaltem ſubſervire petitioni reſtitutionis, ad effectum plenæ reſtitutionis, quæ non poteſt intelligi, niſi remotis & reparatis etiam moleſtationibus; & ſic, ut reſponcit Angelus Perufinus, *conſ.* 299. *In cauſa vertente inter nobilem num.* 4. violentia expulſiva trahat ad ſe inquietativam: in ſolo retinendi ſeu manutenentiæ poſſeſſorio ex hac conſideratione, quòd non omnis expulſio ſemper tendat ad poſſeſſionis amiſſionem, ſed magis ad vim inquietativam ſeu turbativam, ſi expulſio omnimodò effectum non habuit, vel poſſeſſione in continenti recuperatâ, *l. Qui poſſeſſionem, De vi & vi armata*, vel animo civiliter retentâ, amiſſâ ſola naturali, ad finem & effectum, ut civilis poſſeſſio manuteneatur, & naturalis reſtituatur, & ſic reſtitutio veniat in neceſſariam conſequentiam retentionis, eoque caſu interdictum retinendæ habeat mixtam naturam recuperandæ, *Bart. in l. Clam poſſidere* §. *fin. num.* 7. *D. De acq. poſſeſſ.* ut in huic vicina ſpecie reſpondit Paulus de Caſtro, *conſ.* 234. *In cauſa appellationis, nu.* 1. *vol.* 2. & poſt eum Laurentius Calcaneus, *conſ.* 76. *In prædicta cauſa nu.* 3. Nam in utramcunque partem res tentetur vel urgeatur, ſucceſſum non habebit ad ſic acceptam concluſionem ſuſtinendam, quia utrumque nimis formaliter & eque principaliter petitum eſt, ut neutrum vel pro non adiecto, vel in acceſſionem alterutrius venire rectè dici poſſit: præterea de civili poſſeſſione animo retenta ex parte Impetrantis nulla ſit probabilitas, ideoque incompatibilium hæc jure improbata coacervatio nullo colore, ad evitandum ineptitudinis vitium, in propoſito ſuſtineri poſſit.

Præſuppoſito itaque quod ſolo interdicto manutenentiæ in hac cauſa actum & ex ea concluſum ſit, uti etiam pro parte Impetrantis ex eo magis concluſum eſſe contenditur, & hæc cauſa ubique cauſa non redintegrationis, ſed manutenentiæ appellatur, ſepoſitâ inſpectione ineptitudinis, videndum an Impetrans in ea aliquo modo ſit fundatus. 6 Hoc certum & indubitatum eſt, interdictum manutenentiæ ſeu *utipoſſidetis* non competere illi, qui non tantùm factæ turbationis aut impetrati interdicti, *Bart. in l.* 1. § *ult. nu.* 18. *uti poſſidetis c. Licet cauſam, De probat.* ſed & qui litis conteſtatæ tempore rei, de qua quæritur, poſſeſſor non eſt, §. *hodie tamen, Inſt. tut. De interd. & ibi practicus Ioannes Faber nu.* 21. Vſque adeò ut ad fundandam intentionem in hoc genere judicij ſatis non ſit, quòd Actor alleget & probet, quòd intra proximum annum ante impetrationem interdicti civiliter vel naturaliter aut utroque modo poſſederit; at nec hoc quidem ad victoriam in hoc genere judicij obtinendum ſufficiat, ſi dicat ſe tempore turbationis fuiſſe in poſſeſſione; ſi non hoc quoque proponat & capitulando ſeu articulando formaliter & ſpecialiter deducat, ſe tempore litis conteſtatæ quoque poſſediſſe, *Alex. conſ.* 136. *In cauſa & lite nu.* 7. *vol.* 2. & *conſ.* 54. *viſo proceſſu in princ. vol.* 5. *Rebuffus ad conſtit. reg. tomo* 3. *tit. de mater. poſſeſſ. art.* 2. *gloſ.* 3. *nu.* 10. tunc potiſſimùm, cùm is, qui hoc interdicto convenitur, ſe medio tempore poſſediſſe vel de præſenti ſeu tempore litis conteſtatæ poſſidere contendit, ut in Concilio Neapolitano judicatum fuiſſe teſtatur Afflictus, *deciſ.* 394 Cùm itaque in hac lite nulla omninò extet probatio, imò nec pertinens allegatio Impetrantis, quod in poſſeſſione horum bonorum naturaliter & civiliter tempore litis in hac cauſa conteſtatæ, hoc eſt vel porrecti libelli ad impetrationem interdicti (ut regulariter pro conteſtatione eſt porrectio ſupplicis libelli Principi ſeu ejus Concilio facta, *l.* 1. *c. Quando libel. princ. dat. facit lit. conteſtat.* vel ſaltem propoſitæ conclu-

conclusionis, & ad illam factæ responsionis, *l.* 1. *C. De lit. contest.* c. 1. *eod. tit.* seu quo tempore litis contestatio fieri vel solet, vel debuisset, *Alex. cons.* 88. *Quoniam omne, nu.* 3. *vol.* 5. *Cachetanus decis. Pedemont.* 43. *nu.* 1. consequens est, Impetrantem ex defectu alterius necessariò in hoc genere interdicti requisitorum, in hac causa succumbere debere, *Alexand. d. cons.* 136. *nu.* 7. *Steph. Bertrandus consil.* 277. *Viso processu nu.* 1. *vol.* 2. *part.* 1. potissimùm quia Opponens contrà probaverit, se in possessione eorumdem fuisse & ante impetrationem dicti interdicti, & tempore ejusdem impetrationis, ac post etiam tempore litis in hac causa contestatæ, & deinceps. Vltra quam Opponentis probationem, id quoque satis confiretur Impetrans, dum se ab Opponente spoliatum & expulsum asserit, & possessionem sibi restitui petit: non enim censetur spoliatus, qui rem intus habet, nec restitui potest quod ademptum non est; indeque est quod spoliato seu expulso adversus spoliatorem possessorem hæc species interdicti non concedatur, *l.* 1. *& 2. D. uti possidetis, Rebuff. d. tit. De materia possess. art.* 1. *gloss.* 1. *nu.* 6. † Qua in parte impetrantis 7
hæc intentio non potest fundari in illa allegatione, quâ confitendo Opponentis naturalem possessionem, asserit civilem apud se semper permansisse; ut naturalis possessio corpore facilè amitti potest, civili interea in animo apud possessorem antiquiorem permanente, *l.* 3. *§. in amittenda. l. Clam possidere §. qui ad nundinas D. De acquir. possess.* quæ sufficiens est ad obtinendum in interdicto hoc retinendæ possessionis, *gloss. l.* 1. *§. vit. in V. possidet: & ibi Bart. nu.* 2. *Vti possidetis*: nam in hujusmodi genere possessionis civilis tantùm, Impetrans non fundavit suum supplicem libellum pro obtinendis literis interdicti, cùm nec in eo, nec in aliqua conclusione pro parte sua in hac causa proposita, ullâ fecerit mentionem civilis possessionis dumtaxat, sed simpliciter possessionis, * cujus appellatio 8
in simplici, plena, & indeterminata pronuntiatione ad plenam significationem referenda est, hoc est ad illam, quæ plena est, & utramque speciem possessionis continet tam naturalem quàm civilem; verba enim in potiore significatu accipienda sunt & intelligi debent, *l.* 1. *§. qui in perpetuum & ibi Doct. ff. Si ager vectig. vel emphy. petatur*: & magis quidem ac procliuius naturalem, quàm civilem; ut naturalia accidentariis, civilibus, & commentitijs potiora sunt, & in dubio magis præsumuntur, *l. Qui habet D. De tutelis*. Ita quod cùm de nuda civili possessione in partibus substantialibus hujus processus, hoc est in dicto supplice libello, in prætactis literis, & in conclusionibus successivè propositis, nulla extet formalis mentio solius civilis possessionis, nec restrictio medij concludendi ad illam; nihil Impetranti prodesse possit per Advocatum ipsius ex obiectionibus & defensionibus Opponentis melius instructum, serius postea facta mentio hujus solius civilis possessionis: od id potissimùm quòd conclusio Impetrantis in principio suprataetæ scripturæ facta, non sit ob hanc civilem possessionem formaliter concepta & restricta ad restitutionem solius naturalis possessionis, ut requirit Alexander de Imola *in d. §. Qui ad nundinas, nu.* 17. sed simpliciter ad hoc, ut Impetrans restituatur & ponatur in possessione horum bonorum. † Cùm alio jui melioribus ra- 9
tionibus Ioannes de Imola, *in d. §. qui ad nundinas, nu.* 3. & eum sequutus Augustinus Beroius, *ibid. nu.* 47. tradunt, cùm hoc genere interdicti *Vti possidetis*, propter civilem possessionem animo retentam agitur, non posse concludi formaliter ad restitutionem, sed bene ad relaxationem seu dimissionem naturalis, ad plenum effectum manutenentiæ quoad civilem possessionem; quia ea petitio excedit fines hujus interdicti, quod dumtaxat prohibitorium, non restitutorium est. Et quamvis Bartolus, *in d. l.* 1. *§. interdictum, n.* 6. *Vti possidetis* doceat Actorem in hoc judicio non constringi, ut exprimat & specificet qualitatem seu speciem possessionis; id tamen limitat & declarat verum esse, nisi adversarij interfit scire, ex qua specie possessionis Actor agat, & ad quid concludat; ut in proposito verè interest Opponentis. Si enim Impetrans solam civilem formaliter prætexuisset, & ad solius naturalis sive restitutionem, sive relaxationem concluisset. poterat Opponens multa in facto proferre adversus hujus prætensæ civilis possessionis allegationem. Et ut expeditè verum sit, ob civilem animo retentam in hoc genere interdicti, posse formaliter agi ad restitutionem naturalis, velut in necessariam consequentiam retinendæ civilis; de hujuscemodi tamen possessionis civilis retentæ genere nihil ex parte Impetrantis probatum, imò nec concludenter, ut diximus, articulatum est, quod tamen in usu illius omnino necessarium est; & cessante Actoris probatione, non tenetur Reus probare Actorem non possidere: quia eo ipso censetur Reus id probasse, si Actor non probet allegatam possessionem, *Bart. in l.* 1. *§. quod ait prætor, nu.* 19. *D. Vti possidetis.*

Et sanè si diligenter advertatur ad Impetrantis allegationes & probationes, manifestè reprehendetur, quod neque tempore impetrati interdicti, neque litis in hac causa contestatæ, civilem aliquam possessionem, animo scilicet retentam Impetrans habuerit. Quod ex eo manifestè deducitur, quod Impetrans alleget & in facto proponat, quod Opponens partim vi, partim clam acquisiverit horum bonorum possessionem, se Impetrante absente, quodque ob id idem Impetrans possessionem eorumdem bonorum debuerit deserere.

Quibus verbis (ut sine præjudicio veritatis præ- 10
supponantur veritatem continere) apertissimè detegitur ex eo tempore, quo Impetrans contendit Opponentem horum bonorum possessionem primum ingressum esse, si quam prius ipse habuit possessionem tam civilem, quàm naturalem amisisse, & ne civilem quidem retinuisse: nam quatenus vi id factum proponitur, vera & formalis dejectio seu expulsio Impetrantis agnosci debet; qui enim vi ex possessione rei corporalis immobilis dejicitur vel expellitur, extra omnem dubitationem desinit esse possessor; amissâ scilicet omni possessione quam prius habuit, *d. c. Naturaliter. D. De usucap.* Quò referendum est, quod superiùs diximus, spoliato non competere interdictum retinendæ possessionis.

Nec rectè dici potest civilem possessionem tunc retineri animo propter voluntatem & propositum prioris possessoris de recuperanda naturali

per primam occasionem remedio juris, & per judicium (ut satis imperitè sibi persuadet Impetrans) quia licet verum sit quod deiectus seu expulsus per vim, ne à naturali quidem possessione cadat, si vel incontinenti, adeoque in ipso congressu illam etiam vi adhibitâ recuperet, *l.* 3. §. *eum igitur. l. Qui; possessionem D. De vi & vi armata*; vel si in vestigio id non faciat, facere tamen ex brevi intervallo cogitet, & ad hoc præparamenta faciat, & sic animo possidere non desinat, *d.* §. *eum igitur. & ibi Bart. Zasius & alij*; idem tamen constitui non potest in cogitatione, animo, seu proposito de recuperanda eâdem possessione per viam & remedium juris seu judicij; sed ex adverso inde magis deprehenditur quod prius possessor dejectus animum possidendi deposuerit. * Quatenùs vero
11 Impetrans proponit per Opponentem clam id factum esse, ideoque clandestinam esse illius possessionem, ex eo quòd allegat Opponentem interea quàm ipse impetrans absens fuit occupasse possessionem; per clandestinum autem ingressum non amitti possessionem civilem, quæ semper manet apud absentem possessorem, quamdiu voluntatem revertendi habet, *d.* §. *qui ad nundinas*; usque adeò ut clandestinus hujusmodi possessor pro possessore non intelligatur, sed duntaxat pro detentatore, & ita quidem ut se non possit per hujusmodi facti possessionem tueri contra eum à quo sic clam possidet, *l.* 1. *in fine.* D. *Vti possidetis*: minùs magis prodesse potest Impetranti ad stabiliendam civilem possessionem animo retentam; ob id quòd Impetrans hoc quoque in facto proposuerit, quod suus minister reversus, ad possessionem admissus non fuerit, & sic ipse ex eo tempore destitutus solatio dicta bona in manibus Opponentis reliquerit. Nam quamvis secundùm ea, quæ Impetrans (licet contra veritatem) proponit ab initio de tempore suæ absentiæ ad clandestinam possessionem Opponentis, & animum suum civiliter possidendi demonstrandum sufficere possent; quæ tamen subjecit de suo ministro non admisso, & de sua desertione, fines & terminos clandestinitatis excedunt; imò efficiunt, ut quæ ab initio clande-
12 stina videri poterat, effecta sit violenta: * cum clandestinus possessor, qui in absentia veri possessoris rem occupavit, si revertentem illũ ac possessionem naturalem repetentem & exercere volentem non admittit, vim admittere & possessorem verè expellere dicatur, *d.* §. *qui ad nundinas, in fine d. l.* 3. § *si quis autem. in fine.* imò etiam tunc vi possidere & possessorem dejicere, cùm possessor animum revertendi deponit; dum vel non vult, vel non audet propter majorem vim, quia forte repelli ab invasore seu occupatore metuit reverti, *d.* §. *qui ad nundinas cum leg. seq. d.* §. *si quis autem vers. si autem, Bal. cons.* 8. *erant quinque nu.* 2. *vol.* 1. *Ioan. Faber in* §. *quod autem. Instit. de usucap.* quæ depositio animi repetendæ possessionis, & revertendi, tam potens est ad amittendam omnem possessionem, ut nihil interfit hive verus & justus, sive vanus & falsus sit metus repulsum seu non admissum iri, si modo per alium occupata est possessio *d. l.* 3. §. *si quis autem.*

Cùm igitur per præmissa evidenter constet Impetrantem nec tempore impetrati hujus interdicti, nec litis in hac causa contestatæ fuisse possessorem bonorum controversorum, neque naturaliter (quod ipse satis fatetur) neque civiliter; consequens est eum nullâ ratione fundatum esse in petita manutenentia, sed quatenus ad illam concluſit manifestè in hac causa succumbere debere; aut saltem modo & formâ, quibus egit, ac ad finem, ad quem concluſit, declarandum non fuisse fundatum nec receptibilem. † Potissimùm 31
quòd in praxi & usu forensi Petrus Rebuffus *d. titulo. de materia possess. art.* 2. *glos.* 2. *nu.* 24. tradat, non sufficere quem naturaliter tantùm possidere, si quoque conjunctim non possideat naturaliter, & civiliter, ad hoc, ut possit experiri interdicto manutenentiæ ex casu novitatis seu turbationis iam factæ, & saisinæ ex edicto prætoris, seu ex impetratione literarum à Principe vel illius Concilio; etiam si sola civilis possessio sufficiat ad fundandum judicium simplicis saisinæ, ut vocant, non de facta turbatione, sed dum ne fiat metuitur.

† Nec eo respectu Impetrans in hoc manutenen- 41
tiæ remedio pro possessore haberi aut reputari debet, quòd qui actionem habet ad recuperandam possessionem, perinde habeatur ac si possideret, *l. Si quis vi* D. *De acquir. possess.* nam etsi id ad effectum aliquem, veluti ad fructus & alia accidentalia, per fictionem & interpretationem juris dici possit, ut quoad proprietatem rem habere videatur qui ad eam recuperandam actionem habet, *l. Rem in bonis. De acquir. rer. domin. l. Qui actionem*, verè tamen possessor non est, qui tantummodò facultatem habet ad recuperandam possessionem; præsertim, ut inquit Accursius, *in. d. l. Si quis. vi glos.* 1. quoad interdicta, quæ solis possessoribus competunt; ut est interdictum *Vti possidetis* seu manutenentiæ.

Nec denique Impetranti patrocinari potest §1
allegatio antiquioris, quod scilicet ante hanc dejectionem & expulsionem Opponentis, in horum bonorum possessione fuerit: nam præterquà quòd hæc allegatio fide probationis destituatur, in hoc genere interdicti non sufficit anterior seu antiquior possessio, si (ut supperius dictum est) illa quoque non perduret tempore litis cõtestatę, hoc est, si illa antiquior finita sit per alterius posteriorem etiam vi occupatam, & hanc prior possessor toleraverit, & de facto illi non restiterit, aut suam priorem incontinenti pari vi non recuperaverit. *d.* §. *qui ad nundinas, Alciat. cons* 440. *retinendæ*, Quamobrem ut hic abrumpamus, arbitramur partes esse Amplissimorum, Dominorum, ut dictum Opponentem in sua illa possessione juxta conclusionem duplicati interdicti relinquant, atque in eadem manuteneant ac defendant.

De restitut. spoliator.

SVMMARIVM.

Interdictum recuperandæ *seu* Vnde vi.

1.4 *Apellari quando possit ob reiectionem articulorum.*
2. *Interdictum recuperandæ quomodo iustificetur.*
3.10. *Spoliator non excusatur ex titulo.*
5. *Petitorio omisso iri potest ad possessorium.*
6. *Petitorio cum possessorio accumulato quis obtineat.*

7. *Inter-*

7. *Interdictum recuperandæ an admittat tituli deductionem.*
8. *Proprietatis deductio fieri potest in possessorio.*
9. *Feudalium rerum possessio tractari potest coram alio iudice quàm feudali.*
11. *Possessio morte possessoris extinguitur.*
12. *Coloni possessio hæredi proprietarij prodest.*
13. *Clonus quomodo intervertat Domino possessionem.*
14. *Iudex appellationis iniustè remittit causam ad Iudicem ad quem.*

CONSILIVM LXXXV.

IN magna multitudine chartarum seu foliorum, ad quam excrevit in prima atque hac secunda instantia processus judicij possessorij, inter Dominos Executores testamenti quondam Domini Tilmanni de Herckenroede Canonici S. Ioannis Euangelistæ Leodiensis, Impetrantes, ac Dominos Decanum & Capitulum Beatæ Mariæ Tongrensis Opponentes, unicum illud nunc in hoc appellationis judicio discutiendum est; an justa fuerit Opponentiũ appellatio ab eo decreto, quo Decanus S. Martini Leodiensis subdelegatus per Dominum Præpositum Ecclesiæ Nassoniensis delegatum judicem decrevit, articulos per partem opponentem in prima instantia in termino proponendi peremptorié exhibitos, quatenus concernunt petitorium judicium, reijciendos esse, admissis ijsdem quatenus concernerent judicium possessorium? † Iusta quidem est appellandi occasio à reiectione articulorum peremptorialium ac relevantium, quique ad justificandam partium intentionem vel defensionem quoquo modo faciunt, *c.* Dilectio, *De appellat. Clem. Cum à repulsione, Eod. tit.* sed injusta planèque frivola est appellatio, nullâque ratione per judicem admittenda, quæ interponitur ob reiectos articulos impertinentes, & ad rem, de qua agitur, nihil facientes. Articuli etenim impertinentes, & qui admissi ac probati non relevarent proponentem, admittendi non sunt, *c. Dilecti, De except.* imò judex eos admittendo gravat partem adversam, *Ioan. And. in c. Fraternitatis, De testib. & ibi plenè Mar. Socin. Bart. & Alex in l. si* Duo, §. *idem Iulianus,* De *iureiur. l. Ad probationem* C. *De probat.* ut proinde judex non deferendo appellationi, quæ à reiectione talium articulorum interponitur, nullâ ratione dici possit gravare; lex enim ipsa neque defert neque deferri patitur frivolis ac injustis appellationibus *c. Cum appellationibus De appellat. lib. 6.* Cùm itaque articuli pro parte Opponentium ad elidendam Impetrantium intentionem in prima instantia propositi, (quatenus continent materiam petitorij, ac deductionem tituli & juris, quod ad trja bonuaria Opponentes prætendunt) ad hanc causam sint impertinentes, nec quicquam Opponentes adversus impetrantium intentionem relevent; non potest vllâ ratione stare aut sustineri hæc appellatio, quæ à reiectione ac repulsione eorundem eatenus interposita est, sed secum trahit præsumptionem cauillandi, ac hujusmodi momentaneam causam ad multos annos extrahendi, ut sic violentam suam possessionem ac invasionem continuare possint quâqua oblatâ occasione.

Quòd autem dicti articuli quatenus continent materiam petitoriam sint in hac causa impertinentes & irrelevantes, satis deductum est per scripturam eo fine in prima instantia exhibitam, ac variis multisque juris rationibus instructam. Hoc enim manifestum est ex libello ac conclusione pro parte Impetrantium in prima instantia exhibito, actionem propositam esse de vi, spolio, & invasione Opponentium, ac de recuperanda possessione trium bonuariorum; & minimè de jure, titulo, seu proprietate eorumdem: ita ut supervacanea, & ad rem nullâ ratione pertinens sit dominij ac proprietatis exceptio, allegatio, aut disputatio. * 2
Nam ut interdictum seu possessorium recuperandi non justificatur ex parte interdicentis seu agentis ex justitia tituli, dominij seu proprietatis rei controversæ; sed ex possessione, quæ non vi, clam, aut precariò, tempore ablatæ aut invasæ possessionis apud expulsum seu spoliatum erat, eâque possessione deficiente in eo judicio obtinere non potest, *l. 1. §. interdictum autem, & §. eum qui De vi & vi armata:* * ita quoque ex adverso nullũ patrociniũ 3
violentæ & invasæ possessionis desumere potest. Reus ex allegatione vel obiectione dominij seu proprietatis; sic ut, ubi proponitur recuperandæ possessionis judicium, non admittatur dominij seu proprietatis disputatio, *l. Si de vi* De *iudic. l. Si quis ad se fundum,* C. *Ad leg. Iul. de vi publ.* nisi consentiente Actore, *c. 1. De restitut. spoliat.* spoliatus enim, ut habet tritissima juris regula, ante omnia restituendus est, *c. 2. & In literis eod. tit.*

Atque ita cùm ex solo spolio & invasione con- 4
cluserint Impetrantes in primo suo libello, & de ea spoliatione ac invasione liquidò constiterit, meritò reijci debuerunt articuli, qui non causam possessoriam, sed petitoriam concernebant; cùm probati nihil prodessent: prius enim de possessione ejusque restitutione decerni debebat, quàm proprietatis quæstio admitti, *d. l. Si de vi;* * cùm 5
etiam instituto petitorio, convolari possit ad possessorium, omisso petitorio, *l. Naturaliter, §. nihil commune De acq. possess. c.* Pastoralis, *De causa possess. & propr:* * & accumulatione petitorij ac possessorij 6
factâ, si actor deficiat in probati[illegible] dominij vel quasi, possessionem tamen rectè [illegible]averit, obtinere omninò debeat in possessori[illegible], & in eo solo judex sententiam ferre, *c. 2. eod. tit.*

Nec quiquam ad injustitiam dicti decreti facit, quòd Impetrantes ipsi quoque in suo libello deduxerint causam & originem acquisiti dominij & proprietatis per D. Tilmannum Herkenroede, quasi scilicet idem Opponentibus permittendum sit; cùm quod Actori licet, Reo multò magis permitti debeat, *l. Non debet actori,* De *reg. iuris:* nam verum est, quod in libello Impetrantium (qui solus attendi debet) nullius alterius, quàm possessionis facta fuerit deductio. * Et licet in articulis po- 7
stea subiectis pro illustratione causæ aliquid de origine & causa acquisitionis propositum fuerit, ex eo tamen dici nequit alterata natura vel conditio huius judicij: cùm ad justificandam possessionem etiam in interdicto recuperandæ possessionis admittatur tituli ac juris deductio; quando scilicet ad eum finem tantùm fit, & ad solam possessionis restitutionem concluditur. † Communi 8

enim opinione receptum est, quòd quamvis in libello possessorio fiat narratio proprietatis, non alteretur tamen natura possessorij *Ant. de Butrio in c. fin. De iudic. Marian. Socin. & alij in c. Ex parte, n. 3. De foro compet.* sic ut nec Actor teneatur probare proprietatem, nec admitti debeat Rei exceptio concernens effectum proprietatis; siquidem libellus attendi debet non in parte narrativa, sed dispositiva, hoc est, circa ipsius conclusionem, *Bald. in l. 2. C. De petit. hæred. & in l. Præscriptione C. Si contra ius vel util. publ. Cynus in l. Cum te C. De probat. Socin. in d. c. Ex parte, n. 3.* Verùm ubi ex tenore articulorum evidenter constat ad effectum probandi dominij, vel ad justificandam exceptionem dominij ac proprietatis articulos esse propositos, non est quod minùs permissum dicatur Reis, quàm Actoribus; præsertim quòd ex eorum conclusione plerumque non constet, ex qua causa petatur absolutio; an ex causa deficientis possessionis in Actoribus; an ex justiore ac potiore possessione Reorum. Ita ut prædictus Dominus Decanus admittendo tantùm hujusmodi articulos, quatenus continebant materiam possessorij, & eosdem reijciendo, quatenus concernebant materiam petitoriam, juri & justitiæ sese per omnia conformaverit, & Opponentibus nullum præjudicium fecerit: hujus enim decreti potestas in hoc resolvitur, quasi decreuisset de possessione & invasione hîc tantùm disputandum esse, non de proprietate ac dominio, Opponentibus tacitè declarans, quòd ex justitia proprietatis nihil sperare debeant, sed tantùm ex potiore possessione. Quò illum etiam eogebat in primis rescripti Apostolici (ex quo jurisdictionem in hac causa habeat) angustia & restrictio, cùm ex tenore supplicationis constet tantùm de invasione & violenta occupatione Impetrantes conquestos esse; secundùm quam querelam, conclusionem quoque libello subjectam ad solam pos-
9 sessionis restitutionem temperaverunt. * Deinde juris ratio: nam cùm hæc tria bonuaria sint bona feudalia, de eorum proprietate coram hoc Iudice queri ac proponi non potuit, sed coram Domino feudi agi debuisset, *c. Verum, De foro compet. c. Cæterum De iudic.* de possessione autem eorumdem bonorum feudalium quin coram ordinario spoliatoris seu invasoris rectè agi potuerit, nihil vetuit, *Gloss. & DD. in d. C. caterum.* Qui quidem ordinarius in præsenti causa est summus Pontifex seu ejus delegatus; propter notoriam exemptionem ab ordinaria jurisdictione, quam Opponentes habent. Si quem itaque colorem Opponentes illis suis articulis, ut admitterentur, in hac causa adijcere voluissent, debebant saltem declarare, se hujusmodi allegationibus non alio fine uti velle, quam ad justificandam potiorem suam possessionem; non etiam ex adverso tam apertè contendere petitorio hîc agi; quia scilicet mentionem & deductionem juris sui fecerint Impetrantes; & quòd petitorium sic per Impetrantes semel institutum, deleri non potuerit; item quòd ad Opponentes, non ad Impetrantes mero jure pertineant hæc bona.

Nec rursus ad admissionem eorumdem articulorum quicquam facit, quòd de notorio defectu
10 juris agentis objicitur: * nam in hoc genere interdicti seu judicij, propter odium violenti invasoris, non admittitur ejus generis exceptio, uti aperto jure decisum est, *d. c. In literis De restit. spoliat.* Quemadmodum & exceptio dominij, etiamsi in promptu offeratur illius probatio, aliter quàm per sententiam in petitorio judicio latam, non obstat agenti possessorio retinendæ tantùm possessionis, multò minùs judicio recuperandæ, propter extremum odium violenti invasoris, *Franc. Aretin. in l. Si de eo, § fin. De acquir. possess. Ioan. Franc. Ripa in d. l. Naturaliter §. nihil commune, n. 38. Barthol. Socin. in fallen. reg. 379. n. 9.* Et sanè quamvis de eo hîc quærendum aut disputandum non sit in hoc articulo, quo de appellationis justitia dumtaxat quæritur; ex ijs tamen, quæ in prima instantia deducta sunt, longè apparentius est jus Impetrantium quàm Opponentium: nam Impetrantes de acquisitione ac emptione horum trium bonuariorum ante triginta annos, itemque de consensu domini feudi in hujusmodi alienationem & acquisitionem, eorumdemque bonorum investitura ac possessione per instrumenta publica nulla ex parte impugnata docuerunt; prout etiam constat de ejusmodi possessionis continuatione usq; ad mortem Domini Tilmanni, à quo Paulus Cleen eos in conducto habuit, non tantùm usque ad mortem ipsius D. Tilmanni, verùm etiam post illius mortem: † sic quod nihil obstet Impetrantibus per mortem dicti D. Tilmanni possessionem ipsius fuisse extinctam, ac novam apprehensionem in hærede requiri, *l. Cum hæredes, De acquir. possess.* † nam pro nova apprehensione est coloni in conductione nomine hæredum seu executorum continuatio, non nuda & simplex, sed nomine executorum, à quibus deponit se jussum continuare & colere: naturalis etenim coloni possessio hæredi sine apprehensione prodest, cùm colonus hæredi vel solvit pensionem, vel jubetur ab hærede conductionem continuare, *l. Qui universa, §. quod per colonum, & ibi Bart. De acquir. possess.* † Sic quod nihil executoribus obsit, si fortè colonus postea ab Opponentibus conduxerit; quia id facere non potuit, cùm sic intervertat domini possessionem, *l. 3. §. quod si servus, l. Peregrè §. fin. De acquir. possess. l. fin. C. eod. tit.* præsertim hic, ubi propter violentam Opponentium invasionem antecedentem, colonus vela vertendo, se contulit ad eos, non apud quos jus, sed vis erat. † Proinde in eo stamus per 12
sententiam D. Abbatis confirmandum esse dictum decretum, & Opponentes in expensis condemnandos; ulteriusque caulam ad priorem judicem remittendam, *c. Vt debitus & ibi Ph. Decius nu. 7. De appellat. c. Cum appellationib. eod. tit. lib. 6. Rota decis. 11. fuit dubitatum, aliàs est 3. de appellat. in novis.*

De dolo & contumacia.

SVMMARIVM.

Contumacia non respondentis.

1. *Contumacia non respondentis positionibus inducit pœnam confessati.*
2. *Contumax ipso iure pro confesso habetur.*
3. *Executor meros cognoscere non debet de meritis.*

CONSIL.

CONSILIVM LXXXVI.

QVÆ ad inducendam nullitatem sententiæ secundùm Georgium van Ketrebeeke, contra Henricum Vaes latè proponuntur, diligentiùs excussa, & ad subiectam causam accommodata, nihil momenti habere inveniuntur. Nam principio quod dicitur de positionibus demùm post litem contestatam exhibendis, in his tribunalibus non obtinet, in quibus summaria est procedendi ratio, *Clem. Sæpè de verb. signif.* & in quibus vetus illa contestationis solemnitas exolevit: cùm illius potestatem nunc contineat simplex partis Reę contradictio, & in lite perseverandi, abeaque minimè recedendi tenax propositum. * Vnde cùm dictus Henricus per se & procuratorē suū in iudicio fuerit ac diversos terminos observaverit, nec tamē positionibus ante contestationem exhibitis responderit, sed easdem pro confessis haberi passus sit, nulla subest ratio, cur à pœna contumaciæ excusari possit: quia nihil interest, positiones ante an post fiat exhibitę; prout etiam nihil refert de veritate vel calumnia ante fuerit iuratum, vel non; ut apertè tradunt Philippus Francus & alij *in c. si post nu. 5. De confess. lib. 6.*

Secundum quoque effectum sententiæ minimę impedit: nam nihil interest per se, an per procuratorem quis causam agat; satisque est procuratorem præsentem interrogari & moneri: illius enim contumacia tam ante, quàm post litem contestatam Domino nocere potest, *Ph. Franc. in d. c. Si post nu. 6. versic. an tamen debeat.*

Tertium requisitum de sententia declaratoria, receptiore opinione nunc reiectum est, *Archidiac. in d. c. i post. & ibi Ph. Franc. nu. 19.* & in eo comprobata Glossæ opinio, *in d. c. si post in ver. pro confesso*, quod ipso iure pro confesso habeatur, etiam si iudex non declaret pro confesso habendum seu haberi; ad hoc scilicet, ut post iussum & comminationem, lapsumque temporis præscripti, iudex sententiam definitivam, non præcedente aliâ declaratoriâ interlocutione, ferre possit: sufficit enim iudici ex actis apparere contumaciam perfectam, *Bald. in l. 1. C. De confess. Ph. Franc. in d. c. si post. nu. 19.* Si modò nulla iusta excusatio proponatur; quamvis ad hoc, ut nondum latâ sententiâ definitivâ, pœna contumaciæ transeat in hæredem contumacis, huiusmodi declaratoria requiratur, *Franc. d. nu. 19.* Proinde non video, cur dominus Iudex, cujus officium Georgius pro executione & subsidio juris improbavit, recusare vel deficere debeat iustitiæ complementum, & executionis auxilium: † meri enim executoris, non cognitoris partes habet; qui ideo in quæstiones altiorem indaginem requirentes, cognitionem suam extendere non debet, *l. Si prætor De iud. Iason in l. 4. §. condemnatum, in 3. conclus. De re iudic. Bald. & alij in l. Etsi non cognitio, C. Si contra ius vel vtil. pub. l. Sirut proponis, l. Executorem C. De excep. rei iudic.* Quæ in proposito casu facilius admittenda sunt ob duplicem geminatamque dicti Henrici Rei contumaciam; quod non tantùm positionibus, sed & libello respondere contumaciter recusaverit, *Bal. in c. 1. De litisconfess. Ant. Corsetus in tract. de verbis geminatis, versic. 22.*

De dolo & contumacia.

SVMMARIVM.

Contumaciæ excusatio in non respondendo.

1. *Clausula, toties quoties, an multiplicationem in infinitum contineat.*
2. *Defensio quia naturalis est, nemini denegari debet.*
3. *sententia non observato ordine iudicij est nulla.*
4. *Papa iudiciorum ordinem tollere non potest.*
5. *Præcipitatio in iudicijs est noverca iustitiæ.*
6. *Contumax non est, qui in contumacia non perseverat.*
7. 11. *Contumax quis repatetur.*
8. *Contumacia in criminali causa non facit Reum haberi pro confesso.*
9. *Contumax tantum in respondendo auditur appellans.*
10. *Respondere pede ligato an semper deceat Reus in criminali causa.*
12. *Citatio ab eo facta, qui in possessione citandi non fuit, non arctat.*
13. *Nuncio creditur quoad executionem citationis, non quoad datam commissionem.*
14. *Citatio invalida contumacem non facit.*
15. *Iussus iudex excusat à dolo & culpa.*
16. *Pœna per iudicem imperium habentem alterari potest.*

CONSILIVM LXXXVII.

PRÆCIPITATA & non vnius diei, sed paucarum horarum cognitione, condemnatus est Dominus Ioannes Crabbe per sententiam Magnifici Domini Rectoris; idque tacitâ incertitudine & captiositate: ut quæ sit hujusmodi condemnationis conditio & potestas non satis percipiatur. Cùm enim duriore illa antecedente sententiâ, quâ per Magnificum D. Rectorem idem D. Ioannes ultra alias pœnas corporis afflictivas condemnatus sit ob concubinatum in exorbitantem summam sexaginta florenorum, adiectâ prohibitione, ne apud se retineat, aut ad colloquium vel societatem admittat concubinam, eiusq; sororē vel neptem; adiectâ item in præsens & in futurū tempus collatâ cōdemnatione centum florenorum, *toties quoties* contra factum fuerit: † dubitari posset, num quia eidem Domino Ioanni à Promotore obiectum fuit, quod præfatam sororem & neptem apud se multis diebus & mensibus tenuerit, eorumque famulitio usus fuerit, ex virtute dictæ clausulæ *toties quoties* dicta condemnatio & declaratio contraventionis, pœnæ quoque multiplicationem contineat in infinitum? uti etiam ex multorum sententia putatur, *Bart. in l. si ita stipulatus à reo. De fideiuss. Alex. in l. Qui bona fide, De dam. infect. in fine & cons. 145. Quoniam abunde, nu. 3. vol. 2. Marian. Soncin. in l. 1. in fine, C. De sent. quæ pro eo quod interest, & ibi Dec. in prin. Lanfrancus de Oriano in tract. de. arbit. in ult. parte. quæst. 10.* ita ut si provocatione ad venerabiles Dominos Iudices appellationum Vniversitatis Louanienſis interposita effectus dictæ sententiæ suspensus non fuisset, in magno discrimine versaretur dictus Dominus Ioannes; eoque maiore quod sæpe etiam avaritia & cupiditas

in transſ-

in transversum trahant: qui nunc tamen dictorum Dominorum judicum industriæ, & in rebus dijudicandis æquitati consitus, & ad causæ suæ defensionem, quâ præcipitata illa cognitio prætripuerat, admissus meliorem in spem oritur. Demonstrando itaque dictæ sententiæ nullitatem, iustitiam, & præfati Domini Ioannis innocentiam, pauca quædam suggeremus ad venerabilium Dominorum Iudicum cogitationes excitandas, & laborē investigandi sublevandum. Et quidem de nullitate dictæ sententiæ nihil ambigendum est; multa etenim hic concurrunt quæ eandem nullitatem detegunt. Primò quidem quòd sit lata adversus indefensum præsentem, hoc
3 est adversus eum cui defensionis potestas permissa non fuit: † defensio etenim cùm à iure naturali proveniat, *l. Vetum De iustit. & iure l. 1. §. cum arietes D. Si quadrupes pauper. fecisse dicatur* nemini deneganda est, *l. Defensionis facultas, & ibi Bart. C. De iure fisc. lib 10. l. Vnius §. cognituru, De quæstion. C. Cùm terde except.* & ne diabolo quidem si is in judicio compareret, *Rota decis. 364. cum iura, alias est 16. De dolo & centum in novit*; etiam in ijs causis, in quibus judici libera & absoluta potestas judicandi est concessa, *Alexand. cons. 65. vol 1.* quia tollere defensionem omni æquitati, iuri naturali ac divino repugnat *Bart. in extravagan. Ad reprimendum, in V. & figura*, quam idcirco judex ipse ex officio pro absenti Reo supplere debet, potius quàm quòd omittatur, *l. Sinon defendantur De pœnis, l. amplierem, C. De appellat.*

Cùm ergo præfatus Dominus Rector Reo non permiserit sui defendendi potestatem, hoc est, non concesserit ei excipiendi & se excusandi terminum sed præcipitanter eâdem hora, qua accusatus fuit, eum quòque condemnaverit, necessariò sequitur, sententiam latam alterâ tantùm parte auditâ esse nullam: † ut generaliter nulla est, quoties non observato ordine judicij profertur, *Doct. in l. Prolatam, C. de sent. l. 1. C. de resud.* Imò, ut ait Panormitanus, *in C. cum olim de senten. & re iud.* plus vitij adfert injustitia ex ordine, quàm ex causa; quia illa reddit sententiam ipso jure nullam, non item hæc; * vsque adeò, ut nec Papa ordinem judiciorum tollere possit *gloss. Clem. Dispendiosam. in verb. vsuris. De iudic.* eaque quæ inde contrahitur nullitas tam vehemens est, ut sententia eo vitio laborans per judicem appellationis reformari non possit, sed debeat dumtaxat pronuntiari nulla, *Panor. in c. Cum dilecti. De empt. & vendit.* † Vnde non
5 immeritò adversus huiusmodi Iudicum præcipitantes sententias insurgit Baldus *in c. Ad audientiam De consuetud.* & noverca iustitiæ appellata est huiusmodi præcipitatio, *Clem. Pastoralis §. verum De re iudic.* inducit enim ex brevitate temporis, præsumptionem, sine causæ cognitione latam esse sententiam; quæ ob id non tantùm ut injusta, sed etiam ut nulla rejicienda est, *Bart. in d.l. prolatam Iason in l. Si is apud quem, C. De edendo Paul. Castren. cons. 238. Visis & ponderatis, nu. 3. vol. 2. Alex. cons. 123. scripsit ecclesiasticus n. 4. vol. 4.* Detegitur namq; ex huiusmodi præcipitatione Iudicis vel imperitia, vel gratia, vel sordes, vel inordinatus zelus.

Neque ad rem facit, quòd Reus fuerit præsens & Rectori petenti respondere noluisse videatur: nam ut hoc verum sit, semper debuit ei concedi terminus proponendi suas exceptiones, quem Dominus Rector non concessit, sed statim auditâ confessione dicti Rei ad sententiæ pronuntiationē prosilijt. Sanè ex contumacia aliqua ejusdē Rei justificari non potest dicta præcipitata sententia: nam quamvis principio recusare visus fuerit, ex brevi & modico tamen intervallo interroga- 6
tionibus Domini Rectoris respondit: † non enim est contumax, quisquis in contumacia non perseverat, *l. 1. §. 1. & ibi Iud. Roman. Si quis ius dicen. non obtemp.* Quamvis interim si perseveraſſet in ea reprehendi non debuerit, etiam ipsius Domini Rectoris judicio: qui auditâ Rei excusatione, quod cuperet in scriptis sibi exhiberi quæ ei objiciebantur, speciali decreto interlocutus est per promotorem edenda esse in scriptis, ad quę peteret Reum respondere, & deinde per Reum respondendum esse. Quinimo etiam si postea arti-
culis per promotorē exhibitis respōdere noluerit, 7
contumax tamen ob id reputari non debet: † is enim contumax reputatur, qui contumaciâ per adversarium accusatâ, per judicem iussus, respondere detrectat sine causa, *Bart. in l. De aetate §. qui tacuit De interrogation. Felinus in c. Consuluit De off. iud. delegati Bald. in l. Si filius de interrog. act.* Iam verò ex actis nō constat de aliquo antecedente D. Rectoris iussu post exhibitos articulos ante sententiam; sed is jussus tantùm insertus est sententiæ, & quidem non in capite, sed cauda post declarationem contraventionis; ita ut evidentissimum sit ob contumaciam Rei latam non esse sententiam. 8

† Cum alioqui in criminali causa contumacia non faciat Reum haberi pro confesso, *Bald. in l. 1. C. Quomodo & quando & c. gloss. & Bald in l. 2. §. divus De iure fisci.* sed magis pro negante, *Bald. in l. sicut, C. De repud. hared.* Vnde dixit Iason, *in l. 1. §. fin. nu. 19 D. si quis ius dicen: non obtemp.* fatuum esse judicē, qui propter contumaciam Reum mulctat amissione totius causæ, seu condemnatione principalis petitionis, * Atque inde est quòd quamvis regula- 9
riter contumax non audiatur appellans, *l 1. C. Quorum appellat. non recip.* appellare tamen possit, qui tantùm contumax fuit in respondendo libello seu positionibus *Ang. in l. si insulam, De verb. oblig. Bart. & Bald. in l. fin. De restitut. in integ.* Præterea pro contumacia reputari non potest Rei recusatio tam ante quàm post sententiam; quia iusta & probabilis fuit: ob id, quòd Reus non absolutè recu- 10
saverit respondere, sed deliberationis tempus sibi indulgeri petierit. * Nam etsi exquorundam sententia *DD. in l. 1. C. De edendo* in criminali causa Reus pede ligato respondere debeat; petenti tamen dilationem ad deliberandum deneganda non est, *c. Inducia accusatis, §. offeratur. 3. q. 3. l. 1. De edendo*, ita ut hoc respectu si quæ sit contumacia seu potiùs recusatio, propter dictam causam excusari debeat: quemadmodum Baldus, *in d. l. fin. De restitut. in integ.* excusat illius contumaciam, qui respondere recusat, quòd advocatum non habeat. 11

* Sed nec ad contumaciam referri potest dicta præcipitata sententia, quam Promotor objicit Reo, quòd citatus comparere noluerit: nam principio, ut dixi, dicta declaratoria sententia in nulla contumacia fundatur, quia contumaciæ nul-

lam

fam mentionem facit; sed tantùm in prædicta confessione, iccusari enim & ex accusatione declariri debet contumacia alias non nocet in causa criminali, *Bald. in l. Properandum §. si quidem C. De iudic.* Denique pro contumacia reputari non debet huiusmodi recusatio; quia non constat ex actis de aliqua legitima citatione. Nam per primam, quæ facta est per Bedellum non est Reus contumax declaratus, sed tantùm petita, non autem
12 obtenta ulterior citatio; * altera verò quæ deinde facta asseritur pro nulla reputanda est, quia facta non per aliquem Bedellum, sed ab eo, qui citandi potestatē non habuit, nec in possessione citandi fuit: cui ob id Reus credere nō potuit, *Bart. in d. extravag. Ad reprimendum in verb per nuntium. glos.*
13 *& DD. in c. Cum parati De appellat.* † Neque gravat Reum, quod qui secundam fecit, referendo dicat se ex speciali mandato Rectoris citasse; quia de illo mandato ex actis non constat. Quò pertinet quod licet nuntio qui ad citationis executionem creditur; non credatur tamen ei dicenti vel referenti, quod de commissione Iudicis citaverit, *Io. And. in addit. ad specul. in tit. de citat. §. 1. vers. sed nunquam creditur, Ioan. de Imola in l. Ex consensu §. eum qui de appellat.* ut non malè requirant plerique, quod huiusmodi antecedens commissio in actis per notarium scribantur, *Ioan. de Imola. & Anton. de Butrio in c. cum parati, & ibi gloss. in verb. nuntius de appellat.* cùm ne Cardinali quidem asserenti se aliquid ex mandato alterius facere credatur, non probato mandato *vincit C. De mandat. Princip. c. Cum in iure*
14 *peritus, De offic. & potest. iud. delegati.* * Quare cum ex præmissis constet de nullitate citationis, nulla quoque constitui potest adversus Reum contumacia: invalida enim citatio contumacem absentem facere non potest: & processus vigore huiusmodi citationis factus ipso iure non valet, *Bald. in. c. Quoniam contra, in 6. col. De probat. & in Authent. Si omnes C. Si minor ab hared. se abstin.* Iustitia prædictæ sententiæ perinde in perspicuo est; tum ex causis prænarratis; tum potissimùm ex eo, quòd Reus in hoc appellationis iudicio per legitimum documentum docuerit, quod septem mensibus post latam dictam exordit intem sententiam, obtinuerit dispensationem adversus eandem, quod ei liceret uti famulitio dictæ Margaretæ ac neptis: quod quoque secutus erat in prima instantia, si non ita præcipitatus, & interea quam expectabat sententiam interlocutoriam super deliberatione per eum petita, declaratoriâ illa sententiâ oppressus fu-
15 isset? * quæ quidem Domini Rectoris permissio seu dispensatio Reo ad plenam excusationem sufficere debet: iussus enim & permissio iudicis excusat à dolo & culpa *l. Non videntur qui iussu, & ibi Dec. De reg. iur. l. Iussæ posidet de acquir. poss. l. Si quis id quod §. dolo. De iurisdict. omn. iud.* sine quibus ad condemnationem criminalem perveniri non potest, *l. in lege Cornelia D. Ad leg. Corn. de sicar.*

Nec multum premit, quod Advocatus Promotoris dicat, iudicem non posse prædecessoris sui sententiam retractare, *l. 1. C. sent. rescind. non posse:* nam nec retractata, nec rescissa est, sed relicta in sua validitate; factâ tantum dispensatione, ut pro famulitio dictam sororem cum sua nepte apud se
16 habere posset. † Est enim judici, & præsertim ei, qui omnimodam iurisdictionem & merum imperium habet (prout Dominus Rector ex concessione Pontificia & Ducali habet) de iure permissum alterare, mutare, & minuere pœnam, *Bart. in l. Acta, De re iud.* Disputandum autem hic non est, justa an injusta fuerit dicti Domini Rectoris dispensatio; quia qualiscumque fuerit, prodesse debet Reo ad excusationem delicti, propter auctoritatem concedentis, & quod nulla subsit turpis suspicio; cùm omnis etiam fatua credulitas à delicto & delicti pœna excuset, *l. 1. §. pen. De liberali causa, l. 1. in fi De aligeis l. 1. C. Ad leg. Flau. De plagiar.* Proinde cùm ea sit conditio actorum, & hujus causæ; arbitror pratactam Domini Rectoris sententiam, nec non totum processum declaranda nulla; & Reum ab impetitione Promotoris absolvendum, ac Promotorem in expensis utriusque instantiæ condemnandum.

De dolo & contumacia

SVMMARIVM.

Contumaciæ excusatio quoad citationem ad domum.

1. *sententia nulla executioni mandari non debet.*
2. 4. 5. *Contumax quando censeatur citatus ad domum.*
3. *Iudicis decretum ad iuris ordinem referri debet.*
6. *Citationis defectus ne quidem a Principe suppleri potest.*
7. *Mandati defectus annullat omnia.*

CONSILIVM LXXXVIII.

EXECVTIONI mandari non debet sententia, quæ nullitatis vitio infecta est, *Iason. in l. 4. §. condemnatum, in princ. & nu. 4. De re iudic.* quia sententiæ nomen non meretur; *d. §. condemnatum*, nec rei judicatæ, aut juris authoritatem habet, *Clem. Pastoralis, De re iudic.* Vsque adeò, ut si præcipitantius, aut temerè executioni mandata sit, retractari possit, *l. si cum nulla, De re iud. l. ult. C. si ex fals. instrum. Iason d nu. 4.* Cùm ergo sententia per venerabilem Dominum Officialem Cameracensem pro Ioanne Lamberti contra Arnoldum Moneum lata ipso jure sit nulla, ob defectum legitimæ citationis & idoneæ mandati, uti infrà deducetur; consequens est, quod post objectam nullitatis exceptionem executioni mandari non debeat. † Quamvis enim in actis
2 causæ contineatur relatio apparitoris, quòd citationem ad domum Arnoldi Antverpiæ fecerit; id tamen non sufficit: generaliter enim verum est, quòd citatio ad domum seu domicilium non valeat, nisi in subsidium, quando persona haberi non potest, *Gloss. in c. Causam quæ, De dolo & contum. Phil. Decius consil. 460. viso nu. 31.* si videlicet latitet, aut aliter se non permittat citari: idque cùm semel apprehensus seu citatus fuit, aut semel in judicio comparuit, & nullo relicto procuratore recessit, ac deinde ejus persona facilè reperiri nequit, *d. c. Causam.* Imò priusquam citatio ad domum fieri possit, & ibi facta sufficiat, necesse est, ut cum omni diligentia, & discussione quæratur persona, si in civitate, aut continentibus est, *l. 4. §. Prætor ait, & ibi Doct. De dam. infecto, Canonist. in c. final. De eo qui mitt. in poss. Bald. in l. vetustissimam C. De iure dom. impet.* Cùm ergo Arnoldus personaliter

prius

prius citatus non fuerit, neque constet de ulla diligentia inquisitionis personæ illius, vel quod ab oppido Antverpiensi absens fuerit, aut latitaverit; consequens est captiolam citationem, quam nuntius retulit se ad domum Arnoldi fecisse, in præsenti causa sufficere non posse; præsertim quod citando ad domum neque aliquem ex familiaribus admonuerit, neque breve, testatum, seu memoriam, aut copiam citationis ibi reliquerit, aut edictio affixerit, *Auth. Qui semel C. Quomodo & quando iudex sent. ferre deb. Bald. in l. Consentaneum in 2. notab. C. eod. & in l. Diffamari. C. De ingen. manumiss. Guido Pap. decis.* 445. quod tamen usus ac practica observat & requirit, *Pet. Rebuf. ad constit. reg. tit. De citationibus, art. 2. gloss.* 3.

Neque ad rem facit, quòd ex actis seu instrumento decretæ citationis appareat, nuntio seu apparitori à judice mandatum fuisse, quòd Arnoldus citaretur ad locum sui domicilij, ita ut nuntij factum & relatio reprehendi non possit, *l. Iustè l.* 3 *Pomponius, §. si iussu. De acq. possess.* † nam hoc decretum & commissio judicis ad juris intellectum referenda & reducenda sunt; hoc est sic intelligi debent, ut juris ordo semper servetur, *argum. eorum, quæ notant Doct. in l.* 1. C. *De his quibus ut indignis &c.* videlicet quòd executor primùm personaliter 4 faciat citationē. † quia uti datum citationis mandatum sonat, non debuit executor intimationem facere ad domicilium Arnoldi, sed Arnoldo ad ejus domicilium; sic ut evidenter ordinem juris & executionis ea verba contineant; ideoque debebat nuntius diligentiam prius fecisse, ut personā apprehenderet; quā factā, nec reperto Arnoldo, potuit ad domicilium exequi, & sic referre judici, *Bart. in d. §. prætor ait Phil. Decius consil* 449. *Visis duobus, nu.* 5. Vnde soli & nudæ relationi nuntij referenti se domi citasse, nisi etiam constet de prædicta diligentia, non statur nec valet citatio, *Alex. cons.* 137. *in causa & lite. vol.* 2. suspenso enim & plumbeo pede procedendum est adversus absentes, & quantum fieri potest contumaciæ præsumptio excludenda, *Bald. in l. Properandum. §. & siquidem C. De iudic.* Quibus hoc quoque pro nullitate dictæ citationis addendum, quòd idem nuntius in exequendo dictam intimationem à mandato judicis recesserit: non enim retulit se ad domicilium, sed ad domum Arnoldi fecisse intimationem; requirunt autem Doctores, *Bart. in l. Quod si dubitet, De acquir. hæred. Panor. in d. c. Causam, Alexan. cons.* 2. *nu.* 8. *vol.* 3. *Rebuf. loco supra citato, nu.* 23. quod nuntius referat se citasse ad locum solitæ habitationis seu domicilij; quid enim vetat eum, qui citari debuit, plures domos, & unicum tantùm domicilium seu habitationem habere? Atque ita multis modis invenitur esse nulla prætacta intimatio; ac verè dici potest, totam hanc litem coram dicto D. Officiali cœptam & peractam esse sine citatione: nihil enim interest, nulla intervenerit, an quæ facta est nulla sit, *l. Quoties, Qui satisd. cogantur.* sic quod prætacta sententia extremo vitio nullitatis laborans, executioni mitti non debeat etiam si formalis oppositio pro parte Ar- 6 noldi facta non fuisset: * tantum enim vitium est defectus citationis, ut nec, à Principe nec statuto suppleri possit, *Bal. in l.* 1. C. *Quomodo & quando &c. d. Clem. Pastoralis §. caterum, De sent. & re iudic. Decius cons.* 410. *In causa, nu.* 17. & inter alias nullitates sit potentissima, ob id, quòd naturalem defensionem quodammodò præripiat, *l. Defensionis facultas, & ibi Bart. C. De iure fisci lib.* 10. *l. Vnius §. cognituram De quæstion.* eoque respectu etiam à judice illius objectio suppleri possit, *l. si non defendantur De pœnis l. Ampliorem. C. De appel.* Quod nullitatis vitium non tollitur ex eo, quòd post prædictam nuntij relationem Cornelius de Vivere causam occupaverit, & petitionis copiam obtinuerit: nam de aliquo dicti Cornelij mandato seu procuratorio non constat, † de quo tamen constare ac liquere debebat, antequam judex eum admittere aut ob 7 aliquam ejus contumaciam Arnoldum excludere, aut ad sententiæ definitivæ pronuntiationem procedere potuit, *d. c. Causam Clem. causam & ibi Doct. De electione.* Cujus quidem mandati defectus non minus vitium ad annullandum omnia acta continet, quam defectus citationis. Quinimo defectus mandati censetur in suo ventre continere defectum citationis, quoad partem principalem, ideoque insanabilis dicitur, *Ioan. staphileus De signatura liter. iustitiæ §. postremò quoad hanc nu. 6. per c. In nostra, De procur. & l. Licet C. eod. tit.* sic quod pars sibi imputare debeat, quæ de mandato ante omnia non perquisivit; & similiter Iudex, qui non legitimavit personam, antequam inciperet processum, *l. Si quæramus, & ibi Castrens. De testam. gloss. l. Vt liberis, C. De collat. & in c.* 1. *in verb. absentia, De elect. lib.* 6. *Lud. Roman. cons.* 60. *in fine.* Qui mandati defectus ex ipsis actis satis elucet, eò quod ex ijs non constet de contrario; hoc est prætatum Cornelium mandatum ab Arnoldo in specie vel in genere habuisse *l. ult. & ibi Doct. C. De reb. credit. l. si binæ & ibi DD. De iniusto rupt. irrito facto testam.* Quare suspendenda omninò erit istius sententiæ executio, & ad novum judicium seu pleniorem cognitionem res tota reijcienda.

De dolo & contumacia.

SVMMARIVM.

Contumaciæ excusatio ob citationem nulliter factam.

1. *Citatio omissa vitiat acta.*
2. *Paria sunt nulliter quid agi, & non agi.*
3. *Citationis defectus probatur ex actorum inspectione.*
4. *Citatio lis principium.*
5. *Citationis modi plures.*
6. *Citatio peredictum quæ requirat, & ubi facienda.*
7. *Citatio ad testes specialis requiritur.*
8. *Citatio ad sententiam quamlibet requiritur.*
9. *Appellans potest à decreto congruæ portionis.*
10. *Congrua portio per quos præstari debeat.*

CONSILIVM LXXXIX.

PERINDE nulla, ut manifestè iniqua est sententia, quam Dominus Officialis Mechlinensis, ex conclusione seu resolutione Vicariatus Archiepiscopatus Mechliniensis in Oppido Bruxellensi pro rectore parochialis Ecclesiæ de Meldene hujus causæ appellato, contra Reverendos Dominos Decanum & Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Cameracensis appellantes pro-

tes pronunciavit: ut meritò tam ex capite nullitatis, quàm iniquitates, ea sententia in hoc appellationis judicio oppugnetur. Nullitas dictæ sententiæ sive decreti constituitur in eo, quòd in illa causa processum sit nullâ legitimâ citatione adver-
1 sus appellantes præcedente, † cujus omissio inficit totum processum, ita ut in nulla sui parte teneat adversus eum, qui citatus non est, *Baldus in Auth. Si omnes, C. si minor ab hæred. se abstineat nu.* 8. idéque non tantùm in causis, quæ ordinariam cognitionem requirunt, verùm etiam in summarijs & maximè favorabilibus, & in quibus ordo aut strepitus judicij non admittitur vel requiritur, *Clemen. Sæpe vers. citationem, De verb. signif.* quippe sine citatione adversus eum qui in suis defensionibus auditus non est, nihil statui, nihil pronunciari, ne quidèm per Pontificem aut Imperatorem potest, *c. 1. in fine, De caus. possess. & propriet. Clem. Pastoralis,*
2 *vers. cæterum defectus, De sentent. & re iudic.* * Porrò an nulla, an vero invalida citatio præcesserit nil interest; cum in omni juris parte, eodem loco sint ea, quæ acta non sunt, & ea quæ perperam seu vitiosè acta, *l. Quoties, Qui satisdic. cogan. l. Non putavit, §. non quæris, De bon. possess. contra tabulas*: ideoque nulliter citatus comparere non tenetur, *gloss. in c. De causis, in V. venire De off. iudicis deleg.* & ex citatione nulla non inducitur litispendentia, *Clem. fin. Ut lite pendente &c.* vel contumacia. *gloss. in d. V. venire* in summa citatio invalida nullum omninò producit juris effectum, *Matth. De Afflictis decis. 366. nu. 16.* Quod autem nulla adversus dictos Appellantes præcesserit legitima citatio, demonstrat actorum primæ instantiæ tenor, in quo non invenitur aut conspicitur aliqua citatio facta ad personas dicti Capituli, aut ad eorum Capitu-
3 lum: * eo enim ipso probatur, citationem non præcessisse, quod in actis illa (uti oportet *l. Quoniam contra, De probat.*) scripta non sit, *l. fin. & ibi Doct. C. Si cert. pet. Bald. in l. Absentem nu.* 3. *De accusat.* Ita ut hanc negativam, citationem non præcessisse, non sit necesse probare; sed eo ipso, quod de contrario, hoc est eam præcessisse non constat, præsumitur non præcessisse, *d. c. Quoniam contra.* Jam verò inspiciendo dicta acta, non invenitur omninò aliqua citatio; sed fit initium processus à commissione ad informationem per alium capiendam super bonis dictæ parochialis Ecclesiæ de Meldene, tam per testes, quàm alio modo: quale caulæ seu processus exordium vitiosissimum est,
4 Cùm omnium judiciorum principium sit citatio adversarij *§. omnium Inst. De pœna temerè litig.*; & vulgatissima regula juris vetet à testium productione initium litis fieri, *tit. Ut lite non contestata &c.* nam si citati fuissent Appellantes, poterant deputatum Commissarium ex justis fortè causis non admittere, aut aliàs hujusmodi petitioni contradicere. Quod sic in primo ingressu haustum nullitatis vitium, nullâ ratione absorbetur, purgatur per sequens dicti Vicariatus decretum, de vocandis & citandis in genere per affixionem mandati ad valvas prædictæ Ecclesiæ de Meldene, & publicam denunciationem in ambone tempore divinorum officiorum, omnibus & singulis, quorum interesse posset, & qui in canonicam portionem contribuere tenerentur; neque per illius decretiâ subdelegato commissario seu apparitore subsequenter factam executionem, ad videndum jurare testes, & exhiberi instrumenta coram eodem delegato Commissario: cùm ex adverso magis intendatur & augeatur quod ea in parte evidentissimum quoque conspicitur vitium citationis; quia scilicet illegitimè, & sic nulliter facta est per edictum publicum, & minimè personaliter, neque ad Ecclesiam ipsorum appellantium.

Quamvis enim citandi modi plures sint, perso- 5
nalis scilicet ad domum, per proclama, per edictum, *c. fin. De dolo & contumacia*, omnium tamen usus non est in libero arbitrio vel Iudicis, vel executoris seu apparitoris, aut partis citari procurantis; sed semper facienda est citatio ad personam, si illius copia haberi potest: sequentes enim species priorum sunt succedaneæ seu subrogatæ; ut scilicet ad eas decurrere non liceat, nisi cum vocationis ad personam potestas nulla est, *latè Marian. Socin. in tract. De citatione art. 18. n. 22.* ideoque cùm citationis ad domum, vel per edictum usus permittitur, in conditione apponitur, si Rei citandi copia non habeatur, *l. 1. §. permittitur. De lib. agnoscen. l. 4. §. Prætor ait, De damno infecto l. Aut qui aliter §. 1.* 6
Quod vi aut clam. * Usque adeò ut persona citanda cum diligentia requiri debeat, & si sine hujusmodi requisitione ad aliam speciem citationis ad domum, vel per edictum initium aut progressus fiat, nulla omninò reputari debeat citatio, *Pet. Anchoran. in Clem. Causam. vers. decimo not. De elect. sebast. Vantius in tract. De nullit. tit. De defectu citat. nu.* 123. Et sanè quod attinet ad formam citationis per edictum publicum, illius est angustior usus & tantùm in casibus à jure permissis, *Clemen. 1. De iudic.* tunc scilicet, cùm vel citandus incertus est, & nescitur, ubi sit vel agat; vel quando citandus facit, quò minùs ad illum citatio perveniri possit, *latè Felin. in c. Quoniam frequenter, §. porro. nu.* 14. *Ut lite non contest.* aut ad illum non est tutus accessus. Quorum nullum hîc intervenit: nam incertitudo personæ nulla hic occurrit; demonstrat enim id tenor sententiæ, de cujus nullitate & iniquitate hic agitur, quæ pronunciata est adversus dictos Appellantes. Ita ut quâ ratione contra ipsos nominatim de facto pronunciatum est, adversus eosdem de jure legitima quoque fieri potuerit citatio, & minimè adversus illos, tamquam incertos, processus inchoari aut perfici sub citatione tam incerta & generali, cujus notitia ad Appellantes nec pervenit, nec commodè pervenire potuit, tamquam factæ longissimè extra locum residentiæ Appellantium in parochiali quadam Ecclesia: cùm citationes quæ fiunt per edicta, deberent fieri vel ad Ecclesiam residentiæ citandi, vel saltem ad Cathedralem Ecclesiam, unde notitia factæ citationis facilius deferri possit ad citatum; quod sanè fieri non potest ex loco unius Ecclesiæ alicujus pagi, *latè Socin. in d. tract. de cit. art. 23. Bart. in constit. Ad reprimendum, in verb. per edictum.* Ita ut non sit dubitandum, quin affectata fuerit ista forma citationis; ut scilicet per illam notitia ad dictos Appellantes pervenire non posset, & adversus eos absentes tam ipsi Iudices, quàm Appellatus liberiùs quælibet statuere possent: nullaque sit dubitatio, quin quæcumque per dictum Commissarium sive

examinando testes, sive excipiendo instrumenta, sic acta fuerunt, acta sint ipso jure ex defectu legitimæ citationis nulla, ideoque valida aliqua sententia inde sequi non potuerit.

Quinimò etiamsi per dictum Commissarium hæc citatio omninò esset legitimè facta, illius tamen effectus non posset extendi ad istam postea latam sententiam: quippe ut citationis ejus decernendæ seu faciendæ, à dicto Vicariatu data cõmissio, omninò est restricta ac limitata ad capiendam solam informationem, & illam in scriptis redactam remittendam; ita quoque ipsum decretum citationis, ejusque executio restricta est ad videndum jurare testes, & exhiberi munimenta, ut tenor actorum demonstrat, ita ut ex limitato hujusmodi commissionis decretæ & executæ citationis tenore, limitatus effectus constitui debeat, *l. Cancellaverat, De his quæ in testam. delen. And. Tira quel. in tract. Cessante causa §. 1. num. 13.* * Atque ita, ut citatio ad totam causam non sufficit quoad productionem testium, sed quoad hanc requiritur alia specialis & nominatim facta, *c. 2. De testib. sebast. Vantius d. tit. de defect. citat. nu.* 45. ita ex adverso citatio ad testes vel instrumenta exhibenda multo minùs sufficit ad totam causam, sed intra cancellos suos concluditur; & effectum nullum habet extra actum productionis testium aut exhibitionis instrumentorum. Unde consequitur, quòd non tantùm principium hujus litis sit sine capite, hoc est citatione; sed etiam illius finis, hoc est, causæ cognitio & sententiæ pronunciatio: ad quam semper pars quæ procuratorem præsentem non habet, specialiter citanda est, sive sit sententia definitiva, sive interlocutoria, quæ præjudicium aliquod grave parti infert, *gloss. in d. Clemen. sepe, latè sebast. Vantius. in d. tit. de defectu citat. nu.* 56. qualis proculdubio est hæc quæ etiam provisionaliter Appellantibus imponit necessitatem supplendi congruam portionem. Ita ut manifestum sit, Appellantes planè indefensos, imò nec auditos, nec ad audiendum legitimè citatos condemnatos esse per dictam sententiam, & sic omninò nulliter ex defectu citationis. Neque enim minùs in sententia provisionali & præjudicali requiritur legitima citatio; cùm in his admittatur oppositio & contradictio, & sine illa nec liberis alimenta rectè decernantur, *l. Si quis à liberis De lib. agnoscen.* & ne decernantur oppositio fieri potest; præsertim ex ea causâ, quod is qui alimenta, & in proposito congruam portionem seu illius supplementum petit habeat aliunde, unde se congruenter alere possit *d. l. Si quis à liberis, §. sed si filius, & §. si vel parens.* † Unde etiam est, quod à sententia judicis decernentis congruam portionem, rectè possit appellari, quod non permitteretur si libera & per omnia laxata esset hæc judicis decernentis etiam provisionaliter potestas, *Pet. Rebuf. in tract. de congrua portione q. 8. nu.* 79. In summa eo loco est hæc sententia; ut nullo prætextu defendi possit à vitio evidentis nullitatis. Ultra quod ex actis satis quoque deprehenditur ejusdem sententiæ iniquitas; vel ex eo solo, quòd cùm constet decimas dictæ Ecclesiæ de Meldene in solidum non haberi aut possideri per Appellantes sed etiam per alios, ut Appellatus apertè fatetur, supplemento tamen hujus assertæ congruæ portionis soli Appellantes graventur; † cùm onus illius in defectu ex æquo & proportione & minimè in solidum pertineat ad illos, qui decimas seu bona Ecclesiæ possident, ut eleganter tradit Rebuffus, *in d. tract. De congrua portione q. 5. nu. 50.* 10

Nec hac in parte quicquam movere debet, quòd Appellatus dicit alias portiones decimarum ad laicos pertinere: nam, ut idem Rebuffus docet, *d. quæst. 5. in princ.* perinde ad hoc onus agnoscendum tenentur laici, si fortè vel ex privilegio, vel ex præscriptione decimas tenent, ut Ecclesiastici; quod & generalis Concilij Tridentini dispositio satis postulare videtur, *Sess. 24. De reform. cap. 13. §. in parochialibus.* Et quod Appellatus de patrono adfert, quasi is ex sententia dicti Rebuffi magis teneatur, non est accipiendum de nudo patrono, qui solùm jus collationis vel præsentationis habet, sed de eo patrono, qui Ecclesiæ bona quoque habet; & sic non tam ratione nudi patronatus, quàm possessionis bonorum; in quibus si etiam alij participes sunt, æquum est eos quoque teneri, & maximè laicos, ut idem Rebuffus tradit, *d. quæst. 5 num. 4.* Ex his satis constare arbitramur, præcipitatam hanc sententiam ex processu nullo, & sine justa cognitione latam, perinde nullam, ut iniquam esse; eandemque ob hoc esse omninò retractandam, partemque appellatam in expensis utriusque instantiæ condemnandam.

De Dilationibus.

SVMMARIVM.

Delatio deliberatoria.

1. *Contumacia Rei non comparentis quomodo coerceatur.*
2. *Præcipitatio inducit actorum nullitatem.*
3. *Præcipitatio noverca est justitiæ.*
4. *Præcipitata sententia licet possit esse justa, nulla tamen est.*
5. *Præcipitationem arguit temporis brevitas.*
6. *Appellari posse à sententia, quæ nulla est.*
7. *Dilatio deliberatoria Reo petenti denegari non potest.*
8. *Appellare licet à denegatione dilationis.*
9. *Procurator sine mandato comparens quando admitti debeat.*
10. *Contumax non est, qui per alium, licet sine mandato, comparet.*
11. *Personis egregijs pleraque concedi, quæ aljis non permittuntur.*
12. *Contumax nemo ex una citatione efficitur.*
13. *Pia causa quomodo summarie sine petitione expediatur.*
14. *Sententia sine probationibus an sit nulla vel iniqua.*
15. *Præceptum solvendi an pro sententia sit.*
16. *Comminatio Inducis an sit sententia.*
17. *Sententia in absentia Rei lata an sit nulla.*
18. *Litis contestatio quando sit necessaria in causa appellationis.*
19. *Judex bonus excandescere non debet.*
20. *Appellans à decreto non tenetur in causa principali, omisso articulo gravaminis, procedere.*

CONSI-

CONSILIVM XC.

AD decisionem altercationis, quæ per contrarias procuratorum petitiones mota est, in causa appellationis pro parte Domini Cornelij Goudani originalis Rei, nunc Appellantis, & Promotoris fiscalis originalis Actoris nunc Appellati, de & super eo, an ad litis contestationem in hac nullitatis & appellationis causa sit progrediendum, & Appellanti concedendi termini probandi negata, quæ ex facto pro justificatione appellationis suæ proposuit, (ut Appellantis procurator contendit;) an verò omisso articulo gravaminis, sit procedendum super negotio principali (uti Appellatus sustinet) magno labore scribendi, opus non est; neque eo me pejs Appellantem deduci passus fuissem, si non id se vereri dixisset, ne ex male informata conscientia, qui inter Venerabiles Dominos quinque Iudices juris & praxis forensis periti non sunt, ex motu animi sui (quam conscientiam vocant, quique motus sub colore æqui & boni sæpe fallit & fallitur, *l. Si servum §. sequitur De verb. oblig.*) à vero juris tramite abducantur, sibique persuadeant, ex re & materia ipsa minus justam & probabilem esse Appellantis appellationem; quatenus per illam incumbere videatur studio vel effugiendi vel differendi redditionem rationum administratæ per ipsum curationis; ad quam suo tempore reddendam omni jure Appellans tenetur, nec ille se non teneri nunc vel umquam antea contendit: eâque persuasione imbuti de causa Appellantis, quoad principale male sentientes, & pius æquo æstimationi illius, qui decretum à quo appellatum est, tulit, attribuentes, aliter in hac causa appellationis statuant; licet forte bono, non tamen discreto zelo, quem jus & ratio postulant. Licet enim credendum sit in dubio, quòd vir bonus bene judicet, & sine causa non condemnet aliquem; non est tamen illi permittendum à juris tramite deviare; ut scribit Baldus, *cons.* 278. *Punctus quæstionem vol. l. 3.*

In appellationis causa non hoc principaliter quæritur, an Appellans ad rationes reddendas teneatur? Id enim in hoc statu causæ præmaturum est; nec si quæri posset, Appellans præfracte controversiam faceret: sed de eo agitur & quæritur, anne Appellans justam appellandi causam habuerit ab eo decreto, quo in primo citationis termino seu die ad primam appellati, propositione (quâ petijt sub pœna decem florenorum Reo mandari, ut intra primam diem juridicam rationes, computum, & calculum suæ administrationis redderet) stante pede, velo levato, præcipitatâ, imò non adhibitâ cognitione, nec exquisito sui Assessoris consilio, decrevit inter octo dies proximos sub dicta pœna per Appellantem id faciendum esse. Quamvis autem status causæ definitionem illius nondum requirat, imò non patiatur, ad justificationem tamen & evidentem probabilitatem hujus altercationis, quatenus illa pro parte Appellantis mota est in utroque articulo; & quoad rejectionem petitionis partis Appellatæ de procedendo in causa principali, omisso articulo gravaminis; & quoad admissionem petitionis Appellantis de lite contestanda & terminis probandi concedentis; pro instructione venerabilium Dominorum Iudicum, dicti decreti evidentem nullitatem, & cessante nullitate iniquitatem, & interpositæ ab eo appellationis justitiam, ob oculos ponemus; ut eo facto evidentiùs deprehendatur probabilitas & justitia dictæ altercationis ex parte Appellantis, quòd debeat ad litis contestationem & terminos probandi fieri progressus.

Hoc autem inprimis observandum, ad hanc litem, quas in effectu factas esse ad personam Appellantis citationes, & utramque qu dem informem esse, hoc est simplicem, viva voce Bedelli, sine literis sive breviculo seu memoriali continente causam, cur seu ad quid Appellans in jus vocabatur factam. Prioris autem hujus citationis nulla ratio hic habenda, quòd non constet Appellantem ad illam comparuisse, vel post illam ulteriùs ad alias citationes processum; aut primam factam fuisse cum decreto peremptorio; uti oporteret ad effectum Reum constituendi in plena contumacia, *l. Ad peremptorium cum 5. leg. seqq. De iudic.* sed ex adverso constet primam illam citationem in effectu circumductam fuisse, per hoc, quòd causa illa ad quam (quæ autem illa fuerit ex actis non constat.) Appellans tunc citatus fuerat ad unum mensem Appellante non petente, sed absente, continuaverit: eo enim ipso dicta instantia finita fuit, *l. Et post edictum §. circumducto ff. De iudicijs*, & ob id in hac causa illius consideratio haberi non debet. Prout nec appellatus ipse habuit; qui non statim a lapso dicto continuationis mense, sed tribus septimanis expost curavit Reum de novo in jus vocari, idque non pro secundo, sub commemoratione prioris, ut solet fieri Reo ad primam citationem non comparente, *d. l. Ad peremptorium*, sed pro primo seu simpliciter, non facta mentione alicujus præcedentis citationis.

Quod refricamus ad manifestius demonstrandum, quanta præcipitatione ad decretum illud, à quo appellatum est, in ipso relatæ citationis termino sit processum, non tantùm μονομερῶς hoc est altera tantùm parte auditâ (quod cessante contumaciâ Rei, judici non permittitur, nisi propter contumaciam Rei se absentantis à judicio post litem contestatam, *l. Properandum*, §. *sin autem reus*, C. *De iudicijs*, nam ante litem contestatam si Reus contumaciter non compareat, non potest procedi ad sententiam definitivam, † sed alijs juris remedijs contumacia Rei coërcetur, per primum & secundum decretum, per missionem in bonorum possessionem, per communicationem, *c. Quoniam frequenter §. si autem super personali, Vt lite non contestatâ &c. Authent. Et qui iurat.* C. *De bon. auth. iud. possiden.* aut pœnam pecuniariam, *l. 1.* C. *Si quis ius dicer. non obtemp.*) sed etiam μονομερῶς, hoc est unâ die, adeoque etiam in una hora, qua hæc lis coram eo introducta, Actoris petitio proposita, & decretum condemnatorium latum fuit: † quod non tantùm justitiæ, *Stephanus Bertrandus cons.* 102. *Ex processu nu.* 21. *vol.* 8. sed etiam juris ordini repugnat, omniumque actorum nullitatem inducit, & sententiæ sic prolatæ rei judicatæ authoritatem detrahit, *l. Prolatam* C. *De sentent. & interloc. omnium iudic.*

Nam nec Papa hoc sibi arrogat, ut contra non auditam partem aliquid statuere vel definire possit, *c. 1. de caus. poss. propriet.* * ut meritò Pontifex, *in Clemen. Pastoralis, §. verum De re iudicata*, præcipitationem judicis in judicio dicat esse novercam justitiæ. Vt enim noverca privignis plerumque est injusta, & in non auditos desævit; ita quoque præcipitata voluntas judicis versatur in definiendis judicij controversijs, *Gloss. in d. §. verum, in V. noverca, & ibi Zabarella nu.* 1. ideoque hujusmodi in præcipitatione latam sententiam Dominicus Geminianus, *in c. Ponderet* 50. *Distinct.* vocat fulminatoriam, quasi non aliter quàm fulmen in præcipiti tonitru percellat, seu fulgur de cœlo descendens, *Bertrand. d. cons.* 102. *nu.* 21. * Vsque adeò ut decretum judicis sic præcipitanter latum, nullo jure subsistat, sed undique sit nullum, etiamsi quoad justitiam esset bene latum, ut tradit Bartolus, *in l. Is apud quem nu.* 5. C. *De edendo, & in d. l. Prolatam*: adeò ut præcipitatio excludat causæ cognitionem, sine qua nemo in judicio condemnari potest, *l. Ex stipulatione, & ibi Bart.* C. *De senten. latè sebastian. Vantius in tract. de nullit. tit. de nullit. sent. ex defect. proceſſ. nu.* 30.

Præcipitationem autem hanc apertè detegit temporis brevitas, quâ non potest esse major, quàm quæ est unius, vel mediæ horæ; cùm alij præcipitationem constituant etiam in judice, qui de manè ei allato processu, de sero aut etiam altera, vel paucis aliquot diebus ex post sententiam dicit, *Bart. in d. l. Prolatam nu.* 10. *Felin. in c. Quoniam contra falsam nu.* 33. *De probat.* Vnde est quod Innocentius Papa Tertius, *in c. Cùm ex litera De integ. restit.* sententiam Eugenij Papæ prædecessoris sui reprehendat, quòd fuerit lata in primo mense sui Pontificatus, & sic intra illum non præsumatur de meritis causæ plenè instructus pronuntiasse: ut dubitare non oportet, quin verè nulla sit sententia, quæ eodem instanti seu eâdem horâ, quâ quis ab adversa parte petitur, à judice fertur super eo quod petitur, idque perinde in sententia interlocutoria projudiciali, ut in sententia definitiva: quia scilicet tunc non præsumitur processisse cum causæ cognitione, ut elegantur respondit Alexander, *cons.* 33. *Viso themate nu. 6. vol.* 1. Quod dubitationem non habet tunc, cùm constat judicem calore iracundiæ, excandescente animo, subitò ad sententiæ seu decreti pronuntiationem prosilijsse: neque enim constantis & recti judicis est, cujus animi motum, excandescens & in ruborem profusus vultus detegit, *l. Observandum De off. præsidis*: quod dum fit, non ratio, sed furor rem peragit, *c. Illa præpositorum, c. Ira, c. Summopere* XI. *& cons.* 324. *q.* 3. *Stephan. Bertrand. cons.* 156. *sententia quam n.* 4. *pro facilitore, num.* 3. *vol.* 4. patienter enim debet judex præsertim Reum audire; cum judicis in adeundo & deliberatione permittenda patientia, magna pars sit justitiæ, quam ob id judex suæ religioni in cognoscendo & judicando velut sal admiscere debet, *Plinius lib. 6. epistolar. epist. 2. ad Arrianum.* Verum quidem est jurgantium controversias celeri sententiâ terminari & æquitati & rigori congruere, *cap. 2. De re iudicat.* sed id omnes cum temperamento intelligunt, ne fiat nimiâ festinatione, antequam judex possit esse instructus, *Gloss. in d. c. 2.* hujuscemodi enim festinatio supplantat causæ cognitionem, & , ut est in proverbio, cæcos parit catulos; operaturque non tantum injustitiam, sed etiam evidentem nullitatem, *Ioan. de Imola in d. cap. Pastoralis. num.* 18.

Cùm igitur ex lectione actorum primæ instantiæ, quæ in effectu non constant nisi ex unico actu, seu ut dicunt termino, evidenter pateat Apellantem condemnatum fuisse sententia seu decreto pœnali ad reddendum rationes intra octo dies illo eodem instanti, quo Appellatus proponendo suam actionem, ad quam fecerat Appellantem in jus vocati, petijt Appellantem ad hoc condemnari, nulla est dubitatio quin illa sententia sit nulla, atque etiam iniqua, quodque adversus illam querela nullitatis proponi, atque etiam ab ea appellatio interponi potuerit, idque vel conjunctim vel disjunctim seu subordinatè, *Gloss. 2. sub fin.* C. *Quando provoc. non est necesse*; ut in hac causa factum est: † cùm alioqui etiam sola appellatio sufficeret ad obtinendam emendationem sententiæ, quæ de nullitate redargui potest, *l. si expressius, De appellat. l. Cornelia De iure patron. Innoc. in c. Dilecto, num.* 1. *De appellat.* cùm omnis nullitas contineat injustitiam, nec major sit ulla injustitia, quàm quæ ex nullitate actorum seu sententiæ consurgit, *Innoc. in d. c. Dilecto, nu.* 2. *Bellamera decis.* 343. *in fine.*

In proposito autem hanc nullitatem & injustitiam auget alia consideratio, quòd non tantùm lata sit festinanter, sed etiam denegatâ parti Reæ audientiâ, ob id, quòd procuratori appellantis ad causam comparenti, & post propositam ab Appellato prædictam petitionem petenti copiam hujuscemodi petitionis, & terminum deliberandi non longum aut frustratorium, sed brevissimum ad primam diem juridicam, judex procedendo ad ulteriora, hoc est dicti decreti pronuntiationem, eundem terminum denegaverit: † cùm juris dispositio manifestissima sit, quòd Reo in jus vocato per se aut procuratorem suum comparenti non tantùm debeat porrigi seu edi libellus per exhibitionem copiæ ejusdem (prout Dominus judex dicto procuratori copiam dandam decreverat) Sed etiam dandas illi esse inducias vigiti, aut saltem pro qualitate causæ, personarum, & locorum, paucorum aliquot dierum ad deliberandum, an Reus liti cedere, an judicio contendere velit, *Authent. Offeratur, C. De litis contest. cap. Inducia 2. §. offeratur 3. q.* 3. Vsque adeò ut ulterius ad contestationem litis progredi Reus non cogatur, & si processum sit de facto, litis contestatio sit nulla, *d. Auth. Offeratur C. De lit. contest. Ioan. de Anania in cap. 2. De dilationib. num.* 3. multò magis sit nulla sententia post hanc denegationem lata: cùm regula juris notissima sit, ante litis contestationem ad sententiam diffinitivam procedi non posse, *toto tit. Vt lite non contestata &c.* Et licet in summarijs causis (quales plerique volunt esse omnes, quæ coram Domino Rectore aguntur, ob id, quòd illi sit data potestas summariè, sine magna juris solennitate jus dicendi) litis contestatio non sit necessaria,

necessaria, & in illis amputari debeat dilationum materia, *Clem. sæpè De verb. signif.* non est tamen Reo sua defensio deneganda, nec inauditâ parte ad nudam Actoris petitionem sententia ferenda, *d. Clement. sæpè §. non sic tamen.* Amputare, hoc est, circumcidere & restringere frustratorias, longas, & multiplices dilationes permissum quidem est, sed non perinde nullas concedere: saltem non licet omninò denegare illam primam, quam lex tam Canonica, *c. 2. De dilation. d. §. feratur* 3. *q.* 3. quàm civilis, *d. Authent. Offeratur*, post editum libellum, sive in scriptis ille edatur, sive vivâ voce proponatur, omnibus Reis concedi voluit ad deliberandum, an liti cedere, an contendere velint, & ad proponendas suas exceptiones sive dilatorias sive peremptorias. Etsi enim plerique existiment, quod aliæ dilationes, quæ multiplices in causam venire possunt; veluti ad instrumenta exhibenda, ad testes producendum, & alia pleraque similia, non sint de substantia ordinis judiciarij, ideoque propter illas à judice vel omissas vel denegatas non inducatur actorum nullitas, sed dumtaxat superstit remedium appellationis ab illarum vel expressa, vel tacitâ per processum ad ulteriora denegatione, aut nimis brevi illarum assignatione, sive pars dilationem petat, sive non, *c. 1. De dilat.* hæc tamen prima dilatio, quam jus tribuit & tempore definito circumscribit, est omninò necessaria, & de substantiali forma judicij; tunc saltem quando à parte citata formaliter petitur (ut contingit in hac causa) sic ut nec tacitè nec expressè negari, imò nimiùm restringi seu abbreviari non possit: idque non tantum in ordinarijs, sed etiam summarijs judicijs, ex aperta sententia Glossæ, *in d. Clem. sæpe, in verbo, litiscontestationem, & in c. uxor felicis* 17. *q.* 4. *in verb. imputet.* quam approbant Ioannes de Imola, *in d. c. sæpe nu.* 24. & Ioannes de Anania, *in c. Dilectus; De procuratoribus, num.* 2. qui dicit id communiter servari. Et quamvis Archidiaconus *in d. c. Vxor felicis.* de eo dubitare videatur, & cum eo quidam alij (quos refert Sebastianus Vantius *in d. tractat. De nullitat. tit. De null. sent. ex defectu processus, nu.* 42.) numero tamen pauciores, in hoc inclinent, ut nec ista deliberatoria dilatio sit de
8 forma & substantia judicij; † in eo tamen ad unum omnes conveniunt quòd judex denegando hanc dilationem, injustè agat, & petentem gravet; cui ob id ab hujusmodi rejectione tacita vel expressa permittunt ad superiorem appellare, *Vantius d. n.* 42. Atque ita in proposito cessante consideratione objectæ nullitatis, manet semper justitia appellationis, per quam talis cœca & tam præcipitanter lata sententia omninò rescindi debet. Ad quam justitiam appellationis avertendam nihil facit quod procurator appellati obliquè objicit per Appellantem non fuisse petitam hanc deliberatoriam dilationem; ex eo quod appellans ad causam citatus, ipse non comparuit, & ille qui nomine ipsius comparendo, hanc deliberatoriam dilationem petijt, non fuerit appellantis procurator, saltem tunc non constitit illum talem fuisse, aut mandatum ab appellante habuisse: nam hoc ex actis manifestum est dictum procuratorem nomine appellantis comparuisse, & hanc dilationem petijsse; constat quoque eidem procuratori sic comparenti exceptionem procuratoriam objectam non fuisse; imò ex adverso constat, quod pro tali non tantum per appellatum sed etiam per judicem admissus fuerit, per hoc quod petenti copiam summariæ petitionis, illa ei concessa sit. Cùm ergò sic in ea qualitate admissus fuerit, consequens quoque erat quod eo nomine petenti dilationem deliberatoriam, illa concedi debuerit. * Nam & procuratori etiam generali, non specialiter ad litem dato, petenti 9
hanc dilationem omninò concedenda est; & si judex illam deneget, permittitur procuratori, atque etiam domino litis, ab hujusmodi denegatione ad superiorem appellare; ut expressè jure cautum est, *in c. Dilectus de procurator.* De quo in proposito minus dubitandum, propter sequutam appellantis ratihabitionem, quam fecit statim postquam intellexit hoc decretum contra se latum fuisse: quæ ratihabitio supplet defectum mandati, si quis prius fuit, *l. Licet, de iudic. l.* 3. *§. fassus. ff. rem rat. hab.* etiam post latam sententiam, *gloss. in l. si mater. §. hoc iure, in verb. deducit, De except. rei iudic. & ibi Bart. Castr. & alij qui etiam in l. si tutor. C. in quib. caus. in integr. restit. non est nec, Stephan. Aufrerius decis. Tholos.* 271. Quod tunc dubitationem non habet, quando procuratorio nomine cõparenti, per partẽ adversã non fuit objecta exceptio deficientis mandati: eo enim casu in culpa magis est pars adversa, quæ sic comparentem admittit, *Angelus in d. l. Licet, n.* 3. potissimùm in eo procuratore qui velut publicam personam sustinet, & ex decreto & constitutione Vniversitatis, officium procurationis pro quocumque ejus operam requirente exercet, & sic non improbabiliter pro alio comparet etiam sine mandato; quod plerumque primum exigere & proferre solent post propositam à parte adversa petitionem. Semel itaque admissum fuisse dictum procuratorem appellantis sufficit; eo enim ipso constitutus fuit, velut in quasi possessione procurationis, ut eleganter ex sententia Saliceti, *in l. Licet C. De procur.* deducit Marcus Antonius Natta *cons.* 142. *omisso multiloquio n.* 8. quæ quasi possessio transit in plenam & perfectam per sequentem ratihabitionem, *d. l. Licet, & ibi Gloss. & Doct.* Proinde nec attendi hic debet quod alias adversus Reum non comparentem tanquam contumacem durius aliquid statui, imò contumax damno litis coerceri possit, *l. Contumacia, De reiud. l. Et post edictum §. fin. De iud.* † nam non potest dici contumax 10
qui per alium comparet, seu alium pro se comparentem etiam sine mandato habet, quamdiu ille exceptione non repellitur; cùm nihil interfit quis per se, an per alium facit, *t. Qui facit, De reg. iur. lib.* 6. & quod quisque per se potest, possit quoque per alium, *c. Potest quis De reg. iur. lib.* 6. Plusquam manifestum autem est in civili causa quemque & agere & defendere in judicio posse: ad voluntatem enim, non ad necessitatem pertinet, an quis per se an per alium judicia experiatur activè & passivè, *l.* 1. *§. usus, & ibi gloss. ff. de procurat.*

† Quod maximè tam egregiè & notabili per- 11
sonæ, qualis est appellans permitti debuit: cum egregijs personis multa concedantur, quæ vulgaribus denegata sunt, *l. Ad personas egregias, ff. de iureiur.* & inter alia hoc specialiter, quod quo casu ex jure propter singularem aliquam

rationem quis per procuratorem agere aut defendere non potest, possit tamen si egregia sit persona, *l. ult. C. De iniur.* Sed etsi nemo pro appellante comparuisset, aut dictus procurator pro eo comparens admissus non fuisset (prout in hac parte omninò admissus fuit) nihilo magis appellans posset
12 dici contumax: † nemo enim in contumacia constituitur per unicam citationem, sed opus est ut minimùm tribus, aut una cum insertione peremptorij edicti pro tribus, *d. l. Et post edictum, cum quinque seq. glos. in verb. tot scriptis in c. Honoratus 74. dist. mct.* quibus intervenientibus etsi ob contumaciam procedi possit adversus Reum per missionem in bona aut excommunicationem; non tamen ad condemnationem, *d. c. Quoniam frequenter. §. si autem super. l. Consentaneum, C. Quomodo & quando.* ut in specie cum hac de qua hic agitur omninò simili, imò velut in individuo eadem de eo qui ad reddendas rationes administrationis judicio conventus contumax est, extat Imperatorum rescriptum, *in l. cum proponas. C. De bon. auth. iud. poss.* Quinimò adversus Reum etiam verè contumacem, in pœnam contumaciæ nihil statuere potest judex, nisi pro altera parte litigantium accusata, & per judicem declarata sit non comparentis contumacia, *Bar. in d. l. Consentaneum nu.* 18. quod in hac causa factum non esse satis constat ex lectione actorum.

13 Qua in parte nihil in contrarium facit quòd appellatus urgere videtur, in hac lite agi de pia causa; qualis est executio testamenti, præsertim quo pia legata continentur, *l. Si quis ad declinandum C. De Episc. & cleric.* quasi scilicet in eo genere causæ judici plus permittatur, & inter alia quod nemine etiam petente officium suum impertiri possit, & in causa summariè & de plano procedere, *And. Tiraquel. in tract. De pia causa privileg. 152. & 157.* nam ut hoc concedatur, hanc causam piam esse (quod tamen absolutè verum non est quoad obligationem quâ executor testamenti tenetur ad rationes reddendas) nihil tamen magis potuit vel debuit Dominus judex dicto appellanti seu pro eo comparenti procuratori hunc deliberandi terminum negare; multo minus contra non auditum stante pede præcipitanter sententiam condemnatoriam ferre. Etsi enim piæ causæ summariam habeant cognitionem; ita tamen summariæ non sunt, ut substantialia judicij in illis observari non debeant, *Ba. & alij in l. 1. solut. matr. Tiraq. d. privil.* 157. ut generaliter constitutum est in omnibus summarijs causis, *D. Clement. sæpè. §. non sic tamen.* inter quæ substantialia diximus esse hujus deliberatoriæ dilationis cùm petitur concessionem; & omnium judiciorum quantumvis privilegiatorum hæc est communis cum cæteris ordinarijs natura & conditio, quod nemo nisi auditus condemnari possit, *d. c. 1. De caus. poss. & propriet.* Quomodo autem Reus auditus dici potest in eo judicio, in quo inter petitionem Actoris & sententiam judicis nullum est temporis intervallum, & in quo Reo non indulgetur ut aliquid proponat, nec an proponere velit, requiritur? nimis properè processit Dominus judex, qui ad solam actionem propositam, causâ non cognitâ, sententiam dedit, *l. Nimis propere, qua est 1. C. De exec. rei iudic.* per quam appellantem nec confessum, nec ullo genere probationis convictum condemnavit, *l. ult. C. De execut. rei iudicat.* In quo ut extrema est nullitas, ita quoque summa est iniquitas:

† sententia enim sine probationibus, etsi inter- 14
dum nulla non sit, semper tamen iniqua est, *Bal. in d. l. Prelatam nu. 5. Philippus Decius cons. 295. in causa istorum, nu.* 2. quod in proposito ad justificandam dictam appellantis appellationem sufficit. Quod verum & manifestum esse animadvertens appellatus in eo tandem laborat, ut demonstret hoc decretum, à quo appellatum est, non esse sententiam, sed vel interlocutionem tantùm, à qua ut nec jure communi, *l. Ante, C. quor. appell. non recip.* ita nec per statuta appellare licet; vel solam monitionem, vim & effectum rei judicatæ non habentem, *l. 1. & 2. C. Comminat. epist. Epigram.* & quæ ex oppositione partis resolvitur in simplicem citationem. Verùm quod ad prius illud attinet, non potest pro interlocutione accipi, quod definitionem & decisionem totius causæ continet, & post quod non expectatur alia sententia definitiva, *glos. in Clemen. 1. De sequestra poss. in verb. Definitiva. Alex. consil. 72. in causa & lite vertente, nu. 1. vol. 7.* quæque condemnationem Rei vel ex forma verborum, vel in effectu continet. Iam verò res subjecta satis demonstrat, quòd in hac causa adversus Reum etiam post ordinariam & debitam ejus prosecutionem concessis inducijs deliberatorijs, lite contestatâ, & adhibitâ plena cognitione, alia sententia proferri non potuerit quàm quâ appellanti mandaretur rationes reddere administratæ executionis seu curationis: prout etiam appellatus apertè declaravit ad suum officium pertinere executores ultimarum voluntatum cogere ad redditionem rationum. Cùm itaque idem appellatus summariè proponendo suam actionem, aliud præsente dicto appellantis procuratore non petierit, nec ad aliud concluserit, quàm appellanti sub pœna præcipi, ut rationes redderet intra primam diem juridicam, & Dominus judex hujusmodi petitioni se conformando, ita faciendum esse decreverit; non potest non dici sententiam definitivam pronuntiasse, peccantem nedum in forma, quia de scripti pronuntiatione lata non est, ut jus requirit, *l. 1. C. De sent. ex brevi. recit. c. ult. De re iudic. lib. 6.* etiam in summarijs causis, *d. Clement. sæpè, §. sententiam, steph. Bertrand. d. consilio 156. sententia quam contra vol. 4.* sed & effectum condemnationis omninò continentem, post quam dictus appellatus, etiamsi decem annis litigasset aliam sententiam adversus appellantem nec petere nec expectare in hac causa debuisset aut potuisset, sed dumtaxat hujusmodi judicati seu condemnati executionem.

Et quamvis ex forma verborum præceptum 15
solvendi, quo Reo convento confitenti per judicem fit, non videatur propriè esse sententia, quia in confessum non datur judex judicandæ seu æstimandæ, sed exequendæ *l. Proinde §. Notandum ad. leg. Aquil.* cùm confessus pro judicato sit *l. 1. l. Iulianus, De confessis.* ut eo casu præceptum faciendi (quod accedit confessioni, in qua latet vis condemnationis) formam interlocutionis habere videatur, *Alex. cons. 134. super præmisso, nu. 2. vol. 7.* juris tamen potestate est sententia definitiva; quia damnationem seu damnationis declarationem continet *l. præses, C. De senten. glos. in d. §. Notandum in verb.*

sed æsti-

sed æstimandæ. Petr. Anchar. cons. 234. *casus talis nu.* 3. Sanè in non confessum (ut est in proposito) hujusmodi præceptum, ut non est necessarium ad aliud; ita per se nihil aliud est nisi condemnatio & sententiæ definitivæ in aspectu plenissimam potestatem habet, quia litis decisivum est: proinde cessante hujus decreti præceptivi nullitate, rectè ab eo appellari potuit, imò appellari necessum fuit ad effectum impediendi, ne transiret in rem judicatam *l. aut prætor §. permittitur De minorib. Bal. cons.* 512. *factum tale est. vol.* 5. ut generaliter ab omnibus etiam interlocutorijs sententijs vim sententiæ definitivæ habentibus, appellare licet, non tantùm ex juris communis dispositione *l.* 1. §. *quæsitum, De appellat. Bart. in l. ante. ff. De appellat. recip.* sed etiam per aperta verba dictorum statutorum *Articulo* 15. *sub tit. De off. & iurisd. Rectoris.* quæ vis rei judicatæ non tantùm est in dicto condemnatorio præcepto, sed etiam in dicta tacita denegatione petitæ dilationis deliberatoriæ per processum ad ulteriora. Quoad posterius quod hujusmodi præceptum pro monitione seu comminatione tantùm sit, & sic pro sententia non sit, nimiam habet
16 verborum & rei contorsionem. * Etsi enim judicis apud acta signata interlocutio, aut vivæ vocis extrajudicialis pronuntiatio de aliquo faciendo intra certum diem sub pœna, non sit sententia, sed dumtaxat pro comminatione, quæ rei judicatæ authoritatem non habet *l.* 1. *l. interlocutio. C. commin. epist. Paulus Castr. consil.* 99. *quia per suprascriptos nu.* 1. *vol* 1. ut nihil necesse sit ab ea appellare, cùm nudâ oppositione eius effectus vel impediatur vel suspendatur: præceptum tamen solvendi quod per judicem per modum decreti, & per causæ cognitionem judicialiter fit, etiam in summario judicio, non ante, sed post litis ingressum post propositam ab Actore actionem seu petitionem, Reo seu alio pro eo comparente, præsente, si non est inserta clausula justificatoria, *stephanus Bertran. cons.* 28. & 61. *volum.* 1. *parte* 1. & *cons* 16. *parte* 2. pro nuda monitione esse non potest, sed pro plena condemnatione, *Baldus ad Rubr. C. commun. epist. & ibi Ioann. Fabri, Castr. consil.* 113 *in causa, vol.* 1. ut etiam jussus judicis, cui per comminationem seu comminatoria verba, si fiat per formam decreti cognitionaliter in judicio, pro monitione non est, sed pro sententia *l. tutor qui repetitorium §. si deponi D. De administra. tut.* Cùm igitur appellatus, apellante citato & pro eo procuratore in ordinario judicij die comparente & admisso, petitionem suam contra appellantem formaliter proposuerit ad finem decreti & condemnationis, præfatusque Dominus judex partibus altercantibus pro tribunali sedens dictæ petitioni se conformando, eidem petitioni per omnia conforme decretum tulerit; dubium non est quin per hoc condemnare, non monere, voluerit. Proinde nihil momenti habet quod ex parte appellati ulterius proponitur hoc decretum non fuisse appellanti insinuatum, ipsumque ob id ante illius insinuationem non fuisse eo constrictum; quasi appellans eo uti non potuerit; ut nec cogitur quamcunque impetratam citationem executioni mandare si nolit, *c. si autem. De rescrip.* & mandatam deferere possit per non comparitionem, patiendo id per judicem circumduci, *d. l. & post edictum. §.* 1. D. *De*

iudic. imò etiam illius executione factâ, appellans potuerit hujusmodi comminatorij præcepti effectum non appellando, sed comparendo & opponendo evitare, & efficere quòd resolveretur in simplicem citationem: nam non potest id obtinere, ex quo, ut diximus, hoc decretum judicialiter Appellante per procuratorem suum præsente latum, vim sententiæ definitivæ habeat; quod ob id, appellatione non interposità, irrevocabiliter transisset in rem judicatam, etiamsi latum fuisset in plena appellantis absentia, hoc est, nec ipso nec alio ejus nomine præsente postquam personaliter ad causam citatus fuit. * Hæc enim sunt legis 17
aperta verba, *in l. Ab eo. C. Quomodo & quando iud.* quod *ab eo iudicato recedi non possit, quod absentibus & ignorantibus atque indefensis* (citatis tamen rectè interpretatur Baldus, *in d. l. Ab eo in princ.*) *prolatum est: si ubi primùm cognoverunt, non illico de statutis querelam detulerunt*; hoc est, ut interpretantur omnes, si ab eo non appellaverunt. Ita quod in proposito sufficiat hoc decretum ad notitiam Appellantis quoquo modo venisse, etiamsi pro parte Appellati ei id nuntiatum aut intimatum non sit: non enim exspectare debebat appellans donec appellatus id ei nuntiaret; qui id fortè facturus non erat, nisi post lapsum tempus, intra quod appellare oportuit: ad quod periculum evitandum, consultius fuit appellare; prout tertiâ die à lato hoc decreto per legitimè constitutum procuratorem in præsentia D. Iudicis in scriptis appellauit; & judex ipse appellationem admisit, quam admissurus non fuisset, si hoc ubi vel ipse, vel ejus Assessor, quem pro admissione hujus appellationis consuluit, persuadere potuisset, hujusmodi decretũ non habere vim sententię, illiusque revocandi potestatem eum habere, *Bald. cons.* 201. *Punctus vol.* 5. Poterat enim eo præsupposito, unico verbo effectum hujus appellationis eludere, declarando non esse decretum condemnatorium, sed tantùm comminationem seu monitionem resolubilem in simplicem citationem, reponendo appellantem adversus gravamen illarum per tacitam rejectionem petiti termini deliberatorij: id enim boni judicis officium est, frustratorijs frivolisque appellantium appellationibus minimè deferre, *c. Cum appelationibus De appellat. lib.* 6. & cùm justa est à decreto interlocutorio interposita appellatio, decretum potius revocare, & appellantem adversus illud reponere; cùm ejus faciendi potestatem à jure habeat, *l. Quodiussit De re iud.* Sed etsi hoc decretum pro comminatione aut monitorio præcepto resolubili in simplicem citationem per comparitionem & oppositionem partis accipi posset, prout non; nihilo magis sustineri posset: propter evidentem nullitatem aut saltem evidentem injustitiam hujusmodi assertî monitorij, sic præcisè sine clausulæ justificatoriæ adjectione factæ clausula justificatoria per hæc verba, *nisi causam &c.* vel *si senseris te gravatum comparea &c.* si in monitorio super eo quod parti aliquo modo potest esse præjudiciabile, aut eam quoquo modo gravare, non est inserta, non potest illud in citationem resolvi, nec aliquas vires habere; & ob id impunè ei non pareri, sed contemni potest, *Bart. & alij in l. De pupillo §. meminisse vbi eleganter distinguit Paul. De Cast. nu.* 5. *De ope. nov nunciat.*

nunciat. Bald. in l. Nec quicquam §. ubi decretum nu. 5. vers. ista, Gloss de offic. procons. & ad Rubr. C. communat. epist. num. 4. steph. Bertrand. cons. 156. præcepta quæ vol. 3 parte. 2. Cum igitur hoc sive decretum sive monitorium planè sit præcisum & executorium sine præcedente causæ cognitione, & sine clausula justificatoria: non potest non esse nullum, saltem non justum, ut & ab illo appellari, & de nullitate dici potuerit & possit. Per quæ sic latè deducta manifestè patet hoc decretum à quo appellatum est in primis esse nullum; ex eo quod sit latum sine debita causæ cognitione, deliberatione necessaria appellanti saltem tacitè denegatâ, eoque in suis defensionibus non audito, nullâ probatione testibus aut instrumentis superato, præpropera & præcipitatâ festinatione: & cessante hac nullitate evidenter quoque injustum & iniquum; tum propter eandem nullitatem, tum quod Actore non probante, ut appellatus in hac causa nihil probavit, Reus absolvi debuerit; tum quod etiamsi appellatus aliquid probasset (prout non) justitia non patiebatur appellanti denegari petitam dilationem deliberatoriam; qui cur vel omnino non, vel saltem nondum ad reddendas rationes condemnari vel urgeri debuerit, allegarit, & probare poterat. Neque enim omnis dilatio culpam aut reprehensionem habet; nec omne quod differēdi causa fit, morę ad numerandum est, si optima ratione & non fraudandi causa simulatè fit, *l. Sciendum l. seq.* D. de *usuris*; ut in tantum virum quantus est appellans, nec frustrationis, nec fraudis suspicio facile cadere possit.

Sic ergò constituta dictæ appellationis justitia ex duobus capitibus, nullitatis scilicet & injustitiæ, facilis est resolutio & decisio propositæ altercationis; an scilicet appellans rectè contendat ad litem in hac causa contestandam; & terminos probandi obtinendos? De lite contestanda dubium esse non
18 potest: † nam & in causa appellationis litis contestatio fieri debet, tunc cum utraque pars præsens est & simul causam prosequitur; potissimùm quando in prima instantia litis contestatio facta non est, *t. per tuas & ibi* DD. de *appellat. Gloss. in l. ult. §. Illud & ibi Bart. C. De temp. appellat. Bellanera decis. 697. Guido Pape decis. 58. Raphael Fulgos. cons. 165. In quæstione nu. 3.* prout in illa tanta actorum primæ instantiæ præcipitatione nulla facta fuit. Quod ipsum quoque observatur in causa nullitatis, tunc præsertim cum de nullitate & iniquitate sententiæ conjunctim agitur, *Baldus in d. §. illud nu. 3.* de quo in proposito minus dubitandum, ob id quod appellatus contra altercando sustineat articulum appellationis omittendum, & super principali negotio procedendum. De terminis probandi quoque non debet esse difficultas; ideo quod relevans omninò sit, quod appellans probare offert Dominum Iudicem commoto animo, prætermisso Assessoris sui judicio, hoc præcipitatum decretum tulisse:
19 † nam ad probandam judicis novercalem præcipitantiam, plurimùm facit probatio commoti, excandescentis, seu perturbati animi; neque enim constantis & recti Iudicis est, cujus animi motum vultus detegit, *l. Observandum* de *iudiciis*; nec reprehensione caret, si qui propter imperitiam Assessorem acjunctum habet, non exquisito illius judicio ad judicandum prorumpit; cùm Assessor consiliorum ut minimùm particeps esse debeat, *l. 1. Cod. De assessorib.* Vnde etiam est, quòd appellatus, animadvertens nimiam hanc D. Iudicis præcipitationem, evidentius probatum iri, si probaretur hæc consilij Assessoris omissa requisitio, positivè allegaverit, de consensu dicti Assessoris latum esse hoc decretum; ut meritò appellanti offerenti contrarium illius probare concedendi sint termini probandi.

Quod verò attinet ad altercationem quæ ex parte appellati movetur de cognitione principali causæ accommodanda, omisso articulo appellationis; ut scilicet appellans cogatur coram Dominis Iudicibus allegare causas seu rationes excusationis adversus petitionem appellati de reddendis rationibus, expedita quoque est illius decisio: nam nullo jure cogitur appellans ad lubitum aut petitionem appellati deserere articulum appellationis, nisi gravamine reparato. * Potest quidem appellans 20
hoc facere, solutis expensis appellationis; potest quoque Iudex consentiente vel etiam invito appellantem adversus illatum gravamen reponere, & sic appellantem compellere ad causæ principalis prosecutionem, cùm ab interlocutoria sententia appellatum est; sed ut appellans id facit non revocato decreto seu gravamine, per Iudicem à quo, nec per judicem ad quem, cogi potest, *c. 1. §. post hoc* De *appellat. lib. 6.* & ne quidem ad hoc, ut coram judice à quo appellatum existit, compareat ad docendum de gravamine; ut expresso jure cautum est, *in c. si à iudice* De *appell. lib. 6. c. Interposita § ille Cum cessante* De *appellat. & utrobique Gloss* præsertim tunc cum causa coram superiore judice introducta est, & super ea coram appellationis judice procedi cœptum, *Gloss. in V. commmando, in d. cap. Cum cessante.* Oportet itaque gravamen, propter quod appellatum est omnibus modis revocari, & minimè suspendi, nec eo prætermisso ad causam principalem procedi tunc, cùm ab interlocutoria sententia appellatum est: de quo hîc non potest esse quæstio; quia non tantum à gravamine incidenti, hoc est, denegatione termini deliberatorij, sed conjunctim etiam à sententia definitiva seu decreto vim definitivæ habente, uti superius deduximus, appellatum est: quo casu ut Iudex à quo provocatum est non posset, etiamsi vellet, suam sententiam seu decretum revocare, *l. Iudex posteaquam De re iud.* quia officio suo functus est; ita nec appellans cogi potest ut ab appellatione ab illa interposita recedat, & causam principalem prosequatur; quia alia causa principalis non est. Non negamus quin alia instantia appellatus posset formalius & rectius procedere, & appellantem super administratione sua ad rationes reddendas convenire; sed per hoc non debet evadere necessitatem hujus judicij appellatorij, saltem non aliter, quàm consentiendo in cassationem & annullationem dicti decreti, à quo appellans appellauit, refusis expensis tam primæ, quàm hujus secundæ instantiæ. Quæ omnia latius deduximus ob id quod singula ex solo animi motu seu conscientiæ capacitate nec satis percipi nec intelligi possint; & quod plerumque quæ ex superficiali rei tractatione seu inspectione assumuntur, fallacia sint, & à vero

juris

juris tramite abducant. Consultius longè feciſſet Dominus Iudex ſi appellanti inducias deliberatorias, ſaltem ad primam diem, uti petebatur, indulſiſſet, ad dictarum rationum redditionem accelerandam; quàm ijs tacitè denegatis præcipitanter appellantem ad id pœnaliter condemnando (quod in magno viro qualis eſt appellans ſugillationis & notæ alicujus ſpeciem habet) appellantem conjecerit in neceſſitatem & querelæ ob nullitatem, & appellationis propter evidentè injuſtitiã, ſic differendo eaſdem rationes ad plures menſes. Finem igitur faciendo exiſtimamus per Dominos Iudices motam hanc altercationem in utroque articulo, tam de lite conteſtanda & terminis probandi concedendis, quàm de articulo appellationis non ſuſpendendo, & non procedendo in negotio ſeu cauſa principali (quæ nulla eſt, alia tamen per novam inſtantiam eſſe poteſt) decidendam eſſe ſecundùm petitionem Appellantis: niſi Domini Iudices officium ſuum latius extra altercationem partium porrigendo malint cauſam & articulum appellationis definire; judicando malè judicatum, & benè appellatum; ad hoc enim ſatis videtur hæc cauſa, etiam in ſtatu in quo nunc eſt, inſtructa; præſertim propter ſubterfugia appellati, & tam evidentem præcipitationem, qua hoc decretum per Dominum Iudicem latum eſt, nullâ deliberatione appellanti permiſſa, ſibi defendendi poteſtate facta; & id quidem cum condemnatione expenſarum tam primæ quam hujus ſecundæ inſtantiæ.

Vt lite pendente.

SVMMARIVM.

Attentatorum judicium,

1. *Attentandum non eſſe lite pendente.*
2. *Attentatorum judicium ſuſpendit cauſam principalem.*
3. *Spoliatus reſtituendus antequam reſpondere cogatur.*
4. *Attentatorum privilegium privilegiatum.*
5. 9. *Attentata revocanda etiam pro eo qui in principali malam cauſam habet.*
6. *Cauſam amittit qui de eadem re adverſarium ad plures judices trahit.*
7. *Attentatorum judicium quandocunque ante concluſionem in cauſa interdum etiam poſt illam proponi poteſt.*
8. *Attentatorum judicio agenti non poteſt obyci executio deficientis juris.*
10. *Criminalis cauſa incidens ſuſpendit civilem.*

CONSILIVM XCI

APERTA eſt juris prohibitiva regula, † lite pendente nihil attentari, nihil innovari poſſe in præjudicium litis pendentis, ‡ *Vt lite pendente, per totum*: cuius prohibitionis poteſtas tam præcila eſt, ut judex implorato ejus officio ſuper revocatione attentatorum & innovatorum, non poſſit in cauſa principali procedere, niſi in primis & ante omnia attentata revocet & annullet; uſque adeo ut injuſtitiam facere dicatur parti petenti revocationem attentatorum, ſi ante omnia illa non revocet: * 2 ſic quod judicium attentatorum injectum ſit omnino ſuſpenſivum cauſæ principalis, *Ioan. And. in c. Non ſolum De appel. lib. 6. Ioan. Monach. inc. Cupientes §. penult. in fine De elect. lib. 6. Matth. De Afflictis. deciſ. 18. nu. 5.* & ita quidem ut in cujus præjudicium attentatum & innovatum eſt, non cogatur adverſario ſuo attentanti & innovanti in judicio reſpondere, niſi attentatis & innovatis ſublatis, *l. Si quis ad ſe fundũ. C. Ad leg. Iul. De vi Rober. Maranta De ord. iudic. parte 4. diſt. 6. nu. 33.* * Ad exemplum & 3 imitationem exceptionis ſpolij, quâ objectâ ſpoliatus ante plenam reſtitutionem reſpondere non cogitur, *c. Super ſpoliatione. De ordin. cognit. c. Solicitæ c. Conquærente De reſtitut. ſpoliat.* * Quo quidem privi- 4 legio ſeu exceptione ſpolij, magis privilegiatum eſt remedium attentatorum; quorum propoſitioni neque exceptio excommunicationis, neque defectus tituli ſeu juris objici poteſt, ſufficiente nimirum probatione ſtatus cauſæ ſeu litiſpendentiæ *Oldradus conſilio 199. Pro fundamento, Rota deciſ. 2. De reſtitut, ſpol. aliàs eſt 14. Fuit dubitatum utrum nu. 3. in novis, Mathæus Matthefilanus ſing. 29. nota quod appellans in addit. n. 10.* * Sic & uſq; adeo ut etiãſi cõſtaret 5 eum qui attentatorum revocationem petit in principali cauſa fundatum non eſſe, nihilominus attentata ante definitivæ ſententiæ pronunciationem, revocanda eſſent, ſaltem pro forma, *Alex conſ. 99. Viſis proceſſibus n. 9. & 10. vol. 5. & eo loco in addit. Carolus Molin. in verb. conſtat.* Cum itaq; ex actis manifeſtũ ſit D. Ioannem Molineum Actorem hujus cauſæ in præjudicium hujus litis attentaſſe, & quæ in hac cauſa in quæſtionem deducta ſunt de falſitate exhibiti cujuſdam inſtrumenti, de perjurio & calumnijs, quæ idem Actor D. Marco Sterck Reo objecit, in alia lite coram Magnifico Domino Rectore Vniverſitatis Lovanienſis ad eundem finem quoque deduxiſſe, & adhibitâ cognitione eidem Reo remedium hoc attentatorum & innovatorum literis oportunis deſuper confectis, decretum & permiſſum eſſe; & præterea alio ſpeciali decreto ordinatum, ut Actor articulis juſtificatorijs hujuſmodi attentatorum reſpondere debeat; conſequens eſt ſuſpendendam cognitionem cauſæ principalis, nec in ea procedi poſſe ad ſententiæ definitivæ pronunciationem; ante & priuſquam de hujuſmodi attentatis pleniſſimè cognitum & ſpecialiter judicatum ſit, *l. Quoties. & ibi DD. C. De iudic. c. Exhibita De iudic. c. Cum dilectus De ord. cognit.* Etſi enim Reus ſatis confidat bono ſuo juri in principali negotio, ideoque & illius aleam tutò ſubire poſſit; id tamen ſuæ exiſtimationi & cauſæ conſultum eſſe non putat, ut Actori homini injurioſo permittatur libera facultas in nomen & exiſtimationem Rei, ſine ullo juris fundamento, libero quò velit pede graſſari, eumdemque Reum de ijſdem delictis apud diverſos Iudices Reum facere, & utrobique contendere propter illa Reum eſſe privatum ſeu privandum omnibus ſuis beneficijs, atque adeo etiam ſuper controverſo Decanatu perpetuum ſilentium ei imponendum: eo nimirùm ſtudio ut occaſionem quærat quovis modo licito aut illicito in altero judicio perveniendi ad aliquam ſententiam, quæ huic liti præjudicium faciat; * quod jus non pa- 6 titur, potiſſimùm per plura inſtituta judicia, pluribus in locis, eodem tempore; imo generaliter id prohibet, *c. Ex parte 2. De reſcript.* ſub pœna amiſſionis cauſæ, atque adeo etiam juris, *c. Diſpendia De reſcript.*

rescript. lib. 6. & ibi DD. *l. Nulli & ibi* DD. *C. De iudic.* Ita ut venerabiles Domini Assessores nihil conturbari debeant ex importunitate Actoris, ficto aut suspecto ejus morbo, neque ejus ejulationibus aut lachrymis, quæ crocodili & porcinæ sunt moveri; cùm juris rigor, imò æquitas hunc ordinem cognitionis præscribat, *Affict. d. decis.* 18. *nu.* 3. nec eum sine evidente nullitate perturbari patiatur, *l. Prolatam C. De sent. & interloc. omnium jud.* A cujus ordinis observatione liberare non potest status causæ, quasi illa jam ad finem & ad calculum sententiæ tendat; ideoque simul & semel de attentatis &
7 principali causa jus dici possit: † nam remedium attentatorum semper salvum est, & proponi potest etiam cum privilegio suspensivo causæ principalis quamdiu in causa non est conclusum, *Rota decis.* 6. *sub tit. ut lite pendente, alias* 518. *in antiq.* imo etiam post conclusionem in causa, tunc & quando in eadem causa aliquid attentatum & innovatum est post conclusionem causæ, *Matth. de Affict. decis.* 352. *Quidam Curlicervix nu.* 3. Ita quod cùm in hac causa principali nondum concluſum sit, & ut per decretum in ea novissimè latum quoquo modo concluſum dici posset, prædicta attentata & innovata postea emerserint; dubitandum non sit, quin prædictus ordo juris omnino observandus sit, nec qui quam adversus Reum in principali causa pronunciandum, etiamsi per Actorum lectionem D. Iudex informari posset, quod Reus in principali destituetur jure; * quia agenti remedio attentatorum, non potest, objici aut obstare notorius defectus juris. *Affict. d. decis.* 52. *nu.* 4. & 5. & quamdiu pendet causa (quod est quamdiu sententia definitiva pronunciata non est) non potest dici constare notorie de jure etiamsi jus causæ esset contra illum, contra quem fuit attentatum, *Alexan. d. consil.* 99.
9 *nu.* 9. & 10. † Et sic præsupposito quod attentans in principali victurus sit; semper saltem pro forma debent revocari attentata, priusquam perveniri possit ad sententiam definitivam: ante quam omnia attentata non tantùm per judicem revocata, sed eum per attentantem effectualiter repurgata esse debent; & hanc esse judiciorum praxim tradit Carolus Molinæus, *ad d. consil. Alex* 99. *ad verb. constat.* Quæ omnia plurimum adjuvantur & intenduntur per aliam consideratiorem, quæ in hanc quoque causam incurrit; quod scilicet Actor dicta crimina Reo in hac causa objiciendo, & pro eorum persecutione se inscribendo, hoc efficerit, ut civili huic quæstioni de decanatu, sic incidenter
10 quæstio & causa criminalis; † quâ incidente, tunc potissimùm quando criminis quæstio contingit principalem, aut unum aliquem ex præcipuis articulum, suspenditur causa civilis, & in primis & ante omnia cognoscendum est de incidente hujusmodi causa criminali, *l. penult. & ult. C. De ordin. cognit. Affict. dec.* 229. *Sæpe & sæpius.* Et hoc est quod dicit Baldus *in l. ult. C. De fide instrum.* quod non possit expediri causa civilis, pendente accusatione falsi vel perjurij contra testes. Ita quod rectè pro parte Rei in hac causa principali proposita sit altercatio de suspendenda cognitione causæ principalis, cum propter supradictum beneficium attentatorum, tum per incidentem quæstionem criminis per Actorem injectam.

Vt lite pendente nihil innovetur.

SVMMARIVM.

Attentatorum remedium etiam contra tertium.

1. *Citatio litispendentiam quatenus inducat.*
2. *Litigiosi vitium unde inducatur.*
3. *Attentatorum remedium etiam adversus tertium competit.*
4. 6. *Attentata quæ censeantur.*
5. *Hæres in possessionem mittendus & retinendus.*
7. *Lite pendente super beneficio, resignatio & permutatio prohibita est.*
8. *Attentatum per eum qui non pendente judicio jus haberet, revocari potest.*
9. *Beneficia quis conferat.*
10. *Conferendi beneficij jus sine approbatione Papæ aut Episcopi reservari nequit.*
11. *Jus patronatus ad hæredes etiam extraneos transit.*
12. *Constitutio Principis sæculares prohibens, ne bona immobilia acquirantur Ecclesijs vel religiosis locis, an valeat.*
13. *Statuta ne religiosi succedant parentibus, an valeant.*
14. *Jus ex tempore variat.*
15. *Constitutiones novæ ex quo tempore ligent.*
16. *Princeps suis contractibus ligatur.*
17. *Suspendere & tollere differunt.*
18. *Attentata revocanda.*

CONSILIVM XCII.

IN causa attentatorum pro parte curatorum prolium Rochi vander Smissen Impetrantium, contra Petrum Andries, & Dominum Michaelem Godevaers Opponentes proposita, sequendo doctrinam à Ioanne Imolensi traditam, *in Clem. 2. nu. 2. Vt lite pendente &c.* in materia revocationis attentatorum ex regula, *ut lite pendente nihil innovetur*, de duobus tantùm quæremus; an scilicet iis aliqua inter dictas partes pependerit; & an aliquid indebitè innovatum sit: hæc enim duo causam revocandi, quæcumque lite pendente innovata sunt, continent. De primo quoad Petrum Andries, nihil dubitandum est; quod ex actis causæ principalis apertissimè constet, adversus eum ex parte dictorum curatorum institutum fuisse judicium possessorium *retinendæ* seu manutenentiæ, non tantùm citatione interpositâ, & ad notitiam partis introductâ, † quæ in hoc articu- 1
lo sufficeret ad litispendentiam introducendam, *d. Clem. 2. & ibi Imola, Cardin. Zabarel. consil. 10. nu. 1. & 2.* verùm etiam litis contestatione factâ; * quo 2
casu ad quoscumque similes juris effectus lis pendere dicitur; veluti ad vitium litigiosi inducendum, & rei litigiosæ alienationem inhibendam, *l. 1. §. fin. De litigios. l. 2. C. eod. & th Authen. eod. t.* cùm factum, de quo velut attentato revocando quæritur, postea intervenerit lite illâ sic pendente. Cæterùm an idem quoad dictum Dominum Michaelem dici possit, justiorem habet dubitationem; quod adversus eum nulla prorsus lis ex parte dictorum curatorum fuerit instituta tempore quo innovatum seu attentatum dicitur. Sed hærendum in eo non est; * quia remedium revocationis attentatorum competit etiam adversus tertium, 3
qui

qui ipse propriè non attentavit aut spoliavit, sed in re attentata successit, *Phil. Decius in c. Bona memoria nu. 7. De apellat.* ac multò magis adversus eum, cum quo pars litigans & innovans attentatum exercet, & ei, qui attentat vel causam vel auxilium præbet. Docet enim Felinus, *in c. Cum super nu. 18. De sent. & re iudic.* quod quamvis attentata per tertium lite pendente non revocentur summariè per viam attentati, sed ordine juris servato, novâ lite propositâ, *Thom. Fastoli dubio Rotæ 19.* revocantur tamen summariè per viam attentati, si tertius una cum parte quæ in lite est innovavit; quasi per solam partem fuisset intentatum. Quare cum attentatum de quo quæritur lite principali pendente exercitum sit per dictum Petrum, ejusque attentati utilitatem & commodum sibi vindicet, ac per illud dictis curatoribus molestus esse pergat Dominus Michael, nihil dubitandum quin etiam quoad eum lite pendente attentatum sit; & adversus eum attentati revocatio institui potuerit etiam summariè implorato Iudicis officio, *Rota d. decis 6. alias est. 518. nota quod attentata in antiq. Cassad. decis. 3. De restitut. spoliat. nu. 6.* multò magis per viam ordinariam novo judicio instituto; prout in hac causa attentatorum factum est. De secundo perinde quoque non admodum dubitandum: est enim ejus generis factum, de quo revocando & annullando contendunt impetrantes, ut directè tendat in præjudicium litis institutæ; hoc est continet longè majorem turbationem possessionis, cujus retinendi nomine lis principalis fuit instituta, quàm factum cæsarum arborum, quod principali
4 liti occasionem dedisse dicitur. † Contendunt enim impetrantes in principali causa injustè se turbatos per dictum Petrum in possessione villæ, quam ex successione testamentaria Domini & Magistri Ioannis Versluys obtinuerunt; cujus possessionis exercitæ multa admodum exempla & modos deduxerunt, cùm sufficere potuisset deduxisse & probasse solam attentationem, non probatâ possessione, in qua attentatum fuit: præsertim cùm de jure impetrantium non tantùm apparenter (quod solet sufficere in attentati causa, *Innoc. in c. Constitutus De filijs presbyter. Rota decis. 2. alias est 55. ad instantiam. tit. De litiscontestat. in novis, & decis. 7. alias est 505. Nota ad instantiam. tit. Vt lite pendente in antiq.*) sed & sufficienter constet per exhibitionem testamenti dicti quondam Domini & Magistri Ioannis, non vitiati, non cancellati, neque ex aliqua sui parte vitio aliquo visibili suspe-
5 cti: * sic ut virtute ejusdem in possessionem illius villæ quam totâ vita possedisse dicitur Dominus Ioannes, per Iudicem etiam nunc mitti deberent impetrantes, si missi non essent, *l. fin. c. De edicto Divi Hadriani tollen.* multò igitur magis in eadem retineri, quando eam pacificè nacti sunt, *l Iuvitus. §. cui damus. De reg. iur. l. Per retentionem c. De usuris.* Est namque novæ constitutionis, *d. l. fin. & ibi Alberic.* beneficium, non tantùm acquirendæ possessionis, sed etiam retinendæ; ut & bonorum possessio, *l. 3. §. bonorum De bonor. poss.* facilius enim, inquit in hoc articulo Baldus, *in d. l. fin.* confirmatur & retinetur possessio, quàm de novo acquiritur; maximè cùm ex adverso ex scripturis Opponentium nihil omninò constet de eorum jure vel possessione, in cujus continuationem posset dici Petrus fecisse, quod nunc velut attentatum in præjudicium litispendentiæ revocari & annullari petitur. † Attentatum autem hoc est, quod 6
interea quàm in contentione retinendæ possessionis sunt Impetrantes adversus Petrum, idem Petrus præsumpserit donare vel conferre Domino Michaeli Capellaniam, seu jus celebrandi Missas in Ecclesia de Wilrick, quod ex testamento Henrici Paridoens originem trahere contendunt Opponentes, & virtute illius ad fundationem dictarum missarum, villam contentiosam pertinere; quod quidem directè tendit in præjudicium litis institutæ; quia alium adversarium supponit, præfatum scilicet D. Michaelem, qui sine hac Petri collatione, nullum jus adversus Impetrantes prætendere posset. † Et ideò quemadmodum lite super bene-
ficio institutâ, non est permissum alterutri, sine 7
Papæ licentia beneficium permutare aut resignare; nec altero ex litigantibus decedente, alter ad dignitatem eligi potest lite adversus superstitem nondum finitâ, *c. 1. & 2. vt lite pendente lib. 6.* & si de facto fiat, per viam attentati revocatur electio, permutatio, seu resignatio, *Innoc. in c. Cum M. De constit. Rota decis 3. alias est 400. nota si lite, sub tit. Vt lite pendente in antiquis:* ita, quoque in re subjecta revocanda est hæc collatio; eoque magis quòd etjam judicij naturam & formam alteret; cùm alia sit causa, ex qua Petrus homo laicus beneficiorum seu jurium Ecclesiasticorum incapax cum Impetrantibus in principali causa contendit; alia, ex qua Dominus Michael. Augetur hujus præjudicij ex hoc attentato modus, quod Petro perseverante in causa principali, propter hanc collationem dictus Dominus Michael novum judicium interdicti retinendæ ex vitiosa hac possessione, dicta lite principali pendente, clam acquisita, adversus Impetrantes intentaverit, & Impetrantes eo commento in plures adversarios distringantur. Quæ quidem longè probabiliora erunt, si in conditionem & jus dictæ collationis ac Capellaniæ seu fundationis missarum, ac Collatoris qualitatem inquiratur. † Etsi enim ea indagatio ad hoc at- 8
tentatorum judicium non sit necessaria, possitque alioqui tanquam attentatum revocari quod factum est lite pendente ab eo qui non pendente judicio, faciendi jus haberet, *Imol. in d. clem. 2. Vt lite pendente*, & hæc investigatio proprietatis causam magis concernat; aperit tamen & evidentius demonstrat dicti Petri machinationem & verum attentandi studium.

Occurrunt autem causæ multæ, ex quibus manifestissimè deprehenditur Petrum jus conferendi non habuisse, ne quidam nullâ lite instituta; quas summatim percurremus. † Primò quòd nihil sit 9
quod conferatur, *per not. in c. Ad audientiam De Eccles. ædific. Cardinal. Zabarella in repet. Clem. literas De rescript.* testamento enim Henrici Paridoens materia seu causa beneficij præberi potuit; sed non beneficium Ecclesiasticum erigi: quia id solius Papæ aut Episcopi est; cùm ante Episcopi approbationem non possit dici Capellania seu beneficium Ecclesiasticum, *c. Nemo c. Nullus De consecrat. distinct. 1.* ita quod in hac re non sufficiat testatoris bona ad fundationem relinquentis sola voluntas & dispo-

sitio,

10 sitio, *Felin. in c. Ex parte 2. nu. 2. De rescript.* * Secundò, quia ut dici posset hujusmodi dispositio rei in perpetuum relictæ pro celebrandis missis beneficium seu pia quædam donatio, *Lud. Rom. in auth. Similiter. in princ. C. Ad legem Falcid.* ejus tamen collatio deberet esse Episcopi seu ordinarij Ecclesiastici, non hæredis testatoris aut alterius; etiamsi testator ut jus conferendi testamento suo alicui reliquerit: ad hoc enim ut jus conferendi seu patronatus acquiratur, Episcopi approbatione opus est, *c. Significatum, De præben. c. significavit. De testib.* ac demùm per Episcopi approbationem transit jus patronatus ad hæredem, *t. filius c. Considerandum* XVI. *q. 7. Calderm. consilio 5. de iure patron.* Vnde cùm nulla Episcopi approbatio hîc intervenerit, nemo est, qui vel ex consanguinitate dicti Henrici, vel præfati Domini & Magistri Ioan-
11 nis, jus conferendi sibi usurpare possit. * Tertiò sublato defectu approbationis Episcopi pertineret jus conferendi ad hæredes dicti domini & Magistri Ioannis, & aliorum qui sunt de nomine Verssuys; prout testamento dicti Domini Henrici expressè cavetur: ac nusquam constat Petrum inter eos esse; cùm ex adverso constet testamento dicti Domini & Magistri Ioannis, proles dicti Rochi hæredes esse institutos: jus enim patronatus etiam ad extraneos hæredes transmitti potest, *Calder. cons. 2. de iure patron. Pet. de anch. cons. 81. Prima facie nu. 1.* † Quartò, quod relictum dictę
12 villæ ad dictam capellaniam seu fundationem videatur ipso jure nullum ex constitutione illa Caroli V. Imperatoris, quâ in additione jucundi sui in Ducatum Brabantiæ introitus anno 1513. denuo specialiter confirmata in anno 1520. prohibuit bona immobilia locis religiosis acquiri, seu ad fundationes Ecclesiasticas relinqui. De cujus quidem constitutionis validitate etsi dubitent Opponentes; quasi sit contra Ecclesiasticam libertatem, ideoque nulla, *Auth. cassa C. De sacrosanct. Eccles.* dubitationem tamen removet hodierni temporis usus & praxis. Nam præterquam quod periculo plenum sit de Principis placito disputare, *l. disputare C. De crim. sacrilegijs* receptum est hujusmodi laicorum & præsertim Principum statuta & consuetudines tamquam fundatas in bono publico pro temporis ratione esse tolerandas, & libertati Ecclesiasticæ minimè contrarias judicandas. Dissimulari quidem non potest, Bartolum, ejusque sequaces in ea sententia esse ut existimant, hujusmodi statuta, quibus in Ecclesiam prohibentur alienari bona immobilia ipso jure esse nulla *in Authen. Cassa & in l. fin. C. De sacrosanct. Eccles. in l. Filius familias §. divi De legat. 1.* sed in alia sententia sunt admodum multi; veluti Iacobus Buttrigarius *in d. Auth. Cassa*, Baldus *in c. Clerici nu. 2. De iud. c. & in c. Quæ in Ecclesiarum col. De const.* Franciscus Curtius senior, *cons. 17. nu.* 8. Iason, *in d. § divi Lectura 1.* & ante hos Signorolus des Homodeis, *consil. 21. Statuto civitatis Mediolan.* à Baldo relatus *in d. c. Clerici*, nec non Petrus Belluga, *in speculo Principum. tit. de amortisationibus §. 1. nu. 21.* vnica ferè hâc ratione, favore scilicet publici & communis boni ac subditorum, ut eis salua sint immobilia ac territoria conserventur & publicæ functiones sustineantur: sic ut Respublica, quæ Ecclesiæ comparatur, *l. fin. C. De sacrosanct. eccles.* non minus sit defendenda in juribus 13
suis, quàm Ecclesia, *Bald. in d. c. Clerici.*

Quâ etiam ratione Barth. Chassaneus, *in d. c. in consuet. Burgund. tit. de succes. §. 14. in fine rubr. 7.* defendit statuta & consuetudines locorum, ne religiosi succedant parentibus aut cognatis: nihil enim (inquit) Ecclesiæ hic aufertur sed eidem non defertur; & potest Princeps statuere super jure quærendo Ecclesiæ, non super jure quæsito; quamvis tamen in hoc articulo alibi aliter sensisse videatur, *ad consuet. Burg. tit. de. mainsmortes §. 10. nu 50. rubr. 2.* † Et sanè cum jus 14
ex tempore, & circumstantijs emergentibus variari ac mutari possit; & iniquum esse incipiat, quod aliquando æquum fuit visum, & econtrà, *l. 2. §. seu quia divinæ. C. De veteri iure enucl. Auth De nuptijs post princ. collat. 4.* dici potest iniquum non esse, si constitutio de non acquirendis bonis immobilibus, quæ stante paupertate Ecclesiarum & locorum religiosorum juri aduersari Bartolo & alijs videbatur, nunc ad istum modum adauctis eorum facultatibus, in usum introducatur, ne luxuriandi lasciviendique causa detur, & laicis omnis potestas paulatim detrahatur; ut sic cessante causa acquisitionis, esset ipsa acquisitio. Vnde Hieronymus, *ad Nepotianum*, cùm suo tempore similis lex lata esset, quæ postea Constantini lege sublata fuit, *in l. 1. C. De sacrosanct. eccles.* legem velut iniquam reprehendere noluit sed tantum id meruisse statum Ecclesiasticum doluit.

Iustior est alia objectio, quòd Henricus Paridoens sit testatus anno 1514. & mortuus anno 1518. quodque constitutio anni decimi quinti suspensa fuit usque ad annum vicesimum; & sic Henricus neque testando in legem, quæ nondum lata erat peccasse, neque morte suâ testamentum serius con-
15 firmasse videatur: † sed cùm constitutiones novæ statim ligent ab earum publicatione, saltem intra duos menses *in Auth. ut factæ novæ constitut. collat. 5.* dicendum videtur, virtute testamenti prædicti, quamvis conditi ante constitutionem, nulla bona in mobilia ad Ecclesiam pervenire potuisse: inspicimus enim magis tempus mortis testatoris & additionis quoad acquisitionem; quia nimirum tunc testamentum effectum nancisitur, defertur hæreditas, *l. Si alienum. §. in extraneis De hær. instit.* ac legata cedunt, *l. vnica §. in novissimo C. De caduc. tollen.* Neque quicquam facit subsequens anni vicesimi confirmatio, & interveniens, atque anno 16
decimo octavo adhuc stans suspensio: * nam præter id, quod Advocatus Impetrantium adversus eam suspensionem objicit de defectu potestatis Principis in suspendendo eo statuto, quod Procerum & totius patriæ conventione juratâ constitutũ & receptũ fuit, cum Princeps suis contractibus ligetur nec eis derogare possit, *l. Dignæ vox C. De legib. c. 1. & ibi Decius De probat. Bald. in l. Quisquis patris C. Vnde liberi*, doctè in *c. Novit. De iud.* ut in simili tradunt de adempta facultate Pontifici derogandi concordatis Germanicæ aut alij nationi concessis, *Cassador. decis. 1. de pact. pet. Rebuff. ad concord. in præfat. rubric. de collat § monemus in V. privilegium:* * dici etiam potest, hujusmodi suspensionem à derogatione longè distare, cùm aliud sit 17
suspen-

suspendere, aliud tollere: suspensio enim rem ipsam reliquit; unde quemadmodum interdicto Ecclesiastico posito appellatio non est permissa, ita quoque nec eo suspenso, *Bald. Ang. & Imola in l. Illa institutio §. is qui apud De hared. instit.* Quo fit, ut vis suspensionis ab eventu dependeat, ut si prohibitio, quæ suspensa fuit, postea annulletur, illius retrò judicetur nullus fuisse effectus, & efficacia intelligantur, quæcumque in contrarium acta sunt; sin confirmatio accedat, rata sit prohibitio, irritis manentibus quæ interim in contrarium acta sunt. Confirmatio itaque subsequens, cùm non possit operari confirmati diminutionem, utpote inducta ad illius augmentum, *l. Si quis ita legaverit. De auro & argento legato.* nihil facit, quò magis bona interim Ecclesiæ utiliter relicta dici debeant, præsertim quia suspensio illa ad Ecclesiasticorum requisitionem, ut de gravaminibus interea Principem & Status instruerent, facta fuerit, & in eorum velut contumaciam, quod medio tempore de suo interesse non docuerint, fuerit sublata: qui proinde fructum ex sua contumacia & negligentia facere non debuerunt, *l. Non fraudentur §. fin. l. In condemnatione §. pen. l. Factum l. quod quis De R. I.* Postremò hæc Petri collatio arguit eum nihil juris ad villam habere, cùm non possit esse Collatoris, & ejus cui confertur, *l. Si ut certo §. Si duobus D. commodati l. Hereditate §. pater. De Castren. peculio*: arguit quoque malam ejusdem Petri causam in principali lite, ubi de possessione jutis conferendi nulla est disceptatio, sed ipsius fundi, cujus arbores exscindere præsumpsit; quarum exscindendarum, virtute dictæ collationis, nullam haberet facultatem. † Et si de possessione conferendi pro parte Petri fuisset quæstio, quia notoriè constat ex actis, illum ante hanc per viam attentati factam collationem, numquam fuisse in possessione præsentandi seu conferendi, cassari omninò deberet tamquam attentatum, *Alex. cons. 75. Visis ponderatis nu. 46. alias n. 6. vol. 4.* Quare arbitramur officium Dominorum esse, ut hanc dicti Petri collationem seu donationem, tamquam attentatam in præjudicium litispendentiæ, ante omnia revocent & cassent; & Opponentes juxta traditionem Hostiensis, *in Summa Vt lite pendente in fine*, in expensis condemnent.

18

De confessis.

SVMMARIVM.

Confessionis revocatio.

1. *Confessio procuratoris quando revocari possit.*
2. *Confessio deliberata an revocari possit.*
3. *Confessio geminata non revocatur.*
4. *Confessio acceptata non potest revocari.*
5. *Pertinentiarum nomine quid contineatur.*
6. *Clausulæ salutaris in libello potestas.*
7. *Consignatio sine oblatione nihil operatur.*
8. *Reditus annuus legatus an sit perpetuus & irredimibilis.*
   Cōsuetudo Lovā. ut omnis redimibilis reditus cēseatur, nisi ex literis constitutionis pateat esse irredimibilem.
9. *Reditus super fundo relictus in causam piam inducit hypothecam.*

CONSILIVM XCIII.

DVo sunt, de quibus quæritur in causa Magistrorum mensæ sancti Spiritus in Thielt S. Mariæ Actorum, contra Georgium Pasteels ejusque consortes Reos. Prius, an reditum unius modij siliginis Rei debeant? Alterum, an idem reditus sit redimibilis? Sed ea deprehenditur Actorum & juris veritas, quod verè debeatur à Reis, nec sit redemptioni subjectus. Quod attinet ad prius parum laborandum est: etenim extat Reorum aperta minimeque ambigua confessio. Etsi enim primum respondendo, dixerint se non esse obligatos ad hujus reditus solutionem, & id quod solverunt indebitè solutum esse; postea tamen ad exactioris responsionis petitionem responderunt se credere quintam & sextam positiones articulorum partis agentis; quibus continetur, quod Rei hujus causæ sint hæredes, & successores eorum, qui in exhibitis per agentes dictæ mensæ registris annotantur, solvisse hunc reditum; & quod Rei eumdem reditum pluribus annis etiam diversis partibus solverunt; & sic mensa sit in quieta possessione percipiendi eumdem reditum. Cujus quidem confessionis vim & effectum agnoscentes Rei, tandem in fine causæ, post intervallum amplius quam trium annorum hujusmodi suam apertam confessionem sub prætextu erroris revocare conati sunt. Cæterùm cùm id serius factum sit, postquam super negationibus & confessionibus partis reæ facta fuit litis contestatio, testes utrimque producti, & formaliter concluſum in causa, non habet hujusmodi revocatio aliquid momenti:

† quippe revocatio confessionis, quæ ad Advocatum aut Procuratorem in causa facta est, in libera partis potestate non est, sed oportet eam ex brevi intervallo fieri, *l. ult. C. De errore advocat.* non post tam longum, quod in proposito est, trium annorum. Et cùm ex intervallo fieri potest, requiritur allegatio & probatio erroris; qui præsumitur in revocatione incontinenti facta, *Doct. d. l. ult. gloss. in c. Olim in V. non revocata, De censibus.* Iam verò nulla extat in actis vel probatio vel demonstratio erroris, quod Rei ita malè seu erroneè contra rei veritatem responderint per suum procuratorem: nam probatio illa, quam Rei fecerunt de debito & solutione reditus annui unius modij siliginis ex fundis, quos Georgius Baptista possidet, ad errorem aliquem constituendum in dicta confessione non sufficit; cum satis constet, utrumque debitum deberi ita ut obligatio aliorum in alio & diverso seu separato & distincto reditu Reos nullo modo liceret. Vti etiam error aliquis non potest deprehendi ex annotationibus dictorum registrorum; præsertim quod rei contenta dictæ quintæ positionis quoque sint confessi, hoc est, se esse hæredes, successores & apprehensores bonorum eorum, qui ante ipsos Reos hunc reditum solverunt. Hanc autem confessionem Rei non revocaverunt, sed præcisè & restrictivè dumtaxat confessionem factam ad sextam positionem: ita ut etiam resolutâ potestate confessionis factæ ad sextam positionem prætextu erroris, maneat semper effectus confessionis ad dictam quintam positionem: unico enim impedimento in concursu plurium sublato, manet vis impediendi ex altero quod reliquum est, *l. Si non lex, D. De hared. instit.* † Deinde revocandæ hujus confessionis potestas minor hic est; ob id, quod hæc confessio sit

facta deliberatè, hoc est, petito, dato, & concesso termino deliberandi ad respondendum hujusmodi positionibus; idque non semel tantùm, sed sæpè repetito, etiam sub pœna: est enim multorum opinione comprobatum, confessionem factam deliberatè, seu post terminum deliberativum, vel omninò non, vel saltem difficilius revocari posse, *gloss. in c. Ex literis, in V. admonita, De divort. Lud. Roman. cons.* 346. *In hac causa Basilient. nu.* 10. *& cons.* 391. *Ut proposita. nu.* 2. Accedit ad impediendam potestatem revocationis in proposito, quòd hæc confessio sit geminata; facta nimirum primo in priore ad dictos articulos responsionis scedula, in qua fatetur se indebitè solvisse hunc reditum: deinde apertiùs, dum simpliciter & absolutè confitentur contenta dictarum quartæ & sextæ depositionum.

3 * Nam ut in alijs ferè juris partibus geminata majorem potestatem & intensius robur habent, *l. Similiter & ibi Doct. C. Ad S. C. Velleian. latè Ferdinan. Vasq. De success. creat. lib.* 1. §. 3. *nu.* 11. *& seq.* ita quoque major constituitur effectus in geminata, quàm unica confessione, sive judiciali, sive extrajudiciali: id enim efficit inter alia, quod prætextu erroris, imò falsitatis revocari non possit. *l.* 1. *versic. transactionibus & secundis confessionibus C. De plus*

4 *petit. Lud. Roman. d. cons.* 346. *nu.* 4. † Et cum utraque hæc Reorum confessio post deliberationem facta per partem agentem formaliter acceptata sit, minus revocari potest: cum etiam si unica & simplex esset, revocationem factæ confessionis impediret; quasi plenius acquisito jure ex acceptata confessione, *Phil. Franc. in c. Cum causam. colum.* 2. *vers. & ex prædictis De appellat.* etiamsi revocatio incontinenti fieret, *Alexand. cons.* 90. *Ferè omnis n.* 1. *vol.* 1. quanto igitur minus his omnibus concurrentibus fieri poterit post conclusionem in causa? Etsi enim potestas revocationis sit, accedente probatione erroris usque ad sententiam, *d. l. ult. C. De errore advocat.* si tamen formaliter conclusum est in causa (ut hic contigit) revocandi non est potestas: quia quoad allegationes & alios actus judiciales, conclusio parem ferè cum sententia vim hac in re habet; præsertim in revocatione eorum, quæ priùs acta sunt, *Bart. in l. Si mater §. eandem in fin. De except. rei iud. Lud. Roman. d. cons.* 346. *nu.* 8.

Sed hîc subsistendum non est; cùm per interlocutionem venerabilis Domini Officialis & decretum de standa conclusioni prius captæ, hujusmodi revocatio sit rejecta, nec ad cognitionem admissa: & quidem meritò, ob id, quod Rei in revocatione errorem quidem prætexunt, sed in genere nullâ erroris specie, modo, aut causa expressâ, nec oblata erroris probatione, cujus revocationis potestas ex intervallo, ut diximus, numquam permissa est. Et quamvis post contradictionem Actoris, Rei probationis mentionem faciant; illam tamen non offerunt, sed in actis constare dicunt, per hoc videlicet, quasi ex actis constaret, quod Rei petitum reditum numquam solverint, sed quod alium similem solverint, dicentes id patere ex testamento Catharinæ Willems, quæ controversum reditum dictæ mensæ legavit super sua domo: quia ex registris per Actores exhibitis constat, petitum reditum deberi & solutum esse ex quodam bonuaro prati, quod Rei habent; domum autem tenent alij, qui similem quoque reditum debent, & sine difficultate solvunt dictæ mensæ, quasi scilicet extrà dubitationem sit, utrumque reditum deberi, sed ab Actore in petitionis formula aberratum esse, & quidem à Reis petitum illum, quem alij debent ex domo; cum verò, qui ex bonuario debetur, à Reis petitum non esse: & sic ex inepta & non satis congruenti petitionis formula Actorem obtinere non posse, *c. Abbate sanè De sent. & re iud. lib.* 6. *l. Babius Marcellus De fundo dotali.* Cæterùm non rectè hinc desumitur erroris & contrariæ veritatis ex actis relucentis prætextus: nam etsi ex testamento Catharinæ Willems Actor intentionis suæ principium ponat, non tamen inde convincitur Actorem in designandis bonis aberrasse; cum testamentum Catharinæ demonstret hunc reditum esse designatum, non præcisè super domo Catharinæ, sed etjam super illius attinentijs; inter quas potuit esse hoc pratum, quamvis illis non proximè sed ex intervallo aliquot bonuariorum adjunctum. * Attinentiæ enim & pertinentiæ non ex immediata 5
conjunctione nomen & significationem habent, sed ex destinatione patrisfamilias, quæ scilicet velit in accessionem venire etiam ex loco remotiori, *Bart. in l. Seia § Tyranæ De fundo instructo leg. Socinus nepos consil.* 65. *Cum in præsenti nu.* 28. *vol.* 1. Et in vicissitudine tot annorum ex tempore dicti testamenti, videlicet centum viginti ferè annorum (est enim conditum anno 1456.) facilè potuit facies rerum immutari, & domus tolli, manentibus tamen fundis; satisque ideò hic sit, quod Rei in loco seu districtu per testamentum designato prædium habeant, ex quo agnoscant se teneri ad solutionem reditus annui unius modij siliginis, & ex quo fatentur se debere & solvisse hunc reditum; cum obligatio hypothecaria sit individua, & hypothecâ in pluribus fundis assignatâ, sufficiat vel unum ex his possedisse, *l.* 2. *C. Si unus ex plurib. hared. cred.* Ita ut nihil prodesse possit Actoribus si dictam domum possideant alij, qui similem reditum unius modij siliginis etiam solvunt, uti Rei allegant, quamvis id concludenter non probent; cùm etiam ipsi Rei proponant locum seu districtum dictum *ter eeckt* magnum esse; & testes super hoc producti non hoc tantum, sed illud quoque deponant, quod in eo districtu sint multæ domus, plurima quoque prata: unde cum Rei fateantur se debere & solvisse unum modium siliginis ratione fundi, quem in districtu dicti loci *ter eeckt* possident; satis id Actori debet esse ad obtinendum in hac causa. Nihil obstante captiosa Reorum quoad formulam intentatæ actionis, verborum captatione, ob quam Actor non debet reijci ad exordium & necessitatem alterius litis, in qua petat hunc reditum omissâ mentione testamenti Catharinæ Willems; * nam 6
clausula salutaris in fine libelli in hac causa exhibiti adjecta, *Petens in & super præmissis omnibus, &c.* omne periculum, quod ex hoc errore & captatione illius Actori imminere posset, avertit. Inter alia enim hoc efficit, ut quamvis petitione ex certa & specifica causa expressa proposita succumbat Actor, si illam causâ non probet, etiamsi aliâ probet, ex qua Reus vere debet, *l. Habeat in princ. De instit. act. d. c. Abbate sanè De re iudic. lib.* 6. ipse tamen

Rius

Reus rectè condemnari possit ex causa non allegata, seu non deducta, si modò probata sit; & ex probata constet eum debere, *Alexand. in l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus, nu. 8. De verb. oblig.* & ex eo debito Actoris actionem competere: quasi scilicet hujusmodi clausula discutiat errorem causæ, & patiatur petitioni quamcumque idoneam causam etiam postea adjici & probari, † *Innocent. & alij in c. 2. De ord. cog. latè Marian. Socin. in c. 2. nu. 86. & seq. De libel. oblatione.*

Atque ita quocumque res vertatur, expeditum est, Actoris intentionem ex justa & legitima causa esse fundatam & probatam. Quod etiam agnoscentes Rei, ab hac formulæ aucupatione transeunt ad exceptionem seu allegationem velut solutionis; quod scilicet depositâ & obsignatâ forte hujus reditus ex die depositionis liberati sint, velut extincto & præscisso ulteriore ejus cursu, *l. Acceptam c. De usur. l. Obsignatione C. De solut.* Verùm nec ea ex parte perichitatur Actoris intentio. Primò, quia de hujusmodi depositione & nantizatione satis non constet; testes enim qui de ea deponunt, non satis conveniunt sed ex loco & tempore singulares sunt: deinde ut plenè probata sit ista depositio, non tamen est probata, imò nec allegata, oblatio ipsius
7 sortis magistro mensæ facta. * Neque enim sola obsignatio seu nantizatio sufficit, nisi præcedat oblatio creditori facta, *d. l. Acceptam d. l. Obsignatione, l. Si debitor efferat, & ibi gloss. De solut.* usque adeò, ut si creditor absens est, nec ejus copiam habere potest debitor, non possit initium facere à depositione, sed debeat ut minimum adire judicem, & ibi protestari, quod paratus sit solvere, *l. Si creditrici C. De usur. l. ult. De lege commiss.* & si ad manum non est judex, debeat eam protestationem facere in præsentia honestarum personarum, adhibito Notario, *Paul. Castr. in d. l. Acceptam nu. 13. latè Andreas Tiraq. De retract. §. 9. in fine gloss. 3. n. 5. & seq.* Quo fit, ut insinuatio seu intimatio factæ depositionis & consignationis non emendet vitium contractum ex omissa oblatione; quia ad depositionem & consignationem deveniri non potest, nisi recusante creditore recipere; cum nulla intelligatur recusatio, nullâ ei factâ oblatione, *d. l. Acceptam, Iason cons. 216. Gabriel & fratres vol. 2. Tiraq. d. gloss. 3. nu. 6.* Unde consequitur per hanc depositionem & consignationem non potuisse sisti cursum hujus reditus, quin rectè debeatur & peti potuerit, non tantum pro termino, pro quo in hac causa specialiter petitus est, sed etiam pro sequentibus, ad quos etiam satis accommodata est Actoris conclusio, quâ parte petijt Reos quoque condemnari ad continuationem solutionis ejusdem reditus in futurum; ita ut Rei condemnari debeant ad solutionem ejusdem reditus pro omnibus etiam annis sequentibus.

Sed etsi in depositione & nantizatione nullus esset defectus; nihilo magis fundata esset hæc Reo-
8 rum sive exceptio, sive allegatio: * ob id, quòd hic reditus redemptioni non sit subjectus, sed irredimibilis; eo quòd constet de ejus prima origine, quæ causam perpetuam habet, & neque ex juris communis ratione, neque ex aliqua consuetudine (qualis nulla in actis probata invenitur) à facultate redimendi seu luendi pendeat: quia scilicet per testamentum dictæ Catharinæ creatus, dictæ mensæ legatus, & super domo sua cum attinentijs constitutus; qui ob id perpetuam & irredimibilem habet conditionem. Etsi enim interdùm dubitetur, an vitalis an perpetuus sit reditus, qui alicui annuè seu in singulos annos legatur, *l. In singulos D. De annuis leg.* nulla tamen dubitatio est, quin perpetuus & irredimibilis sit, qui Ecclesiæ, Collegio, aut alicui simili corpori Ecclesiastico (qualis est mensa Sancti Spiritus) donatur vel legatur; ut de hac re extant elegantia Scevolæ, *l. Annua §. Attia D. d. tit.* & Modestini, *l. Annuam d. tit.* responsio. Unde etiam est, quòd Reorum Advocatus metuens juris communis hac in parte contrariam decisionem, confugerit ad beneficium consuetudinis Lovanienſis & ejus districtus; quasi omnis reditus etiam Ecclesiæ vel piæ causæ competens censeri debeat redimibilis, nisi extent literæ constitutionis, ex quibus pateat esse irredimibilem. Cæterùm hæc sic allegata consuetudo per Actorem expressè negata, per Reos nullo genere probationis probata est; ideoque ejus hac in re contra apertam juris communis dispositionem, nulla habenda ratio, *c. 1. De constit. lib 6.* & nuda allegatio notorij, quod negatur, sufficere non potest, quoties pro notorio non est aliqua præsumptio, *Doct. in l. 2. C. De procurat. Ant. de Butrio in tract. De notorio art. 2. nu. 5.* Ut in proposito non est, ubi jus commune contrariam rationem & dispositionem habet. Quamvis re propiùs inspectâ per consuetudines Lovanienses contrarium potiùs statuatur, quòd videlicet reditus, de cujus prima origine constat, per literas constitutionis, habeatur irredimibilis, si in constitutione non sit cautum, quod redimi possit; additâ hac ratione, quia ex usu solet communiter illa facultas in literis exprimi. Cum alioqui constitutio redimibilitatis & irredimibilitatis propriè non cadat, nisi in reditibus pecuniâ constitutis; non etiam per legatum, donationem, aut alium commutativum simílem aliquem contractum. Uti etiam nova constitutio Serenissimi Philippi Regis moderni de reductione frumentariorum redituum, non subijcit reductioni, sed ab ea apertè excipit reditus testamento legatos. Quæ omnia facilius recipienda sunt in reditu hoc, in piam causam, hoc est pauperibus & pro anniversario relicto: ita ut cujus finis perpetuus est, ipse quoque perpetuus sit in maxima securitate & firmitate, quæ est in irredimibilitate; † præsertim cùm reditus an-
9 nuus in piam causam relictus super aliquo fundo, non tantùm demonstrationem, unde solvi possit, contineat; sed etiam hypothecam inducat ad hoc, ut quemcumque fundi possessorem sequatur, *l. 2. De ann. legat. & ibi Bart. Lud. Roman. singula. 435. Quæritur an testator, Andr. Tiraquell. De privileg. piæ causæ c. 63.* multo magis perpetuitatem, *d. l. Annuam, d. §. Attia.* Quibus omnibus attentis existimo Venerabilis Domini Officialis officium esse, ut secundùm conclusionem Actoris per omnia sententiam ferat.

P 2 De con-

De confessis.

SVMMARIVM.

Confessionis revocatio.

1. *Responsio relativa confessionem implicat.*
2. *Instrumento publico creditur.*
3. *Errorem alleganti incumbit probatio.*
4. *Errorem non habet scientia.*
5. *Confessio parte absente facta quando noceat.*

CONSILIVM XCIV.

QVAM parum subsidij in suis exceptionibus sperare debeat Henricus Martini, maritus Margaretæ Boelmans relictæ legitimæ quondam Ioannis Rommael, hujus causæ Rei originalis, adversus Reverendum Dominum Abbatem & conventum Monasterij S. Laurentij Leodiensis Actores, satis demonstrant tres novissimæ interlocutoriæ per Dominum Iudicem latæ, quibus exceptionibus partis reæ, tamquam frivolis & minime relevantibus rejectis, ad conclusionem in causa processit. Et sanè si non omninò veram calumniam, speciem saltem illius aut magnum Advocati errorem habet, quod pro parte Rei allegatum fuerit, Actores possidere hypothecas, ex quibus reditus octo modiorum speltæ petitus debeatur; cùm initio causæ excipiendo dilatorie contenderit, actione hypothecariâ, non personali agendum fuisse Actoribus, quam Actores exercere non possent, si hypothecas possedissent: frustrà enim prosequimur possessionem, quam obtinemus, *l. 1. §. interdictum Vti possideti.* Satis itaque est Actoribus, quod intentionem suam fundaverint adversus Reum, probatâ scilicet antiquitate hujus reditus, & solutionibus annorum ferè ducentorum, continuâ serie per dictum Ioannem Godefridum ipsius patrem, Ioannem avum, Mariam proaviam, Arnoldum abavum, Ioannem atavum, & Waltherum tritavum factis, *6. Querela. & ibi Doct. De elect.* Quibus quidem registris fidem adhiberi, atque ijs in judicio, & extra stari pars rea apertè confessa est. Et quamvis hujusmodi registra propter eorum multitudinem hic non sint exhibita, facta tamen est inde clausularum hanc causam concernentium extractio per Gerardum de Furno Notarium publicum ex speciali Domini Iudicis commissione, ut etiam pars rea ingenuè fateretur; hoc solum his extractis objiciens, quòd sint facta se non vocato: cujus quidem objectionis aliquod esset momentum, *Bart. in Authent. Si quis in aliquo nu. 4. C. De eden. Felin. in c. ult. nu. 6. De fide instrum.* si in contradictione pars rea perseveraret, & hujusmodi extractis in principio se objecisset. Cæterum quando in progressu litis non tam perimit, quam à se litem avertit tacitâ confessione quod reditus debeatur Actoribus, dum se hypothecas possidere negat; parum movere debet; tantoque minus quod cessantibus etiam registris Ioannes Rommael ante præsentis litis initium in præsentia Godefridi de Lacu Notarij puplici apertè confessus sit se hujusmodi reditum debere ratione certarum terrarum, quas Godefridus de Rommael pater ipsius dum vixit possedit, & ipse Ioannes tempore confessionis possidebat, promittens per fidem suam corporalem hujusmodi reditus tunc pro duobus annis, post mortem scilicet Godefridi cessos, Actoribus solvere & in futurum perpetuis temporibus quotannis solvere, & solutionem illorum continuare; ut apertè constat ex instrumento publico in actis reproducto. Cujus quidem instrumenti fidem pars rea agnovit, non tantum per recognitionem manus, signi, & Notariatus dicti Godefridi de Lacu; verùm etiam contentorum in eodem, * per hoc, quod respondendo ad articulos Actorum, contenta dicti instrumenti continentes dixerit, se referre ad hujusmodi instrumentum: nam talis responsio continet implicitam confessionem hujusmodi recognitionis seu instrumenti desuper confecti, *l. fin. C. De falsa causa adject. leg. Guido Papæ decis. 334.* quia nihil interest aliquid expresè dicatur, an per relationem, cùm relatio insit referenti, *Doct. in l. Esse toto De hæred. instit. & in l. Si ita scripsero. De condit. & demonstrat.* 1

† Quamvis alioquin etiam cessante eâ confessione, juris præsumptio stet pro veritate contentorum in instrumento; quia contentis in instrumento publico in debita forma confecto, creditur & statur, quamdiu ex adverso contrarium non probatur, *l. Cum precibus & ibi Bald. C. De probat.* † Cujus quidem confessionis & recognitionis vim & effectum non diminuit allegatio partis reæ, quod illam fecerit erroneè: nam alleganti errorem incumbit probatio; cùm facti sit, & non præsumatur, *l. Si post divisionem C. De iure & facti ignor.* præsertim in facto proprio *Bart. in l. Non fatetur. nu. 10. De confess. Iason in d. l. Si post divisionem in princ.* Vnde opus est, quod doceat rem aliter se habere, *gloss. in l. De ætate §. qui iusto De interrog. action. Bald. in l. 3. §. fin. Si quis cautionib. &c.* quod non tantum non fecit pars Rea, sed nec allegavit quidem. 2 3

† Et sanè præsumptio erroris tanto minùs hic sumi potest, ex eo, quòd ex certa scientia facta sit hæc confessio, & confessioni conjuncta promissio: hujusmodi enim clausulæ adjectio in contractibus, non hoc tantum operatur, ut non præsumatur, sed quod nec allegari possit error, *Alexand. in d. l. 3. §. fin. Bald. in l. Mater. C. De rei vindic. nu. 4.* Et præterea hic concurrit probabilitas ac verisimilitudo rem ita esse, etiam ex eo, quod Reus hunc reditum solverit in vim dictæ confessionis & promissionis, non tantùm pro duobus illis annis, qui tunc venerant, sed etiam tribus sequentibus, ut Reus confessus est; tum ex eo, quòd Reus patri suo Godefrido (quem plurimis annis hunc reditum solvisse constat) hæres sit factus; tum quòd nulla sit præsumptio Reum soluturum fuisse, nisi quoque ex causa successionis hypothecas possedisset, uti apertè se occupare confessus est. 4

Quibus non adversatur, quod ex instrumento dictæ confessionis non constet Actores præsentes, nec à Reo promittente stipulatos fuisse: nam quamvis alias confessio parte absente facta non noceat absenti, *l. certum. §. Si quis absente. De confess.* & ad semiplenam probationem tantum faciat, *Bart. in l. Admonendi De iureiur.* & alteri facta promissio, alij nisi stipulanti, 5

actionem

actionem non tribuat, §. *alteri. Inst. De inutil. stipul.* plenè tamen probat, si fiat ex aliqua causa, præsente aliquo, qui nomine absentis eam acceptet, & absens postea ratam habeat, *Ioan. Imola in c. Si cauto & ibi Felin. nu.* 37. *De fide instrum. Hippol. De Marsil. in l. Si quis ne quæstio nu.* 128. *De quæstionib.* prout hic evenit: quia confessioni adjecta est causa, quod bona patris sui essent obligata pro hoc reditu, & quòd ipse eadem bona occuparet; quam sic factam confessionem Notarius acceptavit, & ratam habuisse Actores constat ex usu dicti instrumenti recognitionis & promissionis. Quæ quidem promissio, quia Notario seu tabellioni publicæ personæ stipulanti & acceptanti facta est, utilis debet esse is, ad quorum utilitatem facta est, quamvis absentibus etiam ad actionem inde producendam, cùm receptissimùm sit stipulationem Notarij tamquam publicæ personę prodesse alteri id cujus utilitatem facta est, *L. 4. & ibi Bart. D. Rem pupil. salvam fore l. eum qui § si actori. De constit. pec.* In summa tam evidenter constat de jure & intentione Actorum, ut nihil de ea sit dubitandum; & sic cùm nullâ justa exceptione elidatur, consequens est ut Reus nomine suæ uxoris (quæ ut relicta legitima Ioannis Rommael originalis Rei, ex notoria consuetudine harum regionum, marito in debitis & creditis succesſit, hanc causam resumpsit; cujus resumptionem dictus Henricus suâ quoque resumptione postea facta confirmavit) condèmnari debeat secundùm petitionem & conclusionem dictorum Actorum.

De confessis.

SVMMARIVM.

Confessio ex contumacia.

1. *Contumax non respondens pro confesso est.*
2. *Citatio per audientiam contradictarum.*
3. *Iurare non debet qui plenè probavit.*
4. *Duobus citatis contra unum solum potest procedi.*

CONSILIVM XCV.

CVR per decretum D. Conservatoris in causa beneficiali inter M. Iacobum Blavirium Impetrantem, & D. Ioannem de Meestere citatum, super jure ac titulo Ecclesiæ parochialis de Gelicke, nuper declaratum sit, causam sic non esse instructam, ut Impetranti conclusio in hac causa capta contra citatum adjudicari possit, adhibitâ etiam disquisitionis diligentia, ut ingenuè fatear, invenire aut deprehendere non potui: quippe in actis omnia plenissimè deducta & probata invenio, quæ ad Impetrantis intentionem fundandam necessaria sunt; videlicet in primis jus nominandi Facultati artium concessum per exhibitionem processus fulminati in authentica forma deinde Impetrantis idoneam & requisitam qualitatem clericaturæ, per literas tonsuræ sigillatas, & promotionis in artibus per testimoniales literas dictæ Facultatis: tertiò nominationem per dictam Facultatem de persona Impetrantis factam ad Abbatissam & conventum de Munsterbilsen; quartò acceptationem & provisionem Impetrantis de hac parochiali Ecclesia, & subsecuta illius corporalis possessionis traditione & apprehensione per bina de his rebus notariali instrumenta; quintò justum & legitimum mandatum per dictum Impetrantem M. Iaspari Granvillano V. I. Licentiato cum potestate substituendi datum, ad nomine Impetrantis acceptandum quæcumque beneficia dicto Impetranti quâvis authoritate conferenda vel obventura, etiam vigore nominationis; & de acceptatis provisionem seu collationem, corporalemque & actualem possessionem obtinendam; vigore cujus mandati dictus M. Iaspar M. Ioannem Staphel primùm, deinde Ioannem Hoerum substituit; quorum ille actum acceptationis & provisionis; hic corporalis & actualis possessionis apprehensionem explicuit; & hæc quidem omnia per legitima, & sufficientia documenta. Quæ verò per documenta ita commodè probari non potuerunt, veluti quòd ad dictam Abbatissam & conventum de Munsterbilsen pertineat hujus Ecclesiæ ordinaria collatio; quòd dicta parochialis Ecclesia de Gelicke sit in patria & diœcesi Leodiensi; quòd ejusdem Ecclesiæ fructus, & obventiones non excedant taxam in bulla nominationis præscriptam, sed infra illam sint; quòd illius novissimus Rector fuerit M. Ioannes Batius; quòd is decesserit in Maio novissimè præterito; quòd per ejus mortem hæc Ecclesia vacaverit; quòd nominatio, acceptatio, provisio, & apprehensio prædictæ sint debitè publicatæ: hæc omnia atque ita manus, signa, sigilla, & qualitates eorum, qui instrumenta per Impetrantem exhibita scripserunt, signaverunt aut respectivè sigillaverunt; ob contumaciam dicti M. Ioannis de Meestere ad respondendum debitè moniti, sub pœna confessati & recogniti præscripto tempore non respondentis, sunt decreta habenda esse & haberi pro confessatis & recognitis. † Cujus confessati & recogniti potestas superat omne aliud genus probationis, *c. Quoniam per confessionem De privil. l. Proinde si occisus §. notandum D. Ad. L. Aquil. Alexand. cons.* 127. *Visa inquisitione nu.* 1. *vol.* 4. quod est non tantùm in vera confessione, quæ fit ex responsione & viva voce confitentis, verùm & in ficta & præsumptiva, quæ constituitur ex contumacia seu ob contumaciam illius, qui respondere jussus vel tacet vel ad respondendum non comparet, *l. De ætate. §. qui tacuit. D. De interrog. action.* ut in his ijsdem terminis causæ beneficialis respondit Oldradus *cons.* 320. *Breves allegationes nu.* 2. *vers. præterea cum positiones. Hippolytus de Marsil singulari* 12. † Cùm enim in hac causa sit processum per primam citationem executioni mandatam ad propriam personam præfati M. Ioannis de Meestere, ut constat ex relatione executoris, potuit ex stylo consistorij D. Conservatoris, ab antiquo ita semper observato, ad imitationem processus Curiæ Romanæ, ad ulteriores litis actus procedi per citationes ad valvas per audientiam contradictarum; præsertim contra eum, qui non in eadem, sed alia diœcesi seu provincia degebat, & contra absentem perinde ac præsentem procedi, etiam usque ad sententiam inclusivè; potissimùm tunc, cùm per citationem adversarius citatur super tota causa & ad omnes

actus, *Paulus de castro ad l. Ad peremptorium nu. 6. in fin. De iud. Felinus in c. Quoniam frequenter nu. 30. Ve lite non contestata. Mar. Socin. in tract. De citationibus art. 20. nu. 46.* ut hic factum esse primæ literæ citatoriæ D. Conservatoris apertè demonstrant, inserta hac clausula: *Ad omnes & singulos actus & terminos substantiales necessarios incumbentes gradatim & successive etiam usquæ ad sententiam definitivam & eius executionem.* Sic ut ex hac consideratione præsumptæ confessionis, quam sequens judicis decretum canonizavit, omnes positiones & articuli pro parte dicti Impetrantis pro deductione tituli ac juris sui in, & ad dictam parochialem Ecclesiam positivè positi, pro confessatis & recognitis haberi debeant, etiamsi nullum omninò instrumentum publicum in hac causa pro parte Impetrantis esset exhibitum. Vbi enim extat partis adversæ confessio sive vera & naturalis, sive ficta & præsumpta in pœnam contumaciæ, nullo instrumento opus est ad probandam Actoris seu Impetrantis intentionem: quia plenissima est probatio, quæ ex confessione partis adversæ elicitur, cui plenitudini nihil necesse est addere, *l. 1. in fine D. De dote præleg.*

3 Vnde est, quod Canon, *c. 2. De probationib.* improbet consuetudinem, quæ illi, qui plenè intentionem suam probavit, imponit necessitatem quoque præstandi juramenti. Proinde nihil Dominum Iudicem movere debet, quòd instrumentum procuratorij seu mandati per Impetrantem M. Iaspari Granuellano dati, inveniatur esse nuda copia, quam Advocatus causæ, non viso processu originali, ex copijs exhibitorum instrumentorum asseruerit esse scriptam & subsignatam manu M. Conradi Silvij; ex quo dicti instrumenti contenta, positivè & formaliter pro parte Impetrantis allegata continentur sub prædictis confessatis & recognitis. Vt sub ijsdem etiam continentur, quæ positivè allegata fuerunt de publicatione nominationis & aliorum requisitorum ad valvas dictæ parochialis Ecclesiæ. Etsi enim de ea re confectum instrumentum non sit exhibitum; quia fortè ad manum non fuit: sufficit tamen id pro confessato & recognito decretum esse. Quæ res etiam facit, ut nihil Dominum Iudicem commovere debeat, quòd in scedula exhibitionis & designationis jurium seu instrumentorum, nulla facta sit mentio literarum tonsuræ seu clericaturæ: nam & illa positivè allegata accedit ad cumulum eorum, quæ ob contumaciam citati sunt decretâ pro confessatis & recognitis. Ita ut nihil curanda esset totalis omissio exhibitionis harum literarum; quia hanc omissionem suppleviſſet dicta præsumpta confessio: cùm alioqui nulla sit illius in hac parte omissio, quod re ipsa omissum non invenitur, sed ipso facto inter exhibita instrumenta suo loco collatum. Factum enim ipsum verbis præponderat, & plus est facto exhibere, quam verbo id declarare; ut ubique ferè facta verbis potentiora sunt, *c. Dilecti & ibi gloss. in V. facto provocare De appellat.* Satis itaque est inter articulos articulatam esse hanc clericaturam, & apud Notarium, & in actis hujus causæ re ipsa has literas tonsuræ inveniri: præsumptio enim indubitata est, illas cum alijs velut uno fasce esse exhibitas ad probationem allegatę clericalis tonsuræ, etjamsi in scedula designationis & applicationis exhibitorum instrumentorum nulla illarum specialis facta fuerit mentio: acta enim ipsa, & manifesta rei veritas satis pro advocato loquuntur, *celsus Fago cons. 124. Vulgaris est num. 13.* qui non tenebatur in specie hujusmodi specialem designationem facere; eo sufficiente, quòd instrumenta sint exhibita pro probatione articulorum. Minutiora hæc attingo, pertentatis omnibus angulis, si quid usquam lateat, unde argui possit defectus aliquis non competenter instructæ causæ, quo minùs Impetranti hæc Ecclesia in hac audientia adjudicari possit, præcedente speciali citatione ad videndum jus dici; quæ adhuc in causa desideratur. * Proinde 4
nec illud prætermitto, in quo existimo Dominum Assessorem non constituere defectum plenæ instructionis, quod omnes citationes sint factæ non tantùm adversus D. Ioannem de Meestere, verùm etiam adversus D. Cornelium Hoelbeke; & tamen libellus & conclusio sint contra solum M. Ioannem exhibita: quippe omissa persecutio adversus dictum D. Cornelium impedimento non est, quo minùs Impetranti sua conclusio adjudicari possit adversus dictum M. Ioannem: nam ut duobus citatis, uno comparente, altero se absentante, non prohibetur judex contra præsentem judicare, *l. Non idcirco De iud. l. Si pariter De liber. causa*; ita ut, quamvis sententia contra se absentantem ferri non possit, si ante litem contestatam se absentet, *toto tit. Vel ite non contestata &c.* teneat tamen sententia contra præsentem lata, *l. De unoquoque De re iudic.* ita quoque nihil impedimento est, quin Actor duobus citatis possit contra unum solum in causa procedere, & causam suam instruere. Tot enim videntur esse causæ, quot sunt partes; & contra unum potest procedi, & contra alium causa in suspenso retineri, *Paul. Castr. cons. 341. Circa primum vol. 2. & in d. l. Non idcirco. Socin. cons. 120. Cum in præsenti nu. 8. vol. 1. Phil. Decius cons. 295. In causa.* Ex eo itaque non est dicendum, hanc causam instructam non esse, quia adversus D. Cornelium instructa non sit; cùm adversus eum non petatur aliqua sententia, ut nec adversus eum libellus est exhibitus, sed satis esse debet sic instructam esse adversus M. Ioannem, quòd quoad illum sententia pro Impetrante ferri possit. Et hæc quidem ad demonstrationem, quòd causa hæc plenè instructa sit, nobis sufficere videntur: si quid tamen sit, quod oculos effugerit, ut per judicij nostri tenuitatem pervidere aut deprehendere non potuerimus, non gravabitur D. Assessor, saltem per modum dubij communicare, quod Iudicem ex æquo bono facere posse existimamus, *Rota decis. 793. quæ est sub tit. De verb. signif. in antiquis. c. Causam quæ & ibi Decius nu. 3. De iudic.*

De Probationibus.

SVMMARIVM.

Probatio semiplena.

1. *Iuramentum in supplementum delatum à iudice retractari potest, non etiam quod à parte delatum est.*
2. *Pactio obscura adversus quem sit interpretanda.*
3. *Iuramentum deferendum non est actore nihil probante.*

4. 14. Iura-

4 14. *Iuramentum deferendum ei qui semiplenè probavit.*
5. *Fideiussio ostendit qualis fuerit conventio principalis.*
6. *Mendacium onus probationis transfert.*
7. *Iuramentum super facto proprio deferendum.*
8. *Testis omni exceptione major derogat testi minori.*
9. *Frater an possit esse testis pro fratre.*
10. *Affinis an sit testis pro affine, ubi Angeli & Iasonis sententia in eo articulo reprehensa.*
11. *Testis in causa propria nemo idoneus.*
12. *Testimonys non credendum.*
13. *Clausulæ insolitæ suspicionem inducunt.*

CONSILIVM XCVI.

IN conflictu & pondere probationum consistere videtur causa, quæ ex provocatione nunc pendet in secunda instantia inter Gabrielem de Nayere Appellantem Reum, ac Ioannem Coppens Actorem; an videlicet standum sit scripturæ aut contentis illius, quâ continetur dictum Reum durioribus conditionibus conduxisse, quàm Reus agnoscit; in eo scilicet, quòd Reus in ultimo triennio non posset à conditione recedere, sed teneretur sex bonuaria siligine, & alia sex avena consita, atque alia secundùm morem regionis culta relinquere; quodque non posset vilas arbores in conductis fundis stantes detruncare, nisi pro sepiendis ijsdem fundis? Hoc quidem verum est, Actorem vno genere probationis, & directò per omnia plenissimè non probasse hujusmodi conditiones aut prætactam scripturam, sed semiplenè, imò plusquam semiplenè; ideoque evenit, quòd ex probationibus per omnia non sit pro Actore judicatum, sed delato per judicem primæ instantiæ jurejurando in supplementum probationis: sic quòd quæstio omnis in eo nunc versetur, num rectè Actori, & non potius Reo delatum sit, & an secundi hujus judicis officium sit, non obstante juramento ex delatio-
1 ne per Actorem præstito, ad Rei probationes potius inclinare? † Nam quamvis præstatio juramenti, quæ ex dilatione partis in judicio fit, non possit retractari, quia deferens adversarium testem & judicem in sua causa fecit, *Iason in l. Admonendi nu. 41. & seq. De iureiur.* retractari tamen potest, cùm à iudice in supplementum probationis delatum præstatur; quippe errare potest judex qualemcumque probationem pro semiplena reputando, cùm fortè non sit, *Ias. in d. l. Admonendi nu. 37.*
2 Pro Reo quædam facere videntur. * Et quidem non tantùm generalis regula, quòd in obscuris Reo potiùs, quàm Actori, *c. Cum sunt partium De R. I. lib. 6.* & absolutioni potiùs, quàm condemnationi favendum sit, *l. Absentem §. 1. De pœnis*: verùm illud quoque, quòd ut obscura pactio ei qui locavit, cum potuisset apertius legem dicere, nocet, *l. Veteribus De pactis*; ita quoque obscura locationis probatio; & quod ex neutra parte hîc videantur esse plenæ, sed tantùm imper-
3 fectæ, ac semiplenæ probationes: † quo casu non videtur esse locus delationi iuramenti, sed simplici absolutioni, *l. 1. & ibi Bald. C. qui & adversus quos in integ. &c.* quia imperfectio probationum ab Actore allatarum elidit contrariarum probationum, quamvis etiam imperfectarum, pondere; eoque loco Actoris probationes constituit; quasi nullæ allatæ forent, ita quod ad juramentum decurrendum non sit, sed Reus simpliciter absolvendus, *c. fin. §. fin. De iureiur.* Verùm quia abundantiora & luculentiora testimonia ac probationes habere reperitur Actor, quæ probationes Rei superant, nihil dubitandum, quin in luce & multitudine probationum ad delationem juramenti rectiùs declinaverit Iudex, quàm si simpliciter nullo juramento imperato vel exacto Reum condemnasset. Nam ut nullo probato sine jurandi necessitate Reus absolvendus est, *d. c. fin. §. fin.* ita quoque plenè probatâ intentione Actoris, Reus condemnandus, sive nihil, sive semiplenè ex adverso probaverit, *Bart. in d. c. Admovendi nu. 50.*

* Et primò cum in casu proposito ad delationem juramenti Actori factam movere potuerit se- 4
miplena probatio per unum testem, omni exceptione majorem, *Bart. in d. l. Admonendi nu. 36. & ibi Ias. nu. 166. Alexand. cons. 32. Viso puncto nu. 1. & 2. vol. 1.* sufficere potuit Actori ac Iudici, quòd primus testis ab Actore productus neque ulla justa exceptione reprobatus, aut in suspicionem adductus, deposuerit ita convenisse, ut in projecto seu præparatoria scriptura continetur: præsertim cùm eam depositionem adjuverit Rei responsio, quâ confessus fuit sibi prælectum fuisse dictum projectum, nulla à se interpositâ reclamatione aut contradictione: † sic ut inde plusquam semiplena 5
probatio constitui potuerit. Accedit instrumentum fidejussionis, quæ pro conductione Rei interposita fuit, factâ relatione ad dictum projectum: sic ut propter conformitatem, quæ esse debet inter Rei principalis obligationem, & accedentem fidejussionem vel expromissionem, *l. Græcè §. illud De fideiuss.* vehementissima sit præsumptio, ita quoque convenisse. Et quamvis tenor dicti projecti in fidejussionis instrumento non recitetur, aut aliter non exprimatur; quia tamen nusquam apparet aliud projectum, proclivis est præsumptio hoc esse, de quo nunc controvertitur; multiplicitas enim non presumitur, *l. 2. & ibi DD. C. De honor. poss. secundum tabul. c. in præsentia. de probat.*

* Cujus præsumptionis modus, circa projectum augetur, ex eo quòd Reus multis locis audentius 6
negaverit tempore conventionis ullam scripturam confectam fuisse, sed verbis tantùm convenisse: cùm tamen alio loco nutans & simpliciter confitens, quod prius negaverat, dicat projectum ita conceptum non fuisse: ita ut mendacij atque contrarietatis ratio hic habenda sit, saltem ad probationes Actoris corroborandas *arg. auth. contra qui propriam C de non num. pecun.* aut saltem onus probandi ab Actore in Reum transferendum *l. final. de rei vindicat.* † Vt nihil dubitandum sit, quin Actori exactissimo & æquissimo judicio delatum sit juramentum super eo, cujus veritatem 7
per sensum corporeum scire potuit, *gloss. d. l. admonendi in verb. exacto. gloss. in l. bonæ fidei. C. de rebus credit.* hoc est super facto proprio & propria conventione; id quo errare, aut cujus ignorantiam pretendere probabiliter nemo potest *l. quanquam ff. ad S. C. Velleianum. l. final. in fin. pro suo.* præsertim quod Actori nihil objiciatur, quod ad illius

conditionem elevandam, aut fidem diminuendam, facere possit *Panor. in d. c. fin. §. sanè in 4. collum.* neque hæc causa sit magna aut ardua, secundùm conditionem personarum, sed tantùm de mediocri interesse & minimè de enormi aut excessiva sùma *gloss. in d. verb. exact.* & omniù maximè quod probationes Actoris siue semiplenæ, siue plusquam semiplenæ, non fuerint elisæ per contrarias probationes Rei *gloss. & Bald. in l. 1. C. quibus & adversus quos, Ludo. Roma. cons. 91. visis ac perunctatis num. 10.* Quamvis enim Reus ex adverso conatus fuerit probare per unum testem se projecto reclamasse, & contradixisse quando sibi prælectum fuit, nullum tamen pondus habuit ista probatio: * quia ut partis adversæ testimo-
8 nium deroget testi ab Actore producto, necesse est testem à Reo productum esse omni exceptione maiorem *Bartol. d. nu. 35.* quemadmodum in multitudine testium utrimque productorum & contraria deponentium, judex fidem adhibere debet finceris & nullà exceptione obfuscatis testimonijs *l. ob carmen §. fina. de testibus.* Iam verò constat dictum unicum testem per Reum productum duplici ex causa omni exceptione maiorem non fuisse. Primò quod fuerit Rei sororius: * nam li-
9 cet frater pro fratre testis esse possit *gloss. l parentes. C. de testib.* non est tamen omninò idoneus, quando pro fratre ad fidem alteri testi derogandam inducitur *Ang. §. 1. num. 2. Inst. de grad. cognatio.* neque etiam cùm solus est ad faciendam semiplenam probationem: cùm generaliter nemo testis consanguineus, affinis, vel amicus locus faciat semiplenam probationem *Bart. d. nu. 36. &*
10 *ibi Iason. nu. 167.* † Et quamvis Iason *d. nu. 167.* ex sententia Angeli *cons. 193. visis processibus. nu. 2.* existimet id tantum obtinere in affinibus descendentibus, & ascendentibus; ut non socero, genero, socru, nuru; & minimè in collateralibus, ut in sororio; vera tamen non est ea restrictio: nam Angelus, quem Iason authorem habet, suæ sententiæ fundamentum constituit in quadam Innocentij, & Ioannis Andreæ traditione *in c. nonnulli. in fine de rescrip.* quod collaterales affines sine mandato non admittuntur in causa collateralis affinis, sed tantum collaterales ascendentes; sic restringendo Vlpiani responsum *in l. sed & hæ. de procur.* quod generaliter videtur omnes affines admittere. Quæ ratio ad testimonia transferri non posset, etiamsi Innocentij traditio vera esset; ob id quod in mandato strictior sit facienda interpretatio; ne passim pro alijs alij admittantur invito adversario *d. l. sed & hæ.* & sub prætextu conjunctionis in alienis rebus, grassandi ignorante Domino non detur occasio: cùm testimonium nemo, nisi producente & sciente parte, dicat; sic ut nulla sit ratio cur a generalibus verbis legis *d. l. sed & hæ.* recedendum, sit vel tam latè extendenda affinitas aut consanguinitas ad sororios, qui fratris locum obtinent. Secundo quod etiamsi sororius generaliter testificari posset; hic tamen impediretur alia ex causa: quia ejus interest allegationem Rei veram esse, ob id quod sit fidejussor pro contractu Rei, ut patet ex instrumento de eo exhibito † Inidoneum autem est testimonium
11 de eo facto, in quo testis habet interesse; quia in propria causa testimonium dicere videtur *l. nullus de testib. l. omnib. C. eod. tit.* Et preterea ut constet de ea reclamatione Rei; quia tamen serius illa facta esset, post aliquot annos à contracta locatione, nihil operaretur: quia à contractu semel perfecto reclamando vel contradicendo recedere non potuit *l. sicut. C. de obliga. & actionib.* sic ut Actori satis sit probasse semiplenè imò plusquam semiplenè hujusmodi pactionibus conventum fuisse ab initio. Quæ ulterius objiciuntur adversus dictum instrumentum fidejussionis, perinde futilia sunt; vel ex eo, quòd Reus aliquoties negaverit se fidejussores dedisse, aut fidejussionem factam pro contractu, sed tantum pro arrestatis granis; cùm tamen alibi dicat pro implemento conductionis, alibi veluti pro judicato, pro eo silicet quo Actor jure adversus Reum obtinere posset: hic ut inextricabili contrarietate & contradictione involvatur, & exceptioni hujusmodi fidem detrahat ipse Reus *l. 1. C. De fartis* præsertim quod probationem contrarijs obtulerit, & fidejussores audiri petierit, nec tamen produxerit aut audiri fecerit. Nec obstat certificatio Notarij per Reum exhibita, ex qua constare videtur quod Scabini qui in instrumento fidejussoris pro testibus pronuntur, testificentur aliter quàm habet ipsum instrumentum: † nam principiò hæc certificatio 22
nudum testimonium est sine auctoritate & commissione judicis receptum à Notario, idque litè pendente extra judicium; quod ad conficiendam semiplenam probationem sufficere non potest *Bart. in d. l. admonendi nu. 41.* quia ex inordinata hac testium productione & receptione inducitur quædam suspicio contra producentem, ideoque testes nullam fidem merentur; *Ias. in d. l. admonendi nu. 183.* potissimùm quod parte non citata audiri sint; ex qua causa fidem non merentur testimonia, etiamsi coram Principe recepta essent *Bart. in l. filiusfam. ff. de donat. Fr. Curtius senior cons. 21. Tho. Grammaticus dec. 102. nu. 233.* & hoc est quod dicitur judicem non testimonijs, sed testibus credere debere *l. 3. §. idem Divus Hadrianus. De testibus.* Nec ad rem facit, quod hi testes postea ordinariè producti sint: nam examinati nihil deposuerunt, quam relatione ad dictam certificationē Notarij facta, de qua tunc judici non constabat, quæque tunc per Reum nondum erat exhibita: sic quod inspiciendo tempus depositionis, nihil deposuisse videantur, quia de relato non constabat *authen. si quis in aliquo. de edend.* Et quamvis postea post terminum producendorum instrumentorum cum scriptura exceptionis in testes, hoc Notarij instrumentum produxerit Reus, serius tamen productum est, etiamsi per restitutionem ad id admissus fuerit: tum quod parti adversæ tunc integrum non fuerit illud impugnare; tum quod eadem vitia adhuc habet & prædictà suspicione nihilominus laboret; ex eo præcipuè quod præcedente illâ illegitimâ & inordinata productione, Reus testes quodammodo astrinxerit, ne contrarium dicendo in periculum adducerentur; † præsertim ob insolitas clausulas promissionis, quas in eodem instrumento dicti testes faciunt; quasi scilicet ex convento, non ex libera voluntate deposituri fuerint: solent enim insolitę

litę clausulæ reddere instrumenta suspecta *Ang. in l. si quis sub conditione. de cond. institu. Baldus in c. quia verosimile. de præsumpt. Paul. Parisius cons. 55. contractus n. 51. vol. 1.* & ubi abundatior est cautela, ibi evidentior est fraus. *Bald. in c. ex literis. de consuet. & in l. testim. & ibi Iason. C. de testib.* Quâvis interim non multũ laborandũ sit in eo ob in quod illi testes in eo Notarij illegitimo instrumẽto deponant, quod fideiussio facta sit non tãtum de gratis, verùm etiam de eo quod Actor adversus Reum obtinere posset: quod in effectu non dissidet à fideiussione contractus, ex quo solo obtinendi aliquid adversus Reum Actor spem habere poterat. † Cùm itaque Actoris probationes pluſquam semiplenæ fuerint, imò plenæ atque etiam de probabili ac verisimili, proprioque facto nullis adversarij probationibus elisæ ac deminutæ *Bald. in l. 1. num. 5. C. quib. & adversus quem in integ.* nihil mirum est si Iudex primæ instantiæ Actori viro honesto & gravi in causa civili minimeque ardua, aut de excessiva pecuniæ quantitate iuramentum detulerit, & secundùm illud sententiam in favorem Actoris protulerit: sic vt nihil quoque sit cur nunc huius secundæ instantiæ Iudex ab ea sententia recedere debeat.

De Probationibus.

SVMMARIVM.

Cardinali asserenti an credatur.

1. *Instrumento publico statur donec contrarium probetur.*
2. *Mandatum se à Principe habere asserenti non creditur.*
3. *6 Cardinali asserenti se legatum creditur, an etiam quoad alia omnia?*
4. *Cardinali sibi asserenti ea quæ sunt supremæ potestatis, an credatur?*
5. *Legitimatio liberorum naturalium quibus noceat.*
7. *Argumentum à soluto valet.*
8. *Error communis ius facit.*

CONSILIVM XCVII.

QVIA dubitatio exorta est ex literis legitimationis, quibus ad instantiam quondam M. Augustini Blocquerię legitimati dicuntur liberi ejusdem Magistri Augustini per Dominum Georgium de Porta Lateranensis aulæ comitem, & militem Palatinum; quasi eam potestatem non habuerit dictus D. Georgius, sed ex defectu juris ipsius datoris, debeat quoque deficere jus accipientium; operæ prætium erit hanc quæstionem definire. Dubitandi autem causa in eo consistit, quod dictus D. Georgius in literis legitimationis pro probatione suæ potestatis inserverit literas non Sedis Apostolicæ, sed Illustrissimi D. Antonij Cardinalis: qui Cardinalis in illis asserit se perpetuum Gubernatorem, & Sedis Apostolicæ de latere legatum in terra Gualdi, & per literas Apostolicæ Sedis sufficientem authoritatem, & facultatem habere creandi Comites Palatinos: datâ eis inter cætera facultate nothos, bastardos, naturales, spurios, incestuosos, & manzeres copulativè & disiunctivè, ex quocumque illicito & damnato coitu procreatos legitimandi, seu naturalibus restituendi: Ex eo enim primò quæritur, an Cardinali asserenti se esse legatum de latere credi debeat? Secundò admisso quod in hoc ei credatur an in illo quoque fides ejus assertioni adhibebitur, dum narrat se eas facultates habere? Quæstiones sanè sunt non parvi momenti. Nam ut omittamus illam quæstionem, an fides adhibenda sit literis seu bullis in dicta legitimatione insertis; † quæ cum publicam formam habeat, & non inveniatur in illis contra jus vel stilum curiæ scriptum, suspicione carere debent, & adeò eis tamdiu fides adhibenda, dum de falso, vel vitio arguantur, *l. Cum precibus. C. De probat. Ant. de Butrio in c. Quod super his. De fide instrum.* in illo residet dubitatio, an in his quæ enuntiativè Illustrissimus Dominus Cardinalis in ijs narravit sit credendum; * propter generalem illam doctrinam, quâ traditum est non credi simplici assertioni ejus qui se dicit mandata à Papa seu Principe habere, nisi per literas mandati seu commissionis id probet, *l. Vnica. C. De mandat. prince* quod nominatim Cardinalibus & legatis de latere à Bartolo, *in l. Vnica. C. De suprem. lib 10.* & alijs plurimis applicatur, *in l. iusiurandi. C. De testib.* Sed ut disputationem hujus articuli in utramque partem omittamus, * remittendo ad Andream Barbaciam Siculum, qui singulari tractatu eam latissimè examinavit, *in tract. De Cardinalibus legatis. 1. q.* dicimus communem opinionem in eo residere, quod Cardinali asserenti se legatum omninò credatur, etiamsi literas suæ legationis non proferat: quia quod consuetudinarium est, censetur semper esse mandatum, *l. Excepto. C. De loca. l. Generaliter De fideius.* Est autem moris ut Cardinalis, qui Domino Papæ continuò assistere & adesse debet, non recedat ab urbe sine mandato, sed ut legatus: unde aliter commissionem de officio legationis sibi factam docere non cogitur, *c. Nobilissimus 97. distinct.* extantque de ea re consilia Doctorum non pauca. *10. Calder. cons. 2. De off legati. Panor. cons. 18. vol. 2. & idem in c. quod super De fid. instru. Alex. consil. 105. perspectis his n. 19. & ibi in addit. Mollæ. vol. 2. Paulus Paris. consil. 132. prima facie. num. 19. vol 4.* Quare quoad primum articulum non hærendum, quin scilicet dictis literis standum sit quatenus Legatus narravit se legatum missum ad terram Gualdi. Major est perplexitas in posteriore, an ei credendum sit in eo, quod narravit se tam amplas habere potestates? Occurrit enim regula quæ unius testimonio & assertioni objici solet *l. iurisiurandi. C. De testi.* adeò per illam Panormitanus dixerit *in c. Quod translationem. in fin De off. lega. & notatur in c. 1. De off. lega. li. 6.* † Cardinali asserenti Papam sibi concessisse, quæ jure superioritatis ei reservata sunt, non esse credendum, ideoque eum id probare debere. Quamvis Bartolus dicat Canonistas in ea esse sententia, ut cardinali de præeminentia Papæ sibi aliquid asserenti credatur *d. c. Nobilissimus* quod de consuetudine in Cardinali legato obtinere ex sententia Ioannis Andreæ *in c. constitutus De app.* testantur Lapus, *allega. 33.* & Andreas Brabacia *loco supra cit. nu. 12. in fin.* nec ab eo abhorret Panor. *in d. c. constitutus. Nic. Everard. Præses cons. 217. nu 2.* Sed quoniam probatio ejus consuetudinis non minorem fortasse difficultatem habi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

habitura esset. præstat ad communiora, certioraque confugere. Communiori itaque calculo cùm receptum sit credi assertioni Cardinalis maxime legati in his, quæ non tendunt in præjudicium tertij, aut quæ non vsque adeo magni momenti sunt; in alijs verò aut alio modo non æquè *gl. in c. sicut desen. excom.* Panor. *caterique locis* §. *nota*, Feli. *in c. ad eminentiam De sent. excomm.* Egid. Bellame. *dec.* 628. Ias. *conf.* 71 *volum.* 1. Step. Aufrer. Dec. Tholos. 463. *gl. pragmat. titul.* De *sublatione clem literis. in verb. quibuscumque.* Celsus Hugo *conf.* 111. *omissa serie nu.* 12. rectè dici potest in causa præ-5 senti, credendum esse. † Nam legitimatio collata in personam liberorum prædictorum nullius præiudicium concernere potuit nisi patris, ad cujus successionem sic venturi erant, quique eos propter hujusmodi legitimationem liberè excludere à sua hæreditate, ut prius, non poterat *Auth. ex complexu* C. *De incest. nupt.* dici autem non potest patrem per eam legitimationem aliquo modo læsum esse aut damno affectum; quia non nisi eo requirente & instante præfatus comes ligitimationis beneficium impendit; & sic nihil passus, non circumventus aut fraudatus, aut præjudicium aliquod accepisse dici potest. *l. nemo videtur fraudare l. quod quis ex culpa* De *reg. iur l.* 1. *in fine. ff. quod fals. tuto l.* 1. §. *usque adeo ff. De iniur.* Quod vero dici posset, agnatos Domini Augustini præjudicium accepisse ex hac legitimatione, sine quâ ab intestato Domino Augustino successuri erant, nihil movere potest. Primò quod illud præjudicium, vivente adhuc Domino Augustino in considerationem venire non debeat; quia viventis nulla est hæreditas *l. qui superstitibus De acquir. hæred. l.* 1. *De hæ vel ac. ven.* neque alicui sic debebatur, quin liberum ei fuerit profusis largitionibus aut alijs modis eam alienare, vel testamento quibus vellet relinquere. Deinde quia tempore legitimationis vivo adhuc Domino Augustino nemo omnino fuit consanguineorum, qui huic legitimationi contradixerit: nemo qui sibi nocitum per eam allegare potuerit: ut proinde nunc audiri non debeant, si controversiam vel dubiam facere nitantur dictam legitimationem: si enim vivo testatore vires suas habuit, cur morte ejusdem concidisset? Ad quæ faciunt quæ disertè admodum per Angelum, *conf.* 182. *incip. Mandatum* 6 *Principis*, deciduntur sub distinctione; * videlicet quòd quandocumque legatus Cardinalis asserit se habere mandatum Papæ super his, quæ directè concernunt præjudicium alienum, tunc nullo modo ei credi nisi ostensis literis legationis; quando verò asserit se habere mandatum super eo, quod principaliter non ordinatur nec tendit in præjudicium alienum, veluti (inquit) dispensare cum inhabilibus, tunc ei credetur sine literis. Quam distinctionem confirmando Andreas Barbatia, *loco suprà citato vers. circa secundum nu.* 7. *in fine*, dicit eam indubitate procedere in his, quæ non sunt minùs ardua, ut in dispensando (inquit) cum inhabilibus. Cùm itaque legitimatio contineat speciem dispensationis super inhabilitate natalium, eaque inter se vicina admodum sint, *canonistæ in c. Per venerabilem Qui filij sint legit. in.* quid mirum, si secundùm eam distinctionem dicamus assertioni Domini Cardinalis, asserentis se habere facultatem Comites Palatinos creandi, illegitimos legitimandi, beneficia vacantia conferendi, standum sine alia probatione, *Franc. Marcus decis. Delphinali* 976. *p.* 1. quia hujusmodi gratia directò non tendit in præjudicium alienum; neque ad hoc ordinata est legitimatio vel beneficij vacantis collatio, ut eripiatur alicui hæreditas, vel beneficium, quæ vivo testatore nulli debita erant; sed ut persona habilitetur, possitque pater liberè in eam liberalitatem conferre: quemadmodum sine contradictione agnatorum in prorsus extraneam personam posset. Deinde si verè dici posset hujusmodi gratiam aut concessionem tendere in præjudicium aliorum, benè prospectum est in casu præsenti per D. Cardinalem adversus hanc querelam per adjectionem clausulæ. *Absque tamen præiudicio illorum &c.* Ita ut meritò dicere liceat, eam potestatem seu facultatem non esse arduam, sed levem & vulgarem; utpote respicientem commodum subditorum sine alicujus præjudicio, & in se non continentem aliud, quàm quod voluntariæ jurisdictionis est, *Bart. in §. generaliter. in Auth. quibus mod. natur. effic. sui col.* Quamvis alioqui manifestum sit, hujusmodi potestatem creandi Comites Palatinos nullo modo tendere in præjudicium alienum, quia id intelligi non potest. * Rursus cùm à solitis & consuetis rectè ducatur argumentum, *l. Si servus communis* §. *circa* D. 7 *De furtis*, dicimus præsumptionem fidei esse penes dictas literas, ex eo, quòd Pontifex nullum soleat à se dimittere Legatum, cui non concedat saltem eas, de quibus hic agimus, facultates. Proinde eo concesso, quòd credi debeat Cardinali asserenti esse Legatum, illud quoque, quod ex more & consuetudine ei connexum est, concessum dici debet, ut scilicet possit Comites creare, & legitimandi facultatem concedere, *gloss. pragm. Aufrer. Franc. Marcus & alij locis suprà citatis.* † Postremò prædictis 8 cessantibus ex communi opinione & publico exercitio dicti D. Georgij sustineri debet prædicta legitimatio seu concessio à Domino Cardinale ei facta; quod ab omnibus pro Comite Palatino propter literas dicti D. Cardinalis plurimis annis, videlicet plusquam triginta quatuor, sit habitus; quodque ad eum ut talem quotquot legitimatione opus habuerunt recurrerunt, & adhuc de præsenti recurrant; & quòd magis est gratiæ ab eo concessæ etiam in contradictorijs judicijs exitum habuerint: ut iniquum planè fuerit communem errorem (si verè error dicendus est) his literis nocere, *l. Barbarius* D. *De off. prætor. Innoc. in c. Nihil est De elect. Ioan. Andr. in c. Cum in iure peritus* De *offic. deleg. Ioan. Calderinus conf.* 82. *aliàs conf.* 2. *sub tit.* De *offic. leg.* Rectè itaque fecerint Domini Arbitri, si probitate & legalitate D. Georgij compertâ, quæstionem illam prætermiserint, & scrupulositate exacti juris (à cujus observatione liberi sunt, *l. Societatem* §. *arbitrorum* D. *Pro socio.*) rejecta, ex æquo & bono crassiorem æquitatem sequentur, quæ hoc postulare videtur, secundum ea quæ suprà deduximus, ut de assertione D. Cardinalis nulla concipiatur sinistra suspicio. Quod si tamen velint in ea hærere, & ex eo capite legitimationem in dubium vocare; hoc saltem imprimis declarent, illius exactiorem probationem requiri: nam etsi summam difficultatem habitura erit ea proba-

probatio; impossibilis tamen non erit, cum ex regestis Romanæ curiæ aut terræ Gualdi ea adhuc haberi possit; sed tamen, ut diximus, causa verè id non postulat.

De Probationibus.

SVMMARIVM.

Pobatio per testes.

1.19. *Mutui causa est numeratio pecuniæ & probanda.*
2. *Confessio mutui infirma.*
3. *Exceptio non numeratæ pecuniæ à confesso mutuum objici potest.*
4. *Concubinarius Sacerdos infamis, & inidoneus testis est.*
5. *Infamis est qui concubinam & uxorem habet.*
6. *Falsarius infamis est.*
7. *Probari tantum debet quod ad probandum admissum est.*
8. *Confessio unius alteri non præiudicat.*
9. *Præsentia alterius non probat eiusdem scientiam.*
10. *Singularia duo non concurrunt.*
11. *Contrarietas testium præsumptionem falsi habet.*
12. *Testis unicus quando non faciat semiplenam probationem.*
13. *Testes in mutuo quando coniungantur.*
14. *Confessio parte absente facta non probat.*
15. *Confessio per unum testem probata non facit semiplenam probationem.*
16. *Confessio extraiudicialis geminata quando non probet.*
17. *Confessio declaratoria actus prateriti requirit partis præsentiam.*
18.21. *Confessio sine causa non nocet.*
20. *Testi referenti se ad instrumentum non creditur, nisi probato instrumento.*

CONSILIVM XCVIII.

CIRCA probationem versatur omnis difficultas inter Dominum Stephanum Flebaer Actorem, & Domicellam Margaretam vander Ee, relictam Domicelli Wilhelmi de Bierbeke Ream; an videlicet per testes pro parte Actoris productos sufficienter probatum sit Actorem dicto quodam Wilhelmo quadringentos florenos, & præfatæ domicellæ Margaretæ centum florenos mutuo dedisse. Et sanè quatuor sunt testes, qui de eo aliud deponere videntur: nam quintus & sextus nihil omninò quod Actori prodesse possit deponunt. Videamus ergo quantum ponderis illorum quatuor testium depositiones habeant † Hoc imprimis
1 admonendum Actorem intentionis & actionis suæ fundamentum, hoc est numerationem pecuniæ, quæ est causa mutui, *l. 2 §. item mutuum l. Non omnis l. Qui pecuniam D. De reb cred. & si cert. pet.* non probasse, imo probare non potuisse: quod ipsemet satis indicavit quatenus in libello suo à numeratione in quarto articulo allegata, confugit ad confessionem mutui. † Quæ quidem mutui confessio, quàm sit infirma, & quam mutuum omnino non probet ex eo fit manifestum,
2 quod etiam tunc, cum confessioni hujusmodi nihil aliud objici potest, semper tamen objici rectè possit exceptio non numeratæ pecuniæ *Alex. in l. si ita stipulatus §. Chrysogonus. De verb. obligat. Bald. in l. Si ex cautione C. De non num. pecunia.* Nam quamvis per confessionem numerationis in alijs apertissima resultet probatio, *l. publica in fin. D. Depositi* in his tamen quæ odiosa sunt quorum numero est mutuum, an eandem vim habet confessio *Mar. Socin. consil. 3. num. 10. vol. 1. Paul Castr. consil. 155. In causa quæ vertitur vol. 2.* Solum ergò hoc investigandum an Actor confessionem Rei de accepta aut mutuo data pecunia probaverit. Ordine igitur singulos testes percurramus.

Et certè in primo subsistendum non est, ex causa: primò quod ad deponendum inidoneus sit; ut pote in ea conditione constitutus, ut ei fides adhiberi non debeat. Idque rursum ex duabus causis tum ob objectum & satis agnitum vitium concubinatus, tum etiam ob crimen falsi, ob quod si non omninò apertè condemnatus est, quia tamen super eo pactus est, & composuit cum fisco, pro condemnato haberi debet, *l. Quoniam ff. De his qui not. infamia.* * Prius enim delictum, in Sacerdote præsertim cuius nulla potest esse carnalis con-
3 junctio, citra nefas & incestum, inducit infamiam & cum infamia inhabilitatem testificandi, *c. Consanguinei III. q. 5.* Neque requiritur ad hoc judicialis sententia seu condemnatio, quia hujus generis delictum commissum velut umbram trahit secum infamiam. * Quemadmodũ eo ipso quis
4 efficitur infamis, quòd uxorem & cõcubinam uno tempore habet. *l. 1. in fine l. Quid ergo De his qui not. infamia, l. 2. C. De incest. nupt. & ibi Bald. Alex. in d. l. 1. in fine.* in qua eadem causa poni debet Sacerdos concubinarius; uxoris enim loco est illi sacerdotium, *c. Inter corporalia, c. fin. De translat. Episcop.* Vnde si concubinam adjungat, longè gravius peccat, & tantò gravius, quanto spirituale matrimonium præstat carnali. * Posterius verò crimen tam est ordinatum, ad derogandam fidem
5 ei, qui illo laborat, ut non possit intelligi in eo ulla esse fides, qui illam fefellit. Falsi quoque crimen publicum est, *l. 1. & ibi gl. ff. De publ. iudic. §. item lex Cornelia De falsis Instit. eod.* quo qui damnati vel pacti sunt infames fiunt, *d. l. 1. De his qui not. infam.* & sic ad testificandum inidonei *l. Quæsitum De testib. c. ex parte De testam.* Secundò in ejusdem primi testis testimonio subsistendum non est, quòd sit singularis & unicus in eo, quod deposuit: nemo enim omnium aliorum testium est, qui aliquid deponat de confessione Wilhelmi dictæ Reæ filij, de qua ipse; vnde ob singularitatem nullam fidem meretur, *l. Iurisiurandi C. De testib. c. veniens 1. & c. Licet 2. De testib.* Vt autem apertiùs hujus testis dictum elevemus, & prorsus annihilemus, saltem quoad hoc, ne prosit Actori ad intentionis suæ probationem; videamus an perfectam probationem obtineret, si quod primus deposuit, secundus aliquis testis pariformiter etiam deponeret? & dicimus quòd non.
6

Primò ex eo, quòd confessio per Actorem non sit articulata; ita quod hujusmodi depositio, etiamsi plurium esset, nisi quod allegatum & ad probandum admissum est; alioquin probatum non relevat, *Ang. cons. 169. Super puncto, Bald. cons. 457. Factum sic proponitur vol. 4.* Deinde quod hic testis super quarto articulo continente mutui dationem productus deponendo extra articulata de-

ponat

ponat de illa dicti filij confessione, & minimè de eo
9 quod ibi articulatum erat. † Et tertiò, quod etsi articulata fuisset, nihil relevaret: nemo enim confitendo alij præjudicare potest, *l. Non debet alter De reg. iuris*, nec filius patri, nec matri. Vt enim filius patrem vel matrem obligare directò non potest, *tit. C. Ne filius pro patre*; ita nec per indirectum confitendo illis præjudicare valet: & generale est, ut mater confitendo non possit præjudicare filio, vel è contra filius matri, *Phil. Decius & aly in d. l. Non debet*. Quibus non obstat quod idem testis deponat, in præsentia matris hujusmodi confessionem esse factam; nam ex eo non sequitur, quod mater in illam confessionem consenserit, aut etiam quod ea sciente, audiente, ac intelligente facta sit: * quia quamvis qui de sua præsentia deponit, præsumatur sciens, qui tamen de alterius præsentia deponit, non probat scientiam, nisi etiam dicat de intellectu illius, *Bart. in l. 1. De auct. or. & conf. tutor. Alexand. consil. 1. In causa appellationis nu. 2. vol. 4.* non probat igitur adesse eam, *l. Neque natales. C. De probat.* Novissimè hoc attendi debet, hanc confessionem non congruere dicto quarto articulo seu intentioni & fundamento juris agentis: confessio enim hæc de duabus separatis mutuationibus loquitur, quadringentis scilicet florenis patri, & centum matri factis; cùm Actor dicat se conjunctim matri &
10 patri dedisse mutuo 500. florenos. † Hæc enim adversitas quamvis forte in alijs conjungi possit; hic tamen non æquè id admittendum est, ne una confessio (cui alioqui efficacitas nisi violentus nullus inesse potest) duo singularia operetur *l. 1. & ibi Bald. C. De dotis promiss.* præjudicium scilicet tertij & effectum extensionis, *contra regulam Res inter alios acta &c.* Quibus omnibus si addantur quæ paulò post de confessione extrajudiciali in partis absentia subjiciemus, non videmus quo colore vis aliqua collocanda sit in hujus testis dicto; quod non tantum ex conditione personæ elevatur, verùm etiam ex varijs circumstantijs jam deductis nihil operari ostenditur.

Transeamus ad secundum testem, qui simpliciter deponit, Ream sibi concessam, quòd Actori in summa articulata obligabatur: adversus quem dupluci quoque impugnatione uti possumus; quarum altera penitus evertit ejus depositionem, altera solam, & sic sine effectu relinquit, *c. Licet universis De testib.* Ad prius pertinent illa, quæ tam diligenter disputata sunt; quod scilicet hic secundus per Ream productus, deponat, se numquam ad hanc causam citatum aut juratum depositisse: operatur enim hæc depositio ex duobus, alterum scilicet, quod vel credi debeat huic posteriori depositioni, vel non credi: si credi debet, jam sine ullo scrupulo falsissimum erit, in prima depositione eum verum deposuisse; qui enim verum deposuisset, qui examinatus non fuit? sin verò credendum non erit, hoc saltem consequetur, nec priori depositioni fidem adhibendam; talem scilicet, quæ pro semiplena probatione haberi debeat, * ob illius contrarietatem, *l. Qui falso De testib.* ex ea enim falsitatis præsumptio oritur, *l. Eos & ibi Bart. D. Ad L. Corn. De falsis.* aut certè levitatis maximum argumentum. Quæ ex eo quoque augetur, quòd testes pro Actore postea producti deponant, hunc secundum testem eodem quo deposuisse dicitur die dixisse, quòd pro Actore deposuisset, sic quod speraret eum triumphaturum: ijs enim verbis in perjurium quodammodò incidit, qui testificata, contra quam prohibitus erat sub pœna perjurij prodidit & qua affectione prius deposuisset ex testatione sperati triumphi ostendit; ita ut ex post facto jam inde ab initio credi debeat eum favorabiliter & partialiter pro Actore deposuisse; ut sic meritò ei credi contra Ream non debeat, *c. Quoties De testib. l. Eos C. eod. tit.*

Ad posterius quoad enervationem depositionis primùm referri potest illud, quod sit singularis; neque enim contestem habet: nam quamvis tertius testis videatur etiam deponere de quadam Reæ confessione, nihilominus tamen utrimque permanet singularitas; ob id, quòd in tempore varient: tertius enim de certo tempore, quo Rea confessa esset se debere, deponit; secundus verò simpliciter dicit se sæpius audivisse Ream id confitentem; diversitas enim temporum testium singularitatem inducit. Vnde etiamsi nihil esset, quod objici posset conditioni & personæ horum testium; tamen ex hujusmodi singularibus depositionibus nihil constitui potest, *Phil. Probus in addit. ad Ioannem Monachi in c. 1. De arbitris. lib. 6.* * Et quamvis alibi uni- 12
eus testis faciat semiplenam probationem, qui super facto principali deponit; qui tamen super confessione partis tantùm deponit ne semiplenam quidem facit, *Panorm. in c. Cum dilecti nu. 8. De elect.* † Item licet tres testes, quorum unus de facto 13
principali, hoc est mutuatione, ut est in causa præsenti, deponit, alij duo de confessione partis conjungi possint ad plenam probationem, *Panorm. in c. Cum dilectus nu. 6. & 15. De succes. ab intest.* duo tamen de sola confessione deponentes nihil probant. † Idque hic tanto magis dici debet, ob id, 14
quòd hæc confessio, de qua dicti duo testes deponunt cum varietate temporis, sit merè extrajudicialis, factâ parte absente; quo casu confessio etiam per decem testes probata, plenæ probationis effectum non continet, *Alex. conf. 24. Animadversus n. 40. vol. 2.* Et licet plerique hujusmodi confessioni potestatem præsumptionis tribuant, *Alex. conf. 152. Viso processu nu. 19. vol. 5. Phil. Corn. consil. 113. circa primum nu. 16. vol 1.* hoc tamen tunc tantùm procedit, cùm ipsa confessio per duos testes ad minus probata est: * nam probata per unum testem nec 15
plenam nec semiplenam probationem, imò ne indicium quidem facit, *Alex. conf. 132. Perlectis nu. 16. vol. 5.* & sic ut semiplenam illam probationem inducat, necesse est, quòd ad minus duo testes in individuo de eadem depositione deponant; si enim unus testis dicat de una facta uno die, & alius de alia, non probant semiplenè; quia sunt singulares, sic ut jungi non possint, *Alex. conf. 39. Veritur lis vol. 5.* † Et proinde cessat illud fundamentum, 16
quo audimus D. Iudicem cœpisse moveri in concipienda sententia contra Ream; hoc scilicet, quòd geminata hic sit confessio, quæ etiamsi extrajudicialis sit, probet tamen, ob id, quod judiciali confessioni æquiparetur, *Bart. in l. Cum scimus c. De agric. & censitic. lib. 10. Lud. Roman. consil. 290. Castr. in d. l. Publica.* Nam quamvis quoad juris dispositionem non velimus hic illam opinionem improbare;

probare; tamen ad factum & causam præsentem relata, nihil operatur: ob id, quòd nulla confessio hîc inveniatur in individuo per duos testes probata; & sic quamvis mille testes deponerent de singularibus confessionibus, nihil probarent. Geminationi quidem vim lubenter concedimus; sed geminationem in præsenti causa negamus: & non tantùm geminationem, sed in universum confessionem, *Castren. d. cons.* 155. Cum ergò duo hîc concurrant, & defectus probationis singularium confessionum, & præterea confessioni hoc vitium insit,
17 quòd parte absente sit facta; † (nam confessio declaratoria actus præteriti ad sui validitatem requirit partis præsentiam tunc, cùm extra judicium fit, *Panorm. in d. c. Cum dilectus nu.* 5.) Verè dicimus, nihil momenti in his duabus depositionibus latere. Nam fundamentum actionis & intentionis est ipsa mutuatio seu numeratio, quæ per nullum testem affirmatur: id autem quod probatur imperfectè, neque pro fundamento ab Actore proponitur, neque etiam proponi potest; quia hujusmodi confessioni vis inducendæ & constituendæ obligationis inesse non potest: neque enim inter modos obligandi usquam reperitur, *Castr. d. cons.* 155. Augentur præmissa, quòd secundus testis deposuerit de indiscreta omninò confessione, quod scilicet Rea summam articulatam confessa sit se debere Actori; de causa debiti, quoad aliquid confessa
18 sit Rea, nihil dicit. † Cùm autem de jure certissimum sit, simplicem confessionem etiam in præsentia partis factam, & multò magis eâ absente, si nullam contineat causam, non habere vim & effectum obligationis, nisi causa probetur per Actorem in confessione se fundantem, *elegantèr Panor. in c. Si cautio in princ. De fide instrum.* sequitur in hac causa, etiamsi secundus testis contestem haberet,
19 nihil nocituram ipsam confessionem per se: † tantoque minùs, quòd Actor se fundaverit non in confessione, sed in mutuo: quo casu ex recepta opinione, *Panor. in d. c. Si cautio nu.* 4. etiam probatâ confessione Actor obtinere non debet. Quibus satis etiam enervatur depositio prædicti tertij testis: nam obstat ei singularitas & confessionis instabilitas ac inefficacia. Imò si propiùs inspiciatur, de nulla confessione Reæ deponit; quam scilicet ipse ex ore Reæ audiverit: nam dicit se tantùm vidisse & legisse instrumentum in quo Rea confitebatur. Iam verò quàm hoc distet à vera confessione ore probata & auribus exaudita, facilè videbit D. Iudex. Apparet ergo ex hac consideratione nullâ ratione posse conjungi tertium & secundum testes: hic enim de confessione nuncupata, ille de scripta in instrumento deponit. Et cùm secundi testis depositioni nullam vim inesse ex variis circumstantijs ostenderimus, certè minus momentum in testimonio tertij esse dicere possumus; † ob id, quòd
20 cùm testium & instrumentorum par sit vis, *l. In exercendis. C. De fide instrum.* & instrumento facienti mentionem alterius, non credatur nisi illo altero quoque probato, *Auth. Si quis in aliquo C. De edendo*, non possit huic testi referenti se ad instrumentum à se lectum credi, nisi eodem quoque instrumento probato; quod in hac causa factum non est. Præterea non major vis vel authoritas tribui potest huic depositioni, quàm ipsi instrumento, si probatum esset. Iam verò si instrumentum probatum, & in hac causa exhibitum inveniretur id continere, quod hîc testis deposuit, & sic quidem, quòd ei instrumento nihil objici posset quoad solemnitatem & fidem; adhuc tamen nihil probaret;
† quia indiscreta esset confessio, nullam contí- 21
nens debiti causam: quo casu ex apertissima juris dispositione, nisi intervenerit exacta causæ probatio, Rea condemnari non posset, *d. c. Si cautio, l. Cum De indebito §. fin. De probat.* Restat quartus testis, in quo hærere non est necesse, nam de confessione Reæ nihil deponit, sed de quadam epistola Reæ ad tertium scripta, de qua nemo ex alijs testibus vel verbum unum meminit: unde in primis obstat ei singularitas. Secundò, nihil prodesse potest Actori veritas hujus depositionis; quia non deponit de aliquo debito Actoris, & ne per demonstrationem indicat Actorem; cùm demonstratio vice hominis esse soleat. Denique & tertiò, quia testis hic ex instrumento, hoc est, epistola & concordia dictum suum profert, non est illi soli credendum, nisi illis ipsis instrumentis prolatis, *d. Auth. Si quis in aliquo*, juxta ea, quæ paulò ante ad invalidationem testis prædecentis diximus. Cùm ergo nulla sit certitudo, nulla soliditas in omnium horum quatuor testium dictis; & præterea eadem dicta versentur circa illa, quæ & per plures affirmata, essent ad perfectam probationem infirma; & denique quòd super principali basi & fundamento hujus actionis, hoc est mutuatione, in qua se Actor fundavit, nulla omninò reperiatur probatio, ne quidem semiplena: consequens est, ut non probatis ijs, quæ actor suæ intentionis fundamenta proposuit, Rea omninò absolvi debeat.

De Probationibus.

SVMMARIVM.

Probatio cognationis.

1. *Fratris filius materteræ filio vel nepoti propior est.*
2. *Præscriptio ipsoiure possidentem non tuetur.*
3. *Petitio hæreditatis* 30. *annis perit.*
4. *Citatio sola interrumpit triennalem præscriptionem.*
5. *Præscriptio longissimi temporis extremum momentum requirit.*
6. *Ignorantia excusat adversus præscriptionem.*
7. *Qualitas sub qua agitur probanda.*
8. *Antiquitas temporis difficultatem probationis inducit.*
9. *Cognationis probatio difficilis.*
10. *Testimonium de auditu recipitur in probanda cognatione.*
11. *Cognationis probatio unde initium capiat.*
12. *Antiquitatem faciunt centum, imò quadraginta anni.*
13. *Temporis immemorialis probatio quot annis conficiatur.*
14. *Antiquitas quando in probationibus prosit.*
15. *Diversitas nominum, personarum diversitatem arguit.*
16. *Arma & insignia aliena nemo usurpare debet.*
17. *Famæ probatio quando sufficiat.*
18. *Pluralitas personarum non præsumitur.*
19. *Confessio unius ex correis non nocet alijs, nisi ad interrumpendam præscriptionem.*
20. *Probationes supprimens quomodo puniatur.*

21. *Testibus affirmantibus credendum, non negantibus.*
22. *Testimonium pueri de eo quod in impubere ætate vidit, an valeat.*
23. *Testis variatio quando toleratur.*

CONSILIVM XCIX.

EXcvssis cum diligentia ac ponderatis meritis causæ, quæ primùm in provinciali Concilio Trajectensi instituta fuit inter Petrum Colpyn maritum Arnoldinæ Vreys, eoque ac consortium suorum nominibus Actorem ex una, & Ludolphum de Zeghere, ac Gerardum de Haerlem alioque plures eorum consortes Reos ex altera partibus; quæ tandem secundùm præfatos Reos contra Actores per sententiam dicti Concilij terminata, nunc revisioni amplissimi Concilij Mechlinien sis subjecta est: videtur nobis subscriptis eo loco esse dicta sententia, ut meritò nunc retractari & revocari debeat, ac secundùm intentionem Actorum per omnia judicari. Et quamvis scripturarum, testimoniorum, & instrumentorum multitudo, causæ examinationem primo conspectu difficilem facere videatur; superflua tamen, & in quibus propositæ litis cardo non consistit, resecando, atque ex magna multitudine eruendo, & ob oculos ponendo ea, quæ causæ verum statum continent, in unica tantùm difficultate nobis consistere videtur causæ status; an scilicet Ioannes Vreys dictæ Arnoldinæ & Luciæ suæ sororis pater, fuerit frater naturalis & legitimus Bernardi Vreys: eo quippe probato, nulla dubitatio est, quin hæreditas Bernardi ad præfatam Arnoldinam, ejusque sororem Luciam ac illius, hæredes pertineat; * quia fratris filia, materteræ filio
1 seu nepoti (quales se allegant Rei) ut gradu propior, ita quoque jure potior est, *Auth. post fratres. 2. C. De legit. hared.*

Prius autem quàm in hujus difficultatis explicationem nos conjiciamus, removenda est exceptio, quæ ex temporis lapsu oriri posset: à cujus quidem exceptionis usu Rei in principalibus scripturis, quarum copia Actoribus concessa est, semper abstinuerunt; sic quod ob id in decidenda causa illius aliqua ratio haberi non debeat, etiamsi tempora à jure vel consuetudine præstituta verè lapsa essent: * longissimi enim temporis præscri-
2 ptio ipso jure possidentem non tuetur, sed ita demùm, si objiciatur, *gloss. & DD. in l. Traditionibus C. De pact. & in l. Si quis emptionu in princ. C. De præscript. 30. vel 40. annor.* quia tamen Rei in fine causæ, & in ea scriptura, quæ instructiva magis, quàm assertiva est, hanc exceptionem, licet nulliter, objeiciunt, removenda est. Variant admodum Rei in constituendo initio hujus præscriptionis: nam in prædicta novissima scriptura allegant Bernardum (de cujus hæreditate agitur) decessisse anno 1513. cùm prius allegaverint eum mortuum esse anno 1515. † nimirum ut hâc ratione tam secun-
3 dùm terminos juris communis, quo triginta annis petitio hæreditatis, aliæque actiones excluduntur, *l. Sicut in rem. C. De præscript. 30. vel 40. annor. l. Hæreditatu. C. De petit. hared.* quàm ex notoria (uti proponitur) consuetudinaria præscriptione ditionis Vltrajectensis (quæ tertiam partem centum annorum requirit) hanc actionem diu ante illius exercitium extinctam esse, demonstrare possent. Cæterùm diutiùs vixisse præfatum Bernardum constat: nam anno 1525. inter Bernardum & ejus uxorem initus est contractus reciprocus super usufructu superstiti relinquendo: item anno 1530. 19. Iulij constat Bernardum codicillos fecisse, & ex testimonijs testium per Reos productorum constat eumdem Bernardum anno 1532. aut 1533. decessisse: ita ut tempore inchoatæ hujus litis (hoc est anno 1560. 13. Decembris, quo impetrata est adversus Reos citatio, eaque in illos executioni mandata 28. ejusdem mensis Decembris, subsecutâ Reorum comparitione in Ianuario proximo, & responsione in sequente Martio, ad complementum triginta annorum plus quàm biennium defuerit; * ita ut tricennalis præscriptio hic me-
4 tui non debeat, propter civilem interruptionem, quâ per nudam etiam citationem, longissimi temporis præscriptio interrumpi & tolli solet, quia odiosa est, *l. Cùm notissimi in princ. C. De præscript. 30. vel 40. annor. Iaf. in l. ult. De eo per quem fact. erit, Did. Covarr. in c. Possessor. De R. I. libr. 6. part. 2. §. 12. nu. 5.* sic quod nihil referat etiam in fine tricesimi anni factam fuisse hanc interruptionem. * Nam
5 licet in favorabilibus præscriptionibus brevioris temporis præscriptio intra paucos dies perficienda pro perfecta habeatur, *l. Si fundum De fundo dotali*; tamen in longissimi temporis præscriptione idem permittendum non est. Sed etsi constaret Bernardum in dicto tricesimo (quo prætactos codicillos 19. Iulij scripsit) ante mensem decembrem decessisse, sic quod mense Iulio aut aliquo posteriore præscriptio tricennalis completa omninò fuisset: † nihilominus tamen tantilli temporis
6 excursus effectualiter nocere non deberet, propter ignorantiam, quâ Actores dicto Ioanni Vreys succedentes semper laborarunt; tam quoad jus ipsis competens, quàm quoad factum, unde hujusmodi jus causatur, *Philip. Corneus cons. 328. Videatur in præsenti in fine vol. 1.* sic saltem quin ex officio per restitutionem integri Actoribus succurrendum sit, *Felin. in c. Vigilanti col. 3. De præscript. Covar. in d. c. Possessor, p. 3. §. 3.* præsertim propter extrajudiciales interpellationes & communicationes inter Actores & Reos interpositas, de quibus satis constat ex literis Gerardi ad Iulianam scriptis; atque item ex divisione ac transactione cum Ioanne Vreys facta, in qua inter alia reperitur reservativa clausula in favorem verorum proximorumque hæredum quondam Bernardi Vreys, qui in extera regione agere dicebantur.

Exceptione hâc remotâ, ad juris, quod Actores proponunt, dictæque difficultatis discussionem progrediamur. Et sanè cum Actores jus suum metiantur ex persona Ioannis Vreys, tanquam fratris prædicti Bernardi, inquirendum est non in hoc tantum, an ex Ioanne Vreys Arnoldina & Lucia natæ sint; & ex Lucia Hannibal, Iulia, ac Angela; verùm etiam ac præcipuè in hoc, num Ioannes Bernardi frater fuerit. * Qui enim sub
7 certa qualitate aut conditione agit, qualitatem seu conditionem probet per omnia necesse est, *l. 1. & 2. De probat. l. 1. Quor. bonor.* & se suosque authores in ea conditione, unde agitur, fuisse demonstrare debet, *Baldus in l. Non ignorat. C. Qui accus. poss. Ang. in l. I. n.*

in l. Liberorum in princ. De his qui notan. infamia, Paul. Paris. cons. 115. *Ioannes adversarius vol.* 4. In demonstratione ac probatione primæ qualitatis seu cognationis quòd Actores sint liberi ex dicto Ioanne Vreys legitimè nati, laborandum aut subsistendum non est: probatum enim id sufficientissimè est per testes Cameraci (ubi sedem sui matrimonij cum Gilletta Franckqueville habuit) productos; adversus quod Rei nihil exceperunt, sed velut tacitâ quadam confessione id agnoscentes, in exceptionibus adversus testes solam impertinentiam hujusmodi testimoniorum objecerunt, quasi in proposito nihil prosit probasse hanc qualitatem & cognationem, nisi & illud probetur, Ioannem Vreys ex Everardo Vreys patre Bernardi natum fuisse; in eo totius causæ statum constituentes.

Difficilior est alterius qualitatis seu ulterioris cognationis probatio; sed tamen non omnino
8 impossibilis: † ut pleraque omnia, quæ vetustate, antiquitate, ac longi temporis lapsu obfuscata & longiùs posita sunt, *Dec. in c. Licet ex quadam De testib. Aymo Cravet. De antiquit. temp. p.* 1. §. *Viso De fama*: in quibus sufficit probabilem seu verosimilem, & quæ ex præsumptionibus ac conjecturis constat probationem conficere, *Bald. in Auth. Quas actiones in fin. C. De sacros. Eccles. Riminaldus cons.* 93. *Viso processu vol.* 1. *Marcus Ant. Natta cons.* 378. *Non videtur, vol.* 2. Antiquitas enim temporis propter testium decedentium subtractionem, ac memoriæ labilitatem, probationis difficultatem inducit; ideoque levioribus, obliquis, indirectisque probationibus contenta est, *c. Cum causam De probat. Decius in c. Veniens* 1. *De testib.* * Præsertim in probanda cognatione, quæ ipsa per se semper probatu difficilis reputatur, etiam cessante magnâ antiquitate; ob id, quòd non cadat in sensum testium, *Pet. Anchor. cons.* 52. *pro clariore nu.* 8. & sic concurrente duplici difficultate ex materia & tempore, scrupulositas probationis exigenda non sit, sed sufficiat etiam ex sola fama aut alijs propinquis conjecturis confecta probatio, *Innoc. in c. Quid per novale. & in c. Veniens De verb. signif. Ant. de Butrio in d. c. Veniens* 1. *De testib. Phil. Decius consil.* 595. *Pro resolutione nu.* 6. Nec usquam magis arbitrium & religionem suam judex ad leviores probationes componere potest, quàm in cognationis & consanguinitatis probatione, *Decius d. cons.* 595. *nu.* 8.
10 † Unde etiam receptum est, quod in probanda consanguinitate, temporis longinquitate intervenìente, testimonium de auditu recipiatur, *d. c. Licet. ex quadam*; & quidem proclivius, si ad aliam materiam inducantur probationes cognationis, quàm ad causam matrimonij, tunc cùm antiquitas ac temporis longinquitas excedit hominum memoriam, *Franc. Aretin. cons.* 37. *Sequendo ordinem nu.* 3. Cùm ergò versemur in magna temporis antiquitate, & quæstio consanguinitatis non ob aliquod matrimonium justificandum, sed ad successionem Bernardi tantùm adipiscendam proponatur, sufficere debet Actoribus, si non per omnia directò & clarissimis, inconvincibilibusque unius generis probationibus, saltem per indirectum ac per varias conjecturas, & circumstantias, ad religionem Dominorum Iudicum instruendam, probaverint dictum Ioannem Vreys Bernardi Vreys fratrem fuisse. In antiquitate autem temporis hîc nos versari per se manifestum est. † Cùm enim in 11
probanda cognatione ac proximitate initium faciendum aut saltem transeundum sit per communem parentem, *l. Iurisconsultus §. parentes De grad. affinit. Theophil Inst. eod. tit.* & ex confessione etiam Reorum, ultra probationes per Actores factas, constet Everardum Vreys & Annam Blitterswyck ejus uxorem, fuisse Bernardi patrem & matrem; constet quoque eumdem Everardum ante annum 1585. ex hac vita migrasse; nihil dubitandum est, in magna antiquitate hanc cognationis quæstionem versari; quia propè centenaria est. † Cen- 12
tum enim aut circiter annorum spatium antiquitatem ex omnium consensu inducit, *Innoc. d. c. Veniens* 1. *Alexan. & alij in l. Cum aliquis C. De iure delib.* quæ plerisque minore etiam tempore constituitur, veluti nonaginta, *Decius d. cons.* 595. imò etiam quadraginta annis, *Ant. De Butrio in d. c. Veniens* 1. *Decius. in c.* 1. *nu.* 13. *De appellat.* potissimùm quia in tanta multitudine testium utrimque productorum, & magno senio gravatorum, nemo sit qui Everardum viderit aut noverit; eoque præsertim considerato, quod Ioannes Vreys ante initium hujus litis amplius quàm quinquaginta annis ex hac vita excesserit, ut constat non tantùm per testes Cameraci productos, sed etiam per extractum ex libris ac registris Ecclesiæ S. Vedasti Cameracensis, & antiqua testimonia pro parte viduæ Ioannis Vreys coram Officiali Cameracensi recepta.

Neque his adversatur, quod Rei urgent, anti- 13
quitate temporis ad inducendas recipiendasque leviores probationes non intelligi, nisi quæ excesserit centesimum annum, non etiam quæ quoquo modo infra centum annos sit, *Innoc. in d. cap. Veniens. Imola in l.* 2. §. *idem Iabeo De aqua plu. arcen. Alexand. & Ias. in d. l. Cum aliquis, Alexan. cons.* 6. *Viso themate nu.* 7. *vol.* 1. *& quos refert Steph. Bertran. cons.* 151. *Vidi numerum nu.* 5. *vol.* 7. *Aymo Cravetta. De antiq. temp. p.* 2. *nu.* 4. *Molin. ad consuet. Paris. tit.* 1. §. 5. *nu.* 63. quia intelligi debet de illis quæ requirunt tempus immemoriale, quale est centum annorum, *Bald. in l.* 2. *C. De servit. & aqua. Cardinal. Zabarella & Felin. in c. Si diligenti De præscript.* Unde ubi non requiritur probatio temporis immemorialis, sed tantùm temporis antiquitas, sufficit notabile temporis spatium quinquaginta aut quadraginta, imò triginta annorum; prout secundùm casus propositi conditionem probationes certæ non facilè reperiuntur ultra triginta, quadraginta, aut quinquaginta annos: ita ut quoties notabile tempus lapsum reddit probationes difficiles, dicatur tempus antiquum, ad effectum minùs perfectas probationes supplendi & corroborandi. Quod cùm non sit à jure determinatum, nec determinari certâ regulâ possit, dependitque à singularibus factorum circumstantijs, omninò probanda est eorum opinio, qui existimant, id judicis arbitrio relinquendum esse, *Ant. de Butrio & alij in c. Illud De præsumpt. Molin. d. §. 5. nu.* 64. *Cravetta. d.* 1. *p. nu.* 5. † Multum etenim interest, quâ ratione consideretur antiquitas; an ad inducen- 14
dam probationem in totum ex cursu temporis ut est in servitutibns ex longinquitate temporis, *l. Hoc iure §. ductus aquæ. De aqua quot. & æstiva.*

ubi ex tempore præterito jus in præsenti constituitur, *Corneus cons.* 19. *Videtur in hac nu.* 10. *vol.* 2. an verò ad adjuvandum vel supplendum imperfectas probationes, *Dec. cons.* 36. *Pro tenui nu.* 7. ut fit in hac causa, in qua non agitur, ut ex lapsu temporis Ioannes Vreys credatur fuisse frater Bernardi, sed ut Ioannes (circa quem concurrunt tot qualitates inducétes extremam probabilitatem confraternitatis ejusdem ad Bernardum) credatur Bernardi frater fuisse; cùm propter lapsum temporis per memoriam hominis probari nequeat directò Ioannem & Bernardum ex Everardo atque Anna natos esse.

Vt ergo ea, in quibus quoad hanc cognationem probationis, probabilitatisque vim constituimus, ob oculos ponamus, in duo capita illa separabimus: in quorum primo ea retractabuntur, quæ ad cognationem, consanguinitatemque Bernardi & Ioannis simpliciter in genere probandam faciunt; in altero, quæ proximitatem seu fraternitatem arguunt. Et primò quidem non leve argumentum cognationis conjunctionisque continet, nominis, familiæ, seu cognationis identitas, quod Ioannes cognomime Vreys tanto tempore semper usus fuerit, & ejus liberi ac posteri etiam nunc utantur; uti constat primùm ex depositionibus eorum, qui Cameraci producti sub hoc nomine & cognomine eum novisse testificantur: deinde ex registro prætactorum testimoniorum pro parte viduæ Ioannis Vreys ab hinc plusquam quinquaginta annis Cameraci receptorum, constat dictorum Actorum patrem & avum respectivè cognomen Vreys habuisse. Id quoque demonstrant literæ tonsuræ filij ejusdem Ioannis inter testimonia Cameracensia exhibitæ, in quibus clericalis tonsura collata dicitur Ioanni filio Ioannis Vreys. Hæc igitur cognominis identitas in primis maximam verosimilitudinem adfert cognationis & consanguinitatis. † Sicut enim ex nominum diversitate, rerum & personarum quoque diversitas colligitur, *l. Si idem & quod ibi notant* DD. C. *De condict.* ita quoque earumdem conjunctio ex nominis identitate constituitur; præsertim quia sine delicto (quod non præsumitur, *l. Verum pro socio*) neque nominis, cognominis vel agnominis mutatio, *l.* 1. C. *De mutat. nominis*, neque alieni sine consensu ejus cujus id est, *l. Facta* §. *si sub conditione. vers. nihil enim Ad* S. C. *Trebell.* assumptio fieri possit, *Paulus Paris. consil.* 19. *Ad resolutionem nu.* 36. *vol.* 2. Secundò hanc vehementissimam præsumptionem adjuvat gentilitium armorum, seu insignium, quibus dictus Ioannes Vreys in sua vita usus est, ac ejus posteri adhuc utuntur, identitas. Probaverunt enim Actores per testes, atque item per antiquam picturam Cameraci suspensam, & per epitaphium seu sarcophagum Luciæ Vreys, ei in Ecclesia Antverpiensi à marito suo Gabriele Terlago positum, quod hujusmodi arma in omnibus & per omnia conveniunt cum armis Everardi ac Bernardi Vreys, quæ in oppido Rhenensi tam in sepulchris, quàm tabulis ab eis positis, atque item vitreis fenestris conspiciuntur: sic quod ex cognominis atque armorum identitate proclivissima sit præsumptio identitatis conjunctionis seu sanguinis.

19 Nam cum aliena arma & insignia nemo usurpare possit, invito eo, cujus sunt, *Bartol. in tract. De insig. & armis nu.* 5 *Paris. d. nu.* 36. nulla ratione præsumendum est, in ea re aliquid illiciti aut simulationis esse: præsertim quia ex eventu constet Ioannem sub prætextu ejus nominis & armorum nullius hæreditatem aut bona captasse, & illius hæredes justam habeant causam retinendi nomen & insignia paterna; etiamsi Rei postea Actoribus objiciant, quod filius Ioannis, relicto cognomine se appellaverit *Franckqueville*. Id enim non tam illius filio imputandum est, quàm cognatis maternis, qui eum materno ac Gallico cognomine, tamquam in ea patria magis noto & pervulgato appellari maluerunt, quam exotico & Teutonico, quo alius nemo ibi utebatur. Tertiò, si quid huic præsumptioni deest, ex eo quod fieri possit, ut nomen & arma alterius quis assumat, si alteri non noceatur, *Bart. d. nu.* 5. ut facilè evenit in diversis provincijs, & longè ab invicem distantibus regionibus inter eos, qui nullo sanguinis fœdere conjunguntur, id supplebitur per tertium, forte admodum argumentum; quòd scilicet satis constet Ioannem Vreysnon Cameraci, ubi sedem sui matrimonij & domicilij habuit, sed in ditione Trajectensi in oppido Rhenensi natum fuisse, & Cameracum per D. Henricum Bergensem tunc Episcopum Cameracensem evocatum, ac officinæ monetariæ præfectum fuisse. Probatum namque id est per testes deponentes, partim se sciviisse, quòd non Gallus, sed Teuto fuerit, partim se id ex ipso Ioanne Vreys audivisse; partim quod fama fuerit, eum ex ditione Trajectensi oriundum fuisse: * cujus famæ probatio, uti superiùs dictum est, in proposita antiquæ rei quæstione sufficit, *Franc. Aret. d. cons.* 37. *nu* 1. Vt generaliter ubicumque ex communiter accidentibus, probatio est difficilis, *Decius d. cons.* 595. *nu.* 6. *& cons.* 42. *Pro facultate*. Quæ fama adjuvatur & dilatatur per usum nominis S. Cumeræ, quod Cameraci & in vicinis locis inauditum, Ioannes dictæ tabulæ adpingi, & lustrali die in baptismo infanti cujusdam imponi curavit: ideò quod sui natalis soli, hoc est oppidi Rhenensis patrona ac tutelaris Dea sit, uti per testes utrimque productos apertissimè constat. Sic quod ex concursu horum trium cognominis, armorum & patriæ, seu loci nativitatis, sufficiens videatur inducta probatio cognationis & conjunctionis sanguinis Ioannis Vreys ac suæ posteritatis ad Bernardum Vreys. Quibus tribus si quartum ex adversariorum confessione ac communi fama, quæ in oppidulo Rhenensi frequentatur, adjungatur, quòd scilicet quidam ex eo nomine & sanguine illorum de Vreys, ex quibus Bernardus fuit, in extera regione derelicta patria agat, nulla amplius videtur esse dubitatio, quin is fuerit Ioannes Vreys, & ejus posteritas, cùm de alio non appareat: † Nam personarum pluralitas in dubio non præsumitur, *glos. l. Si procurator De condict. indeb. aly in l. Si quis servus* §. *Si inter duos De leg.* 2. *Ias. consil.* 114. *Ad objectæ nu.* 6. *vol.* 1. *Baldus in l. Neque natales col.* 2. C. *De probat.* Quæ adversariorum confessio satis probata est per testimonia Amati Wyon Procuratoris generalis oppidi Duacensis, Ioannis Bauldraun, & aliorum plurium, qui testificantur cognatos Margaretæ viduæ Bernardi

peten-

petentes hæreditatem, ac bona Margaretæ faciliùs depulsos ac rejectos fuisse per Reos hujus causæ, commemoratione hæredum Bernardi Vreys peregrè agentium; qui supervenientes seu reversi maximam partem hæreditatis ablaturi essent, comminantes bonorum sequestrationem donec de illis certiores efficerentur. Similem confessionem continet instrumentum divisionis ac transactionis inter eos, & Ioannem Vreys de Dolre factæ post mortem Margaretæ, in qua adversus supervenientia verorum hæredum Bernardi, qui in exteris regionibus agere dicebantur, sibi invicem cautione prospexerunt; nullâ ratione id facturi, nisi vel certâ scientia, vel ex fama compertum habuissent, esse vel fuisse alios, qui Bernardo sanguine conjunctiores essent ipsis condividentibus. Famæ quoque prædictæ probatio sufficiens extat in testimonijs Actorum, uti mox diximus, in probatione qualitatis seu confraternitatis Ioannis Vreys ad Bernardum; ita quod omnibus benè perpensis, sufficientissima extet probatio de persona & nomine Ioannis Vreys & liberorum suorum; sufficiens quoque de cognatione seu consanguinitate eorumdem ad quondam Bernardum Vreys, de cujus hæreditate agitur.

Restat igitur, ut, quod hîc præcipuum est, demonstretur, Ioannem Vreys Bernardi fratrem fuisse. Difficilior quidem est demonstratio, quàm sit generalis cognationis probatio; sed tamen arbitramur de eo per Actores probatum esse, quod ad inducendam credulitatem & religionem amplissimorum Dominorum Iudicum instruendam, sufficere possit. Et primò quidem per prædictam adversariorum confessionem, de qua Duacenses testes deponunt, quod hæredibus Margaretæ hæreditatem petentibus, sequestrum bonorum comminati sint propter metum reditus & revertionis hæredum Bernardi in extera regione agentium. Cui proxima est illa cautio in prædicta divisione ac transactione cum Ioanne Vreys de Dolre facta, cujus paulò ante meminimus: vanus enim futurus erat ille metus, quem velut per manus traditum hauserant, ex reditu ac supervenientia propinquorum hæredum, si non arbitrati fuissent vel fratrem Bernardi, vel fratris liberos in extera regione degentes extare. Nam cum Rei dicunt se ex matertera Bernardi natos & prognatos, non debebant alicujus proximitatem vereri, nisi fratris ejusdem Bernardi, aut liberorum illius; cùm evidentissimè ex utriusque partis allegationibus constet Bernardum post fratrem suum Petrum, nullis relictis liberis decessisse: sic ut in successione nemo potior esse potuerit, nisi frater aut fratris liberi, *Authen. Cessante. C. De leg. hæred.* Cui Reorum confessioni consonat & alia peculiaris confessio Gerardi van Haerlem, qui præcipuas partes inter eosdem Reos sustinet & ad agnitionem hujus fraternitatis valde facit; quod Julia Luciæ filia, item Arnoldina Petri Colpyn uxor, omnino similes essent, & vultum referrent illorum *de Vreys*, cui conjuncta depositione alterius confessionis de qua deponit Margareta vanden Kerckhoven, quæ deponit Gerardum vam Haerlem ei confessum, quòd Actores hujus causæ essent proximi hæredes Bernardi, minus videtur dubitandum, & omnium minimè si hujusmodi confessionibus adjungantur literæ dicti Gerardi per Reos recognitæ, Item quòd literis suis ad Iuliam Luciæ filiam & scriptis apertam significationem fecerit, quod ipsis consortibus deberetur hæreditas Bernardi. Quæ Gerardi confessio & declaratio tam vivâ voce, quàm literis facta omninò nocere debet Reis, etiamsi ab uno tantùm ex pluribus facta sit, † ut generaliter receptum sit, unius ex pluribus correis debendi, multò minus (ut est in casu proposito) Reis tantum, confessionem sive judicialem sive extrajudicialem non nocere alijs, *Bart. & alij in L. Ex duob. in princ. De duob. reis. Car. Ruinus cons. 92. Præmittendum nu. 6. vol. 1.* nisi ad effectum interrumpendæ præscriptionis, *l. Finali C. De duobus reis, Baldus cons. 43. Quidam Ser. Cechus vol. 5.* nam cum sit facta, & in actis redacta, nullâ contradictione, aut revocatione aliorum Reorum interveniente, tacito quodam assensu ab omnibus facta videtur; in eo præsertim actu, qui omnium nomine factus est, & quem vel singuli, vel omnes simul, aut per unum facere debebant (hoc est in responsione Reorum ad facta per Actores proposita) sic quod satis sufficiens extare videatur probatio, quod etiam ex conscientia ac suspicione Reorum, Bernardi frater aut illius liberi aliquando emergere ac supervenire possent. Quò etiam tendit illa omnium actorum & scripturarum suppressio, occasione transactionis cum Ioanne Vreys de Dolre factæ: eò nimirum tendens, ne ex eorum reliquijs Actores aliquando supervenientes sese instruerent, ac probationes suas conficerent; † sic quod Actorum probatio pro facta haberi debeat, propter hujusmodi suppressionem, *l. Si De possessione & ibi Baldus & alij C. De probat. DD. in l. Providendum C. De postulan. Nic. Boerius decis. 292.* Etenim si Rei proferrent instrumenta divisionis, (quæ **marghen schreet** appellantur) facilè constaret, quos & quot liberos Everardus reliquerit; & sic etiam de Ioanne Vreys, quem tempore mortis Everardi vixisse, & nondum patriâ excessisse, satis probatur ex eo, quòd Bernardo fratri suo bona patris transtulerit, pro recuperanda pecunia redemptionis per Bernardum pro se soluta.

Secundum, quod ad hanc fraternitatem probandam facit, est, quod per sufficientes testes probatum sit, Bernardum in vita aliquando cum gemitu doluisse absentiam fratris sui Ioannis, & quod vellet eum, seu ejus liberos hæredes esse, si sciret quo loco essent: deponunt enim plerique se id ex ipso Petro & Bernardo audivisse; alij ex famulo Bernardi; alij ex Gerardo van Haerlem, qui confessus est se id ab ipso etiam Bernardo, & Ioanne Moest dicti Bernardi receptore sæpè audivisse; alij denique ex communi vulgi relatu: cujus generis testimonia in tanta antiquitate recipienda esse superius dictum est.

Tertiò hujus probationem adjuvat vulgi fama de Ioanne Vreys, Petri & Bernardi fratre, de ejus absentia atque admiratione multorum, quod non reverteretur, nec de eo nuncius aliquis adferretur: quam famam satis multi ex testibus probant; & plerique ex auditu seu relatu Gertrudis, quam plerique ex testibus tam Reorum quàm

Actorum dicunt esse Bernardi, alij Petri filiam illegitimam. Quorum depositioni non obstat assertio sororis Annæ religiosæ; tum quia illa negativa est; tum quod deponat de tribus Everardi prolibus, quarum una fuerit in pueritia mortua; tum quod unica & singularis inveniatur ac plurimorum testimonia contrario superetur, tum denique quod in forma probante non extet illius testimonium. Neque enim à Dominis Iudicibus hujus causæ seu eorum Commissario aliquo examinata est; & certificationibus hujusmodi seu testimonijs extrajudicialibus fides adhiberi non debet, *l. 3. §. Idem Divus De testibus*: uti etiam constat per extractum ex statutis seu consuetudinibus Trajectensibus, quæ nudis certificationibus fidem adhiberi vetant. Eâdem planè ratione non multum curanda videntur alia Reorum testimonia etiam ordinariè recepta; quatenus negativè tantùm deponunt se nihil audisse de Ioanne secundo fratre
21 Bernardi: † hujusmodi enim negantia testimonia etiam innumera cedunt semper affirmantibus quamvis numero paucioribus, *gloss. l. Diem proferre §. si plures De recept. arbit.* Et inter eadem Reorum testimonia omnium minimè credendum est Elzæ Hermans; eò id, quod de eo tempore deponat, quo per ætatem nec videre, nec intelligere poterat, quod deposuit: nam cum deponendo dicat se esse septuaginta duorum annorum, necessarium est, quod retroacto numero annorum ab anno sexagesimo secundo, quo ejus testimonium receptum est, ad annum 1486. (quem rei ultimum de vita Annæ uxoris Everardi Vreys designant) eadem Elza tantùm fuerit annorum sex aut circiter; quo tempore non est verosimile Annam uxorem dicti Everardi statum suum numerumque suorum liberorum narrare, ac exponere voluisse infanti, neque etiam eamdem Elzam in infantia id intelligere aut memoria retinere post tam multos annos potuisse. † Licet enim testimonium puberis de eo,
22 quod in impubere ætate pubertati proximus ac doli capax vidit, recipiatur, *gloss. l. 3. §. lege Iul. an. De testib.* de eo tamen, quod in infantia aut cum infantiæ proximus fuit, vidit aut audivit fidem mereri non potest, *Bart. in d. §. lege Iulian. Lud. Roman. cons. 157. Honorabilis nu. 1. Ioan. Ignetus ad l. Excipiuntur Ad S. C. Sillan. nu. 36.* Habet sæpè infantia tenacem memoriam, multaque nobis ex ea ætate etiam senibus occurrunt, *Lud. Roman. d. consil. 157.* sed quia incerta omnia, plerumque præsumitur error, *Raph. Cumanus cons. 92. An productis nu. 3.* de quo hic dubitandum non est quoad dictam Elzam; tum ex alijs multis per Advocatum satis clarè deductis; tum præcipuè ex contrarietate, quæ ex collatione valetudinariæ & ordinariæ depositionis ejusdem deprehenditur: nam in valetudinaria dicit Everardum & Annam tantùm duas proles habuisse; at in ordinaria testificatur de tribus. † Quæ contrarietas rei, de qua agitur, & ad
23 quam testis producitur, substantiam respicit; ideoque licet aliqualis variatio unius ejusdemque testis circa accessoria toleretur, nec fidem testi per omnia deroget, *Bart. in l. Eos Ad legem Cornel. De falsis. Bald. in l. De quibus De legib.* non toleratur tamen sed fidem tollit, quæ est circa rei substantiam, *Alex. cons. 154. Viso Themate vol. §. Hippolit. De Marsil. sing. 618. Quando variatio &c.* Et ne conciliationi alicui locus hic relictus putetur, quasi prior depositio de superstitibus liberis, posterior de defunctis accipienda sit, impedit illam, quod Elza deposuit, tertium illum defunctum natu majorem fuisse; quod constat verum non esse, quia ubique tam ab Actoribus, quam Reis constituitur Bernardus natu major.

Concludendo itaque nos subscripti V. I. Doctores (clarissimorum Dominorum ac aliorum quorumque rectius sentientium judicio semper salvo) arbitramur Actorum intentionem sufficienter probatam in magna rei antiquitate, quæ originem in personis Actorum non cepit, sed in Ioanne Vreys capta post mortem illius in liberis in pupillari ætate constitutis continuata fuit.

De testibus

SVMMARIVM.

Testium examinatio.

1. *Testimonijs non creditur.*
2. *Testes extra terminum auditi non probant.*
3. *Terminus à Iudice præfixus ad aliquid agendum continet exclusionem ulterioris temporis.*
4. *Delegatus ad testes audiendos subdelegare non potest.*
5. *Delegatus quis subdelegare possit.*
6. *Alteri per alterum non acquiritur obligatio.*
7. *Stipulationem vitiat dissensus.*

CONSILIVM C.

TOTA difficultas causæ, quæ indecisa pendet coram venerabili D. Officiali inter D. Bartholomæum Sebrandi Actorem, & D. Henricum Wilhelmi Reum, potissimùm versatur circa articulum probationis; an videlicet Reus denarios sortis, quos pro liberatione seu redemptione annui reditus, quem Aleydis Dieriex debuisse dicitur altari Beatæ Mariæ Parochialis Ecclesiæ de Heesche receperit, ac dictum reditum solvere promiserit. Et sanè existimamus nihil esse, quod ad solidam probationem Actori possit esse satis. Vsus est enim Actor ad id probandum duplici probationis genere, testimonijs & testibus: in priore genere hærendum non est; nam certificatio illa Scabinorum de Berliekem; lite nullâ instituta, parte rea non vocatâ, & in forma juris minimè expedita, motum animi Domini Officialis informare non potest, aut probandi vim ullam habere: * Testibus enim, non testimonijs, 1
quales sunt hujusmodi certificationes, credi debet, *l. 3. §. Idem Divus & ibi gloss. in V. testimonijs versic. & secundum hoc De testib.* Sanè id in universum omnibus testibus objici de jure potest, quòd prorsus sint in hac causa inutiles; quia recepti & examinati post dilationem & terminum à judice præfixum. Nam decima octava Ianuarij anno 1556. concessus est terminus ad probandum ad sex septimanas, quarum dies exierat secundâ Martij sequentis, quâ die nemo testium receptus aut examinatus fuit, sed primùm decimâ sextâ & decimâ nonâ Martij. * Quare debent omnes 2
hujusmodi testes, ut in simili decidit Nicolaus

colaus Boërius, *decis.* 352. à processu rejici: nam quamvis nulla assignata dilatione seu termino, si res est integra, & partis non interfit, testes recepti atque examinati probent, dilatione tamen concessa & præterlapsa idem non est permittendum; ut eleganter tradit Angelus, *in l. fin. De servis nu.* 11. cui sententiæ Speculatoris *in tit. De dilat. §. fin. versic. item quod si dantur*, & latissimè prosequitur Felinus *in c. Licet causam, nu.* 18. *De probat.* † Iudex enim præfigendo tempus intra quod aliquid fiat, nolle videtur, ut extra illud idem fiat; nisi ab eo aliud tempus seu nova dilatio petatur, *arg. l. Mancipiorum, & ibi Bart. De opt. leg. l. Quod Labeo. De compens.* quod in hac causa factum non invenio. Quæ quidem in re præsenti tanto magis obtinet, quod non Iudex causæ, sed per D. Iudicem deputati Commissarij hant testium receptionem & examinationem fecerint. Cùm enim eorumdem commissio ad acta referri debeat, & ijdem Commissarij, secundùm quod permissum erat Actori testes intra terminum præfixum producere, in commissione illis facta versari debeant; dicendum omninò videtur, quod excedendo mandatum D. Officialis committentis, aliud fecerint, quam illis mandatum erat, & aliud vel post tempus faciendo nihil egisse videantur, *l.* Diligenter D. *mandati, l. Non distinguemus §. dies & §. fin. De recept arbit.*

Sed particularius quoque inquirendo in singulos testes, facilè est demonstrare id, quod est fundamentum intentionis Actoris, & circa quod hujus causæ difficultatem versari diximus, non esse probatum. Nam quod attinet ad primum in ordine testem, hoc illius testimonio seu depositioni in primis obstat, quod ab eo sit receptus & examinatus, qui neque recipiendi, neque examinandi potestatem habuit, hoc est à Notario quodam: 4 nam in commissione per D. Officialem facta solius D. Philippi de Spina facta est mentio.

Quemadmodum ergò Iudex delegatus à Papa ad totam causam, receptionem testium vlterius subdelegare non potest alteri, quàm in dignitate constituto, *c. statutum §. in nullo De rescrip. lib. 6.* qui enim surrogatur debet ejusdem esse qualitatis ac conditionis, cujus est surrogans, *Ph. Francus in* 5 *d. §. in nullo*; * Ita nec delegatus ab alio, quàm Papa vel Principe, subdelegare non possit, *c. Cum causam in fin. De appellat. Cardin. Zabarella in c. 1. nu.* 4 & 5 *De offic. iud. delega.* Et tanto quidem minus in proposito casu quod Officialis prudenter in ea delegatione versari volens, electâ industriâ dicti D. Philippi, ac de ejus fidelitate, legalitate, & probitate confidens, receptionem atque examen testium in hac causa producendorum ei peculialiter commiserit, & sic nudum ministerium mandaverit, *cardin. d. nu.* 4. quo casu ne quidem delegatus à Papa subdelegare posset, *c. fin. De offic. judic. delega.* ad hæc cùm limitata causa limitatum pariat effectum, finesque mandati diligenter sint servandi, sequitur, quòd cùm Officialis permittendo tantùm quod assumi possit Notarius, in cujus præsentia D. Philippus testium juramenta recipiat, ac eosdem examinet, nihil amplius delegasse aut permisisse videatur. Atque ita depositio hujus primi testis recepti & examinati ab eo, cui soli recipiendi atque examinandi nulla data erat potestas, omnino debet censeri inutilis. Nec movet quod in ijsdem literis commissorialibus semel inter cætera dictum sit, *coram vobis seu alterutro vestrum*: nam si ad imperitiam illius, qui literas conscripsit referri non potest, nullius nihilominus erit momenti: quia non est in parte dispositiva dictæ commissionis, in qua dicitur singulariter, *Damus etenim tibi potestatem*, nulla alternatione adjecta. Et cùm tota commissio ita sonet, ut Notarij tantùm sit adjunctio, non potest neque ad parem commissionem seu potestatem Notario concedendam, neque ad subdelegandi arbitrium permittendum referri. Accedit, quod clausula illa, *coram vobis, seu alterutro vestrum*, nihil de receptione vel examine testium mandet, sed tantùm de productione, non dispositivè, sed enuntiativè, ideoque si attendatur, censenda erit hæc productio testium sine receptione & examine facta & sic nihil operabitur: debet enim ea pars mandati inspici, quæ præcipuum locum obtinet, & quæ disponit. Quinimò datâ validitate receptionis & examinis ejusdem testis, nihil hîc etiam probabit, quia vnicus est & singularis, *l. Iurisiurandi, C. De testib.* aut saltem illius testimonium sic accipiendum, ut Reo obesse non possit; quod apertius constabit ex his quæ iam adducemus contra sequentem testem, qui unà cùm illo velut uno ore coram Scabinis de Ber i kem ante hanc litem super hac materia deposuit prout patet ex ijsdem literis certificatorialibus. Hujus enim secundi testis depositio nihilomagis Reo obesse potest; nam & ipse deponit, non Reum sed quendam Ioannem Merhem recepisse sortem seu denarios capitales dicti reditus: & quamquam addat Reum, cui ipse Ioannes ex alijs causis obligatus fuit, effecisse, ut in se susceperit onus solvendi; id tamen non aliter constat, quàm ex depositione hujus testis; ita ut singularitatis vitio laborans fidem non me- 6 reatur, & si mereretur, Reo nihil noceret.

Cum enim per liberam personam alteri non acquiratur obligatio, *Inter stipulantem §. alteri De verb. oblig. l. 1. C. per quas personas nob. acq.* neque debitor paciscendo jus creditoris immutet, *l. Debitorum C. De pactis.* & sine cessione nequidem procuratori acquisita obligatio ad alterum transferatur, nullâ ratione potest dici, dictum Ioannem propter receptionem sortis semel obligatum matricularijæ, per hujusmodi pactionem liberatum ab eo, ad quem pertinebat jus illius reditus. Et quamvis nihil vetet Reum potuisse facere hu- 7 jusmodi promissionem, qualem fecisse dicitur; ex ea tamen Actori non potuit acquiri obligatio.

Deinde de ipsa quoque promissione, ut nec liquidò constat, ita nec liquidò deponit ipse testis: quinimò promissionis imperfectionem satis indicat, propter dissensum, qui fuit inter Reum & Magistros Fabricæ, Reo volente promittere ad opus Vicariæ, cum Magistri Fabricæ ad opus matricularijæ, seu missæ articulatæ promitti vellent; ita ut propter dissensum, qui per se alioqui stipulationis perfectioni & utilitati semper obstat, *l. 1. §. si quis simpliciter De verb. oblig.* contractus ille non fuerit absolutus, nec literæ desuper, uti convenisse videbatur, confectæ; sine quarum ab-

solutione res perfici nequibat, *l. contractus C. De fide instrument.* Quare vel singularis manebit dicti primi testis, atque etiam secundi depositio; vel huic contraria vtrique fidem detrahet, *c. cum Ecclesia De causa posse. & propr. l. Scripturæ C. De fide instrum.* nisi prioris depositio secundùm hanc posterioris testificationem accipiatur.

Ita ut omnibus in unum coactis nulla sit solida & perfecta probatio illius, in quo fundamentum intentionis suæ Actor posuit; quæ causa est, ut Reum absolvi debere existimemus.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testium fides.

1. *Testis unicus aut singularis quando non faciat semiplenam probationem.*
2. *Cedens pro cessionario testis idoneus non est.*
3. *Affinis an sit idoneus testis.*
4. *Testibus contrarijs non fiatur.*
5. *Advocatus testis idoneus quando sit.*
6. *Conductor ante tempus recedens tenetur ad totam pensionem.*
7. *Confessio parte absente facta non nocet.*
8. *Confessio quando dividi possit.*
9. *Conductor finitâ locatione invitus retineri non potest*
10. *Conductor an migrationem locatori denunciare debeat.*
11. *Compensatio cessionario fieri potest de eo quod cedens debet.*
12. *Solita necessario non concludunt.*
13. *Compensatio omissa non perimit debitum.*

CONSILIVM CI.

DE duobus potissimùm quæritur in hac causa inter Nicolaum Mertens & M. Fredericum de Hennisdaele Reum. Primum est, an Reus à quondam Michaele vander Heyden tanquam curatore Nicolai Goessens, à quo cessam actionem habet Actor, domum conduxerit ad sexennium, ut Actor contendit: alterum, an Reus satis probaverit, se pensiones dictarum trium priorum annorum, quos agnoscit, plenè solvisse. In priore articulo nulla extat directa Actoris probatio de locutione & conductione huius domus: nam de ea Actor nullos testes produxit, nec instrumentum aliquod exhibuit; quod de ea confectũ non fuisse etiam Reus apertè confitetur, & eam confessionem acceptando, ipse etiam Actor allegat. Nec ulla extat Rei de sic facta locatione ad sexennium confessio: Reus enim & respondendo & positivè allegando in eo constanter persistit, quòd hanc domum à dicto Michaele conduxerit ad triennium, & minimè ad sexennium, & quòd dicti triennij ultimus dies exierit, in festo Bauonis anno 1578. sic quod ex defectu probationis Actor in hac causa succumbere & Reus indubitatè absolvi debeat à petitione mercedis seu pensionis pro dicto asserto posteriore triennio, *l. Qui accusare & ibi Alciat. C. De edendo* Nec quicquam ad tam latè patentem Actoris petitionem fundandam seu probandam facit, quòd ex parte Actoris allegatur, Reum in præsentia Actoris, M. Petri Vckemans, & M. Nicolai Foxij sui Advocati, pendente hâc lite apertè confessum fuisse & affirmasse, quòd à dicto Michaele hanc domum in conductum acceperit ad spatium sex annorum, & quòd elapsis tribus prioribus annis sibi Reo licitum foret, prævia renuntiatione ab hac conductione recedere, & quod huiusmodi conventioni se conformando uno medio anno ante exspirationem trium priorum annorum dicto Michaeli renuntiaverit: nam hoc sic allegatum & in facto propositum non est sufficienter per Actorem probatum. * Etsi enim 1
id aperto ore ita factum esse testificetur M. Petrus Vckemans primus per Actorem productus testis; in eo tamen solus & singularis est, nullum habens ea in parte contestem: ita ut ejus testimonio non possit inesse fides probationis, *l. Iurisiurandi De testib. l. Marius. D. De quæst. c. Licet ex quadam. De testib.* & quidem nec semiplenæ; quam etsi regulariter faciat vnicus testis, qui omni exceptione major est *gloss. fin. in c. fin. De iureur. Doct. in l. Admonendo D. De iureur.* non facit tamen is, adversus quem justa aut probabilis, imò etiam aliquo modo frivola exceptio, quæ ejus fidem elevet objcitur, cujusque fides in aliquo vacillare reperitur; vel judicem ad dubitationem aliquam pertrahere potest, *Ale. cons. 18. Viso processu vol. 1. & cons. 70. Viso consilio vol. 2 Panor. in c. At si clerici De iudic Felin. in c. Cum Ioannes. nu. 4. De fide instrum.* Talem autem saltem in hac causa non esse dictum M. Petrum demonstratur primùm ex eo, quod idem M. Petrus notoriè sit socer supradicti Nicolai Goessens; cujus Nicolai cessionarius est hujus causæ Actor, ex cessa sibi per eundem Nicolaum actione, quam in hac causa experitur. * Quæ cessionis consi- 2
deratio facit, ut hæc causa satis videatur esse causa dicti Nicolai, quâ ipse Nicolaus pro Actore testis idoneus esse non posset; quia cedens pro cessionario inidoneus & omninò suspectus testis est, *Cynus, Faber & alij in l. Omnibus C. De testibus. Steph. Aufrer. ad decis. Tholos. 94.* non tantùm cùm ex onerosa causa facta est cessio, propter periculum causæ, quòd succumbente cessionario ad cedentem velut ex evictionis causa pertineret; verùm etiam cùm donationis titulo cessio facta est propter affectionem quam cedens erga cessionarium cessamque actionem habet, *Odofred. & alij in l. Nullus D. De testib. Cynus in l. Etsi ad te C. Ad l. Cornel. De falsis.* Repræsentat enim is, cui actio cessa est, ipsum authorem, hoc est cedentem, ideoque cedens arcetur à testimonio, etiamsi actio cessa ejus periculo non sit, neque nomen cessum bonum præstare debeat, *Salyc. in d. l. omnibus C. De testib. Alberi. in l. vlt C. De procur sub fin. Bald. in l. Et hæredi. §. nos autem nu. 3. De pact. Lud. Rom. cons. 382. Quoad primum in prin.* Propter cujus affectionis considerationem refert & sequitur Guido Papæ *cons. 74. Sequuntur rationes sub fin.* doctrinam Alberici, *in l. Nullus De testib.* generalem, quod nemo possit esse testis in causa illius, qui causam ab eo habere prætendit. Et quamvis sint, *Salic. in c. Insuper nu. 13. De testib. & quos ibi refert*, qui cessionario ex causa lucrativa permittant testimonium cedentis; nemo tamen est, qui non hoc quoq; admittat, illius testimonium omni exceptione majus non esse; & in eo distare cessionarium ex donatio-

nis

nis titulo à cessionario ex onerosa causa, quòd cedentis ex onerosa causa testimonium prohibeatur ex consideratione causæ propriæ, *d. l. Omnibus d. l. Nullus*; quod facit contemplatio damni vel emolumenti, quod ex exitu illius potest sentire cedens, *l.* 1. §. *in propria D. Quando appel. sit*; ita quòd in testem produci non possit, & in limine productionis ne examinetur repelli queat: cedens verò ex lucrativa causa in testimonium quidem admitti possit, sed per omnia illud non sit idoneum, nec omni exceptione majus; ita ut solum per se semiplenam probationem facere nequeat. Verùm de eo hic laborandum non est, cùm ex instrumento cessionis in hac causa exhibito non constet hanc cessionem factam esse ex causa donationis, quæ in dubio non præsumitur, *l. cum* De *indebito versic. quia enim solvit* De *probat.* verosimiliusque sit ex causa onerosa & per insolutum dationem factam esse: unde dubitatio nulla est, quin dictus Nicolaus in hac causa pro cessionario non potuisset in testem produci, si id Actor voluisset; qui si de facto productus fuisset, & testimonium dixisset, id fuisset pro nullo; & ita quidem, ut nec judicium nec suspicionem aliquam ad commodum cessionarij facere potuisset, *Panor. in c. Ex literis. nu.* 3. *De transact.* Quo constituto sequitur quod nec dictus M. Petrus Vekemans in hac causa vel utilis vel idoneus fuerit testis; quia quodammodo in causa
3 dicti Nicolai sui generi deposuisse videtur. * Affinis enim præsertim in ascendente linea, & in primo gradu affinitatis, non est idoneus testis, saltem non omni exceptione major: ita ut quemadmodum socer invitus adversus generum testimonium dicere cogi non potest, *l. Lege Iulia D. De testib. Bart. in l. Aut affinitate* De *procurat.* ita nec pro eo sponte dicere ei permittendum sit, *Alexand. d. cons.* 18. *Viso proceſſu nu.* 5. *vol.* 1. aut saltem soli non credendum, nec in supplementum probationis ad ejus tale testimonium parti, quæ eum produxit, juramentum deferendum est, *Iason. in repet. l. Admonendi nu.* 167. *De iureur. Ioan. de Amcu cons.* 53. *Super inquisitione.* Secundum, quod fidem huic testi derogat, est, quòd cessante consideratione hujus affinitatis, hic testis sit in hac causa director, mediator, & sollicitator, & præterea dicto Actori summâ familiaritate conjunctus. Constat id ex Actoris confessione, quâ confessus est, dictum M. Petrum dicto Nicolao Mertens hujus causæ Actori feciſſe omnes computus & rationes domus mortuariæ præfati Michaelis, cujus testamentarius executor est idem Actor; quod quamvis Actor ut impertinens reijciat, per se tamen momenti satis habet ad arguendam prædictam familiaritatem; hujusmodi enim officium nemo ferè nisi amico exhibere solet. Quam familiaritatis & amicitiæ consideratione auget, quod ex actis ipsis, adeoque ex ipsius M. Petri hoc testimonio non obscurè percipiatur, quòd idem M. Petrus se rebus dicti Nicolai Mertens, adeoque etiam specialiter huic causæ interposuerit, & ante hanc litem, & eâ pendente recipiendo ex manibus Rei apochas & alia instrumenta, hanc controversiam in sua domo propria tractaverit. Quæ amicitiæ & familiaritatis directionisque hujus causæ consideratio facit, ut ejus testimonium contra Reum pro Actore non possit esse omni exceptione majus: amicitia enim & familiaritas homines plerumque in sequiorem partem pertrahit & abducit, *Alexand. d. cons.* 18. Tertium, quod huic testimonio potentius obstat est, quod M. Nicolaus Foxius super hac eadem re in testem productus, rem aliter accidisse testificetur: neque enim dicit, quòd Reus loco & tempore prædictis confessus fuerit à se Michaele domum conduxisse ad sexennium, sed hoc specialiter, quòd Reus tunc confessus fuerit, se ad triennium tantùm conduxisse, & secundum seu sequens triennium ei à Michaele oblatum fuisse, si ultra triennium in hac domo permanere vellet. Quæ confessio ut directò contraria seu contradictoria est assertæ confessioni, de quâ M. Petrus testificatur; ita planè contraria seu contradictoria facit horum duorum testium testimonia. † Quæ contrarietas vel 4
hoc facit, ut neutrius testimonio, quia uterque ab eadem parte productus est, fides adhiberi debeat, *l. Vbi repugnantia De reg. iur. arg. l. Scripturæ C. De fide inſtrum. Doct. in c. In noſtra De teſtib.* quo casu sic subversa & annullatâ depositione M. Petri Vekemans, cessante quoque depositione M. Nicolai Foxij, quâ Reus non indiget, quia Actore non probante Reus absolvi debet, etiamsi nihil præstiterit, *c. fin.* §. *sanè De iureiur.* Actor constituitur in pleno defectu probationis de conductione ad sexennium: vel hoc saltem, ut potius credendum sit testimonio M. Nicolai Foxij; non ob id tantùm, quod ejus testimonium sit pro Reo, ut in dubio pro Reo facienda est interpretatio, *l. Arrianus De obligat. & act. l. Favorabiliores. De R.* 1. & in contrarietate seu diversitate sententiarum per plures Iudices pari numero latarum illam sequi oportet, quæ pro Reo est, *l. Inter pares De re iudic.* sed ex eo etiam, quòd ejus persona sit omni exceptione major; contra quam nihil pro parte Actoris excipitur, neque etiam excipi posset; ob id, quod nemo adversus personam testis, quem ipse produxit, & sic idoneam ejus qualitatem approbavit, ad derogandam fidem illius testimonio excipere aut proponere possit, *l. si quis teſtibus. c. De teſtib.* ut nec hoc Actor propterea objicere potuisset, quòd idem M. Nicolaus Foxius sit advocatus Rei in hac causa. * Etsi enim Advocatus, atque etiam 5
procurator causæ inidoneus testis sit pro Reo, si is eum in testem producere velit, *l. fin. De teſtib. c. fin. eod. tit. lib.* 6. idoneus tamen est, cùm per Actorem in testimonium producitur: ut enim invitus, alterâ parte requirente, plerumque testimonium dicere debet, *gloſſ. in V. præſtiterint in d. l. fin. De teſtib. Bart. in l. Deferre nu.* 2. *in fine De iure fiſci, late Paulus Pariſ. conſil.* 70. *Pro reſolutione in princ. vol.* 4. ita quoque liberè veritatem dicere potest, non præcisè pro parte producente, sed etiam pro ea, contra quam producitur, licet ejus procurator vel advocatus sit: quia in omni teste hoc receptum est, ut pro utraque parte veritatem dicere debeat, prout rei veritas testi cōstat, *gl. in d. c. fin. De teſtib. lib.* 6. *Pariſ. d. conſ.* 70. *n.* 9 & 10. Deinde si comparatio personarū fiat, præferenda est conditio & qualitas D. Nicolai Foxij; qui Reo nec affinis nec cognatus est: cum M. Petrus sit in primo ascendente gradu affinis illi ex cujus cessione hæc causa agitur. Foxius juris est Licentiatus, & sic maiore dignitate & honore

honore honoratus, quàm M. Petrus, qui actorum tantùm scriba seu Secretarius publicus est, cui ex pluribus causis superiùs deductis possunt objici suspicionum argumenta; quæ nulla Foxio, nec ex suppletione iudicis, objici possent, ne quidem ex ea consideratione, quòd sit Aduocatus Rei: hæc enim suspicionis causa discussa ac purgata, & persona Foxij ad hoc testimonium etiam pro Reo dicendum integrata est, per vltroneam Actoris productionem, *Paris. d. cons. 70. nu. 10.* Deinde maior verosimilitudo stat pro confessione Rei de triennio, de quo tam aperto ore deponit M. Petrus actum ex eo, quòd Reus deliberatè respondendo, & positiuè asserendo in judicio vbique constanter antea dixerit de triennio dumtaxat, ut nulla sit verosimilitudo quod Reus post iudiciales has confessiones & allegationes postea extra judicium, pendente hâc lite, in domo privata dicti M. Petri variando & vacillando voluerit aut potuerit confiteri aut affirmare, quod ad integrum sexennium hanc domum à Michaele conduxerit; nemo enim præsumitur incontinenti, seu ex tam parvo temporis intervallo se corrigere, aut prioribus non conformia dicere vel facere, *l. non ad ea De condit. & demonstrat.* tum etiam ex illo, quòd ex vtroque testimonio Ioannis tam per Actorem, quàm Reum in testem producti, atque etiam ex testimonio Paschasiæ per Reum solum productæ, constat quòd præfatus Michael hanc domum circa festum Nativitatis Christi anno 79. seu in principio anni, 80. locaverit dicto Ioanni ad quadriennium, tunc in medio Martij dicti anni 84. inchoandum: tum denique ex testimonio Pauli, quòd præfatus Nicolaus, ad quem dicta domus pertinet, in mense Augusto 1578. affixa scedula hanc domum conductioni exposuerit: quod neque Michael, neque Nicolaus verosimiliter fecissent, aut licitè facere potuissent, si eo tempore hæc domus fuisset in conductione dicti Rei pro altero triennio, in quod inciderunt dicti tres anni 1578. 1579. & 1580. nam non potest locator verus uni locatum, alteri durante locatione locare, nec conductorem ante finem conventi temporis expellere, *l. 3. l. si de fundo C. De locato.* Neque ad curam vel sollicitudinem suam revocare debebant Michael aut Nicolaus alteram locationem huius domus, si illa tunc pro secundo triennio adhuc
6 verè stabat; cùm illâ prætermissa eorum periculo aut damno futura non fuerit: * conductor enim ante finem conventi temporis à domo conducta sine justa & legibus approbata causa recedens, tenetur ad solutionem mercedis seu pensionis, non tantùm pro præterito tempore, quo re conductâ usus est, sed etiam pro futuro, etiamsi re eo durante non utatur, *d.d. §. si pensio. ff. d. migrand. l. si in lege §. si domus l. domus §. final. l. habitatores §. fin. ff. locati.* Sic quod ex migratione Rei finito primo triennio, & hâc sequente locatione alteri facta, evidenter, saltem præsumptivè, constet, Reū conductioni huius domus implicatū vel illigatum non fuisse pro sequente tempore, *arg. d. l si in l. §. colonos, versic. nam & qui expulsus.* Quam verosimilitudinem non avertit illud, quod ex testimonio dictorum Ioannis & Paschasiæ constet, hanc sequentem locationem factam esse sciente & in effectu consentiente Reo; & quod Michael tunc dixerit se id facere nolle neque posse, nisi consentiente Reo: nam id referendum est, non ad præcisam locationem ad sexennium, de qua non constat; sed ad oblationem Michaelis Reo post locationem ad triennium factam, de alio triennio, si illo quoque habitare vellet: ut Reus tam in iudicio, quàm in domo M. Petri Vekemans ingenuè confessus est & declaravit; propter quam oblationem Michael ad sequens triennium si Reus voluisset obligatus erat patientiam vtendi fruendi præstare; non perinde Reus obligatus conductionem ad secundum triennium continuare: quæ enim ad voluntatem referuntur, juris necessitatem non habent, *l. Sub. hac De oblig. & action.* Illud sane vehementer suspicionem adversus M. Petrum auget, quod vti testificatur M. Nicolaus Foxius, Rei verba tunc studiosè captaverit, eaq; in alium sensum acceptaverit, quam ea à Reo prolata erant, dicto Foxio hujusmodi captiosam & insidiosam acceptationem, ut parum liberalem reprehendendo; quodque idem M. Petrus addat, quòd hanc dicti Rei sic pro suo judicio intellectam confessionem pro sua memoria in scriptum redegerit: inde enim deprehenditur, quam affectionem M. Petrus ad hanc causam pro commodo sui generi & Actoris hujus causæ eius cessionarij habuerit; & quàm se ad hoc testimonium pro Actore dicendum inidoneum fecerit, adhibendo præsertim hanc scrupulosam & insolitam cautelam redactionis in scriptum, de ea re, quæ ad illum nisi ratione corruptæ seu parum integræ affectionis minimè pertinebant, *l. Culpa est De reg. iuris:* quæ sanè non tantùm superflua, sed etiam extranea, insolita, & parum probabilis cautela suspicionem fraudis & mendacij potius, quàm integritatis & veritatis arguit, *l. si quis sub conditione De cond. instit. Bald. in l. Testamentum versic. quandoque nu. 3. C. De testam. & cons. 75. Spurio nu. 2. vol. 2.* Vt proinde ex his satis constet in dicti M. Petri testimonio nullam fidem ad constituendam semiplenam probationem constituendam esse; atque ita nec semiplenam extare probationem de locatione ad sexennium per Reum allegata. Quinimò ampliùs dicimus, quod etiamsi de hac asserta Rei in domo M. Petri Vekemans facta confessione plenè constaret, inde tamen non posset aliquid in
† præjudicium Rei constitui; † ob id quòd li- 2
cet confessio præsente & intelligente parte, quam res concernit, etiam extra judicium facta Reo noceat, & pro Actore saltem ad semiplenam probationem faciat, *c. fin. vers. non tanquam sufficiente. De succes. ab intest.* aut ad exornationem Actoris ab onere probandi, *Marian. Socinus consil. 228. In causa Gabrielis n. 8. vol. 2.* quæ tamen parte absente facta est extra judicium, nullas omnino vires habet, & ne quidem ad indicium aliquod, multò minùs ad semiplenam probationem faciendam, *l. certum §. si quis absente De confess:* confessio enim alterius etiam declaratoria actus præteriti, *Panor in d. c fin. nu. 5.* ut confitenti noceat & adversario prosit, requirit adversarij præsentiam, etiam cùm in judicio, multò magis cùm extra judicium illa fit, non aliter quàm pactum, quodnisi inter præsentes fieri potest, *Cald. cons 392. Imprimis nu. 1. vol. 3.* & non tantùm præsentiam patris, sed etiam illius

illius interrogationem, & ad illam secutæ confessionis acceptationem requirit; usque adeo, ut etiam in judicio confessus ad interrogationem non præjudicet sibi, nisi quoad interrogantem & acceptantem, *l. fin. De interrogat. act. Salic. in l. 1. nu. 28. C. De confess.* Iam verò diligenter examinando hanc depositionem dicti M. Petri, non satis liquidò deprehenditur, quòd Reus hujusmodi confessionis verba dixerit Actore præsente, multò minùs illo interrogante, & omnium minimè hujuscemodi confessionem acceptante; cùm M. Petrus apertè dicat, non Actorem, sed se talem assertam confessionem acceptasse: quod proculdubio ex eo contigit, quòd Actor, si verè præsens fuit verba hujus assertæ confessionis, eo sensu captioso, quo M. Petrus, non intellexerit, sed aliter factam confessionem & ad suum compendium vel utilitatem nihil facientem, dissimulaverit, & contempserit; ideoque ex illa idem Actor in hac causa nunc adjuvari non debebeat, ut in simili eleganter respondit Stephanus Bertrandus, *cons. 257. Etiamsi vol. 1. p. 1. nu. 4. & cons. 83. Non puto vol. 2. p. 2.* Et quamvis sint, qui formalem præsentis aut interrogantis acceptationem, ad hoc, ut confessio confitenti noceat, necessariam non esse putent, *Panorm. in d. c. fin. nu. 5. Socin. d. cons. 228. nu. 5.* hoc tamen omnes requirunt, quod indubitatè constare debeat, partem cujus interest, non tantùm præsentem fuisse, sed præsentem hujuscemodi confessionem audisse & probè intellexisse: in hoc enim & alijs pluribus juris articulis, ubi præsentia partis requiritur, aut coram aliquo quid fieri debet, non sufficit corpore præsentem fuisse, nisi animo quoque præsens fuerit, & sic quæ in præsentia ejus geruntur audierit & intellexerit, *l. coram De verb. signif. l. 1. § tutor De auth. tutor. Bertran. consilio 78. Quoddam vol. 2. parte 2.* Unde est quod in probatione hujusmodi confessionis, ut confitenti noceat, necesse sit positivè allegare & probare non tantùm quòd pars præsens corpore fuerit, sed quòd præsens quoque audierit & intellexerit tunc cùm de alterius præsentia agitur, *Bart. in d. l. 1. § tutor. Bertrand. d. cons. 257.* Cùm igitur ex hac M. Petri depositione non constet, dictum Actorem sic corpore & animo, tempore, quo hæc confessio sic facta dicitur, præsentem fuisse & eam audivisse & intellexisse, debet hujuscemodi confessio, etiamsi M. Petrus omni suspicione vacaret, & idoneum conformemque in hoc testimonio contestem haberet, Actori non prodesse, nec Reo nocere; cùm ex probatione solius præsentiæ corporis concludenter non possit argui præsentia animi; hoc est auditus, intellectus, & acceptatio saltem tacita per taciturnitatem, & in dubio etiam in judiciali confessione potius præsumatur absentia, quam præsentia partis, *decis. Tholosan. 351. & ibi Aufrer. Steph. Bertran. d. cons. 257. nu. 5.* Sed etsi probatum esset, hanc confessionem per Reum sic factam esse præsente Actore, audiente, intelligente, & tacitè saltem acceptante, nihilo magis nocere deberet Reo; ob id, quòd illa acceptatio non minùs esset captiosa, & sic minimè permissa, quàm fuit illa, quâ M. Petrus dicit se hujuscemodi confessionem Rei acceptasse pro ea parte, quâ Reus confessus fuit se ad sexennium conduxisse; sed non pro ea parte, quâ Reus confitendo dicitur adjecisse, quòd convenerit, quòd Reo liceret primo triennio à conductione recedere:

* hujusmodi enim confessionis separatio & divisio, etsi permissa sit in confessione, quæ diversa & non cohærentia seu connexa capitula continet; illa tamen, quæ qualificata & informata seu extensa est ad plura, quæ simul cohærent & connexa sunt, quæque uno eodemque tempore potuerunt simul contingere, nec dividi aut separari, nec pro parte acceptari, pro parte reprobari aut negari potest, ut habet elegans Bartoli doctrina & distinctio, *in l. Aurelius §. idem quæsit De liberat. leg. & in l. Siquidem. C. De except.* quam communiter omnes Interpretes sequuntur & approbant. Quia igitur uno eodemque tempore Reus potuit conduxisse ad sexennium, & eodem etiam tempore convenire, ut primo triennio Reo liceret ab eadem conductione recedere, ut plerùmque etiam sic fieri solent locationes & conductiones, ut vel locatori vel conductori, vel utrique liceat ad medium conventi temporis ab ulteriore locatione & conductione recedere, si Actor hâc Rei confessione, de qua solus M. Petrus deponit, velit se juvare ad hoc probandum, quòd locatio ad sexennium sit facta, hoc quoque contra se debebit admittere, quòd Reo licuerit ad finem triennij ab ea conductione recedere; prout revera non tantùm per verbalem renuntiationem, sed ipso facto migrando ex hac domo recessit. Quod satis animadvertens idem M. Petrus, hanc confessionem non reprobavit formaliter, sed hoc tantùm quod Reus ad finem triennij renuntiaverit huic conductioni: quod sanè si Reus dixisset, & ad eamdem suam confessionem non tantùm de facultate recedendi simpliciter, sed ulteriùs sub conditione, si renuntiaret, qualificasset, & præterea dixisset se renuntiasse, rectè potuisset M. Petrus reprobasse hanc adjectionem factæ renuntiationis; quia separatum fuisset capitulum continens factum, quod non potuit concurrere cum tempore factę locationis & conductionis ad sexennium, cum facultate recedendi ad triennium, *Bart. & alij locis supra citatis, Angel. cons. 304. Visa dicta scriptura, in fine. Lud Rom. consil. 346. in hac causa*; ita ut eo casu ad Reum pertineret onus probandi se hanc renuntiationem fecisse. Sed quia idem M. Petrus referendo confessionem Rei, quam eo loco & tempore Reum fecisse testificatur, hoc non dicit, quòd Reus confessus fuerit conventionem facultatis recedendi mediante renuntiatione; seu sub conditione renuntiationis, non potuit non fuisse captiosa ejusdem M. Petri acceptatio confessionis quoad priorem partem, & reprobatio quoad posteriorem; quatenus dicit Reum dixisse, quòd hanc renuntiationem in fine primi triennij fecerit; cùm non deponat Reum confitendo hoc tunc dixisse, quòd renuntiatio facienda esset: plurimùm enim interest inter simplicem & absolutam facultatem recedendi, quæ continetur in asserta confessione Rei, de qua M. Petrus deponit; & inter conditionatam, si illi Reus ante finem primi triennij renuntiaret. Nam quamvis in hac, renuntiatio seu denuntiatio sit necessaria ad hoc, ut futuri temporis ratio non pertineat ad conductorem propter legem contractus sic expressim dictam, *l. Legem C. De locato*; in illa tamen absoluta seu simplici facul-

9

facultate recedendi, nullâ denuntiatione opus est; propter legem contractus, quæ hoc in facultate
9 conductoris ponit: † quemadmodum generaliter colonus seu inquilinus finitâ locatione invitus in ea locatione retineri nequit, sed migrare potest, *l. Invitos C. de locato*; cùm etiam interdicto succurratur migranti, si locator prohibeat, *l. 1. D. De migrando*: nec usquam jure cautum sit, locatorem per inquilinum præmonendum, aut denuntiatione seu renuntiatione instruendum esse de inquilini migratione, ut consulendo eleganter respondit Marianus Socinus nepos *consil. 120. In causa excellentissimi vol 3.* Scire enim debuit locator ex origine ipsius contractus id conductori permissum esse per exitum primi triennij, ad quod solum Reus ab initio obligatus fuit, in suspenso manente obligatione pro secundo triennio, si Reus id voluisset. Requiritur quidem interdum hujusmodi migrationis denuntiatio, tunc cùm conductor ex aliqua etiam probabili causa migrare vult ante finem conventi temporis; veluti propter supervenientiam hostium; propter obortam pestem, aut aliam aliquam similem, *l. Item queritur § exercitu. D. Locati*; nimirum quia locator hujusmodi migrationem nec prævidere, nec suspicari potuit, ut potest & debet, cùm ab initio convenit, ut finito triennio conductori migrare liceat.

10 Quinimò idem Marianus Socinus nepos existimavit etiam illo casu, quo iusta & probabilis est migrationis causa, hac denuntiatione opus non esse, ad finem & effectum, ut conductor non tenetur ad solutionem pensionis pro tempore futuro seu sequente, sed dumtaxat ad hoc ne teneatur ad reparationem damnorum, quæ in conductis ædibus post hujusmodi migrationem per alios data sunt, quæ præcavere poterat locator, si conductor ei suam migrationem denuntiasset: quæ interpretatio satis consonat responso Vlpiani, quod hanc denuntiationem requirit *d. §. exercitu*. Sed scrupulosius & forte nimis minutè hæc persequimur extra veritatem hypothesis hujus causæ, in qua nullâ ratione constat de locatione ad sexennium, sed hoc dumtaxat, quòd Reus ingenuè confessus sit, & præfatus M. Nicolaus Foxius ex confessione Rei diserte deposuit, quòd Michael locando ad triennium dumtaxat, obtulit eo finito aliud triennium, ponendo id in voluntate Rei, non in necessitate obligationis. Porrò nihil ad probationem conventionis ad sexennium facit annotatio, quam præfatus Michael in libro suarum rationum asscripsisse asseritur, annotando solutionem primę pensionis pro primo & secundo semestri primi anni de sex annis: huiusmodi privata annotatio vim probationis non habet pro scribente adversus alium, *l. Instrumenta C. De probat.* præsertim quòd mentio sexennij in eadem annotatione non sit dispositiva sed enũtiativa dũtaxat, cui ob id pro scribente contra tertium stãdum non est, *l. publica § fin. D. depositi.* & in omnem eventum mentio sexennij referri deberet ad oblationem Michaelis, per quam se Reo obligavit ad alterum triennium, si Reus id vellet, uti supersius dictum est. Per quæ omnia & singula existimamus sufficienter deductum esse Actorem, quatenus pensionem seu mercedem petit pro altero posteriore triennio, nec probatam nec fundatam habere intentionem; & sic in omnem eventum Actorem plus re in hac causa petere; ideoque quicquid etiam dicatur aut statuatur de actione & petitione quoad pensionem prioris triennij, Actorem in expensis huius litis condemnandum: ea enim est pœna temerè plus injure petentis & minùs probantis, quàm positivè allegavit §. *& si quidem in fine Instit. de act. Guido Pap. decis.* 27.

Vnde propositæ consultationis alteram partem, quæ minus operosa est, & in calculi dumtaxat serie consistit, transeundo, paucis dicimus, nec ea in parte Actorem obtinere posse; ob id, quòd quamvis indubitatum sit, Reum obligatum fuisse ad solutionem pensionum trium priorum annorum; ex actis tamen adeoque etiam pro maxima parte ex confessione Actoris constet, Reum satisfeciſſe hujusce modi pensionibus, quæ coniunctæ ascendunt ad summam centum & duorum florenorum: quorum solutio hoc modo probatur. Primùm Actor apertè confitetur, imò positivè allegat, quòd Reus solverit pensionem primi anni, hoc est triginta quatuor florenos, quæ est tertia pars dictæ totalis summæ centum & duorum florenorum. Confitetur quoque Actor, & in solutum sibi assignari patitur summam viginti sex florenorum & duarum pleccarum, ex solutione per Reum facta annui reditus, quo dicta domus onerata erat; quæ summa conjuncta priori de triginta quatuor florenis constituit summam sexaginta florenorum, vnius medij stuferi & duodecim mitarũ. Refert ulteriùs Actor in solutum summam 9 florenorum & 14. stuferorum, ex causa pharmacorũ ex suo pharmacopolio dicto Nicolao exhibitorum: quam summam quamvis ab initio agnoscere noluit Actor, partim sub prætextu ignorantię, partim sub præsumpta solutione, postea tamen judicialiter illam quoque admisit. Quâ summulâ novem florenorum & quatuordecim stuferorum dictis sexaginta florenis & ei quòd excurrit conjunctâ, constat de solutione sexaginta novem florenorum quatuordecim stuferorum cùm dimidio & duodecim mitis: quibus si addãtur tres floreni sedecim stuferi cum medio, item alij quindecim stuferi cum dimidio, atque etiam alij viginti stuferi ex causa impensarum in conducta domo factarum, simul conficientes summam quinque florenorum & duodecim stuferorum (quas particulares summas Actor quoque recognovit & admisit) conficitur indubitata summa septuaginta quinque florenorum sex stuferorum cum medio & duodecim mitarum: quâ detracta à supramentionata summa debiti centum & duorũ florenorum, manent in reliquo dumtaxat viginti sex floreni, tredecim stuferi cũ octodenario & sex mitis; quos solos etiam Actor quoad solutionem pensionis pro dicto priore triennio in cõtroversia posuit, non admissâ cõpensatione ex maiore summa quadraginta aut circiter florenorum, quã Reus Actori objecit ex causa auctionũ venditionis prętactæ domus dicto Michaeli ad opus Nicolai Goesiens, paulò ante hanc locationem, videlicet in mense Novembri 1574. venditæ: non ex eo quasi quod alius non Actor Reo convento debet, in compensationem adduci non possit, *l. In rem*

§. creditor

§. *creditor* DE *compensa.* nam id non obtinet in tertio, qui causam habet ab eo, ex cujus capite fit
11 compensatio; † ut cum cessionario objiciatur exceptio ex persona cedentis, quam cessionarius etjamsi ipse non debeat, Reo admittere debet; quia compensatio est pro solutione, *l. Si constat C. De compensa. l. Posteaquam. D. eod.* ideque efficit ut quod compensando servari potest, exturguat, aut saltem inefficacem faciat obligationem, præsertim cùm compensationis occasio & potestas est ante cessionem actionis, *Ang. cons.* 259. *quædam. Guido Papæ decis.* 567. ut in propolito casu contingit: sed ex eo quòd Actor sibi persuadeat hoc debitum vel numeratione pecuniæ, vel subductis rationibus compensatione ante hanc cessionem sublatum fuisse. Qua sanè in parte Reo satis esse debet, quòd non tantum ex confessione Actoris, sed etiam ex scedula dictæ venditionis evidenter constet, hoc debitum verum fuisse; nullo modo autem constet de allegata solutione quoquo modo per Michaelem aut alium Reo facta, vel per realem solutionem pecuniæ, vel per fictam seu æquivalentem compensationem aut discomputationem; sic quod cum Actori incumbit probatio allegatæ solutionis, *l. 1. Cod. De probat.* sive Reus creditor illam neget, sive de ea dubitet, *gloss. in verb. præstare in d. l. 1. cod. De probat.* præsumptio pro debito horum quadraginta florenorum eatenus stare debeat, quatenus Actor sufficienter non probavit illud solutum esse; præsertim postea quam Actor tam scrupulosè Reum coëgit ad declarandum sub juramento, quòd hoc debitum ex auctionibus sit verum, & adhuc insolutum; quod juramentum Reus etiam præstitit, cum restrictione solutæ aliquantæ summæ super hoc debito, juxta apochas seu quitantias per Reum Michaëli desuper datas, ad quas Reus sic respondendo se retulit; ut dubium non sit quin ex dictis quadraginta florenis ut minimùm restet prædicta reliqua summa viginti sex florenorum tredecim stuferorum cum octodenario. Cujus plenam solutionem arguere non potest annotatio Michaelis facta in scedula per Actorem de quibusdam Reo solutis, nam inde concludenter inferri non potest plenaria solutio, cùm sit dumtaxat, in solutum pro parte datio. Unde verius & concludentius inferri potest Reo plenè solutum non fuisse, sed dumtaxat ad diminutionem majoris summæ aliquid insolutum datum fuisse. Neque etiam præsumptionem factæ solutionis arguit quòd ex obtinente more, imò etiam ex legibus & capitulis dictæ venditionis, pecunia quæ pro auctionibus seu animositate licitationis debetur, soleat & debeat statim solvi; & quod tempore legis operarum venditor à scabinis interrogari soleat, an illi de pretio & auctionibus per venditorem solutum sit:
12 † inde enim concludenter & necessariò inferri non potest, solutionem naturaliter esse factam; cùm à solitis necessaria non sit illatio, & solita sæpè omitti possint, sæpeque ex usu omittantur, & sic ab eo quod abesse possit concludens probatio non desumatur, *l. Neque natales. C. De probat.* Vt nec ex eo desumi potest quod Reus ex causa conductionis hujus domus debitor Actori pensionem pro primo anno solverit, quod verosimiliter facturus non videbatur, si Michael ei reliquator fuisset ex causa dictarum auctionum: *Argum. l. Proculus D. De probat.* nam & hæc præsumptio incerta est, & fluctuat, propterea quod Reus sciebat & scire debebat causam compensandi hoc debitum sibi salvum manere in exactione seu solutione pensionum pro reliquis duobus annis dicti triennij; quæ compensandi occasio debitori non perit, si suo creditori eidemque ex alia causa debitori ultrò & sine controversia solvat quod ei debet: manet enim ut exigendi, ita quoque ad aliud debitum compensandi occasio & potestas. † Ut ideò ut vel petendi vel 13
compensandi cum alio debito potestas salva manet, cum Judex objectæ compensationis rationem non habet, *l. Quod in dum §. Si rationem. D. De compensat.* Ita quoque cùm debitor suo creditori, eidemque ex alia causa debitori ultrò sine compensatione solvit; neque enim semper ipso jure fit compensatio, sed ita si objiciatur, *gloss. in d. l. Si constat in verb. ipso jure. C. De compens.* ideoque cum negligentia vel contiventia omitta est, solutionem non facit irritam, sed omittenti compensationem reservat & jus actionis & petitionis, *l. Qui invicem D. De condict. indeb.* & cum ipso jure fit compensatio, tribuit soluti, tanquam indebitè soluti, repetitionem, *l. 3. D. De compens. l. Si ambo vers. si quis igitur. De compens.* multò magis exceptionem per remedium compensationis ad aliud debitum, *l. Invitus §. cui damus De reg. jur.* Cum igitur compensatio ipso jure sine ministerio hominis, hoc est sine illius expressa & formali objectione & deductione non fiat, non potest illius esse præsumptio, sed necessaria est probatio, ut est omnium eorum quæ in facto consistunt, *l. In bello. §. facta, De capt. & postl. revers. c. 1. Constit. lib. 6.* Atque ita non probatâ vera vel ficta totali solutione dictorum quadraginta florenorum, manet illorum obligatio, & ex illa compensandi potestas ad concurrentem quantitatem dictorum restantium viginti sex florenorum trecedim stuferorum octodenarij cum sex mitis; ita quòd constet Actorem malè petere quod ei partim naturaliter, partim civiliter per compensationem solutum est. Quæ causa est cur putemus officium Magnifici D. Rectoris esse, ut Reum per omnia ab impetitione absolvat, Actore in omnibus expensis litis condemnato.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testes variantes concordandi.

1. *Probationum pondus in arbitrio judicis est.*
2. 6. *Testibus utrimque paribus quibus credatur.*
3. *Maiori summæ inest minor.*
4. *Testes variantes ad concordiam reduci debent.*
5. *Scripturis diversis non creditur, sed bene testibus.*
7. *Frater pro fratre testis esse potest.*
8. *Verba honoris non obligant.*
9. *Stipulatio formâtia verba non desiderat.*
10. *Pœnæ secundo nubentium per jus Canonicum sublatæ.*
11. *Mulier intra annum luctus nubens, si non pariat intra undecimum mensem, non tenetur pœnis legis.*
12. *Error ex longo intervallo revocari non potest.*
13. *Notorium allegari, non probari debet.*
14. *Pensiones lite pendente cessæ officio Judicis in condemnationem venire possunt.*
15. *Clau-*

15. Clausula, petens sibi jus dici &c. *quid operetur.*

CONSILIVM CII.

IN causa quæ agitur coram venerabili viro D. Officiali Leodiensi Lovanij residente, inter Waltherum Remigij maritum Mariæ Stevaerts, contra Ioannem Bloems dictæ Mariæ ex priore suo matrimonio socerum, tres occurrunt articuli, circa quos totius causæ status & difficultas versatur. Quorum primus facti magis, quàm juris habet quæstionem; reliqui duo in jure consistunt; quos paucis pro causæ illustratione & venerabilis D. Iudicis institutione excutiemus. Primus articulus est circa probationem allegatarum conventionum, quantum scilicet dictus Ioannes, donationis propter nuptias causa, suo filio & dictæ Mariæ addixerit; octodecim ne florenos annuos & duos modios siliginis etiam annuos? uti Actor contendit; an verò tantum quindecim florenos annuos, cum uno modio siliginis? quod Reus tantùm confitetur. In quo articulo longa probationum, quæ hinc inde factæ sunt, collatione & examinatione non utemur: quod non tam in Iureconsulti demonstratione, quàm Iudicis arbitrio versetur probationum pondus & efficacia. *l. 3. § tu magis De testib. Francisc. Curtius Iunior. consil. 178. in princ.* * Iudex enim motum animi sui ex argumentis ac testimonijs, prout illa rei de qua agitur vel aptiora vel vero proximiora comperit, informat, *l. Hoc carmen. §. Si testes De testib.* Hoc satis erit obiter attigisse trium testium, videlicet Arnoldi, Matthæi & Ioannis conformi testimonio probatum esse, contenta primi articuli, articulorum dicti Actoris esse vera, & ita ut ibi narratur rem contigisse; videlicet octodecim florenos esse promissos, cum duobus modijs siliginis. Quorum fides tribus testibus per Reum productis non convellitur, videlicet Imberto, Martino, & Christiano; tum quod Martinus prius ab Actore productus, suæ priori depositioni inhæreat: tum quod data paritate testimoniorum, ut est numeri testium, non ad Reum, sed ad Actorem hic inclinare debeat D. Iudicis animus & credulitas. † Nam quamvis ubi ambarum partium testes & numero, & ex conditione seu qualitate sunt pares, præferantur testes Rei, quia promptiora sunt jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum, *c. Ex literis De probat.* speciali tamen jure in favorabilibus causis, ut est matrimonialis, dotis, & quæ doti exæquata est, *in auth. De æqualitat. dot.* donationis propter nuptias, ubi testium hinc inde est paritas, Actoris, qui pro dote vel donatione, seu antenuptiali contractu stant testes præferendi sunt: *c. ult. & ibi gloss. De sent. & re iud. gloss. in d. c. Ex literis & in c. In nostra. De testib. & in d. c. §. testes.* tum quod quamvis numeri sit paritas, testimoniorum tamen in proposito casu non sit paritas; quia scilicet dicti tres testes, qui pro Reo de quindecim florenis testificantur, constantis depositionis, & scientiæ certitudinis nullum habeant argumentum; ubi Actoris tres testes affirmativè & præcisè deponunt de promissione octodecim florenorum: tum quod duo priores qui pro Reo deposuerunt lapsæ seu labilis memoriæ significationem faciant; nam dixerunt promissos esse quindecim florenos, uti melius recordantur, seu quod tantùm habeant memoriam de quindecim florenis promissis; sic ut quamvis tertius deponat quindecim florenos esse promissos, & unum modium siliginis æstimatum ad tres florenos, absque pluri, solus tamen sit & unicus, ideoque tanquam indirectè contraria asseverans fide dignus non sit, *l. Iurisiurandi. C. De testib. cap. Licet universis c. Veniens De testib.* præsertim adversus tres alios in eandem depositionem consonantes, nullâ contestium suorum depositione adjutus, tum denique quod horum dissonantium testium attestationes in concordiam cum tribus Actoris testibus facilè revocari possint. † Verum enim est eum qui octodecim promisit, quindecim quoque promisisse; quod majori summæ insit minor: *l. 1. §. Si stipulanti De verb. obligat. in l. Qui quartam. De leg. 1.* hinc cum ex omnibus testibus hinc inde productis evidenter constet, per contentionem factas esse à Reo dictas promissiones antenuptiales, & ipso paulatim aliquid addente, illis qui pro Mariæ partibus stabant, paulatim ex his quæ petierant, remittentibus, † depositiones testium, qui de quindecim florenis attestantur accipi possunt de promissione in initio facta; alij qui de octodecim deponunt de promissionis incremento, & extrema contractus absolutione, *arg. l. Si voluntate. C. De rescin. vend.* quæ cum non adversæ, sed diversæ sint ex aliqua contrarietate inter se non collidi sed componi, & officio boni judicis ad concordiam possibilem reduci debent. *c. Cum tu. & ibi gloss. De testib.* Idque sive ex una parte producti testes sic inter se dissideant, sive qui hinc inde producti sunt: nam sive ab una eademque parte, sive ab utraque vel diversa parte producti testes inter se dissideant, non nocet hujusmodi contrarietas vel diversitas, quo minus alijs si vel numero, vel dignitate, aut integritate sint potiores, rejectis his, fides adhibeatur, *d. §. Si testes d. l. Iurisiurandi.* * Non enim eadem est ratio diversarum aut contrariarum scripturarum ab una eademque parte productarum, quibus credi non solet; *l. Scripturæ diversæ. C. De fide instrum.* quia est quod imputetur ei cur ijs usus sit, in cujus potestate fuit quam vellet præferre, *c. Imputari De fide instrum.* & testium diversorum aut contrariorum; cum nihil imputari possit ei qui plures testes, licet contraria vel diversa deponentes produxit, de quibus benè sperare potuit, & cum quibus convenire, quosque instruere quid deposituri essent, sine periculo amittendæ fidei non potuit, *l. Si quis in fin. C. De test.* ideoque ei nihil nocere debet hujusmodi contrarietas seu diversitas, *gloss. in d. l. Scripturæ & in d. c. In nostra circa medium.*

* Illud sanè non modici hic est momenti, quod inter Actoris tres illos consonantes testes Matthæus fide publicâ insignis, & qui propter notariatum suum frequentissimè contractibus antenuptialibus adhiberi solitus verosimiliter exactius alijs rem percepisse & intellexisse, memoriæque commendasse credi debeat, accedentibus præsertim alijs duobus contestibus idem dicentibus; sic ut hic sit, ex quo D. Iudex numeri testium omissâ consideratione, Actoris potius quàm Rei testibus credat. *d. §. Si testes, d. cap. in nostra.*

In quo

7 In quo nihil eum remorabitur Rei objectio de affinitate Arnoldi & Ioannis; nam præterquam quòd ea objectio per decretum D. Officialis de procedendo ad ulteriora rejecta sit, juris adminiculo destituitur: neque enim fraternitas obstat integritati matrimonij, *gloss. in l. parentes in verb. nec volentes. C. De test.* præsertim si non concurrat ratio domesticitatis, vel nimis intensæ familiaritatis seu amicitiæ, *Bart. in l. parentes.* ut nec alia consanguinitas ultra parentes & liberos, *Bald. cons.* 188. *Consobrinus vol.* 4. In probatione circa promissionem duorum modiorum hærendum non est; nam omnes testes ab Actore producti, excepto secundo (qui non contrarium deposuit, sed se ignorare dicit) deponunt contenta secundi articuli Actoris esse vera; quo nimirum continetur Reum in contentione augendæ donationis propter nuptias post promissionem unius modij, petente Maria alterum modium respondisse his verbis; **Het en sal op een mudde horens niet steken.** Hoc est, *non dependebit ab uno modio siliginis*: sed quæ sit vis
8 horum verborum, obscuritatem habet. * Reus in ijs, verba honoris seu jactitationis constituit; quæ verba obligare non solent, *c. Cum venissent De institut. Roman. ad Rubr. De arb.* sed non est verosimile in actu tam seriò destinato ad Reum obligandum, vel Reum noluisse obligari hâc suâ ad ulteriorem Mariæ petitionem responsione, vel Mariam responsionem hujusmodi pro joco accepisse: * Neque enim formali responsione opus
9 fuit; cùm etiam obligetur firmo jure, qui interrogatus, an dabit, respondet, quid ni, *l. 1. §. Si quis ita De verb. oblig.* sufficit enim in his & similibus, consensus quocumque modo facta explicatio.

Secundus difficultatis articulus oritur ex prima Rei exceptione, quâ objecit Actori ex capite suæ uxoris agenti constitutionem juris civilis; quod scilicet intra tempus luctus à morte sui prioris mariti; propter cujus nuptias promissa fuit hæc donatio, nupserit, ideoque indigna effecta sit omni liberalitate vel lucro ex capite ejusdem prioris sui mariti, *l. 1. C. De secun. nupt.* sed in hoc articulo subsistendum non est, quòd sive communem opinionem sequamur, sive quorumdam singularem, satis ex hac parte Actoris uxor sit ex-
10 cusata. * Communiore enim opinione receptum est, ut jure Canonico, *c. fin. De secun. nupt.* simpliciter sublatæ sint omnes pœnæ, quibus mulier ex civili legislatione afficiebatur, quia ad secundas nuptias festinasset; quamvis aliæ, quæ simpliciter propter secundas nuptias infliguntur, *ut in l. Feminæ C. De secun. nupt. in Authen. De non eligen. secund. nupt. col. 1.* sublatæ non sint, quia scilicet respiciunt favorem liberorum prioris matrimonij, cùm pœna festinationis liberos primi matrimonij non respiciat, *Salicet. & alij in d. l. 1. C. De secun. nupt. Panor. & alij in d. cap. fin. Petrus De Anchar. cons.* 101. *Ex prædicto themate in princ. Corneus cons.* 21. *nu.* 16. *vol.* 1. Sic ut in proposito casu, cum sine liberis decesserit prior Mariæ maritus, nihil sit, quod imputari possit Mariæ, si ex indulgentia & licentia legis Apostolicæ, *d. cap. fin.* ad secundum matrimonium cum consilio amicorum convolaverit, non quidem statim mortuo marito, sed demùm post quatuor menses † Quo quidem casu à quibusdam existi- 11
matum est, *a Martino ut testatur Bald. in d. l. 1. C. De secun. nupt.* mulierem omni jure excusari à quacumque pœna festinationis, si intra undecimum mensem à morte prioris mariti non pariat; cum eo scilicet casu nulla sit suspicio perturbati sanguinis, hoc est, conceptionis ex priore marito, quæ finalis causa est legalis prohibitionis, *l. Consensu vers. Si vero causam C. De repud.* Cùm ergò hic sit status dictæ Mariæ, ut neque incontinentiæ nota ei impingi possit, quæ amicorum consilijs obtemperans tam citò nupsit, neque liberi sint, quibus secundis nuptijs injuriam fecerit; & denique ex eventu constet nullam esse perturbati sanguinis suspicionem; nulla probabilis est causa, cur legali pœnâ, Canonum auctoritate mitigatâ, afficiatur; etiamsi plerique legis auctoritati & severitati nimium adhærentes, Canonis benignitatem nimium restringant; quibus Bartholi verba objecisse hic satis putamus, qui ait, *in l. Liberorum in fin. De his qui not. infamiâ*, superiorem distinctionem inter pœnas, quæ propter festinationem imponuntur, & quæ favore liberorum prioris matrimonij infliguntur, semper fuisse observatam à mortalitate circa millies & millies.

Tertius articulus est, an quod per Reum in subsidium dicti matrimonij promissum fuit, perpetuum censeri debeat; an verò soluto per mortem prioris mariti matrimonio hæc promissio exstincta sit? In quo articulo non admodum quoque subsistendum est, quòd Reus ipse suâ declaratione manifestaverit conditionem dictæ promissionis, quod non fuerit restricta ad tempus stantis & perdurantis matrimonij, sed perpetua, quamdiu scilicet alteruter conjugum viveret. Cui consonant etiam testium omnium hinc inde productorum testimonia, cùm deponunt hæreditarium & perpetuum fuisse, quicquid Reus tempore dicti antenuptialis contractus promisit. † Quæ quidem declara- 12
tio posteriore revocatione Advocati obumbrari non potuit, nullo nisi erroris prætextu allegato ac probato, *Salic. in l. 2. C. De cust. reor.* præsertim quia ex longo intervallo facta sit, *l. 3. & ibi Castrens. De error. advoc.* & præterea non tam sit confessionis, quàm ex causa dictæ confessionis factæ obligationis revocatio; sic ut non revocatâ confessione ex capite erroris, qui nullus allegatur, confessionis vis maneat, *arg. l. Sancimus. Cod. De testam.* Ex qua, sublatâ etiam, vel numquam factâ R. oblatione aut præsentatione, ex juris dispositione, obligationis efficacia resultat; ut scilicet teneatur Reus Mariæ annuam hujusmodi promissionem, quamdiu vivet, præstare. Quâ promissione etiam cessante manet notorij juris consuetudinarij & municipalis per Actorem allegati auctoritas & potestas, per quam omnium bonorum mariti prædefuncti, sive ea sint nomine donationis propter nuptias assignata, sive patrimonialia, sive acquisita uxor superstes manet usufructuaria;
† quod quidem tam notorium est, ut nullâ 13
probatione egeat; notorium enim allegari sufficit, non etiam probari debet, *gloss. in clem. Appellanti, De appellationib.* Et sanè tantum abest, ut hac ex parte Reus evadere possit, ut altius cogitatione impressa attentari possit jure perpetuo &

irrevocabili ad Mariam pertinere, quod per Reum addictum ac promissum est: quia eodem jure consuetudinario marito prædefuncto succedit mulier superstes in omnibus bonis mobilibus, & quæ mobilium loco sunt; veluti in reditibus personalibus, non hypothecatis aut realizatis, *Tiraquel. De retractu §. 1. gloss. 6. nu.* 11. non jure ususfructus, sed proprietatis plenæ. Cùm itaque hi annui reditus per Reum promissi solâ fide Rei promittentis nitantur, & nullam hypothecam habeant, ac tempore contractus antenuptialis Reus declaraverit se statim sortem hujusmodi reditus soluturum; tentari posset (ut dixi) hunc reditum ad Actoris uxorem pertinere jure perpetuo & irrevocabili. Sed cùm ad id non contenderit Actor, non est quod de hujus quæstionis veritate longiùs inquiramus. Neque his adversatur quod Actor conclusérit tantùm ad octodecim florenos semel, & restantem ex duobus modijs siliginis, unicum modium; cum ex eo non sequatur, Actorem non existimare pro uturis annis eumdem reditum debitum non iri; nam contrariam cogitationem indicat narrativæ partis ejusdem libelli præcedens materia, videlicet de promissione Rei solvendi hujusmodi reditus singulis annis. Et quod concluserit tantum ad exsolutionem octodecim florenorum, & unius restantis modij siliginis semel, necessitate quadam factum fuit; non quidem quasi ad eum annum tantùm restricta fuerit eadem promissio, sed quia pro eo anno tantum cesserat; sic ut cum pro alijs annis, quibus non steterat matrimonium, aut qui nondum cesserant petere non potuerit; *l. cedere diem De verb. significat.* nulla ratione abstinendo ab ulteriore petitione etiam peccare aut pro sequentibus annis sibi præjudicare po-
14 tuerit. † Et proinde cùm temerariâ Rei oppositione hæc lis tam diu protracta sit, ut interea dictæ annuæ præstationis alius terminus cesserit, officio D. Iudicis continebitur, ut ad eum quoque sententiam suam extendat, *Bald. in l. Cum propter C. Si*
15 *quis alteri vel sibi.* * Qui etiam virtute clausulæ in fine dicti libelli adjectæ *petens sibi in & super præmissis &c.* posset Actoris errorem corrigere & dirigere ex facto proposito, *Ant. de But. & alij in cap. Cum dilectus De ord. cognit. Ang. Aret. ad Rub. Inst. De excep. tio. num.* 30. si ulla essent verba in eodem libello, quæ aliquam significationem facere possent petitionis unicæ tantùm præstationis, qua facta Reus in futurum perpetuò liberaretur.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testes extra terminos producti.

1. *Sententia absente parte lata nulla est.*
2. *Citatio an requirat loci insertionem.*
3. *Sententia parte vel eius procuratore præsente, quamvis non citata, lata valet.*
4. *Testimonium unicum vel singulare non sufficit ad condemnationem.*
5. *Testis extra terminos productus non probat.*
6. *Præsentia unius defecti participationem non inducit.*
7. *Testis indoneus est filius tutoricus seu spiritualis.*

CONSILIVM CIII.

NOvo scribendi labore non admodum indiget causa appellationis, quæ nunc coram R.do D. Abbate S. Gertrudis Lovaniensis pendet inter Domicellum Stephanum Geloes Appellantem, ac Tilmannum Hust Appellatum: propterea quod D. Advocati, qui in prima instantia pro Appellato scripserunt, omnia, quæ ad victoriam illi parandam necessaria videntur, diligenter & exactè sint complexi; quia tamen Advocati Appellantis in hac secunda instantia causam magnæ cavillationis assumpserunt ex ea parte actorum primæ instantiæ ad quam Advocatorum appellati labor & deductio pervenire non potuit, pauca quædam de eo simul & de causa principali, dicemus.

Ad nauseam usque persistit uterque Advocatus appellantis, quod sententia per Commissarium D. Officialis Leodiensis in prima instantia lata fuerit parte non citatâ, constituens ex eo sententiæ nullitatem. * Ita enim constitutum est, ut sententia 1
parte absente lata, etiam in favorem absentis, sit ipso jure nulla, *Bart. & Bald. in l. Ea quæ C. Quomodo & quando iud. Alexand. & Ias. in l. Furioso De re iud. Lud. Roman. sing.* 193. Sed nimis quàm frivola est hujusmodi altercatio; quam etiam non obscurè Reverendus Dominus Abbas per suum decretum rejecit: ita ut nihil dubitem, quin Advocatis partis appellantis truncata & defectuosa acta sint exhibita; alioqui non video, quâ ratione uterque à calumnia excusari debeat. Nam ex eo, quòd postremo loco in actis (quorum authenticationem Appellans apertè agnovit) partis appellatæ scriptum est ad oculum patet, quod ex parte dicti Commissarij & coram eo procurator Appellantis specialiter fuerit citatus vicesima sexta Novembris anno 1560. ad feriam quartam hora prima post festum S. Catharinæ virginis; quæ feria quarta in anno 1560. fuit vicesimâ septimâ Novembris, & sic facta fuit citatio specialis pridie quàm sententia ferretur ad eum diem, quo lata est. Fuit enim eo anno litera Dominicalis E.

Altera hujus cavillationis pars est, quod citationi ad audiendum sententiam ferri, locus non fuerit 2
insertus; quodque sententia sit lata, non in domo dicti commissarij, sed in auditorio Curiæ: quali indiscreta & indeterminata quoad locum citatio intelligi debeat facta ad locum habitationis Iudicis; sic quòd, ut citatione ad certum locum facta, & sententia alibi lata exurgit sententiæ nullitas, *l. Cum sententiam C. De sentent. Bart. in l. Aut qui alter, & in l. fin. Quod vi aut clam:* ita quoque videatur nulla, si nullo loco expresso non fiat in loco debito ac consueto. Verùm nec hic subsistendum: loci enim insertio in citatione non est necessaria; nam intelligitur citatio ad eum locum facta, in quo solet judicari, *l. Si locus, De iud. late Sebast. Vantius in tract. De nullit. tit. De nullit. sent. ex defectu citat. nu.* 62. Cum itaque observetur, ut Advocati, quibus judex ordinarius causam definiendam committit, sententiam in auditorio Iudicis committentis pronuntient, nulla ratione poterit dici nulla hæc sententia, quæ in auditorio communis & ordinariæ Curiæ per Commissarium pronuntiata est. Quæ observatio facit, ut re in contrarium versâ, nulla futura fuerit

sententia

sententia potius, si post simplicem citationem, sine loci expressione dictus commissarius domi pro-
3 nuntiasset. † Sed scrupulosius ista discutiuntur; cum ex ipso instrumento sententiæ appellationis ac responsionis apostolorum, quo Appellans utitur constet, ipsius procuratorem etiam ad audiendum sententiam ferri, specialiter constitutū in momento ferendæ ac latæ sententiæ præsentem fuisse, & vivâ voce appellasse, apostolosque petijsse, & obtinuisse: quod satis est etiamsi nulla præcesserit citatio: præsentia enim procuratoris pro præsentia partis accipitur, *l. 1. §. ult. in fin. Quando appell. sit.* & citatio de substantia sententiæ non est, parte seu ejus procuratore præsente, Doct. *in l. De unoquoque De re iud. l. In causa 1. §. causa De minorib. Bart. Bald. & Ang. in l. 3. De in ius vocando.* Citatio enim ad sententiam non fit ad deliberationem aut ulteriorem allegationem aut defensionem, sed tantùm ad comparationem & præsentiam personæ seu procuratoris habendam: sic quod sufficiat, & satisfactum sit solemnitati juris, si pars vel procurator quocumque modo præsens sit, *Baldus in l. Si accusatoribus C. De accus. Panorm. in c. Tenor in fine De sentent. & re iud.* Vana itaque & futilia sunt quæ de nullitate sententiæ ex defecta & vitio citationis proposita sunt.

In articulo principali benè observavit alter Advocatorum, quod inter testes, qui legitimè, hoc est, pendentibus dilationibus & terminis probandi producti sunt, unus tantùm sit, qui deponat, appellatum adfuisse his, qui extensis retibus, & collocatis columbis provocantibus seu allicientibus contra edictum Episcopi Leodiensis alienis co-
4 lumbis insidias posuerunt; † ita ut ex unius solius testimonio condemnari non possit appellatus, *l. iurisiurandi C. De testib.* in hac saltem causa ex delicto proposita, *l. ult. C. De probat.* & potissimùm quod in supplementum probationis Actori juramentum deferri non possit; cùm delictum propositum committi Actor non viderit, nihilque sciat, nisi ex delatione testium in hac causa productorum.

5 Neque ad rem facit quòd quintus testis idem quoque deponat; nam productus & examinatus is est post lapsos omnes probandi terminos, & eorum prorogationes, ita quòd hujus testis testimonium omnino ex actis, ut ait Nic. Boërius, *dec. 352.* rejci debeat. Quamvis enim nullâ assignata dilatione seu termino probandi, si res integra sit & partis non interfit, testes recepti & examinati probent, dilatione tamen & terminis præscriptis ac concessis, ijsdemque lapsis idem permittendum non est, *Angel. in l. fin. De feriis, nu. 11. Felin. in cap. Licet causam nu. 18. De probat.* Iudex enim præfigendo tempus, intra quod aliquid fiat, nolle & prohibere videtur, ut extra illud idem fiat, nisi ab eo aliud tempus seu nova dilatio petatur & obtineatur, *Angel. in l. Mancipiorum & ibi Bart. De opt. legat. l. Quod Labeo De compens.* Quod in hac causa potentius obtinere debet, ob id, quod non judex causæ, sed per judicem deputatus commissarius Notarius horum testium receptionem & examinationem fecerit. Cùm enim illius commissio ad acta referri debeat, & idem commissarius secundùm quod permissum erat Actori testes intra terminos præfixos producere, in commissione sibi facta versari & consistere debebat, dicendum omnino est, quod excedendo mandatum D. Iudicis committentis, aliud fecerit, quàm ei mandatum erat, & aliud vel post tempus faciendo nihil egisse videatur, *l. Diligenter De mandato.*

Sed & cessante hoc secundo concordantis testis vitio, nihil adhuc est, quod ad delicti objecti probationem faciat; eo quòd testes per appellatum producti, atque adeò etiam primus per appellantem productus, declarent, quomodo appellatus dictis insidiatoribus adfuerit; nimirum sola præsentiâ corporali apud eos deprehensus: quod incidenter fieri potuit, appellato illac iter faciente. † So- 6
la autem præsentia delicti participem non facit, sed si ope aut consilio adfuerit; quod probatum non est, uti D. Advocati latius deducunt; admodum benè quoque imminuentes fidem testium ex eo, quòd sint delatores proposiri delicti, *l. Divus De custod. & exhib. reor. Panorm. in cap. In omni De testib.* quodque primus ille sit filius lustricus seu spiritualis appellantis ejusdemque colonus. † Vt 7
enim ex quorumdam sententia pater spiritualis pro alumno seu filio spirituali deponendo fidem non facit; ita nec filij spiritualis testimonium pro patrino recipiendum est, *Salicet. in l. Testis idoneus De test. Vdalr. Zasius in l. Generaliter, De in ius vocando.* Quibus adjungendum, quod appellans actione aliquâ ordinaria non agat, sed extraordinariâ ex speciali Episcopi Leodiensis edicto: cujus edicti nullum authenticum exemplum protulit, sed tantùm per testes illud probare conatus fuit. Quæ probatio admodum lubrica & incerta; tum propter memoriæ labilitatem, tum quod propter præconis acceleratam plerumque pronunciationem, non satis possit percipi tota edicti sententia, & multò minùs illius verba: quibus omnibus non visis, judicare non licet, *l. Incivile De legib.* Et profectò suspicionem aliquam habet, cur appellans oppidi Hasselensis Schultetus & Episcopi Leodiensis Officiarius, quo præsente & assistente hæc publicatio facta creditur, potiùs minore sumptu & labore non protulerit authenticum dicti edicti exemplum, quàm magnis sumptibus maluerit edictum & ejus proclamationem per multa testimonia probare: ita quod verosimillimum sit aliqua verba esse in edicto, quæ appellato faciliorem defensionem subministratura erant; & sic cùm appellans ex qualificato delicto & speciali edicto agat, obtinere non debet, nisi edicti verbis & instrumento exhibitis. Salvo itaque D. Assessoris & aliorum quorumcumque melius sentientium judicio existimo, nullam subesse difficultatem, quin sententia prior per omnia confirmari, & appellans pœnam temerariæ appellationis, hoc est expensarum condemnationem referre debeat.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testium productio in causa appellationis.

1. *Testes etiam in causa appellationis possunt produci.*
2. *Renuntiatio productionis testium ad illam instantiam restringitur.*
3. *Testibus publicatis alij produci nequeunt.*
4. *Testibus publicatis alij produci possunt in matrimoniali causa.*

5. *Sententia in causa matrimonij quando transeat in rem iudicatam.*
6. *Probatio minimè coangustanda.*
7. *Qualitas mutata ius novum aperit.*

CONSILIVM CIV.

NON video causam ob quam R.dus D. Abbas S. Gertrudis Lovanien. debeat vel possit acquiescere contradictioni quam Anna Schurmans facit ad impediendum productionem testium, ad quam in hac ardua matrimoniali causa admitti petit Domicellus Wernherus Huyn ab Amstenraedt appellans. Nam sive publicata & didicita præsupponamus prioris instantiæ testificata, sive pars nondum didicit illa (quod verum est attento quod acta clausa per judicem à quo huc sint transmissa) & sive novi sint articuli, quorum probationem Appellans conficere cupit; sive antiqui ad quorum veritatem testes in priore instantia recepti sunt; denique sive in priore instantia renuntiatum esset testibus, sive non; appellanti denegari non potest potestas in hoc appel-
1 lationis judicio alios testes producendi. * Hoc enim manifestum est, & dubitationem habere non potest, quin si nec publicata nec didicita sunt testimonia, si novi sunt articuli, & in prima instantia testibus non est renuntiatum, in judicio appellationis testes possint produci, *c. Fraternitatis. & ibi Canonistæ De testib.* Vulgaris enim est regula, quod in appellationis causa non allegata aut probata, allegare & probare, si modo ad causam faciant, liceat. *c. Cum Ioannes. De fid. instrum. l. Per hanc. C.*
2 *De temp. appell.* * Quod etiam locum habet quoad antiquos articulos, *d. c. Fraternitatis. & d. l. Per hanc.* si publicatio non intervenerit, etiamsi renuntiatum esset testibus: nam renuntiatio in prima instantia facta, non excedit limites primæ instantiæ, sed intra eos consistit *Panorm. in d. cap. Fraternitatis, post prin. & ibi Anchor. n. 4.* ut scilicet intelligatur renuntiatum productioni testium in illa causa, non etiam in futura; de qua ex incerto litis primæ instantiæ exitu verosimiliter renuntians cogitasse non
3 præsumitur. † Præterea quamvis in vulgaribus causis post publicata & didicita testimonia in eadem vel alia instantia non possint super ijsdem vel directò contrarijs articulis testes amplius produci, propter periculum subornationis, *l. 2. De testim.*
4 * in causa tamen matrimoniali, *c. Sicut. c. Series. c. Ex tenore. De testib.* atque etiam monachatus, *glos. c. Præsens. in verb. patrem. 20. q. 3. Felin. in d. c. Fraternitatis. nu. 9.* hoc omninò est permittendum, etiamsi ageretur de matrimonio separando, *d. c. Series. Marian. Socin. in fallen. reg. 402. incip. testes publicatos. nu. 46.* quia hoc est generale in omnibus causis quæ judicatæ non transeunt in rem judicatam, *Ioan. Imola in d. c. Series.* (inter quas est causa matrimonialis, non tantùm cùm judicatum est contra matrimonium, *c. Lator. & ibi Panorm. De sentent. & re iudic.* verum est cum pro eo judicatum
5 est), † nam licet regulariter verum sit favore matrimonij sententiam pro matrimonio latam transire in rem judicatam si appellatione non suspendatur, *Hostiens. in c. Ex literis De restitut in integ. Lud. Roman. cons. 367. circa primum. in princ.* non obtinet tamen id si adversus matrimonium allegetur perpetuum aliquod impedimentum, quod ex lege divina non possit inter hujusmodi contrahentes & litigantes constare matrimonium, propter periculum perpetui & continui peccati; quod ne quidem expresso, multò minùs tacito partium consensu sustineri potest, *Ant. De Butrio, Panor. & alij in d. c. Series.* sic ut hic tantus sit favor in dissolvendo matrimonio contra legem Dei contracto, quantus aliàs esse solet nullo impedimento interveniente in eo conservando, *Felin. in d. c. Lator. nu. 3.* Cùm igitur hæc causa sit matrimonialis, agaturque de ejusdem nullitate, non tantùm ob defectum contractus, verùm etiam ob perpetuum impedimentum legis divinæ, monachismum scilicet quondam fratris Othonis, nihil dubitandum est, quin in hac appellationis causa & super antiquis & novis capitulis testes sint recipiendi, qualiscumque sit actorum conditio, hoc est, sive publicata, sive non publicata sint testimonia; & sive nova sive antiqua sint capitula. Et quamvis negare nequeam quin tam in prioribus, quàm posterioribus articulis pleraque contineantur, quæ in priore instantia allegata sunt; id tamen nullo studio vel multiplicationis vel obscurandæ vel differendæ causæ factum est, commoditatis & illustrandæ causæ gratiâ: ob id quod confusius in priore instantia linguâ germanica superiore sint allegata, & sic difficilior futura sit D. Iudici, seu ejus Assessori ac Notario examinatio, si ad eosdem articulos testes inducantur: quæ difficultas & incommoditas cessat articulis in linguam latinam meliore ordine & dilucidius congestis. Quamvis & hoc verum sit, nullum propè esse articulum, qui aliquid novi non contineat, circumstantiarum præsertim specificatione facta, vel novo omninò facto allegato & prius non cognito, non sit instructus. * Atque ita cum 6
probationum materia non sit coangustanda, *l. Quoniam & ibi Bart. C. De hæreticis. Ioan. Andr. in d. c. Fraternitatis.* in hac ardua causa, (ex cujus exitu multæ familiæ turbari possent, & in quo etiam religionis articulus vertitur; ob id quod pars appellata non obscurè in prima instantia videatur voluisse sustinere matrimonia monachorum; allegatâ constitutione, *Interim* per Cæsaream majestatem ad tempus promulgata,) nihil videtur esse cur Dominus Iudex hos articulos tam ad respondendum, quàm ad probandum admittere non debeat; saltem cum clausula, *Salvo iure impertinentium & non admittendorum &c.* quæ facit ut ex admissione & subsecuta probatione nihil noceatur parti adversæ, si in calculo sententiæ, ubi exactior cognitio suscipitur, Iudex comperiat non fuisse admittendos. *Bart. in l. Si quando. D. De legat. 1. Phil. Francus in c. Sæpè. De appell.* Eo etiam attento quod priores articuli jam olim decreto Domini admissi sint; satisque sit appellanti quod ante decursos omnes substantiales terminos, eos exhibuerit, * si non in qualitate 7
unius præcedentis termini, saltem sequentis seu posterioris. Exemplo successorij edicti; in quo qui tempore exclusus est ex capite *unde liberi* succedit ex capite *unde agnati*, vel *unde cognati*, & sic deinceps. *l. 2. D. De success. edict.*

De Testi-

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testium productio valetudinaria.

1. *Valetudinaria testium productio facilius Reo quàm Actori permittitur.*
2. *Valetudinaria testium productio irregularis est.*
3. *Valetudinariæ productio cur Actori non permittatur.*
4. *Desertâ appellatione Iudex ad quem quid possit.*
5. *Valetudinaria testium productio non potest concedi per iudicem incompetentem.*
6. *Valetudinaria productio ut permitti possit quæ sint necessaria.*

CONSILIVM CV.

VALETVDINARIA testium productio in hoc causæ statu nullâ ratione permittenda est Domino Hieronymo Swinnen ejusque consortibus hujus causæ appellantibus; adversus Mariam Beys appellatam.

1 † Etsi enim usus hujusmodi productionis, atque item ad perpetuam rei memoriam de quibuscumque testibus etiam non valetudinarijs vel abfuturis ante litem contestatam, imò ante judicium institutum ei qui Rei partes sustinet seu sustinebit, pro sua defensione facilius permittatur quàm Actori seu agere volenti, *post. in c. Quoniam frequenter. Vt lite non contestat. & in c. significavit. & ibi Alberic. De testib.* neutra tamen sive valetudinaria (quam appellantes solam petierunt) sive ad perpetuam rei memoriam, appellantibus permitti debet: ob id quod neutra illi permitti debeat qui ad ordinariam, statu causæ ad hoc disposito, hoc est per institutum judicium & litem contestatam,

2 admittendus non esset. † Est enim hujusmodi antecedens testium productio, examinatio extraordinaria, ut eam vocat Baldus, *consil. 20. Factum sic proponitur. volum. 4.* irregularis, & ad futurum judicium præparatoria; ad quam admitti non debet, qui justâ & evidente exceptione repelli potest, *l. 3. §. ibidem D. Ad exhibend.* Cùm igitur in eo nunc versetur lis inter Appellantes & Appellatam, an appellantes ullo modo audiri debeant ante restitutionem appellatæ adversus spolium, & per Reverendum Dominum Abbatem primæ instantiæ judicem decretum sit appellatam inprimis & ante omnia sic esse restituendam, & post restitutionem pars appellans per idem decretum sit admissa ad probationem suorum propositorum, super quibus nunc petit sibi permiti valetudinariam testium productionem, non debet per hujus instantiæ judicem appellantibus id permitti, quod per prioris instantiæ judicem sic formaliter in effectu ante factam restitutionem denegatum fuit, etiam post oblationem promptæ & paratæ probationis primùm intrà triduum, deinde intrà unum diem vel medium; nimirum quia juris dispositio vetat audiri eum qui spoliavit ante restitutionem seu redintegrationem spolij, c. 1. 3. q. 1. nec patitur crimen ullum spoliato ante eam redintegrationem objici, etiamsi prætextu criminis spoliatio seu ejectio facta dicatur, *d. c. 1.* quanto minus permitti debet super prætexto crimine aliqua ordinaria vel extraordinaria testium productio, ex qua, probato etiam crimine, non posset devitari spolij restitutio ante omnia. Nec sanè posset hæc valetudinaria productio admitti sine vitio attentati in præjudicium appellationis, quam appellantes à supradicto decreto, non tantùm de facienda restitutione ante omnia, sed etiam à rejectione petitæ probationis ante restitutionem, interposuerunt; si nunc nondum declarato an benè sit appellatum ab eo decreto, ei permitteretur quod per illud apertè denegatum fuit. Ita hac in re magnâ calliditate conantur Appellantes per indirectum obtinere sub prætextu valetudinariæ productionis, quod recta via, ne quidem ad unum diem à priore judice obtinere potuerunt: quod nullâ ratione ferendum aut permittendum est, *c. Cum quid. De regul. iur. lib. 6.* saltem non prius quàm super justitia & injustitia dicti decreti pronuntiatum erit. * Vte- 3
rius quâ ratione Actori non permittitur regulariter hæc valetudinaria testium productio ante litem contestatam; quia in ejus potestate est, quando velit via ordinaria judicio contendere, & sic ordinariè testes producere, *d. c. Quoniam frequenter. Vt lit. non contestat.* eadem appellantibus in proposito illius potestas deneganda est, cum possint viâ ordinaria id facere; restitutâ scilicet ipsa appellatâ adversus hoc spolium: idque eo magis quod Appellantes, etsi in causa & articulo spolij videantur reorum partes sustinere; in principali tamen causa, quatenus contendunt Appellatam propter aliqua ejus demerita jure Beginagij privandum & inde ejiciendum esse, Actoris partes sustinent; & ob id neque ad valetudinariam, neque ad eam quæ minus privilegiata est, ad perpetuam Rei memoriam admitti debet; cùm possint factâ restitutione seu redintegratione, causas privationis & ejectionis proponere, & super illis via ordinaria testes producere: nam extraordinarium juris remedium permittendum non est ei, cui ordinaria consultum esse potest, *l. In causa 2. De minorib. Bald. d. cons. 20.* Eoque minus id appellantibus permittendum, ob id quod in hac appellationis causa, propter clausulam de primò habenda legitima informatione, & recipiendis legitimis probationibus super forma, caula & modo expositionis appellatæ insertam rescripto per ipsos impetrato, formaliter coram D. Officiali Antwerpien. à quo causa propter ejus absentiam, & non tutum accessum avocata, & venerabili D. Decano commissa est, contendant se ad probandum admittendos esse; quæ est una pars altercationis, super qua in hac causa jus dici deberet, si non de desertione dictæ appellationis nova altercatio incidisset; ut meritò ante decidi id debuerit, & quo minus decisum fuerit Appellantes in causa fuerunt, per hoc quòd acta coram dicto Officiali habita, & per eumdem Officialem Lovanium ad consultandum transmissa, sub prætextu quod per Notarium subsignata non sint, recognoscere detrectaverint, & adhuc pertinaciter detrectant: Quod an sine manifesta malitia fiat, Domino Iudici expendendum relinquimus. * Quæ præ- 4
tacta appellationis desertio id quoque efficit, quo minus appellantibus permitti possit hæc extraordinaria testium productio: nam desertio appellationis provocato Iudici, ad quem scilicet appella-

tum est, omnem jurisdictionem adimit; eo solo ipsi relicto, ut possit pronuntiare appellationem desertam, & si velit sententiam à qua appellatum est confirmare, & appellantem in expensis condemnare, *Rota decis.* 14. *alias est* 98. *Licet appellatio de appel. in novis & decis.* 41. *alias est* 453. *Nota licet appellatio. De app. llat. in antiquis.* Vnde est quod lex, *in Authen. de appellat. in princ.* post desertam appellationem interdicat judici ne ulterius & in causa procedat, *l Nemo C. De tempor. app.* & si de facto id faciat, pro nullo habeatur tanquam à non competente, & jurisdictione carente id processerit, *Ang. cons* 194 *Visis processibus nu.* 4. *Alex. cons.* 77. *in causa vol.* 2. *Steph. Bertran. cons.* 188. *Multis &* 5 *variis nu.* 10. *vol.* 6. † Iam verò manifestum est, hanc sive valetudinariam, sive ad perpetuam rei memoriam, testium examinationē fieri non posse nisi per judicem competentem, coram quo causa in qua usus erit testimoniorum valetudinariè recipiendorum postea agetur, & quod per alium facta nullius momenti sit *Bart in l. Cum hi §. transactiones D. De transact. Alex. consil.* 103. *Consideratis ijs nu.* 3. *vol.* 5. *Hippolytus De Marsil. sing.* 211. Quia ergo de desertione appellationis exhibiti sunt articuli, & super illorum admissione altercatio facta, non potest ullâ ratione decerni hæc valetudinaria productio; saltem non ante discussum articulum objectæ & propositæ desertionis evidentis, quæ deprehenditur ex collatione temporis, quo decretum à quo appellatum prætenditur, latum fuit. Est enim plus quam integrum quinquennium, cùm omnia fatalia appellationum biennio irreparabiliter consumantur, *c. ex ratione De a. p. llat. Auth. Et qui appellat. C. eod. tit.* potissimùm quia ex actis coram D. Decano habitis evidenter constat appellantes per negationem actorum coram D. Officiali Antverpiensi habitorum, studio fugere appellationis persecutionem, quam coram eodem Domino Decano commodè, si tempora largirentur, 6 peragere potuissent. † Cùm igitur status causæ non patiatur hanc petitam valetudinariam productionem, & Dominus Decanus ea in parte arguatur judex incompetens, & de periculo periturę probationis per valetudinem, senium, vel absentiam testium Appellantes non docuerint, quod in valetudinaria omninò necessarium est, *d. c. Quoniam frequenter & ibi Doct. Bald. & aly in l. In lege Aquilia* 40 *D. ad L. aquil.* existimamus officium Domini Decani esse, ut rejectâ petitione valetudinariæ productionis in dicenda hac altercatione decernat articulos super desertione exhibitos admittendos, & super ijs juxta tenorem rescripti Apostolici avocatorij procedendum esse. Cum enim hunc ordinem & formam Pontifex præscripserit, ut constito de desertione, aut quod executioni dicti decreti locus sit, ad executionem decreti à quo provocatum est procedatur, & si locus non sit executioni in causa juxta retroacta Officiali Antverpiensi habita procedatur; non est ab hoc ordine & forma recedendum, quia recedendo nullitas committeretur, *c. cum dilecta De rescriptis.* Quod autem Appellantes ad id advertendum proponunt, per Appellatam ab hac præscripta forma recessum, & non super desertione, sed causa principali processum esse, verū non est: nam ex inspectione actorum constat quòd corā D. Decano hactenus processum fuerit dumtaxat super recognitione actorum coram D. Officiali Antverpiensi habitorum, nullâ alia propositâ petitione aut conclusione, nisi de desertione appellationis. Nec ex eo, quod D. Decanus, decernendo se in hac causa judicem competentem, & ad ulteriora procedendum juxta retroacta coram D. Officiali Antverpiensi habita, potest dici super principali causa processum; prout etiam ex die lati ejusdem decreti processum non est: nam per ea verba in dicto decreto competentis jurisdictionis non est parti appellatæ adempta potestas proponendæ aut probandæ desertionis; cujus nulla adhuc erat occasio causâ Antverpiæ pendente sed primùm orta est per lapsum temporis insecuti. Et si D. Decanus per adjectionem hujusmodi verborum id intendisset, ea in parte esset illius decretum nullum, propter non observatam prædictam formam in rescripto ipsi præsentato præscriptam, *d. c. Cum dilecta*; quod in dubio præsumendum non est. Cùm alioqui idem decretum, excepto solo articulo competentis jurisdictionis, per responsionem apostolorum ad appellationem pro parte appellante ab eo interpositam, in effectu per suspensionem revocatum sit.

De testibus

SVMMARIVM.

Testium Publicatio.

1. *Testium depositiones partibus petentibus publicanda.*
2. *Testimonijs non publicatis an processus sit nullus.*
4. *Appellari potest à denegatione publicationis testimoniorum.*
5. *Testimonijs publicatis alij testes producendi non sunt.*
6. *Renuntiare productioni testium an debeat qui testimoniorum publicationem petit.*
7. *In criminalibus causis etiam publicatis & didicitis testimonijs licet alios testes producere.*

CONSILIVM CVI.

ORDINARII juris est, quòd dicta & depositiones testium non tantum produ- 1
centi, sed etiam parti, contra quam recepta sunt, quandocumque petenti publicanda & edenda sunt, *Innoc. & aly in c. cum I. & A. De sent. & re judicata, Matth. Mathesilanus Sing.* 38. *Nota quod in causis.* * usque adeò, ut ingens & anceps sit disputatio apud Doctores, *Bart. & alios in* 2
l. prolatam C. De sent. & in l Gesta C. De re judic. aly in c. Fraternitatis De test ib. an processus sit nullus, si judex parte etiam non petente dicta testium non publicet? plerisque id putantibus; licet frequentius atque etiam verius receptum sit, propterea processum non esse nullum, *Felin. in d. c. Cum I. & A. Guido Papæ decis.* 586. *Steph. Aufrer. decis.* 396. *Franc. Marcus decis.* 305. *par.* 1. Sed nemo est, qui dubitat, quin parti petenti publicanda sint testimonia, sive is petat, qui produxit, sive contra quem producti sunt testes, *Mathesil. d. sing.* 28. † ita ut si 3
judex petenti deneget publicationem, ab hujusmodi denegatione appellari possit, *Innoc. in d. c. Cum I. & A.* etiamsi aliquod grave periculum

testibus

testibus ex publicatione imminore possit, *ph. Franc. in c. fin. §. vlt. De haret. lib. 6.* quia denegare hujusmodi publicationem est præripere Reo defensionis potestatem. *Felin in d. c. Cum I. & Anu. 2. Petrus Anchar. cons. 53. incip. Omissio,* eumque gravare inutilibus expensis. Cùm enim non probante Actore Reus absolvatur, *l. Qui accusare C. De edendo.* etiamsi nihil ipse præstiterit *c. fin §. fin. De ureitura.* interest Rei statim videri testimonia Actoris, ut ex ijs cognoscat, an Actor nihil probaverit, eoque cognito ad absolutionem protinus contendat, & à superfluâ vel contrarij velexceptionisperemptoriæ probatione abstineat.

Nec ad rem facit, quod publicatis testimonijs
5 pars, quæ publicationem petijt, non possit super ijsdem aut directò contrarijs articulis testes amplius producere. *Auth. at qui semel C. De probat. c. Fraternitatis & ibi Doct. De testib.* sic ut ob id à Speculatore ad obtinendam publicationem requiratur, quòd petens eam testium productioni renuntiet; nam hujusmodi periculum non est sufficiens causa denegandi quoad judicem; & imputet sibi pars, cur sic sibi viam producendi testes præcludat; permissum enim est unicuique favori pro se introducto renuntiare, *l. Si quis in conscribendo, C. De pactis.* † Vnde quòd de renuntiatione dixit Speculator, ad effectum renuntiationis, qui resultat ex
6 petitione publicationis, referendum est, non ad formalem renuntiationem; quasi illa formaliter ex conceptis verbis præcedere debeat publicationem, *Ioan. De Grassis in arbore iudiciorum, quarto principali nu.* 12 * Ex quo etiam consequitur quòd in
7 criminalibus causis, publicatis testimonijs, liceat adhuc testes super ijsdem vel directò contrarijs articulis producere, *l. 2. §. si quis ultro & ibi Bart. l. Vnius. §. reus De quæst Doct. in d. Auth. at qui semel C. De probat. Canonista in c. Fraternitatis. De testib. Barth. Socinus in fallentijs reg. 403. n. 6.* liceat quoque, sine vllo periculo aut impedimento, publicationem testimoniorum petere non tantùm accusatori seu inquirenti, verùm etiam accusato & inquisito in accusationis vel inquisitionis causa, *Ang. in tract. De malef. ad verb qui iudex dictum processum publicavit c. Quoniam frequenter. §. sunt & alij Vt lite non contestat. & ibi glos. V. publicatio.* Cũ ergo præsens causa, quã Promotor Vniversitatis Lovaniensis instituit adversus homicidium Ludovicum vander Tommen sit criminalis super homicidio seu assistentia homicidij, dubitatio nulla esse potest, quin Ludovico petenti ante omnia testium productorum depositiones sint edendæ & communicandæ. Atque ita nunc servat omnium propè judiciorum observatio, & secundùm eam nuper in quadam criminali causa judicatum fuit, consultis hîc Iurisperitis. Atque etiam in hoc consistorio nuper in alia causa criminali, quam adversus D. Wilhelmum Beka instituit Promotor, propter lusum pilæ, Reo petenti ante terminum proponendi peremptoriè, concessa est testium per Promotorem productorum publicatio & copia.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testium recollectio.

1. *Impertinentia allegata admitti non debent.*
2. *Testium recollectio non facilè facienda est.*
3. *Notario quando credatur contra testes.*
4. *Testibus quando contra instrumentum credatur.*
5. *Testium recollectio quando fieri possit.*

CONSILIVM CVII.

IN altercatione, quæ coram Venerabili Domino Decano S. Gudulæ Bruxellensis Iudice delegato pendet inter Antonium Wyts Appellantem, ac Reverendum Dominum Abbatem Monasterij S. Gertrudis Lovaniensis Appellatum, de & super eo, an demittenda sit petitio Appellantis, petentis testes valetudinariè repeti ac reproduci; nobis infrascriptis videtur officium Venerabilis Domini Iudicis esse, ut rejectâ hujusmodi petitione ad ulteriora procedat. † Est 1
enim hoc manifestum quod quæ facta deducta aut probata in judicio non relevant per judicem admitti non debeant, *c. Cum contingat De off. jud deleg. l. Ad probationem C. De probat. Cynus in l. Quod tempore C. De resist. militum.* † Vt & illud indubitatum est, repetitionem seu recollectionem testium sive 2
instante parte, sive ex officio judicis factam sine causa, atque item eo casu, quo fieri non debet, vim probationis non conferre, *l. vlt. & ibi Doct. C. De testib. Philip. Decius cons. 175. in causa falsitatis n. 8.* & tertiò, extra ordinem valetudinariè produci non posse testes, qui ordinariè non admitterentur, & quorum etiam ordinariè recepta testimonia non probarent, ne plus tribuatur inordinatè quàm ordinatè factis. Quę ad rem subjectam applicando, dicimus in primis hanc recollectionem, seu testium repetitionem Appellanti nihil profuturam: quia etiam ordinariè producti, si adversus Appellatum quicquam deponerent, fidem non mererentur; ob id quòd semel per appellatum in prima instantia producti hi testes apertè deposuerint ad eundem appellatum pertinere duas partes decimarum sub Parochia de Halsenberghe, eandemque atque ejus prædecessores eam partem decimarum etiam percepisse ex novem bonuarijs de quibus solis nunc quæstio est inter has partes; Vnde non debent audiri, si nunc contrarium velint deponere, & proprio suo testimonio priùs sub jura- 3
mento reddito resistere; repugnante eis Notarij fide, pro qua stat juris præsumptio. † Et si enim cùm omnes testes instrumentarij instrumento per Notarium confecto contradicunt in suspicionem veniat ipsum instrumentum, *Innoc. & alij in c. Cum Ioannes De fide instrum.* si tamen Notarius est vir bonæfamæ, stat juris præsumptio pro ipso Notario contra testes, *Guido Papæ decis. 540* propter publicum officium, quod præsumitur benè exercere, *c. Ad audientiam De præscript. And. Alciat. De præsumpt. reg. 3. c. 14.* eaque est Speculatoris *in tit. De testibus §. 1. vers. sed pone ecce iudex, & De fide instrum. §. testat vers. quid si datæ attestationes,* & aliorum omnium, *Cyni, Ang. Salic. & aliorum in l. Si quis decurio C. ad L. Corn. De falsis, Lud. Rom. in l. 1. in fine De verb. oblig. Barth. Socin. in fallen. g. 421.* traditio; sic ut pro D. Appellato ejusque testimonijs stet juris regula, quæ ad conservationem testimoniorum primo loco sub solemni juramento receptorum, ut illa sonant in scriptura Notarij sufficit, *Bart. in l. Quoties D. Qui satisd. cog.* Iam verò ex actis non constat

M. Ioanni

M. Ioanni Duyffkens, qui hos testes recepit, & examinavit, eorumque dicta in scriptum redegit ex parte Appellantis aliquid de mala aut notata ejus vita vel fama objectum esse: ita ut præsumptio bonæ & integræ famæ pro eo evidenter stare comperiatur. De quo minus hic dubitandum, ob id, quòd præter quatuor productos testes, quos Appellans reperi aut recolligi vult, alij adhuc sint per D. Appellatum quoque producti qui idem deponunt, quòd per prædictos quatuor testes depositum esse scriptum invenitur, adeò ut non possit dici, testimoniorum scripturam ab omnibus testibus impugnari, quod requiri videtur, ut ob contradictionem testium, instrumentum seu scriptura Notarij in suspicionem trahi possit, *Innoc. in d. c. Cum Ioannes.* Accidit quod inter dictos quatuor testes, qui se seduci patiuntur, & extra judicium per appellantem producti coram Notario ad hoc commissionem non habente, aliter se deposuisse, quàm scriptum esse dicunt, vnus sit, quem antecedens aliud ipsius testimonium ita constringit, ut in revocatione ac variatione hac nullam fidem mereri possit; quia scilicet ante ordinariam depositionem, quam M. Ioannes Duyffkens recipit ac scripsit, idem ille testis coram publico Notario sub iuramento declaravit illud ipsum, quod ex ordinaria eius depositione M. Ioannes Duyffkens actorum Notarius scripsisse invenitur; constringente etiam illum propriâ subscriptione, quam fecit in suo ordinario testimonio per M. Ioannem Duyffkens conscripto. Ita ut evidentissimè hic elucescat partis appellantis vel subornatio, vel dictorum testium falsitas; quæ præsumitur semper, quoties testis, quod primo loco judicialiter ac ordinariè productus declaravit, in secunda depositione revocat vel alterat; sic tamen, ut stetur primæ, non posteriori eius depositioni DD. *in c. per* 4 *tuas. de testib.* † Et quamvis propter testium exuberantem fidem & magnam qualitatem etiam adversus Notarium interdum credatur; credi tamen non debet, si omni exceptione maiores non sunt; imò ut ait Ioannes de Anania, *cons.* 97. *In causa ista quæ vertitur inter hæredem nu.* 2. in superlativo gradu manifestissimè maiores: sic ut vel levissima exceptio testibus in reprobatione scripturæ Notarij, facillimè deroget, *Bald. in l. Optimam. C. de contrab. & commit. stipulat. & in d. c. Cum Ioannes.* Neque dum Appellatus sic hos testes impugnat, eorum fidem quoque quoad testimonia prius pro se dicta impugnasse dici debet: nam satis est quod per Appellantem antecedens conditio & qualitas eorum quæ fuit tempore testimonij, non impugnetur; & quod subsequens eorum qualitas, quam sibi hi testes per hujusmodi contrarietatem superinducunt, futuris, non præteritis nocere ac obstare debeat; præsertim in hominibus rusticis, qui facilè vel minis, vel sordibus seduci aut corrumpi possunt; cujus suspicionem lex permittit post publicata ac didicita dicta testium *Auth. ut qui semel.* 5 C. *De probat. c. in causis de testib.* * ita ut traditum sit, testium receptionem ad instantiam partis faciendam non esse, publicatis & didicitis attestationibus, *Panor. in d. c. Per tuas, & ibi Felin nu.* 2. tunc præsertim, cùm dici non potest, quod prima testium ordinaria productio fit nulliter facta, *Socinus c. Fraternitatis & ibi Felin. De testib.* neque item hoc, quod hi testes quorum recollectio petitur malè sint interrogati, aut quod obscurè aut ambiguè deposuerint; ex quibus causis interdum solet permitti testium repetitio post publicata & didicita dicta testium, *d. c. per tuas, Guido Pap. decis.* 72. & *decis.* 124. Publicata autem & didicita iam diu fuisse, imò etiam per appellantem tam quoad personas testium quàm impugnata horum quatuor testium testimonia ex productione Appellati recepta, ex lectione actorum primæ instantiæ constat. Quibus & hoc adjungimus, contradictioni testium adversus Notarium fidem adhiberi non posse, quoties verosimilitudine destituitur hujusmodi contradictio; quam similitudinem ac probabilitatem Iudicem semper sequi oportet *Bald. d. c. in l. In exercendis nu.* 3. *in fine. C. De fide instrum. Ang. in l.* 2. *§. diem Quem ad testam. aper.* Quod autem verosimilis non sit hæc contradictio ac prioris testimonij revocatio, ipsa juris communis definitio & præsumptio primùm arguit: cùm qui jus universale decimandi in toto, vel pro certa quota in aliqua parochia habet persumatur in omnibus & singulis partibus seu fundis sub eadem parochia constitutis, pro toto vel certa quota in aliqua parochia habet, præsumatur in omnibus & singulis partibus seu fundis sub eadem parochia constitutis, pro toto vel certa quota id habere: nam ex vi comprehensiva pars subiectiva suo toto continetur, *Everar. Præses in loco à toto ad partem.* Atque ita cùm non tantùm per novissimè exhibitum in hac instantia instrumentum constet, sed etiam ijdem testes, ad quorum recollectionem contendit Appellans, apertè deposuerint, Appellato hoc ius decimandi sub Halsenberghe competere, eáque in parte proprio testimonio non reluctant, ut conspicitur ex notariali instrumento, quod de contradictione horum testium, Appellans fieri procuravit, sed in eo tantùm, quod in priore eorum depositione scriptum sit, quòd deposuerint in his quoque bonarijs ex parte Domini Appellati decimas esse perceptas: manifestum est, improbabilem esse hujusmodi revocationem, eamque admissam nihil operari, ob id, quòd ex juris præsumptione & juris, quod dominus Appellatus habet, universalitate constituendum sit, quod in his quoque novem bonarijs Dominus Appellatus idem jus decimandi habeat potissimùm quia per Appellantem nusquam proponatur, aut allegetur, quod alicui alij jus decimandi in ijsdem novè bonarijs competat, & nulla juris sit præsumptio, quod nulli decimas hujusmodi fundi debeant; sed universalis sit juris constitutio, quæ omnia omnino prædia præstationi decimarum subijcit, *cap.* 1. *c. Non est c. Cum in tua De decimis c. Decima XVI. q.* 1. Quia igitur per multa media & rationes demonstratur, quod hi quatuor testes semel per D. Appellatum producti, auditi, examinati, & publicati non possint, quicquid etiam deponant, fidem aliquam contra priorem suam juratam depositionem facere, etiamsi ordinariè audirentur seu repeterentur; quodque ordinaria repetitio seu recollectio ex prædictis causis permitti non debeat; & præterea quòd per judicem prioris instantiæ petitio repetitionis seu recollectionis formaliter per decretum

ex justis

ex justis causis sit rejecta; & pars appellans in hujusmodi rejectione partem gravaminis constituat: existimamus hanc antecedentem extraordinariam testium valetudinariorum reproductionem, repetitionem, & recollectionem permittendam non esse; saltem non prius quàm Venerabilis Dominus Iudex pleniore cognitione causæ adhibitâ, lectis & examinatis actis prioris instantiæ, certius judicandi & decernendi super hac altercatione facultatem sibi comparaverit: quo facto non dubitamus, quin ei liquidò constabit, hæc ex malitia & cavillationis studio peti, cui per judicem indulgendum nihil est, *l. In fundo versic. constituimus De rei vindicat.*

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testibus an Notario credendum sit.

1. *Dissensus in pretio vel mercede impedit perfectionem emptionis & conductionis.*
2. *Testibus dicentibus se aliter deposuisse an credi debeat.*
3. *Instrumentum fidem admittit, si omnes testes instrumento contradicunt.*
4. *Notarius quando plenissimè fidem meretur.*
5. *Testes repeti & iterum examinari possunt ex officio.*
6. *Assertio extraiudicialis tertij alij nihil nocet.*
7. *Nobili potius credendum quàm plebeio.*
8. *Commiseratio iudicem movere non debet.*

CONSILIVM CVIII.

CONSVLTO feciſſet, & dispendio Rei familiaris prospexisset Nicolaus Rosen hujus causæ Actor, si causæ suæ prosecutionem soli procuratori suo absque Advocati alicujus consilio, toto ferè biennio non permisisset: consultis enim Iurisperitis discere poterat contractum emptionis, venditionisque, atque item locationis & conductionis non perfici, nisi cùm de pretio vel mercede absolutè conventum est, §. 1. *Inst. De empt. & vend l. 2. D. Locati*; & tam diu imperfectum manere, quàm diu emptor viliori comparandi seu conductor conducendi; venditor verò cariori distrahendi, & locator pluris locandi votum gerentes, inter se contendunt; neque priùs perfici, quàm altero paulatim de eo quod petierat detrahente, altero autem huic quod obtulerat addente ad certum consentiant, *l. Si voluntate. c. De rescind. vend.* quamdiu enim dissensus sive in pretio seu mercede, sive in aliquo alio est, emptio conductioque imperfecta manet, *l. In venditionibus, De contrah. empt.* consensum autem impedit temporis diversitas seu intervallum: nisi enim simul & eodem tempore in certum idemque pretium seu mercedem consentiant contrahentes eodem loco præsentes, consensus non erit, *l. Consensu in princ. iuncta gloss. in V. consentire De oblig. & act.* Fabianus de Monte S. Savini *De empt. & vend. q. 22. nu. 47.* si videlicet alteruter contrahentium pretium seu mercedem semel oblatam recusaverint, & deinde ex intervallo acceptent; & tunc solum non vitiat contractum consensus ex intervallo præstitus, quando alter dedit terminum ad respondendum, vel postea accedentem responsionem & acceptationem ratam habet, *Ioan. de Imola in l. Si stipuler §. fin. De verb. oblig. Paul. Castrens. in l. Si ego De reb. cred. Si cert. petat.* Inconsultè itaque ex eo tractatu de sculpenda tabula Generosum Dominum Nicolaum Huyn convenit, quem simultaneo consensu conclusum fuisse quoad pretij seu mercedis determinationem probare debuit, nec tamen potuit. Nam quamvis Actor tribus testibus videatur clarissimè probasse, inter Actorem & Reum conclusam fuisse conventionem de sculpenda tabula pro nonaginta florenis; per repetitionem tamen & recollectionem eorumdem testium, & aliorum plurium examinationem postea ex officio Domini Iudicis factam, longè evidentius constat, nullam absolutam perfectamque conventionem inter ipsos fuisse factam; sed tractationem tantùm interveniſſe, per licitationem usque ad nonaginta florenos, quam nemo dicit Actorem acceptasse, sed è contra deponitur eum acceptare noluisse, & Adamum van Vorssem velut mediatorem conatum fuisse inducere Reum, ut plus adderet. Ita ut nulla sit verisimilitudo conventionem simultaneo consensu conclusam fuisse ad nonaginta florenos; sicut duo posteriores ex prædictis recollectis testibus, primo loco auditi deposuisse asseruntur: præsertim quod Actor ipse proponat, & speciali decreto Domini Iudicis jussus medio juramento calumniæ affirmavit, couventionem esse factam & conclusam pro nonaginta quinque florenis; quod nemo testium ante vel post productorum dicit: ut nulla sit dubitatio quin Actor ex convivio inalescente vino occasionem capraverit majus pretium seu mercedem referre, quam Reus obtulerat; sed cum cane Æsopico oblatum amisit, & post est facta occasio calva.

Neque potest Reo obesse quòd testibus repetitis 2
aliter deponentibus, quàm prius deposuerant adversus Notarium, si dicant se id non deposuisse, quod ille testimonio inscripsit, credi non debeat; præsertim si, ut hîc evenit, repetantur post publicata & didicita testium dicta, & Notarius qui testimonia recepit, sit vir bonorum nominis & famæ, quod etiam in proposito evenit, propter periculum & præsumptionem subornationis, *Guido Papæ quæst.* 540. *&* 546. * nam tradita est ab Inno- *
centio *in cap. Cum Ioannes De fide instrum.* regula à multis comprobata, *Bart. Imola, Ang. & alijs in l. 1. §. fin. Quemad. testam. aper. Canonistis in d. c. Cum Ioanne Fabro, & Angelo in §. item verborum. Instit. De inutil. stipul.* quod si omnes ad unum testes contradicant scripturæ Notarij, instrumentum amittat vires suas; quasi scilicet Notarius & scriptor erraverit, & non satis exactè testes intellexerit; sic ut non sit necesse illius dolum arguere: quod etiam proclivius ac mitius est, *Bart. & alij in l. Quoties §. 1. De hæred. instit. Alexand. cons. 70. Viso processu nu. 8. & cons. 74. Viso testamento nu. 4. vol. 1.* Omnium enim testium conjuncta contradictio, auctoritatem & fidem Notarij, qui solus testes audivit, vincit; quæ non vinceretur si alicujus ex ijsdem testibus prius auditis testimonium pro Notario staret, *eleganter Alexand. cons. 65. Visis processibus nu. 6. vol. 1.* Et præterea nulla est dubitatio, quin scripturæ Notarij non credatur, sed testibus contradicentibus, si alij præterea testes producantur, qui secundùm con-

dùm contradictionem testium deponant, *Felin. in*
4 *c. Cum Ioannes nu.* 30. † Quemadmodum ad Notarij attestationem sustinendam faceret, si non solus, sed assistente & præsente judice testimonium excepisset, & sic scripsisset, *Salic. in l. Si quis decurio*
5 *nu.* 5. C. De *falsi.* † Neque etiam ad rem facit, quòd publicatis testimonijs super ijsdem vel directò contrarijs articulis ijdem vel alij testes non sint producendi, & examinandi. *Auth. At qui semel* C. De *probat.* nam id verum est jure partis petentis; sed quin judex ex officio suo sive parte petente sive non petente possit. dubium non est, *late, & eleganter Alex. consilio* 238. *ponderatis his* De *quibus nu.* 6. *vol.* 6. Eaque cautela traditur à Baldo, *in l. amplioremnu.* 5. *De appel. Alex. d. cons.* 238. *nu.* 9. quod ille qui non potest producere testes super testificatis & dicitis, det judici nomina testium, quibus poterit ex suo officio examinare. Quam cautelam etsi improbet Ludovicus Romanus, *in l. quarta* §. *hoc autem iudicium.* De *damno infecto*, & Antonius Corsetus. *in singul. trib. in dict. Testis* 22. *incip. Cautelam novam*; vera tamen & idonea est, si repetendi justa aliqua est causa; quam hic deducere non est necesse: quia super hoc articulo repetendorum, producendorumque de novo testium, inter partes altercatum fuit, & pro repetitione ac nova productione per interlocutoriã judicatũ, parte adversâ hujusmodi interlocutoriam approbante, & secundùm eam terminos probandi colligente, imò etiam testes producente, non obstante publicatione testium prius productorum: ita ut improbabilis efficeretur ea objectio, si contraria, quàm ipse Actor fecit Reo objiceret, *vt. Quod quisque iuris &c.* Quia igitur ijdem tres testes per Actorem priore loco producti iterum auditi apertè deponunt se nescire de aliqua absolutione contractus & conventionis; & idem insuper testificantur alij duo testes omni exceptione majores, hoc conficitur, ut si prædictorum trium testium depositioni neque priori neque posteriori omninò credi deberet, quod plerique existimant, *Spec. in tit. De test.* §. 1. *verf. quod si testis secundò inductus*, credendũ tamen sit his duobus posterioribus, quibus neq; ex cõditione personę neq; ex depositionis tenore ad diminuendã fidẽ quicquã objicitur. Nã quod Ioãnes vã Essche novissimè per Actorẽ productus deponit, se in convivio audisse dictum Dominum Franciscum confitentem, quod interfuisset convivio Rei, in quo inter Actorem & Reum conventio quædam facta fuisset de tabula sculpenda, & quod Dominus Reus suum consilium mutasset, nihil movet: solus enim id attestatur, & contestem in eo non habet, *l. Iurisiurandi* C. *De test.* ut mirum non sit, si nihil possit adversus testimonium Domini Francisci quod aliorum testimonio consonante corroboratur. Deinde absurditas nulla erit, si dicamus hujusmodi verba Domini Francisci secundum suam depositionem intelligenda esse de conventione imperfecta; à quâ consilio mutato propter imperfectionem Reus recesserit; alioqui enim recedendi nulla esset potestas, *l. Ad rescindendam* C. *De rescind. vendit. sicut* C. *De oblig. & actio.* † Et denique ut verum sit dominum Franciscum hoc dixisse, perinde nihil nocebit: extrajudicialis enim simplex, & non jurata de aliquo tertij alicujus facto alterius assertio prævalere nõ debet præcedenti aut sequenti ejusdem asserentis judiciali & juratæ depositioni *Salic. in d. l. Si quis decurio nu.* 6. depositio Joannis Winnen magis; imò evidentissimè arguit contractus imperfectionem; ex omnibus enim quæ Actor allegavit & deduxit nusquam constat aliam præambulam tractationem de sculpenda tabula habitam fuisse, quàm illam quæ in mensa & convivio facta fuit & de qua omnes testes deponunt: unde consequitur quòd ea tractatio imperfecta fuerit: cur enim rogavit dictum testem ut ei subveniret in pecunia in eventum quo succederet negotium? cur Reus non dedit mandatum testi numerandi pecuniã Actori, si conventio absoluta fuit; Testificatio Ioannis Mertens vitio singularitatis laborat, & ob id fidem non meretur, *l. Iurisiurandi*; & præterea verosimilitudine destituitur, ex eo, quòd non deponat de propria scientia, sed de assertione Actoris, cui non creditur *l. Omnibus.* C. De *testib.* & de assertione Petri Wilsem: qui ipse secundo loco productus apertè negavit conventionem fuisse conclusam aut perfectã. In pari causa est depositio Magistri Laurentij Egnoie; nam in eo quoque quod deponit per omnia vnicus & singularis est, tam quoad assertionem Domini Rei, quàm narrationem Petri Wilsem: & diminuitur illius fides ex eo quòd præsumatur offensus ob non conductam operam ab eo; præterquam quod hujusmodi nuda assertio Domini Rei si verè interveniisset accipienda foret, non tam pro veritate quàm civili & modesta excusatione, quod operam testis non redemerit, seu conduxerit.

Novissima depositio Ioannis Bluysmans de oblatione duorum coronatorum, de qua etiam deponit Adam Vorssem nihil omnino nocere potest Reo: primò enim non est ea oblatio facta per Dominum Reum, sed per dictum Adamum, idque sine mandato Domini Rei quod præsumendum est, quia nihil de eo probatur, *l.* 1. *Cod. De mand. Princ.* Secundò quod ea oblatio confessionem veræ obligationis seu conventionis nullam contineat; imo ex adverso non obscurè continet significationem, conventionem non esse perfectam: cur enim pro nonaginta quinque florenis duos coronatos tantùm obtulisset Reus? cur quoque actor sex florenis se contentum fore declarasset? continet itaq; ea tam difformis ad prætensum debitum oblatio, deprecationem seu redemptionem iniquę litis, ad quam tenuis conditio, & commiseratio Actoris fortè pertrahebat Reum: qui quod & hic oblatam occasionem contempserit, sibi imputare debet. Quod si fortè de delatione juramenti alteutri parti facienda cognitionem suam accommodabit Dominus Iudex: velim imprimis adverti ad ea quę adversus delationem Actoris in principio litis factam Reus allegavit & deduxit; quæ brevitatis causâ non repeto. * Deinde ad conditio- 6
nem Rei, qui cùm vir nobilis sit, generosus ac spiritualis, ei potius, quàm Actori plebeio & statuario credi debet, *Aliat. De præsumpt. reg.* 1. *c.* 48. Cum alioqui generaliter Reo potius propter favorem absolutionis, quàm actori deferendum sit juramentum in dubia & obscura probatione *Dec. in l. Admonendi. De iureiurando* Præterea diligenter inspicienda est conditio probationum Actoris quæ

nulla

nulla ex parte sunt plenæ aut semiplenæ: nam repetitio recollectioque trium testium productorum deponentium, aliter quàm Notarius priùs scripserat, facit ut etiam conjuncta trium de perfecta conventione depositio semiplenæ probationis vim non habeat; neque ob eam deferri possit juramentum in supplementum probationis, *Card. in c. Veniens 2. sub fin. De test. Felin. in c. præterea, nu. 11. De test. cogen.* præsertim quòd, ut supra dictum est, aliis integris testibus coadjuvetur posterior dictorum testium depositio, *Felin. in d. c. Cum Ioannes*; & testes ab Actore novissimo loco producti nihil deponant, quod articulum principalem conventionis perfectæ vel non perfectæ contingat: & potissimùm quòd ipse Reus proponat, & in eo ubique perseveret, conventionem conclusam non fuisse ad nonaginta quinq; florenos, & nemo testium unquã aliquid de eo dixerit. Ita ut omnibus rite perpensis nihil hæsitandum videatur, quin etiam sine delatione juramenti Reo facienda, quia scilicet Actor nihil præstitit, *cap. fin. De iureur.* Reus sit ab impetitione Actoris absolvendus, & Actor in expensis
8 condemnandus. † A qua quidem expensarum condemnatione averti non debet Dominus Iudex commiseratione tenuitatis ipsius Actoris; nam precibus clamitosorum illachrymari non oportet Iudicem, *l. Observandum De offic. præsid.* sed magis eum urgere videns illius calumnia, & captatio; dum pro suo commodo non acceptatam oblationem Rei, in convivio postea ex eventu commodam sibi ratus acceptat, & inde velut ex contractu perfectè absoluto obligationem contra propriam conscientiam proponit.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testibus instrumentarijs an contra Notarium credatur.

1. *Societas est inter virum & vxorem.*
2. *Vxor marito legare potest.*
3. *Legans rem cum alio communem, partem suam tantum legasse præsumitur.*
4. *Instrumento publico standum.*
5. 7. *Notario pro instrumento, an testibus contra instrumentum potius credendum sit.*
6. *Testes testamentarij testimonium dicunt cùm testamento adhibentur.*
8. *Asiines an sint idonei testes.*
9. *Testes inutiles pro monasterio, quando sint monachi de monasterio.*
10. *Testis vilitas fidem minuit.*
11. *Testis qui pridem domesticus fuit an sit idoneus.*
12. *Famulæ impensius favent dominabus.*
13. *Confessio extrajudicialis tertij non obest.*
14. *Testamentum etiam in extremis fieri potest.*
15. *Testamentum ad interrogationem factum quando valeat.*
16. *Maritus balnditijs potest vxoris supremum iudicium provocare.*
17. *Testamentum minore solemnitate fieri potest in acutis morbis.*
18. *Legato causa adiecta non restringit.*

CONSILIVM CIX.

NON pauca primo conspectu occurrere videntur, quæ probabiliorem faciant intentionem Nicolai Ruelens Actoris, adversus Franciscum Hurtebize, in vindicanda medietate domus quam quondam Franciscus Hurtebize Rei patruus, stante matrimonio cum Vrsula vander Meere, præfati Nicolai matre comparauit: * ex hujusmodi enim mariti acquisitio- 1
ne, quia in quæstu, seu conquæstu est, uxor jure societatis (quæ hodie ex moribus inter virum & uxorem est) medietatem acquisitæ domus nacta est, *Chassan. ad consuet. Burgund. titulo, des droictz & appar. aux gens mariez. §. 14.* quæ eâdem mortua ad filium proximum unicumque hæredem statim devoluta videtur; non obstante scripturâ, quam Reus pro testamento seu codicillo dictæ Vrsulæ profert: ob id quod multis vitijs scatere videatur, aliterque in instrumentum publicum redactum sit, quàm contineat scriptura nuncupationis; tum quod adhibito notario non videatur solemniter passata; tum quod unus testium confessus dicatur testatricem Francisco marito urgenti, domum legaret, respondisse, quod usum juris consuetudinarij seu patrij ei permitteret; quod & alij ex testibus eo tempore ex ore testatricis audisse deponunt; denique quòd plerique ex Domino Gregorio Regis se audisse testificati sunt, quòd quo tempore maritus de conficiendo testamento sollicitus erat. Vrsula adversa valetudine victa, integra mente non fuerit; ideoque potius de salute animæ ipsius tunc cogitandum fuisse, quàm de testamenti confectione; & postremò quod causa testamenti seu legati sit falsa ex persuasione mariti, quasi magnum æs alienum contraxissent Vrsula & Franciscus, quod tamen verum non fuit: his similibus alijsque rationibus intentionis suæ fundamenta astruit, & consolidat Actor. Cæterũ quãvis Reo in hac causa lucta videatur grauior; omnibus tamen pressiùs expensis probabilior videtur Rei causa, quodque hujus controversę medietatis devolutio sit extra causam intestatę successionis: ita ut prętactę consuetudinis ratio ac considerationi in intestata tantùm successione obtinens, hîc locum habere nequeat. † Nam ut jure 2
communi, *l. ult. Si quis aliq. test. prohib. l. ult. C. eod. tit. l. Vxori in princ. De leg. 3. l. Titia §. filia cum nuberet De legat. 2.* ita quoque ex obtinente consuetudine uxor potest legare marito, & è contrario maritus uxori, *Iason cons. 112. Redemptoris vol. 1.* Testatam autem devolutionem ac successionem hîc esse potiorem, ex eo constat, quòd Reus protulerit instrumentum publicum, manu publici Notarij conscriptum, subscriptum, & subsignatum, adhibitis omnibus jis, quæ ad publici instrumenti substantiam & solemnitatem requiruntur; continens nuncupationem prętatę Vrsulę, quâ inter cætera disponendo in præsentia duorum testium & Notarij (quod ex obtinente in his Belgij regio-

nibus consuetudine sufficit, C. *cum esset c. Relatum De testam.* mariro legavit domum prædictam, hoc est medietatem sibi in ea competentem.

Nam qui rem sibi cum alio communem legat suam tantùm partem legasse censeatur, *l. Servi electione* §. 1. *De leg.* 1. & utiliter marito propria sua medietas legata dici non potest, *l. proprias* C. *De lega. l. cætera* §. 1. *De leg.* 1. *l. cum quis decedens in princ. De leg.* 3. Atque ita cùm instrumentum publicum hic proferatur, ei potiùs standum est, quàm aliorum testium assertioni quovis modo ad sub-
4 versionem instrumenti facienti. * Instrumento enim per tabellionem publicum & approbatum in præsentia testium confecto standum est, *l. cum præbus* C. *De probat.* cùm contineat probatam probationem & veritatem apparentem, *Bald. in l. Imperator, De statu hominum*; faciatque rem, de qua agitur, pro manifesta haberi, *c. Cum olim De verb. sign. Bart. in l. 1. in princ. De novi oper. nunt.* trahatque secum eam præsumptionem, ut non tantùm solemne reputetur, *Bald. in cap.* 1. § *si instrumentum De notis feud. &*
5 *in c. Illud circa fin. De præsumpt.* sed etiam verum. * Vnde Guido Papæ, *decis.* 540. in controversa illa quæstione, utrum testibus instrumentarijs, an Notario credi debeat, contrarietate horum interveniente, ait pro Notario potiùs præsumendum esse cõtra testes, si Notarius bonæ famæ est, propter officium publicum, quod præsumitur bene exercere, *c. Ad audientiam De præscript. Alciat. in tract. De præsumpt. reg.* 3. *cap.* 13. Cùm itaque Actor personæ M. Francisci Blinckvliet nihil quod ad imminuendam ejus existimationem faciat, objecerit, & ejus Notaritatum seu tabellionatum in controversiam non traxerit, nihil est, cur eidem instrumento non stetur; præsertim quòd idem Franciscus in testem productus à Reo, deponendo per omnia se hujusmodi instrumento conformet: & omnium maximè quod D. Ioannes vandem Tympele vir equestris ordinis multis & maximis magistratibus ac dignitatibus in oppido Lovanienſi functus, testis dictæ nuncupationi adhibitus etiam in testem productus idem testificetur. Neque ad rem facit quod D. Gregorius Regis quoque non sit productus super dicti testamenti recognitione; nam morte illius præmaturâ interveniente id fieri non potuit: cùm alioqui generaliter necessarium non sit, super nuncupativo testamento (quale est istud de quo agitur) post mortem testatoris testes testamentarios coram judice producere, quando de nuncupativo testamento publicum & solemne confectum est instru-
6 mentum: * testes namque testamentarij tunc cùm adhibentur actui testandi testimonium dicunt *l. Hæredes palam* §. *pen. De testam.* eoq; tempore officio suo functi dicuntur, *Salic. in l. Si non speciali* C. *De testam. & ibi Alber. in princ.* Vsque adeò, ut quamvis nuncupativi testamenti probatio in testium memoria & fide consistere videatur, cum tamen de nuncupativo testamento publici tabellionis tunc adhibiti manu confectum est instrumentum publicum, testium memoria non requiritur, neque aliqua aliâ testium productione aut examine opus est, sed per se statim fidem facit, ac probat, *Bald. in l 2. n. 1. Quemad testam. aper.* Ita ut omnibus testamentarijs testibus, & multo magis aliquot tantùm ex ijs ante vel post mortem testatoris mortuis, nulla ex parte vacillare possit super testamento nuncupativo confectum instrumentum, *glos. l. 2. in V. publicum Quemad. testam. aper. Bart. Bald. Ang. Salic. in l.* 1. C. *De testam.* Sic, quod omninò in contrarium movere non debent aliquot testium per Actorem productorum testimonia, quibus pleraque contineri videntur, quæ contentis dicti instrumenti per omnia non conformia, imò potius difformia & repugnantia esse videntur. † Nam 7
cùm (ut obiter ante attigimus) difficulter admodum obtineat, ut credatur testibus etiam instrumentarijs, qui se actui interfuisse fatentur, contra tenorem testamenti & fidem Notarij, & plerumque non nisi omnibus hujusmodi testibus testamento inscriptis tenori instrumenti contradicentibus & omni exceptione majoribus *l. Optimâ in fin. C. De contrab. stip. Bart. in l.* 1. §. *si quis neget, Quemad testam. aper.* imò ut ait Ioannes de Anania, *cons.* 97. *In causa ista nu.* 2. manifestissimè majoribus existentibus fit, ut vel levissima exceptio testibus reprobatorijs fidem deroget, *Bald. in d. l. Optimâ & in c. Cum Ioannes De fide instru.* & omnium difficillimè, imò nullo modo credendum sit testibus non instrumentarijs, reprobatorijs instrumenti publici, cùm testes instrumentarij stant pro fide & veritate ejusdem instrumenti, *Archidiac. in c. Si testes* IV. *q.* 2. *Bar. in d.* § *si quis neget. nu.* 13. *Bal. in l.* 1. *nu.* 27. C. *De bon. poss. sec. tabb.* Vsque adeò ut non sufficiat testes reprobatorios in veritate idoneos & omni exceptione majores esse, nisi id quoque ipsum formaliter & positivè allegetur ab eo qui reprobatorijs testibus utitur; *Ang. in l.* 2. §. *diem, Quemad. testam aper. nu.* 4. *Alex. cons.* 43. *Visis & ponderatis nu.* 24. *vol.* 4. *Ias. cons.* 155. *Difficultas huius causæ, vol.* 2. *Steph. Bertan. consil.* 248. *Ex themate nu.* 5. *vol.* 3. *part.* 2. Quia igitur pro parte Actoris nusquam hoc positivè allegatum est, meritò vel ex hoc solo capite fides his testibus reprobatorijs detrahenda, & ea instrumento plenissimè adhibenda est: potissimùm ex eo, quod pro parte Rei objectum, & satis probatum sit, testes reprobatorios qui in specie Reo nocere videntur, omni exceptione majores non esse, * nam Gabrieli, Petro, Cornelio, & Gertrudi objicitur, quod sint affines, 8
hoc est socer & sororij Actoris; quæ affinitas efficit, ut propter affectionem, quæ ex conjunctione sanguinis seu affinitatis oritur, præsumatur testimonium omni ex parte non esse indubitatum. Vnde dicit Angelus Aretinus, *in* §. 1. *Instit. de grad. cog. Ias. d. cons.* 153. *Steph. Bertran. cons.* 189 *Non est credendum nu.* 4. *vol.* 1. *parte* 1. in arduis causis (qualis est. ista propter præsumptionem, quæ pro instrumento militat, & ubi per indirectum ad falsum detegendum agitur) consanguineorum & affinium testimonium omni exceptione majus non esse † Et in simili respondit Iason, *consil.* 124. *Factum sic se habet n.* 3. *vol* 1 quamvis singulorum monachorum aut canonicorum testimonium in negotio Ecclesiæ seu conventus sui generaliter non improbetur *cap. Insuper De testibus*: in articulo tamen reprobatorio, seu in reprobatione, si aliqua utilitas Ecclesiæ vel conventus consistat, non esse omni exceptione

majus

majus nec ei plenè credi, *Archidiac. XII. q. 2. c. In summa*: nam omni exceptione majus est cui nihil objici potest, *Glos. in cap. 1. in verb. maiores De consang. & affin.*

10 Henrico objicitur paupertas & vitæ ac conditionis vilitas, quę in gravi causa fidei testis multum detrahit, *l. 3. De testib. in Authen. De testib. §. 1. vers. sancimus.* Quamvis interim de hujus testis testimonio ex conditione personæ subvertendo nihil laborandum sit; cùm nec deponat quicquam, quod instrumento testamenti contrarietur; & in eo quod testificatur solus ac singularis sit, *l. Iurisiurandi C. De testib.* cùm nemo sit ex alijs testibus, qui de aliquibus verbis in confessionem aliquam rei malè gestæ sonantibus inter Actorem & Reum prolatis deponat. Bartholomæo objicitur, quòd tempore, de quo deponit, fuerit Actoris puer seu minister domesticus, vix dum natus annos
11 quindecim: * nam licet domestici seu mercenarij, qui olim domesticus aut famulus fuit, tempore autem depositionis non est, testimoninum recipiatur, etiam de eo, quod actum est vel gestum, tempore quo adhuc domesticus erat, *cyn. & alij. in l. 2. C. De testib. Bart. in l. 1. §. si seruus De quæstion.* in proposito tamen aliaque simili ardua causa non recipietur ad improbationem instrumenti publici; præsertim cùm Notarius conditione & qualitate hujusmodi testem superet; ut ex facto consultus eleganter respondit Iason, *d. cons. 153. nu. 2. vers. duodecimo.* Neque sanè verosimile est, hunc adolescentem tempore depositionis tam formaliter potuisse habere eorum memoriam, quæ antea tempore conditi testamenti puer audierat, in actu, ad
12 quem vocatus non erat, nec adhibitus. † Catharinæ objicitur, quòd fuerit famula domestica Vrsulæ: uti enim domesticæ hujusmodi ancillæ impensiùs favere solent dominabus suis, *Alex. cons. 150. In causa & lite, vol. 5. Ioan. Bapt. Ferrett cons. 196. In causa matrimoniali. nu. 9.* ita quoque earum liberis: sic quod non admodum magna sit horum testium integritas, quæ possit obsistere instrumento à fide digno Notario cum inscriptione integerrimorum testium confecto. Quod evidentius dicendum est, si expensis his, quæ testificantur demonstretur in eorum testimonijs nihil aut parum esse, quod vel momentum ullum habeat, vel verosimile sit: nam de duabus declarationibus, altera videlicet D. Gregorij Regis, altera D. Ioannis vanden Tympele, qui deponunt, plerique omnes singulares sunt ex loco & tempore; quia Gabriel dicit se id audisse in monasterio de Iericho; Cornelius in foro vitulino; D. Franciscus in domo Hurtebize: sic quod propter vitium singularitatis plena fides his accommodari non possit, aut debeat. Et quamvis Gabriel ex loco ac tempore consentientem (cum tamen aliqua verborum diserepantia) habeat D. Carolum; quòd ipsis audientibus D. Ioannes vanden Tympele dixerit, quòd Vrsula in extremis dixerit, quod Nicolaum filium suum relinqueret in suo patrio seu consuetudinario jure (quasi scilcet his verbis Vrsula marito instanti ut legando ei domum, filio præriperet jus municipale consuetudinarium, contradixerit, nec sic, ut instrumentum habet testari voluerit) tamen ex hujusmodi declaratione, nihil obturbatur prætactum instrumentum;

Primùm ex eo, quod hujusmodi extrajudi- 13
cialis tertij confessio Reo obesse nequeat, *l. Certum §. penult. De confess.* Secundò, quòd extet triplex ejusdem D. Ioannis contraria asseveratio solemnis; prima in actu testandi, qui in dictum instrumentũ publicum cõjectus & redactus fuit. Superiùs enim dictũ est, testes testamẽtarios testimoniũ dicere etiam solemniter cum actui testandi specialiter rogati & vocati adsunt *d. l. Heredes palam §. fin. Salic. in d. l. Si non speciali, & ibi Alber. in princ. C. De testam.* Secunda cùm in hac causa testis productus contenta instrumenti vera esse deponit; quemadmodum tertio etiam medio tempore valetudinariè productus sub juramento asseveravit: sic quod triplex hujusmodi solemnis & jurata judicialis confessio omninò præponderare debeat extrajudiciali, etiam omninò antecedenti; sæpè enim fit, ut varijs ex causis nolint etiam probi extra judicium veritatem de re aliena fateri, *Felin. in c. Cum in tua. nu. 8. De testib.* Sed ne in aliqua etiam levi parumque curanda cõtrarietate tantum virium relinquamus, sic accipienda est hæc extrajudicialis D. Ioannis quocunque etiam loco facta de hac re declaratio, quemadmodum ordinariè productus ipse deposuit se audisse tempore testamenti ex Vrsula, quòd Nicolaum suum filium de cætero relinqueret in suo jure municipali: ut scilicet sub his verbis lateat inclusa exceptio domus marito expresse legatæ, & in cæteris jure suo utatur filius; cui satis consonant verba dicto instrumento inserta.

Quâ ratione amoveri possunt testimonia eorum, qui ex testatrice se audisse dicunt, quòd filium permitteret juri patrio, exceptâ scilicet domo, de qua specialiter ad utilitatem mariti disposuerat; præsertim, quòd nemo eorum sit, qui apertè deponat testatricem de hac domo specialiter hoc dixisse: concilianda enim sunt testimonia potius quàm contrarietas admittenda. Qui de declaratione Domini Gregorij Regis testificantur ad unum omnes ex loco & tempore singulares quoque sunt, nec quisquam est, qui cum uno vel pluribus se id ex eo audisse deponat; uti ex eorundem testimoniorum lectione ad oculum patet, & D. Advocatus causæ satis deduxit inscriptura exceptionum in testes. Et cum de duabus assertionibus D. Gregorij deponant, neutra etiam bene probata quicquam momenti hic habet: † nam prior de morbo Vrsulæ, & quod 14
non fuerit tempus testandi, sed potiùs cogitandi de salute animæ ad piam sollicitudinem boni sacerdotis pertinet; cùm parochis plerumque sit, ac esse debeat prior animæ, quàm testamenti cura, *C. cùm infirmitas De pœnit. & remiss.* nihilque vetet etiam in extremo vitæ spiritu testamentum facere, *l. 4. De adimen. legat.* fierique possit, ut testator inter testandum obmutescat & vitam abrumpat *l. Si is qui testamentum De testam.* sic quod satis sit, testamentum esse conditum, aut codicillos factos, vel legatum esse relictum, quod quàm brevi temporis intervallo fieri possit, vel ex eo constat, nutu etiam relinqui posse legatum, *l. Nutu De leg. 3.* Neque ex eo, quod dixit magis idoneum esse tempus ad curandum animam significare voluit, non esse idoneum tempus ad testandum:

comparativus enim positivum includit; cùm nemo idoneus sit ad sacræ Eucharistiæ perceptionem, cui mens non constat, *c. Omnis utriusque De panit. & remiss.* ut nec ad testandum, *l. 2. De testam.* Ita quod ad summum hujusmodi D. Gregorij declaratio vel ad illius sollicitudinem, vel reprehensionem diligentiæ mariti referenda sit, non ad impugnationem testamenti, aut improbationem actus, cui ipse interfuerat, & cujus projecto subscripserat. Eòque pertinet, quod ijdem testes deponunt eum declarasse, quòd si videre posset hoc projectum, seu, ut Actor vocat, minutam, quod facilè perspiceret, an aliquid ei detractum vel adjectum foret; tendit enim id non obscurè ad agnitionem testamenti verè conditi: cur enim de adjectione aut detractione sollicitus fuisset, aut suspicionem aliquam concepisset, si nullum nuncupatum & ex nuncupatione scriptum fuisset, *l. 4. §. fin. De actio. empti l. fin. De collat. bon. l. 1. De hær. vel act. vend.* Altera D. Gregorij declaratio, de qua solus & sic sine effectu probationis Gabriel deponit, est, quod ex ore mariti testamentum hoc conscripserit. Quod quidem etsi plenissimè & indubitatè probatum esset, nihil ad impugnationem testamenti hujus faceret: nam jure permissum est dictantibus testamentum posse legari, *l. Dictantibus C. De testam.* si modò ipsi non scripserint quoque *l. 1. & 2. C. De his qui sibi ascrib.* satisq; in proposito est tam ex prætacto solemni instrumento, quàm ex testium instrumentariorum depositionibus constare, testatrici prælectum esse tastamentum, eamque expressis verbis ultrò, & ad interrogationem M. Franciſci Blinckvliet declarasse eam esse suam voluntatem, non monosyllabâ aliquâ responsione per dictionem, *ita*, sed producta oratione ac voluntate distinctè declaratâ. † Quin autem valeat testamentum 15
priùs conscriptum ac testatori prælectum & ad interrogationem præsertim Notarij per simplicem etiam responsionem affirmativam nuncupatum, dubitatio nulla est, *gl. & DD. in l Iubemus C. De testam. Alex. consil. 12. Viso instrumento lib. 1. Vdalric. Zas. cons. 3. n. 37. vol. 1. Io. Dilect. de arte testandi c. 1. tit. de hæred. inst. latissime Laurentius Sylvan. cons. 54. vol. 1.* concurrentibus præsertim tribus illis, quæ ut ad interrogationem alterius conditum testamentum valeat ex Doctorum sententia, *Bal. & Ias. in d. l. Iubemus, Phil. Corne. cons. 73. Visis vol. 1. & 161. De duobus vol. 4. Maria. Socin. cons. 229. Primo aspectu vol. 1. Cast. in l. Hac consultissima C. De testam. Lud. Roman consil. 306. Proposita.* requirit Vdalricus Zasius, *d. consil. 3. n. 37.* Primò, quod eo tempore testatrix articulatè loqui potuit, ut ex testibus instrumentarijs constat; secundò, quod ei fuerit animus testandi, quod ex eo deprehenditur, quòd M. Franciscum specialiter vocari jusserit, & ut instrumentarij deponunt, M. Franciscum postquam advenisset interrogavit, an Notarius esset, eoque respondente, quod sic, eum jusserit absolvere quod cum D. Gregorio inceperat; & tertiò, quod metu aut illicito modo ad sic testandum inducta non fuerit. Et quamvis dissimulari omninò non possit, maritū aliquo modo instetisse (hoc enim est de quo non instrumentarij testes deponunt) ut hæc domus ei ab vxore legaretur, illicito tamen modo aut fraudulento id factum non est, sed per preces.

† Criminosum enim non est, neque reprehensione dignum, maritali sermone ac blanditijs postremum vxoris judicium provocare, *l. ult Si quis alig. test. prohib. l. ult. & ibi Bald. C. eod.* Nec marito adversatur, quòd unâ aut alterâ horâ postea testatrix sit mortua; nâ eadem vesperâ, quâ ægrotare cæpit, mortua quoque est; ita ut non possit dici maritum studiosè exspectasse augescentis morbi inclinantisque vitæ extremum momentum; cùm de testamento in bonâ valetudine rarior soleat esse cogitatio; † & in acutis minimèque chronicis morbis, ut est pleuritis aut pestis, nihil vetet testamentum fieri posse, & plerumque cum privilegio ac remissione solemnitatum, *Bald. Salic. Ias. in l. fin. C. De testam. Alexan. in l. Scriniarios C. De militari testam.* 16 17

Nec movere potest, quod de causa debiti proponitur: nam demõstratio illa de debito, legato non cohæret, hoc est legatum propterea præcisè factum non est, sed primum purè & absolutè, adiectâ tandem post absolutam orationem finali aliqua causa, seu potius impulsiua, ad solvendum debita. † Proinde quemadmodum legatum non restringitur, si testator leget Titio fundum ad utendum fruendum; censetur enim legata proprietas plena, *l. Species De auro & argen. leg. l. Donationes §. 1. De donat. & utrobique Doct. Frederic. de Sens cons. 46. nu. 3.* ita quoque nec hoc casu restrictum aut limitatum aut à causa hujusmodi suspensum dici potest hoc legatum. Omnibus itaque revolutis, putamus protestamento judicandum. 18

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testis pro duobus contraria deponens.

1.4. *Testis pro duobus diversa deponens quomodo puniatur.*
2. *Notarij scriptura præsumptionem veri habet.*
3.7. *Testis instrumento contrarius quando illi derogat?*
5. *Testis dicto posteriori an priori stetur?*
6. *Testis in una parte falsus an in toto falsus præsupponitur?*
8. *Testes valetudinarij à quo examinandi.*

CONSILIVM CX.

DVPLEX incidit quæstio circa testem contraria in judicio sub religione jurisjurandi deponentem, qui quòd priùs per partē agentē productus affirmavit, postea per Reum etiam productus negavit; prior, an de falso criminaliter puniri possit? Secunda an propter falsitatem, quam inducit posterior depositio, priori testimonio fides detrahatur; an vero utrique? * Prior quæstio dubitationem non habet, 1
cùm jure aperto decisum sit, *in l. Eos qui Ad leg. Cor. De falsi. l. Qui falso De testib. Bald. consil. 486. Licet assessores vol. 3.* testem pro duobus diversa seu contraria testimonia perhibentem, pœnâ falsi puniendum esse: sic quòd ad inducendum falsum in hac causa matrimoniali Waltrudis

Appel-

Appellantis, & Cornelij Appellati, ex duobus cõtrarijs testimonijs Ioannis hoc solùm in quæstione ac disquisitione relinquatur, an Ioanni credendum sit in eo, quod in effectu declarat aliter scriptum esse per Notarium, qui in prima instantia dicta testium excepit & descripsit, quàm per testes depositum sit? an verò Notario seu illius scripturæ, cùm ex commissione Iudicis testes examinat? * In quo articulo concors est omnium Doctorum sententia, *Spec. in tit. De testib. §. 1. vers. sed pone ecce iudex, & in tit. De fide instrum. §. restat vers. quid si dum attestationes, Roman in l. 1. §. ult. ff. de verb. oblig. Felin. in c. Cum causam in fine De testib. Guidonis Papæ decis. 540. Ang. Cyn. & aliorum l. Si quis decurio C. Ad l. Cornel. De falsis Socin. in fallen. reg. 421.* pro scriptura Notarij stare juris præsumptionem, si Notarius bonæ famæ sit; propter officium publicum, quod præsumitur benè exercere, *c. Ad audientiam De præscript. Andr. Alciat. in tract. præsumpt. reg. 3. cap. 14.* * & præsertim si testis, qui scripturæ contradicit, tam in persona quàm dicto suo, non sit omni exceptione, *l. Optimam in fine C. De contrah. & commit. stipul. Bart. in l. 1. §. Si quis neget, Quemad. testam. aper.* imò (ut ait Ioannes de Anania, *cons. 97. In causa ista nu. 2.*) in superlativo gradu manifestissimè major; omniumque maximè, cùm qui reprobatorio contradicente-que hujusmodi teste utitur positivè non allegavit, quod tam excellenter omni exceptione maior sit, *Ang. in l. 2. §. diem D. quemad. testam. aper. Alex. cons. 42. Visis & ponderatis. nu. 24. vol. 4. Ias. cons. 153. Difficultas huius causæ vol. 2. Steph. Bertran. cons. 248. ex themate nu. quinto vol. 3. par. 2.* Cùm itaque Guilelmus Maedoets Notarius primę instãtię vir sit omni exceptione major, & cui pars appellata neque infamiam, neque conditionis seu status vilitatem vel lubricitatem objecit, credendum est Notario ita scribenti, non Ioanni postea etiam expressè dicenti, quod ita non deposuerit, multò magis vbi (ut in proposito accidit) testis expressè non contradicit instrumẽto, nec formaliter dicit aliter scriptum esse quàm deposuit. * Ita ut per posteriores depositionis contrarietatem adversus priorem judicatur formalis & effectualis falsitas testis; falsitas, inquam, quoad ipsum testem contraria deponentem, ut ipse puniri possit, *d. l. Eos, Bald. d. cons. 486. Felin in c. Cum in tua n. 4. De testib.* depositâ adhuc posteriore seu sequenti quæstione, an in priore testimonio seu depositione sit veritas vel falsitas.

In qua posteriore quæstione quoque concors & communis est Doctorum sententia, *c. 1. §. si autẽ Domino quid sit investit. Lud. Rõ. cons. 505. cum testis, Boeri decis. 118. Felin. in d. c. Cum in tua nu. 4.* quod in paritate qualitatis testimoniorum seu depositionis, hoc est quando vtrumque testimonium est judiciale & jurisjurandi religione constrictum, omninò standum sit priori non posteriori; ne in manu testis sit per falsi machinationem, parti, pro qua prius deposuit, præjudicare, *Felinus d. nu. 4.* Neque enim posterior commissa falsitas finem testis in priore testimonio detrahere aut derogare debet; non magis quam si multis instrumentis legitimè confectis, Notarius postea unum aliquod falsum conficiat, & conficiendo pœnæ falsi se obstringat: stant enim omnia præcedentia, non sequentia instrumenta, ne quæ in plena fide & auctoritate testis vel Notarij dicta vel scripta sunt, ex mutata qualitate personæ retrò vitientur, *Bald. in l. 2. & in l. in exercendis C. De fide instr.* 6 * Et quod dicitur, testem in vna parte testimonij falsum, in totum censeri falsum, obtinet in uno eodemque testimonio, propter fidei & vnius depositionis individuitatem, *Andr. Alciat. in l. Si ex falsis nu. 15. C. De transact.* Vnde cò res ex vera & indubitata juris ratione in hac causa relabitur, ut quoniam Ioannes in prima instantia productus deposuit de fidei datione simpliciter & absolutè facta & de annuli immissione, hoc pro vero haberi debeat: & ex adverso pro falso, quod postea de non auditis verbis fidei dationis, nec viso annulo postquam Waltrudis duas definitivas sententias obtinuerat deposuit. † Nec ad rem facit, quod Panormitanus & Felinus, *in d. c. Cum in tua*, per huiusmodi testis contrarietatem debilitari dicant prius testimonium; sic quòd vigore illius non possit deferri juramentum in supplementum probationis: nam ut id verum esse in genere admittatur, verum tamen non est suffragantibus & concurrentibus alijs circumstantijs, quæ faciant præsumptionem pro primo dicto; eo enim casu existimat Philippus Decius *in cap. Per tuas in fin. De probat. decis. Tholos. 280. Item si testis*, standum primo dicto extrajudiciali, & non jurato, multo magis jurato; ita ut ex concursu aliarum præsumptionum prius testimonium, adversus injuriam & debilitationem posterioris dicti aut sequentis falsitatis omninò sit munitum, & perinde ſiat ac si sequens aliqua contraria depositio non exstaret, *Covar. Variar. resolut. lib. 2. c. 13. nu. 7.* Cùm ergò in hac causa ad veritatem prioris depositionis, quam Ioannes fecit, concurrant multa, quę præsumptionem veri illi adijciant, dubitandum non videtur, priori nullâ ex parte debilitatæ, per hanc posteriorem, ut cujuslibet alterius integræ conditionis testis testimonio, standum sit. Facit autem hanc præsumptionem inter alia jam contracti matrimonij apud plures & sæpiùs per Reum facta, repetita, ac per plures testes probata confessio; de cujus pondere ac potestate præcedentibus aliorum præcõsulentium responsis multa eleganter in medium adducta sunt. Annuli immissio seut traditio, & dici, quo matrimonium solemnizaretur, conviviumque nuptiale exhiberetur, præcisa assignatio, magnum adjumentum rei perfectæ & veritatis dicti testimonij prioris conferunt. Adjuvatur quoque hæc præsumptio ex illo, quòd hic Ioannes super decimo articulo interrogatoriorum coram commissario in valetudinaria examinatione exhibitorum continente, quod idem Ioannes neque in principio neque postea aliquem annulum vidisset, affirmet illum articulum; at verò in repetitione seu recollectione per Iudicem tertiæ instantiæ facta, apertè confessus fuit, se vidisse annulum; confirmando ea in parte primam depositionem, in qua de annulo affirmativè depo suerat Sic quod plurimùm metuendum, imò non dubitandum videatur de subornatione & falsi machinatione commissa tunc primùm, cùm inclinante, & ad exitum decurrente causa, duabus conformibus sententijs pro appellante pronuntiatis

Appellatus se videretin extremo periculo ex accessione tertiæ conformis. Cur enim idem non fecit in prima, in qua hunc Ioannem super alijs factis produxit, & producendo eatenus ejus personam comprobavit, *l. Si quis testibus C. De testibus* quare non in secunda? cur rursus subrependo, & obrependo Concilio Brabantiæ curavit hunc Ioannem iterum super contrarijs factis, post publicationem omnium testimoniorum, non vocato Appellante, nec ejus vero procuratore, valetudinariè examinari auctoritate judicis competentis, & qui de causa cognoscere non poterat, cùm deberet ordinaria viâ, & coram Iudice, quem ipse ex delegatione Apostolica impetraverat, id facere? Examinatio enim illa coram commissario Cancellariæ facta est 22. Octobris; quando tertia ejusdem Octobris ab Abbate S. Michaelis post rescriptum appellatorium exhibitum, Appellatus jobtinuisset
8 literas citatoriales: * cùm jus non patiatur vel valetudinariè, vel ad futuram rei memoriam testes recipi & examinari, nisi à judice suo; hoc est, ab eo qui in causa principali, si moveatur Iudex futurus est, *Bart. & alij in l. Societatem §. arbitrorum Pro socio Doct. in c. Significavit De testib.* nec id quidem simpliciter, sed præcedente Iudicis decreto *gloss. In l. Aquilia si deletum & ibi Bartol. Ad leg. Aquil. Mart. Socin. Nepos cons. 86. Disputatur in præsenti nu 14. vol. 2.* & interveniente partis adversæ citatione, *Doct. in c. fin. Vt lite non contest. & in Auth. Sed etsi quis C. De testib.* quam citationis necessitatem ipsa commissio Cancellariæ apertè & pro fama adjecit. Arguunt nimirum hæc insidiantis malitioseque machinantis animum studium, & extremum conatum subornandi dictum Ioannem hominem quamvis in principio litis bonum & ad testificandum in genere idoneum; in ea tamen qualitate & conditionis tenuitate constitutum, qui facile corrumpi, & à veri tramite abduci posset; cùm sit tantum equorum tractator & venditor. Ita vt, quod superius dictum est de facilius retinenda veritate prioris depositionis adversus posteriorem contrariam ex tam idonea qualitate testis in superlativo gradu, planè hic obtinere debeat.

Omnibus itaque in unum coactis, quæ partim hîc, partim & fusius in præcedentibus doctissimorum primariorumque virorum consilijs deducta sunt; habitâ quoque illius ratione, quòd appellatio à secunda sententia pro Actrice lata planè fuerit deserta ex omissa petitione apostolorum *c. 1. De appel. lib. 6.* non obstante restitutione integri adversus eam omissionem; cùm restitutio tantùm concessa sit ad petendum apostolos, quod post obtentam restitutionem appellatos feciſſe non invenitur: existimamus venerabilis D. Decani officium in eo nunc versari, ut duas illas conformes sententias secundum Actricem nunc appellantem à viris omni suspicione maioribus, adhibitis assessoribus Theologis & Iurisperitis plurimis latas, confirmet; revocatâ sententia D. Decani Alostensis tertiæ instantiæ iudicis.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testis an uxor contra maritum esse possit.

1. *Domestici testimonium improbatur.*
2. *Vxor est in perpetuo mariti metu.*
3. *Vxor an contra maritum cogatur testimonium dicere si aliunde veritas probari non potest.*
4. *Vxor in criminali contra maritum nunquam cogitur testificari.*
5. *L. Lege Iulia de testibus intellectus.*

CONSILIVM CXI,

MAGNIFICE D. Rector, justè recusat Elizabetha van Dort, vxor Ægidij Wavens huius causæ Rei dicere testimonium in hac causa adversus dictum Ægidium suum maritum: † est enim non 1
tantùm domestica suo viro, ratione cuius iure civili improbatur testimonij fides, *l. etiam C De testib.* sed etiam viro coniunctissima, & cum eo velut vna caro *c. Hæc imago XXXIII. q. 5. c. 1. De conjug. leprof.* ob quam causam invita in maritum testimonium dicere non cogitur *gl. & DD. in d.l. etiam Canonistæ in c. In literis De testib.* quæ etiam coniunctio cum maritali reverentiæ vxorem obnoxiam faciat, possitque ex eius testimonio benè concordans matrimonium turbari, non est ei imponenda huiusmodi necessitas *arg. l. Cum te filia C. De inoff. test am. l. Reprehendenda C. De inst. & substit.* * nam & 2
ab innocentia *in c. Perlatum De his quæ vi met. cauſ.* vxor dicitur esse in perpetuo metu viri: sic ut communi opinione receptum sit, vxorem nec pro viro, nec contra eum admitti, aut ad dicendum testimonium cogi, *Mart. Socin. cons. 17. Supradicta nu. 11. vol. 1. Specul. in tit. De testib. § De testium compulsione vers. sed numquid vxor* † Et quamvis communiter tradatur, compelli posse vxorem, ut ad- 3
versus maritum dicat testimonium, si aliunde veritas probari non potest, & probationis inopia actorem urget, *Panorm. in d.c In literis in fin. & Spec. loco supra citato.* id tamen non puto indiscretè procedere, sed tantùm obtinere in causa civili

At in criminali causa existimo nullâ ratione 4
eam compelli posse; cùm lege expressim sit cautum, ne adversus socerum, generum, vitricum, & similes personas invitus quis dicat testimonium, *l. Lege Iulia De testib.* * Vnde manifestè colligi po- 5
test multò minùs vxorem compellendam esse, ut adversus maritum testificetur; cùm ei maior sit reverentia atque arctior coniunctio. Quam quidem sententiam Accursius, *in d.l. Lege Iulia*, producit etiam ad quascumque civiles causas; quem in eo probat Bartholus *in d.l. Lege Iulia.* Cùm ergo ex conclusione libelli, quem Actor edidit, constet criminaliter agi injuriarum, non civiliter, nulla est causa, cur possit compelli vxor; præsertim nullâ adhuc inopiâ probationis allegatâ aut singulari aliqua ratione propositâ, cur contra communem regulam compelli debeat; & ex adverso ex magno numero testium citatorum Actor inopiâ non videatur premi.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Testium productio post publicationem.

1. *Testibus publicatis in causa matrimonij alij adhuc produci possunt.*
2. *Sententia matrimonialis non transit in causam iudicati.*

Consan-

3. *Consanguinitas & affinitas perinde exillicito, ut licito coitu oritur.*

CONSILIVM CXII.

INTERLOCVTORIA sententia, quæ novissime in hac appellationis causa inter generosum Dominum Ioannem de Merode Appellantem, & Gertrudem de Cromme ejusque consortes Appellatos lata est, meritò debebat impedire hanc, quæ nunc decidenda est, altercationem, de admittendo Appellantem ad novam productionem testium, non tantùm super novis, sed etiam veteribus seu antiquis articulis in prima instantia exhibitis, & ad probandum admissis; non obstante quod pars appellans testimonia prioris instatiæ sibi publicari obtinuerit, illaq; plenè didicerit. Nam quæ ratio facit, ut in causa matrimoniali sententia vel propter omissam appellationem, vel propter eam quovis modo desertam, non transeat in rem iudicatam; eadem quoque facit ut non obstante publicatione testimoniorum præcedentium, tam super ijsdem, quàm super directò contrarijs per partem adversam exhibitis articulis, testium productio permitti possit & debeat. † Est enim communi Doctorum sententiâ receptum, vulgarem regulam, *in Auth. Atqui semel C. De probat. & in clemen. 2. De testib.* de non permittenda alia testium productione super ijsdem articulis post publicata & didicita dicta testium sive in eadem, sive in diversis instantijs, c. *Fraternitatis De testib.* non obtinere, sed vitiari ac fallere in causis, in quibus sententia numquam transit in rem iudicatam, *eleganter Panorm. in c. Iuravit. nu. 4 De probat. & 10. De Imola in c. Series De testib.* † Inter eas autem ex communi opinione Interpretum est sententia in causa matrimoniali lata; non quidem generaliter omnis & indistinctè semper; sed tunc cùm agitur de impedimento perpetuo, quod nullâ ratione pacto aut consensu contrahentium dissimulari aut remitti potest; ut est impedimentum consanguinitatis aut affinitatis: hoc enim casu non tantùm contra matrimonium (quod nullam dubitationem habet, *c. Latur De sent & re iudic. d. c. Series*) verùm etiam pro eo lata sententia, non transit in rem iudicatam; propter periculum & odium incestus seu peccati, quod induceretur seu sustineretur, si res iudicata in huiusmodi causa pro veritate haberetur, hoc est, in rem judicatam transiret. Tantus quippe favor est eo casu in impugnando matrimonio contracto contra legem Dei, quantus in sustinendo eo, quod legitimè contractum est. Quæ est traditio & distinctio Ioannis Calderini, *in d. c. Series* ab omnibus probata, *Ant. Butr. & Ioan. De Imola in d. c. Series. Panor, in d. cap. Iuravit, & ibi And. Barbat. sub fin. Felin. in d. c. Lator nu. 3.* Cùm ergo in hac causa agatur de impedimento asserti matrimonij inter dictam Gertrudem & D. Richaldum de Merode ex eo, quod is, priusquam hoc cum Gertrude contraxit matrimonium, carnaliter cognoverit ejusdem Gertrudis matrem, consequens est, hanc causam in eo genere impedimenti versari, quod pacto aut consensu partium remissibile non est. † Nulli enim dubium, quin ut ex legitimo coitu, ita quoque ex illegitimo seu fornicario contrahatur consanguinitas & affinitas, *d. c. Iuravit & ibi Andr. Barbat. c. Ex literis De eo qui cog. consang. c. in literis & ibi Panor. De testib. Did. Covar. in epitome 4. decret §. 7. p. 2.* quæ & impediat contrahi, & contractum dirimat matrimonium in gradibus prohibitis; inter quos primus est, in quem dictus Richaldus impegit, carnaliter primò cognoscendo matrem Gertrudis: ita ut inter Gertrudem & Richaldum non potuerit esse matrimonium, nec coitus, nisi incestuosus, *d. c. Ex literis* Ideoque huic matrimonio, quod incestuosum arguitur, is favor attribui non debet, ut aliquâ præsumptione veritatis adiuvetur: sed ut per decretum venerabilis D. Officialis causa hujus appellationis erepta est à periculo seu vitio desertionis; ita quoque ei derogari non debet beneficium producendi adhuc testes etiam super antiquis articulis, exacto saltem ab appellante juramento de non subornatis & non subornandis testibus.

De Testibus.

SVMMARIVM.

Quarta dilatio ad testes producendos.

1. *Iuramentum malitiæ in omni dilatione indici non potest.*
2. *Testes in matrimoniali causa etiam post publicationem aliorum testimoniorum recipi.*
3. *Dilatio quarta quando sine iuramento detur.*

CONSILIVM CXIII.

CONTRARIETATEM aliquam continet decretum, quod novissimè in hac matrimoniali causa inter generosum Ioannem de Merode appellantem, ac Domicellam Gertrudem Cromme ac ejus consortes Appellatos latum est. Benè quidem latum, quâ parte continet Franciscum Cleynals & Henricum Goerts oblatos & productos testes ad testimonium recipiendos esse; sed non perinde rectè quâ parte producenti denegat currentis termini probandi sub tertia dilatione prorogationem, relictâ tantum facultate quartæ dilationis sub juris solemnitate, hoc est, sub conditione jurisjurandi, quod testium aliàs productorum super articulis per eum nunc probandis testificata non didicit, & ulteriorem dilationem per dolum aut fraudem non petat. Etsi enim justè exigatur jusjurandum quoad posterius, hoc est, quod per dolum vel fraudem ulteriorem dilationem non petat; * quippe in omnibus dilationibus potest judex etiam regulariter pro suo arbitrio, & cùm id ei æquum videtur juramentum malitiæ, hoc est nihil dolo malo vel fraude peti, exigere *c. Pastoralis De except. cap. 2. in fine De iuramento calum. lib. 6.* non rectè tamen exigitur prioris illius, quod testificata non didicerit, juramentum. Nâ quæ causa venerabilem Dominum Officialem movit, cur Appellanti permiserit ut non tantùm dictorum duorum, sed etiam quorumcumque aliorum testium, & non tantùm novorum, sed etiam priùs productorum productionem sub tribus prioribus dilationibus facere possit (ut constat ex binis decretis successivè ad contrarias partis adversæ altercationes in hac causa latis) eadem quoque eundem D. Officialem movere debuit, ut concederet ulteriorem dilationem

nem, vel prorogando currentem, vel lapsis prioribus novem concedendo, absque ulla conditione aut necessitate jurandi, quòd priora testificata non didicerit, vel subtraxerit.

2 Causa autem concedendi priores dilationes est privilegiata causę matrimonialis conditio, quæ hoc habet privilegij, ut regula de non producendis alijs vel ijsdem testibus super antiquis vel novis articulis, per eum, qui priùs super illis recepta priorum testium testimonia didicit vel subtraxit, *Auth. Atqui semel C. De probat. c. Fraternitatis De testib.* locum non habeat in causa matrimoniali, in qua quæritur de perpetuo impedimento consanguinitatis vel affinitatis, *Panorm. in c. Iuravit, nu. 4. De probat. Io. De Imola in c. Seruos De testib.* ut per nostrum prius responsum adversus aliam appellatorum altercationem latiùs deduximus. Si igitur Appellans admissus est (& quidem rectè) ad primam, secundam, vel tertiam dilationem probationis, etiam super veteribus seu antiquis articulis in hac appellationis causa per testes faciendæ, tam per priùs etiam productas (ut habet hæc noviſſima interlocutoria) quàm per novos, non obstante priorum testimoniorum, tam ex sua quàm partis adversæ productorum publicatione, exceptione, percunctatione, & plena cognitione, utique decerni ei quoque debuit ulterior prorogatio sine conditione jurisjurandi quod testificata non didicerit: quia testificata didicisse nihil nocet in matrimoniali causa, & frustra venerabilis D. Officialis ad conditionem ac necessitatem jurandi id rejecit, quod certò ei constet Appellantem sine perjurio jurare non posse. Et qua ratione judici non obstat testificata didicisse, si velit ex officio novos testes produci, *Bart. in d. Authen atqui semel nu. 32.* ita quoque nec parti id nocere debet novam productionem facere volenti in causa, in qua dicta regula de non producendis amplius testibus post publicationem & notitiam illorum vitiatur, & locum non habet; ut non habet pluribus casibus qui à Bartholomæo Socino, *reg. 403. in fallentijs suis*, & alijs recensentur *in d. c. Fraternitatis* Et quemadmodum etiam primâ tantùm dilatione.

Concessa regulariter non conceditur secunda, aut ulterior, si testium in prima dilatione examinatorum testimonia sint publicata & didicita, non aliter quàm si post primam dilationem testibus esset renuntiatum, *glos. in c. In causis De testib. & ibi Panor. nu. 3. vers. idem dico, & Pet. Anchar. cons. 223. Ad evidentiam*; conceditur tamen & quidem sine aliqua solemnitate ac sine juramento, tam in eadē quàm in diuersis instantijs in causa matrimoniali, in qua sententia lata non transit in eam judicatam, ut paulò antè diximus: ita quoque debet quarta dilatio sine solemnitate juramenti de non publicatis & didicitis testimonijs, & multò magis tertiæ dilationis prorogatio concedi: facilius quippe prorogatur terminus adhuc currens & durans, quàm finitus restituatur, aut post eum alius de novo constituatur; quia prorogatio non facit numerum in actu *l. Sed etsi manente De precario Doct. in c. Licet. De probat. Alex. & alij in l. fin. De feriis*, nec requirit tantam justitiam, seu cognitionem causæ, sicut concessio novæ dilationis, *Castr. & Alex. in l. ult. De feriis*. Cùm ergo dicta interlocutoria simpliciter intellecta implicet veram contradictionem, & in actis conspiciantur sufficientes causæ, cur Appellanti debeat ulterior prorogatio, imò etiam alia dilatio de novo simpliciter concedi, in casibus, in quibus regula de non producendis alijs testibus post testimoniorum priorum publicationem & notitiam fallit, quarta productio sine solemnitate concedi debeat, alioquin ea in parte deteriores essent causæ matrimoniales quàm aliæ, quibus quarta dilatio non negatur, licet in illa solemnitate, & alioqui dilationum concessio plurimùm posita sit in Iudicis arbitrio, *Doct. in l. Oration. De feriis, latè Iacob. Menochius lib. 2. De arbitrarijs iudicum sententijs cap. 52. lib. 2. cent. 1.* existimamus Venerabilem Dominum Officialem officio boni Iudicis functurum si dictam interlocutoriam corrigendo (uti potest) *l. quod tußu De re iud.* aut potiùs declarando Reo ulteriorem dilationem, vel per prorogationis modum, vel per concessionem quartæ dilationis concedat, sub conditione saltem si jùravit, quòd per fraudem aut dolum ulteriorem dilationem non petat; nam si id negabit gravabit appellantem.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum quando probet.

1. *Testis deponens per verbum*, credo *vel* videtur, *quando probet.*
2. *Instrumentum publicum ut subsistat quæ requirantur.*
3. *Notarij subscriptio in protocollo vel instrumento an sit necessaria.*
4. *Protocollo quando fides adhibeatur.*
5. *Notary mors pro subscriptione est.*

CONSILIVM CXIIII.

AB vno articulo dependet status utriusque causæ, tam conventionalis, quàm reconventionalis, quæ instituta est vltro citroque inter Elizabetham Gielis in una & Petrum Henrici maritum Helenæ Stevart suosque consortes ex altera partibus, num scilicet legitimè constet de testamento seu ultima voluntate quondam D. Henrici Stevars? id enim si demonstrabitur, in utraque causa obtinebit dicta Elizabetha. Difficultas omnis in eo est, quòd imbreviaturæ objiciatur, quòd diversis manibus sit scripta, idque in charta volante; quodque in libro protocollorum D. Ioannis Maes Notarij descripta non sit, & denique quòd inductiones deletioneque quosdam habeat. Cæterùm nihil horum est, quod ad extremum validitati & efficaciæ dictæ ultimæ voluntatis obstet. Principiò enim constat, hanc scripturam, quæ originaliter probata est, & de qua per Guilielmum Poste Notarium confectum est publicum instrumentum, etiam in hac causa exhibitùm, esse eandem illam, quam D. Henricus testator antea manu suâ scriptam & præparatam tempore suæ nuncupationis & testationis protulit, & quæ coram testibus recitata est, cuique D. Ioannes Maes adhibitus Notarius ex ulteriore nuncupatione alia quædam adjecit. Id enim constat ex depositione Petri Daens, vnius ex testibus testamentarijs

1 mentarijs. † Cujus depositio ob id minorem fidem non meretur, quod deponat per verbum *videtur*: nam dicit omninò id sibi videri & firmiter se credere; quæ duo conjuncta planè assertionem apertam & minimè dubitatam constituunt, præsertim accedente sensu corporis, quia scilicet dicit se fuisse præsentem, cùm exhiberetur & recitaretur, quodque viderit D. Ioannem additionem illam ex nuncupatione testatoris scribentem: nam ex conjunctione intellectus & sensus corporei, assertio, non dubitatio constituitur, *Bart. in l. Quid tamen §. si arbiter. De recep. arb. Felin in c. De catero. in princ. De homic.* etiamsi testis per verbum *credo* vel *videtur* deponat, *Bald. in l. Conventicula. C. De Episc. & cler. Socin. fallen. 407. nu. 5. & 6. & fallentia 424. Ant. De Butrio in c. Quoties De testib.* Et si quid deest hujus depositioni, id suppletur primùm ex depositione Nicolai Blox, qui de identitate chartæ quoque deponit, quatenus illa continet ea, quæ manu testatoris scripta fuerunt. Cujus testimonio consonant testimonia Ioannis Pieters, & Iacobi Houtmaer: & de manu Ioannis Maes Notarij conformiter deponunt Petrus Daens, Petrus de Haeste, & Wilhelmus Vost: quæ sic conjuncta ad plenam probationem sufficere debent, propterea quòd alter testis testamentarius & Notarius decesserint. Et sanè probatio manus dicti Ioannis Maes, qui posteriorem partem dictæ scedulæ scripsit, & sic scripturæ extremam manum imposuit, sufficere debet, ad hoc, ut constet de ultima voluntate, & inde con-
2 ficiatur instrumentum. * Quamvis enim tria sint quæ ad perfectionem publici instrumenti requiruntur; primum, ut contineat locum & tempus actus gesti & ascriptionem testium; secundum, quòd contineat perfectionem actus; & tertium, subscriptionē Notarij: in imbreviatura tamen duo
3 priora sufficiunt. * Quod enim plerique etiam Notarij subscriptionem desiderant, *Bart. in l. Contractus C. De fide instrum. Angel. cons. 220. Ad hoc ut. Ant. Rubeus cons. 94. Viso & diligenter*, ab alijs in controversiam rapitur; & sunt non pauci, *Bald. in l. fideicommissa §. 1. De leg. 3. Cynus in d. l. Contractus, in fine & ibi Salic.* qui desiderari quidem, sed cùm deest, obesse non putant; quasi signum sit indifferens, si alioqui de rogatione, testium adhibitione, manu Notarij, actus interpositione & perfectione con-
4 stet. * Vnde cùm de manu Notarij constet per testes evidenter; constet quoque de testium & Notarij adhibitione, & in extremo fine adjecta sint hæc verba, *Actum 25. Septembris anno 1558.* plena fides protocollo adhibenda est, tam ad probationem ultimæ voluntatis, quàm ad hoc, ut inde publicum exemplum authoritate judicis conficiatur, *Panorm. in c. cum P. Tabellio nu. 3. & ibi Felin nu. 5. De fide instrum. Alex. cons. 14. nu. 8. Visis & consideratis vol. 6.* prout utrumque in causa conventionali pro parte Elizabethæ petitum est. Atque ita in specie cum huic omnino simili respondit Paulus Castrensis, *cons. 307. Ad primum quæsitum vol. 1.* cujus responsi materia elegans est, & velut in individuo hanc causam decidit: ideoque non gravabitur D. Assessor ad illud confugere. Respondit quoque in non absimilibus terminis Angelus Perusius, *cons. 400. Testator sua propria*, qui omnibus diligenter excussis, tandem resolvit, testamentum valere & imbreviaturam in folio scriptam sustineri: ita ut non possit dici esse præparatio quedam ad testandum (quo casu non valeret, ne quidem ad faciendam publicationem instrumenti, *d. l. fideicommissa §. 1. De leg. 3. l. Ex ea scriptura De testam.*) sed vera & perfecta testatio. * Quod 5
proclivius hic dicendum, ob id, quod propter mortem Notarij statim post hanc testationem subsequentem factum sit, cur hæc imbreviatura non sit registrata in libro protocollorum dicti D. Ioannis: quæ mortis consideratio hoc quoque facit, ut nihil obstet omissio subscriptionis dicti Notarij: nam quamvis aliàs sciptura Notarij viventis carens subscriptione & signo fidem non faciat, si tamen Notarius sit mortuus, potest ex imbreviatura carente ea solemnitate instrumentum confici; & sic mors Notarij habet vim subscriptionis & signi, ut ex Alexandro, *d. cons. 14. vol. 6.* & Francisco Curtio juniore, *cons. 162. Habita nu. 1.* annotavit Aymo Cravetta, *cons. 158. Visis actis nu. 7.*

Quod objicitur de diversitate manuum, nihil nocet; quia ex depositionibus testium constat primam partem à testatore antea pro præparatione & faciliore expeditione scriptam; & posteriorem Notarium cum adjectione finalis particulæ (quâ extremam perfectionem & absolutionem actus contineri diximus) scripsisse; à qua posteriore scriptura prior vim & robur accepit, *Angel. d. cons. 400 nu. 6.* Quod item de inductionibus profertur, nihil est: nam non sunt in loco substantiali, neque substantiam rei immutant; utpote delentes nomina testium, quos testator adhibere priùs constituerat, & consulto factæ sunt, ob id, quod coram ijs testibus, quos testator in præparata scriptura adhibere constituerat, non sit facta hæc nuncupatio, sive quiâ testator ita non potuit ob eorum absentiam seu alias causas; sive quia noluit: cum mutandæ voluntatis eatenus liberrima sit potestas. Quæ, meliore judicio semper salvo, sufficere arbitramur ad sublevandos labores venerabilis D. Assessoris, & adjuvandum causam paupercule, quæ D. Henrico sacerdoti ac patrono inserviendo relictum residui optimè promerita est; ita ut nihil sit, cur pars adversa id ei invidere debeat: quæ cessante testamento nihil prorsus ex bonis Domini Henrici ablatura erat; cederent enim eo casu omnia Episcopo, ut communis habet observatio.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Instrumenta antiqua.

1. 11. *Fructus pignoris in sortem imputantur.*
2. *Præscriptio quando currat contra ius luendi vel pignoratitiam actionem.*
3. *Præsumptio de præsenti in præteritum, sed non è contra.*
4. *Locatio dominium non probat.*
5. *Exemplis instrumentorum credi non debet.*
6. *Probationes sunt arbitrariæ.*
7. *Antiquitas admittit leviores & præsumptivas probationes.*
8. *Enuntiativa verba in antiquis probant.*
9. *Antiquis instrumentis fides quomodo habeatur.*
10. *Registra collegiorum probant.*

CON-

CONSILIVM CXV.

PROBABILITER multa utrimque adferri posse videntur in controversia, quæ exorta est inter insigne Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ Colonien sis, ac Reverendum Dominum Abbatem S. Cornelij Indensis, super proprietate ac jure decimarum loci de Gressenich; Capitulo contendente, eas ad se pertinere, & apud dictum Reverendum Dominum Abbatem esse ab anno 1452. non jure antichresios, cum emolumento perceptionis omnium fructuum dictarum decimarum pro usu sortis 400. florenorum *l. Si is qui bona §. 1. De pignorib.* pro quibus dictum Capitulum dicit se in anno 1450. annuum reditum triginta duorum florenorum dicto Reverendo D. Abbati constituisse; sed jure nudi & ab-
1 soluti pignoris, * ut percepti fructus ex his decimis à tempore, quo ad dictam Abbatiam illarum possessio pervenit in solutionem reditus, & quanto illo majores fuerunt, in dimnutionem sortis cedant: ut regulariter fructus ex pignore percepti sortem diminuere solent, *l. 1. & 2. C. De pig. actione l. 2. C. De pactis pignor. Mar. Socinus consil. 20. In facto nu. 5. vol. 3.* Reverendo Domino Abbate ex adverso contendente has decimas pleno jure ad suam Abbatiam pertinere, nec hunc titulum suæ possessionis, quem Capitulum prætexit, agnoscente.

Pro assertione Capituli quinque proferuntur; primùm, admodum antiquum documentum sigillatum, quo continetur aut apocha, aut reversalis, ut dicunt, recognitio cujusdâ Wilhelmi van Franckenhoven; per quam in anno Domini 1285. recognovit se à dicto Capitulo majorem & minutam decimam in Gressenich accepisse pro annua pensione centum maldrorum avenæ. Secundò, extracta ex Registris dicti Capituli, quæ significant quòd anno 1440. & aliquot sequentibus Reverendus Dominus Abbas in conducto habuerit hanc decimam pro septuaginta maldris avenæ. Tertiò, nuda copia recognitionis seu constitutionis, quam dictum Capitulum prætactę Abbatię in anno 1451. fecit de annuo reditu triginta duorum florenorum Germanicorum annuorum pro 400. consimilibus florenis, ad rationem scilicet bessium usurarum; promittendo octo in anno pro centum, cum obligatione omnium bonorum dicti Capituli, & specialiter dictæ decimæ in Gressenich, cum facultate injiciendi manum dictæ decimæ seu apprehendendi illam cum suis emolumentis pro implemento dictæ recognitionis. Quartò, rursus extracta ex Registris dicti Capituli continentia declarationem per multos annos repetitam, ab anno scilicet 1480. usque 1513. deficientibus tantùm aliquot intermedijs annis, quod dicta Abbatia pro ijs annis jure pignoris dictam decimam possederit; repetitâ semper mentione antiquæ pensionis septuaginta duorum maldrorum avenæ. Quintò, profertur clausula ex instrumento concordiæ in anno 1483. inter Illustrissimum Dominum Hermannum Archiepiscopum Colonien sem, & Metropolitanum ejus Capitulum initæ; in qua inter cætera in catalogo seu numero bonorum dicti Capituli (quæ ob præcedentia bella alijs pignori data, aut relicta erant) specificatur hæc decima assignata Abbati S. Cornelij pro 400. florenis. Sic quod in concursu horum omnium existimet Capitulum Colonien se satis constare de jure proprietatis in & ad dictam decimam, nullamque præscriptionem obstare; † cum pignoratitiæ actioni non præscribatur, nisi ex 2
die, quâ res pignori esse desijt, cùm nascatur tantùm ex solutione, *glos. in l. Si rem alienam §. omnia. De pig. actio.* & juri luendi pignus communiter non præscribatur *latè Ioan. Igneus. in l. In cognitione nu. 76. usque ad nu. 174. Ad S. C. Syllan. Bald. cons. 341. super eo quod quæritur vol. 1.*

Pro oppositione Reverendi Domini Abbatis stare videtur probationum, quæ ex adverso proponuntur imperfectio: quarum conjunctio, quia diversi generis sunt, admittenda non videtur. Recognitioni enim seu antapochę Wilhelmi de Frăckenhoven nimia antiquitas, & insequentis tẽporis rei, de qua controvertitur status, detrahere videtur. † Etsi enim ex præsenti rei statu in præteri- 3
tum, ex præterito tamen in præsentem, non perinde ducitur aut trahitur juris præsumptio; cùm præsens rei status ab eo, qui in præterito tempore fuisse dicitur diversus est, *Salic. in l. Ex. persona. C. De probat.* quodque Dominus Abbas pro suo possideat, & ultra tempora præscriptionis pro suo ipse, ejusque prædecessores possedisse dicantur. Unde etiam adversus pignus, & jus luendi utile initium præscriptionis rectè duci solet, priore causâ possidendi mutatâ, & ipsi debitori interversa causa possessionis; quod in successu ac longitudine temporis etiam bonâ fide fieri potest, in hærede & quocumque creditoris, in quem jure pignoris res pervenit, successore, *l. ult. D. pro suo*; † cùm alioqui 4
locationes antecedentes fragile per se probandi dominij & proprietatis argumentum contineant; & nihil vetet rem alienam etiam locari, *l. Ad probationem C. De locato & cond.* fitque ea locatio, quæ dicto antiquo instrumento continetur, facta alteri tertio, non dictæ Abbatiæ, cui res inter alios acta obesse non debet, *tit. C. Res inter alios acta. &c.* Nihil etiam faciente copiâ instrumenti constituti reditus & assignati pignoris harum decimarum; cùm privata sit scriptura, & minimè authentica, alteriusque quod non profertur, dumtaxat exemplum, cui fides adhiberi non solet, *l. 2. De fide instrum.* Quæ exceptio rectè etiam objicitur clausulæ extractæ ex instrumento concordiæ inter illustrissimum Archi-Episcopum & Capitulum, cum illius originale & authenticum instrumentum non proferatur. * 5
Denique nec extractis ex Regestis Capituli quicquam tribuendum videtur, quia contineant velut domesticam ac privatam ad proprium emolumentum annotationem, cui credi exemplo pernitiosum dicitur, *l. Instrumenta, l. Exemplo. C. De probat.* Ita quod cùm Reverendus Dominus Abbas ejusque Abbatia pro suo hanc decimam possideat, suosque prædecessores ultra hominum memoriam, hoc est ultra centum annos sic possedisse bona fide existimet, *c. Ad aures De præscript.* in imperfectione aut saltem obscuritate probationis pro Reverendo Domino Abbate possessore potiùs præsumendum sit, & apud eum harum decimarum possessio, quamdiu dictum Capitulum liquidiùs non probaverit suum jus dominij, relinquenda, *l. 2. C. De probat.*

Cæte-

Cæterùm probabilior nobis videtur dicti Capituli causa: etsi enim verum sit, quod possessori non incumbat necessitas probandi, rem ad se pertinere, cùm in probatione penitus cessat, quirem vindicat *d. l.* 2. C. *De prob.* §. *commodum*, *Inst. De interdictis*; nec aliquid profert, unde Iudex animi sui motum ita possit componere, ut actori credat: cùm tamen ex parte Actoris ea proferuntur, quæ judicem ad credulitatem inducunt, propius est, ut ex parte rei ac possessoris si non necessarium, saltem utile sit possessionis causam dicere, ac probare; præsertim in monasterijs, collegijs, similibusque corporibus, in quibus ducentorum aut trecentorum annorum documenta facilè proferri possunt. Itaque cùm non difficile esse videatur Reverendo Domino Abbati proferre suæ Abbatiæ Registra, unde constare possit, an ante centum annos in eorum bonis saltem putativè fuerint hæ decimæ, an vero illas conducti titulo primùm, pòst deinde pignoris loco possederint, etiamsi instrumenta constituti reditus (quæ apud Reverendum Dominum Abbatem inveniri negantur) non proferantur, vel prolata nullam mentionem harum decimarum contineant; proclive erit, ut prò Capitulo contra Abbatem assumatur præsumptio; potissimùm quia probationes, quas nunc profert Capitulum per se singulæ non sint tam imperfectæ nec imbecilles, quin faciè vir bonus ex ijs ad credulitatem inducatur. † Probationes enim arbitrariæ sunt, *l.* 3. §. 1. *De testib. Iacob. Menoch. de arbitr. iud. senten. lib.* 2. *centur.* 1. *casu* 90. & ex Iudicis religione magis, quâ certa definitione dependet, quid pro probato habendum sit, quid non. † Et in antiquis (qualis est hæc causa, cujus origo terminum centum annorum excedit *l. fin. C. De sacrof. Eccles.*) propter difficultatem probationis sufficiunt etiam præsumptæ, *Bald. in l. Cum super* C. *De rei vindic.* concurrentibus præcipuè multis ac verosimilibus præsumptionibus ex quarum concursu propter pluralitatem probatio induci solet, *l. Excipiuntur. Ad. S. C. Sylla. l.* 2. §. *atas De excus. tut. Lud. Rom. cons.* 7. *Visis necessarijs nu.* 3. Hinc cùm in re proposita proferatur harum decimarum locatio per Capitulum Wilhelmo van Franckenhoven facta; idem quoque significent annotationes in regestis Capituli de præcedentibus locationibus, atque etiam de locatione olim dictæ Abbatiæ facta; & tandem de oppignoratione earum decimarum cum commemoratione eius, in rationibus Capituli semper repetita mentione dictæ oppignorationis, eoque etiam tendat concordia inter Reverendissimum D. Archiepiscopum Colonien sem & ejus Metropolitanum Capitulum, in qua dictæ oppignorationis mentio quoque refricatur; & denique proferatur copia instrumenti constituti reditus & oppignorationis prædictæ: sufficienter intentio dicti Capituli probata videtur; nullo ex adverso pro parte Reverendi Domini Abbatis allato, unde improbabilitas aliqua dictæ inventionis desumi aut constitui possit, *Molinæus ad consuet. Parisien. tit.* 1. §. 5. *nu.* 21. Nec sanè singulorum, quæ in hoc concursu conspiciuntur tanta est imbecillitas ut ad probationem non sufficiant: nam cũ authenticum sit instrumentum dictæ antapochæ, continentis locationem de his decimis ante ducentos annos factam, per se plenam fidem meretur, & pro probata probatione accipi debet, *l. Cum precibus* C. *De probat.* cum publici instrumenti formam & effectum habeat. * Et quamvis & contineat rem non inter Capitulum ac dictam Abbatiam seu Dominum Abbatem pro tempore, sed cum alio actam; tamen propter antiquitatem temporis, etiamsi enuntiativa tantùm, non etiam dispositiva (qualis est in dicto instrumento) mentio dictarum decimarum, & locationis earumdem contineretur, in proposito Reverendo Domino Abbati obesse debet, *gl. in V. instrumentis in c. cum olim De censibus. Aut. De Butrio in c. fin De succes. ab intestato. Dominicus in c. Si Papa De priv. l. lib.* 6. quoad hoc, ut inde constet has decimas à Capitulo locatas fuisse. Quæ consideratio quoque efficit, ut eadem potestas tribuenda sit dictæ concordiæ; in quâ quamvis ad alium finem dicatur de oppignoratis his decimis dictæ Abbatiæ, veritas tamen narrationis in tanta antiquitate temporis præsumitur; præsertim cùm recognitio factæ hujusmodi oppignorationis sit contra Reverendum Dominum Archiepiscopum confitentem, *l. Generaliter.* C. *De non num. pecunia*; nullaque sit dubitatio, quin de veritate oppignorationum aliorum plurimorum bonorum, quorum mentionem facit eadem concordia, facilè doceri possit: si quod, quamvis nunc nuda tantùm copia illius concordiæ proferatur, verosimile tamen sit authenticum & originale, facta diligentia inquisitionis, etiam proferri posse: & ut non possit, præsumptionem facere debeat non levem concordans rei veritas in alijs, etiamsi hujus oppignorationis veritas aliter demonstrari non posset; consonante præsertim & eodem tendente exemplo seu copia constituti reditus, pro sorte 400. florenorum, sub speciali harum decimarum hypotheca, additâ facultate injiciendi manum, si reditus non solueretur. Quam conventionis legem dicta Abbatia, non ita diu post constitutum reditum exercuisse videtur, ut colligere licet ex annotationibus anniversarijs seu singulis annis factis ex regestis seu libris rationum dicti Capituli. * Sic quod in hac tanta consonante plurium circumstantiarum concurrentia pro veritate dicti exempli omninò præsumendum sit; præsertim cùm nulla sit præsumptio, quod tam insigne Capitulum falsis suppositisque instrumentis in re, quam nedum probabilem, sed etiam omninò verosimilem facit antecedentium sequentiumque consonantia, causam suam asserere vellet: potissimum cùm, ut proponitur, prædicta instrumenta partim authentica, partim exemplata (quamvis sine juris solemnitate) ex archiuis ac penetralibus dicti Capituli proferantur: quibus quamvis nuda sint & subscriptionem Notarij vel testium aut sigilla non debeant, fides tamen adhiberi debet ex antiquitate temporis, *Auth. Ad hæc C. De fide instrum. c. Ad audientiam De præscript. l. Moris* §. *solet De pœnu. Lud. Rom. cons.* 165. *Liber regestri*, quæ in re, cujus origo & initium centesimum annum excedit meritò constituenda, *Alex. in l. Cum aliquis* C. *De iure deliber. Paulus Castr. consil.* 139. *Pro declaratione. nu.* 5. *vol.* 1. Quæ dubitationem habere non debet, ob id, quod valde suffragentur dicti Capituli Regestra, seu libri rationales, qui & ipsi antiqui & ordinatâ serie conscripti sunt. † Quamvis enim privatorum hominum rationa-

rationalibus libris ita non credatur *d. l. Exemplo l. Rationes C. De probat.* monasteriorum tamen, Capitulorum, aliorumque. Collegiorum libris hujusmodi continentibus redituum, bonorum, pensionum, censuum, ac solutionum annotationes solemnes continuâ præsertim serie scriptas, fides adhibenda est, *l. Census De probat d. c. Ad audientiam, Roman. d. cons. 165. & cons. 127. Posito quod:* cùm hujusmodi libri per Officiales collegij vel monasterij non ultrò vel ad proprium privatumque commodum, sed ex necessitate officij in re magis aliena conscribantur, *Bart. in l. Nuda ratio De donat. & in l. Quædam §. nummularios De edendo*: quodque de veritate hujusmodi inscriptorum in dictis libris seu Registris, quoad has decimas, aliqua ex parte liquidò constat; videlicet ex dicto reversali instrumento Wilhelmi Franckenhoven. Sic quod ex probata veritate dictarum rationum in una parte, seu, ut dicunt, partita, juris præsumptio stet pro veritate aliarum particularum, *Paul. Castren. cons. 301. Ad bene examinandum n. 3. vol. 1. Ias. in l. Admonendi nu. 24. De iureiur.*

Quando itaque Reverendus Dominus Abbas de veritate nos consulit, & litem diffugere, quàm sequi malit, consultius putamus, ut aliqua æquabili transactione hanc controversiam cum dicto Capitulo componat, etiamsi restitutâ sorte prædictarum decimarum possessio relaxanda esset, potiùs quàm in periculum se deducat, ne feruente lite ex parte Capituli duriora proponantur quoad reddendas rationes perceptorum omnium fructuum,
11 † saltem usque ad modum septuaginta maldrorum avenæ, quæ procul dubio annuam quantitatem triginta duorum florenorum annuorum excederent, & quatenus excedunt in diminutionem sortis seu capitalium denariorum imputanda essent, *l. 1. & ult. C. De pignor. actione*: non enim ut diximus, antichretis propriè constituta dici potest dicto monasterio, sed tantùm facultas injiciendi manum in defectum solutionis; unde causatur tantum communis pignoris possessio, cum facultate percipiendi fructus, eosque primum in reditum, deinde pro eo quod superest in sortem imputandi: potissimùm quod pro tam exigua sorte tam magnus reditus, ne Nobilibus quidem, *l. Eos §. super usurarum C. De usur.* multò minùs Ecclesiasticis permissus videatur. Scimus multa ex parte Reverendi Domini Abbatis ex scholasticis disputationibus, ac studio contentionis proferri posse, quæ sustinendæ litis probabilitatem aliquam habere possent, sed ad boni viri arbitrium judiciumque collimando pro dicto Capitulo stare videtur rei propositæ veritas, cui omnia cedere debent.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Instrumenti subscriptio.

1. *Probationes arbitrio iudicis relinquuntur.*
2. *Error calculi semper emendari potest.*
3. 5. *Subscribens instrumento quando approbare censeatur.*
4. *Falsitas instrumenti in parte, vitiat in toto.*
6. *Subscriptio non semper habet effectum obligandi.*
7. *Iuramentum nihil probanti deferendum non est.*
8. *Iniquus in modico, in toto iniquus censetur.*
9. *Mora procuratoris quomodo Domino noceat.*
10. *Causâ permissionis cessante cessat permissio.*
11. *Impletum videtur quod per aliud stat quo minus impleatur.*
12. *Interrogationibus Iudex uti potest.*
13. *Vsuræ debentur ex mora.*
14. *Moram non committit, qui an debeat, ignorat.*

CONSILIVM CXVI.

FACTI magis quàm juris quæstionem habet controversia, quæ est inter Bernardum van Etten Actorem, contra Petrum Vogels Reum, si ad rationes ipsas, & earum improbationem respiciatur: ita ut non admodum opera nostra hîc desiderari videatur: * cum quid probatum, quid non, judicis arbitrio relinquendum sit, *l. 3 §. 1. De testib.* & in rationum supputatione (in qua judicis error & lapsus non admodum nocet, cùm sine appellatione deprehensus error corrigatur quandocumque, *l. 1. in princ quæ sent. sine appel. rescind. l. 1. C. De errore calculi*) non tam juris ratio, quàm expensorum acceptorumque habeatur quia tamen in ea sumus sententia, ut existimemus Actorem bono jure niti, obiter aliqua pro illius deductione adferemus. Et in primis quidem ne via ad agendum præcluſa videatur Actori, propter subscriptionem ab eo rationibus à Reo semel editis ex callida Rei machinatione appositam, dicimus hujusmodi subscriptionem minimè absorbere jus & facultatem in hujusmodi rationes inquirendi. * Est enim manifesta juris regula, errorem calculi, si emerserit, veritati præjudicium non adferre, *l. 1. §. veritas De offic. præsidis*: ideoque rationes etiam sæpè computatis denuo tractari posse, *d. l. unica. C. De errore calculi*; nisi vel res judicata, vel transactio intercesserit, *Ioan. De Anania cons. 6. Viso puncto*; quæ hîc non intervenit. † Neque ad rem facit quod subscribens instrumento aut rationibus videatur approbare omnia contenta, ac in superiore parte scripta, *l. Si ego. §. planè. De iure dot. l. Rideussor §. pater De pignorib. Bar. & alij in l. Emptor §. Lucius De pact.* habuisseque ejus notitiam, quod continetur in rationibus præscriptis, *Bart. in l. 1. §. si quis neget Quemad. testam. aper.* nam id in dubio tantùm præsumitur, etiam si quis circumventus subscribat, *Bart. in d. §. si quis neget.* Quod ipsum apertè probavit Actor non tantùm per instrumenta, sed per Rei propriam confessionem, quæ omne genus probationis superat, *l. Generaliter C. De non num. pecunia.* Confitetur enim Reus sepleraque velut expensa Actori computasse, quæ computanda non erant; non quidem levi, sed admodum crasso errore propter summarum, circa quas versatur hujusmodi affectatus error, magnitudinem. Cujus quidem deceptionis probatio facit, ut subscriptio hîc vires suas non servet in comprobandis his, quæ in scripta charta continentur, *Alex. cons. 147. Ponderatis nu. 4. vol. 2. Iason & alij in l. Inter stipulantem §. Chrysogonus nu. 14. De verb. oblig.* † Quinimò detecta falsitate alicujus particulæ pro totius instrumenti falsitate præsumendum aut saltem subspicandum est, *Specul. tit. De instrum. edit. §. instrumentum ergo, versic. quid si aliquod instrumentum, Alex. cons. 113. Viso & diligenter*

nu. 8.

nu. 8. *vol.* 4. ut non sit mirum si singulorum quæ in rationibus continentur probationem petere possit Actor, qui nunquam hujusmodi rationes in manibus habuit per notabile saltem aliquod intervallum, quod illis maturè excutiendis satis fuisset, *Iason. d. § Chrysogonus nu.* 14. ut interea omittamus illud quod ex minoris ætatis beneficio Actor pro
6 posuit. * Cùm ergo erronea subscriptio non noceat *l. Titius Seij De rescind. vendit.* & docto de errore suspectum habeatur subscriptum instrumentum, *Bart. in d. §. si quis neget.* bonâ ratione quæstio calculi & rationum refricari potuit, non in eo tantum ut numeri habeatur ratio, quod Reus prætendit; verùm etiam ut veritatis & falsitatis eorum quæ Reus in rationes subscriptas contulit fiat indagatio. † Sic ut quemadmodum promissio se-
7 cundum priorem calculum facta non impedit cõditionem liberationis *d. l. unica in fin. C. De errore calculi.* ita nec subscriptio obligandi effectum habet, sed tantum comprobandi actum, ita per Reum fuisse calculatum *d. l. fideiussor §. pater* in quibus si quis scrupulus restaret, is prorsus tolleretur Dominorum Iudicum (qui & in hac causa judicabunt) antecedentis sententiæ auctoritate qua Reus condemnatus est ad admittendum refricationem & recollectionem rationum semel redditarum; quæ cum in rem judicatam transierit, retractari non debet *l. 1. C. De re iudic.* Hoc igitur constituto, & præsuppositio de novo reddendas esse rationes, aut saltem Actori permittendum ut semel exhibitarum rationum particulas impugnare possit, ne quod longum & infiniti laboris esset, singulis particulis impugnatis insistamus; hoc in genere dicimus quod in omnibus particulis, quas negat esse veras obtinere debeat Actor, & ijs velut minimè expensis sed deletis atque expunctis, tanta summa Actori adjudicari debeat quanta fuit hujusmodi expensorum in unum collectorum. †
8 Nam quod Reus dicit earum probationem aliquando Actori fecisse, non apparet, neque verosimile est ex tam modico intervallo perijsse probandi facultatem, quæ semel ad manum fuit: & ut perijsset, quia probatione destituitur Reus, jure quoque destitui censebitur *l Duo sunt Titij De testam. tut.* ita ut nec ad oblatum juramentum admitti possit; tum quod circa eas particulas nihil probavit *c. fin. De iureiurando*; tum quod per detectam priorum in multis particulis & per eum confessatam falsitatem hoc beneficio indignus videatur
9 *Doct. in l. Admonendi De iureiur.* † Qui enim in modico iniquus est, in toto iniquus videri debet, *Alciat in tract. præsumpt. reg. 2. cap. 7.* sibique gratulari debet Reus quod Actor non omnia quæ prioribus rationibus comprehensa sunt in dubium revocet, & ad earum veritatem astruendam eum oneret. Secundus articulus impugnationis pluribus communis est, de solvendis viginti stuferis pro singulis fertellis siliginis; ubi Reus in rationibus longe minus ponit; in quo actor idcirco obtinere debet. Cùm enim Reus sine ulla evidenti negatione facilè admittat, & per extractum instrumenti locationis secundo loco inter instrumenta actoris exhibitum manifestè probetur ita conventum fuisse cum colonis, ut quibus annis frumentum carius venderetur 20. stuferis, solutione viginti stuferorum liberari possent, ac consequenter ut Actor per extracta ex libro publici & jurati curatoris panis (quem Arcadius Episcopum appellat, *in l. Munerum §. Ideoque verf. item Episcopi De muner. & honorib.*) evidenter probet, ijs annis, & me ipsis, quibus hujusmodi frumentorum reditus solvi debuerunt, frumenti pretium semper excessisse 20. stuferos, secundùm legem conventionis, non debuit Reus minus recipere: ideoque sibi imputare debeat, si in gerendo alieno negotio seu mandato negligenter versatus sit, *c. Dammum De reg. iuris lib. 6.* Nec facit in contrarium, si fortè aliquibus mensibus pretium fuerit minus: nam de eo non constat, nec ullâ probatione Reus id probavit. Rectè ergò petit actor, ut Reus superaddat, quanto minus in priores rationes contulit.

Tertius articulus etiam subinde repetitus est, de oneribus quibusdam per Reum expensis; de quibus non admodum laborandum est, quod partim contineatur sub primo generali articulo superiùs proposito, negationis scilicet per Actorem factæ, sic ut deficiente Rei probatione pro expensis haberi non debeant; tantoque minùs, quod eorum pleraque Actor evidente probatione docuerit per se seu alios, & minimè per Reum soluta fuisse; partim verò ejus generis sint, ut eorum solutionem sibi & suæ negligentiæ imputare debeat Reus. * Nam 10
quamvis mora administratoris domino nocere possit *Bald. in l. Si per te C. De usuris*; non ita tamen nocet, quin indemnitatem præstare debeat procurator seu administrator: quia si ob moram à se commissam aliquid præstiterit, sibi imputare debet ob culpam suam, *d. c. Dammum* & minimè à domino recuperare, *l. Qui proprio §. procurator in fine De procurat.*

Quartus articulus etiam generalis est, an Actor pati debeat defalcationem vicesimi denarij illius quod Actor ipse per se recepit, & Reus recipiendi illius laborem nullum subijt? In quo sanè non omninò expedita est responsio; facti enim quæstionem continet, & ex conventione Rei cum Actore, aut eo à quo administrationem suscepit dependet. Si enim ita convenit, ut ejus, quod receptum esset, vicesimus denarius per Reum retineretur, conventione in rem simpliciter concepta, iniquum erit, ut ejus, quod Actor recepit, vicesimum denarium Reus imputet: * ob causam enim 11
id permissum videri debet, quâ cessante facultas defalcandi seu imputandi quoque cessare debet, *c. 2. De cuslo. eucharist. l. Qui tutelam De testam. tut. Bald. in l. 1. per eum textum versic. non alter, De off. eius cui mand. est iurisdict.* Sin verò ita suscepta fuit administratio, ut respectu omnium bonorum & redituum Actoris ac receptionis eorundem, ad hanc administrationem accesserit Reus cogitatione amplioris lucri, non erit æquum, ut recepta per Actorem detractioni vicesimi denarij non subijciantur: est enim velut una promissio vicesimi denarij omnium reditnum ob causam receptionis; in quâ si Reus impeditus fuit per Actorem, nihil detrimenti accipere debet, † secundùm vulgarem juris regulam, qua pro facto impleto habetur, quod quò minùs fieret, per eum non stetit, cujus interfuit fieri aut impleri, *l. Iure civili De condit. & demonstr. l. In iure civili De*

reg. iuris. † Cum ergò ex actis, utrum hoc convenerit, satis liquidò non appareat, consultò fecerint Domini Iudices, si ex officio per interrogationes partes desuper interrogent, *l. Vbicunque* De *interrogat. action.* aut saltem quod in similibus receptoribus apud eos servari solet sequantur, *arg. l.* De *quibus*, De *legib.* sive id quod credibile magis est, partes voluisse, *l. cum in testamento De reb. dub.* Et hactenus quidem de debito principali.

Cæterùm quia Actor in singulis petitionibus subjicit petitionem interesse, videndum est, quidnam eo nomine & à quo tempore præstari debeat.

† Et paucis deberi usuras ex mora dubium non esse dicimus, moram constituentes ab eo tempore, quo unamquamque summam in rationes referre omisit, & in suos usus convertit Reus; item quo ea quæ imputare debuit ex pecunia seu reditibus Actoris, sibi retinuit; usuras autem in his regionibus solvi solitas, hoc est ad rationem decimi sexti denarij. In quo nihil hæsitandum est, ob apertissimam juris dispositionem in hoc articulo militantem, *in l. Idemque §. si procurator D. Mandati. l. Atqui natura §. penul. De negot. gest.* sic ut Actoris conclusiones, circa ejus quod interest præstationem, rectè sint conceptæ. Quod promptius hîc admittendum dicimus, propter Rei dolum, quo in edendis his rationibus & extorquenda Actoris subscriptione usus est: † alioqui enim propter justam ignorantiam dici posset iniquùm esse Reum usuras præstare ante impugnationem rationum semel editarum factam, *l. Sciendum cum 2. seqq. De usur.* in mora enim (sine qua usurarum obligatio non nascitur, *l. Mora §. in bonæ fidei De usur.*) non est, qui, an debeat, probabiliter ignoret. *Quod tc. De reb. cred. l. Non potest videri improbus* De *reg. iuris.*

Ex quibus omnibus manifestum satis esse arbitramur, quæ sint futuræ partes Dominorum Iudicum in revidendis & terminandis supradictis rationibus & controversijs.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Subscriptio.

1. 3. *Instrumenti publici vis & potestas.*
2. *Instrumentum privatum quando comparetur publico.*
4. *Subscriptio & sigillatio quando noceat.*
5. *Causa donandi, donationem restringit.*
6. *sequens actus antecedentis conditionem declarat.*
7. 10. *Donatio ob merita.*
8. 11. *Donatio ex pœnitentia non revocatur.*
9. *Iurare an cogatur qui plenè probavit.*

CONSILIVM CXVII.

SI ad solum instrumentũ donationis, quã Illustrissimus Philippus dux Arschotensis Claudio Rousel fecisse dicitur, advertatur, parum probabilitatis habere videbuntur, quæ vel pro subvertenda, vel constringenda dicta donatione ex parte dicti Illustriss. Domini proponuntur: sin verò ad ea oculos conijciamus, quæ extra tenorem instrumenti in facto proponuntur, eorundem veritate præsuppositâ fides instrumenti erit infirma. Ex primo conspectu plurimùm intentioni Illustrissimi Domini repugnat dicti instrumenti tenor: * instrumento enim in publicam formam redacto tamquam probatæ, ut ait Baldus, *in l. Imperator 1. nu. 2. D. de statu hom. Iaf. in repet. l. Admonendi num. 145. De iureiur.* probationi standum, & fides adhibenda est; sic ut vix possit quicquam allegari in contrarium, cùm habeatur pro comperta & notoria veritate, *Iaf. d. nu. 145.* faciatque rem haberi pro manifesta, *c. Cum olim De verb. signif.* ita ut qualis apparet esse contractus ex prima illius figura, quam tenor instrumenti demonstrat, talis quoque præsumatur esse in sua essentia, *Bald in c. 1. in princ. De feudo dato in vicem legis commissoriæ.*

† Quod quidem de instrumento publico per Notarium confecto accommodari potest, privatis instrumentis propriæ manus subnotatione & sigilli proprij in signum testimonij appensione munitis. Scripturæ enim privatæ contra scribentem ad probationem obligationis omninò creditur & statur, *l. Publia. §. fin. D. Depositi*; & sigilli appensio facit, ut scriptura dicatur omninò indubitata, *Bald. in l. In bonæ fidei num. 5. C. De reb. cred.* imò etiam publica, *c. 2. & ibi Innocent. De fide instrum.* quamvis solemnia instrumentorum publicorum non sint addita, *l. Cum tabernam §. idem quæsit De pig. Bald. d. nu. 5.* Cum ergò tam apertus & manifestus sit dictæ donationis tenor, vix videtur esse, unde extrinsecus illius potestas vel suspendi vel restringi possit.

Cæterum tam firma non est in suo genere hujus instrumenti fides quin non tantùm contrariæ veritatis probatione (quo remedio etiam verè publicis instrumentis, quæ omnimodam juris præsumptionem pro se habent, occurri solet, *l. Optimam C.* De *contrab. stipul. l. Cum precibus. C. De probat.*) sed etiam demonstratione imperfectionis, aut saltem fragilitatis quâ laborat, impugnari possit: ita ut magna probabilitas consistat in his, quæ adversus intentionem donatarij pro parte Illustrissimi Domini proponuntur. Principio enim quod proponitur Illustrissimum Dominum non legisse scripturam donationis, sed ei temerè subscripsisse, & sigillum appendisse, magnam vim habet ad obligationem evertendam & fidem instrumento detrahendam: † sic enim subscriptio seu sigillatio demùm præjudicare solet, si vel ex subscriptione vel aljunde constare possit, scribentem sigillantemq; totam præcedentem scripturam, cui subscripsit, relegisse, vel ei prælectam esse: eoque casu paria sunt, & æquè præjudicat, quòd quis contractum aliquem à se initum totum scribat, *l. Cum antiquitas in fine & ibi Alex. & Castr. C. De testam. l. Rideinusor 26. §. De pig.* vel quòd abalio scripto contractui ipse subscribat tantùm, *l. emptor §. Lucius & ibi Iason. De pact. l. si ego §. dotis De iure dotium.* At qui subscribit instrumento non relecto, vel chartæ vacuæ, in qua aliud, quàm voluit, postea invenitur ipscriptum, nullâ ratione sibi præjudicat, *Bart. ad l. 1. in fine D. Quemad testam. aper. Imola. Felin. & alij in c. 2. De fide instrum.* Quod notant Doctores, *Imola in l. Si ita stipulatus §. Chrysogonus nu. 1. & ibi Alex.*

Alex. nu. 3. De verbor. obligat. quoad subscriptiones, quas Domini seu Principes levi momento faciunt; potissimùm si subscripta scriptura grave præjudicium domini subscribentis contineat, ut contingit in proposito. Cùm itaque non constet Illustrissimum Dominum relegisse, aut ei prælecta esse contenta dicti instrumenti, non est quòd ex simplici subscriptione & sigillatione ejusdem pleni præjudicij materia vel occasio constituatur: præsertim quòd tam multa ex propositis in facto concurrant, quæ præsumptionem illam quasi Illustrissimus Dominus contenta subscriptæ scripturę scierit, repellunt, *Bart. in d. l. 1. si quis neget Quemad. testam. aper. Alexan. consil.* 147. *Ponderatis nu.* 8. *&* 10. *vol.* 2. Cùm alioqui ex solius nominis & cognitionis subscriptione, nullâ mentione seu repetitione suprascriptorum facta, plerique, *Imola in d.* §. *Chrysigonus*, existiment, approbationis confirmationisque plenum effectum non contineri in subscriptione, nisi probetur subscribentem instrumentum seu scripturam, cui subscripsit, diu apud se retinuisse, aut alioqui constet, subscribentem in ea conditione diligentiæ esse, quod nisi relectis & expensis scripturis subscribere non soleat: ita ut ijs cessantibus ignorantia potius, quàm scientia præsumatur, *l. Verius De probat. c. Præsumitur De R. I. lib.* 6. Et quamvis Illustrissimo Domino objici possit quod potuerit relegere scripturam, ideoque relegisse præsumatur, *Ias. in d.* §. *Chrysigonus num.* 14. ex comparatione tamen personarum & materia facilis est inclinatio præsumptionis in contrarium: ob id scilicet, quod prædictus Claudius Secretarius Illustrissimi Domini eam subsignandam subscribendamque pro suo privato emolumento obtruserit, cui Illustrissimus Dominus ex officij, quo apud eum fungebatur, conditione, sine relectione credere potuit; eo scilicet instrumento contineri, quod ipsi minimum præjudicaret; sic quod privati commodi causâ fallendi proclivis fuerit occasio, quæ meritò transferat onus probationis in donatarium.

5 Quam contrariæ præsumptionis occasionem valde adjuvat hæc consideratio, quod in procinctu facta dicatur donatio: inde enim præsentis ac puræ donationis nulla videtur fuisse causa, sed tantùm in casum mortis, *l.* 3. *&* 4. D. *De mor. causa donat.* ut sic ex causa donandi, donationis effectus restringatur, non quidem ad hoc, ut qua forma concepta invenitur in prædicto instrumento, dicatur donatio mortis causa; requiritur enim ut expresse inseratur, quod fiat mortis causâ, etiamsi vel in mortis articulo, vel periculo seu metu mortis fiat, *l. Seia* §. *vlt. De mort. causa donation.* sed ad hoc, ut verosimile faciamus, quod diximus, nullam esse præsumptionem ita dictum esse ab Illustrissimo Domino, ut instrumentum sonat: sed magis esse, quod se minimum gravare voluerit. Eamque verosimilitudinem rursus auget, quòd socius donationis, hoc est Magister officij, cui eodem tempore similius donatio facta est, ingenuè fateatur, sub restrictione & minimè simpliciter factam fuisse donationem, licet instrumentum de simplici puraque donatione loquatur. Confirmat quoque eandem velut tacita confessione donatarius, qui tam laxis finibus, donatione hac usus non est; hoc est qui secundùm instrumentum prædictum annuum reditum donatum exigere distulerit tamdiu, donec incidente occasione dissensionis cum Illustrissimo Domino malè convenire cæpit:

† sequens etenim actus & temporis lapsus, 6 antecedentis actus contracti negotij conditionem & qualitatem optimè demonstrant & explicant, *l. Quires* §. *Rem autem De solut. Bald. in l. Qui non militavat* §. 1. *per illum text. De haered. instit.* † Accedit 7 quod in facto proponitur nullam esse justam comparationem meritorum & donationis, ut non tam videatur donator se gravare voluisse in vita, quam in casum mortis liberalitatem & munificentiam exercere; qui suæ donationis nullam aliam causam prætexuit, quàm merita; ut non possit dici contemplatione personæ tantùm factam esse hanc donationem, sed magis intuitu officij, *And. Tiraquell. in l. si umquam in V. donatione largitus nu.* 54. C. *De revoc. donat.* Ita ut excessus rei donatæ supra merita, velut causa proposita destitutus, remuneratoriæ donationis causam non habeat, sed alterius; quæ quidem etsi in dubio sit simplicis & puræ donationis, præsertim in Principe ac alio quocumque nobili & divite, *Tiraq. in d. V. donatione largitus nu.* 14. *Lud. Roman. sigul.* 650. *Nobilitas, Marian. socin Nepos cons.* 79. *Viso puncto nu.* 77. *vol.* 3. hic tamen ex alijs circumstantijs alium scopum, finem, & effectum habet, & donatarij, qui hujusmodi scripturam signandam obtrusit calliditatem & circumventionem arguit. Omniù autem potentissimè alterius generis donationem, seu propositæ donationis aliam conditionę quàm scriptura continet, arguit illud quod proponitur, donatarium ante subortam dissentionę aliquoties declarasse se nihil petere, & paratũ esse donationis instrumentũ reddere: hujusmodi enim confessio si non plenum effectum habet pacti de non petendo; continet tamen evidens argumentũ imperfectę seu saltẽ revocabilis donationis, ut voluntatis declaratio à potestate obligationis causam trahat: * puræ enim & 8 simplicis donationis nulla est expœnitentia revocatio, *l. Possessionẽ C. De revoc. donat.* ut est in donatione quæ mortis causa fit, *l. si alienam.* §. *Marcellus De mort. causa donat.* Ita ut omnibus personis satis videatur aliter scriptum, quàm dictum conventumque fuisse, *l. final. C. Plus valere quod agitur*; certoque constare Illustrissimum Dominum non relectæ scripturæ subscripsisse, sequendo suggestionem (ut fieri solet in tam magnis Principibus) & obtationem ipsius Sacretarij.

Quâ consideratione nihil dubitandum videtur quoad secundam quæstionem; quin scilicet Secretarius, ti id requirat Illustrissimus Dominus, teneatur subire juramentum, aut saltem referre, quòd nulla conditio aut restrictio donationis fuerit adjecta, quæ in instrumento omissa invenitur † Nam licet jurare non cogatur qui plenè 9 probavit, *Doct. in l. Manifestæ De iureiuran. Canonistæ in c. fin. De iureiur.* ubi tamen allegatione & probatione adversarij probatio Actoris elevatur, aut aliquo modo suspecta redditur, etiamsi id fiat probatione contrariâ, minusque semiplenâ, sine notâ turpitudinis delatum juramentum, re cusari non potest, nisi referatur, *Ias. in d. l. Manifestæ nu.* 3. *Panor. in d. c. fin. De iureiur.*

Cùm ergo multa concurrant quæ pro illustrissimo Domino proposita, in suspicionem revocant contenta dictæ scripturæ, & præterea non sine præsumptione ignorantiæ; & facilitatis sit subsignatio Illustrissimi Domini, arbitramur eo deductum esse donatarium, ut si id ab eo postuletur, debeat jurare aut referre.

Ad postremam quæstionem, semotis his quæ prius diximus, non videtur juri consentaneum, ut propter excessum meritorum donatio nulla dicatur, vel rescindenda sit usque ad concursum meritorum. nam ut diximus, quatenus excessus est, pura & simplex in suo genere donatio est; quæ licet non tam sit firma, ut quatenus verè remuneratoria est, quia scilicet ob ingratitudinem aut natos liberos posset revocari, *c. Si pater. §. ult. & ibi gloss. in V. irrevocabil. lib. De donat. Tiraq. d. loco nu. 13. & jeqq.*

II * tamen ex capite pœnitentiæ non posset revocari, præsertim quæ à Principe facta est, nec inutilem excessiva dici potest, *d. l. possessionem, Tiraq. d. nu. 84. Lud. Rom. singul. 520. Donatio revocatur.* Simili que ratione dicimus, ob collatum postea officium non esse potestatem extinguendæ hujus donationis, nisi ea lege & conditione probetur facta collatio officij, ut cessaret donatio redditus: augeri enim beneficia benefactis possunt, *c. 1. De donationib.* nec pro lubito revocari aut diminui, *c. Decet concessum De R. I. lib. 6.* ne quæ pro augmento adjiciuntur, diminutionem operentur, *l. Legata inutiliter De adim. legat.*

De fide instrum.

SVMMARIVM.

Syngrapha.

1. *Obligatio indiscreta quæ sit.*
2. *Exceptio non numeratæ pecuniæ quando proponenda.*
3. *Simulatio non præsumitur.*
4. *Mutuum contrahit interdum etiam qui pecuniam non accipit.*
5. *Alius pro alio obligari potest.*
6. *Simulationis exceptio quando objici possit.*
7. l. Si sub specie. C. De postulando *intellectus.*

CONSILIVM CXVIII.

CLARA & manifesta est cautio seu syngrapha, ex qua N. Franciscus Renier junior, contra Clementiam Roelants viduam Arti de Proest tamquam ejusdem Arti mobiliarem hæredem agit, & cessione matris suæ Mariæ vander Goeten similiter hæredis mobilioris quondam Francisci Renier patris dicti

1 Actoris. * Indiscreta namque non est, *l. Cum de indebito §. fin. De probat. c. Si cautio De fide instrum.* quia continet causam debendi, ex mutuo scilicet, & recognita est per Ream dicti Arti manus seu scriptura: sic quòd de intentione Actoris nihil sit amplius quærendum, sed de viribus objectarum exceptionum.

In effectu autem objcit Rea Actori, primò exceptionem non numeratæ pecuniæ, secundò simulationis, *l. Si cum pater C. Ad SC. Velleian.* Sed priorem exceptionem removet temporis ratio; †

2 nam non numeratæ pecuniæ exceptio intra biennium proponenda est, *l. In contractibus C. De non num. pecunia*; quo elapso, nullâ querimonia per debitorem proposita, omnimodò ad solutionem compellendus est debitor, *l. Si intra in fine C. d. tit.* Et quamvis adversus clara & aperta legis verba plerique velint, *Iason in l. Cum quis C. De iur. & facti ignoran. Dyn. in c. Locupletari De R. I. lib. 6.* huic objectioni locum esse etiam post biennium lapsum, translato tamen onere probandi pecuniam numeratam non esse in debitorem, cùm ante biennij lapsum creditor probare debeat numeratam esse; quia tamen pars rea sufficienter hujusmodi negativam, non esse numeratam, non probavit, nihil curanda est illa quorumdam sententia; quæ alioquì frequentiore etiam numero Doctorum improbatur, *Iason in d. l. Cum quis*; præsertim quando opponitur adversus tertium, veluti creditoris hæredem aut illius cessionarium, *Angel. consil. 156. Domina Angelina*; de cujus tamen improbationis veritate nihil hic decidimus.

Quod ad exceptionem simulationis attinet, de- 3
stituitur quoque illius probatione Rea; cùm generaliter verum sit simulationem non præsumi, *Doct. in l. 2. & 4. C. Plus val. quod agitur.* Nam quamvis probandi dilationes ad hoc collegerit Rea, nullas tamen probationes produxit, præter nudum testimonium seu nudam declarationem solius Arti de Proest junioris sine juramento extrajudicialiter, & sic nulliter factam, *l. Iurisiurandi C. De testib. l. 3. §. idem Divus eod. tit.* quæ nec legitimè facta prodesset, quia filius pro parente testis esse non potest, *l. Parentes. C. De testib.* cùm alioquin ea declaratio nihil contineat, quod ad hujusmodi simulationem probandam sufficiat. Vt nec sufficit similis declaratio Ioannis de Haen per scripturam facta, tum quod hac lite pendente facta sit, atque ita fabricata in perniciem Actoris; cùm nemo confitendo tertio præjudicare possit, aut ejus conditionem facere deteriorem, *l. Non debet De reg. iuris*; tum quòd nihil vetet ex mutuo etiam obligari cum qui pecuniam realiter non accepit.

Nam quemadmodum mutuum contrahitur 4
alio pecuniam pro futuro creditore numerante, sive is præsens sit sive absens, sive mandatum præcedat sive non, *l. Certi §. si nummos, l. Singularia De reb. cred. l. Si absentis C. Si cert. petatur:* ita quoque ratio postulat, ut efficaciter obligetur, qui pecuniam pro alio pecuniam mutuam accipienti, sese per cautionem seu syngraphem obligat creditori, *l. Si non singuli C. d. tit.* non per nudam subscriptionem, sed promissionem cautioni seu syngraphæ expresè insertam, *l. mutuæ C. d. tit.* qualem continet cautio per Actorem exhibita. Sic quod (nisi majore & certiore ratione Actor tutus esset, adversus hanc simulationis exceptionem, uti mox dicemus) præsumendum esset pecuniam acceptam fuisse à Ioanne de Haen mandato & voluntate Arti; atque ita brevi manu per fictionem juris numeratam fuisse primùm Arto, & eam mox ab illo perveniisse ad Ioannem, qui in dicta declaratione uxori Arti indemnitatem promittit, cujus nulla esset occasio vel necessitas, si per omnia simulatio esset; nam totalis simulatio utrumque liberaret: eáque ratione diluitur quod Rea ex libri rationum Francisci Actoris patris profert.

Sic ut

Sic ut hîc non sit disputandum de simulatione, cùm lex patiatur, ut alius pro alio sese obliget ac debitorem constituat ex quocumque contractu, *l. Si ex pretio C. Si cert. petat. d. l. Singularia*, non tantùm per intercessiot em, sed etiam per principalis o bligationis assumptionem, *tit. D De novat. & De constit. pecuniar.* Atque ita ad ista hîc respi-
6 ciendum non est: * nam exceptio simulationis post lapsum biennij objici non potest tunc, cùm agitur ad mutuum ex chirographo seu scriptura, quia, ut Baldus inquit & pro singulari notat, *in d. l. Si non singuli*, quamvis simulationis exceptio perpetuà sit, & simulata numquam convalescant; *l. emptione C. plus val. quod agit.* cum tamen ex juris constitutione simulatio perpetuam causam non habet. perpetuò objici non potest, sed tantùm intra terminum à lege præstitutum: unde quemadmodum exceptio non numeratæ pecuniæ post biennium cessat; ita quoque simulationis exceptio, quæ hic cum exceptione non numeratæ pecuniæ concurrit, & eadem reputatur, *Bart. Bald. & alij in l. Si sub specie C. De postulando*, etiam (ut inquit Baldus, *in d. l. Si non singuli in fine, & in d. l. Si sub specie*) si debitor vellet probare pecuniam sibi aut rei pro quo se obligauit, numeratam non esse, sic quod in hoc articulo omne jus excipiendi & contradicendi concludatur biennio. Quinimò præsuppositò quòd nulla pecunia numerata sit, neque uni neque alteri (quod Actor non credit propter aperta verba cautionis) & quòd causa promittendi sit talis, qualem Ioannes de Haen in prætensa sua declaratione proponit; nihilo magis recipienda erit Reæ exceptio, quia tempus excipiendi lapsum est. † Vt & in simili, ubi clientu-
7 lus suo patrono seu advocato sub specie honorarij seu salarij dat chirographum mutuæ pecuniæ, non permittitur clientulo post biennium á data chirographi objicere exceptionem non numeratæ pecuniæ aut simulationis, ut expresso jure cautum est, *in d. l. Si sub specie & ibi Bald.* Illud sanè prætermittendum non est, declarationem dicti Ioannis de Haen non convenire cum allegatione Reæ: nam Rea allegat promissionem factam fuisse pro Ioanne de Haen ex causa patrocinij; at Ioannes de Haen declarat id contigisse ex causa promotionis, & quod Ioannes tantùm promereretur seu lucraretur apud quondam Franciscum Renier: ita ut in hac contrarietate seu diversitate hujusmodi allegationibus Reæ nihil tribuendum sit. Vnde existimo partes Domini judicis esse, ut partem ream Actori condemnet: cui parti reæ minus dura futura est hæc condemnatio propter promissionem indemnitatis per Ioannem de Haen ei factam.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Syngrapha an provisionalem solutionem mereatur.

1. *Syngraphæ, quæ mercatoribus vel ab ijs dantur, an exceptio non numeratæ pecuniæ opponi possit.*
2. *Pellionis officium quod sit.*
3. *Mercator quis sit.*
4. *Coquus Imperatoris an dignitatem habeat.*
5. *Instrumentum non semper ad eum pertinet, de quo loquitur.*
6. *Exceptio non numeratæ pecuniæ an locum habeat, quando ex aliquæ obligatione præcedente syngrapha scripta.*
7. *Confitens partem mutui non prohibetur de residua uti exceptione non numeratæ pecuniæ.*
8. *Anatocismus iure prohibetur.*
9. *Constitutio Caroli Quinti adversus usurarios.*
10. *Præfatione comprehensa, etiam stipulatione contineri censentur.*
11. *Debitoris principalis novatione liberatur fideiussor.*
12. *Executioni paratæ instrumenti rectè objiciuntur exceptiones doli, simulationis, non numeratæ pecuniæ, novationis.*

CONSILIVM CXIX.

AD evitandam condemnationem, fiduciariaque seu promptæ solutionis ac nantizationis necessitatem, abundè sufficiunt causę & rationes, quę pro parte nobilis viri Godefridi de Bocholt, Domini in Wachtendonck, Grevenbroeck &c. Rei congestæ sunt in scriptura responsionis ad summariam petitionem pro parte Conrardi Vitz Actoris, coram Magnifico D. Rectore Vniversitatis Lovaniensis propositam.

In primis etenim quamvis dubitandum sit, 1
num exceptio non numeratæ pecuniæ objici possit cautionibus ac syngraphis, quæ mercatoribus dantur, vel ab ijs accipiuntur; plerisque putantibus perinde illis, imò magis objici posse, *Ben. Stracha in tract. De mercatur. tit. quomodo in caus. merc. proceden. in §. De exceptionibus*, alijs quod propter faciliorem commerciorum expeditionem mercatoribus plenior fides adhibenda exhibendaque sit, *Iason. in l. Qui pecuniam nu. 6. De reb. cred. si cer. petat. Petrus Dueñas in tract. regularum reg. 257. incip. Exceptio non num. pec.* quorum domus, ut ait Angelus, *cons. 370. Creditor volens*, debet esse veritatis & æquitatis, tantumque apud eos faciat simplex dictorum factorumque assertio, quantum apud alios legum solemnibus adstrictæ obligationes & actiones: indubitatè tamen videtur locum obtinere in proposito casu, ob id, quòd ante lapsum biennij objecta sit adversus cautionem, mutuæque pecuniæ acceptæ confessionem factam, non ex causa alicujus negotiationis, sed simplicis mutui, non mercatori, neque à mercatore, sed pellioni ab adolescente nobili accipiendæ pecuniæ mutuæ av dissimo; ita ut pleraque omnia, quæ huic exceptioni locum facere soleant, *l. 1. l. Si ex cautione, l. Adversus C. De non num pec.* concurrant, & nihil occurrat, quod exceptionem removeat. Quod autem non mercator, sed artifex & mechanicus censendus sit prafatus Conrardus, satis deprehenditur ex ficta & simulatæ cessionis instrumento, quod in hac causa exhibuit, in quo appellatur pellio; & quidem non definitè & simpliciter, sed pellio Ducis Sabaudiæ. * Pellionis 2
autem officium & exercitium in eo consistit, ut nudas pelles & vellera comparet, aut in aliam formam mutet, & inde operandi victumque lucrandi materiam ac occasionem habeat, *Pet. Rebuf. ad constit. Regias, tit. de mercat minut. vend. a. 1. gl. 1. n. 22.*

3 † cùm mercatoris officium sine rerum emptarum transformatione, & sine artificio seu alicujus operationis exercitio, emptione & venditione specierum seu rerum diversi generis constet, *Rebuff. d. art. 1. glos. 1. in princ.* Tantoque minus mercatoribus annumerandus est dictus Conrardus, quòd Ducis Sabaudiæ pellio dicatur: nam quanto angustius exercitium omne mechanicum patet, tanto longius à mercatore recedit; neque emptoris dignitas venditoris aut mercatoris conditionem
4 ampliat, vel exercitium latius patere facit; † nisi fortè dicamus quod de coquo Imperatoris dicit Baldus, *in c. 1. §. quis dicatur Dux, Comes vel Marchio*, in dignitate eum esse, qui Principi artificia exhibet. Neque usum hujus exceptionis avertit illa allegatio, quòd confessio mutui sit facta non dicto Conrardo pellioni, sed Francisco vanden Dyck mercatori: quia præterquam quòd non constet, hunc Franciscum mercatorem esse; manifestum est, nomen dicti Francisci simulatè insertum esse instrumento dictæ confessionis, nullumque negotium cum eo gestum aut contractum fuisse: prout etiam nulla pecunia ab ipso numerata fuit, sed omnia acta & gesta fuerunt cum Conrardo, qui partem pecuniæ, extortâ majoris summæ confessione, numeravit; quique quatriduo post factam confessionem simulatâ cessione hanc cautionem seu obligationem in se transferri procuravit, ut ex prædicto instrumento constat.

5 Quamvis enim in dubio substantia gesti negotij illi personæ attribuatur, quæ in instrumento seu cautione exprimitur, *l. Ad probationem C. De probat.* detectâ tamen simulatione aut interpositione alterius personæ, præcipuè ex cujus conditione conditio quoque obligationis aut rei gestæ mutaretur, ex persona simulantis & interponentis totum negotium accipiendum est, *l. Si per impressionem C. De his quæ vi metusve caus. l. Multum interest cum alys C. Si quis alteri vel sibi &c. d. l. Ad probationem, l. 4. §. si ab ignoto De manum. ff. l. Cum precibus. C. De probat.* cum alioquin etiam ex subsequente chirographi possessione satis declaretur cujus negotium fuerit, *l. Lecta. De reb. cred.* Est itaque verum, ex conditione personæ in proposito casu non excludi usum exceptionis non numeratæ pecuniæ; eamque tribuendam esse non tantùm D. de Brederode debitori principali, verùm etiam dicto D. Godefrido ejus fidejussori seu mandatori, *l. Tam mandatori C. De non num. pec. l. Ex persona De fideiuss.* Sed nec inde excludetur, quòd Reus satis confiteatur partem pecuniæ numeratam, & antiquum debitum D. de Brederode, quo partim ex mutuo, partim ex usuris ejusdem mutui eidem Conrardo obligabatur, conversum esse in hanc novam mutuæ acceptæ pecuniæ confessionem: nam verissimum semper manet tunc, cùm hæc confessio fiebat, nullam fuisse numeratam pecuniam; quæ tamen velut tunc mutuo data & numerata, promittitur; quod ut exceptioni locus sit sufficit. * Et quamvis cùm ex
6 præcedente debito in chirographum quantitas redigitur, & velut debita recognoscitur, non sit requirendum, an tunc cum cautio exponitur numerata sit, & sic exceptioni non numeratæ pecuniæ locus non sit, *l. Adversus in fine C. De non num. pec. Lud. Rom. singul. 642. Scis quod*: non obtinet tamen id, nisi hoc quoque, hoc est antiquum debitum in novam obligationem converti, expressè in instrumento seu chirographo declaretur, aut objecta exceptione non numeratæ pecuniæ, factâ replicatione præcedentis causæ jam controversæ in mutuum, Actor eam conversionem probet, *Castrens. in d. l. Adversus sub fin.* Quod amplius si hic de tali conversione, vel ex confessione Rei, vel probatione Conrardi constaret; nihilo magis justior & efficacior esset Actoris obligatio & actio: nam duo millia, quæ Reus sibi numerata iri speraverat, apertè negat numerata; ita ut si respectu aliorum duorum millium, quæ D. de Brederode contingunt, vel propter veram plenamque numerationem (de qua tamen non constat) vel propter conversionem antiqui debiti in novam mutui causam, non posset opponi exceptio; opponitur tamen validè quoad alia duo millia, quæ numerata negantur, & quorum numerationis spe fidejussio promissioque interposita dicitur; nam veritas in parte non arguit nec necessariò infert veritatem in toto; non enim æquum est quemquam ultra hoc quod acceperit obligari, *l. Minorem l. Cum ultra C. De non num. pec.* † Unde rectè 7
damnatur illorum opinio, *Gloss. Castrens. & alij in d. l. Minorem*, qui debitorem ex literarum obligatione, seu confessione mutui, partem acceptæ pecuniæ confitentem * teneri volunt ad non numeratæ partis probationem; quasi partis confessio, ut partis solutio, *l. Cum fidem C. De non nu. pec.* totius obligationem & numerationem præsupponat; meritòque constituitur præsumi numeratam non esse eam partem, quæ negatur, eo ipso, quòd creditor contrarium non probat.

Quo constituto etiamsi exceptio non numeratæ pecuniæ effectum suum tantùm operaretur quoad duo millia, quæ Reo erant numeranda, non destituitur tamen Reus justâ exceptione etiam quoad alia: † nam quatenus per anatocis- 8
mum seu renovationem & per usurarum decursarum sortis augmentum ad duo usque millia aucta est D. de Berederode obligatio, & secundum illud modus usurarum quoque auctus, nulla est obligatio, propter legis prohibitionem, quæ hujusmodi renovationem fœnoris prohibet *l. fin. C. De usufructu*, etiam sub pœna infamiæ, *l. Improbum fœnus C. Ex quib. caus. infamia irrog.* † Et quoad 9
pecuniam verè numeratam Domino de Brederode, usurasque cessas, obstat constitutio Cæsareæ Majestatis, *lata anno* 1540. 4. *Octobr.* quâ sub pœna nullitatis totius contractus, & confiscationis pecuniæ numeratæ, atque etiam correctionis interdictum est omnibus, qui mercatores non sunt, pecuniam mutuo dare ad usuras seu lucrum. Ita ut nullua est obligatio ex parte Rei principalis, ad quem tamen pecunia aliqua pervenit, multo magis nulla sit accedens fideiussoris promissio, qui nihil accepit, *l. stipulatus §. fin. l. postquam l. Fideiussor De fideiuss.* sic ut exceptione doli, imò intentionis & facti tutus sit præfatus Reus. Quod tantò securius hîc constituitur, quod pro parte Rei proponatur sub conditione factam esse fideiussionem, si scilicet ei numerarentur duo millia, quæ etsi expressim instrumento fideiussionis inserta non sit, quia tamen in antecedente & præambulo tractatu

statu id verè actum dicitur, perinde haberi debet ac si nominatim in promissione & instrumento
10 repetita esset: * quæ enim in præfationibus dicuntur etiam in stipulationibus repetita creduntur, *l. Titia §. idem respondit De verb. obligat.* Ita ut Reus non multum indigeat exceptione non numeratæ pecuniæ, sed per omnia satis tutus sit ipso jure; quasi scilicet non purificatâ conditione sub qua interposita est fidejussio, nulla nata sit obligatio, *l. Si ita scriptum §. 1. De leg. 2.* perinde enim est ac si actus conditionalis non esse factus *l. Si quis fundum in fine De contrab. empt.* Aut si conditio dici non potest, sed causa, ob quam futuram facta sit titulo fideiussionis promissio, æque securus erit Reus exceptione doli ob causam, hoc est numerationem duorum millium, non secutam, *l. 2. §. circa in fin De doli mali & met. except.* non modò respectu duorum millium, quorum numerationem sperabat, sed totius summæ quatuor millium; quia causa, ob quam facta est promissio, respicit totam obligationem. Quod novatione obligationis novoq; contractu prefati Conrardi cum Domino de Brederode proponitur, si id probatum esset indubitatam securitatem Reo fidejussori tribueret:
11 * quia novatione cum debitore factâ in momento novationis liberatur fidejussor, si in sequentem fidejussionis causam quoque non fidejusserit, *l. Novationem C. De fideiuss. l. Palus. D. De novat.* prout Reus non amplius quam semel fidejussisse reperitur.

Atque ita cùm per prædicta jus Actoris obscuretur; minimèque liquidum relinquatur, non est audiendus Actor ante plenam causæ cognitionem, in limine judicij contendens ad petitæ pecuniæ
12 promptam & provisionalem nantizationem † cùm etiam liquidissimis instrumentis ad paratam executionem impediendam, rectè objiciatur exceptio simulationis, doli non numeratæ pecuniæ, & novationis, *Petr. Rebuff. ad constit. regias tit. De literis obligat. art. 1. gloss. 9. vol 1.* quæ omnia, ut diximus, hic concurrunt.

De fide Instrumentorum.

SVMMARIVM.

Syngraphæ probatio.

1. *Filius non obligat patrem.*
2. *Testimonium per verbum*, puto, videtur, credit *non probat.*
3. *Scriptura quomodo probetur.*
4. *Subsignatio quando effectum subscriptionis habeat.*
5. *Signus vel notis scribentium non est.*
6. *Signum quomodo probetur.*
7. *Haereticus non est testis idoneus contra Catholicum.*
8. *Turpitudo semel contracta pœnitentiâ non aboletur.*

CONSILIVM CXX.

DE mutuo, ad quod in hac causa agit Dominus Lambertus Honinx Actor, adversus Dionysium Gielkens Reum, & Mariam Bolgry ejus uxorem, nullam dictus Actor profert probationem, quæ sufficiat: nam de ipsa numeratione seu actu numerationis nullum profert authenticum instrumentum, nec testes aliqui super eo producti sunt. Prolata tantùm est per Actorem scriptura quædam, quæ in aspectu continere videtur recognitionem acceptæ mutuo hujus, quæ petitur, pecuniæ; at eam scripturam pars Rea non agnoscit, sed apertè negat; negata etiam ipsa numeratione, cum oblatione juramenti numquam eam numeratam fuisse. Cujus negandi facilis est occasio, cùm Actor ipse nusquam proponat illam syngraphan scriptam esse manu Dionysij, sed positivè allegando fateatur scriptam esse manu Ioannis filij ejusdem Dionysij, quod ipsum, manu scilicet Ioannis filij esse scriptam, perinde per Reum negatum est, & probatum Reo nihil obesset: † neque enim 1
filius potest patrem suum obligare, nec pater ex contractu aut facto filij conveniri potest, *l. 1. c. Ne filius pro patre*, Quemadmodum etiam non est probata subscriptio, quæ in fine exhibitæ scripturæ conspicitur, & manu dictæ Mariæ scripta asseritur: nam nec hæc subscriptio per Reum agnita, neque per Actorem probata est. Equidem primus testis apertè dicit se hujusmodi subscriptionem non nosse: tertius idemque ultimus super agnitione hujusmodi subscriptionis non est interrogatus.

† Et quamvis secundus dicat, quòd putet illam 2
esse scriptam manu uxoris Rei, hoc tamen addit, se certitudinaliter hoc non posse dicere, ex eo, quod viginti anni elapsi sint, quod illam scribere vidit: sic quod huic testi obstet tum imperfectio & defectus ex singularitate, quæ fidem testimonij semper impedit, *l. Maritus, De quæstion.* tum incertudo quæ inducitur per verbum *putat, videtur*, imo etiam per verbum *credit*; præsertim non additâ probabili & concludente ratione, cur testis ita putet, aut credat, *l. Testium C. De testib. Felin. in cap. Quoties nu. 7. & seq. De testib.* Sed & si dixisset hic testis se non putare, sed scire esse manum dictæ Mariæ, nihil noceret id Reo; * quia ut manus 3
seu scriptura alterius probetur, non sufficit quod testes id simpliciter dicant, sed necesse est, quòd testes deponant se præsentes fuisse cum prolata scriptura scriberetur, & quod eum qui scripsisse dicitur, viderint illam scribentem, § *si quis igitur in Authent. De instrum. cautela & fide*, Bart. in l. *Scripturas. C. Qui potior. in pig. Alex. cons. 10. Viso processu nu. 6. vol. 4. Mar. Socin. Nepos consil. 57. Pro resolutione nu. 19. vol. 2.* Ita, ut non sufficiat, quod testes qui non fuerunt præsentes in actu scribendi deponant, quod alias viderint illum scribere, & quod bonam notitiam de ejus manu seu scriptura habeant, *Alex. cons. 181. In causa & lite vol. 2.* quia similitudine rerum & præsertim scripturæ facillimè decipimur, *Alex. cons. 76. Ponderatis his vol. 3.* Vsque adeo ut nec hoc adiuvet, nec opinionem deceptionis in rerum similitudine avertat, quod testes deponant se similes scripturas seu subscriptiones à scriptore habere: cùm per hujusmodi verba non induceretur literarum, quæ à jure requiritur, solemnis comparatio; quæ multa requirit, *l. Comparationes C. De fide instr. Socin. Nepos d. consil. 57. nu. 21.* quorum nullum hic conspicitur: nam nulla alia prolata est syngrapha, quæ manu vel dicti Dionysij vel Mariæ eius uxoris scripta probetur, & duæ illæ quitantiæ quas Actor ab Alede Peters adeptus in hac causa ad finem comparationis faciendæ, ut videtur, exhibuit, nusquam in actis ex parte Rei sunt recognitæ neque quoad principalem scripturam, neque earundem

subscriptionem; imò ex parte Rei ad illas nusquam responsum existit: licet enim Actor id his petierit, in ea tamen petitione non perstitit, sed per subsequens decretum de lite contestanda ab ea petitione se deturbari passus est, nullâ amplius petitione responsionis hujusmodi postea factâ. Proinde cùm ad probationem tantùm fuerint admissa ea quæ Reus negavit, reijciendum prorsus est testimonium dictæ Aleydis, quæ sola super hujusmodi duabus quitantijs producta & examinata est; non tantùm quia sola & singularis est, (quod tamen solum ad ejus testimonium subvertendum sufficit, *d. l. Maritus l. Iurisiurandi* C. *De testib.*) sed quia super eo producta est, quod ad probandum admissum non est. Deinde non hoc deponit, hujusmodi quitantias vel scriptas vel subscriptas aut subsignatas esse per Dionysium Gielkens, sed sibi à Dionysio traditas esse: ita quod exhibitæ syngraphæ, unde actor agit, comparatio non possit fieri ad dictas duas quitantias: quia hujusmodi duarum quitantiarum indubitata non est fides, quæ requiritur ut comparatio instrumentorum, & ex comparatione probatio fieri possit, *d. l. Comparationes.* Certum igitur, imò indubitatum est, nullam extare probationem scripturæ aut subscriptionis.

4 Restat itaque expendendum, an subsignationis, quæ Rei esse dicitur, extet probatio: subsignatio enim subscriptionis vim habet, *l. subsignatum De verb. signif.* Signum aliquod inter assertam principalem dispositivam scripturam, & subscriptionem quæ asseritur Mariæ Bolgrij esse ✠ conspicitur, quo probato existimat Actor se bono loco esse. Negavit Reus non tantùm se illud adscripsisse, seu appinxisse; sed hoc quoque quòd sit suum signum; super quo solo, quòd prædictum signum sit ipsius Rei, quodque eo uti soleat in suis mercantijs Actor testes produxit, & minimè super veritate, hoc est numeratione allegati mutui, in quo tamen consistit punctus causæ. Produxit namque Actor duos testes quorum prior dicit, quòd signum Rei bene noscit, illudque quod exhibitæ syngraphæ subscriptum conspicitur esse proprium signum Dionysij, quo ipse utitur, & ejus parentes simili signo uti consueverunt in mercatura pannorum, quam Reus exercere olim solet, & quod viderit Dionysium super suis pannis hujusmodi signum apponere; alter dicit se cognoscere hujusmodi signum, illudque esse signum Dionysij quo ipse utitur & uti consuevit, & quod viderit Reum hujusmodi signum apponere ad pannos suos quos vēdere cōsuevit, & similiter tali signo notari boves ac pecora quæ emere & vendere solet: sed nulla fides probationis hujusmodi testimonijs hic attribuēda: imprimis ex eo, quod neuter testiū dicat quod Reus hujusmodi signū propria suâ manu scripserit, sed tantum esse signum Rei, quo ille uti solet, comparativè scil. & similitudinarie, quod sit simile signo quod Reus scribere seu appingere solet; quod pari facilitate alius quivis, ut is, cujus ex usu est signum ascribere potest *arg. l. 1* C. *Nemi. luc sig. falvato. l. 1. & 2.* C. *Vt nemini liceat sine aud. auth.* Quid enim facilius quàm ductu calami imitari ✠ simplex signum, quod nullis ductibus in semetipsis artificiosè implicatis constat, & puero imitatu difficile non esset; & quo Actor homo catus ac cautus contentus esse non debebat; cùm notarum & signorum compendia fragilia fallaciaque sint. * 5 Ideoque etiam testamentum notis seu signis scriptum pro nullo reputetur, *l. Sed cum patrono §. fin. De bonor. poss.* & pœnali constitutione, *in proœmio D. §. illud autem l. 2. §. penult.* C. *De vet. iure enuclean.* vetitum sit leges seu opus Instinianeum signis vel notis scribi: sunt enim notarum & signorum compendia falso fabricando maximè idonea, & accommodatissima *d. §. penul.* Quod falsum an hîc sit, relinquitur Domino Iudici cogitandum; cui non potest non esse suspectum quod cum Actor videatur asserere scripturam syngraphæ manu filij Rei scriptam, post negationem Rei ne semel quidem tentaverit hoc probare. † Secundò, 6 quod idem in signo observandum sit, quod in solida scriptura, hoc est, quod oporteat testes deponere, quòd præsentes viderint Reum hoc signum scribere, seu appingere: alioqui enim ut nec scriptura (in qua, & cujus longiore productione falsi ac imitationis occasio tam expedita & proclivis non est) ita & multo minus signum alicujus aliter quàm per testes probari non potest, *Alexan. d. cons.* 80. 181. & 76. *Soan. Nepos d. cons.* 57. *nu.* 21.

Nec ad Rei causam improbabilem faciendam assumi debet, quòd Reus quoque negaverit se illo signo solere uti, quodque prædicti duo testes apertè deponant, quod Reus hujusmodi signo uti sit solitus: nam horum testium fides per objectas exceptiones subvertitur.

Alteri enim objicitur & per instrumentum pu- 7
blicum, quod actor recognovit, satis probatur registratum seu relatum eum esse in numerum eorum, qui assumpta falsâ, ac hæreticæ religionis doctrinâ, assumptis quoque armis adversus suum Principem, & exercita rebellione in generali abolitione pecunia mulctati sunt: hæreticus enim adversus orthodoxum & catholicum, idoneus testis non est *l. Credentes l. penul.* C. *De hæret. l. Si quis sanctam* C. *De apostat.* Nec ad excusationem facit testimonium presbyteri de Sacramentis Catholico ritu receptis; nam ut scripto hujusmodi testimonio fides adhibeatur (quod tamen jus non patitur *l. 3. §. idem* D. *Hadrianus De. testib.*) non de præterita, sed præsenti tantum vita loquitur, & tantum de religione, non rebellione, aut seditione:

* unde semel contracta turpitudo, & infamia, 8
solâ pœnitentia vel melioris vitæ instituto non aboletur, ut generaliter obtinet in omnibus alijs delictis *l. qui ea mente De furtis l. Palam. §. non solum. De ritu nupt.* Alteri objicitur familiaritas & consp ratio cum Actore, relatione factâ ad alium processum, quem Actor contra Arnoldum Squaeden in hoc eodem consistorio habuit, unde hujusmodi objectionis probatio desumi potest.

Objicitur quoque & per sufficiens documentum probatur hunc testem fuisse excommunicatum, quæ excommunicatio tempore dicti per eum testimonij in hac causa perduravisse præsumi debet, non probatâ, & multò magis non allegatâ absolutione; quæ excommunicatio testem ad dicendum testimonium inidoneum facit: sic quod his testimonijs in hac causa nihil tribuendum sit; præser-

tim

tim quia Reus obtulerit probare se non illo allegato sed alio communiter uti; quod etiam probabilius verosimiliusque est: alterum enim illud nimis operosum est in signandis per detonsionem pilorum, setarum, aut lanæ pecudum, cujus mercaturam & lanienam Reus, non pannorum mercaturam exercet; prout etiam Reus probare obtulit; sed quia Domino Iudici id visum non necessarium, admittendo tantùm ad objectionem hæreseos & rebellionis adversus alterum testem, abstinuit Reus à superflua probatione, cujus faciendæ, si res postulabit, facultatem promptissimam habet. Ad quæ omnia hoc præterea adjicimus, ipsum tenorem scripturæ prætactæ syngraphæ apertè demonstrare fabricationis ac malæ machinationis suspicionem: sunt enim verba in una parte in prima persona concepta, quasi Dionysius ita locutus sit, in altera itemque in tertia, quasi de ipso tertius ita scripsisset. Non probata igitur veritate mutui, hoc est numeratione pecuniæ, non probata scriptura principali nec illius subscriptione, non probato denique quòd Reus hoc, quod asscriptum invenitur, signum manu sua scripserit, consideratione habita ad fragilitatem hujusmodi signi, & facilitatem imitationis ac fabricationis ejusdem, existimo Reverendi Domini Iudicis officium esse, ut Reū ab impetitione Actoris absolvat, & Actorem in omnibus expensis litis Reo condemnet.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Apocha.

1. *Rei iudicatæ quæ exceptiones objici possint.*
2. *Iuramentum necessarium retractari potest.*
3. *Iuramentum non exigendum nisi in re dubia.*
4. *Apochæ plures quando arguant solutionis multiplicationem.*
5. *Exceptio non numeratæ pecuniæ quando solutioni objici possit.*
6. *Creditori cogitur debitori solventi apocham dare.*
7. *Apocha an liberationem inducat.*
8. *Curator à minore emere potest.*
9. *Iuramentum necessarium deferri non potest nisi in sufficiente probatione.*

CONSILIVM CXXI.

VNICA tantum supereſt difficultas in hac causa Ioannis Sterck Appellantis, contra M. Ioannem Sterck Appellatum; ob id, quòd D. Iudex per suam interlocutoriam undecimâ Decembris novissimè præteriti latam, omnia capita litis primæ instantiæ in rem judicatam transisse declaraverit, excepto solo articulo de solutione & apocha viginti sex librarum: * neque enim tam præcisa est rei judicatæ authoritas & potestas quin adversus illam etiam in executione objici possit solutionis, & compensationis exceptio, *l. Etiam C. De compens. Spec. in tit. de exec. sent. §. postremò dicendum, nu. 7. vers. illud autem quæritur*: ut & aliæ quæcumque exceptiones, quæ latam sententiam de iniquitate & injustitia non arguunt, nec merita causæ principalis respiciunt, sed tantùm ad executionem impediendam & moderandam proponuntur, *l. Neſemius §. ult. & ibi Glos. & Doct. De re iud. l. Si fideiussores §. idem respondit De fideiuss. Bald. in l. Peremptorias C. Sentent. resc. non posse Ang. ad §. appellatur, nu. 15. Instit. De exception.* Vt meritò ea in parte inhibitio D. Iudicis adversus executionem sententiæ locū habere debeat. Hæret ergò difficultas in eo solo, num in causa executionis, objectâ solutione dictarum viginti sex librarum D. Abbas Iudex à quo provocatum est, rectè detulerit M. Ioanni Sterck Actori juramentum in supplementum probationis, & ex delato juramento in effectu declaraverit prætactam summam viginti sex librarum contineri sub sequenti apocha seu quitantia de quadraginta septem libris grossorum; & anne retractandi tam juramenti, quàm hujusmodi declarationis justa sit causa? † Neque 2
enim eas vires habet juramentum quod in supplementum probationis à judice defertur, ut in judicio appellatorio illud, aut sententia ejus prætextu lata, retractari non possit: in eo enim distat necessarium juramentum, quod retractari potest, à voluntario, quod à parte parti in judicio vel extra defertur & retractari non potest, *l. Admonendi De iureiur.*

Et paucis resolvendo dicimus quod non tantum probabilis, sed necessaria hic subsit retractationis causa. Etenim in primis hoc manifestum est ex parte Appellantis, in allegatione solutionis nullam esse obscuritatem, nullum dubium: * ita ut ex 3
ea parte nulla sit occasio recurrendi ad decisionem litis per exactum juramentum, ad quod numquam recurritur nec recurri debet, nisi in re dubia, *d. l. Admonendi in verb. in dubijs causis, l. In bonæ fidei C. De reb. cred. & iureiur.* & difficilius cum de liberatione sustinenda agitur, quia favorabilis est, *l. Arrianus. De obligat. & action.* Cùm igitur Reus nunc Appellans docendo de solutione post sententiam latam (ante quam quæstio solutionis nulla fuit; sed tantùm de quantitate seu modo pretij singularum mensurarum prædiorum venditorum) exhibuerit apocham claram & liquidam, manu Appellati scriptam, & per eundem recognitam, continentem apertam & manifestam confessionem de receptis viginti sex libris Flandriæ, idque expressa causa solutionis, nihil dubitandum, quin & in scriptura, & in ei a commodatata confessione, meræ veritatis probatio consistat; ita ut omnis cogitatio & investigatio convertenda sit ad allegationem Appellati, dicentis eam summam viginti sex librarum repetitam & annexam esse summæ, cujus meminit sequens apocha seu quitantia de quandraginta septem libris. Quæ quidem allegatio primùm videtur improbabilis ex diversitate scripturarum, quæ identitatis cogitationem avertit in summis diversis: * nam etsi plures 4
apochæ seu quitantiæ de eadem summa multiplicationem scripturæ, non solutionis arguant, *arg. l. Planè §. si eadem, De leg. 1.* si temporis vel identitas vel vicinitas concurrat, *Bald. in l. Ne casu Cod. De discussorib. lib. 10.* solutionis tamen multiplicationem arguunt, quando summæ diversæ sunt, concurrente præsertim temporis diversitate, *Alex in l. Prætor, alias est l. Veluti. §. hæc vox n. 3. De eden.* & ut hic evenit inter utrumque magno intervallo; cùm illa de viginti sex libris sit scripta ipso die Nativitatis Christi anno 1556. altera de quadraginta septem

septem libris anno 1557. Cum alioqui identitas non facilè præsumatur, *Bal. in l. Demonstratio De cond. & demonst. Felin. in c. Auditis De præscript.* & semel per liberationem vel apocham transmissa, non præsumantur iterum in calculum vel considerationem venire, *arg. l. Procula De probat.* & ex usu in supputatione multarum summarum, & conjectione earundem in unam massam, minutarum ac parvarum coacervatio fieri soleat in una quitantia: ut magnæ summæ per singulas, parvæ plures per unam quitantiam probentur. Qui usus & modus faciendi diligenter attendi debet, *l. Excepto & ibi Bald. C. Locato*; potissimum hîc Appellato in his actis bis fatente, quòd hæc summa viginti sex librarum vnicâ erogatione per Appellantem sit soluta: ita ut nisi Appellatus saltem semiplenè probaverit, quod per renovationem & coacervationem prior illa summa viginti sex librarum sit repetita, & comprehensa in sequente apocha quadraginta septem librarum, nulla omnino possit esse præsumptio pro tam absurda Appellati allegatione, neque etiam occasio deferendi illi juramentum ad hoc jurandum. Multa quidem molitur & accumulat Appellatus, sed nihil conspicimus, unde hoc probabile vel præsumptivum reddatur. Quinimò seipsum hac in parte confundit, dum desperans de probatione hujusmodi renovationis & coacervationis objicit exceptionem non numeratæ pecuniæ; quia nimis ineptè id facit.

5 * Exceptio enim non numeratæ pecuniæ, quæ objicitur, non obligationi ex scriptura, sed liberationi seu apochæ, proponi debet intra triginta dies, à die scriptæ quitantiæ, *l. contractibus §. super cæteris C. De non num. pecunia*: ita ut quoniam dicta apocha scripta est anno 1556. in die natali Christi, serius fuerit proposita in Martio anno 1563. Adversus quem tèporis lapsum nulla extat in actis ex parte Appellati, ex beneficio ætatis petita in integrum restitutio, sed tantùm adversus quitantiæ dationem. Et ut generalitas verborum petitæ restitutionis etiam ad hanc extensionem extendatur, nihilo magis restituendus esset Appellatus (etiamsi ejus minor ætas exactè probata inveniretur) quia constat hujusmodi quitantiam justè ac debitè datam esse, tam ex veritate solutionis (quam diximus Appellatum in actis primæ instantiæ bis agnovisse) quàm necessitate obligationis:

6 † cogitur enim creditor debitori suo solventi non tantùm instrumentum debiti, si quod sit, restituere, *l. Dissolutæ C. De condict. ex lege*, verùm etiam acceptæ pecuniæ apocham seu quitantiam petenti debitori post solutionem factam dare, *l. Plures apochis & ibi Doct. C. De fide instr. Bart. in l.*

7 *Cum Aquiliana De transact.* * quia apocha liberationem non inducit, sed liberationis præsertim ex vera ac naturali numeratione, probationem, *l. Inductum. C. De solut. Castr. cons. 34. Ego Paulus vol. 1.* Cùm ergo adversus solutionem non petierit restitutionem, sed adversus quitantiam priorem de viginti sex libris, vana & inefficax est adversus apocham restitutio; quia illâ sublatâ semper manet veritas solutionis: ita ut si usquam de restitutione constituenda esset cogitatio, constitui deberet adversus quitantiam de quadraginta septem libris, adversus quam Appellatus nusquam restitui petijt. Præterea restitutio formaliter petita, inutilis hîc esset; cùm apertè constet per excessum 25. anni hujusmodi triginta dies sæpiùs lapsos esse; adversus quem lapsum major restitui non debet.

Sed nec illud probabilitatem aliquam pro Appellato inducit, quòd dicat se tempore hujusmodi quitantiæ minorem, & in curatione Appellantis fuisse: nam cùm Appellatus major factus hanc venditionem ratam habuerit, omnia ei cohærentia probasse censetur, *l. 1. Cod. si melior factus rat. hab.* quamvis alioqui de curatela Appellantis non satis constet, & per acta aut instrumenta publica probata non sit; uti plerumque debent quæ actu publico vel solemnitate juris adhibitâ fieri solent; & quod ex confessione Appellati constat Ioannem Goessens ejus curatorem fuisse: ita quod testibus de curatela Appellantis deponentibus, ex contrarij veritate comperta, parum fidei adhibendum sit; nec audiendus sit Appellatus, dum prætextu curatelæ datas apochas convellere nititur; potissimùm cùm causam specialem proponit non de apocha viginti sex librarum indebitè data, sed de renovatione, repetitione, ac coacervatione prioris in posteriorem, quam nullo modo probat, nec ut ante deductum est, præsumi debet. † Et cum 8 curator non prohibeatur à minore palam ac bonâ fide emere, *l. cum ipse C. De contrah. empt.* præsertim qui in administratione curatelæ non est, *l. Tutores quibus, De auth. tutorum*; nihil est, quod velut illicitum Appellanti ex hac emptione, quam Appellatus semper postea probavit, & adhuc probat, petendo ex illa pretium, ad culpam vel dolum objici possit; potissimùm quod harum viginti sex librarum solutio sit facta Ioanni Goessens vero curatori & administratori Appellati, ut ipsemet fatetur; cui, ut & tutori facta solutio ejus quod minori vel pupillo debetur, prodest ad plenam liberationem, *l. Quod si forte §. 1. De solut.* & in proposito tanto certius, etiamsi ei, qui non verè curator fuit, sed pro curatore negotia gessit, ex eo, quod hæ viginti sex libræ in utilitatem Appellati conversæ sint, *l. Debitores solvendo De solut.* ut ex propria ipsius allegatione constat.

Cùm ergo ex præmissis satis constet Appellatum semiplenè non probasse prætactam renovationem, coacervationem, & conversionem prioris summæ seu apochæ in posteriorem; non debuit D. Iudex, à quo appellatum est, Appellato deferre juramentum in supplemẽtum probationis; præsertim adversus favorem liberationis: * ad hoc 9 enim juramentum decurrẽdum non est nisi plumbeis pedibus & post semiplenam probationem ejus quod intenditur, *d. l. Admonendi & ibi Doct.* Vsque adeo ut quicumque etiam tenuis defectus in ipsa semiplena probatione semiplenę probationis perfectionẽ impediat, & Iudicem ne ad delationẽ juramenti decurrat, cohibeat. Et hoc est quod eleganter dixit Baldus, *cons. 369. Quidam nomine, nu. 5. vol. 1.* quod modicus defectus in semiplena probatione repellat providentiam legis, *d. l. Admonendi*, permittentis Iudici potestatẽ in dubia causa deferendi juramentum: sic quod semiplena probatio, cum non probat rectè vel necessariò, sed tantùm præsumptivè, vel quando aliqua præsumptione in

contra-

contrarium militante est elisa, non patiatur deferri hoc juramentum, *Lud. Rom. cons. 91. Visis ac. percunctatis nu.* 10. sicuti contingit in proposito ex concursu duarum apocharum clarissimè loquentium, & à se invicem tam in tempore, quàm in summis distantium ac separatarum: ut meritò existimemus partes Venerabilis Domini Iudicis nunc esse, ut tam delationem juramenti, quàm sententiam, ac declarationem illius prætextu latam revocet, & Appellantem ab ulteriore impetitione absolvat, & in causa executionis malè processum esse declaret.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Cautio indiscreta.

1. *Cautio ut sit indiscreta quid requiratur.*
2. *Exceptio non numeratæ pecuniæ cessat parte debiti solutâ.*
3. *Exceptio indiscretæ causæ quando cesset.*
4. *Novata obligatio actionem non tribuit.*
5. *Novatio quomodo inducatur.*
6. *Pactum legis commissoriæ venditor invitus non exercet.*
7. *Exceptio competentiæ quando detur.*
8. *Cessione abstinere potest debitor etiam post beneficij impetrationem.*
9. *Cedere bonis qui vult, quid debeat facere.*
10. *Cedens bonis de novo contrahere potest.*
11. *Cessio bonorum nocet prioribus non sequentibus creditoribus.*
12. *Cedens paciscì potest ut in solidum conveniatur.*
13. *Lucrum consequi non debet quis ex eo quod impugnat.*
14. *Actor ante diem agens an malè agat.*
15. *Exceptio dilatoria solutionis quando objici debeat.*

CONSILIVM CXXII.

INTERLOCVTORIA sententia, quæ in hac causa inter M. Matthiam vanden Hoeve Actorem; & Marcelium vander Herpen Reum 23. Augusti anno 1564. lata est, facit, ut de intentione partis agentis dubitandum non sit: ut etiam eâ cessante dubitari non deberet. Clara enim & liquida est syngrapha per Actorem exhibita, continens liquidam summam 434. florenorum, quæ solutionibus successivè factis & in dorso syngraphæ annotatis diminuta est usque ad summam in hac causa petitam. Cui non obstat exceptio per Reum obiecta de defectu causæ quod scilicet nulla causa debendi obligationi sit 1 inserta: † nam etsi inde cautio seu syngrapha efficiatur indiscreta, *l. Cum de indebito in fin. De probat. c. Si cautio de fide instrum.* id tamen ad avertendam vel perimendam obligationem non sufficit, sed ad hoc inducendum requiruntur copulativè duo; primum, quòd sit indiscreta seu indeterminata, hoc est quòd non contineat causam debendi; & præterea quod per Reum formaliter objiciatur, quod indebitè sit exposita seu scripta: ita enim scripta est lex, *d. l. Cum de indebito vers. sin autem, Si cautio indebite exposita dicatur & indiscrete loquatur*, ut alterum ad conditionem syngraphæ requiratur, alterum ad officium Rei conventi. Vbi autem copulativè duo requiruntur, alterum tantùm intervenire non sufficit *l. Si hæredi, De condit. instit.* Vnde cùm Reus respondendo ad dictam syngraphàm, eamque recognoscendo, tantùm objiciat, quòd careat causâ debendi, non excipiendo aut allegando quod indebitè sit scripta aut tradita, nihil tribuendum est hujusmodi exceptioni deficientis causæ.

Quæ exceptio alio quoque respectu hîc cessat, 2
ob id, quòd constet Reum plures per diversa temporum intervalla solutiones super debito in dicta syngrapha contento fecisse, propriaque manu in dorso annotasse. Vt enim exceptio non numeratæ pecuniæ in mutuo cessat, si pars confessati mutui soluta est; ita quoque & multo magis cessare debet exceptio deficientis causæ *l. Cum fidem Cod. De non num. pec.* quia solutio præsupponit antecedentem obligationem, *l. Solutionis De solutionib.* quæ sine causa non intelligitur, *l. 2. §. circa De doli except.* quamdiu qui solvit, indebitum non allegat & probat, *d. l. Cum De indebito.* * Deinde cùm ex- 3
ceptio indiscretæ seu indeterminatæ syngraphæ cesset, quando promissio vel confessio debiti est geminata, quasi geminatio facit præsumi causam, *Bart. in l. Cum scimus C. De agric. & cens. lib. 11. Lud. Roman. in l. Nuda De donat. Felin in d. c. Si cautio n.* 14. consequens est, quod & in proposito, cessantibus etiam prædictis, obstare non debeat; ob id, quòd tam ex certificatione per Actorem exhibita, quàm testium pro parte Actoris productorum depositionibus constet, quòd Reus Actoris matri (ex cujus cessione agit Actor) diu post datam dictæ syngraphæ, promiserit hujus debiti solutionem.

Non obstat quoque, quod debitum in dicta 4
syngrapha contentum novatione per subsecutam dictam novam promissionem videatur sublatum, sic ut ex novata obligatione agi non possit; quasi prioris obligationis potestas sublata foret & in posteriorem confluxerit, *l. ult. in fin. De novat.* & sic videatur pristino jure peti non posse, *l. Si stipulatus in fine De usuris*: nam principio verum non est, quod Actor actionem & petitionem suam præcisè fundaverit aut restrinxerit ad dictam syngraphàm; sed eam probationis tantùm causa exhibuit ante litem contestatam hac subsecutâ promissione † Deinde 5
nihil vetat, quo minùs Actor ex veteri obligatione, ad cujus probationem pertinet prædicta syngrapha, agere adhuc potuerit: neque enim per posteriorem sic fuit novata prior, ut sublata quoque dici debeat; cum jure novissimo, *l. ult. C. De novat.* novatio, quæ priorem obligationem prorsus perimat, non inducatur per posteriorem, nisi verbis expressis dicatur, quòd novandi animo posterior seu subsequens promissio fiat; quod non constat hîc factum esse: sed ex adverso constat nullam novandi voluntatem fuisse, & hoc præcipuè actum, ut stante priore obligatione dies solutionis prorogaretur ad quatuor pensiones seu terminos; in quâ prorogatione non potest non latere solutionis promissio.

Quam promissionem non enervat alia Rei objectio; quasi illa facta sit sub conditione resolutiva, ut, si Reus matri Actoris pro restante hoc debito cautionem non daret, transactio esset nulla: nam etsi verum sit, hanc cautionem non esse præstitam,

respectu

respectu tamen matris stipulantis & paciscentis nulla aut resoluta dici non potest, est enim hæc conditio resolutiva adjecta fauore & contemplatione dictæ matris; ita ut nisi eâ volente, & expressim hoc declarante, quod nolit stare novissimæ conventioni, non possit exerceri, aut ad effe-
6 ctum deduci potestas adjectæ conditionis. * Sicut in pacto legis commissoriæ, quo convenit, ut nisi pecunia ad diem certum soluatur, res sit inempta, venditor paciscens legem commissoriam invitus non exercet, sed si velit potest etiam non soluto pretio ad diem conventum venditionem ratam habere, & ad pretij solutionem agere; quia ejus causâ ita cavetur, *l. 2. & 3. De leg. commiss.* Quod generaliter extenditur ad omnes conditiones quæ creditoris fauore tantùm adijciuntur, *l. 3. De servis exportan.* Quamvis interim de adjectione hujus conditionis non satis constet, & prædicti testes in dicta certificatione nihil de ea dicant, & in ordinaria productione unus tantùm eam asserat, alio dicente se illius non meminisse.

7 Sustinenti autem prædictam antecedentem obligationem ex prædicta syngrapha, nihil obstat beneficium cessionis, quod Reus ex inopia obtinuit; quasi inde dilatoriam habeat exceptionem competentiæ ex sententia super impetratione facultatis cedendi lata, *§. ult Inst. De leg. l. 4. De cessione bonor.* quia ea sententia tantùm continet emologationem & interinationem facultatis cedendi, non ipsam cessionem, inter quæ multùm interest,
8 † cùm obtentâ à judice facultate cedendi, imò declaratâ creditoribus voluntate faciendæ cessionis, possit debitor adhuc ex pœnitentia abstinere à reali & actuali cessione, *l. 2. C. Qui bonis ced. poss. l. Quem pœnitet De cess. bonor.* sic quòd necessariò non concludat sententia admissionis, neque ex ea sequatur concludens probatio vel præsumptio secutæ realis cessionis. Vt generaliter ex præparatorijs ad actum actus ipse, præsertim qui præparamentis non cohæret, non sequitur. Quia igitur non constat de reali cessione bonorum, nec quod illa per creditores occupata, aut distracta sint, non potest obstare beneficium competentiæ; præsertim quod prædicta sententia cessionis ipsa quoque sit conditionalis, relativa, & restrictiva per hæc verba *salvo quod sese conformabit ordinationi de his qui bonis cedunt publicatæ penultima Augusti* 1536. de quâ ordinatione Reus non docuit, *Auth. si quis in aliquo C. De edendo*, & si docuisset evidentius domonstrasset usu & effe-
9 ctu hujusmodi sententiæ eum cecidisse; † cùm prædicta constitutio, seu ordinatio Cæsareæ Majest. quæ & per aliam anno 1541. 12. Octobris renovata est, requirat (quod etiam jure communi requirirur, *Vdarl. Zas. in l. penult. n. 5. & 6. C. Qui bonis ced. poss.* ut qui cessionis beneficio gaudere vult, debeat suis creditoribus exhibere statum seu inventarium bonorum suorum, illudque inventarium juramento suo affirmare, ac sua bona realiter abdicare suis creditoribus, nullâ illorum retentâ administratione. Sic quod indubitatum sit, beneficium seu exceptionem cessionis hic locum non habere: quia cessante causâ beneficij & exceptionis effectus cessare debet, *Tiraquel. in tract. cessante causa in 1. part nu. 47.* Quæ quidem cessio si verè ac debitè facta fuisset, nihilo magis Actori hic obesset; ob id, quòd hujus debiti solutio promissa sit diu post datam dictæ sententiæ, in qua Reus potestatem cessionis ponit; uti per prætactam certificationem & testimonia Actoris clarè probatum, & per prætactam interlocutoriam confirmatum est. * 10
Vt enim cessio non obstat, quò minùs de novo debita contrahere possit is, qui cessit; ita cessio ad sequentia de novo post cessionem contracta debita non pertinet, *Ioan. Fab. in §. fin. nu. 8. & ibi Zas. & alij Inst. De action.* * Nam licet cessio, urgente 11
uno creditore, omnibus alijs creditoribus quos tunc habebat, etiamsi eum non urserint, noceat, *l. 4. in fine De ces. bon.* non nocet tamen sequentibus, *l. 3. in princ. C. De bonis auth. iudic. possid. à contrario sensu*, Vnde si id ita obtinet in creditore omninò novo, multo magis obtinere debet in veteri creditore, qui præexistentem antiquiorem causam habet, cujusque obligatio neque civiliter, neque naturaliter perempta, sed tantùm suspensa fuit per cessionem, *glos. & alij in l. Is qui bonis 2. De cessione bon.* veluti tacito quodam pacto, de non petendo ad tempus, quod contrario pacto de petendo, seu nova promissione solutionis, sublatum & enervatum dici debet, *l. ult. De pact. §. 1. Inst. De replicat.*
† nam ut conveniri potest ne ultrà quàm quis 12
facere possit exigatur, *l. Si quis crediderit, De pactis*; ita quoque cum eo, qui beneficium hoc habet, conveniri potest, ut in solidum teneatur & conveniatur, *glos. Bart. & alij in d.t. Si quis crediderit.* Si igitur in proposito ex anterioritate temporis enervari vel suspendi posset pristina obligatio, ea vires cum effectu plenæ exactionis resumeret, ex subsecuta Rei promissione de solvendo. Sed ut diximus verius est nec pristinam nec priorem obligationem aliqua ex parte lædi per prædictam cessionem, quæ verè facta non est, aut saltem non ut oportuit, quod perinde est, *l. Quoties D. qui satisf. cog.*

Sed nec illud denique Actori obstat, quod Reo non indulserit quatuor terminos solvendi, qui in subsequente transactione seu promissione Reo cõcessi dicuntur. * Cum enim Reus hujusmodi 13
transactionem apertè impugnet, ac de nullitate redarguat, non debet ex ea commodi aliquid referre, *c. ex eo De cog. iur. lib. 6.* ita ut omissa sequente promissione, quæ diem habuit, agendi jus purum & simplex sit ex pristina seú priore, quæ pura ac specificata fuit, iam tunc diu lapsis terminis, seu inducijs solvendi in festo S. Iacobi anno 1559. Quamuis interim si non esset impugnata posterior transactio seu conventio, nihil obstaret hujusmodi terminorum ad solvendum constitutorum assignatio † Licet enim qui in diem debet, si ve- 14
lit ante diem excuti non debeat; communis tamen opinio Doctorum est, *glos. in l. 1. C. Vt act. ab hæred. & ibi Cynus nu. 4. Bart. in l. Ita stipulatus n. 38. & ibi Zas. nu. 22. De verb. oblig. Alciat. in l. Cedere diem nu. 7. De verb. signif.* quòd ex promissione in diem seu ex obligatione in diem adjecta, gratiâ differendæ solutionis, non tantùm statim nascatur obligatio, sed etiam actio; ita ut agens ex obligatione in diem sine actione aut malè agere non dicatur, quamvis agenti ante litem contestatam objici possit exceptio, quod tempore plus petat ad duplicandas inducias, *§. hodie. Inst. De exceptionib. po-*

nib. potissimùm si dies ex intervallo non in principali conventione, sed post contractam obligationem ponatur, *Bart. d. nu.* 38. ut est in proposito casu, in quo nunc quærimus de die adjecta pluribus annis post contractam primam seu principalem obligationem; quæ quamvis etiam diem habuerit, purificata tamen est post illius diei lapsum, videlicet in festo Iacobi anno 1559.

Cùm itaque in hac causa Reus non objecerit exceptionem, sed conventionem illam posteriorem, in qua dies seu novi termini solvendi ex intervallo adjecti sunt, de nullitate impugnaverit; nulla debet per dominum Iudicem horum terminorum seu diei solvendi haberi ratio: exceptiones enim præsertim dilatoriæ si non objiciantur, per judicem, in consideratione haberi non debent, *l.* 15 *Exceptionem C. De probat.* † Imò ea est natura exceptionis dilatoriæ solutionis, ut ante litem contestatam debeat formaliter objici, quia dilatoria est, *d.l. Exceptionem, l. ult. C. De except. c. Pastoralis eod. tit.* præsertim quando non fuit in initio ipsius obligationis, aut si fuit tempore peremptæ est, *Bart. in l. Eum qui ita §. qui ita nu. 5. De verb. oblig.* ita ut multorum sententia sit, post litem contestatam objici non posse, *Innoc. & Hostiens. in d. cap. Pastoralis.* Et qui objici posse putant, *Salic. in d. l. Exceptionem, Zas. in d. §. qui ita, Alex. consil.* 95. *In causa nu.* 3. *vol.* 1. sic ejus usum restringunt, ut judex condemnare debeat, cum hac sola restrictione, ut Reus solvat, quando terminus solvendi advenerit, & minimè possit vel Reum ab impetitione judicij absolvere, vel ei inducias duplicare, *Bart. in d. §. qui ita n.* 5. multo minùs si non objiciatur per Reum hæc exceptio etiam post litem contestatam, etiamsi judici vel ex instrumentis vel depositionibus testium constet, quòd Reo terminus & dilatio solvendi concessa fuerit, quam Actor agendo prævenit, *Bald. in d. l. Exceptionem nu.* 2. *Innoc. in d. c. Pastoralis.*

Cùm ergo in hac causa syngrapha exhibita sit pura, propterea quod ex ejus lectione constet diem solutionis illi insertum diu ante hanc litem institutam lapsum fuisse; & quod dilatio solvendi (quæ Actori hîc objici posset) ex intervallo sit Reo concessa; quodque Reus hanc posteriorem promissionem seu tractationem non agnoscat, sed apertè oppugnet; & nusquam de præmaturitate aut plus petitione actoris Reus aliquid objiciat, & mordicùs in suo beneficio seu exceptione cessionis (quæ hîc nulla est) persistat; nihil est quod Actori in obtinenda plena condemnatione obstare aut pro onere injici possit, vel quoad remorandam condemnationem, vel quoad expensas litis (propter improbabilem Rei oppositionem quoad vires & nervos obligationis) vel denique quoad induciarum duplicationem: potissimùm quod lite hâc pendente tres termini sint elapsi; & mense Iulio jam imminente instet ac præ foribus sit quartus atque ultimus, quem verosimile est lapsum iri antequam sententia per D. Iudicem feretur. Quem tamen nihil remorari debet illius diei exspectatio, si alioqui ad pronuntiandum in causa resolutus ac paratus erit; ob id quod (ut antè diximus) exceptio dilatoria in tota causa objecta non sit, cujusque beneficio Reus apertè uti noluerit, partim negando, partim impugnando posteriorem conventionem in qua hi dies solvendi adjecti dicuntur.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Cautio indiscreta. 1

1. *Cautio indiscreta oppugnari potest.*
2. *Syngrapha indebitè exposita repeti potest.*
3. *Pensio Ecclesiastica onus reale est.*
4. *Syngraphæ propriam negans convictus præsumptionem mala gravatur.*

CONSILIVM CXXIII.

IVRIS ratio quæ videtur in exceptione, quam D. Gerardus van Godsenhoven Reus objecit adversus syngraphæ manu ipsius scriptam, per Dominum Antonium de Fontaines Actorem exhibitam, certa ac manifesta est. † Quia non 1 tantùm ex rigore juris civilis, *l. Cum De indebito in fine De probat.* sed etiam ex æquitate juris Canonici, *in c. Si cautio, & ibi Felin. nu.* 1. *De fide instrum.* permittitur ei, qui ex syngrapha convenitur, objicere quòd sit indiscreta ac indeterminata, & sic indiscretè exposita; cùm etiam agenti ex stipulatu, nisi promissionis causa edicatur seu exprimatur & probetur, objici possit doli mali exceptio. Dolo enim malo facit, qui sine causa stipulatus est, & ex stipulatione petere perseverat, *l.* 2. *§. circa De except. doli*; sic quod Reus juris beneficio & remedio utendo, ad injustam exceptionem confugere dici non possit, neque eo nomine pudore aliquo affici, ut Advocatus Actoris Reo objicit. Cujus exceptionis potestas in proposito ob id potentior est, quòd in exhibita syngrapha nulla appareat vel lateat causa conjecturalis, persuasiva, aut impulsiva, *Felin. in d. c. Si cautio. nu.* 13. *&* 21. neque etiam allegetur aut proponatur aliquod contractum negotium præambulum, ex quo præsumi posset causa sequetis confessionis, promissionis seu syngraphæ. Quæ eo etiâ potentior efficitur, quòd Actor postea causam debendi allegando de ea non tantum nihil probaverit, sed falsam eam esse Reus demonstraverit. Allegavit etenim Actor quod Reus ut executor testamenti Domini Henrici van Halle hoc debitum pro reliquis D. Henrici ex reservata pensione super præbenda Thenensi expromiserit & constituerit; cùm non tantùm non constet Reum fuisse executorem testamenti præfati D. Henrici, quod Reo in proposito sufficere posset, sed ex multis probatum sit Reum executorem non fuisse; primùm ex rationibus domus mortuariæ dicti D. Henrici; secundò ex sequente Actoris saltem implicita confessione: & tertiò per agnitionem apocharum seu quitantiarum ipsius Actoris, quibus fatetur se ab executoribus testamenti Domini Henrici solutionem accepisse: ita ut, cùm causa, quam Actor specialiter edixit, sit falsa, neque alia proponatur; nihil dubitandum sit, quin Reus indebitè per syngraphamsese obligaverit, * & ideo non tantum 2 agentem ex ea repellere possit, *d. l. Cum De indebito in fine*, verùm etiam ipsam cautionem seu

syngrapham tamquam indebitè expositam condicere ac repetere, *l. ult. C. De condict. ex lege.* Quinimo hujus exceptionis vis in proposito tanto major est, quòd per dictas quitantias constet reliqua pen-
3 sionis ipsi Actori fuisse soluta. * Cum enim post mortem Domini Henrici van Halle hæc pensio ei, aut ejus hæredibus, amplius currere non potuerit, quia onus illius reale sit, *Hier. Gigas De pension. quæst.* 43. maneatque apud beneficium gravatum, & successorem in illo, ita ut pro futuro tempore per successorem, non per promissorem seu consentientem in reservationem pensionis vel ejus hæredem sustineri debeat, *Gigas De pension. q.* 39. consequens est illos terminos solutæ pensionis, de quibus loquuntur dictæ quitantiæ, esse ultimos, qui in vita D. Henrici cesserunt; cùm post mortem ejus ad onus domus mortuariæ, vel executorum cedere amplius non potuerint. Ita ut somnium sit, quòd actor ad exhibitionem suarum rationum & quitantiarum attonitus dicit, has quitantias hîc esse impertinentes, ex eo, quòd obligatio Rei sit posterioris datæ: nam etsi id verum sit de posterioritate datæ obligationis, ex qua Actor agit, & quam Reus se scripsisse non negavit; illa tamen per se non subsistit, propter allegationem causæ, quæ tempore, quo hæc obligatio scripta est, nata non est, sed ex propria Actoris allegatione retrofertur ad causam pensionis, quam debuit Dominus Henricus; eam autem debere non potuit ex aliquo termino post mortem suam cesso. Sic quod si in hac syngragha, ex qua hîc agitur, nominatim & specialiter inserta & expressa esset causa debendi, quam Actor allegat, nihilominus idem Actor exceptione doli repellendus esset, qui sibi ex falsa causa per Reum promitti curasset, & nunc peteret quod intus habet, hoc est quod prius ab Executoribus testamenti consequutus erat; dolo enim facit, qui idem bis consequi vult, quique petit quod redditurus est, *l. Dolo facit De excep. doli, Alciat.*
4 *cons.* 417. † Cujus doli præsumptio in re præsenti proclivior est, ob id, quòd Actor apertè priùs negaverit se hujusmodi quitantias scripsisse aut emisisse, quas postea in aperta lucis veritate agnoscere debuit, & confiteri: mala enim est juris præsumptio adversus negantem propriam scripturam, si postea de illius veritate constet, *Auth. Contra qui propriam C. De non num. pec.* Sed & illius ad inconstantiam Actoris ac præsumptionem obreptionis & subreptionis apud Reum, qui bonus socius est, & inter pocula fortè hujusmodi syngraphan scripsit, referendum, quod Actor alleget Reum blandis verbis priùs apud se egisse, ut pro decem florenis debitis Actor expromissione Rei octo florenis contentus esset, quodque sic Actori illos promiserit; cùm postea priorum & sui parum memor proponat hæc acta esse per & apud quendam Magistrum Henricum Stalpaert eo absente.

Quibus omnibus attentis, attentâ etiam delatione juramenti super facti allegationibus per Actorem Reo factâ, & prestatione ejusdem in presentia Domini Assessoris subsecuta, quæ de veritate, & per Reum negatæ causæ debendi ampliùs quæri non patitur, *l. Nam postea §. iureiurando De iureiur.* existimamus officium Reverendi judicis esse ut Reum ab impetitione Actoris absolvat, & Actorem Reo in omnibus expensis condemnet.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Indici instrumentorum an credatur?

1. *Instrumentis igne consumptis eorum effectus non cessat accedente leviore saltem probatione.*
2. *Rubricæ ad decisionem causarum allegari possunt.*
3. *Beneficij status ultimus inspiciendus.*

CONSILIVM CXXIV.

QVOD Scholasteria Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis sit præbenda Theologalis, profertur tantùm notula ex Indice, inventario, seu repertorio literarum privilegiorum ac bonorum dictæ Ecclesiæ, qui ita habet, *Bullæ Clementis Papæ Sexti, qua constat, quod Scholasticus debet legere vel legi facere Theologiam Canonicis & alijs studentibus, & quod propter hoc habet præbendam*: Quæritur, an quia per tumultus hæreticorum dictæ Ecclesiæ libri, litteræ, ac privilegia pro maxima parte igne consumpta sunt, per hanc notulam sufficienter probari possit, dictæ Scholasteriæ conditionem talem fuisse, & esse debere, ad eum finem, ut secundum decretum Concilij Tridentini, *Sess. 5. cap. 1. De reformat.* hujusmodi præbendam obtinens cogi possit ad talem conditionem, & officij eidem Scholasteriæ incumbētis observationem, nec possit eo omisso aliqua alia præbenda ejusdem Ecclesiæ ad professionem Thologicam deputari? * Hoc 1
certum est, instrumentis vi ignis extinctis, aut alio casu amissis, instrumentorum effectum non cessare, si de illis alio modo constare potest, *l. Illatæ. l. Sicut iniquum C. De fide instrum.* & probata illorum amissione (cujus facultas in proposito casu expedita est) leviores probationes admitti circa probationem contentorum in ijsdem sic amissis instrumentis, *l. Testium in fine C. De testib. Felin. in c. Sicut De sentent. & reiud. Alexand. Ias. Decius & alij in l. 2. C. De bon. poss. secun. tabul.* ita ut cum repertorium omnium privilegiorum & literarum Ecclesiæ adhuc extet, meritò sufficere debeat ad probandum id, quod index dispositivè per compendium continet; potissimùm dum agitur adversus ipsam Ecclesiam, cujus est hoc registrum. Vt enim tutori in inventario rerum pupilli inscribenti res aliquas, quę non ad pupillum sed ipsum tutorem pertinent, nocet ipsum inventarium seu repertorium, *l. ult. C. Arbit. tutelæ*: ita quoque Ecclesiæ in suis archivis habenti repertorium seu indicem literarum seu instrumentorum quorumdam. † Et cùm 2
hujusmodi indices ac repertoria, rubricarum & titulorum loco sint, meritò ut rubricis ac titulis juris perfectum sensum habentibus, juris potestas attribuitur; nam & rubricæ ad decisionem causarum allegari possunt, etiamsi in subjectis rubricæ legibus quædam non inveniantur, quorum in rubricis sit mentio; imò etiamsi rubrica tota sine legibus inveniretur, *Ias. in l. 1. nu.* 10. *& ibi alij D. De reb. cred.* Quia igitur rubrica seu

index

index Bullæ Clementis hoc habet, quod Scholasticus debeat legere seu legi facere Theologiam, & quod propter hoc habeat præbendam, dicendum omnino est, sufficienter probatum esse ex Bulla Clementina, dictæ Scholasteriæ statum & conditionem talem esse.

3 Convincit quoque hunc dictæ Scholasteriæ statum & conditionem, anniversarium Domini Michaelis Episcopi Tornacensis constitutum in anno 1191. in quo apertè proponitur & narratur, quod Scholasticus Theologiam docere debeat. Quamobrem antecedens statutum Domini Stephani etiam Episcopi Tornacensis quo anno 1197. inter alia continetur, quod Scholasticus, nisi infirmitate aut majore ætate excusetur de divina pagina, & de majoribus saltem facultatibus aliquid legat, nihil facit ad hunc postremum statum beneficij immutandum; quia in beneficijs posterior status inspicitur, *l. Consultationibus De iure patron.* & posterior Domini Michaelis, & maxime Clementis Papæ ordinatio præcedenti statuto Stephani Episcopi derogare debet, sicuti posteriora generaliter prioribus derogant, *l. Pacta novissima C. De pactis l. Imus §. fitet, De iure codicill.* Quamvis alioqui rectè dici possit Domini Stephani Episcopi statutum sequentibus non contrariari; ob id, quod non alternative, sed conjunctim in eo dicatur de divina pagina, & de majoribus saltem facultatibus; ut conjunctio inter speciem & genus posita pro expositione magis, quàm ampliatione sit, *Loc. in l. Sæpe, De verb. signif.* & ex communi natura copulæ, quæ conjunctorum concursum desiderat, *l. si hæredi De cond. instit.* verum semper maneat, quòd Scholasticus ex conditione & statu suæ præbendæ debeat sacram paginam docere: quod in proposita quæstione satis semper est ad hoc, ut Scholasticus, juxta dictum decretum Concilij Tridentini, possit cogi ad docendum Theologiam, & in præjudicium alterius exspectantis aut nominati, non possit nova Theologalis præbenda assignari.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Literæ testimoniales studij.

1. 3. 5. *Literis testimonialibus studij creditur sine testibus.*
2. *Literis testimonialibus Officialis vel Capitanei quando credatur.*
4. *Testimonio magistri pro discipulo credendum.*
6. *Scholaris municeps gaudet privilegio studij.*
7. *Studium quomodo debeat esse continuum.*

CONSILIVM CXXV.

ADo probationem triennalis studij, quod in alma Vniversitate Colonien. peregit D. Wilhelmus Dobbe Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Servatij Trajectensis, sufficiunt testimonium & certificatio Rectoris dictæ Vniversitatis ac moderatoris Gymnasij Montani. 1 Literis enim testimonialibus Rectoris alicujus Vniversitatis sub publico sigillo ac subscriptione Notarij asserentibus aliquem studuisse, aut in aliqua Facultate promotum seu graduatum esse, plena fides adhibenda est, ut eleganter deducit & usu ac moribus invaluisse scribit Petrus Rebuffus, *in Tract. nominationum quæst. 11. nu. 3. 4. & 5.* ad quem remisisse hic sufficerit. Et quidem sic statur, ut pro sustinenda fide & auctoritate hujusmodi literarum, non sit necesse iterum producere aut examinari testes, ad quorum testimonium Rector Vniversitatis de studio aut gradu certificavit. Vnde in hujusmodi literis neque testium nomina inseri solent, sed in usu apud plerosque tantùm est generalis testium mentio; quòd videlicet fide dignorum testimonio id compertum habeat. Imò apud multos nulla prorsus testium in genere vel specie fit mentio: quasi veritatis & præcedentis indaginis præsumptione stante ac militante pro assertione Rectoris sub testimonio publico; quia scilicet commodum aliquod certificantis non continet, & eâ necessitate officij proficiscitur.* Eaque 2 ratione creditur etiam literis Officialis sigillatis, in his, quæ ad suum officium pertinent, *c. Post cessionem De probat. Bald. cons. 319. super primo vol. 3.* atque item literis ducis seu Capitanei testificantis mortem alicujus militis, *Auth. Hodie C. De repudijs, c. In præsentia De sponsa. & ubique Doct.* Ita quod necesse non sit testes iterum produci coram Dominis de Capitulo; cùm sit hujus rei probatio jam per testimoniales illas literas Rectoris confecta. Vti etiam in dicto Capitulo ab antiquo observatum est, ut literis testimonialibus Rectoris Academiæ fidem studij facientibus credatur. Alioqui enim in hoc aperta lataque esset via petentibus fructus beneficiorum suorum, aut aliud emolumentum, molestiam faciendi, eosque supervacuo probationis onere gravandi; & pro lubito eorum, quos vel odium vel avaritia excitat, & quibus cessante studij privilegio fructus & emolumenta præbendæ debita accrescerent, malignandi cavillandique; quod ferendum non est, *l. In fundo De rei vindic. c. Sedes De rescript.* † Et quamvis effectus hujus pro- 3 bationis noceat residentibus Canonicis, propter diminutum jus accrescendi; in consideratione tamen id venire non debet ad derogandum fidem dictis testimonialibus literis, authoritatem publicam habentibus, quia pecuniarium tantùm, & respectu singulorum exiguum est hoc præjudicium; quo casu traditum est fidem etiam adhibendam esse præsertim levi aliqua alterius generis probatione accedente, *Pet. Anchar. in d. c. In præsentia in fine.* * quemadmodum hic accedit præfati Mo- 4 deratoris ac Magistri attestatio, quæ pro discipulo recipitur & sufficit, *Rebuff. in tract. De privileg. Scholari, privil. 67.* † Quæ hic indubitata esse de- 5 bent, quòd nemo Dominorum de Capitulo sit, qui velit in se suscipere onus probandi contrarium, vel de falso has literas arguendi, *Reb. d. q. 11. n. 5. Anchar. in d. cap. in præsentia sub fin.* quo cessante præsumptio juris stat pro hujusmodi certificationibus. Hâc aliisque aliquot rationibus in hanc sententiam resolvit D. Conradus ab Heer V. I. Licentiatus; cujus resolutioni adhærentes bene per eum deducta latius non prosequemur. Hoc tantum ex his, quæ proponuntur, addendum putamus, nihil obesse quod Dominus Wilhelmus Dobbe dicatur uno prædictorum trium annorum suam residentiam

feciſſe in Eccleſia collegiata Sanctorum Apoſtolo-
7 rum Coloniæ: † nam cùm verum ſit eum con-
tinuo triennio in Vniverſitate Colonienſi ſtuduiſ-
ſe, intra cujus Vniverſitatis limites concluditur
dicta Eccleſia Sanctorum Apoſtolorũ, nihil obeſſe
poteſt illa reſidentia, quæ ſtudio non contrariatur,
ſed compatibilitatem cum ſtudio admittit: cum
generaliter omnis beneficiatus, quamvis in Vni-
verſitate reſidens non excuſetur ab horarum le-
ctione, *arg. eorum quæ tradunt. Innoc. & Panor. in c. 1.*
De celebr. miſſar. quemadmodum quis eodem loco
poteſt eſſe ſtudens & municeps: uti eleganter de-
ducit Bartholomæus Bolognius, *in Auth. Habita*
8 *C. Ne fil. pro patre n. 14.* * Neque repugnat, quòd
pleriſque horis doceatur; & lectiones audiri non
poſſint, quibus reſidentia præſentiam reſidentis
requirit: nam inprimis ſtudium tam continuum
eſſe non debet, quin aliquot horis intermitti poſſit,
cùm ſatis ſit laudabiliter ſtuduiſſe, & pro magna
temporis parte ſtudijs operam impendiſſe. Deinde
tam arcta non eſt reſidentiæ neceſſitas, quin ſi
ſtudium hoc poſtulet, aliquid de illa remitti poſſit;
præſertim quando locus reſidentiæ & ſtudij unus
idemque eſt, ut eleganter deducit Petrus Rebuffus,
ad concordata §. 1. in fine. Meliore itaque judicio ſal-
vo nos infraſcripti V. I. Doctores exiſtimamus
Venerabiles Dominos Decanum & Capitulum
prætactæ Eccleſiæ rem ſe dignam facturos, ſi hâc
probatione contenti Domini Wilhelmi petitioni,
ſtatutis ipſorum per omnia conformi, lubentes an-
nuent.

De fide inſtrumentorum.

SVMMARIVM.

Conſultationes juris an ſint parti edendæ.

1. *Decreta & ſcripturæ in litibus linguâ uſitata con-*
cipienda.
2. *Conſilia & allegationes iuris an parti edi debeant?*
3. *Iudex an ultra poſſit conſultationes iuris communi-*
care parti.
4. *Actionis ius in cauſa poſitum eſt.*
5. *Ius certum & finitum eſt.*
6. *Articulo qui in iure conſiſtit reſpondendum non eſt.*
7. *Motivum iuris quid.*
8. *Iudicium præparatoria cuiuſque loci attendenda.*
9. *Actor an reus ſit qui rationes reddat.*

CONSILIVM CXXVI.

QVOD incidenter pro parte Ioachimi
Studlin & Raphaelis Lauey, adverſus
Hieronymum Revelaſco proponitur &
ſuſtinetur, communicandum & eden-
dum eſſe ipſis conſilium Iuris in hac cauſa per di-
ctum Hieronymum exhibitum, quodque idem
Hieronymus in hac lite partes Actoris ſuſtineat,
1 parum probabilitatis habet. † Et principiò qui-
dem poterit hujuſmodi petitio averti & reijci ex
ſolo capite, quòd facta ſit linguâ Italica, cujus
uſus in tribunali Reverendi Domini Iudicis ordi-
narius non eſt; & in judicijs hiſce Eccleſiaſticis
non tantùm decreta, ſed etiam ſcripturæ & peti-
tiones facienda ac proponenda ſint linguâ Latina
& uſitata, non extranea, inſolita, minimèque
conſuetâ, *Bart. in l. Decreta, De re iud.* Sed etſi ſolitâ &
conſueta lingua propoſita eſſet hujuſmodi petitio,
nihilomagis admittenda eſſet: nam petitio editio-
nis conſilij ſeu allegationum Iuris fundamento
juris deſtituitur. † Quamvis enim Petrus de
Ferrarijs, *in practica ſua ſub tit. De for. peten.* & eum 2
ſecuti Iaſon, *in l. 1. §. edenda nu. 6. De eden. & in l. 2.*
nu. 6. C. Eod. tit. & Ioannes de Amicis, *conſil 103.*
exiſtiment, allegationes juris parti petenti eden-
das eſſe, ne per eas contingat judicem circumveni-
ri vel decipi; ab ea tamen opinione recedunt ferè
omnes, qui hunc articulum tractant, videlicet
Lud. Romanus, *in d. §. edenda & ſing. 266. Fuit in-*
terrogatus, Alexander, *in Auth. Iubemus C. De iud. nu.*
5. Franciſcus Purpuratus, *in d. l. 2. n. 94. C. De*
eden. Philippus Decius *in d. l. 2. & in cap. 1. De pro-*
bat. aliique tam Canoniſtæ *in cap. Per tuas De teſtib.*
quàm Legiſtæ, *in l. 2. C. De eden. & in d. §. eden-*
da; item Matthæus de Afflictis, *ad conſtit. Neap. lib.*
1. Rubrica 27. nu. 19. & Guido Papæ, *deciſ. 241.*
qui de ſtilo ita ſervari dicit, *deciſ. 242.* & noviſſi-
mè Petrus Duennas, *in tract. reg. 5. num. 6.* Paris
de Puteo, *in tract. De ſyndic. in dictione allegationis nu.*
7. & Robertus Maranta, *De ord. iudic. parte 6. De*
edit. act verſ. decimus actus nu. 50. idque ex ſententia
Innocentij, *in d. c. Per tuas, ubi etiam Felin. nu. 3.*
qui tradit judicem non compelli ad dandum parti
aduerſæ copiam eorum, quæ ei ad inſtructionem
& ſuggeſtionem juris exhibentur. * Et licet idem 3
Innoc. exiſtimet Iudicem non peccare, ſi ultro
vel rogatus edat parti petenti hujuſmodi juris alle-
gationes, reprehenditur tamen id paſſim ab alijs
in d. c. Per tuas, qui dicunt judicem id faciendo
peccare, præſertim quando pars illas non præſen-
tavit in proceſſu in modum actorum; eoque nomi-
ne appellari poſſe, quia conſuetudo cauſarum ſeu
curiarum repugnet. Et ſanè habet ea ſententia
evidentem juris rationem: † cùm enim hujuſ-
modi allegationes facti non ſint, ſed juris, & circa 4
factum allegatum verſentur, & jus in cauſa poſi-
tum ſit *l. Si ex plagis §. in clivo Ad L. Aquil.* ſeu (ut ait
Baldus, *in d. §. in clivo*) jus ſit implicitum facto, cer-
tæ quoque cenſeri debent hujuſmodi juris allega-
tiones; * quia ius certum & finitum eſt *l. in omni* 5
parte De iuris & fact. igno. ultroque ſe ingerit ſine
partium allegatione. * Inde etiam fit, ut articu- 6
lo ſeu poſitioni juris allegationem continenti,
pars reſpondere non cogatur. *Bart. in l. Ornamento-*
rum in princ. De auro & argen. leg. Bald. in l. 2. §. quod
obſervari De iureiurando propter calum. dando: & quan-
tum ad ipſum judicem neceſſariæ quoque non
ſunt, quia, ut inquit Decius *in d. l. 2. nu. 20. cod. De*
edendo. Iudex ex ſe debet eſſe inſtructus; ita ut ne-
que reſpectu partis, neque contemplatione Iudicis,
hujuſmodi allegationes ſint de actis. Neque hic
quicquam immutat quòd earum obligationem
copia parti ſit edenda tunc, cùm in modum acto-
rum in proceſſu exhibentur *Iaſ. Duennas, &*
Maranta locis ſup. citatis; nam id hic non evenit.
* Etſi enim judicialiter exhibita ſint, ad 7
acta aut ad inſtruendum proceſſum non ſunt
exhibita, ſed ad movendum animum Iudicis, ut
conſtat ex tenore actorum, in quibus hujuſmodi
conſilium appellatur *Motivum iuris*; exhibitum
nimirum

nimirum ad movendum animum Iudicis, & sic minimè ad processum; ex mente enim & intentione proferentis & agentis verba & actus accipienda sunt, *l. Si quis intentione De iud. l. Non omnis De rebus cred. si cert. petat.* Et hæc quidem cùm uniformem habeant iuris rationem perinde obtinent sive Reus sive Actor exhibeat juris allegationes seu consilium; ut supervacuum sit hic inquirere, quis Actoris partes sustineat.

Verùm quia etiam contenditur de edenda copia alterius scripturæ, quam post publicam Hieronymus Revelasco exhibuit & supersolutionem appellavit, quæ magis videtur de actis esse (ut sunt responsiones & exceptiones *c. Quoniam contra De probat.*) tam improbabilis esse non videtur partis adversæ objectio, quòd Revelasco partes Actoris sustineat, ideoque ex more judiciorum ultima scriptura debeat esse Opponentium, non ipsius Revelasco, quem hujus causæ Impetrantem & Actorem vocant, à quo ob id etiam antecedentes scripturas sustinent edendas esse, cùm alioqui fieri non posset, ut ultimo loco scribant Opponentes, si quod 8 penultimò scripsit Actor, ipsi ignorent. * Cæterùm nec hac ex parte satis probabilis est Opponentium petitio, propterea quòd præparatoria judiciorum ex consuetudine dependeant, & in illis cujusque consistorij seu tribunalis obtinens consuetudo spectari & observari debeat: usque adeò ut Iason *in d. §. Edenda*, in præscripto articulo de edendis jurium allegationibus satis evidenter præsupponat, non esse edenda juris motiva, si consuetudo fori alicujus hoc habeat; qui idcirco istum juris articulum definit, circumscriptâ, hoc est cessante consuetudine. Cùm ergo posterioris partis scripturæ, ut sunt conclusiones, additiones, & similes; item juris motiva, ex generali ferè omnium tribunalium in his Belgicis regionibus obtinente consuetudine non soleant edi, aut earum copia parti adversæ tradi; non justè postulatur dictæ scripturæ, quam Revelasco vocat supersolutionem, editio seu copia: accedit etenim hujusmodi scriptura loco consilij seu motivi juris, & ad solius Iudicis institutionem pertinet; continens demonstrationem inutilitatis vel impertinentiæ antecedentium scripturarum & probationum, non etiam novi alicujus facti allegationem; eoque respectu obtulit idem Revelasco ad tollendam omnem partis adversæ contradictionem, ut si ulla novi facti allegatio contineatur in dicta supersolutionis scriptura, rejiciatur. Atque ita inutilis est in proposito disquisitio, quis in hac lite partes actoris sustineat; quamvis verius sit, Revelascum hic eas non sustinere: quia nullum jus obligationis adversus 9 Opponentes prætendit. † Neque facit in contrarium Caroli Molinæi allegata decisio, *ad consue. Paris. tit. 1. §. fin. Glossa. 6. nu. 21.* nam non hoc dicit indefinitè Actoris partes eum semper obtinere, qui ad rationes reddendas tenetur & requiritur, sed limitativè quantum ad comprobationem contentorum in rationibus: ut generaliter Reus quicumque partes actoris sustinere dicitur excipiendo, *l. 1. De excep. l. In exceptionibus De probat.* qui tamen verè actor non est; & sic ex comparatione & certo respectu, & non absolutè, hæc accipienda sunt in constituenda conditione ac qualitate personarum, ex quibus judicium fundatur, *l. Si procuratorem D. Mandati l. Clam possidere De acquir. possess.* ingressus enim & origo judicij, ac prima præcipuaque materia inspicienda est.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Consultationes juris an taxari debeant.

1. 5. *Consultationum iuris usus.*
2. *Consultationes iuris an adversario edendæ.*
3. *Interrogatoria parti adversæ non eduntur & tamen taxantur.*
4. *Iudex expensis partis consulere potest peritos.*

CONSILIVM CXXVII.

INSOLITVM est, quo pro parte Mechteldis Stevens petitioni expensarum pro consilio juris objicitur; quasi scilicet consilij seu consultationis confectio & exhibitio perinde non debeat venire in condemnationem expensarum, ut aliæ per Advocatum confectæ, & exhibitæ scripturæ: sed ut inauditum id est, ita quoque à ratione & jure alienum. † Hoc etenim manifestum est consultationum usum invaluisse loco al- 1
legationum, quibus in conspectu judicis peractâ causâ Advocati utriusque partis disputare solent super his quæ in causa deducta sunt, ijsque accommodare juris rationes. *Spec. in tit. de disput. & alleg. advoc. 10. De Amicis consil. 103.* quin autem pro hujusmodi allegationibus patrono causæ seu advocato salarium debeatur, dubium non est, & tanto quidem majus quanto major est illius facundia & eruditio, *l. 1. §. in honorarijs De var. & extraor. cognit.* Cum igitur allegationum & disputationum, quæ vivâ voce fieri solent, usus in desuetudinem abierit, vel propter Advocatorum fortè imperitiam, vel memoriæ labilitatem, vel ad evitandum contentiosa iurgia; quæ in contentione verborum plerumque exoriri solent, *l. Quisquis. C. De postulando*, earumque vices præbeant consultationes scripto comprehensæ, ob conditionem Iudicum, qui sæpè juris sunt imperiti & assessoribus utuntur, meritò inter litis expensas referri debet ea impensa, quæ pro hujusmodi consilio seu consultatione Doctori aut Advocato datur. Cùm enim iniqua litis propositio causam hujusmodi impensæ faciendæ præbeat, cur ad authorem seu causam præbentem non referetur? cur non perinde in numerum expensarum venire debet scriptura juris rationibus instructa; cùm sine controversia in eum veniant aliæ quæcumque scripturæ nullo ingenio, nullo labore, & plerumque dictantibus tabulis aut procuratoribus scriptæ?

Nec ad rem facit, quòd consultationes in judi- 2
cio sic exhibeantur, ut adversario non sit jus inspiciendi, nec ei debeat copia dari, *Lud. Rom. in l. 1. §. edenda nu. 6. & singul. 266. Fuit interrogatus, Alex. in Auth. Iubemus n. 5. C. De ind. Matth. De Afflict. ad const. Neap. lib. 1. Rubrica 27. nu. 29.* † nam idem quo- 3
que fit in interrogatorijs, quæ ad informandum Iudicem in productione & examine testium dantur, ut scilicet earum copia parti non detur, *Innoc.*

in c. Per tuas De testib. Philip. Decius in l. 2. num 20. C. *De eden.* quæ tamen interrogatoria in numerum seu taxationem expensarum venire, nulla est dubitatio; cum id demonstret usus, & procurator Mechteldis in hac causa è numero expensarum illa non reijciat. Si igitur hoc æquum bonum est in interrogatorijs, quibus allegationes & consultationes juris æquiparantur, *Decius d. nu.* 20. æquum quoque videri debet in ipsis consultationibus, ut æquiparatorum eadem sit ratio *l.* 1. *De leg.* 1. *Bart. in l.* 2. §. *ult. De leg.* 2. † Atque hinc etiam est quod judex, cùm causa id postulat, aut ei consultum videtur, ipse consilium à sapientibus & jurisperitis sæpè requirat, nec tamen suo, nec illius, pro quo sententia fertur, sed illius qui in causa succumbit, onere, ac periculo, *Spec. in tit. de De requis. consily in princ.* Prout non rarò in condemnationem & taxationem expensarum veniunt etiam honoraria advocatorum, qui in exordio litis fuerunt consulti, ubi tantùm consilij, non ordinariarum scripturarum consideratio haberi potest, *l. Sancimus* C. *De iudic.* In summa cùm nullus debeat ius suum indiscussum relinquere, *l. Illud De petit. hæred.* damnique reparatio ad eum recidere debeat, qui damni causam præbuit, *l. Qui occidit* §. *in hac Ad L. Aquil.* postulat juris ratio, ut in expensarum judicialium numerum venire debeat quicquid ad instruendum Iudicem victor in causa erogavit, nihilque ferè sit, quod justius eò redigatur; * præsertim cùm etiam ex consuetudine in auditorio Reverendi Domini Conservatoris Lovanienſis ita sit receptum, ut consultationes juris ad numerũ & taxam expensarũ admittantur. Quæ consuetudo, cessantibus prædictis rationibus, hîc spectanda esset; ut in expensarum judicialium taxatione generaliter faciendum esse tradidit Iacobus de Arena, *in tract. De expens.* n. 14. De modo seu quantitate hujus impensæ, quæ pro exhibita cõsultatione petitur, nihil objicit pars condemnata, ut nec objiciendi causa est; tum quòd in ea quantitate comprehendatur lectio & visitatio processus primæ instantiæ, qui magnus est, & sine cujus lectione hæc consultatio fieri non potuit; tum quod laborem magnum contineat, & in multitudine ac varietate articulorum, quibus constat, ingenij & industriæ exercitationem requisiverit; tum quod prolixa sit, ita ut augendi quàm diminuendi salarij major sit occasio.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Notariatus probatio.

1. *Hæres tenetur factum defuncti præstare.*
2. *Hæres non sit qui accepto pretio hæreditatem omittit.*
3. *Codicillus præteritione liberorum non annullatur.*
4. *Notariatus non præsumitur nisi probetur.*
5. 7. *Instrumenta an valeant facta ab eo qui pro Notario habebatur.*
6. *Notarius ut quis præsumatur quanti temporis debeat esse ipsius exercitium.*
8. *Sententia adversus non citatum nulla est.*
9. *Colonus Domino possessionem intervertere non debet.*

CONSILIVM CXXVIII.

ELEGANTER & acutè deduxit Clarissimus Dominus Carolus à Nitzen Concilij Provincialis occidentalis Frisiæ Præses quæcumque faciunt ad obtinendam victoriam in hac appellationis causa, quam prosequitur Petrus à Nitzen, suo & suorum consortium nominibus Appellans contra Ioannem van Elfracke Appellatum; sic quod nobis scribendi occasio ferè prærepta sit: sollicitudini tamen ac diligentiæ Appellantis suffragantes in pauca contrahemus, ac conspicienda proponemus ea tantùm, quæ in majore hac actorum mole statum ac merita causæ continent. Et quamvis disputatio hujus litis à testamento per quondam Andream Cruckebeckers condito cæperit pro illius validitate sustinenda, desinit tamen in rei vindicationem seu Publicianam actionem fundi triginta trium mensurarum: ita ut testamenti causa in effectu, & extremo hujus litis scopo incidens magis videatur vindicatio. Quare hanc, velut in intentione Actoris primum & præcipuum fundamentum, priore loco consolidabimus; post deinde testamentariam quæstionem, exceptionum & replicationum loco constituemus; ita enim erit tractatio dilucidior.

Iustam autem vindicandi seu Publicianâ agendi causam Petro faciunt ex parte ipsius dominium, & ex parte Rei conventi possessio, *l. In rem, l. Qui petitorio De rei vindic.* De possessione Rei nulla est dubitatio, quia Reus illam apertè fatetur. De dominio Actoris sufficienter constat ex instrumento traditionis acquisiti hujus fundi ex causa emptionis, quam quondam Martinus Nitzen pater Actoris, (ut ex confessione partis Reæ constat) cum Gertrude Heutens vidua præfati Andreæ matre Ioannis Cnoeps, alias Cruyckenbeckers, primi Rei citati, nec non Ioannis Elfracke uterini fratris ejusdem originalis Rei, hanc causam resumentis, nunc ante quinquaginta annos seu ante hanc litem cœptam, viginti octo annis inijt: virtute cujus emptionis Actoris parentes possessionem nacti sunt, & vltra viginti annos hunc fundum possederunt, usque ad tempus mortis suæ, uti testes ab Actore producti deponunt. Cui quidem Gertrudi hic fundus per præfatum Andream, ejusdem Rei citati patrem, testamento legatus fuit: ita ut cùm titulus emptionis, Martini emptionem, & titulus legati venditricis venditionem ad extremam etiam perfectionem instificet, & ex his causis dominium fuerit acquisitum, *l. Quæratione* §. *nihil autem De acquir. rer. domin.* aut saltem usucapiendi conditio, *l. Quæcumque De publ. in rem actione*; consequens sit, præfatum Actorem fundatum esse ad hunc fundum vindicandum, seu Publicianâ actione persequendum, *d. l. Quæcumque*, cùm præfato Martino emptori cum cohæredibus suis, quorum nomine agit, hæres sit effectus, *s. Hæreditas, l. Qui in alterius De reg. iuris*, uti Reus apertè confitetur, & testes Actoris deponunt.

Itaque relictâ Actoris intentione ad exceptiones respiciendum est: inter quas prima est, quòd hæc bona non fuerint dictæ Gertrudis venditricis jure proprietatis, licet usumfructum in ijs habuerit; ipa ut in præjudicium filij proprietarij mater venden-

vendendo ac tradendo nihil egisse videatur, *l. Mater tua C. De rei vindic. l. Si fundum C. De reb. alien. non alienan.*

1 Sed ut hoc sine præjudicio veritatis admittatur, nihil tamen obstat Actori vindicanti; ob id, quòd constet Reum hujus causæ successisse eidem matri titulo hæreditario: ita quod replicatione doli mali ex capite evictionis rectè repellatur ista exceptio; quia ut hæres Actori de evictione tenetur. Factum enim defuncti hæres sive is sit filius sive extraneus præstare debet, *l. Vindicantem De evict.* & rem à defuncto venditam neque retinere neque vendicare potest, *l. cum à matre De rei vindic. d. l. Si fundum.* Hæredem autem matri factum esse Reum, quamvis id negaverit, satis constat; tum ex præsumptione juris, quâ filius præsumitur facilè parentibus esse hæres; tum quòd Reus confiteatur se matri suæ Gertrudi, atque etiam Ioanni Elsracke patri, secundo marito Gertrudis, successisse in bonis immobilibus immediatè; tum denique quòd testes Actoris apertè probent, Reum ram in bonis mobilibus, quàm immobilibus parentibus suis successisse. Quamvis enim in mobilibus immediatè non successerit eidem suæ matri, mediatè tamen per Ioannem Elsraecke suum patrem; qui conjunx superstes jure consuetudinario omnia bona Gertrudis uxoris acquisita ad Reum filium suum transmisit: quod in proposito satis est, cùm nihil interest mediatè an immediatè quis defuncto sit hæres, *l. Hæredis l. Sciendum. De verb. sign. l. ult. C. De hæred. instit.*

* Nec quicquam facit in contrarium quod Reus allegat Ioanni Elsracke patri suo superstitem fuisse Elizabetham Crutzen novercam suam, & ad eam jure consuetudinis pertinuisse omnia bona mobilia, hæredemque mobiliarem defuncti factam, aliasque personales obligationes præstare debere, non etiam immobiliarem: quia contrarium illius deduxit & demonstravit Actor; videlicet quòd dicta Elizabetha per conventionem cum Ioanne Elsracke initam (quam Elizabetha in sua depositione per imperitiam appellat testamentum) assignatâ illi particulariter titulo singulari aliquâ pecuniæ summâ, alijsque rebus paucis, exclusa fuerit à beneficio consuetudinis (secundùm quam alioquin omnia Ioannis bona mobilia ad eam cum onere æris alieni pervenire debuissent) onere debitorum in liberos Ioannis converso; uti etiam testes pro parte Actoris super hoc producti deponunt, ita ut à veritate alienum sit, quod Reus objcit se hæc bona ex transactione cum no-
2 verca, non titulo lucrativo accepisse. * Cum alioqui qui datâ pecuniâ facit, ut alius forte eum præcedens, hæreditatem omittat, nihilominus hæres sit; & hæres non fiat, qui accepto pretio hæreditatem omittit, *l. Licet pro hærede Si quis omissa causa testam.* Quæ quidem consideratio repræsentationis seu successionis potentissima est, & Actoris causam extra omne periculum ponit; præsertim quia in venditione, quam Gertrudis Martino fecit, Ioannes Cruyckebeckers præsens ut mamburnus & authoritatem præstans interfuerit.

Et quoniam Reus satis perspexit testamenti prætacti clara verba sibi obstare, ob id, quòd in eo apertè fundum controversum & pleraque alia bona Andreas Gertrudi uxori legaverit, excipiendo objcit duplex testamenti vitium, videlicet quòd vel inofficiosum, vel injustum, vel inefficax sit. † De inofficioso parum curandum est: nam 3
hoc testamentum propriè testamentum non est, sed codicillus tantùm seu ultima voluntas in genere, quæ præteritione liberorum non vitiatur; quia relicto tacitè residuo hæreditatis & bonorum, hæc bona censentur ab intestato uxori relicta, *l. Conficiuntur in princ. De jure codicill.* Id enim operatur clausula codicillaris in dictæ ultimæ voluntatis scriptura inserta, ut per eam censeatur filius rogatus ab intestato id præstare, quod parens in ea scriptura legavit; sic quod illius præteritio ad vitium aliquod testamento injiciendum nihil operetur, *l. Ex testamento l. Ea quam C. De fideicom. Bart. in l. 1. q. 5. De jure codicill.* ut habet communis opinio, Dec. *cons.* 242. *In casu proposito & cons.* 670. *Clarissimæ. in fine.* De injusto major est difficultas, quasi scilicet non sit confectum secundùm obtinentem consuetudinem coram Notario & testibus;

* ob id, quòd Reus neget Henricum Franconis 4
fuisse Notarium, & per Actorem codicilli seu instrumenta notariatus ejusdem Franconis non proferantur, nec directò illius notariatus probetur: nemo enim tabellio præsumitur nisi probetur, *Innoc. in c. Veniens De verb. signif.* ita quod ad producentem instrumentum notariale pertineat probatio notariatus, *Specul. in tit. De instrum. edit. §. restat vers. & scias. & ibi Ioan. Andr. Marian. Socin. cons.* 33. *vol.* 1. Versatur proculdubio hic articulus in perplexa illa juris quæstione, an instrumenta confecta per eum, qui publicè pro Notario habebatur, & ad quem communiter pro conficiendis instrumentis recursus habebatur, pro authenticis ac legitimis haberi debeant; multis negativam partem sequentibus, *Alber. in l. Barbarius De off. prat. & ibi Iaf. & Ioan. Imola, Aug. in l. Ad testium §. conditionem De testam. Bald. in l. 1. C. De testam. & ibi Alexand. qui etiam cons.* 80. *Examinato processu, vol.* 2. *&* 138. *Oportunè consideratis vol.* 1. *Steph. Bertrand. cons.* 41. *circa processum vol.* 1. *p.* 1. *& cons.* 149. *Dubia multa, nu.* 30. *vol.* 6. Petr. Anchar. *cons.* 213. *Pro isto patre;* multis affirmativam, *Bart. in d. l. Barbarius, Bald. in Auth. Quas actiones De sacros. Eccles. Innoc. in d. c. Veniens,* Canonistæ *c.* 1. *De fide instrum. & præsertim ibi Dec. Ioan. Igneus ad l.* 3. *§. si quis tabulas Ad S. C. syllan. & quos refert Carol. Molin. ad d. Alexand. cons.* 138. *& ad Decium in d. c.* 1. Matth. De afflictis, *decis.* 151. *Determinatum Nicol. Boer. decis.* 36. *p.* 1. Sed potior est affirmativa, ut cum constat Notarium communi opinione ac reputatione pro Notario habitum fuisse, eumque plura instrumenta confecisse, Franc. Aret. *cons.* 42. *Viso consilio,* Boer. *d. decis.* 36. & in hujusmodi exercitio pluribus annis fuisse, maneat præsumptio veri; quod scilicet verè Notarius fuerit, & instrumenta ut à Notario vero confecta pro veris & legitimis habeantur, ijsque plena fides adhibeatur, *Lud. Rom. in l.* 1. C. *De testam. Marc. Ant. de Baneria ad §. sed cum aliqui nu.* 44. *Instit. De testam. And. Alciat. cons.* 330. *Verba testamenti nu.* 18. Cum ergò communis opinio ac reputatio, de qua testes pro parte Actoris producti deponunt, stent pro notariatu prafati Henrici Fran-

conis, neque ex adverso pro parte rea probatum sit cum Notarium non esse, aut esse non potuisse, (quo casu facilius concedendum esset aliquid negativæ opinioni, *Alex. d. cons.* 80.) nihil dubitandum est, quin hoc instrumentum sit legitimum, seu saltem pro legitimo atque authentico habendum: præsertim quod de exercitio dicti notariatus constet non tantùm per prædictas testium depositiones in prima instantia, verùm etiam in hac secunda per plura exempla aliorum instrumentorum, tam ante, quàm post datam hujus controversi testamenti seu codicilli confectorum inter alias personas, quibus etiam publicè in judicio contradicto fides fuerit adhibita. Quemadmodum etiam illud constat, quod hic controvertitur, tastamentum tempore inhæredationis ac legisoperarum per Gertrudem Martino Nitzen de fundo hîc litigioso factarum coram institia fuisse exhibitum & approbatum statim post mortem præfati Andreæ testatoris vivente tunc adhuc præfato domino Henrico Notario, & de notariatu ejus nemine dubitante: quod hic valde notandum & observandum, quia ex eo augetur communis reputatio atque opinio. Sic quod ab extremis duobus annis, de quibus probationes Actor attulit, hoc est anno 1506. & anno 1620. sufficientissimè probetur totius medij temporis in hoc notariatu exercitium: ab extremis enim mediorum præsumptio induci solet, *c. quia sunt & ibi Gloss. 28. dist. Nic. Everar. Præses in loco ab extremis*; potissimùm allatis medij temporis aliquot
6 actibus, videlicet de anno 1509. & 1520. * Ideoque non admodum scrupulosè sit exigenda probatio, quod illo tempore, quo hoc instrumentũ confectum est, Henricus fuerit Notarius; quia scilicet non tantùm post illud, sed etiam ante confecta ab eo inveniuntur instrumenta, & hoc exercitium non momentaneum, seu unius aut alterius sed plurimorum annorum fuerit, cùm alioqui plerique nisi decennium, alij nisi quadriennium requirant, *Boer. d. decis. 36. in fin.* Intenditur hæc præsumptio per exhibitum plumbeum sigillum, quo sua instrumenta dictus Notarius signare solet; quali nemo privatus uti solet prout rerum experientia
7 docet. † Hæc itaque notariatus possessio, illiusque tam diuturnũ & frequens exercitium, hic sufficere debet ad sustinendum hoc instrumentum; vincente præsertim opinione affirmativâ superiùs relata, & in usu quotidiano ac practica obtinente, ut ait Carolus Molinæus, *ad d. cons. Alex 138. & ad Decium, in d. cap. 1. De fide instrum.* quemadmodum latius hunc articulum & solidioribus juris rationibus deduxit præfatus dignissimus dominus Præses.

Inefficax ideò dicit Reus esse hoc testamentum, quod secundùm obtinentem consuetudinem patriæ & Comitatus Lossensis intra duodecimum annumà morte testatoris non sit apud judicem competentem insinuatum & approbatum. Sed hanc objectionem removemus primùm ex eo, quòd de contrario constet, in actu venditionis & inhæredationis, intra annum à morte testatoris hoc testamentum in loco, ubi fundus hic controversus situs est, coram justitia exhibitum & probatum fuisse, ut expresse canunt verba præactæ inhæredationis. Deinde testimonia, quibus ad hanc consuetudinem probandam Reus utitur, apertè continent in Curia Officialis Leodiensis, ubi hæc causa primùm acta est, illam non observari; & qui simpliciter deponunt de hac consuetudine, hoc addunt, eam obtinere quoad illos, qui ex testamento agere volunt. Cum ergò hic ex tastamento propriè non agatur ad consequendum legatum, sed tantùm per viam replicationis contendatur ad retentionem rei ex testamento per legatarium acquisitæ, & in tertium singularem successorem translatæ, impertinens est ea consuetudo, quæ testamentorum favori ac perpetuitati, aliquâ ratione repugnans, meritò restringenda, non de casu in casum extenda.

Novissimè autem objicit Reus rei judicatæ exceptionem ex processu olim contra colonum dicti controversi fundi instituto: sed hujusmodi exceptionis vis & effectus Actori obesse non potest;
* primò ex eo, quòd adversus Actorem nihil 8
judicatum sit, nec judicari potuit, quia ipse citatus non fuit, *l. De unoquoque De re iud.* deinde ex regula juris, quòd res inter alios judicata alijs non noceat, *tit. C. Res inter alios &c.* † tum quòd sententia adversus colonum lata intimatione domino 6
facta, non noceat domino, *l. fin. C. si per vim vel alio modo &c.* etiamsi factâ executione res vel possessio rei ad Actorem sit translata, *Bart. in l. 2. nu. 17. C. Vbi in rem actio &c.* colonus enim domino suo possessionem intervertere non potest, *l. ult. C. De acq. possess.* Adhæc sententia adversus colonum lata, in contumaciam coloni tantùm lata est; seu potiùs ob negligentiam coloni in respondendo per judices laicos possessio translata in dictum Ioannem; quod ad causam dominij nihil facit: ideoque sententia hujusmodi si quæ fuit, Actori obesse non potest, *l. sæpè De re iud.* nam sententia dominij adjudicatoria non fuit, sed possessionis tantum translatoria, quod ad vindicationem impediendam non sufficit, *l. ult. De rei vindic.* Vnde etiam ex ijsdem actis laicalibus constat tam præfatum Actorem, quàm Gerardum Ians post hanc translationem admissos esse ad vindicationem horum fundorum; licet hujusmodi instantiæ Actor propter Iudicum rusticitatem & imperitiam renuntiaverit. Sic quod omnibus revolutis ac discussis in ea maneamus opinione, per Dominum Commissarium Officialis Leodiensis malè esse judicatum, sententiam absolutoriam retractandam, ac secundum Actoris conclusionem tam in hac, quàm in prima instantia captam, Reo in omnibus expensis condemnato, judicandum.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Tabellio an possit esse spurius.

1. *Stupidus testari potest.*
2. *Fatuus testari potest.*
3. *Mentis sanæ quilibet præsumitur.*
4. *Mutus quis esse censeatur.*
5. *Instrumento publico standum.*
6. *Spurius & infamis est qui nascitur ex clerico in sacris existente.*
7. *Notarius diu tolleratus pro tali habetur.*
8. *Socius quilibet tastamentum facere de sua parte potest.*
9. *Notarius cogi potest ad protocolli editionem.*

CON-

CONSILIVM CXXIX.

IVSTA & secundùm acta æqua est sententia quam Venerabilis D. Officialis Antwerpiensis pronuntiavit in causa testamentaria coram ipso pro parte Matthiæ, Catharinæ, Claræ, Elizabethæ & Annæ vander Vekene agentium, contra Franciscum vander Vekene Reum introducta: ex duobus etenim dependet totius causæ status; videlicet ex probatione allegatæ amentiæ Adriani vander Vekene testatoris, & conditione Cornelij Nilis Notarij, coram quo testamentum conditum est. Et sanè in priore articulo planè deficiunt Actores; ob id, quòd non tantùm liquidò non probaverint prædictam allegatam amentiam, neque etiam illos actus, ex quibus probabiliter amentia, stultitia, vel judicij plenarij defectus deprehendi posset, *iuxta notata in l. Quidam in suo* De *condit. institut.* sed etiam per testes ex eorum parte productos probatum videatur, eundem Adrianum simplicem, & per omnia non intelligentem tantùm fuisse; quæ res longè recedit ab amentia.

1. Simplicitas enim morum, item animi & judicij crassities seu fatuitas ac stupor aliquis non præripit testamenti factionem; cùm etiam major quatuordecim annis quandocumque testamentum facere possit, etiamsi vigor ille animi & judicij perfectio nondum emerserit, *l. Si frater C. Qui testam.*
2. *fac. poss.* * Ideoque etiam communi opinione receptum est, fatuum hebetisque ingenij ac judicij hominem, testamentum facere posse, etiamsi propterea alicui curatori bonorum ad eum pertinentium administratio mandata esset. Ita ut non multum hîc operetur agentium allegatio, quòd Franciscus res Adriani administraverit. *Ias. in l. Furiosum nu. 1. vers. 3. singulariter C. Qui testam. facere poss. Decius cons. 112. In præsenti consultatione in princ. & in 6. Pastoralis nu. 3. De iudic. Castrens. in d. l. Si frater.*
3. † potissimùm quia animi hebetudine Adrianum non laborasse testes Rei numero plures, & evidentius deponentes, testificentur; ita ut in conflictu probationum illis cedere debeat testimonia agentium, propter naturalem & communem præsumptionem, quâ quilibet in ætate legitima constitutus sanæ potius, quàm insanæ mentis esse præsumitur, *Doct. in d. l. Furiosum*; quodque Petrus vanden Vekene harum partium contendentium frater ab Actoribus productus, apertè contra ipsos deponat. Neque quicquam facit ad inducendam aliquam præsumptionem fatuitatis aut ingenij, seu judicij hebetudinis, babulties ac linguæ impedimentum: nam ex testimonijs utrimque productis constat de causa & origine hujus impedimenti, scilicet ex
4. apoplexia: † ita ut corporis, non animi is morbus reputandus sit qui testanti obesse non debet, *l. In adversa* De *testam.* satisque sit mutum omninò non esse testatorem, *l. Discretis. C. qui testam. fac poss.* qualis dici non potest is qui balbutit & obscurè loquitur, *l. Mutum* De *edil. edict.* cuique, ut aiunt, *Ias. & alij in l. Iubemus* C. De *testam.* lingua ingrossata est: nam sufficit, si quoquo modo verba testantis audiri aut intelligi possint; prout hîc intellecta fuisse verba testatoris ex publico instrumento in forma publica expedito atque absoluto constat;

* cuique quamdiu contrarium evidenter non probatur stare etiam & fidem adhibere oportet, 5
l. Cum precibus C. De *probat.* præsertim quòd unus testium instrumentariorum productus in hac causa rem ita contigisse testificetur.

Quod ad alterum attinet de conditione & qualitate personæ Notarij, qui testamentum scripsit, 6
verum quidem est, spurium, qualis est qui ex Clerico in sacris existente nascitur, *Bart. in l. De concub.* infamen esse, ideoque eum ad notariatus seu tabellionatus officium assumendum non esse, *Alex. cons. 80. Examinato processu. nu. 2. vol. 2.* † sed 7
tamen longa tabellionatus quasi possessio ac diutinum exercitium, publicaque omnium reputatio, opinio, & tolerantia faciunt, ut actus coram eo uti idoneo, & benè qualificato expediti sustineri ac valere debeant, *Bart. in l. eadem §. fin. Ad leg. Iul. repetun. Alex. d. consil. 80. nu. 3.* Proinde inquirendum, an hic Notarius diu officium hoc exercuerit, item an frequens ad eum, ut Notarium fuerit multorum concursus. Et vehementer suspicari licet quod legitimatus fuerit à Principe, qui eum Notarium creavit.

Illud nihil ad invalidandum testamentum facit, 8
quod præterea per agentes objicitur de communione bonorum dicti testatoris: nam ut communio non obstat, quo minùs consors portionem suam alienare possit; ita nec impedimento est, quo minus de eadem testamentum facere possit, *L. Falso* C. De *commun. rer. alien.* Vnde nullâ ratione audeo dictis agentibus consulere ut ab ea sententia provocent, nisi prædictos defectus, usus, exercitij, & publicæ reputationis in persona dicti Notarij manifestè detexerint, aut nisi ex ipso protocollo aliquid deprehenderit, quod contrarietatem aliquam inter protocollum & instrumentum in lite productum inducat * : ad cujus quidem proto-
colli editionem atque exhibitionem cogi poterit 9
Notarius prædictus instantibus præfatis actoribus; quia eorum interest, *l. quis ex argentarijs §. ex hoc edicto De edendo*, quod cessante testamento cum præfato Francisco Reo ex æquo futuri sint hæredes ab intestato.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Protocollum Notarij.

1. *Protocolli Notariorum potestas.*
2. *Protocollum ut exempletur quid requiratur.*
3. *Notariatus quomodo probetur.*
4. *Indictio an in instrumentis requiratur.*
5. *Notarij subscriptio, an sit necessaria in protocollo.*
6. *Protocollum non registratum an valeat.*
7. *Donatio irrevocabilis, non est mortis causa.*

CONSILIVM CXXX.

EXCEPTIONIBVS pluribus utuntur D. Oliverius vanden Werve, ejusque alij litis consortes hujus causæ Opponentes, adversus Henricum Laureys ac ejus consortes ejusdem causæ Actores, ad avertendum Actorum intentionem; sed diligenter expensæ & ad juris veritatem accommodatæ nulla est, quæ penetret, aut perimendi vim vel effectum habet.

Ad

Ad quod demonstrandum imprimis in diligenti observatione habenda est Actorum petitio ac conclusio, quæ non directò & rectâ viâ vel præcisè tendit ad declarationem validitatis testamenti, seu ultimæ voluntatis quondam Henrici van Cappendael, sed specialiter proposita est ad hoc, ut ex protocollo manu quondam D. Adriani de Potteere Notarij scripto, authoritate venerabilis D. Officialis tamquam iudicis ordinarij, per alium Notarium desumatur seu conficiatur & publicetur instrumentum in forma publica: nam ita pro parte Actorum proponitur in literis citatorialibus, atque item in termino reproductionis earundem literarum ad eundem finem concluditur † Etsi enim soli protocollo seu imbreviaturæ Notarij non stetur, nec ex eo simpliciter & absolutè, ut ex instrumento in publicam formam redacto, agi & procedi possit, *Panor. in c. cum P. tabellio nu. 3. De fide instrum.* eam tamen vim habet protocollum, ut non tantùm ad illud confecto inde instrumento occurrente dubio recurri. *Bartol. in l. Sempronius De leg. 2. Bald. ad Rubr. C. De fide instrum. nu. 12.* sed præterea non confecto instrumento, inde instrumentum desumi possit, non solùm ab ipso Notario qui protocollũ scripsit, quamdiu supereſt, verùm etiam eo mortuo, per aliũ quemcumque Notarium authoritate iudicis ordinarij. *d. c. Cum P. tabellio*; modò protocollum iustum sit, & sua requisita habet. † Inter quæ requisita primùm requirunt omnes, ut constet de scriptura ipsius Notarij, qui id scripsisse dicitur; nam eâ deficiente non potest ne quidem jubente judice inde confici aut exemplari aliquod instrumentum, *Nic. Boerius decis. 36 nu. 5.* quia ubi facultas & privilegium seu juris effectus ratione actus vel personæ conceditur aut constituitur, de ea persona & actu ante omnia constare debet, *l. Divus. De nil. testam.* Quâ sane in parte nulla hic occurrit difficultas, ob id, quòd per plures testes ab Actoribus productos probatum sit hanc scripturam esse scriptam manu dicti D. Adriani; prout etiam in illius negatione Rei præfracte non persistunt; & persistentibus occurri possit per comparationem literarum ad alia diversa ejusdem D. Adriani protocolla & instrumenta, *l. contractus C. De fide instrum.*

Secundum quod requiritur est, ut constet de notariatu seu tabellionatu illius, qui scripsit; qua in parte nullus quoque hic est defectus, etiamsi Rei in eo præfractius persistant. * Quippe per eosdem testes probaverunt Actores, dictum D. Adrianum fuisse Notarium publicum, & eum pro tali habitum & reputatum fuisse & ad eum tamquam talem fuisse habitum vulgo & communiter recursum; quod ad probandum notariatũ seu saltem ad sustinendum instrumenta ab eo tamquam Notario publico confecta sufficit, *l. Barbarius De off. prætorio*: cùm plerisque etiam ad probationem notariatus seu sustinendum publicam fidem instrumenti publici hoc sufficiat, quòd constet aliquem confecisse in ea qualitate tria aut quatuor instrumenta, *Innoc. in c. 1. De fide instrum. Spec. in tit. De fide instr. §. restat. vers. præmisso. Alexand. cons. 73. in causa appellationis vol. 6.* quanto magis, ubi constet eum tamquam Notarium habuisse librum protocollorum, & in eo scripta esse diversorum rogationes, actus, & expeditiones, tam per viam contractus quàm per speciem ultimæ voluntatis: quod Venerabili Domino Officiali perspicuum fiet, si sibi per Notarium, qui hoc, de quo controvertitur, protocollum, exhibuit, totum librum protocollorum dicti quondam Domini Adriani, exhibere jusserit, ut ex officio potest.

Quibus accedit & adminiculum hujusmodi probationis magnum facit, quòd ex eorundem prædictorum testium testimonijs constet, dictum Dominũ Adrianum fuisse etiam Vicecuratum Ecclesiæ parochialis; unde ex communi observatione facilius creditur quoque eundem Notarium fuisse, quia plerumque ad Curatos & Vicecuratos, præsertim in testamentorum seu ultimarum voluntatum confectionibus, ut ad Notarios recursus haberi solet, maximè postquam nunc invaluit usus, quòd corã Pastore seu Curato, vel ejus Vicecurato, etiam si Notarij non sint, ex canonica dispositione testamenta & codicilli conficiantur, & sic confecta exitum & effectum habeant, *c. Cum esses De testam.*

Tertium quod requirunt est annotatio anni, mensis, & diei quam Rei asserunt deficere; sed rei evidentia demonstrat contrarium: Protocollum enim, seu prima scheda manu Dicti D. Adriani conscripta, & in hac causa exhibita, & in actis per exemplum seu copiam registrata illiusque lectura detegit, quod hoc protocollum habeat asscriptam hanc datam anni vicesimi octavi, ipso die Gertrudis; aliquid enim scriptura quãcumque contineri, vel non contineri probatur ex ipsius scripturæ inspectione ac lectione, *Paul. Castrens. in l. si binæ De minst. rupt. irrito &c.* Quod agnoscentes Rei postea, post hanc negationem ipsimet dictam datam posirivè allegarunt ad suum compendium & ad alium effectum de quo postea dicetur. Verum quidem est in prætacta data non contineri majoris numeri annorum astriptionẽ, sed minoris tantùm; at est id ad compendium & brevitatem Notarij referendum; quia solent Notarij in suis protocollis plerumque minorem numerum tantùm adjicere subintellecto ex notorietate & communi usu majore numero, qui ignorari non potest, *arg. eorum quæ tradit Felin. in c. Inter dilectos nu. 11. De fide instr.* Neq; enim hic imaginari aut probabiliter assumere licet majorem numerum alium fuisse quàm millesimi quingentesimi; quia ex propria Reorum allegatione, & ex instrumento quod Rei proferunt pro alio dicti Henrici testamento, constat Henricũ adhuc vixisse anno 1544. prout etiam constat D. Adrianum ex hac vita decessisse decẽ annis post datam anni tricesimi octavi, videlicet 1548.

Quod de defectu indictionis & nomine Imperatoris proponitur, momenti nihil habet: etsi enim illa requirantur in publicatione instrumenti solemnis (quæ nec consuetudo, quæ hodie obtinet observat, *Felin. d. l. Inter dilectos*,) necessariò tamen illa non requiruntur in ipso protocollo; cum ex annotatione anni & diei facilè postea in instrumento formali illa adjici possint, *in Auth. Vt. præponatur nomen Imperat. docum.* 4

Quartum quod plerique requirunt, quodque Rei potissimùm hic urgent, est subscriptio seu subsignatio ipsius Notarij, qui protocollum scripsit; quasi illa deficiente, protocollo nulla fides attribuatur 5

buatur; ut nec attribuitur instrumento publico, si illa in eo desit, *l. 2. C. De convenien. fisci debit. lib. 10. Castr. & alij in l. Cum antiquatæ §. fin. C. De testam.* Etii enim in scriptura privata non requiratur specialis subscriptio illius, qui totam scripturam scripsit, *d. §. fin.* in instrumento tamen publico id non sufficit, *Doct. in d. §. fin.* Cæterùm hac in re ingens est Doctorum conflictus, *Cyn. Salic. & alij in l. Contractus C. De fide instrum. Ant. Rub. cons. 14. Viso testamento*; adeò ut plerique in ea contrarijs opinionibus sese involvant, & pro consultorũ commodo modò hanc, modò aliam contrariam asserant, *Alex. cons. 153. Videtur vol. 2. & 14. visis vol. 6.* Sed in contentione, illorum sententia vicit, & cõmuniter probatur, qui existimant, *Alex d. cons. 14. Curt. Iunior cons. 162. Iaf. in l. 1. De reb. cred. si cert. pet. Dec. cons. 42. Pro facult. Aymo Cravet. cons 158. n. 7. v. 1.* soli protocollo non credi sine alijs adminiculis, cũ deest Notarij subscriptio, interim ex protocollo nõ subscripto ex commissione judicis rectè desumi seu confici posse publicum instrumentum, cui plena fides adhibeatur, *Panor. in c. Cum P. tabellio nu. 3. & ibi Felin. nu. 5. De fide instrum. Alex d. cons. 14. nu. 5.* tunc scilicet, quando is qui protocollum scripsit mortuus est; quasi mors Notarij sit loco signi & subscriptionis; prout & aliàs facilius creditur voci mortuæ, quàm vivæ, *Castr. in l. Rationes in princ. De prob. & cons. 301. Ad bene examin. nu. 4. vol. 1.* †

6 Nec adrem facit quod protocollum hoc non sit registratum in ordinario libro protocollorum dicti D. Adriani; nam hujusmodi Notarij negligentia (etiamsi D. Adrianus pluribus annis post hujusmodi ascriptam datam scripserit) non debet nocere ipsi testatori, aut his, qui eo testamento honorantur, *arg. l. Si pariter De lib. caus. Bald. ad rub. C. De fide instr. nu. 7.* sed satis est dictam scedam seu scripturam habere suam perfectionem, eaque omnia quæ habitura esset, si in libro protocollorum registrata esset; ut ex facto consulti elegantissimè responderunt Angelus Perusinus *cons. 400. Testator sua propria*, & Paulus Castrensis *cons. 307. Ad primum quæsitum vol. 1.* ad quos, quoniam hunc articulum de protocollo non registrato, in terminis hujus causæ velut in individuo decidunt, Venerabilem D. Iudicem remittimus brevitatis studio. Ita ut cum hic nihil ex his quæ Doctores requirunt ad hujusmodi protocolli substantiam (quorũ quædam singulatim explicuimus) in proposito desit, præter dictã subscriptionẽ, & quæ ad derogandam fidem D. Adriano ex adverso objiciuntur probata non sint, rectè contendunt Actores ad transsumptionem & publicationem publici instrumenti ex eodem protocollo ad effectum consequendi, ea quæ ipsis in eo ascripta & legata sunt.

Nec Actoribus obstat objectio Reorum, quod Henricus Cappendale cum Maria Voetz sua uxore in anno 1544. decima quarta Septembris aliud testamentum fecerit, & sic hoc qualecunque prius revocatum censeri debeat, *§. sed & si quis prior Inst. Quib. mod. testam. infi.* Nam diligenter inspiciendo instrumentum hujusmodi asserti testamenti, deprehenditur non esse testamentum, sed tantùm donationem, non de universis bonis, sed dumtaxat de uno reditu annuo triginta stuferorũ pro anniversario in salutem animarum nullâ aliâ in eodem instrumento factâ dispositione de bonis suis, nec instituto aliquo hærede, nec relictis aliquibus legatis, sine quibus nec testamentum nec codicillus intelligi potest, *d. l. Si binæ l. Non codicillum C. De testam.* Quinimo nec speciem ultimæ voluntatis habet hujusmodi dispositio, & ne quidem donationis mortis causa, licet mentio in illa facta sit, † ob id, quod formaliter in ea dicatur 7 donari irrevocabiliter; quod evidens est argumentum donationis inter vivos, excludens speciem donationis mortis causa, *l. Vbi ita donatur, De donat. caus. mort. Covar. in epit. 4. Decretal. ad rub. in 2. p. n. 11.* per quam donationem sequentem antecedens testamentum numquam censetur revocatum, & vix est, ut legatum, si de re quæ postea donata est fiat scriptura, revocetur, *l. Rem legatam De adimend. leg.* Sic concludendo existimamus officium Venerabilis Domini Officialis esse, ut secundùm conclusionem agentium in hac causa sententiam ferat condemnando Reos in expensis litis.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Notariatus & protocolli fides.

1. *Exceptio rei iudicatæ ut locum habeat quæ requirãtur.*
2. *Exceptione rei iudicatæ datur etiam ex sententia super exceptione vel replicatione lata.*
3. *Exceptio rei iudicatæ nocet cohæredi contra quem iudicatum est, etiamsi postea iudicetur pro hærede.*
4. *Testamento revocato per sequens, omnia illi in scripta corruunt.*
5. *Notaria fides sustineatur ex communi reputatione.*
6. *Iuramentum non deferri in crimine.*
7. *Instrumenti notarialis authoritas mortuo notario.*
8. *Protocollum an requiratur ad subsistentiam instrumenti.*
9. Novellæ 44. de Tabellionibus *intellectus.*
10. *Instrumento publico standum etsi non appareat de protocollo.*

CONSILIVM CXXXI.

EXCEPTIO rei judicatæ quam Gertrudis Pans hujus causæ Rea, hæredibus quondam Dignæ Ruyts hujus causæ inter alios Actoribus, tam ad impediendum litis ingressum, quàm ad merita causæ peremptoriè objecit, effectum habere, dictis Dignæ hæredibus præjudicare, ac Reæ ad absolutionem saltem pro sua parte obtinendam prodesse debet; quippe ex actis causæ seu litis, quam coram Magnifico D. Rectore almæ Vniversitatis Lovaniensis præfata Digna Ruyts adversus M. Ioan. Smeyers dictæ Reæ quondam maritum instituit, (quæ acta ad instantiam Reæ illa repetentis in hac causa exhibita, & hujus causæ actis alligata sunt) evidenter constat, quod ptæfata Digna Ruyts agendo in effectu petitione hæreditatis, & petendo se declarari proximam hæredem ab intestato Mariæ Ruyts suæ sororis, exceptione seu allegatione causæ testati (quæ intestatâ successione semper potior est *l. Quamdiu De acquir. hæred.*) ex testamento præfatæ Mariæ coram M. Ioan. Veweyckens Notario condito pro parte M. Ioannis Smeyers propositâ, dicti testamenti nullitatem ac falsitatem objecit, adjectâ allegatione alterius antecedentis testamenti

& co-

& codicilli ejusdem Mariæ coram M. Ioanne Duyskens Notario confecto. Quâ objectione nullitatis, itemque antecedentis testamenti & codicilli non obstante, per sententiam Magnifici D. Rectoris idem M. Ioannes Smeyers Reus absolutus est ab impetitione dictæ Dignæ. Quæ absolutoria sententia ut dicto M. Ioanni Smeyers, ita quoque præfatæ hujus causæ Reæ eum repræsentantis, & quam Actores ut hæredem illius conveniunt, prodesse debet, ad hoc saltem, ut pro parte hæredum dictæ Mariæ non possit nec ab intestato ex bonis dictæ Mariæ, nec ex antecedente illo testamento & codicillo quicquam peti; neque item concludi ad hujusmodi antecedentis testamenti ac condicilli validitatem ac dicti posterioris testamenti coram M. Ioanne Veweyckens conditi nullitatem vel falsitatem: ad quæ tamen duo posteriora Actores hujus causæ hîc agunt & contendunt: ita quoad dictæ Dignæ hæredes hic omnia concurrunt quæ efficaciter ad proponendam seu objiciendam exceptionem rei judicatæ requiruntur *l. Iulianus, l. cum quæritur cum duabus sequentibus De except. rei iud.* Primò identitas personarum, & conditionis illarum saltem per repræsentationem; dictis actoribus repræsentantibus præfatam Dignam prioris litis Actricem, cuivis se hæredes allegant; Rea verò repræsentat præfatum M. Ioannem prioris illius litis Reum, cujus domum morturariam per eandem Ream apprehensam esse, & sic locum hæredis obtinere ijdem Actores proponunt. * Quæ identitas personarum facit ut exceptio rei iudicatæ non tantum prosit & noceat his inter quos judicatum est, sed etiam eorum hæredibus & successoribus *l. pro portione l. exceptio de except. rei iud.* Secundò rei quæ petitur quoque hic est identitas; nam etsi illâ lite à principio ex parte præfatæ Dignæ tanquam sororis Mariæ Ruyts petita fuerit ejusdem Mariæ tota hæreditas rerum immobilium, & earum quæ jure immobilium censentur; additâ petitione quod eadem Digna declararetur proxima hæres ab intestato ejusdem Mariæ suæ sororis; licet mutata deinde petitione ac recedendo in effectu à successione immmobilium petierit sibi adiudicari saltem bona quæ iure immobilium censentur; in hac verò lite concludatur ad declarationem quod testamentum dictæ Mariæ coram M. Ioanne Duyskens conditum sit validum, dictaque Rea condemnetur ad præstationem legatorum Actoribus in eo ascriptorum, eoque respectu res planè videtur esse diversa: quia tamen in priore lite tam ad sustinendam petitionem hæreditatis immobilium, quàm bonorum saltem quæ iure immobilium censentur, objectâ per Ioannem Meyers allegatione seu exceptione causæ testati ex posteriore testamento coram Magistro Ioanne Veweycken Notario condito, & quod ex illo ad eum hæreditas omnium bonorum cuiusque generis sub onere præstandorum certorum legatorum pertineat, dicta Digna eidem testamento per replicationem objecit illius posterioris testamenti fabricationem, per allegationes & deductiones causarum falsitatis ad effectum removendi illius testamenti; & in hac causa ad removendum eandem exceptionem ex posteriore hoc testamento Mariæ petitioni Actoris in hac causa factæ pro parte Reæ objectam, Actores replicando eandem falsitatis & fabricationis allegationem denuo ex ijsdem causis repetierunt, additâ formali conclusione; ut idem hoc posterius testamentum declaretur falsum seu fabricatum & nullum, ita ut super hujusmodi posterioris testamenti validitate & invaliditate totius causæ status vertatur; non potest non ea saltem in parte, hoc est, in exceptione & replicatione dici res & causa eadem: quia disputatur iterum de falsitate & nullitate posterioris testamenti. Et quidem (quod tertium est ad proponendam exceptionem rei judicatæ requisitum) ex ijsdem causis uti constat ex collatione causarum hujusmodi falsitatis seu fabricationis, quæ in priore & in hac lite proponuntur. Vnde consequitur quod cum in exceptione & replicatione omnia concurrant, quæ ad constituendam exceptionem rei judicatæ requiruntur; usus quoq; illius in proposito dictæ Reæ adversus hæredes præfatæ Dignæ permitti debeat, ad hoc ut adversus petitionem legatorum posterius testamentum, & adversus allegationem seu conclusionem falsitatis ejusdem posterioris testamenti exceptio rei judicatæ rectè & cum effectu objici possit ad hoc ut de falso seu fabricato amplius queri non possit ad eundem finem, ut scilicet idem posterius testamentum sit vel declaretur nullum. † Exceptio enim rei judicatæ non tantùm oritur ex sententia super actione seu intentione; verùm etiam super exceptione aut replicatione lata *l. si autem §. si quodcunque, & ibi Bart. De neg. gest.* ad hoc potissimùm ut quod excipiendo vel replicando ad certum finem objectum à Iudice semel vel expressè vel tacitè rejectum vel improbatum est, in alio judicio inter eadem personas ad eundem finem amplius cum effectu objici vel refricari non possit, *Lud. Rom. cons. 416. numero 3.* Et sic in proposito replicatio falsi seu fabricati ad finem subvertendæ exceptionis in posteriore testamento propositæ, discussa, & rejecta in priore lite, nunc iterum opposita ad eandem exceptionem ex posteriore testamento enervandam, meritò ad cognitionem admitti non debet, quoad dictæ Dignæ hæredes & legata illis in priore testamento ascripta: etiamsi alijs hujus causæ actoribus, qui hæredes Dignæ non sunt, hoc est liberis Ioannis Ruyts videlicet Laurentio Ruyts & Annæ Nophuysen eadem exceptio judicati objici non possit *l. sæpè De re iud.* quod in illa priore lite non fuerint: * admissa enim pro illis cognitio falsi & fabricati, seu nullitatis prioris testamenti, etiamsi pro illis judicaretur, hæredibus Dignæ prodesse non posset, quia contra illos semel judicatum fuit, nec propter victoriam cohæredum contra illos seu eorum authorem lata sententia retractare posset. *l. pro portione. C. De except. l. iudicata De except. rei iud.* Quod animadvertentes ijdem dictæ Dignæ hæredes, ut effectum hujus exceptionis rei judicatæ ex identitate personarum per repræsentationem, constitutâ personarum diversitate averterent, non sunt veriti inter alia dicere, quòd Actores hujus causæ non sint hæredes Dignæ, neque ejus proles, quod apertè falsum est quoad majorem partem actorum hujus causæ. Nam qui in utroque instrumento procurationis in hac causa exhibito nominantur Actores, excepto

dicto Lau-

dicto Laurentio Ruyts & Anna Nophuysen vidua Adriani Ruyts omnes sunt descendentes præfatæ Dignæ; & non tantùm proles, sed etiam immediatè seu mediatè illius hæredes & bonorum apprehensores: quam qualitatem in altero dictæ procurationis & cautionis instrumento apertè cognoscunt, imò etiam positivè in hac causa allegant, & expressè confitentur, & ut allegent & confiteantur necessum est; cùm sine titulo & jure hæreditatis non possint petere legata quæ dictæ Dignæ vel in priore, vel in posteriore testamento relicta inveniuntur. Sed quoniam hæc exceptio rei judicatæ videtur liberis Ioannis Ruyts, qui in hac quoque Actores sunt obesse non posse quoad legata ipsis vel Ioanni Ruyts adscripta, & quoad liberos Dignæ eadem exceptio rei judicatæ concludi & constringi videatur ad legata Dignæ in priore testamento adscripta, non etiam quoad ea quæ liberis Dignæ in eo adscripta sunt, in sola hac exceptione rei judicatæ non subsistit Rea, sed velut retricatis ac repetitis prioris causæ seu litis defensionibus, priori testamento, eique adjuncto codicillo coram Magistro Ioanne Duyffkens (uti proponitur) condito objcit posterius seu novissimum per prædictam Mariam Ruyts coram Magistro Ioanne VeWeyken conditum testamentum:

4 † quod non tantum quia posterius est, priori, seu antecedenti derogat, illudque prorsus tollit, efficitque ut in eo relicta seu scripta ipso jure non debeantur, §. *posteriore inst. quib. mod. testam. infir. l. 2. De iniust. rupt. h. Sancimus* C. *De testam.* verùm etiam ex eo quòd in eodem posteriore testamento & ei subjecto codicillo relicta legata expressè & specialiter sint revocata; inter quæ nominatim revocata aperte deprehenduntur omnia quæ liberis Ioannis & Dignæ Ruyts relicta erant in priore testamento ac codicillo; sic quod ad illa Actores actionem habere nequeant. Nec in contrarium ad posterioris prætacti testamenti subversionem faciunt, quæ pro parte Actorum proponuntur: primò ad nullitatem dicti testamenti inducendam ex defectu solemnitatis, ex eo capite quasi non constet hoc testamentum posterius scriptum esse manu M. Ioannis Veweyken; secundò quòd non constet eundem M. Ioannem Veweyken fuisse Notarium approbatum; tertiò quod idem testamentum sit falsum per dictum M. Ioannem Veweyken confectum & fabricatum post mortem præfatæ Mariæ Ruyts. Nam quod ad prius attinet, extat in actis illius prioris litis aperta & indubitata præfatæ Dignæ confessio: quod hoc testamentum sit scriptum, subscriptum & subsignatum manu præfati M. Ioannis Veweycken; quæ confessio hæredibus ejusdem Dignæ in hac causa præjudicare debet. Vltra quam confessionem adversus omnes hujus causæ Actores per quatuor testes sufficienter est probata manus seu scriptura M. Ioannis Veweycken.

5 Quoad secundum, Notariatum scilicet dicti M. Ioannis & illius admissionem ad exercitium, ambigendum etiam non est propter testimonia dictorum quatuor testium, qui uno ore deponunt dictum M. Ioannem Veweyken dum viveret fuisse Notarium ex communi opinione, vulgari exercitio, & frequentissimo ad eum concursu pro tali fuisse habitum, & per eum multa instrumenta publica confecta: quæ reputatio & communis opinionis (etiamsi erronea esset) authoritas ad sustinendum hoc testamentum tanquam Notariale & justum in omnem eventum sufficere deberet, *Bart. in l. Barbarius, De off. prætor.* Quæ Bartholi est traditio; quam Carolus Molinæus *in annota. ad Alexa. cons.* 138. *oportune, num* 2. *&* 7. *vol.* 1. dicit veritatem continere; & ita ab antiquo semper fuisse observatum; ideo quòd virtus probationis magis dependeat à fide publica, quàm à titulo vel collatione officij; ne prætextu fidei publicæ contrahentes & testantes decipiantur *Anan. Alciat. cons.* 530. *verba testamenti nu.* 18. Et quamvis Iason hunc articulum tractando sequutus Alexandrum *d. cons.* 138. communiore opinione receptum esse tradat *in d. l. Barbarius. n.* 48. communem reputationem seu errorem non sufficere, id tamen restringit *in d. l. Barbarius nu.* 43. *&* 56. ut obtineat, nisi qui notarius dicitur inveniatur descriptus in matricula Notariorũ, aut nisi possessionem tabellionatus ingressus sit sciente & patiente superiore. Iam verò per notulam seu extractum ex regiſtro admissionis Notariorum ad exercitium Notariale per Ream exhibitum constat præfatum Magistrum Ioannem Veweyken inter alios admissos Notarios annotatum esse sub data anni 1551. toto septennio ante datam hujus posterioris testamenti; ita quod vulgi hæc communis opinio & reputatio adjuvetur ex matricula & authoritate seu scientia publica. De ejus extracti fide dubitandum non est, ideo quòd pars agens monita ad illud respondere intra septem dies sub pœna recogniti contumaciter non respondeat, & sic dictum extractum pro recognito haberi debeat *DD. in l. De ætate. §. qui tacuit. De interrog. act.* Quod ad tertium de falsitate & fabricatione hujus posterioris testamenti, nulla etiam extat idonea & sufficiés probatio: nam etsi Catharina Calabers in testem per Actores producta multa dicat, unde suspicio aliqua falsi desumi posset; quodque hoc testamentum per M. Ioannem Veweyken sit fabricatum, ei tamen fides adhibenda non est, quòd sola & singularis sit, nec ea in parte contestem aliquem habeat *l. iurisiurandi C. De test.* Cujus saneCatharinæ testimonium ne semiplenam quidem probationem hîc facere potest; ideo quod adversus eam diversæ exceptiones fidem illi derogantes, eamque eo loco constituentes, ut non possit dici omni exceptione major, in hac causa objciantur; præsertim ex eo quod ut M. Ioanni Smeyers, ita quoque huic Reæ semper infensa fuerit, & repetitæ hujus litis instigatrix, adeoque etiam sollicitatrix fuerit: sic quod Actoribus in supplementum probationis juramentum hac in parte deferri non possit *l. admonendi, & ibi Doct. De iureiur. Alex. cons.* 32. *viso puncto vol.* 1.

Tantòque minus quod a legatio fabricationis, 6
falsi crimen contineat, & in crimine præsertim in falso, etiamsi civilis sit causa, juramentum in supplementum probationis non sit deferendum *c. tam literis & ibi gl. in verb. probata De test.* sed plena & luce clarior probatio requiratur *l. ult. & ibi Doct. C. De proba. l. ubi fal. C. ad leg. Cornel. De fals.* Et ut ex genere causæ locus esse posse delationi juramenti necessarij in supplementum

probationis; ex qualitate tamen personarum agentium in hac causa deferri non posset; quia quæ dicta Catharina testificando asseruit, non sunt de facto aut scientia agentium, & ob id de illis nemo actorum jurare possit, cùm nemo de facto alieno, cujus ipse ex sensu aliquo corporeo conscius non est, jurare possit, *l. Marcellus §. qui rerum D. De actione rerum amota.* Ita ut non probato falso seu fabricato, huic notariali instrumento posterioris testamenti tanquam publico & solenni plena fides adhiberi debeat *l. cum precibus C. De probat.*

7 Idque non obstante alia actorum allegatione, quod testes dicto instrumento inscripti non sint reperibiles, nec quisquam eorum notitiam habuerit: nam in actis prioris litis ex allegatione præfatæ Dignæ constat de persona alterius testis Ægidij scilicet Mertens, quòd is tempore conditi dicti testamenti vixerit, & plusquam dimidio anno supervixerit. Et quamvis de altero Ioanne Smunters an supersit perinde non constet, non ob id tamen debet dicti instrumenti fides vacillare: ut nec vacillat publicum instrumentum per tabellionem seu Notarium confectum per hoc quod Notarius, & omnes etiam testes mortui sint tempore quo de fide instrumenti quæritur §. *si verò moriantur & ibi Bartol. Ang. & alij in authen. De instr. cautela & fid.* quia notarialis & publici instrumenti solemniter confecti tanta est authoritas, ut pro eo stet juris præsumptio, quamdiu contrarium non probatur *d. l. cum precibus l. si quis decurio Cod. ad leg. Cor. De falsf. & ibi Doct.* præsertim in testamentis *Bart. in l. 1. §. si quis neget, & ibi Alberic. quemad. testa. aper.*

8 Sed nec hoc huic instrumento quicquam detrahit (quod etiam ab actoribus sæpius objicitur & inculcatur) quòd non proferatur protocollum dicti Magistri Ioannis Veweyken; quasi scilicet eo non probato fides instrumento publico inde confecto adhiberi non debeat, *Lud. Rom. consil. 174. amplissime Doct. nu. 7.* & protocollum tunc maximè proferendum sit cùm instrumentum de falso redarguitur, *Bart. in l. si. C. De fid. instrum. & in d. l. ubi C. De falsf.* nam nullo jure hoc cautum est, ad substantiam instrumenti publici & solennis requiri antecedentem descriptionem illorum, quæ in eo continentur, in protocollo, matrice, bastardollo, seu

9 imbreviatura, ut vocant. † Nam quod Iustinianus de instrumentis in urbe Constantinopolitana confectis *Novella 44. De tabell. & ut protocoll. reling. in chart.* statuit, ut protocolla in chartis relinquantur, ex loco restringitur, & tantum in Constantinopolitana civitate obtinuit, aliumque quàm vulgo ignoratione vocis & veritatis Interpretes tradunt, sensum habet. Neque enim in illa constitutione pro prima nota seu annotatione aut registro notarij est protocollum, sed chartæ seu membranæ in quibus contractus vel testamentum inscribitur, signum publicum quod in chartis relinqui & minimè abscindi vult Iustinianus; ut rectè interpretantur Præses Viglius §. *nihil autem interest, instit. De testa. ord.* & Iacobus Cujacius *d. novella 44.*

10 † & in communi veterum juris Interpretum errore verius & communius receptum est, standum esse publico instrumento formaliter confecto & absoluto, licet non appareat de protocollo; hâc ratione (ut tradit Baldus *ad rubricam. Cod. De fid. instr. nu. 20. vers. secundo, Felin in cap. cum P. tabell. num. 2.*) quod ex quo per Notarium rogatum, instrumentum est redactum in mundum, est ipsum verum originale; nec de protocollo seu abbreviatura curandum, extet, an non. Alioqui sanè si instrumenti fides ex protocollo penderet, amissio protocolli, aut negligentia Notarij, qui non redegit in protocollum noceret contrahentibus & testantibus; quod absurdum foret, *Felin. in d. cap. cum P. tabellio.* Quâ objectione deficientis seu non prolati protocolli, ideo etiam minus in hac causa uti possunt Actores, quòd nec ipsi proferant protocollum M. Ioannis Duyfkens, qui dicitur fuisse Notarius prioris testamenti & codicilli; cujus protocollum Actores fatentur non posse inveniri. Quâ in parte major in Actoribus est defectus, quòd nec in prioris illius litis actis non extet authenticum aliquod instrumentum aut exemplar prioris testamenti ac codicilli, sed nudum tantum exemplum nullius Notarij manu subscriptum, & quod in actis hujus causæ exhibitum est, subsignatum per Melchiorem Berchen fidem non mereatur; tum quia de dicti Melchioris notariatu per Ream negato non constet; tum quia hæc exemplatio seu descriptio ex asserto protocollo mortui Notarij secundum formam juris facta non sit, ex authoritate scilicet vel præcepto judicis *d. cap. cum P. Tabellio. gl. & Odofred. in l. 2. De fid. instr. Socinus nepos cons. 2. vol. 2. nu. 1.* cum tamen ex adverso, de testamento posteriore tam in priore, quàm in hac secunda lite extet originale & formale instrumentum; & quidem in priore lite plenissimè recognitum. Atque ita omnibus perpensis existimo partes Magnifici D. Rectoris esse ut Ream ab impetitione agentium absolvat, & agentes ad solutionem expensarum litis Reæ codemnet.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Protocollo adiecta marginalis additio.

1. *Copiæ nudæ non stant.*
2. *Acta publica probant.*
3. *Instrumentum deletum seu cancellatum quid probet.*
4. *Excipiens quando censeatur confiteri.*
5. *Verba enuntiativa in antiquis probant.*
6. *Marginali additioni in instrumento quando stetur.*

7-10. *Marginalis additio in protocollo de contractu revocato quam viam habeat.*

8. *Bartoli locus ad* l. in fraudem. §. Sicut D. de milita. testam.
9. *Instrumentum redditur suspectum ex diversitate atramenti.*
11. *Archivi authoritas.*
12. *Instrumenta Notariorum sine testibus non valent.*

CONSILIVM CXXXII.

QVÆ pro sustinenda intentione Domini Philippi van Serlyn Actoris in vindicatione dominij de Hansbeeke adversus Dominum Philippum van Axpoele Reum pro confutandis exceptionibus ac defensionibus ejusdem Rei, per scripturas Advocati causæ latissimè deducta sunt, abundè sufficere poterant

rant ad obtinendam condemnationem dicti Rei: sed quoniam per occasionem dictarum exceptionum tractatio latius progressa est, illam in pauca contrahendo, & in quibus causæ status ac decisio non versatur omittendo, paucis velut commonitorij loco deducemus, Actoris intentionem benè fundatam, nullisque exceptionibus ex adverso obiectis enervatam esse. Quod ut commodè fiat de viribus probationum, sine quibus Actor obtinere non potest, *c. cum Ecclesia sub fin. De caus. posses. & propriet. l. qui accusare. C. De edend. l. Actor. C. De probat.* inquiremus prius; num scilicet instrumentum ex quo Actor agit effectum probationis contineat? Etenim de eo in primo aspectu dubitari poterat; ob id quod nullum proferatur notariale solenniter confectum instrumentum; neque literæ aliquæ Scabinales manu alicujus Secretarij aut Notarij subscriptæ & subsignatæ, & sigillis Scabinorum (ut ex more fieri solet) sigillatæ; sed nudum dumtaxat exemplum seu copia cujusdam Scabinalis recognitionis continentis conventionem & contractum antenuptialem inter quondam Guidonem ejusque uxorem nomine Catharinæ suæ filiæ, & quondam Gerardum tunc dictæ Catharinæ sponsum, & futurum maritum.

1 Quod sanè nudum exemplum parte adversâ contradicente nullam mereri potest probationis fidem *c. 1. De fid. instr. l. 2. D. eodem.* Nam nec Princeps nudis hujusmodi instrumentorum exemplis fidem attribuere, *Panorm. in d. c. 1. Roma singula. 716.* nec temporis antiquitas probationis aut etiam præsumptionis alicujus robur illis adijcere potest; cum sit merè privata scriptura nullum gradum probationis, nec ullum indicium faciens *Caro. Mol. ad consuet. Paris. tit. 1. §. 5. num 48. & 59. Dida. Covarru. pract. quæst. cap. 21. num. 7.* Cæterum cum nulla extet in actis hujus causæ formalis aliqua hujusce modi contractus vel conventionis vel etiam dictæ privatæ scripturæ, & nudi exempli negatio, vel de veritate illius controversia, aut ex ea parte Rei aliqua objectio, sed ex adverso satis aperta ejusdem Rei confessio, quod sit descripta ex registris seu libris Scabinorum civitatis Gädensis, quodque idem contractus etiam nunc adhuc in dictis registris seu libris extet & conspiciatur, de fide illius dubitare non oportet.

2 Gesta enim quæ translata sunt in publica monumenta, hoc est quæ apud acta & regesta publica quorumcunque Iudicum, Magistratuum, aut municipiorum descripta sunt perpetuam firmitatem & securitatem habent, *l. gesta C. De re iudic. l. omnium C. De testam.* & ut non indigent privato testimonio seu adhibitione testium, *l. In donationibus C. De donat.* ita nec alio aliquo scripto instrumento; quia publica fides hujusmodi Actorum, librorum, & registrorum publicorum, quæ ad perpetuam rerum gestarum memoriam habentur, & in Archivo, aut chartophylacio publico per Actuarios, Commentarienses, seu publicos Officiarios asservantur *Andreas Alciat. in l. 2. num. 9. C. De edend.* omnem fidem probationis superat, *Carol. Mol. d. §. 5. nu 18. & seqq.* & descripto ex illo, cum constat inde descriptum seu sumptum esse omninò standum est, etiamsi careat subscriptione Notarij, testibus, aut solennibus alijs publici instrumenti *Auth. adhæc C. De fid. instrument.* Quò etiam factum est, quod Reus non neget hunc contractum; sed præsupponendo, imò non obscurè confitendo illum intercessisse & præcessisse, exceptione veluti taciti pacti, de non petendo, adversus illum uratur; objiciendo ejusdem contractus ac Scabinalis recognitionis deletionem, cassationem, seu extinctionem per hoc quod in publico dictorum Scabinorum registro, seu libro ad marginem hujus recognitionis, & contractus inveniantur adscripta hæc verba: Deleta ex consensu partium anno 1457. 25. Iuly.

Deletum enim seu cancellatum instrumentum, 3
vel apud creditorem, vel apud ejusdem instrumenti Notarium vel Scribam inventum, etsi retineat præsumptionem, debitam seu rem sic contractam præcessisse, non tamen probat eam adhuc esse seu stare; sed trahit secum præsumptionem vel solutionis, vel liberationis, vel pacti de non petendo, *Bart. in l. nullo. §. qui tabulas de furt. l. si Chirographum De probat. Bald. in l. Labeo in fin & ib. Lason, & aly de pact. Alexand. cons. 95. viso proces. causæ n. 11. vol. 2.* * Ita ut hæc exceptio liberationis & ex- 4
tinctionis satis manifestam contineat confessionem veritatis dictæ conventionis, etiam si de illa nuda hæc scriptura tantum fuerit exhibita. Etsi enim qui excipit in dubio non censeatur confiteri de intentione agentis, *l. Non utique de except.* cùm tamen excipiendo aliquid ponit simpliciter sine formali negatione intentionis, ut est cùm excipit de solutione aut alia liberatione, veluti per pactū de non petendo aut per aliud simile, in exceptione latet vis confessionis; ita quod de intentionis probatione quærendum non sit, sed de veritate exceptionis: *Dynus in c. exceptionem sub fin. de reg. iur. lib. 6.* ut contingit in proposito. Nusquam enim Reus negat ita inter Guidonem & Gerardum contractum fuisse; sed ab hoc contractu recessum esse allegat, & id per dictam marginalem additionem plenè probari contendit. De qua dictæ conventionis veritate minus dubitandum, quod alia prolata & per partem adversam recognita sint instrumenta de his quæ in consequentiam hujus contractus, & conventionis antenuptialis postea per diversa temporum intervalla acta fuerunt; partim per ipsum Gerardum & Catharinam ejus uxorem (ut est instrumentum liberationis de adimpleto per Guidonem hoc contractu 28. Iulij anno 1457. item processus judicialis unius ex fidejussoribus pro dicto contractu antenuptiali adversus Gerardum pro obtinenda liberatione ab hujusmodi fidejussione; item sententiæ Scabinalis desuper latæ) partim per Guidonem cum suo fidejussore, ut est transportatio quorumdam bonorum dicti Guidonis prosecuritate ejusdem fidejussoris. In quibus omnibus actibus & instrumentis aperta sit, tum enuntiativè, tum etiam dispositivè mentio dicti contractus antenuptialis super nuptijs dicti Gerardi & Catharinæ: † quæ enuntiativa commemoratio in 5
antiquis (ut est hic contractus antenuptialis centum & viginti ferè annorum tempus excedens) plenè probat; potissimùm quod facta sit non propter aliud, sed propter ipsum eundem contractum, & inter eosdem partes, *Aymo Cravett. De*

antiquit. tempo. p. 1. §. *propositum nostrum num.* 23. *&* §. *ampliatur.*

6 Sublata itaque dubitatione quæ moveri posset circa probationem instrumenti seu contractus ex quo Actor agit, discutienda est difficultas, quæ oritur ex dicta marginali additione, in qua etiam Reus vel potissimum suæ defensionis præsidium constituit, quod existimet per eam annotationem dictum contractum, saltem ex die in ea adscripto, cancellatum & cassatum fuisse; & ex cancellato, abolito, seu cassato instrumento nihil peti, *l.* 1. §. *si linum de bon. poss. secundum tabul. l. Vlt.* C. *De edict. divi Adriani tollend.* nec ex ea fidem probationis fieri posse, *l. Si unus in fin.* C. De *testam.* fidemque hujusmodi apostillæ seu annotationis adhibendam esse, præsertim quod diem & annum adscriptos habeat. Exemplo illius quod tradit Bartolus *in l. In fraudem*, §. *sicut* D. De *milit. testam.* fidem adhibendam esse hujusmodi marginali additioni, si cancellato vel inducto instrumento in protocollo aut in instrumento formali Notarius per errorem in margine adscripserit *per errorem cassatum esse.*

7 Verùm nec hac ex parte justa est rei defensio; nam extat Ioannis Andreæ ex Martino Silimano vetere jurisinterprete decisio, *in addit. ad Specul. tit* De *instrum. edend.* §. *Ostenso vers. Illud quoque prætereundum ad verba verior est, nu.* 15. quod si in protocollo seu imbreviatura Notarij, in quo aliquis inter aliquos initus contractus, aut aliud negotium scriptum est, in margine hujusmodi scripturæ etiam de manu illius ejusdem Notarij, multo magis cujuscumque alterius, adscripta inveniantur hæc verba *Cassum* seu *cassatum de voluntate partium*, nulla habenda sit ratio hujusmodi marginalis additionis; sed eâ non obstante standum sit scripturæ contractus seu negotij tanquam non cassatæ, & ex illa fieri posse publicum & solemne instrumentum, & inde viâ juridica procedi posse; ea ratione quod periculosum foret etiam ipso Notario, qui principalis scripturæ Author fuit id permitti, ob id quod corrumpi & dolo malo hujusmodi verba adscribere possit. Quam Ioannis Andreæ rationem Baldus *in d. l. Si unus & in l. Nostram* C. De *testam.* Angelus *consil.* 346. *Tutius hæres num.* 2. Paulus Castrensis *in d. l. Si unus & consil.* 131. *dubium facit vol.* 2. Alexander *in d. l. Si unus & cons.* 14. *visis & consideratis nu.* 13. *vol.* 6. Iason *in d. l. Si unus*, Petrus Ancharanus *cons.* 242. *prius de viribus*, Philippus Corneus *in d. l. Si unus nu.* 11. Marianus Socinus *consil.* 277. *visis publicis nu.* 8. *vol.* 2. Stephanus Bertrandi *consil.* 295. *quando inter protocollum nu.* 5. *vol.* 3. *parte* 2. & passim alii comprobant & sequuntur. Cui traditioni præiudicium non facit prædicta Bartoli traditio, *in d. l. In fraudem*; quippe loquitur in alio, & diverso casu, in quo agitur de sustinenda originali, seu principali scriptura in protocollo Notarij, aut regesto, seu libro publico Magistratus scripta, & postea per transversas lineas inducta aut deleta; propter verba Notarij seu scribæ illius manu ad marginem scripta, continentia quod contractus seu negotium sit cassatum per errorem? hoc enim casu, cùm facillimè fieri possit, ut incautè Notarius deleat aut inducat, *l.* 1. §. 1. *in fine, de his quæ in testam. delen.* idemque idem Notarius, seu scriba huiusmodi verba adscribendo attestetur de suo proprio facto, quod in absentia partium contrahentium fieri potuit, meritò fides ei haberi debet in eo quod scripsit per errorem esse cassatum, ut scripturæ originali perinde stetur, quasi non sit inducta, deleta, aut cassata. At verò Ioannis Andreæ traditio communiter approbata, agit de casu contrario, quo marginalis annotatio seu apostilla continet attestationem seu declarationem cassati seu aboliti contractus; quæ sic non tendit ad coadiuvandam fidem scripturæ originalis, & ad subsistentiam illius, sed ad destructionem: unde huiusmodi sic apostillata scriptura in originali libro seu Registro duas, ut inquit Angelus *d. consil.* 346. *num.* 2. continet dispositiones; unam inductivam ac omni solennitate subnixam, contractum scilicet seu negotium in protocollo seu regesto descriptum; alterâ destructivam ipsius contractus seu negotij, hoc est cassationem seu deletionem in margine adscriptam, quæ non apparet facta solenniter nec de voluntate partium, etiamsi constet factam esse per Notarium seu scribam, qui non debet suo facto contrahentibus præiudicium aliquod adferre, quod proculdubio adferret suâ annotatione quæ induceret cassationem seu cancellationem contractus, qui non est in manu Notarij seu scribæ. Aliter se res habet cum de facto proprio attestatur se deleviſse, induxisse, seu cancellasse per errorem; quia hæc marginalia verba spectant solum Notarium, & tendunt ad convalidandam scripturam originalem, ut mirum non sit si his duobus attentis marginali additioni credatur, *Alex in d. l. si unus nu.* 8. *& ibi Ias.*

8 Qui est casus de quo agit Bartolus *in d.* §. *sicut*, qui non rectè intellectus ob id immeritò ab ipso Baldo uno loco *in d. l. nostram post. princip.* reprehenditur, ut benè tradit Philippus Corneus *in d. l. si unus nu.* 12. Sed in proposito est Notarij de facto eorum quos negotium contingit, annotatio; quæ non est nisi mera & pura privata scriptura, debitè non solennizata; hoc est sine adhibitis testibus, sine præsentia & testificatione testium adhibitorum facta, non additâ eiusdem Notarij subscriptione seu subsignatione, quâ solennitate omissa vel falsi vel erroris est maximè procliuis præsumptio; quia, ut inquit Alexander *d. cons.* 59. *num.* 5. marginales hujusmodi additiones possunt fieri ad placitum non servato ordine temporis, & ex longiore temporis intervallo *Castrens. in d. l. si unus nu.* 5. hoc est, postquam ipse contractus seu negotium est perfectum, partibus publicatum, seu ut dicunt, coram scabinis passatum, & ad fidem perpetuam libro publico inscriptum: aliter quam si incontinenti post nudam descriptionem in libro ante passationem id fieret; nam eo casu cassatio seu cancellatio potior esset ipsa scriptura contractus seu negotij, *Philippus Corneus in d. l. si unus*, quia scilicet non constat de negotio perfecto & consummato. Quamvis igitur hæc marginalis additio, de qua hic quæritur diem & annum habeat, quia tamen non habet adhibitionem testium, neque est graphiarij seu Scribæ dictorum Scabinorum dictæ annotationi subiecta subscriptio vel subsignatio; & præterea eadem marginalis additio

NON

non est in continenti tempore contracti negotij, quod in originali scriptura continetur asscripta, sed post extremam perfectionem & publicationem dictæ recognitionis scabinalis; idque alio tempore, (quod apertè convincit, † non tantùm scripturæ diversitas quæ ex atramenti diversitate deprehenditur, *c. Inter dilectos de fide instrum.* sed etiam evidens intervallum novem ferè annorum qui à tertia Septemb. anno 1448. quæ est data dicti contractus antenuptialis usque ad 25. Iulij anno 1457. qua dicta cassatio seu marginalis deletio asscripta dicitur, interceserunt) non potest dici effectum aut momentum ullum habere, nec fidem facere quod dicti contrahentes à contracto hoc negotio recesserint, aut ex eorum voluntate illius cassatio seu deletio facta sit; quia est attestatio, & declaratio de facto alieno, non ipsius scribentis, quæ sine adhibitione testium aut subscriptione contrahentium nullius est momenti. Et quidem in proposito tanto minus huic marginali additioni aliquid attribuendum est, ob id quod ut dictum est, non constet scriptam esse manu ejusdem scribæ seu graphiarij qui primam & originalem dicti contractus scripturam dicto scabinali Registro inscripsit, sed dicitur manu alterius & quidem incogniti scripta: quo casu hujus generis annotatio evidentius nullius est momenti, propter suspicionem falsi quæ facilius exoritur ex alterata seu alterius, quàm ejus, qui principalis scripturæ scriba fuit manu, *Anchor. d. cons.* 242. *nu.* 1. Sic ut in hac ignorantia, cùm scilicet ignoratur cujus manu sit asscripta marginalis additio, etiam priore casu, de quo loquitur Bartolus *in d. §. sicut*, multò magis in hoc posteriore, de quo hîc agimus, fides hujusmodi marginali additioni adhiberi non debeat; quia potuit ab alio, quàm à Notario fieri; ita ut testimonium Notarij seu publici scribæ per illius subscriptionem & subsignationem adhibita eadem solennitate, quâ originalis scriptura publicata seu passata fuit, hoc est adhibitis testibus vel Scabinis, omnino sit necessarium, ut marginali hujusmodi annotationi fides adhibeatur. *Bart in l. Acta num.* 6. *De re iud. Bald. in d. l. Nostram post princip. vers. si autem sint à latere*, *Castrens. d. consil.* 131. *num.* 2.

10 Cæterùm in hujus articuli tractatione unus superest scrupulus ex restrictione seu limitatione, quam Baldus *in d. l. Si unus n.* 2. circa dictam Ioannis Andreæ traditionem facit; videlicet illam obtinere si hujusmodi marginalis additio de cassato seu deleto contractu vel negotio sit asscripta vel in solenni publicato, & perfecto instrumento; vel in protocollo, regesto, seu in breviatura ipsius Notarij; non perinde etiamsi scriptura originalis habens hujusmodi marginalem additionem reperiatur in archivo publico: quasi eo casu hujusmodi additioni indubitatè standum sit. Quam restrictionem Philippus Corneus *in d. l. si unus nu.* 14. (etsi sine dubitatione non esse putet) hâc ratione approbat, quod major, minusque dubitatè fides adhibeatur scripturis, quæ ex archivo, & loco publico proferuntur; quasi publicâ fide adjuventur ex authoritate Archivi. *l. census De probat. Doct. in c. Ad audientiam de præscript. Ludo. Rom. cons.* 319. *in causa Ioannis*, quæ publicæ fidei authoritas perinde transfundatur ad additionem marginalem, ut ad corpus ipsius originalis seu primæ scripturæ contractum seu negotium continens; cùm utrumque ex æquo authoritatem Archivi habeat, *Corneus d. num.* 14. unde cùm in Registro publico dictorum Scabinorum inveniatur hæc annotatio marginalis, idemque Registrum in loco publico asservetur, probabilis exoritur dubitatio, annè perinde annotationi, ut principali scripturæ hujus recognitionis fides adhiberi debeat; principali quidem ut rei prius actæ, annotationi verò ut postea sequutæ? Verùm nec ex hac consideratione sustineri potest hæc non solenniter asscripta marginalis additio, quod vis, potestas, & authoritas Archivi publici illi attribui nequeat: * neque enim 11 hujusmodi, quamvis publicum Actorum seu gestorum publicorum Regestum seu liber pro Archeio, seu Archivo accipi possit, cùm sit non contentum, sed continens; hoc est locus publicus, publicâ authoritate constitutus; in quo omnis generis instrumenta & scripturæ, perpetuæ & indubitatæ fidei gratiâ asservantur; qui ob id ab ejus officio, hoc est custodia, *grammatophylacium* seu *chartophylacium* nominatur, *l. Moris* §. *solet* D. *De pan. Molin. d.* §. 5. *tit.* 1. *num.* 26. & à Iustiniano describitur *in Auth. de defenso. civi.* §. *& iudicare vers. præcepta verò*, quod sit domus publica in civitate, in qua Magistratus Actorum monumenta reponuntur, constituto aliquo, penes quem hujus sit custodia, quò magis tuta & incorrupta ea maneant, & celerius quælita inveniantur: unde & Glossa vulgaris, *Clem.* 1. *in fin. in verb. Archivis de iureiur.* Archivum vocat *Armaria librorum.* Quare etiam libri, seu regesta rerum quotidianarum, quibus non custodes publici, qui ἀρχεῖοι dicuntur, *l. Munerum* §. *hi quoque De muneris. & honoris.* sed scribæ, quos alibi scribanos, alibi secretarios, alibi graphiarios vocant, præficiuntur, non magis Archivum constituunt aut Archivi authoritatem vel potestatem habent, quàm Notariorum primæ notæ, quas imbreviaturas, alij protocolla vocant; cùm & Notarij seu tabelliones plerumque, ut Scribæ, publicam stationem habeant *in Auth. de tabell. per totum*, & non minus contingere possit, ut falso, seu dolo malo, ad marginem alicujus notæ seu scripturæ in libro publico regestratæ, per aliquem alium aliquid scribatur, quàm in protocollo Notarij seu tabellionis. Præsertim quod ex usu communi, & moribus hujusmodi publica regesta omnibus pateant, & omnibus ad illa pateat accessus; quæ & plerumque versantur in manibus amanuensium seu ministrorum, quibus Scribæ, & graphiarij in suis stationibus seu cameris utuntur. Sicuti ex eodem communi usu nihil in illis ratum, aut fide dignum habetur quod non habet asscripta nomina Scabinorum, in quorum præsentia, & quibus velut testibus adhibitis aliquid in illis velut recognitum scriptum est: † nam ut in Notariorum seu Tabellionum 12 scriptura ex jure communi nihil sine adhibitione testium ratum est, *in Authent. De instrum. cautela & fid.* §. *Sed etsi instr.* ita nec in regestis his publicis, quod non habet asscripta nomina Scabinorum, vel decurionum, quibus præsentibus (velut publicis testibus, qui se omnibus

testari, seu testato aliquid facere volentibus præbere solent *l. curent De testib.*) hujusmodi inscriptum negotium actum est; prout apertè conspicitur in nota recognitionis dicti contractus antenuptialis, in cujus fine inveniuntur asscripta nomina Scabinorum, quibus præsentibus hic contractus initus & passatus fuit. Quod cùm non inveniatur observatum in dicta marginali additione de deleto hoc contractu ex consensu partium, & eâdem solennitate deletio, cancellatio, seu inductio fieri debuerit, qua recognitio, *Bart. in l. acta num. 6. De re iudic.* sequitur illi nullam esse adhibendam fidem, secundùm illa quæ superius latè deducta sunt, & sic exhibitum dicti contractus antenuptialis instrumentum integrum & illibatum adhuc stare ac pro vero justoque habendum.

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Transsumptum.

1. *Transsumptum utile quod sit.*
2. *Citatio non requiritur ad actum quando nullius interest.*
3. *Transsumptorum usus.*
4. *Bigamia quæ inducat irregularitatem.*

CONSILIVM CXXXIII.

NVLLA videtur justa & concludens ratio cur stari non debeat transsumpto quod N. V. I. Licentiatus Diœcesis Brugensis profert, de & super bulla dispensationis per fæ: re: Gregorium Papam decimumtertium dicto N. de promovendo ad sacros ordines non obstante bigamiâ concessæ, per S. D. N. Sixtum Papam modernum in forma, *Rationi congruit &c.* expeditæ: † cùm in eo conspiciantur omnia & singula quæ ad authenticum ac legale transsumptum seu exemplatum de jure requiruntur, *cap. ult. De fid. instru. c. cum dilect. De confir. util. vel. inutil.* Quippe facta est hæc transsumptio seu exemplatio ex præscripto non tantùm Canonis *d. c. ult. gl. in c. Abbate, in verb. fiat fides vers. sed alij dicunt De verb. signif.* verùm etiam legum *§. 1. in auth. ut fratum filij, & ibi gl. in verb. monumenta.* authoritate Reverendi Domini Hieronymi Matthęi Prothonotarij Apostolici, S. D. N. Papæ Camerarij, curiæ causarum Cameræ apostolicæ generalis auditoris, Romanæque curiæ Iudicis Ordinarij; adhibita non tantum honestâ, sed etiam publica persona Francisci Bachelelli curiæ Apostolicæ Notarij; addito quoque dicti Ordinarij Iudicis sigillo solenni, quod ad fidem faciendam maximum robur habere solet, *DD. in c. post cessionem De probatio.* Et sanè hujus transsumpti aspectus satis illius fidem sustinet & tuetur cessante omni præsumptione falsitatis vel suppositionis. Verum quidem est hanc transsumptionem & exemplationem factam esse nullâ alicujus, seu aliquorum citatione interveniente, ob id quod in dicto transsumpto alicujus citationis ad videndum fieri transsumptionem & exemplationem nulla fiat mentio, & in dubio citationis actus non præsumatur, *Bartol. in l scientiam De verb. oblig.* sed hic solius citationis defectus satis momenti non habet ad vitiandam hanc transsumptionem; non tantùm ex eo quod Canon *d. c. ult.* qui Iudicis Ordinarij authoritate transsumptionem fieri patitur, nullam formaliter requirat citationem; sed ex eo quoque quod occasio citationis in re propolita nulla fuerit: * nulla enim in quocunque actu necessaria est citatio, nisi alicujus interfit ad illum citari *l. De unoquoque De re iud. l. Nam ita Divus De adoptio. cap. significavit De testib.* ut ferè sunt omnes actus voluntariæ, non contentiosæ jurisdictionis. Iam verò hęc dispensatio, quam hic N. à S. D. N. Papa obtinuit non justitiæ, sed merè gratiosa est, dependens à solius Pontificis potestate & voluntate; nec fingi aut cogitari potest aliquod interesse tertij alicujus, qui huic gratiæ contradicere aut interesse aliquod prætexere possit adversus eum qui ex laica vita aspirat, & contendit ad clericalem militiam, & saros etiam minores ordines: ita ut deficiente contradictore, nullo quoq; existente, qui interesse prætendere possit, supervacanea, saltem minimè necessaria fuisset citatio ad videndum fieri hanc exemplationem; cùm generaliter quoque verum sit citationem nullam requiri illius non tantum cujus non interest, sed etiam illius, qui contradicendi ius non habet DD. *in d. l. Unquoque* † Et sanè est iste notorius stylus curiæ Romanæ in faciendis transsumptis adversus pericula quæ originalibus bullis sæpe supervenire solent in transmissione illarum; præsertim ultra montes in longinquas regiones, potissimùm turbidis temporibus, quibus cursores seu veridarij frequenter deijci, spoliari, & occidi solent: prout dictus N. planè sibi persuadet de hac sua bulla contigisse, quæ quamvis Calendis Maij anno 1585. expedita, nondum ad illius manus pervenit ut juramento asserere paratus est, & sic asserenti fides adhiberi debet *l. ult. C. De fide instrum.* Quæ causa fuit cur translationem hujus transsumpti adversus hunc futurum casum ex more Curiæ Romanæ sic expediri procurare debuerit; ut meritò scrupulosius de fide hujus trāssumpti dubitare non oporteat, in re præsertim favorabili, & ex qua, seu illius executione neque scandalum neque inconveniens oriri potest, quæque juri non repugnat; * præsertim in dispensatione non super mera & formali bigamia ex duobus successivè contractis matrimonijs contracta (quæ pressius irregularitatem inducit, & impedimentum promotionis ad sacros ordines potentius facit *c. Deinde c. acutius 26. distinct. Gl. in c. super eo in bigamis De bigam. non ord.*) sed super interpretativa; qualis est illius, qui viduam uxorem duxit, ut est in proposito casu: nam quamvis in vera & propria bigamia propter constitutionem Apostoli difficilior sit dispensationis potestas ex ordinaria jurisdictione, in interpretativa tamen est facilior, *Gloss. in d. c. super eo, in verb. dispensare, eleganter* Pet. Anchar. *cons. 124. circa bigamos num. 2.* Quæ præmissa sufficere puto ad instructionem Venerabilis Domini Officialis, cui prætactæ bullæ executio per S. D. N. Papam mandata, & delegata est.

1 2 3 4

De

De fide instrumentorum.

SVMMARIVM.

Sigilli & sigillandi facultas.

1. *Iudex maleficiorum aut pacis violatæ non cognoscit de causa civili.*
2.13. *Interdictum retinendæ seu* uti possidetis *requirit veram possessionem.*
3.5. *Interdicto* uti possidetis *non sufficit possessio precaria.*
4. *Interdictum* de precario.
6.10. *Sigilli usus & sigillandi facultas cuique permissa.*
7. *Facultatis quæ sunt, cuique liberæ sunt.*
8. *Molendini, aut furni usus an & quando necessitatem continuandi inducat.*
9.12. *Servitus etiam contra naturalem libertatem induci potest per prohibitionem, cui obtemperatur.*
11. *Resortus non probat iurisdictionem.*
14. *Sigillum habere singula collegia expedit.*
15. *Sigilli potestas esse debet iudici ordinario.*

CONSILIVM CXXXIIII.

DILIGENTER perlectis & excussis actis causæ, quæ acta & peracta est coram vigintiduumviris Civitatis & patriæ Leodiensis, inter Scabinos altæ justitiæ Oppidi S. Trudonis conquerentes & impetrantes; & mansionarios Curiæ Præpositi monasterij S. Trudonis reos opponentes, hoc imprimis nobis mirum videtur quâ ratione, cùm horum Dominorum Iudicum jurisdictio, omnino sit limitata & restricta dumtaxat ad causas fractæ seu violatæ pacis publicæ, hæc civilis quæstio de usu, & potestate sigilli, deferri potuerit ad eos: *
1 quippe limitata causa jurisdictionis, ipsam jurisdictionem limitat & restringit: ut qui maleficiorum est Iudex, de civili querela seu quæstione nec cognoscere nec judicare possit *l. solemus §. latrunculator. D. De iud. Bald. consil. 203. præsupposito, nu. 2. vol. 1. Angel. cons. 257. inter capitula pacis num. 2. Andr. Tiraq. in tit. res inter alios actus post pr. vers. cui proximè accedit*, & si fines suæ jurisdictionis excedendo judicet, judicatum sit nullum, *Raphael Fulgos. consil. 162 visis actis.* Civilem autem non violatæ pacis esse, aut posse esse quæstionem, quæ ex materia propositæ litis exorta est ob usum novi sigilli, & sigillandi officium à dictis Scabinis translatum, res ipsa demonstrat: ut enim actioni seu constitutioni violatæ pacis publicæ locus sit, non sufficit quæcunque querela nec quodcunque contravenientis factum, sed requiritur vel publica vel major, & atrocior violatio, armis etiam adhibitis, dolo malo illata, cui privatim resisti non potuerit, *And. Gail. De pac. publ. c. 7.* ita ut quæcunque injuria aut injustitia, quæ alicui capitulis pacis publicæ subjecto infertur, non possit mox, fractæ aut violatæ pacis dici; & ne quidem spolium quodcunque, quod directè non sit ad turbandum pacem: sed est hujusmodi vis interdicto apud ordinarium Iudicem civilem coercenda, non etiam extraordinario hujusmodi judicio vindicanda, *And. Gail. d. c. 7. nu. 19.* neque enim ea quæstio ratione præteritorum vel futurorum ullo modo pertinet ad capitula pacis publicæ, sed ad rem privatam, saltem ad jus commune & civile, controversiamque judicialem, *Bald. cons. 195. laudare num. 3. & 6. volum. 2.* etiamsi esset furtum, aut rapina, aut quæcunque alia; quæ in hoc directè & proximè non tendit, ut vel bellum, aut civiles motus excitentur, vel sopitæ inimicitiæ resuscitentur, *Bart. in l. aut facta. §. causa De pœnis, Ludouic. Roma. cons. 183. in casu proposito & consil. 258. in casu proposito.* Alioqui si ad quamcunque querelam, vel judicialem controversiam, fractæ seu ruptæ pacis consideratio accommodaretur, nulla subsisteret inter subditos quæstio, quæ non ad hoc extraordinarium Auditorium ac judicium posset pertrahi. Sed ad hanc scrupulositatem de judicij competentia vel incompetentia non subsistendo, postquam pro parte Reorum hoc judicium (uti poterat) declinatum non est, & tacitè videatur prorogatum, quatenus de jure prorogationem admittit, *Castrensis in d. §. latrunculator.* ad merita causæ principalis progrediemur. Quæ sanè nobis ita videntur collocata ut non possit videri ullo modo justa hæc Actorum querela, & in effectu turbatæ possessionis, & manutenentiæ interdictum; quo ex eo quod præfati Mansionarij proprio sigillo uti cæperunt in suis legis actionibus seu operis, omissa veteri observatione de adhibendis ad eorum actiones, in jure cessiones, seu legis operas, sigillis dictorum Scabinorum, concluserunt ut Rei desistant ab hujusmodi turbatione, & Actores in continuatione jurium suorum & possessione pristina relinquant. † Nam etsi interdictum *uti possidetis* in honorarijs, & juribus incorporalibus detur ei qui in hujusmodi juris, honoris, & jurisdictionis possessione vel privilegio turbatur, vel eo jure privatur *c. licet causam in princ. & fin. De probat. Philipp. Franc. in c. significante, vers. secundo tene mente, De appellat.* eoque respectu dictorum Scabinorum querela videri possit justa, quatenus ijs per Mansionarios detrahitur non tantum honor, qui ijs exhiberi solet in petenda & obtinenda eorum sigillatione, verùm etiam pecuniarium commodum quod ex sigillorum appensione percipi solet velut pro opera & officij exhibitione, quod gratis, aut cum suo damno nemo facere debet *l. sed si quis ex signatoribus D. quemadm. testa. aper.* ut tamen interdicto locus sit id requiritur, ut vera, non precaria sit hujus honoris possessio: sicut generaliter in interdicto, *uti possidetis*, vitium & exceptionem fecit omnis possessio, non tantùm quæ clandestina aut violenta, verùm etiam quæ precaria est *l. 1. D. uti possid. l. 1. in fi. C. De seru. & aqua.* † precaria enim possessio numquam debet sic possidenti ad alios juris effectus 3
proficere, contra eum à quo precariò quid habet, aut tenet *l. fin. D. uti possidetis*: quippe quod precariò habetur ab alio, eatenus tantùm habetur, quatenus is à quo sic habetur ei id tribuit *l. & habet in prin. D. De precario.* nam ut mera voluntas precariò concedentis aut permittentis initium, ita quoque finem infirmæ hujus possessionis facit *l. 2. D. De precar.* cum ex lubito voluntatis precarium quandoq; resolvi & tolli possit, *l. 1. D. De precar.* * Vnde est quòd licet is qui precariò pos- 4
sidet interdicto *de precario* ad rem precariò concedenti restituendam teneatur *l. in rebus D. De precario.* ipse tamen interdicto perinde experiri non possit,

& omnino non contra eum, à quo precariò habet
5 *l. qui precario* D. *De precario.* * Quod autem precaria sit & haberi debeat hæc qualiscunque dictorum Scabinorum possessio seu consuetudo, & sit voluntariæ non involuntariæ jurisdictionis, deprehenditur manifestè ex forma & modo sigillationis seu adhibitionis sigillorum, quam dicti Scabini facere consueverunt ad legis operas dictorum Mansionariorum, de rebus jurisdictioni non dictorum Scabinorum, sed ipsorum Mansionariorum & curiæ ipsorum inferioris subjectis; ob id quod adhibendo sua sigilla apertè semper profiteantur se id facere ad preces ipsorum Mansionariorum, & partium de quarum re agitur, hâc verborum speciali formula: **ter beden der saeken ende elcker partie**, hoc est ad petitionem mansionariorum & cuiusque partium: quod enim à precibus dependet, nullum omnino habet juris vinculum, neque respectu ejus qui rogat, ut invitus precari debeat, neque respectu ejus qui rogatur; cùm invitus precanti annuere non debeat *l.* 1. *&* 2. *in fin.* D. *De precar.* ut nec precario oblatum assequi, seu suscipere *l. nec emere.* C. *De iur. deliber.* quippe hujusmodi officij tam petitio, quàm exhibitio meræ facultatis non necessitatis est; cùm nec mansionarij, nec partes contrahentes præcisè teneantur ad petendum hanc Scabinorum sigillationem, si solius Abbatis, qui dictæ mansionariæ curiæ dominus est, sigillo contenti esse velint. Ita ut hæc Scabinorum assignatio ad superabundantem cautelam & majorem probationis certitudinem, non ad necessariam juris observationem pertineat; ideoque ommitti possit, & omissa aut vitiosè adhibita nihil noceat *l. testamentum.* C. *De testa. l. quæ habitationis* De *reg. iur.* † Quæ naturalis facultas in usu & adhibitione assignationis seu sigillationis liberior & minus constricta est ex eo quod ex juris potestate cuique sit liberum non tantùm proprium sigillum habere, proprióque suo signo, seu sigillo sigillare; verùm etiam alieno §. *possunt inst. De testa. l. ad testium. §. si ab ipso. D. eodem.* sive proprio careat, nec ullum unquam habuerit; sive illud etiam habeat, sed ad manum non sit, aut si est, alieno uti malit; ex usu tamen magis si proprium non habet, *speculator De instr. edit. §. restat videre versic. item quod sigillum Alex. in l. si unus.* C. *De testam.* Io. Faber *in d. §. possunt.* si modò dum alieno utitur, idipsum testetur & declaret. *Innoc. in c. 2. nu. 2. in fin.* De *fid. instr. & ibi* Panor. *in fin. elegans Gloss. in c. dilecta* De *excessibus prælat.* quod etsi quidam necessarium non esse putent, tutius tamen & securius esse tradunt Io. Fab. *in d. §. possunt in fi.* Francis. Marc. *decis. 992. p. 1.* In tanta itaque sigillorum, & sigillationis libertate non potest facilè constitui aliqua adversus illam veluti servitutis alicujus possessio, ut quis vel non utatur proprio sigillo, vel alieno omnino uti, aut certi alicujus hominis, seu certorum hominum sigillum sigillatorium requirere debeat; & si aliquando, seu aliquamdiu requirere solitus fuerit, hujusmodi requisitionem in futurum velut servitutis jure continuare cogatur; cum in hujusmodi juribus incorporalibus non acquiratur possessio ex voluntario, & omnium minimè ex precario aut gratuito actu *l.* 1. C. *De seru. & aqua.* in quo ut cuique liberum est precario, aut gratuitò petere vel concedere; ita quoq; ex lubito voluntatis propriaque authoritate potest quisque ab eo abstinere, & in effectu priorem usum confessionemque revocare *Gloss. in verb. trium Episcoporum in c. cum Ecclesia, De causa possess. & proprie. Natta cons.* 107. *motivum nu.* 3. * Et hoc est quod vulgò traditur, ea 7
quæ meræ facultatis sunt naturaliter cuique licita & permissa esse; ut & in illis quæ precariò seu gratuitò conceduntur, non potest constitui, vel cauſari aliqua præscriptio ad hoc ut aliter in futurum fieri non possit, aut ut eodem modo semper fiat obligatio aliqua nascatur: quod enim ex naturali libertate quis facere potest ab eo etiam potest abstinere; ut vice versa, longa, seu diutina abstentio ab usu ejus quod per se permissum est, facultatem usus non tollit *l. viam & ibi gl. De via pub. Cynus in l. 8. C. quæ sit long. consue. Innoc. & Panor in d. c. cum Ecclesia* Francisc. Balbus *in tit. De præscript. in 4. p. quintæ q. principal. quæst.* 1. † Vt est in frequenti 8
& celebri illa quæstione, an qui ad alicuius molendinum, aut pistrinum seu furnum, molendi sui frumenti aut pinsendi seu coquendi panis gratiâ, per longissimum etiam tempus accessit seu accedere solitus est, nec interea alio se contulit, semper in futurum illuc & non aliò, se conferre teneatur? in quâ concors est omnium sententia ex continuato hujusmodi accessu nihil juris in seu adversus accedentem constitui, quin si velit aliò se conferre possit; & ne se alio conferat nequeat prohiberi, *Cynus in d. l. 1. De servit. & aqua. Iason. & alij in l. quo minus De flu. Cepola in tr. De servit. tit. De furto* cùm tota hæc res sit ex principio omnino voluntario, & extra omnem obligationem tam ex parte ejus qui facit, quàm illius qui inde commodi aliquid consequitur; ita ut quemadmodum initium, ita quoque finem hujus rei facit libera faciendis voluntas. Quæ res in usu infinitis casibus contingit, & observatur; & plurimis Doctorum responsis illustratur in similibus quæstionibus, in usu trapeti seu molæ olearæ, *steph. Bertrand. consil.* 12. *etiamsi probi viri vol.* 2. *p.* 1. in aratione seu tritu-
ratione per alterius jumenta, *Steph. Bertrand. consil.* 25. *multi sunt nu.* 2. *vol.* 7. in emptione, aut venditione esculentorum aut poculentorum certo loco, aut tempore *c. significante & ibi DD. De appellat.* in his enim & similibus etiam ex longissimi temporis decursu non constituitur aliqua personalis, aut realis servitus, à qua non possit se liberare, & extricare contrario quocunque actu, qui tale quid fecit seu facere solitus est, si modo vel nulla faciendi ex pacto, aut conventione est obligatio, vel legitima aliqua præscriptio; † quæ in hujusmodi 9
negativis servitutibus nullâ ratione potest cauſari aut initium aliquod sumere, nisi ex prohibitione aut impedimento alterius, cui faciens seu facere volens acquieverit, & acquiescendo se aliter facere non posse demonstrat: quo casu ex die prohibitionis & acquiescentiæ initium capere potest præscriptio quæ deinde legitimo, hoc est longissimo tempore completa, jus servitutis constituet prohibenti & impedienti adversus prohibitum, acquiescentem, *Cynus & alij in d. l. 1. C. De seru. & aqua* Io. Fab. *in §. aque. n. 20. inst. De act. Bald. & alij in d. c. significante, gl. &* DD. *in l. qui luminibus De servit. urb. præditor.* neque enim aliàs facilè liber homo servi-

tuti

tuti subijci potest adversus ea quæ ei in naturali facultate sunt, *Stephan. Bert. consil.* 170. *etsi venerabilis nu.* 3. *& seq. vol.* 2. *p.* 1. *& cons.* 200. *circa process. vol.* 3. *p.* 2. *Francis. Mar. decis.* 123. *p.* 1. *Guido Papæ decis.* 198. etiamsi per mille annos aliquid certo modo factum fuerit, *Natta cons.* 106. *in casu proposito, nu.* 9. Cum itaque, ut dictum est, in naturali facultate Mansionariorum fuerit pro assignatione seu sigillatione adire Scabinos, imò quoscunque alios; & nulla sit juris obligatio hunc vel illum pro sigillatione requirere: dictis Mansionarijs fraudi aut damno esse non debet, quod Scabinorum hac in re operam requirere soleant ad hoc ut ab illa requisitione recedere non possint: cum ex adverso ad curam Magistratus pertineat, ut non tantum seipsos, sed etiam alios testes & signatores, quibuscunque etiam privatis præbeant, quò facilius negotia explicentur & probatio rerum salva sit *l. curent.* D. *De testib.* non etiam ut quis invitus eorum operam requirere & adhibere præcisè debeat.

10 * Vnde est quod in usu sigillatio magis sit privati quàm publici juris, & officium sigillandi magis privatorum quàm jurisdictionis aut juris publici *l. ad testium* §. 1. *&* 2. D. *De testa. l. cum ab initio cum tribus legib. sequen. D. quemadm. testam. aper. Andr. Alciat. cons* 175. *casus controvers. n.* 6. ideoque jure superioritatis dictis Mansionarijs indici aut imperari non possit, *Hostien. & alij in d. cap. significante, Bart. consil.* 329. *viso consultationis, nu.* 7. *vol.* 2. *p.* 1. *&*

11 *cons.* 3. *vol.* 2. *p.* 2. * Et quamvis à dictis Mansionarijs ad præfatos Scabinos appellari possit; inde tamen extra articulum appellationis & resortus, nulla est dictorum Scabinorum in præfatos Mansionarios jurisdictio: ut generaliter resortus, hoc est jus primarium appellationum, seu usus appellandi, non arguit neque infert jurisdictionem aliquam; *Guid. Papæ decis.* 518. & 551. cum magis sit ex voluntate prorogatio, quàm ex juris necessitate: *l.* 1. *&* 2. D. *De iud. l. episcopale* C. *De episc. audien. Barth. Chassan. ad consuet. Burg. t. des iustices & droicts.*

12 *§.* 4. *in verb. & sur les hommes nu.* 5. † potissimùm quod non constet, ac ne quidem allegetur quod dictis Scabinis hæc potestas sigillandi specialiter à Principe vel Imperatore sic sit concessa, ut Mansionarij illâ uti debeant inviti, ex qua hujusmodi necessitas & usus bannalis dici possit: *Franc. Marcus d. decis.* 123. Neque etiam constet quod ijdem Scabini unquam coegerint Mansionarios ad petendum ab ipsis sigillationem cum prohibitione illam petendi ab alia quacunque persona, unde aliquod initium utilis præscriptionis constitui potuerit adversus naturalem facultatem petendi sigillationem à quocunque alio. *Anto. Capytius decis.* 209. *nu.* 25. *Roland. à Valle consil.* 22. *vol.* 2. Neque ad rem facit quod consuetudo hactenus semper fuerit petendi sigillationem à dictis Scabinis, & ab antiqua consuetudine recedere non oporteat, *in extravag. De pac. constantiæ.* §. 1. *l. minime* De *legib.* nec permittendum ut quid contra longam consuetudinem fiat: *l.* 1. C. *quæ sit long. consuet. Bald. in d.* §. 1. *in verb. sicut ab antiquo.* Nam etsi id verum esse possit ubi res ex consuetudine activa & passiva originem & substantiam habet; non perinde tamen ubi, id quod consuetum est fieri, causam & usum habet ex naturali facultate, & aliter quandocunque faciendi potestatem & facultatem conjunctam semper habet; *l. viam* D. *De via pub. Bald. consil.* 206. *præceptum fuit volum.* 1. ut contingit in hac naturali facultate petendi sigillationem non ex consuetudine aliqua, sed ex dicta naturali facultate, velut jure familiaritatis ex tanta loci, & personarum vicinitate, unde nulla obligatio, nulla possessio causari potest. *l. qui iure familiaritatis D. De acquir. poss.* † Proinde 13
nullam speciem turbatæ possessionis dictorum Scabinorum continet, novi hujusmodi Sigilli fabricatio & usus; cum ut dictum est, nulla sit aut fuerit dictorum Scabinorum considerabilis possessio, quæ initium vel causam habuerit ex præcedente aliqua prohibitione per dictos Scabinos Mansionarijs aliquando facta, ne vel proprio sigillo, vel alterius cuiuscunq; uterentur, sed illud à se suoque Scabinorũ collegio tenerentur petere, cum subsecuta Mansionariorum acquiescentia, quâ causari potuisset utilis aliqua possessio, & ex possessione per decursum temporis præscriptio: ita quod ex evidenti defectu possessionis quoad dictos Scabinos, nulla cadat consideratio turbatæ possessionis; & per consequens nec occasio, aut potestas proponendæ alicuius manutenentiæ seu interdicti *l.* 1. *§. interdictum D. uti possidet.* Quibus consideratis, & potissimùm tantâ sigilli, & sigillationis libertate, & quod in præiudicium superioris vel superioritatis hîc nihil novi fiat, & dictorum Mansionariorum curia sit una formalis & formata per se subsistens, unumque per se corpus, & collegium constituens sub authoritate unius Prælati, constitutis Præfecto seu villico & cognitionarijs; extra omnem dubitationem est novi hujus sigilli potestas; ut forte non esset si in præjudicium sui prælati dicti Mansionarij per se seorsim non tantùm sigillũ, sed etiam corpus & collegium aliquod sibi de novo constituere vellent; ut aperto Honorij tertij rescripto decisum extat. *c. dilecta* De *excessibus prælator.* Ita ut cum ex voluntate, imò ex facto Prælati, dictæ curiæ hoc novum sigillum in usum deductum sit, non possit censeri quicquam præter juris rationem, saltem nihil ex rei veritate in præjudicium dictorum Scabinorum factum: * cum ex 14
usu rei magis sit & expediat unum aliquod cujusque Collegij, seu corporis commune extare sigillum, cuius usus sit ad omnes & singulos Collegij actus, *c. significavit* De *appellatio.* potius, quam plurium aut singulorum de Collegio, *Phil. Franc. in c.* 1. *in* 2. *notab. De off. ord. lib.* 6. *Nicol. Boer. decis.* 240. *num.* 3. ad quoscunque etiam sigilli seu sigillationis effectus; sive quæratur de consensu, sive de testimonio, sive de authoritate, sive de confirmatione; qui ferè sunt effectus, & symbola sigilli cuiusque: * nam & iudici ordinario habenti 15
quamcunque ordinariam iurisdictionem, sigilli quoque potestas omnino permittenda, neque ullâ ratione deneganda est. *Panorm. in cap.* 2. De *fid. instr. Chassaneus ad consuet. Burgund. in conclus. in verb. nous auons.* Quò pertinet quod eleganter ex usu, & praxi scribit Ioannes Faber, *in d.* §. *possunt versic. & cuiuslibet domini ruralis.* de sigillis Dominorum ruralium, quales sunt Mansionarii, quibus significant se suos censuales investiviſſe de censualibus bonis venditis, ad rei nimirum certiorem & indubitatam fidem. Atque ita omnibus diligenter expensis &

exami-

examinatis existimamus eximiorum Dominorum Iudicum officium esse, ut secundùm conclusionem Opponentium in omnibus, & per omnia sententiam dicant.

De Iureiurando.

SVMMARIVM.

Iuramentum in causa matrimoniali.

1. *Iuramentum in supplementum probationis deferendum probanti per unum testem.*
2-4. *Confessio unius quando prosit vel noceat alteri.*
3. *Iuramentum non deferendum in causa matrimoniali.*
5. *Iudex non suggerere sed interrogare debet.*
6. *Restitutio in integrum conceditur adversus confessionem.*
7. *Negationis pœna ubi locum habeat.*

CONSILIVM CXXXV.

NOVA exoritur dubitatio in causa curatorum prolium Stanislai Vogelweyer agentium, adversus Domicellum Ioannem Baptistam de T. . is Reū, ex singulari depositione Guilielmi Fabri, per quam inter cætera deposuit præfatum Reum, post assertionem Antonij Pensaert unius ex dictis curatoribus, quod quondam Dominus Wilhelmus Pensaert fuerit Rei patrinus seu in Baptismo susceptor & lustricus parens, interrogatum an hoc verum esset, dixisse & declarasse, *quod sic*; præfato Antonio semiplenam probationem in huiusmodi unici testis depositione constituente, ac in supplementum iuramentum suum super huiusmodi con-
1 fessione offerente. * Primo etenim conspectu probabilis videri posset hujusmodi oblatio, ac deferendi iuramenti per iudicem necessitas; ob id quod generaliter verum sit, etiam Actori semiplenè probanti per judicem deferendum esse juramentum pro supplenda imperfectione probationis *l. admonendi De iureiur. & ibi gloss. magna in verb. exacto*
2 *versi. vel per unum testem* De iureiur. * quodque hæc confessio quamvis facta absentibus dictis prolibus, quas hæc res principaliter contingit, facta tamen præsente Antonio uno ex curatoribus qui vice domini vel pro domino esse solet in administratione rerum pupillarium seu minoris *l. qui fundum. § si tutor pro emp.* præfatis prolibus prodesse debeat: quemadmodum confessio extraiudicialis præsente fideiussore facta pro principali, absenti prodest *Bald. cons.* 392. *imprimis videndum est volum.* 3. & coram negotiorum gestore facta, prodest domino *Salic. in l.* 1. *in* 15. *oppos. De confess. Hipolit. De*
3 *Marsil. ad Rubr.* C. De probation. 114. † Cæterùm status, qualitas, & conditio hujus causæ non patiuntur eam decidi ac terminari ex compositione imperfectarum probationum, aut suppletione probationis, quæ latere solet in iuramenti præstatione; cum non sit propriè probatio sed probationis exoneratio. *Iason. in l. si quando* C. *unde vi.* In arduis enim causis usus & facultas deferendi iuramenti in supplementum probationis Iudici præripitur: *gl. & DD. in. d. l. admonendi & ibi Iason. n.* 100. quia in his requiruntur probationes luce meridianâ clariores; *l. ult.* C. De probat. ita ut qui in his causis agit, nulla parte exonerandus, sed extremo onere probationis gravandus sit. Inter magnas autem & arduas causas esse causam matrimonialem, sive de coniungendo sive de separando agatur, nemo dubitat: nam ex hoc pondere ac gravitate, causæ criminali hac in parte æquiparatur, *gloss. in c. mulieri De iureiur. canonistæ in c. si pro debilitate. De offic. deleg.* & ut criminalis, dilucidissimas exactissimasque requirit, *Decius consil.* 163. *in causa matrimoniali.* ac in defectu plenæ probationis pro supplemento juramenti delationem non admittit, *gloss. in c.* 1. De *consan. & affin. & ibi Abbas*, Decius *cons.* 133. *viso processu. Ioann. Selva in tract. De iuramen. p.* 3. *quæst.* 3. Cùm ergo hæc causa planè sit matrimonialis, instituta, ad declarationem nullitatis matrimonij indubitati; hoc est de cujus contractu ac solemnitate saltem quoad factum nulla est dubitatio, non debet prædicta plenissimæ probationis per delationem juramenti exoneratio admitti, sed ex defectu plenæ probationis præsumptionem pro matrimonio retinere: *c. super eo* 2. *in fin. c. ex quadam in fin. De test.* Vti generaliter in dubio faciendum est, præsertim cùm agitur non de contrahendo sed de contracto & consummato matrimonio dirimendo; & potissimùm ubi causa diremptiouis speciem delicti habet, ex qua criminalis accusatio vel correctio oriri posset; ut est in proposito. Probata etenim hâc cognatione spirituali, & scientia Rei, quæ per dictam confessionem detegeretur, Reus ob illicitum matrimonium per speciem incestus pœnas illiciti matrimonij subire deberet *l. si quis incesti* §. *ult.* C. *De incestis nup. l. si quis alumnam.* C. *De nuptijs.* * De quo in 4
proposito minor debet esse difficultas, quod semiplena probatio quæ in testimonio dicti Wilhelmi constituitur, non sit directè super ipsa cognatione spirituali, sed tantùm super confessione Rei, eaque extraiudicialiter facta, parte principali absente, quæ ob id nocere non debet etiam plenè probata; *l. fin. De interog. actio. l. certum.* §. *quis* De *confess.* potissimùm quod actus rei, de qua dicitur facta confessio, non dependeat à voluntate aut certa scienta ipsius confitentis, & ob id confessio extraiudicialis etiam parte præsente nocere non debet, *gloss. in l.* Pomponius 1. *De negot gest.* Quod autem in certam scientiam Rei hujus causæ non cadat, imo nec cadere possit actus, unde cognatio spiritualis ex susceptione in Baptismo contrahitur, per se manifestum est, ex eo quod Reus vix unum diem natus Baptismi gratiam adeptus fuerit, & per ætatem nec videre nec intelligere potuit se à D. Wilhelmo in Baptismo susci pi; sic quod certâ scientia id confiteri non potuerit. Cum alioqui in hujusmodi matrimoniali causa testificatio aut cōfessio ex auditu alieno parum faciat ad dirimendum matrimonium; quia in eo plerumque versatur error. *d. cap. licet ex quadam.* Quibus hoc quoque addimus, quod in re proposita magnum momentum habet, quod non constet de acceptatione hujus confessionis, quæ facta dicitur præsente curatore: ut enim confessio extrajudicialis parte præsente noceat confitenti, oportet illam acceptatam esse: *Dynus in l.* 1. C. *De confess. Salicet in l, iubemus Cod. De lib. caus. Alexan. consil.* 19. *in causa appellationis nu.* 1. *volum.* 4. qui enim, ut inquit Baldus *in l.* 3. *nu.* 2. C. *De repud. hared.* non acceptat verba

adversa-

5 adversarij, non potest se ex illis juvare. * Quod sanè in proposito maximè obtinere debet, cùm satis constet ex tenore depositionis dicti Wilhelmi Fabri, Antonium ex insidijs aggressum, & captiosis interrogationibus usum fuisse, ut verius suggerentis, quàm interrogantis officio (quod lex improbat *l. 1. §. qui quæstionem* De *quæstio.*) usus esse videatur: in quam captionem Reum suâ simplicitate tam præcipitanter deduci iniquissimum esset.

6 * Quibus omnibus si non satis videbitur detractum facultati deferendi prædicti juramenti in suppsementum probationis (quod tamen omnino putamus) supereſt Reo remedium restitutionis integri adversus predictam assertam confessionem ex capite minoris ætatis, quæ conceditur etiamsi confessio sit judicialis, multò magis adversus extraiudicialem, *l. certum. §. minorem* De *confess. l. nam postea. §. si minor & ibi Bartol. & Alexand.*

7 *De iureiur.* † Non obstante quòd Reus confessionem hanc negaverit; cum nusquam traditum sit beneficium restitutionis in integrum per solam negationem amitti: Pœna enim negationis tantùm locum habet in casibus à jure expressis, *Iason. in l. 2. nu. 86.* C. *De iur. emph.* ideoque traditur, *Bartol. in l. eum qui De iureiur. Bald. in l. contra negantem* C. De *leg. Aquil.* minorem ad evitandam pœnam dupli ex lege Aquilia in integrum adversus negationem restitui. Cujus restitutionis petitio pro parte Rei seriùs proposita non est, propter dicti curatoris oblationem de jurejurando pro supplenda probatione factam post conclusionem in causa: ita ut cum ea oblatione non facta Reus nihil sibi metuere debuerit ex unius testis testimonio, *l. maritus* De *quæst. l. iurisiurandi. D.* De *testib.* eâ tandem facta ex adverso restitutionem quoque, quatenus opus est, petere potuerit. Sed ut dixi supervacaneum est hoc remedium propter causas superiùs recitatas, impedientes dicti juramenti dilationem.

De iureiurando.

SVMMARIVM.

Iuramenti delatio.

1. *Appellatio ab interlocutoria quando sit permissa.*
2. *Sententia ex iuramento delato lata est irretractabilis.*
3. *Sententia super iuramento lata quando sit definitiva.*
4. *Appellandum à sententia condutionali statim intra decem dies.*
5. *Attentari non potest pendente tempore ad appellandum dato.*
6. c. Quod ad consultationem. de re judicata *intellectiu.*
7. *Tacens non consentit in actibus præiudicialibus.*
8. *Iuramentum non deferendum super contentis in instrumento publico.*
9. *Instrumentum publicum plenissimam continet probationem.*
10. *Iurare quidam proclives, quidam timidi.*
11. *Iurare nolle ex delatione quando sit manifestæ turpitudinis.*
12. §. Si vero moriatur. in auth. de instru. caut. & fide collat. 6.
13. *Iuramentum quos comites habere debeat.*
14. *Mandatum habere præsumitur qui instrumenta profert.*

CONSILIVM CXXXVI.

IN defendenda hac causa appellationis, quæ pro parte Capituli S. Iacobi interposita est, ab interlocutoria sententia Magnifici D. Rectoris primæ instantiæ Iudicis, lata 18. Aprilis novissimè præteriti, omnium actorum primæ instantiæ discussio non est necessaria; cum nunc non agatur de terminanda tota causa, sed tantùm de incidente articulo, quem Dominus Ioannes Melijn Actor principalis causæ post confectas ab eo probationes, & lapsos omnes terminos probandi, injecit per delationem juramenti, per quam contendit ut D. Ludovicus vanden Bruyne unus Reorum nunc appellantium præstet aut referat juramentum super eo, quod plures clausulas aut aliter quàm dictum aut conventum fuit habeat ac contineat instrumentum compromissi, virtute cujus inter partes hujus causæ per assumptos arbitros lata est sententia arbitralis, quam Actor in principali causa retractandam & annullandam esse contendit. In quo sanè incidente altercatione inter Actorem & Reos, illo contendente hujusmodi delatum juramentum per Dominum Ludovicum subeundum & præstandum, aut sibi referendum esse, Magnificus Dominus Rector ex suggestione assumpti assessoris, decimâ octavâ Aprilis interloquendo delationem juramenti approbavit decernendo, ut vel Dominus Ludovicus illud præstet; vel Rei Actori id referant; idque cum comminatione quod D. Ludovicus pro confesso haberetur, hoc est, quòd aliter fuerit compromissum quàm instrumentum continet, præsertim quoad designatas per Actorem clausulas. Sed nimium à justæ & justitia recedit ea interlocutio, ideoque appellandi ab ea justa fuit occasio.

Nam quod Actor, ut justitiæ investigatio avertatur, dicit appellationem ab interlocutoria sententia tam per statuta hujus Vniversitatis, quàm per Concilium Tridentinum esse probatam, generaliter verum non est; cùm tam in dictis statutis, quàm prædicto Concilio Trident. *sess. 24. De reformat. cap. 20.* apertissima contineatur exceptio de interlocutorijs vim definitivæ habentibus, hoc est (ut idem Concilium interpretatur, *in d. c. 20*) cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequit: ut etiam in jure civili, quod appellationem ab interlocutoria non admittit, *l. Ante sententia Quorum app. non recip.* admittuntur appellationes ob gravamina, quæ interloquendo per judicem inferuntur, si illa in definitiva sententia vel per appellationem ab illa non sunt reparabilia *l. 2. D. De appellat. recipien.* imò si interlocutoria facit aliquale præiudicium, quod perfectè non potest reparari per appellationem à definitiva, *Bart. in d. l. 2. nu. 26.* Iam verò dubitatio nulla est, quin irreparabile gravamen contineat decretum, quo decernitur D. Ludovicum pro confesso habendum esse, nisi juret aut referat: irretractabile quippe est juramentum quod ex partis delatione aut relatione præstatur, *l. 1. C. De reb. cred.* † Nam ut tunc, cùm super principali articulo causæ juramentum defertur vel refertur, ex præstito juramento, rei judicatæ actio oritur, *l. Actori C. d. tit.* ita etiam cùm inde probatio vel præjudicium paratur, si super incidente articulo id fiat, *l. Si quo §. Si quis*

si quis iuraverit. D. *De iureiur. Bart. in l. Generaliter §. sed iuramento nu. 3. vers. utputa super aliqua positione C. d. tit.* multò magis si ob defectum aut recusationem delationis in alio articulo decernatur, quod pro confesso habebitur in & super eo, quod causa sententiæ definitivæ esse possit; prout ad hoc tendit omninò Actor, ut annullatâ aut subuersa fide instrumenti compromissi, liberiùs possit contendere ad nullitatem arbitralis sententiæ, de quâ in causa principali principaliter quæritur. † Vnde quamvis sententia seu interlocutoria quæ continet solum præceptum de jurando aut de referendo, definitiva non sit; vim tamen definitivæ habet, si addatur quod ex recusatione fieri oporteat; velut iquod Reus solvat, aut habeatur pro confesso, *l. Cum iudex, & ibi Bald. Saluc. & alij C. De sentent.* Neque enim eo casu pro argumento aut judicio interlocutoriæ sententiæ assumi potest Vlpiani responsum, *in l. 1. §. biduum* D. *Quando appell. sit.* quasi sententia videatur conditionalis; quod Actor non satis ex veritate juris proponit: nam dubium non est, quin etiam sub conditione ferri possit sententia definitiva, ut apertè probatur ex eodem illo juris loco, *d. §. biduum.* † ita ut, si sic pronuntiata sit, lex velit ab illa statim, non ex die evenientis conditionis appellari; si scilicet conditio sit intrinseca, hoc est merita causæ respiciens; veluti *Condemno, si Actor iuraverit, si Reus instrumenta non produxerit*: ita quod Vdalricus Zasius dicat totius orbis consuetudinem id servare, *in l. à. divo Pio §. in venditione nu. 13. De re iud.* & aperto jure probatur, *in d. l. Generaliter, in princ. C. De reb. cred. & ibi Phil. Corneus nu. 3.* Meritò itaque ab hujusmodi gravamine quod vim definitivæ sententiæ habet appellari potest.

Quare appellationem non impedit quod Actor ulterius objecit procuratorem Reorum audito hoc decreto non fuisse protestatum de appellando, & non contradixisse decreto statuenti terminum parendi eidem decreto: nam nullo jure invenitur cautum, quod ubi statim vivâ voce non appellatur oporteat protestari de futura appellatione, aut quod tacendo quis appellationi renuntiare, aut statutis in præjudicium futuræ appellationis acquiescere censeatur; sed jure cautum est, quòd latâ sententiâ, à qua appellari potest, nihil possit novi fieri aut attentari in præjudicium deliberationis, dum scilicet durante tempore appellandi, qui læsus est, deliberat an appellare velit; cujus deliberationis potestas plenissima & liberrima sine aliqua executionis aut ulterioris processus formidine ei qui per sententiam seu decretum vim definitivæ habens læditur, à jure concessa est, *in Auth. De appell. §. 1.* † Ita ut si judex qui sententiam tulit ante appellationem interpositam durante tempore, quo appellari potest, aliquid innovaverit, si ante lapsum temporis appellandi gravatus appellet, debeant hujusmodi innovata in primis & ante omnia revocari per Iudicem ad quem provocatum est; de quo expressus in jure textus *c. Non solum De appell. lib. 6.* ad quem non advertit Actor, dum existimavit per hujusmodi taciturnitatem ad pronuntiationem decreti ac statuto termino parendi in eodem momento inductam fuisse decreti ac statuti approbationem. † Cùm præterea locus ille juris *in c. Quod ad consultationem De sent. & re iudicat.* unde erroris hujus causam desumpsit Actor, apertè loquatur de Clerico, qui contra eum lato decreto post lapsos decem dies appellavit, & medio tempore statutum terminum ad parendum decreto recepit, hoc est admisit, & in illum consensit; nimirum quia per hoc fecit actum approbatorium, qui in sola taciturnitate constitui non potest; * cùm in præjudicialibus, qui tacet, consentire non videatur, potissimùm in actibus, qui deliberationem addmittunt, & contradicendi potestatem etiam ex intervallo permittunt, *c. Is qui tacet. De reg. iur. lib. 6.* Vnde apertè dicit Glossa, *in d. cap. Is qui tacet*, quod is contra quem fertur sententia tacens nec pro consentiente, nec pro contradicente habeatur intra decem dies (idem ubi ex statuto brevius tempus appellandi, sicut in hac Vniversitate Lovaniensi statutum est) si postea intra illos appellet.

Minutiora & apertiora hæc sunt, quàm ut suggeri debeant; sed tamen non prætermittenda, cùm experimento percipiamus etiam hujusmodi argumentis plerosque à veritate facilè abduci.

Apertâ itaque viâ & facultate appellandi, & recepta per decretum Dominorum Iudicum dicta appellantium appellatione, paucis deducemus eiusdem appellationis justitiam ex gravamine, quod Magnificus D. Rector interloquendo appellantibus irreparabiliter cessante appellatione intulit. Notorium quippe & nimis manifestum est gravamen, imponere dictis Reis necessitatem vel jurandi vel referendi super eo, de quo extat publicum notariale instrumentum. * Vnde est, quòd Reus qui ex instrumento, sive publico sive privato, super dato mutuo conscripto post lapsum biennij convenitur, non audiatur, si Actori velit deferre, aut illo recusante sibi referri juramentum, quod pecunia, quæ dicitur mutuo data, sit vel non sit numerata, ut expresso jure decisum est, *in l. In contractibus §. illo C. De non num. pecunia.* Ex quo etiam facilè reprobavit Papa *in cap. 2. De probat.* consuetudinem, quâ permittebatur Reo deferri juramentum Actori, qui intentionem suam plenè probaverat per instrumenta, vel per testes; eâ ratione, quòd ad judiciale vel necessarium juramentum perveniri non debeat nisi tunc, cùm aliæ probationes deficiunt; sic quod nec statuto induci possit necessitas jurandi tunc, cum Actor plenè probavit ex sententia Bald, *in d. c. 2.* Imò nec eo quidem casu potest ab Actore exigi juramentum calumniæ; cujus tamen exigendi potestas regulariter est in omni litis parte, *c. 1. De iuram. calum. Ias. in l. Admonendi. n. 79. & duob. sequent. De iureiur.* Vt enim judex pati non debet, ut superfluis & nihil profuturis probationibus quis etiam volens oneretur, *l. Si duo patroni §. idem Iulianus in fine De iureiuran.* ita quoque ne quis superfluum juramentum præstare cogatur, *Decius in d. c. 2. nu. 5.* Et quemadmodum Reus, cùm Actor nihil probavit, non cogitur ex delatione Actoris jurare, *c. fin. §. fin. De iureiur.* ita nec æquum est, ut Actor deferente Reo juret tunc, cùm intentionem suam plenissimè probavit, *Decius in d. c. 2. nu. 4.* † Plenissimè autem quis probare dicitur, quod probat per publicum notariale instrumentum, *c. Cum olim De verb. sign. Ias. in d. l. Admonendi*

in 2.

in 2. lectura n. 145. Est enim hujusmodi instrumentum, inquit Baldus, probata probatio, imò evidens & manifesta, *in l. Impetor. De statu hom.* sic quòd, ut alio loco dicit idem Baldus, *cons. 233. Per instrum. vol.* 1. vim definitionis habeat quoad omnia, quæ in illo conscripta conspiciuntur; censeanturque & solenniter & de voluntate partium, ex veritate scripta, *Bald. in c. Cum in iure peritus De off. iud. delegati*; ita ut firma & fixa præsumptio veritatis stet pro instrumento publico, quamdiu contrarium illius non probatur, *l. cum precibus & ibi Doct. C. De probat.* & proindè malignare videatur, qui nisi allatâ contrariâ probatione, fidem publico instrumento detrahere aut illud per delationem juramenti in suspicionem trahere conatur, *§. Item verborum in V. Qui talibus utitur improbis allegationib. Instit. De inutil. stipul.* Quæ etiam causa est, cur jure improbetur delatio juramenti eo casu, quo plenè probatum est, ut scilicet occurratur malitijs deferentium juramentum in casu aut articulo minimè dubio, *Decius in d. c. 2. n. 5. vers. ult. notandum*: ad quod potissimùm solent confugere homines perversi & malitiosi, quibus cum personis pijs & timoratæ conscientiæ lis aliqua est, scientes hujusmodi personas non facilè perduci
10 ad jurandum. † Vt enim faciles ad jurandum sunt, qui mali, perversi, audaces, & contemptores religionis sunt; ita contra alij qui pij, modesti, timoratæ conscientiæ, aut religiosi sunt, perquam timidi sunt, interdum usque ad superstitionem, ut inquit Vlp. metu divini numinis, *l. Quæ sub condit. vers. cum enim faceres D. De cond. instit.* Et hoc est, quod dicit Bald. *in d. l. Quæ sub conditione*, quòd timentes Deum valde sunt timidi in jurando, contrà prompti ad jurandum qui Deum non timent, *c. Illud De cler. excom. ministrante*: bonarum quippe mentium est metuere culpam & periculum etiam ubi non est. Viri perfecti est, in quantum fieri potest, & cùm nulla externa necessitas urget, abstinere à juramenti præstatione, *c. Etsi Christus sub fin. De iureiur.* propter periculum perjurij: nulla autem est necessitas, cùm de quo quæritur per se manifestum est, & quidem per eum modum, cujus potissimùm usus est, ad futuram rei memoriam; ut de re, de qua agitur, nulla possit esse dubitatio, puta per publicum instrumentum. Cùm enim hominum memoria labilis sit, *l. 2. §. si quid autem C. De veteri iure enuclean.* & ex consensu partium fiant instrumenta, quæ veritatē rei gestæ retinent & conservant, ac memoriæ defectum supplent: meritò non cogitur quis jurare super veritate contentorum in publico instrumento.

11 Nec huic adversatur, quod ad manifestam turpitudinem referatur, nolle ex delatione jurare, aut delatum referre, *l. Manifestæ De iureiur. l. delata C. De reb. cred.* id enim non obtinet tunc, cùm ei defertur juramentum, qui id, super quo defertur juramentum, apertissimis & liquidissimis probationibus probavit, *Doct. in d. l. Manifestæ, Castrens. in l. In contractibus §. illo C. De non num. pecunia*; quia eo casu justè & licitè recusari potest sine necessitate referendi; uti multis alijs ex causis justè recusari potest tam susceptio, quàm relatio delati juramenti: usque adeò ut, si recusationem ex justa causa non admittat iudex, possit ob id ab eo appellari, *d. l. Generaliter §. sed iuramento vers. ipse autem.*

Cùm ergò in articulo veritatis eorum, quæ in publico instrumento compromissi in hac causa exhibito continentur, an scilicet illa sint vera & sic contigerint, præsumptio iuris & de iure stet pro dicto instrumento, meritò reijci debuit improbabilis illa juramenti delatio, quam actor nunc appellatus, appellantibus fecit per scedulam suam, eo fine, ut subduceret omnes illas clausulas, quibus subsistentibus omnis eius conatus & labor, quem impendit ad annullandum sententiam arbitralem per tam egregios viros latam, sit irritus. Tantoque magis reijci, & minimè D. Ludovico necessitas jurandi sub pœna confessi imponi debet, quòd Actor eodem instrumento in hac causa sit usus, ut meritò illud impugnare aut fidē ei detrahere non debeat, *l. Si quis iusiurandum C. De rebus cred. c. Ex eo Dereg. iuris lib. 6.* præsertim quia constet illud confectum esse à Notario non tantùm publico, sed etiam authoritate huius Vniversitatis ad exercitium notariatus, & descriptionem Actorum coram Conservatore privilegiorum assumpto; & cuius operâ idem Actor in omnibus ferè suis negotijs uti solebat; cuique nusquam obiecit falsitatem, sed tantum errorem, qui non præsumitur nisi apertè probetur, *l. Si post divisionem C. De iuris & facti ignor. & ibi Bart. qui & in l. Non fatetur D. De confess.*

Nec Actori appellato quicquam patrocinari 12
potest, quod ex Novella Iustin. 73. *certè si ad unum, & in Auth. de instrum. cautela & fide §. si vero moriantur collat. 6.* adfert; cùm tantum eo loco agatur de probanda scriptura instrumenti publici mortuo Notario & testibus; ita ut eo casu is, qui comparationem fieri desiderat, iurare debeat non de veritate contentorum in instrumento, sed tantùm de calumnia, & quod nihil perversi circa instrumentum admiserit. Iam verò nulla hic est dubitatio de scriptura huius instrumenti, quam Actor neque in hac, neque in alijs litibus negavit esse manum & scripturam Godefridi Rochi Notarij, sed ex adverso plurimis locis tam in reductionis, quàm in alia executionis causa (quam Actor huic causę adiungi petiit) utrumque confessus est, videlicet non tantùm quod coram Notario compromissum sit, verumetiam quod dictus Godefridus sit Notarius publicus, & quod is hoc instrumentum composuerit, scripserit, subscripserit, & subsignaverit: ita quod huiusmodi instrumento ex ea confessione plena fides sit imposita, & ideò ad præscriptum Iustin. *in d. §. si verò*, non sit necessariò confugiendum; potissimùm quia ipse Notarius (ut diximus) per Actorem super eo productus fidem ei imposuerit, nec constet quòd testes instrumento inscripti vel mortui sint vel instrumento contradicant; ita ut pro veritate ac solennitate eiusdem instrumenti omninò præsumendum & standum sit, *d. c. Cum Ioannes & ibi Doct. De fide instrum.* Probabilitatem aliquam habere posset Actor si à D. Ludovico postulasset iuramentum malitię aut calumniæ seu credulitatis super eo, quod (ut Iustin. præscribit, *in d. §. si verò*,) ipse Ludovicus nullius perversitatis in præfato instrumento conscius sit, nec circa illud aliquam fraudem commiserit (quod haud gravatè D. Ludovicus esset facturus) sed iurare de veritate omnium & singulorum contentorum in huiusmodi instrumento, quorum singulas dictiones, & syllabas Actor car-

pere, & ad ejusdem instrumenti ac compromissi perniciem & eversionem captare videtur, perquam grave est viro timenti Deum, post lapsum novem annorum. * Tres quippe comites habet
13 juramentum, veritatem, judicium, & justitiam, *d. cap. Etsi christus De iureur.* ita ut nisi ex scientia & conscientia nemo jurare possit aut cogatur. Vnde etiam est, quod Bart. apertè tradat, *in d. l. Manifestæ n. 4. vers. quanquam propter ignorantiam*, eum, qui dubitat de re aliqua, non cogi jurare aut referre; præsertim ubi de actu, de quo quæritur, publicũ instrumentũ confectum est, quod loco memorię perpetuæ & pro cõservatione veritatis habetur.

Et profectò mirum non est, si Actor ista sic contra bonã fidem & propriam conscientiam tentet, qui non est veritus allegare, cum oblatione id juramento affirmandi, quod hoc instrumentum compromissi numquam prius viderit, nisi quando in causa executionis per appellantes hujus causæ fuit exhibitum. Inde enim percipitur manifestè, quâ fide D. Ludovico per Actorem deferatur conditio jurisjurandi super contentis in dicto compromissi instrumento; item quâ temeritate idem Actor in eventum relationis & recusationis, offerat ipse jurare hujusmodi contenta sic concepta aut conventa non esse. Quis enim non credat pejeraturum eum super contentis dicti compromissi, qui hoc jurare offert, quod ante exhibitionem dicti instrumenti per appellãtes in causa executionis factam, idem instrumentum numquam viderit, & tamen ex actis coram Conservatore habitis (quæ ex petitione Actoris actis hujus causæ sunt alligata) constat, quod pro parte Actoris per ejus procuratorem idem instrumentum fuerit exhibitum,
14 qui proculdubio illud ab Actore accepit? * Vt enim mandatum procuratoris satis probatur per instrumenti exhibitionem, *l. ult. & ibi gloss. Bart. & alij C. De pactis conventis, Bald. in l. 1. nu. 11. C. De procurat. DD. in c. Coram dilecto De off. ind. deleg.* ita quoque præsumitur procurator instrumenta à parte sua accepisse, tunc cùm de mandato procuratoris antecedente vel subsequente cum ratificatione prius actorum constat. Cùm alioqui in dubio etiam aliter non probato mandato persona, quæ tradenti domestica non est, præsumatur illa à tradente accepisse, non subtraxisse, *Lud. Roman. singulari 643. & cons. 446. Primus propositæ n. 10. And. Alciat. De præsumpt. præsumpt. 1. c. 33.* nec quisquam præsumatur in judicio per se seu suum procuratorem exhibere instrumenta prius non relecta. Vnde est, quòd qui errorem suum in hujusmodi exhibitione allegat, teneatur illam probare *gloss. in l. Divus D. Ad. leg. Corn. De falsi. Castrens. in l. 2. n. 3. C. De fide instrum.*

Quando igitur nihil est per quod hujusmodi instrumentum vel apparenter dici possit aliquo modo dubium, omniaque illa habeat tam ab authore seu Notario, quàm ex ejus forma, quæ instrumentum publicum requirit, & sic pro illo stet indubitata juris & veritatis præsumptio; indubitatum est, quòd delatio juramenti veritatis super ijs nullo jure subsistat, meritòque à D. Ludovico recusari potuerit sine necessitate referendi; ita ut justitia recusationis efficiat, quòd sententia Magnifici D. Rectoris, quæ necessitatem jurandi vel referendi D. Ludovico imposuit sub pœna confessi, planè sit iniqua, & ob id rectè ab ea fuerit appellatum: unde officium Venerabilium Dominorum Iudicum esse dicimus, ut hujusmodi sententiam seu decretum retractent, & Actorem in expensis hujus causæ appellationis condemnent.

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Excipientem non fateri.

1. *Exceptio solutionis an contineat confessionem debiti.*
2. l. Non utique de exceptio. & l. Quingenta De probat. *intellectus.*
3. *solutionis allegatio non est proprie exceptio.*
4. *Exceptione suam si non probet Reus cõ. eminentius est.*
5. *Iuramentum necessarium iudiciale retractari posse.*

CONSILIVM CXXXVII.

QVOD Marcellus Iureconsultus, *in l. Non utique De except.* respondit, *non utique existimatur confiteri de intentione adversarij, quo cum agitur, qui exceptione utitur*, sic à plerisque accipitur, ut etiam ad obiectionem solutionis id pertinere existiment; ideòque sola obiectione seu allegatione solutionis, quam Reus conventus facit, non videatur contineri confessio debiti petiti, si aliâ ratione Actor seu petitor intentionem suam non probavit: ut nec Reus ob id, si allegatam solutionem non probat ex hac qualicumque sua confessione, quam ratio seu argumentatio privationis ad habitum inducere solet, *l. Decem De verb. oblig.* condemnari potest, si Actor aliâ probatione non adjuvatur. Quæ sententia ex authoritate Glossæ juris Canonici, *in c. Excepti De reg. iuris lib. 6.* communiùs recepta est, *Bart. Imola, & alij in d. l. Decem, & in l. 1. C. De probat. Ioan. Andr. in addit. ad Specul. tit. De except. §. viso post prin. Alex. cons. 183. In causa nu. 20. vol. 6.* rejectâ etiam distinctione quam in hoc juris articulo adhibet Dynus, *in c. Nullus pluribus & in d. c. Exceptionem De R. 1. lib. 6.* & apertè probarunt Speculator, *in d. §. viso*, Albericus, & Angelus *in d. l. non utique* inter simplicem & conditionatam Rei allegationem; ut in conditionata, hoc est quæ fit per præmissam negationem petiti debiti & subjectam allegationem solutionis, si de debito Actor probare possit, nulla lateat vel confessio vel præsumptio antecedentis debiti, sed requiratur actoris sufficiens probatio; in pura verò & simplici allegatione solutionis sine ulla adiectione negationis debiti petiti, consistat tacita confessio & præsumptio ipsius antecedentis debiti. * Pro qua tamen distinctione &
2 illius veritate plurimùm urget Celsi l. C. aliud responsum *in l. Quingenta D. De probat. quod quamvis æquius sit ut petitor semper probet quod intendit, a Reo tamen probationem exigi, si cum actor creditum petit, Reus respondeat solutam esse pecuniam*; quasi responsio de soluta pecunia Actorem exoneret à probatione crediti, quod Reus minimè negat, sed dissolutum asserit, & asserendo probationi se astringit. Ita ut hoc casu à Reo non ab Actore exigatur probatio, quæ à Reo regulariter non exigitur quoad quamcunque peremptoriam exceptionem, nisi tunc, cùm & postquam Actor de sua intentione probavit *l. Siquidem C. De except.* ita quòd purâ & simplici obiectione solutionis sibi plus præiudicet Reus, quàm exceptione peremptoria pacti de non petendo, doli mali, metus, rei judicatæ, jurisjurandi,

vel si

vel si quæ aliæ sint similes, quæ appellatione & significatione exceptionum propriè continentur,
3 *l. 2. D. De except.* † quia sub illa perinde non continetur solutio, quæ propriè exceptio non est, nisi quoad intentionem & factum, *Bart. & alij in d. l. 2.* Hinc quamvis non videatur de intentione Actoris fateri, qui vera & propria exceptione utitur, *d. l. Non utique*; videtur tamen de ea fateri, qui solutionem simpliciter objecit: ob naturalem præsumptionem, quod non videatur quis indebitum solvere, *l. Cum de indebito D. De probat.* Vnde etiam est quod plerique, qui communi illi opinioni, quod Actor semper probare debeat etiam post allegationem solutionis adhærent, fateatur tutius esse, quòd Reus priùs neget petitum debitum, & hypotheticè subijciat objectionem solutionis, si scilicet & casu quo Actor probabit debitum.

Cùm igitur in hac causa appellationis, quæ coram Rever. D. Abbate judice Apostolico pendet inter Guilielmum Gertruyen Actorem nunc appellantem, & Theodoricum Sevenants Reum appellatum ex actis primæ instantiæ constet, Reum proposita ex parte Actoris petitione, restitutionis viginti florenorum simpliciter & purè nulla adjuncta negatione præcedentis debiti, respondisse, se illos creditori restituisse in specie certa nummorum Philippi Dalerorum, & non constet quòd primæ instantiæ judex aliquam probationem ab actore exegerit, sed præsupponendo veritatem antecedentis crediti Reo jusiurandum detulerit super allegata solutione, & sub conditione præstandi hujuscemodi jurisiurandi Reum ab impetitione Actoris absolverit: nulla videtur in illa primæ litis instantia fuisse vel incertitudo, vel dubitatio de intentione Actoris tam quoad ipsum Reum, quàm quoad ipsum judicem, eamque primùm obortam & iniectam esse in hac secunda instantia, postquam causæ patrocinium & defensio ad manus Advocati peruenit, qui ex vulgari hac Interpretum traditione, quod in exceptione solutionis non consistat probatio vel præsumptio petiti debiti, si aliter non probetur, ad præsidium negationis petiti crediti demùm confugit: sed verè seriùs postquam causa eò deducta fuit, quando non de intentione Actoris velut tacita Rei confessione probata, sed de responsione Rei quærebatur. Vnde in eo articulo dictus primus judex plurimum aberravit, quatenus ad simplicem & nudam solutionis allegationem, nulla illius vel semiplena probatione allata, nec aliqua præsumptione urgente, contra regulas & rationes juris, Reo jusiurandum detulit super allegata solutione, & sub conditione ejusdem
4 jurisiurãdi Reum Actori non teneri seu obligatum non esse pronuntiavit. † Cum enim in exceptionibus, & præsertim in allegatione & objectione solutionis Reus partibus actoris fungatur, hoc est ut Actor quoad intentionem, ita Reus quoad defensionem probationis onus subire debeat, *l. 1. C. De probat. l. 1. De except. l. In exceptionibus D. De probat.* & Actore nihil probante, Reus etiamsi nihil præstiterit absolvi debeat, *l. Qui accusare C. De eden. c. ult. De iureiur.* ita quoque Reus, si exceptionem seu defensionem propositam non probet, condemnari; consequens est, ut sicuti actori nisi in supplementum probationis tunc cùm semiplenè probavit, vel præsumptio aliqua illum adjuvat, jusiurandum deferre judex nec potest, nec debet, *l. Admonendi De iureiur.* ita nec Reo, cum causæ status & decisio consistit in illius exceptione & defensione, nisi in supplementum, minimè verò in omnimodam exonerationem probationis, *d. c. ult. Iason & alij in d. l. Admonendi*, deferre possit nec debeat jusiurandum; atque ita non debeat judex primæ instantiæ probationem allegatæ solutionis ponere in juramento & affirmatione Rei, tunc & postquam de intentione Actoris, hoc est de mutuo seu credito antecedente nullam difficultatem fecerat, nullâ proposità ex parte Rei negatione aut dubitatione de vero antecedente credito; quæ si proposita aut iniecta fuisset, debebat judex utramque partem ad onus probationis adstringere; Actorem quidem ad probandam obligationem; Reum verò ad probandam allegatam solutionem. Quæ est Bartoli in hoc juris articulo traditio *in d. l. 1. C. De probat.* etiam tunc, cùm Reus formaliter negavit antecedens debitum, addendo conditionaliter objectionem solutionis.

Quatenus ergo judex omninò contrarium fecit, & præsupposita non obscurè veritate antecedentis debiti Reo conditionem jurisiurandi detulit, & sub eâ eundem ab impetitione Actoris absolvit, non potest non censeri Actorem plurimum gravasse, & justæ appellationis occasionem præbuisse; sic quòd per hùjus secundæ instantiæ judicem sententia illa sit retractanda, & Reus ob defectum probatæ solutionis Actori nunc appellanti condemnandus in expensis. Idque evidentiore, quam in prima instantia ratione; ob id, quòd aliæ præsumptiones, in prima instantia nondum detectæ, pro Actore stent & faciant. Et primò quidem quod Reus apertè confessus sit hoc mutuum seu creditum viginti florenorum se petisse; tametsi addiderit sibi numeratum non fuisse: ea enim non subsequutæ numerationis allegatio planè improbabilis fit ex conjunctione confessionis seu allegationis de solutione seu restitutione similis seu æqualis summæ, quæ nulla ratione præsumi potest facta, nisi ex antecedente vera obligatione, quam facit ex causa crediti antecedens naturalis numeratio, *d. l. Cum De indebito l. Cum fidem C. De non num. pec.* Deinde retorsio illa, quâ Reus non sibi, sed Henrico van Winde hos viginti florenos numeratos per ipsum tum in Philippi Daleris restitutos esse verbaliter per exhibitionem seu communicationem cujusdam memoriæ 20. Octob. 1580. anno factam, proponit, factæ realis numerationis evidens argumentum continet; quæ licèt quoad formam discordare videatur ab illa, quam Actor prætendit, quoad factum tamen facillimè conciliari cum illa potest, *l. Certi §. si nummos l. singularia De reb. cred.* Sic quod cùm ultra tacitam confessionem Rei, resultantem ex allegatione restitutionis seu solutionis, alia quoque concurrant, quæ non levem præsumptionem pro intentione Actoris faciunt, super allegata hujusmodi solutione, non Reo, quod illam fecerit; quia nihil omninò habet, unde pro eo præsumi possit; sed Actori, quod facta non fuerit, jusiurandum per priorem judicem deferri debuerit; meritóque ob id & justè pro parte Actoris ab hujusque conditionali sententia appellari potuerit.

Vnde Rever. D. Iudicis officium nunc esse putamus, ut retractatâ priore sententia Reum Actori condemnet ad solutionem dictorum viginti florenorum, simul & in expensas utriusque instantiæ. Quâ in re impedimentum nullum facit, quod Reus juramentum factæ solutionis præstiterit: † etsi enim voluntarium juramentum, quod pars parti in judicio defert, semel præstitum irrevocabile sit, *l. Aut Prætor* D. *De iureiur. l. Generaliter §. fin autem* C. *De reb. cred.* quia loco solutionis cedit, *l. Iusiurandum De iureiur.* & ob id parti deferenti remedium appellationis denegatur, *d. l. Generaliter §. fin autem ubi in fine* C. *De reb. cred.* quod tamen Iudex in supplementum vel exonerationem probationis judicando defert utrique, retractari potest per remedium appellationis à delatione, seu sententia, ex delatione & præstatione juramenti lata, interpositæ, si declaret non rectè à Iudice priore delatum esse juramentum alteri litigatorum, vel quia ei omninò deferri non debuit, vel quia potius alteri parti deferri debuit, *d. §. fin autem vers. sive autem illatum, Iaf. in l. Admonendi, nu.* 42. *in 2. lect. D. De iureiur.*

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio probrosa.

1. *Advocatus tenetur, si procacius partem adversam scripto lædat.*
2. 4. *Advocatus etiam probrosa objicere potest ex capite clientis.*
3. *Præsumendum in meliorem partem.*
5. *Advocatus non facit sed dictat articulos.*

CONSILIVM CXXXVIII.

LICET negari nequeat, quin injuriâ affectus sit Ioannes Coppens per falsi illam objectionem, de quâ nuper scripsimus; non videmus tamen, quo jure actione injuriarum eo nomine agi possit adversus M. Ioannem C. Advocatum, ex eo, quòd patrocinando hujusmodi probrosas allegationes scripturis suis inseruerit. † Est quidem verum graviter peccare, & diminutionem famæ pati Advocatum, si procaciùs causæ serviens ab injurijs non temperet, & probris ac contumelijs certandum putet, *l. Quisquis* C. *De postulando*; * verùm quin probrosa etiam objicere possit, cùm causæ utilitas poscit, dubium non est, *d. l. Quisquis in verb. quam litium poscit utilitas*: Veluti (inquit Accursius *in d. l. Quisquis in V. utilitas*) si objiciat, quòd testes falsos instruxerit, aut calumniatus sit; non ita quidem, ut cum convitio vel animo convitiandi id faciat, sed ut factum simpliciter proponat: quæ propositio cùm ex necessitate suscepti patrocinij fiat, præsumptionem animi injuriari volentis avertit; sine quo animo & proposito numquam nascitur injuriarum actio, *l. Illud §. 1. De iniur. l. Si non convitij* C. *De iniurijs.* * & in facto ambiguo, obscuro, vel indifferenti in meliorem partem semper inclinat præsumptio, ut delictum excludatur, *l. Metuò* D. *pro socio*; sic ut quæcumque excusatio, etiam justa, si modò absit verus dolus, admittatur, *l. Igitur De lib. causa*, & ne quidè ex lata culpa inducendi delicti occasio permittatur, *Bald. cons. 277. In causa Guilielmi n. 2. vol. 5.*

Quia igitur Advocatus postulando non suum, sed clientis desiderium exponit, aut alterius desiderio pro cliente contradicit, *l. 1. §. postulare, De postulan.* injuriandi affectum (nisi is extrinsecus probetur) habere non præsumitur. † Vnde etiam est quod dixit Speculator, *in tit. De positionib. §. 3. vers. sed patronus*, Advocatos non facere, sed tantùm dictare positiones; &, ut ait Baldus, *in addit. ad Specul. d. tit. De posit. in princ. vers. advocatus*, dictat Advocatus tanquam pica in persona clientuli: sic ut, cùm profertur positio aut allegatio per Advocatum conscripta, non possit illa dici Advocati esse, sed partis seu clientis, *Specul. loco supra allegato.* Et quamvis consilium præstet, id tamen non rei sed formæ tantùm est; ut scilicet allegatio ineptè non proponatur, *Bald. loco supra citato.* Vnde etiam est, quòd dictus Advocatus limitativè scripserit quoad formulam, et, si me non fallit memoria, curaverit quod Gabriel de Nayere etiam subscripserit; quâ limitata subscriptione & accessione subscriptionis Gabrielis cessante, simplex Advocati subscriptio accipienda esset secundùm solitum morem & consuetudinem, & juxta officij necessitatem & qualitatem. Proinde consultiùs mihi facturus videtur Ioan. Coppens, si in solum Gabrielem injuriarum actionem conijciat, & ab Advocato abstineat.

De exceptionibns.

SVMMARIVM.

Exceptio excommunicationis.

1. *Exceptio excommunicationis nisi probetur intra octavam diem litis progressum non impedit.*
2. C. Pia De except. lib. 6. *intellectus.*
3. *Paria sunt, non agere & non debito tempore agere.*
4. *Iudici delegato non creditur nisi ostensa commissione.*
5. *Excommunicatio non probatur per instrumentum nisi iudicis delegati commissione inserta.*
6. *Excommunicatus appellare potest, & appellationem prosequi.*
7. *Concesso aliquo, id quoque concessum censetur, sine quo illud expediri nequit.*
8. *Calusula*, & cum absolutione ad effectum præsentium.
9. *Solita præsumuntur.*

CONSILIVM CXXXIX.

VENERABILIS D. Præposite, cùm exceptio excommunicationis magnam malitiæ, calumniæ, cavillationisque ansam ijs præbeat, quorum studium magis versatur in protelandis differendisque causis, quàm promovendis & ad debitum finem perducendis: † rectè factum est, ut objecta à quocumque excommunicationis exceptio, litis progressum non impediat, nisi intra octavum diem, ex quo objecta & admissa est legitimè & apertè probetur; ita ut eo termino lapso Iudex in causa procedere debeat & condemnare Opponentem in expensis, ratione hujusmodi exceptionis oppositæ factis, *cap. Pia De except. lib. 6.* † Qui quidem terminus octo dierum à jure statutus sic currit ipso jure proponenti, ut absque aliqua Iudicis assignatione statim ab ipsa propositione & admissione decurrat, *Spec. in tit. De dilat. §. 1. vers. sed nunquid & ibi Ioan. Andr. in addit. Geminian. Phil. Franc. in d. c. Pia §. 1. Ant. Capyc. decis. Neapol. 83.*

Cùm

Cũ ergò pro parte D. Margaretæ de Hoſden & illius conſortiũ exceptio excommunicationis fuerit 15. Iunij D. Philippo propoſita, & ad probandum admiſſa, nec tamen fuerit deinde uſque ad 21 Auguſti proximè ſequentis, & ne nunc quidem legitimè probata, nihil dubitandum, quin partes veſtræ ſint, ut reiectâ hujuſmodi exceptione, decernatis vos judicem cauſæ & partium competentem, juxta apertiſſimam iuris diſpoſitionem, *in d. c. Pia.*

Adverſus quæ nihil facit, quod pro parte dictæ D. Margaretæ exhibitæ ſint quædam literæ, authoritate D. Foillani Decani S. Petri Leodienſis ſigillatæ, continentes, uti prima facie apparet. certam quandam excommunicationis ſententiam, per eundem Decanum in præfatum D. Philippum ob prætenſam quandam illius in non comparendo contumaciam, latam. Nam inprimis ſi nihil aliud eſſet quod obijci poſſet iſtis literis, quàm quod non fuerint exhibitæ intra terminum à jure præfixum, hoc eſt, intra octavum diem à prædicta die 15. Iunij, quâ hujuſmodi excommunicationis exceptio propoſita fuit, nullum deberent operari effectum: * paria enim ſunt aliquid non eſſe actum, 3 & debito tempore aut modo actum non eſſe, *l. 1. §. pen. D. Quorum legat.* Conceſſo quoq; quòd debito & juſto tempore ac tempeſtivè exhibitę fuiſſent iſtę literę nihilomagis prodeſſent excipienti: cũ per eas nõ probetur objecta excommunicationis exceptio, ut quæ non niſi apertiſſimis documentis probari poteſt, *d. c. Pia. §. 1. in fin.* Id autem ſic deduco. Certiſſimum eſt prædictum Dominum Foillanum non eſſe judicem ordinarium; nam de eo non apparet, *l. In lege De contrah. empt.* & non tantùm non apparet, ſed ex adverſo etiam de contrario conſtat, qua parte in ijſdem literis narratur eum authoritate Nuntij Apoſtolici delegatum eſſe. † 4 Iam verò certiſſimum eſt non credi cuique mortalium aſſerenti ſe eſſe legatum Pontificis aut Imperatoris, aut illorum mandata habere, quacumque etiam prę fulgeat dignitate, niſi literas commiſſionis eorundem realiter & de facto oſtendat, aut literis ſuis inſerat, *c. Cum in iure peritus De offic. iud. deleg. l. Vnica C. De mand. Princip.* Et ideò decidit eleganter Gloſſa, & eandem ſequentes Doctores, *in d. c. Cum in iure peritus ſuper V. intungo*, pro re admodum notabili, quòd licet exhibeatur ſententia delegati, ei tamen non credatur, nec præſumatur pro illius ſententia, niſi oſtendatur commiſſio; prout nec creditur ſi ſe delegatum dicat, * Et ne 5 hæreamus, in ſpecie deciſum eſt, quod obiectâ exceptione excommunicationis non probetur eadem excommunicatio, ſi exhibeatur ſententia, vel inſtrumentum excommunicationis iudicis alicujus delegati, ſine inſtrumento ſeu brevi delegatæ juriſdictionis, *d. c. Cum in iure Do. Gemin. in d. c. Pia nu. 13. Nicol. Everard. præſes conſ. 161.* Quæ omnia multo magis locum obtinent, dum ſententia lata dicitur in abſentia partis, vel ob contumaciam abſentis, *ut per Innoc. & Bellameram in d. c. Cum in iure peritus* Cùm ergo non conſtet de poteſtate dicti D. Foillani, nec ſecundùm præſcripta pro ea præſumi debeat, ſequitur nullo modo probatam eſſe obiectam excommunicationis exceptionem. Et ſanè non tantùm non concurrit aliqua pro dicta poteſtate ſeu juriſdictione præſumptio, ut etiam contraria occurat: nam perlegendo ſupplicationem pro parte dictæ D. Margaretæ ante hanc avocationem Reverdiſſ. D. Nuncio Apoſtolico exhibitam, licet in ea narretur tota hiſtoria rei, & per ordinem recenſeantur judices, quibus hæc cauſa ſucceſſivè fuit commiſſa, & qui in ea manus admoverunt; nuſquam tamen in ea reperitur facta mento hujus D. Foillani Decani S. Petri Leodienſis: ita ut cùm prætenſum inſtrumentum excommunicationis mentionem faciat de hoc eodem negotio, nunc vobis, Venerabilis D. Præpoſite, commiſſo, meritò venire debeatis in ſuſpicionem falſi, aut ſaltem nullo modo fidem in parte vel toto dictis literis adhibere; quia omnia jura reclamant. Et hæc quidem tam certa ſunt & indubitata, quàm certum eſt pro parte adverſa ſtudio malitiæ hujuſmodi exceptionem obijci.

Sed omittentes articulum non probatæ exceptionis, & ſine præjudicio veritatis conceſſo, quod verè, prefectè & legitimè probata eſſet; nihilo magis obſtare debet hujuſmodi exceptio ad effectum impediendi uſum reſcripti vobis præſentati, aut illum annullandi velut nulliter ab excommunicato impetrati, *iuxta c. Dilectus filius De reſcrip.* idque ex tribus cauſis. † Quarum prima eſt, quod jure 6 manifeſtè ſit deciſum, excommunicato non tantum ſi Rei partes obtinet, verùm etiam ſi ſit Actor, ſi gravatus per judicem appellet ad perſecutionem appellationis ſuæ nullum impedimentum facere excommunicationem. Defenſio enim naturalis eſt & nulli auferenda; cujus ſpeciem continet perſecutio appellationis, *c. Significaverunt & ibi elegans gloſ. in V. defenſio, verſ. dicas ergo. De exceptio.* Vnde cui appellare & appellationem perſequi conceſſum eſt, eidem conceſſum quoque videri debet literas Apoſtolicas ſuper appellatione impetrare: † 7 conceſſo enim aliquo, id quoque conceſſum intelligi debet, ſine quo ad illud perveniri nequit, *l. 2. De iuriſd. om. iud.* prout de eo extat in individuo expreſſus textus, *in c. fin. De reſcrip.* Secunda cauſa eſt, quòd cum plena cauſæ cognitione, auditâ utraque parte Nuncius Apoſtolicus, non tam ex petitione & inſtantia dicti D. Philippi, quàm motu proprio has literas vobis D. Præpoſito miſerit: quorum prius, de cognitione ſcilicet, etſi ex actis omninò apertè non conſtet, ſatis tamen ex eo colligi poteſt, quòd præter morem ſolitum vobis non in forma brevis Reverendiſſimus Dominus Nuncius commiſerit hanc cauſam; ſed per ſuas literas patentes: poſterius ſanè ex eo percipitur, quod ex literis non tantùm non conſtet de ſupplicatione Domini Philippi, ſed præterea in illis dictum ſit, *Ex certis cauſis animum noſtrum moventibus.* Ita ut quod de annullanda impetratione litterarum propter excommunicationem jure cautum eſt, *in cap. Cum vos De offic. iud. ordin.* huc applicari non poſſit, cùm non inveniatur dictus Dominus Philippus literas iſtas impetraſſe. * Tertia, quod 8 etiamſi conſtaret ad inſtantiam & ſupplicationem dicti D. Philippi impetratum eſſe hoc reſcriptum, quia tamen ex ſolito & uſitato ſtilo ac uſu eorum, qui ſupplicationes conficiunt pro obtinendis hujuſmodi reſcriptis ſemper in fine ſupplicationis adijcitur hæc clauſula, *Et cum abſolutione ad effectum præſentium*, credendum eſſet indubitanter eandem

clausulam in tali supplicatione D. Philippi fuisse quoque adiectam, † cũ assueta & solita facilè præsumantur, *l. certi §. si nummos in fine* De *reb. cred.* Et ideo si evidenter probata esset excommunicatio; ex eo tamẽ, quod Dominus Nuncius hujusmodi supplicationi annuit, desuperque rescriptũ concessit, absolutus censeri deberet D. Philippus, saltem quoad ipsam impetrationem, & sic impedimentum excommunicationis sublatum; quo sublato relinquitur utilitas & efficacia eiusdẽ rescripti, utpote impedimenti causa sublata, *l. Etsi contra & ibi Bald. C. De nupt. cap. Post. translationem* De renunciat. *gl. in c. Quia diligentia in fi.* De elect. *Cardinal. Zabarella in c. Ab excommunicato vers. quarto deficiente causa, De rescript.*

Cùm igitur, Venerabilis Domine Præposite, tam multa concurrant pro fundamento jurisdictionis vestræ & enervationum ex adverso obiectarum, accedente præsertim tam evidenti juris dispositione superiùs allegata, ut dissimulandi vel connivendi nulla prorsus sit occasio; existimamus facile vos intelligere, quæ sint partes vestræ in interloquendo super altercatione partium circa cõpetentiam & incõpetentiam jurisdictionis mota.

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio excommunicationis.

1. *Excommunicatio obiecta intra dies probanda.*
2. Cle. 1. De exception. & c. Pia eod. tit. in 6. *intellectus.*

CONSILIVM CXL.

1 IN altercatione, quæ est inter Dominum Ioannem Pinchon Actorem reconvenientem, & D. Ioannem Moral reconventum, nulla est justa dubitandi causa in his, quæ pro parte Rei reconventi sunt proposita. † Nam quod Actor exceptionem excommunicationis pro repellendo eo à limine iudicij propositam per Reum ideo reijciendam contendit, quòd intra octo dies probata non sit jnxta juris dispositionem, *in c. Pia* De *except. lib.* 6. satis probabile non est; ideo quòd per Actorem ne nunc quidem negatum sit factum, quo Reus Actorem in vinculum excommunicationis majoris, *ex c. Si quis suadente diabolo* XVII. *q.* 4. incidisse contendit; & ex vulgato judiciorum more non priùs decurritur ad probationes, quàm factum negatum sit; eoque respectu non possit dici in ulla mora fuisse Reus quasi à die propositionis intra octo dies exceptionem non probaverit.

2 † Terminus enim ille octo dierum non currit; nisi postea quam à judice assignatus est, *Clem* 1. De *except. in V. termino peremptorio.* quod benè tradidit Speculator *in tit. De except. §. viso quando, vers. præfixo igitur termino*; qui & praxim inducendi probationes & ferendæ sententiæ super propositione hujusmodi exceptionis ostendit. Et quamvis sint, qui hunc terminum octo dierum legalem esse putent, ideoque etiam sine assignatione judicis decurrere; nemo tamen est qui non teneat hunc terminum non priùs currere, quàm ipsa exceptionis hujusmodi obiectio, per iudicem vel partem sit admissa; sic ut si facto partis, cui objcitur, non admmittatur, aut si pars adversa replicando, aut contradicendo tempus extrahat, nihil id noceat proponenti seu objcienti hujusmodi exceptionem, *Paul. Paris. cons.* 109. *Omisso vol.* 4. *Ant. Capycius decis.* 83. quia scilicet admissa nondum sit, ut eleganter ex Ioannis Andreæ sententia, tradidit Philippus Francus, *in d. c. Pia. nu.* 6. Cùm itaque ipso die propositionis Actor ad obiectionem huius exceptionis, terminum deliberandi petierit, & sic eandem non admiserit, sed demum nono vel decimo die deliberationem suam absolverit, ac deliberando de non admittendo eandem contenderit, nullâ ratione permittendum est, Reus excludi ab huiusmodi exceptionis usu & probatione. Officium itaque magnifici Domini Rectoris erit, ut exceptionem hanc admittat, & eâ admissa Actori terminum probandi præstituat.

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio in crimine hæreseos.

1.4. *Heretico per Inquisitorem ad iudicem sæcularem misso an aliqua cognitio iudici sæculari competat, an simplex executio.*
2. *Bartolus reprehensus in interpretatione §.* si verò crimen in Auth. De sanctiss. Episc:
3. *Iudex sæcularis causam hæreseos nec cognoscere nec scire debet.*
5. *Exceptio nullitatis an in causa hæreseos coram iudice sæculari in executione proponi possit.*
6. *Sententia non valet à non iudice lata.*
7. *Exceptiones in foro Ecclesiastico acquisita possunt proponi in foro sæculari.*
8. *Iudex laicus de mero facto in spiritualibus causis cognoscere potest.*
9. *sententia à non iudice lata executioni mandanda non est.*
10. *Confessio nulla est quæ fit coram incompetente iudice.*
11. *Minor in criminali causa etiam Ecclesiastica non potest stare in iudicio sine curatore.*

CONSILIVM CXLI.

CONTROVERSI iuris articulus est, an inquisitione per iudicem Ecclesticum super hæresi facta, declarationeque hæreticæ pravitatis subsequuta, & Reo inquisito ad sæcularem iudicem misso, iudex sæcularis, adquem Reus remissus est, merus & nudus tantum sit declarationis hujusmodi per supplicij illationem seu criminis punitionem executor, sic ut nullam notitiam vel cognitionem super eo sibi usurpare neque principaliter neque incidenter possit

* Nam Bartolus, *in l. Magistratibus* De *iurisdict. om.* 1 *iud. & in l. Divus* De *cust. & exhib. reor.* ulteriorem cognitionem permittit iudici laico, cui inquisitus de hæresi traditus est, *per §. si vero crimen in Auth. De sanctiss. Episc. coll. 9. in verb. & tunc competens index* &c. Quam Bartoli sententiam *in d. l. Magistratibus*, sequitur Baldus, Paulus Castrensis, & pleriqui alij; sic ut Ioannes de Imola, *in cap* 1. *De off. ordina.* dixerit hanc sententiã apud Legistas esse communem: pro qua etiam facere videtur illud, quod damnati ex hæresi per Ecclesiã relinquantur potestatibus sæcularibus animadversione debita puniendi, *in c. Excommunicamus.* Verùm Canonistarum opinio *in c. penult. §. damnati De hæretic.* in contrarium est, quam etiam magis sequi videntur Alexander, Iason. Franciscus Curtius & plerique ex neote-

neotericis, *in d. l. Magistratibus And. Alciat. in cap. pernicioſum De off. iud. ord.* propter expreſſam diſpoſitionem Bonifacii Papæ Octavi *in c. Vt inquiſitionis §. Prohibemus De hæret. lib. 6.* perquam poteſtatibus ſæcularibus interdixit, ne de hoc crimine, cum merè ſit Eccleſiaſticum, quoquo modo cognoſcant vel judicent; quam inde pro indubitata habent Canoniſtæ, *in d. c. De off. ordin.* præſertim quòd extare dicatur extravagans Conſtitutio Frederici Imperatoris, quâ id expreſsè conſtitutum ſit, & quam Inquiſitores habent, ut ait Alexander, *in d. l. Magiſtratibus*, & quam non viſam à Bartolo, ſe vidiſſe teſtatur Angelus, *in d. l. magiſtratibus.*

2 † ſic ut Bartolo & ſequacibus hac in re adverſus claram iuris diſpoſitionem, adhærendum non eſſe exiſtiment, dicentes Bartolum non rectè percepiſſe intellectum *d. §. ſi verò crimen*, cùm loquatur alijs criminibus non merè Eccleſiaſticis; nam & paulò poſt ſubijcitur verſiculus iſte, *Si autem Eccleſiaſtica cauſa eſt &c.* in quo dicitur nullam communionem habere Iudices civiles circa examinatio-

3 nem Eccleſiaſticæ cauſæ. * Vnde in crimine merè civili aut mixto, veluti ſacrilegio, permittunt iudici laico cognitionem poſt traditionem; non etiam in merè Eccleſiaſtico, ut eſt hæreſis, *d. c. Vt inquiſitionis.* Pro quo etiam facit quòd Iuſtinianus Imperator nec hoc quidem permiſerit iudicibus laicis, ut talia negotia ſcire poſſint; & quod Baldus approbatam ſemel à ſe Bartoli ſententiam, *in §. ſi verò Eccleſiaſticum in Auth. ut Clerici apud. prop. Epſci. collat. 6. Auth. clericus quoque Cod. De Epiſc. & cleric.* improbando dixerit *in d. Auth. clericus quoque*, remiſſionem hæretici, quam facit iudex Eccleſiaſticus ad Iudicem ſæcularem, fieri à ſuperiore ad inferiorem, & propterea nullas alias eſſe partes iudicis ſæcularis, quàm ut exequatur non ut cognoſcat.

4 Noviſſimè tamen has diſſidentes opiniones ſic conciliare nititur D. Ioannes Igneus, *ad l. 1. §. cum dominus nn. 41. Ad s. c. Syllan.* ut ſi præſente iudice laico, cui traditus eſt inquiſitus, feratur iudicium, panditis coràm eo inquiſitionibus, ut cognoſcat, quibus medijs ſanguinis iudicium ferre debeat, vera & tenenda ſit Canoniſtarum ſententia: ſin verò abſente laico iudice omnia ſint facta, æquior ſit Bartoli ſententia; ne Iudices laici tantùm lictores videantur ſententiæ Inquiſitorum, & ſæpè in periculo verſetur innocentia. Pro qua diſtinctione ac conciliandi ratione, multum facit textus iuris Canonici, *d. c. Excommunicamus 1. §. damnati in verb. damnati verò præſentibus poteſtatibus ſæcularibus &c.* ſic ut poſterior illa Bonifacii VIII: conſtitutio, *in d. c. Vt inquiſitionis* indictinctè loquens ad illam priorem in Concilio generali editam trahenda, & ſecundùm eam intelligenda ſit, quod in iure interpretando non ſolet eſſe novum, *l. Non eſt novum De legib.*

Quod quidem ex forma projectionis ſeu traditionis & declarationis propoſita; quòd ſcilicet Reus coram laicis iudicibus vocari debeat, & ſæculares iudices ſententiam condemnatoriam proferre debeant. Id enim eſt argumentum, notionem aliquam ijs eſſe relictam, quod ſine illâ, ſententia nulla rectè feratur.

Cæterùm huius quæſtionis & articuli ſcrupuloſior diſcuſſio ad rem propoſitam parum neceſſaria videtur; eo enim fine quæritur, an Iudex, ad quem Reus inquiſitus de hæreſi projectus eſt per inquiſitorem nudus tantùm ſit executor, ut cognoſcatur, num exceptio nullitatis declaratoriæ ſententiæ ex defectu perſonæ Inquiſitoris coram eo objici poſſit? * Nam quicquid dixeris, ſive iudicem cum 5
plena cognitione, ſive mixtum executorem, ſive nudum, ſemper & ubique patet via ac facultas proponendæ executionis, quæ ex nullitate ſententiæ cauſatur; præſertim ex defectu juriſdictionis. Ea enim eſt omnium nullitatum maxima, quæ opponi poteſt etiã tunc cũ aliæ exceptiones opponi non poſſunt, veluti adverſus tres ſententias conformes, *Caſtren. in l. 4 §. condemnatum De re iud. latè Sebaſt. Vantius in tract. De nullit. ſenten. ſub. Rubr. De nullit. ſenten. ex defectu juriſdictionis*: ſic ut numquam cenſeatur excluſa, ne tunc quidem cum ſtatuto vel lege exceptionis prohibentur, *gloſſ. ſin. in Clem 2. De ſequeſt. poſſ. & fruct. Felin. in c. Ex parte 2. De off. & poteſt. iud. deleg.* quin velut in individuo, ut ait Franc. Curtius Iunior, *in d. l. Magiſtratibus in fine.* iudex ſæcularis, cui inquiſitus per Inquiſitorem traditus eſt ad pœnæ executionẽ, poſſit cognoſcere de notaria nullitate ipſius ſententiæ declaratoriæ.

Cùm ergo ex Iure Canonico manifeſtiſſimè ſit cautum *in Clem. nolentes De hæretic.* nulli committendum eſſe inquiſitionis officium, niſi qui quadrageſimum ætatis annum attigerit, ſic ut ſi contra fiat, commiſſio ipſa ſit nulla; idque ſive à Pontifice, ſive ab Epiſcopo conſtituatur Inquiſitor, *gloſſ. d. Clem. Nolentes in V. committi.* quam ſententiam ſequuntur & probant ibi Zabarella & Ioan. de Imola, etiamſi clauſula irritantis decreti non ſit adiecta, *per l. Non dubium C. De legibus* bono jure poteſt dictus Reus coram præfatis judicibus laicis objicere adverſus ſententiam Inquiſitoris quod tempore datæ ſibi commiſſionis ac declaratoriæ ſententiæ non attigerit quadrageſimum ætatis ſuæ annum. * Non enim hîc quæritur de juſtitia 6
vel iniuſtitia ſententiæ ſeu de iure litigatoris, ſed de poteſtate ſententiam dicentis; quâ non ſubſiſtente non poteſt intelligi aliqua ſententia: eſt enim juriſdictio fundamentum ſententiæ, *Bal. in Rubr. Si à non compet. iud. eleganter Guido Papæ deciſ. 574.*

* Et generale eſt ut quæcunque exceptiones, quę 7
in foro ſeu judicio Eccleſiaſtico Reo acquiruntur, poſſint objici & admitti debeant in foro laico, *c. ſin. De excep. lib. 6.* ſic ut cùm tam potens ſit hujuſmodi exceptionum uſus, poſſit iudex ſæcularis vel adhibitâ cognitione ſuper hujuſmodi exceptione pronuntiare, juxta notata per Franc. Curtium Iuniorem, *loco ſuprà citato*; vel ſi pronuntiare nolit, abſtinere ab executione * Laicus enim iudex 8
de mero facto cognoſcere poteſt, & ad ſui inſtructionem ac informationem recipere aliquas probationes circa objectæ exceptionis veritatem; ita ut ſi veram comperiat, aut aliquid ſit quod poſſit eum movere, poſſit ſuperſedere ab executione, *Bal. in l. Titia Soluto matri. Innoc. in c. De cætero ſub. fine De ſent. & re iudic.* Vnde alibi dixit Innocentius *in cap. Paſtoralis De off. & poteſt. iud. deleg. ad V. iniuſtam.* quod executoribus criminalium cauſarum, ſi ſciant quemquam injuſtè damnatum, nolit conſulere, ut in perſonam condemnati pœnam

9 exequantur † Quo loco etiam addidit, quòd sententiam latam à non suo iudice superior non debeat mandare executioni: quod Innocentij dictum eo loco sequitur, & notandum esse dicit Panormitanus. Cui consonat quod ait Ioannes de Imola, *in c. 1. De off. ordin.* alium judicem non teneri stare processui facto coram iudice in-
10 competente, *per cap. At si clerici De iudic.* * & quod ait Lud. Romanus, *in d. l. Magistratibus*, confessionem factam coram incompetente Iudice, cujus jurisdictio prorogati non possit (qualis est is, qui nullâ omninò jurisdictionem habet, *l. Privator. C. De iurisd. om. iud.*) non nocere apud competentem; ut is ex ea contra confitentem possit procedere.

Admittenda itaque est hæc ex defectu ætatis à jure requisitæ obiecta deficientis jurisdictionis exceptio, eâque admissâ, & summariè atque incontinenti probatâ, vel declaranda nullitas, vel quod mavult Innocentius, supersedendum & abstinen-
11 dum ab imperata executione. † Ad quod præfati judices sæculares debent hîc esse procliviores, quòd hic agatur de puniendo minore viginti quinque annis, qui in universum etiam in criminali causa non potest in judicio respondere nec stare sine authoritate curatoris, *l. Clarum & ibi Doct. C. De author. præstan. Bart. in l. 2. §. quod observat: C. De iureiur. propter calum. dan. Panor. in cap. pen. De iuram. calum.* Et quamvis hoc crimen merè Ecclesiasticum sit, ideoque dubitari posset num excessus decimi quarti anni eum habilitet ad judicium hoc inquisitionis, *in cap. Si annum De iudic. lib. 6.* ex ætatis tamen imperfectione admittendæ prædictæ exceptiones ex capite deficientis jurisdictionis in Inquisitore, major debet esse propensio, *Matth. De Afflictis decis. Neapolit. 208. Roland. a Valle consil. 31. vol. 1.*

De Exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio litispendentiæ.

1. *Exceptio litispendentiæ symbolizat cum exceptione rei iudicatæ.*
2. *Exceptio rei iudicatæ quæ requirat.*
3. *Actionibus pluribus concurrentibus quando & quomodo sit actoris electio.*
4. *Concursus plurium actionum quando permittatur.*
5. *Instantia non transit ad singularem successorem.*
6. *Litigiosa res non efficitur per actionem personalem ad illam institutam.*
7. *Litigiosi vitium an per litis contestationem contrahatur.*

CONSILIVM CXLII.

1 REGVLIS juris ferè ijsdem insistunt, exceptio rei iudicatæ, & exceptio litispendentiæ, *Felin. in c. Ex tenore nu. 19. vers. & generaliter De rescript.* Vnde quibus ex causis exceptio rei in alia lite judicatæ nihil facit ad impediendum ingressum alterius novæ litis, etiam inter easdem personas, & ex eodem fonte; ex ijsdem non potest novæ liti obijci pendentia ejusdem litis coram eodem vel diverso iudice in alia causa, *Phil. Decius cons. 460. Viso puncto nu. 8.*

* Ad hoc autem ut exceptio rei judicatæ propo- 2
ni possit, necesse est easdē esse litigantium personas, eandem rem, eandem petendi causam, & eundem petitionis finem, *l. cum quæritur cum duab. seqq. De except. rei iudic.* Quorum omnium concursus ad constituendam efficacem exceptionem litispendentiæ quoque necessarius est; & debet ea esse duarum litium inter eosdem successivè inchoatarum conditio, sic ut sententia absolutoria in una, pareat exceptionem rei iudicatæ in altera. *Marian. Socin. cons. 38. Pro decisione vol. 1. Decius d. nu. 8.* Quæ præ oculis habendo facilè deprehenditur, quòd exceptio litispendentiæ pro parte M. Ioannis de Curte contra jurisdictionem Magnifici Domini Rectoris proposita adversus Antonium Amerotium Actorem, locum vel effectum habere non possit. Etsi enim ex eâdem causa, hoc est ex literis Scabinalibus, & promissione quondam Petri van Hamme authoris præfati M. Ioannis actum fuirit coram Scabinis Lovanienſibus, ex quâ in hac causa agitur contra dictum M. Ioannem ut maritum suæ uxoris hæredis dicti Petri, non sunt tamen per omnia eædem personæ, quæ in priore illa lite coram Scabinis fuerunt, nechæres est Reus eorum, qui illam priorem litem instituerunt. Mutatio igitur personarum aliam atque aliam rem seu litem facit, & usum exceptionis litis alibi pendentis excludit, *l. Si cum uno De except. rei iud.* Deinde non est idem actionis genus & finis petitionis utrobique: nam in prima causa coram dictis Scabinis Actores illius litis egerunt reali & executiva in effectu actione, per adductionem & iniectionem manus ad bona dicti Petri, in hac causa agitur personali actione ad præstandum bonum esse nomen seu reditum, quem Petrus quondam M. Hadriano Amerotio vendidit; quem M. Hadrianum dicti Actores in prima causa universali jure repræsentarunt & sic in effectu ex evictionis causa, quòd vendiderit reditum hypothecatum, quem Actor hujus causæ dicit hypothecatū non esse; quæ quā sint diversa, res ipsa apertè, demonstrat. Quæ quidem duo iuris remedia seu duæ actiones connexæ non sunt, sed ita separatæ, ut ex altera absoluto Reo, in altera non detur eidem Reo exceptio rei iudicatæ, & per consequens nec litispendentiæ. * Et quamvis in concursu plurium actio- 3
num plerumque Actor unam eligere debeat, & unâ electâ altera consumatur, tunc scilicet, quando ad eundem omnino finem & effectum tendunt, *l. Quod in hæredem §. eligere De tribut. actione:* Vbi tamen finis alius atque alius est, idem non obtinet: unum autem non esse finem huius, quæ hic coram Magnifico Domino Rectore nunc instituta est, & illius quæ coram Scabinis contra dictum Petrum cæpta fuit, manifestum est; quia per illam velut prætorium pignus dumtaxat, seu missionem in bona & iniectionem manus Actores illi prosequuti sunt; per hanc dictus Actor, ut certiore via incedat, Reum sibi condemnari petijt ad contractus implementum, hoc est ad præstandum reditum; ut ad hoc tenetur qui reditum seu nomen vendidit, *l. si nomen D. De hæred. vel actione vend.*

* Quæ duo remedia accumulativè sic concur- 4
runt, ut unius electione, altera non consumatur: ut est in concursu missionis in bona & personalis

persecu-

persecutionis, *Bart. in l. Consentaneum* D. *Quomodo & quando iud.* & in iniectione manus seu facultate propriâ authoritate ingrediendi possessionem; quâ Actor sibi stipulatus est, & facultate adeundi judicem viâ ordinariâ, per propositionem præsertim personalis actionis, *Alex. cons.* 105. *Magnifice prætor nu* 30. *vol.* 3. Ita ut manifestum sit dictam litispendentiâ coram Scabinis non esse impeditivam hujus litis, & sic propositam litis alibi pendentis seu cœptæ exceptionem frivolam esse: potissimum post lapsum quatuordecim annorum, quibus illa lis coram dictis Scabinis contra dictum Petrum per præfatos alios Actores inchoata, nullum progressum habuit; imò vix cœpta fuit, & quæ anno 1566. in eo statu fuit atque etiam permansit, ut de editione actionis idem Petrus contenderit, illamque in scriptis exhiberi petierit: ad quæ, & post quam petitionem nihil amplius in illa causa actum fuit, & sic causa per ultroneam dictorum Actorum desistentiam deserta & peremta fuit, si non lapsu triennij ex juris communis dispositione, *l. Properandum C. De iudic.* quod lis in ea contestata numquam fuerit, *d. l. Properandum post princ. in V. post litem contestatam, Bald. in l. Et post edictum § circumducto D. De iudic.* saltem facto & tacita Actorum renunciatione per tot annorum taciturnitatem.

5 Quibus ad avertendam hanc litispendentiæ exceptionē hoc adjecimus, quòd hæc mutatio personarum, de quâ superiùs obiter diximus, hoc etiam efficiat, ut si idem omninò per omnia in utraque causa esset genus actionis, eadem causa petendi, & petitionis idem finis, & præterea hæ actiones sic concurrerent, quod unius electione sequuta super ea litiscontestatione altera perimeretur, adhuc non esset admittenda hæc exceptio; ob id, quòd generaliter receptum sit, instantiam non transire ad singularem successorem, sive de Actore sive de Reo agatur, *Innoc. & alij in c. Quia De iudic. Bartol. in l. Si eum hominem nu.* 4. *De fidei-iussoribus.* Iam verò Actor hujus causæ cum suo conforte non ut cohæredes aut successores universales dictorum Actorum in priore illa lite, nec ut hæredes Hadriani Amerotij hanc litem instituerunt, sed ut singulares successores ex causa transactionis, & ex cessione ipsis facta per dictos prioris litis Actores, de jure & actione ipsis tamquam Executoribus testamenti D. Hadriani, competente ex dictis Scabinali recognitione & promissione, nullâ factâ speciali cessione dictæ instantiæ, quæ omninò necessaria essent ad hoc, ut instantia ad singularem successorem transire posset, *Bart d. nu.* 4. *Andr. Tiraquell. De retract. §. 26. gl. 3. nu.* 26. † Cui considerationi non obstat vitium litigiosi, quòd scilicet actio litigiosa cedi non possit, *l. Lite pendente C. De litigiosis*; & quòd vitium litigiosi contrahatur per solam citationem, etiamsi lis contestata non sit, *Auth. Litigiosa C. De litigios.* nam etsi verum sit, rem seu actionem litigiosam fieri per solam citationem tunc, cùm de dominio seu proprietate rei quæritur, hoc est cùm reali actione, rei vindicatione vel Publiciana ad illam agitur, *d. Auth. Litigiosa*; sic tamen non efficitur litigiosa actio, quæ vel merè personalis est, etiamsi ad eam agatur, ut ex empto, donato, aut alio simili titulo, ex quo solo dominium sine traditione non transit, *l. Traditionibus C. De pactis*; vel hypothecaria seu executiva tantùm est: † nam in personalibus hujusmodi actionibus, ut illæ seu res sub illis contentæ litigiosæ fiant, non sufficit sola conventio seu citatio, sed requiritur præterea litis contestatio, *glos. 2. in d. l. Lite pendente & ibi Doct. late & eleganter Did. Covar. practic. quæst. c. 15. nu.* 6. quam in dicta priore lite coram Scabinis in actione executiva per additionem seu manus injectionem factam fuisse Reus non probat. Satis igitur ex his constat propositam exceptionem litispendentiæ fundatam non esse. 7

1 De altera exceptione, quòd ex concordatis Rector non habeat cognitionem de validitate aut invaliditate constituti reditus, non est necesse operosiùs agere: nam concordata id ea forma non continēt, quia hic agitur non de jure ipsius reditus, sed de implemento promissionis dicti Petri van Hame; & de venditione dicti reditus, quem cessante etiam omni speciali promissione ex natura venditionis cogebatur præstare, quod talis qualem Reo vendidit, hoc est quod sit hypothecatus, *d. l. Si nomen.*

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio litis finitæ.

1. *Exceptio* Tibi non competit actio, *litis ingressum impedit.*
2. *Solutionis exceptio impedit litis ingressum.*
3. *Mendacium punitur.*
4. *Exceptiones peremptoriæ ante litem contestatam non proponuntur.*
5. *Litis contestatio quomodo fiat.*

CONSILIVM CXLIII.

NOTISSIMVM est, Venerabilis Domine Assessor, * omnem exceptionem, per quam concluditur agenti non competere actionem, ipso jure impedire litis ingressum contestationemque, si ad hoc proponatur, *l. Si pupilli §. videamus De neg. gest. Bar. in l. Nam postea De iureiur. & in l. Cum quærebatur De re iud.* † In quarum numero est exceptio solutionis, *Bart. in l. Vir bonus Iudicatum solvi & in d. l. Cum quærebatur, Bal. in repet. l. 2. D. De iureiur. colum.* 14. *vers. 2. opponitur*, sive facta sit solutio in judicio sive extra judicium, si modò de ea Iudici statim sine altiore indagine constet, *Bal in d. l. 2. col.* 15. & ideo ea proposita facit non tantùm ad condemnationem definitivam, sed etiam ad absolutionem ab observatione judicij; frustra enim fit per plura quod fieri potest per pauciora, *l. Dominus testamento De condict. indeb.* Cùm itaque Generosus Dominus Wernerus à Gulpen pro finiendo hoc processu exceperit de solutione, & excipiendo apocham Actoris exhibuerit, quam Actor suâ manu scriptam esse confessus est, de sola exceptionis potestate & effectu tractandum & cognoscendum est; reiecta materia actionis propositæ. Nam replicatio, quâ adversus hanc suam confessatam apocham usus est idem Actor, nullâ legitimâ probatione adjuta effectu & viribus caret. Percurrendo enim omnium & singulorum testium, quos super hac sua replicatione Actor produxit, testimonia, nemo est, qui deponat hanc ipsam apocham, quam Reus exhibuit, esse eandem in individuo 1 2 3 4

dividuo quam Actor Matthiæ Sartorio tradidit, aut quod illam, quàm Reus exhibuit, ab alio aliquo acceperit, quàm ab ipso Actore; in quo etiam juris præsumptione juvatur, *l. Generaliter C. De non num. pec.* Deinde qui deponunt de Matthiæ apocha data, dicunt illam non fuisse bonam, & ob id remissam; sic ut non possit hæc quæ nunc exhibita est cum illa esse eadem: quia quæ nunc exhibita est, sufficiens & idonea omnino est. Et quamquam idem Matthias dicat aliam fuisse missam Frambachio fratri Actoris, nihilo tamen magis probatum est, aut etiam præsumendum, illam fuisse eam, quæ hic nunc exhibita est; cum fieri possit ut & tertiam scripserit, & quæ ad Frambachium missa est, ad manus Rei numquam pervenerit; ut revera numquam pervenit. Et ideo fixæ probationis nihil hinc constitui potest, *l. Neque natales C. De probat.* ne quidem accedente re judicata seu sententia, quam Actor coram Senatu Leodiensi contra Matthiam retulit: quod nec illa magis id arguat, & res inter alios acta alijs non præjudicet, & denique quod si datione alicujus apochæ læsus est Actor, ex hujusmodi sententia indemnitatem conservare possit. Et non tantùm non constat eandem esse, sed ex adverso ex testimonio Catharinæ tertiæ in ordine testis constat eandem non esse; cum deponat illam ad se missam, & à se pro Reo asservatam fuisse, & Actor dicat ad Frambachium fratrem Rei missam, & ex ejus domo mortuaria per Reum subtractam. Ita ut cum ejusdem Catharinæ testimonio Actor pro probanda sua replica usus sit, non possit eandem Catharinam reprobare, *l. Pomponius De negot. gest.*

Et ne hac in re motus animi aliorsum propendeat, ob oculos ponenda est rei verisimilitudo, quæ in hac re ad Reum propendet, & minimè ad Actorem, qui nihil veritus concipere libellum de tam magna summa 12524. florenorum, & per testes non ultra probare potuit quàm sibi debitos dumtaxat fuisse ducentos Philippicos, pro quibus ex concordia seu translactione accepturus esset ducentos Carolinos; † ita ut cum mendacium ejus 3 detegatur non debeat audiri improbâ allegatione *l. Optimam. C. De contrab. stipul. §. si scriptum Inst. De inutil. stipul.* adversus suam apocham utendo, & Reum natalibus & fide apud omnes conspicuum tam sinistra suspicione onerando. Si igitur vera est apocha, ut vera est, non debet Actor audiri antecedentis & extincti debiti causam refricare volens, & Reum ad contestandam litem provocans,

Quibus non obstat doctrina & distinctio Bartoli, *in d. l. Cum quarebatur*, de forma objiciendi hanc exceptionem, quia inspiciendo acta litis manifestè deprehenditur Reum hujusmodi exceptionem objecisse non tantùm ad merita causæ, verùm 4 etiam ad processum: † Primò ex tempore propositæ hujusmodi exceptionis, hoc est ante litem contestatam, ante quam peremptoriæ exceptiones non proponuntur, sed tantùm dilatoriæ aut litis finitæ, *l. Exceptionem C. De probat. l. ult. c. De excep.* Litem autem contestatam tunc non fuisse, & ne nunc quidem esse, ex actis satis deprehenditur.

5 * Nam quamvis per petitionem in jure propositam & responsionem sequutam fiat litis contestatio de jure communi, *cap. Vnico De litis contest.* stilo tamen Curiæ vestræ attento, non priùs intelligitur lis contestata, quàm solemniter post responsionem utriusq; partis procuratores conceptis solemnibusque verbis se dicere & negare testentur animo litem contestandi; qui stylus attendi debet, *Felm. in d. c. Vnico.* Secundò, quod verba propositionis sic sonent, quibus in termino procurator Rei usus fuit, deducendo *quod Reus ab impetitione Actoris absolvi debeat*, & alibi allegando, *nihil restare quam procedere ad absolutionem Rei &c.* Quibus verbis non obscurè indicatur Reum hujusmodi exceptionem proposuisse ad processum magis, quàm ad merita; vel quod magis est, ad utrumque, ut fieri potest, *Bald. loco s citato*: & si in ijs non satis apertè id continetur, saltem sub generali illa clausula, qua insuper usus fuit, *ad omnes fines & effectus &c.* satis contineri censetur: qui enim ad omnes fines se proponere dicit, non potest non intelligi etiam si res subjecta patiatur, ad finem præscindendi & rejiciendi processus proponere; cum qui omnia dicit, nihil excludat. Quare existimo recta via ad absolutionem procedendum, & Actorem à contestanda lite repellendum; ad quam admitti non potest, nisi hoc primum constituto, apocham exhibitam nullius esse momenti, quod nulla ratione admittendum est.

De exceptionibus.

SVMMARIVM.

Exceptio rei judicatæ.

1. *Exceptio rei iudicata est litis finitæ.*
2. *Exceptio rei iudicatæ quando effectum suum habeat.*
3. *Qualitas agentis alterata alterat litis faciem.*
4. *Res inter alios acta alijs non nocet.*
5. *Sententia absolutoria non perinde parit effectum rei iudicatæ ut condemnatoria.*
6. *Sententia non egreditur personam.*
7. *Mercator interesse maius petere potest.*
8. *Res iudicata in dubio abesse non debet.*
9. *Minor adversus rem iudicatam restitui potest.*
10. *Restitutio minoris quando maiori socio prosit.*

CONSILIVM CXLIIII.

IN altercatione & contentione, quam facit exceptio litis finitæ, de re judicata pro parte Domini Philippi de la Croix Rei Opponentis proposita, adversus institutam actionem pro parte Ioannis Baptistæ Deliafactadi suo & societatis suæ, nomine comprehensis sub ea minorennibus prolibus quondam Domini Caroli Deliafactadi Impetran. varia est juris & facti consideratio. * Et sanè cum exceptio rei judicatæ non tan- 1
tùm peremptoria, sed etiam litis finitæ sit; quæque non tantum post litem contestatam inter peremptorias exceptiones, ad perimendam Actoris probatam intentionem objici possit, *l. Si quidem C. De excepti. l. peremptorias & ib. gl. C. Sen. resc. non posse, gl. in l. Exceptionem C. De probat.* sed etiam in ingressu ac limine judicij ad avertendum Actorem ne super proposita actione audiatur, *c. 1. De litiscontest. lib. 6.* vel res semel judiciali sententia definita, ad initium alterius petitionis seu litis rejiciatur, rationique & legibus consentanea videtur Domini Opponentis responsio in unum tantùm casum irreceptibilitatis præcisè concepta, ad avertendum

Actorem

Actorem à limine judicij ob sententiam partim absolutoriam, partim condemnatoriam nupereodem Ioanne Baptista ad summam 12500. florenor. (quæ etiam nunc in hac causa iterum peti videtur) contendente latam; ideòque cogi non posse videatur ad respondendum ad omnes fines, litemque super proposita actione contestandam: cum proposita exceptione rei judicatæ id tantùm quærendum sit, an judicatum, non an rectè judicatum sit §. *item si in judicio Inst. De except. §. item si quis postulante, Inst. De action.* cum sententia etiam iniqua inter litigantes jus faciat, *Doct. in l. Qui Romæ. §. duo fratres. De verb. obligat.*

Verùm rei circumstantijs ac meritis penitius investigatis & excussis, justa ratione contra niti nobis videtur Impetrans, exceptionemque rei judicatæ in limine ingressúque judicij objectam viribus
2 destitui. † Vt enim exceptio rei judicatæ impeditivum & peremptorium effectum habeat tria conjunctim & copulativè requiruntur, sic ut uno deficiente vires & effectū suum non retineat; videlicet eadem causa ac finis petendi, rei identitas, & personæ agentis eadem conditio & qualitas *l. Cum quæritur cum 2. ll. seq. De except. rei iud. Angel. d. §. item si in judicio. nu. 23.* sic ut uno horum deficiente nihil vetet sæpius de eadem re ad eundem Iudicem ire, litemque velut ad incudem revocare, nihil obstante aut perimente, priore judicato. Cum itaq; horum trium concursus in individuo in proposita lite, comparatione ad priorem factâ desideretur, consequens est ut rei judicatæ sic proposita exceptio ad finem irreceptibilitatis nihil impedire debeat litis ingressum, quò minus dictus Dominus Opponens litem in causa contestando ad omnes fines, juxta notorium stilum curiæ respondere & concludere debeat. Inprimis autem de diverso fine ac diversa qualitate personarum in hac & priore illa lite agentium ex eo constat, quod prioris litis Actor solus fuerit Ioannes Baptista, in hac verò Ioanni conjungantur socij, & inter eos defuncti D. Caroli filij minorennes: Ita ut ex hac personarum accessione, facies judicij alterata videatur, & quæ uni tantùm ex formula & verbis sententiæ obstat ac nocet, dum adversus plures alio judicio agentes objicitur, ad alium finem quàm ex sua natura potest, objici dicenda sit; maximè cum ex dictæ sententiæ lectione deprehendi non possit oriri exceptionem re judicatæ adversus socios ac liberos D. Caroli, *Alex. cons. 61. Viso processu vol. 2.* & quod ipsius etiam Ioannis Baptistæ qualitas alterata sit, ut qui priore judicio, omissa aliorum mentione, velut suum solius debitum persequutus fuerit, nunc verò communem causam agendo (uti oportebat) aliud quàm prius persequi vere & in-
3 terpretativè censeatur. † Quæ agentis qualitas maximè attendenda, & agendi modus diligenter observandus est, *l. Habebat in princ. De instit. actione:* fit enim ut propter alteratam qualitatem agentis, qui priore lite in una qualitate agendo succubuit in alia iterum ad idem agendo admitti debeat, *l. si mater §. Si quis autem De except. rei iudicatæ. And. Alciat. cons. 378. Huius illustris nu. 2.* quia interruptus est triplex ille funiculus, quo colligatur ac sustinetur exceptio rei judicatæ. Eoque pertinere potest quod obiecta hæc prioris litis (quam solu Ioannes Baptista suo nomine instituit) sententia planè absolutoria non sit, ut ex verbis apparet, sed fundata tantùm in aliquo propositæ actionis defectu, aut formula rité non observata.

Quod proclivius hîc dicendum ac recipien- 4
dum est, ob id quod sententia lata contra unum non noceat alteri; ut generaliter res inter alios acta alijs non præjudicat, *l. Si unius §. ante omnia De pact. tit. C. Res inter alios acta, l. Sæpe De re iudic.* & sententia lata contra unum ex cohæredibus alteri non nocet, cum æquè principalis sit; & absenti nec citato, nec causam agenti aliquid præjudicij adferre nequit, *l. Cum duobus C. De inoff. testam. d. l. Sæpe vers. cur autem l. 2. De fide instrum.* quia cohæres postea agendo ad diversum agere dicitur, *Ioannes de Amicis cons. 121. Viso præsenti processu nu. 2.* * potissi- 5
mum cùm, uti hîc evenit, sententia est non condemnatoria sed absolutoria; idque rursus non cum declaratione juris Rei conventi; sed simpliciter, per hanc formulam quæ nunc passim irrepsit *N. estre recevable ny fondé en ses fins & conclusions, en la forme & maniere qu'il procede*, hoc est, *modo & formâ quibus processit, non esse fundatum neque receptibilem:* ex hujusmodi enim simplici & absolutoria sententia nihil inferri potest contra tertium, qui in judicio non fuit, nec partes aliquas sustinuit *Bal. in l. 2. C. Quib. res iud. non noc. n. 4. Decius cons. 445. in casu ad me nu. 38. Marian. Socinus Iunior cons. 181. De duobus nu. 99. vol. 2.* Atque ita accipiendum est quod vulgò dicitur absolutoriam sententiam idem operari, quod condemnatoria, cum solutione operari solet; scil. quoad personas, quæ fuerunt in judicio, non quoad alios, *Bald. in l. Titio centum §. Titio genero, De condit. & demonst.* Alioqui sanè sententia in comparatione & respectu societatis, cujus nomine prius actum non fuit, planè esset iniqua, * quæ 6
non solet nec debet egredi personam adversus quam lata est, *arg. l. Quod non ratione l. Quod verò contra De legib. Decius d. cons. 445. nu. 42.* durumque planè esset litem infeliciore exitu, per unum suo nomine, sine aliorum mandato peractam, alijs obesse: præsertim iniquitate sententiæ, aut errore contingente ex parum provida ejus qui litem peregit diligentia, *socin. nepos d. consil. 181. nu. 98.* uti in proposito evenit, in ea potissimum parte, qua à nundinis S. Remigij anno 1548. præfatus Dominus Opponens condemnatur, in vulgares tantùm usuras seu interesse ad denarium decimum sextum; centesimarum usurarum condemnatione pro primo tantum termino facta, quia expressa conventione & stipulatione de ijs solvendis conventum erat: cum ratio ex conditione & qualitate ipsorum creditorum in prima illa lite deducta vel allegata postulet similium usurarum continuationem usque ad plenam solutionem; præsertim non intercedente anatocismo seu usurarum ac interesse in sortem conversione; eo etiam attento, quod partim similibus usuris pecuniâ mutuò datâ corradere, partim ea non reddita similes usuras dependere debuerit dicta societas; sic quod in eo non consistat lucri cessantis, sed damni emergentis consideratio. * Ex his enim causis dum creditor 7
mercator est & negotiationes exercens, quia ob carentiam pecuniæ in simile vel majus damnum incidit vel passus est, interesse aliàs illicitum peti

potest

potest, *l. Nummis & ibi Doct. De in litem iuran. Alexan. cons.* 141. *Viso themate nu.* 3. *vol.* 5. *Alciatus cons.* 320. *Breviter causa nu.* 3. quod proculdubio in priore judicio specificè sic minimè petitum ac probatum, causam sententiæ & condemnationem actoris, atque sic erroris & iniquitatis (respectu partis, non judicis) dedit; quod non est æquum in caput & damnũ eorum, qui in lite non fuerunt, recidere. Ex quibus si non satis liquidò convincitur hanc, quæ objicitur, rem judicatam huic liti non obstare (quod tamen probabiliter existimamus) hoc saltem obtinere debet in obscuro & ambiguo esse num obesse debeat, propter circunstantias concurrentes superius propositas: quod ipsum sufficit ad rejiciendam repellendamque hanc exceptionem;

8 † ob id quod in dubio & obscuro potius constitui debeat rem judicatam non obesse: quasi in eo minus præjudicij, minus iniquitatis latentis lateat, oblatâ iterum occasione jus cujusque partis amplius exactiusque discutiendi. *arg. l. 1. in C. Si quis cautionib. Dec. d. cons.* 445. *Socin. nepos cons.* 49. *Inspectis his quæ nu.* 27. *vol.* 2. Omnem sanè difficultatem discutit quod in articulo hujus exceptionis impetrata sit restitutio integri adversus rem judicatam ex capite dictarum minorennium prolium

9 D. Caroli: * quin enim adversus rem judicatam minor restitui possit, dubitationem non habet *tit. C. Si adver. rem judic.* etiam si sententia lata sit ab eo qui vicem Principis gerit *l. 1. l. Adversus in fin. C. Si adver. rem iud. Matthæus De Afflict. decis.* 316. *Fuit dubitatum numero* 4. hoc præsertim casu quo etiam consideratio nullitatis dictæ sententiæ concurrit respectu minorum, quod eorum nomine expresse ac specificè causa non sit defensa; Ita ut effectus illius ad illos porrigi non debeat *l. cum & minores C. Si adverſ. rem judic.* & non tam sit restitutio adversus sententiam, quàm adversus factum Ioannis Baptistæ quo litem suo solius nomine peregit, ne scilicet effectus sententiæ quæ alias adversus unum ex socijs lata consocio nocere posset, hic non no-

10 ceat minoribus, * Cujus restitutionis sic obtentæ effectus deinde etiam ad alios socios quamvis majores redundare videtur: nam licet in communi & eâdem causa restitutio minori concessa, majori consorti litis regulariter non prosit *l. 1. C. Si in communi ead. causa.* prodest tamen in individuis & connexis, & ubi inter consortes est conjunctio ac societas, damnaque emergentia communia sunt: ut in specie non absimili decisum fuisse in sacro Neapolitano Concilio tradidit Mathæus de afflictis *decis.* 213. *Ioan. Mauritius De restitut. c.* 188. ita ut plurimùm interesse videatur inter consortes litis tantùm, & consortes socios, inter quos damna & lucra plerumque sunt communia *Paul. Castrens. cons.* 448. *in princ. vol.* 1. Quibus attentis existimamus in hoc incidenti articulo secundùm Impetrans judicandum.

De præscriptionibus.

SVMMARIVM.

Præscriptio immemorialis temporis.

1. *Precarium semper revocabile.*
2. *Præscriptio & consuetudo immemorialis vim tituli habet.*
3. *Possessionis immemorialis effectus.*
4. *Possessio immemorialis quomodo probetur.*
5. *Regestris quando credendum.*
6. *Probationes per conjecturas admittuntur in antiquis.*
7. *Solutionis uniformitas & diuturnia facit causam solutionis præsumi.*
8. *Nomina rerum ex usu magis quàm appellatione accipienda.*
9. *Verba curanda non sunt quando constat de mente.*
10. *Precaria exactio unde dicta.*
11. *Testimonia inter alios quando alijs obsint.*
12. *Florenorum appellatione non semper continentur minores.*
13. *Indefinita æquipollet universali.*

CONSILIVM CXLV.

IN causa quæ per reductionem à sententia arbitrorum introducta pendet coram Venerabili Domino Officiali Leod. inter Burgimagistros ac communitatem oppidi de Peer, originales Reos reducentes; & strenuum Virum Dominum Conrardum à Gaveren Equitem, Dominum de Peer Actorem, quamvis de multis disceptatum, sit pauca tamen sunt circa quæ versatur totius causæ decisio: videlicet illa tantùm, quæ reducentes pro causis gravaminum adversus sententiam arbitralem allegant. Primò quod condemnari non debuerint in precaria præstatione septennali. Secundò quod ad majorem ac graviorem monetam condemnati sunt, quàm debebant. Et tertiò quod in sententia non sint expressa & specificata privilegia ac libertates ad quorum conservationem Actor in effectu condemnatus existit. Quibus tribus capitibus discussis nulla relinquetur dubitatio aut obscuritas in hac causa. Primum igitur articulum arripientes dicimus justam esse condemnationem prædictam. * Nam licet Rei nunc 1
reducentes multum urgeant nomen hujus collectæ seu exactionis, quod precarij nomine appelletur, ideoque in obligationem & necessitatem præstationis non cadat; cum precarium ad nutum sit revocabile, *l. 1. l. Interdictum cum l. seq. De precario* & ex liberalitate præstitum aliquot annis, quamvis soluti repetitionem impediat, in futurum tamen ad continuandum non astringat *cyn. in l. Voluntariæ nu.* 7. *C. De excus. tut.* cum de præstationis titulo ac causa obligatoria non constat *Doct. in l. Solent. De off. procons. & leg. Canonistæ in cap. Pervenit De censibus.* re tamen propius expensa nihil est quod in proposito Domino Actori obesse possit. * Et 2
primò quidem ex eo quod Actor sese hic fundet in præscriptione tanti temporis cujus initij nulla extat memoria: quæ tanti temporis præscriptio & consuetudo vim tituli legitimè constituti & privilegij habet *c. 1. De præscript. lib. 6. l. Hoc iure. §. ductus aquæ. De aqua quotid. & æst. c. Super quibusdam §. præterea De verbor. sign.* * tantùmque potest 3
quantum Imperator seu Princeps cum causa *Andr. De Isernia. in c. 1. verb. flumina publica Quæ sint regal. in usib. feud.* facitque ut quæ per se imprescriptibilia sint, præscribi possint; veluti Regalia aut Principi reservata etiamsi præscriptio Ecclesiæ onerosa esset, *Bald. in c. 1. vers. quæro quanto tempore Qui feud. dare pos. Rota decis.* 841. *Vtrum valeat consuetudo, alias est* 11. *tit. De consuetud. in antiquis.* Eâque ratione potest Episcopus onera extraordinaria seu indicta

indicta ex tali consuetudine à suis subditis exigere ac recipere, ut ex facto consultus respondit Panormitanus, *consil. 26. Videretur primò nu. 4. vol 2.* Ita ut in hujus generis præscriptione non sit necesse quærere aut probare de actibus, à quibus originem habuit hujusmodi consuetudo, *Oldrad. consil. 254. quia iota*; satisque sit probari actus, quibus per hominum memoriam ita fuit observatum, etiamsi hæc præstatio, præsertim quia annua non est sed septennalis, discontinuam causam habere videatur, *Bart. in l. 1. C. De mulier. in quo loco. lib. 10. Doct. in l. Servitutes 4. De servit.* nam & in ijs, quæ discontinuam causam habent, tanti temporis spatium ad præscriptionem sufficit: *Doct. in d. l. Servitutes*: & præterea discontinuam causam habent jura realia, non item personalia, in quibus cadit possessio, vel quasi, quando jus aliquod debetur à persona personæ: hujusmodi enim possessio, vel quasi dicitur continua propter animum personæ, cui jus debetur, quæ persona continuè retinet possessionem animo, *Bart. in l. Iusto §. non mutat De usucap. Castr. cons. 444. In causa quæ convertitur inter communitatem n. 3. in fin. vol. 1.* Ita quòd sustineri posset, minore etiam tempore præscriptionem hujusmodi juris absolvi posse. † Cum itaque D. Actor
4 per diversos testes eosque ætate provectos probaverit, non extare memoriam, quin singulis septennijs hujusmodi exactio sit Dominis de Peer soluta, quodque numquam audiverint aut viderint, aliter fuisse factum, *Oldrad. cons. 172. Quia omnes, Alex. consil. 16. In causa & lite nu. 16. vol. 5.* nihil dubitandum est, quin intentio Domini Actoris sit fundata. Quibus testium depositionibus plena fides adhibenda est, non obstantibus exceptionibus per partem adversam, tam ex persona, quàm aljunde objectis: potissimùm quòd testium depositiones plurimùm adjuventur per extracta librorum ex Registris monasterij, quod in oppido de Peer situm est, ex quo constat dictum monasterium ante annos septuaginta hanc septennalem exactionem
5 casu illius occurrente continuè solvisse. † Quibus registris fides accommodàri debet, alijs saltem adminiculis concurrentibus, *l. Rationes & ibi Doct. C. De probat.* propterea quòd ea scriptura nihil agat de commodo, sed de præjudicio ejusdem monasterij, & satis antiqua sit, *Felin. in c. 2. De fide instrum. Ias. in l. Admonendi nu. 77. in fine De iureiur.* nec ulla suspitione falsitatis aut simulationis laboret: † ita quod inde saltem vehemens præsumptio, & semiplena probatio confici debeat; præcipuè in re antiqua, de quâ cum agitur, admitti debent probationes per conjecturas & indicia, *Bald. in l. Cum super Cod. De rei vindic.* Potissimùm in re proposita, in qua difficultatem probationis ultra tempus per Actorem liquidè probatum faciunt incendia, quibus per bellicam hostilitatem omnia publica & privata in oppido de Peer conflagraverunt: ita ut non satis idonea sit Reorum allegatio, quòd in suis scrinijs & archivis nulla inveniant instrumenta, de perpetua concessione, initio, atque conservatione hujus exactionis. † Quâ quidem tanti temporis ratione ac
7 consideratione cessante, adhuc inconcussa stare & revocationi Reorum minimè obnoxia esse debet hæc præstatio, tam quoad præteriti temporis, de quo quæritur, pensiones, quàm quoad futuram continuationem: qui ex actis satis constat, & Rei utcumque præsupponunt, hanc præstationem initium habuisse ex causa defensionis & conservationis privilegiorum incolarum oppidi de Peer, ex qua causa & secundùm eam facta solutio informis dici non potest, sed causata & uniformis. Quæ solutionis uniformitas & continuatio facit causæ veritatem præsumi, etiamsi aliter de ea non constet; sufficitque hoc casu etiam longissimi temporis, imò, ut plerique putant, decem annorum præscriptio, *Petr. Ancharan. in d. c. Pervenit nu. 4. Salic. in l. Si certis annis sub fin. C. De pact. Molinæus in tract. De contract. usur. quæst. 20.* Neque his adversatur quod Rei proponunt, Actorem ex parte sua non satisfeciisse, hoc est defensionem ac conservationem præmissam non exhibuisse: nam nullam illius adferunt sufficientem probationem per exempla alicujus oppressionis aut contraventionis. Quod verò Rei ex nomine hujus exactionis argumentantur, quasi precaria sit, & ex lubito subditorum dependeat, per se satis momenti hic non habet.

† Primò ex, eo quòd nomen rei ex usu potiùs 8
quàm appellatione accipiendum sit; sic quod, quamvis rerum vocabula appellativa sint certa & immutabilia, *l. si quis in fundi De leg. 1.* ex usu tamen & communi modo loquendi (qui attendi debet *l. Labeo, vers. nec mirum. De suppell. legata*) à nativo sensu recedunt, *Doct. in d. l. Si quis in fundo* & potissimum adjectiva, si de re constet: adjectiva enim se habent ad instar demonstrationis, *Ias. in d. l. Si quis in fundi in fin.* cujus falsitas rei, de qua agitur, naturam non immutat, *l. Falsa demonstratio De cond. & demonstr.* * Secundò, quod de verbis ni- 9
hil curandum sit, quando constat de re ac mente eorum, de quorum re agitur; & potiùs ubique inspiciatur id, quod in rei substantia est, quàm in nomine, *Bald. & alij in l. Testamentum C. De testam.* ne per abusionem nominis rei substantia vitietur vel confundatur, *l. Insulam & ibi Bartol. De præscript. verb.* Tertiò, quod & alium alterius generis precarium censum seu reditum ex Dominio de Peer Actor percipiat, quem constat, Reis etiam consentibus, perpetuum & irrevocabilem esse; unde ad differentiam hujus minoris precariæ exactionis, hæc, de qua nunc controvertitur, appellatur in prætactis registris prædicti monasterij de groote brede/ hoc est magna precaria; sic ut data instantiâ satis confundatur argumentum, quod ex vocis proprietate deducitur; * Quartò, quòd origine o 1
rei inspecta nihil vetet hanc exactionem precariam esse, quòd precibus Domini de Peer, seu ad illius preces verosimile sit eam primùm concessam fuisse, indeque nomen sequenti etiam tempore retinuisse, *Ancharan. in c. Ex parte nu. 6 De censib.* Atque ita multa hic concurrunt, quæ nominis proprietatem confundunt, & præsertim rei veritas, substantia, & usus. Quę non parum etiam corroborantur ex ijs literis, quæ nomine communitatis distinctis temporibus ad Actorem scriptæ sunt, tunc cùm revoluto septennio instaret exactionis solutio; in quibus verba sic ad deprecationem

solvendique aliquam dilationem composita sunt, ut non obscurè inde constet Reos in perpetua ac continua obligatione esse, non in arbitrij sui & beneplaciti potestate. Patet id quoque ex processu ac sententia inter juratos oppidi de Peer, ac Gerardum Meuwen pridem lata, ex qua tam de antiquitate temporis, quo hæc exactio præstita est, quàm de causa ejus satis constat: sic ut iis attentis, nihil obstante simili exceptione dicti Arnoldi (quali etiam Rei nunc utuntur) quòd Dominus de Peer subditos in suis privilegijs conseruare teneretur, nihilominus per sententiam Scabinorum oppidi de Peer dictus Gerardus condemnatus fuerit ad contributionem in dicta exactione: ut mirum sit, cur Rei, quibus partim agentibus, partim judicantibus in dicta causa pro subsistentia hujus exactionis tunc videbatur necessaria ad hanc præstationem obligatio, jam in hac causa contrarium sustinendo, D. Actorem fatigent; præsertim quòd ex illius causæ testimonijs in hac secunda instantia exhibitis, quæ suprà diximus de antiquitate hujus præstationis, evidentius appa-
11 reant * Et licet Rei hæc testimonia avertant, quasi in alia causa & inter alias personas recepta sint, *Bart. in l. Cum lite* D. *Iud. solvi*: quia tamen de eodem genere controversiæ sunt, & in ea Rei Actoris ac Iudicis partes respectivè sustinuerunt, non satis honesta videtur ea aversio: sic quod in omnem eventum ex his testimonijs & actis semiplena probatio adversus Reos constitui, eaque cum alijs conjuncta ad plenissimam ac indubitatam fidem prodesse debeat *Bald. in l. 2. n.* 17. C. *De eden. & ibid. late Iason. nu.* 21. *Socinus in fallen. reg.* 6.

Secundi gravaminis allegatio perinde non satis
12 probabilis est: * nam quamvis in indistincta nummorum seu florenorum appellatione contineantur exiguiores, *l. Nummis De leg.* 3. & in obscuris minimum semper veniat, *l. Semper in obscuris De reg. iur.* & in obscuritate debitori potius, quàm creditori faueatur, *l. Veteribus De pact.* in re tamen proposita nulla debet esse dubitatio, cùm nulla sit obscuritas: obscuritatem enim avertit usus & mos regionis, quem si de eo constet oportet in primis sequi, *d. l. Nummus.* Regula enim de sumendo eo, quod minimum est in re obscura, subsidiaria tantùm est, nec ex ea ius sumitur, nisi quando non constat de eo, quod actum est, neque apparet quid verosimilius sit, nec denique quid fieri soleat, *Decius in d. l. Semper in obscuris nu.* 1. Iam verò satis evidenter probatum est, in oppido Perensi in usu esse florenos & monetam Brabantiæ, & secundùm illorum valorem omnes contractus fieri, & solutiones expediri; sic quòd ad Hasselenses florenos non pateat hic recursus, *d. l. Ex parte & ibi Doct.* Apparet id quoque ex scedulis distributionis ac collectionum hujus exactionis; quæ ad Hasselenses vel alios florenos accommodatæ nulla ratione constare possent. Deinde, quod propiùs huc pertinet, ex supratactis literis ex parte Communitatis ad Actorem scriptis, clarissimè constat majores Hasselensibus deberi. Ita quod in hoc articulo justior esset Actoris querela; ob id, quòd arbitri tenorem dictarum literarum sequuti ad Brabanticos florenos præcisè non fecerint condemnationem, sed ad tertium, velut quoddam genus, in quo duo cum dimidio stuferi Brabantici efficiunt tres stuferos exactionales; quod à proposito utriusque partis alienum est, inter quas tantùm contentio fuit de Hasselensibus & Brabanticis. Nam licet Actor hujusmodi literas exhibuerit, non tamen eas exhibuit, nisi quatenus pro intentione sua faceret, ad probandum scilicet necessitatem & obligationem hujus exactionis; ita ut, qua parte pro Reis faciunt, fidem non mereantur, quia ab ipsis scriptæ & missæ fuerunt, *l. Exemplo l. Rationes* C. *De probat.*

Tertium, quod pro gravamine Rei adducunt, levius est, quàm in quo diu hærere debeamus: nam cùm Rei specificationem nullam proposuerint, neque de ea actum fuerit, sed tantùm per Reos conservationis ac defensionis mentio per modum exceptionis sit obiecta, idque indefinitè; satis abunde, imò plus quàm conditio actorum seu processus patiebatur, Reis per eandem sententiam prospectum est. † Et cum indefinita oratione 13
Actor condemnetur ad privilegiorum conservationem, ad omnia omnino trahenda est specificatio, cum æquipolleat universali, *l. Si pluribus De leg.* 2. *Dynus ad Rub. De reg. iur. l. b.* 6. licet affirmativè pronuntiata sit; cum necessariò insit, hoc est (uti Rei proponunt) Actor obligetur ad omnium privilegiorum conservationem & observationem, *Bart. in d. l. Si pluribus num.* 6. Ita ut hæc sententia in hac parte dici non possit incerta, obscura, aut Reis præjudicialis; sed multùm clara ac favorabilis, ut qui per eam ad omnium privilegiorum observationem obligatum habent Actorem.

De Præscriptionibus.

SVMMARIVM.

Præscriptio statutaria.

1. *Præscriptio biennij ex ordinatione Caroli V. adversus actionem de symbolis apud œnopolas aut similes consumptis quando currere incipiat.*
2. *Præscriptio statutaria laicorum an constringat Iudicem Ecclesiasticum.*
3. *Præscriptio statutaria quibus prodesse non possit.*
4. *Negantis pœna.*

CONSILIVM CXLVI.

EX parte Danielis ab Asca Rei objicitur Guilielmo Lansheere Actori in hac lite, coram Magnifico D. Rectore, statutaria præscriptio biennij ex ordinatione Caroli V. Imperatoris, denegantis actionem de symbolis sub credito apud vēditores vini vel cerevisiæ consumptis post lapsum biennij. Verùm dinumeratio temporis facilè avertit hanc exceptionem; ob id, quòd novissimum symbolum sub credito consumptum sit de 2. mensis Iunij anno 1584. lis autem inchoata sit 10. Ianuar. anno 1586. qua die ad plenum biennium ex dicta secunda Iunij deerant ferè quinque menses. * Et quamvis an- 1
notata quædam symbola excedant tempus biennij, partim anno 1581. partim 1583. in creditum annotata; inde tamē præscriptioni subijci non debent, propter continuationē consumptionis sub credito in sequentibus annis, qui infra biennium sunt:

ita enim

ita enim accipienda est hæc nova ordinatio, ut biennium hoc currere incipiat ex die novissimæ consumptionis & crediti: nam quamdiu durat continuatio accipiendi sub credito, perinde proclivis non est præsumptio solutionis; quæ facilè inducitur, si post novissimum creditum totum biennium sine novo credito labatur. Nam non solent caupones, cessante continuatione diversionis & consumptionis, tam diu in credito persistere, ut facilius solent cùm in creditum eundi continuatio, & accumulatio creditorum durat, & medio tempore aliquid in solutum datur; quod rei experientia satis docet. Eoque sensu accipit & interpretatur simile Regni Franciæ constitutionem Petrus Rebuffus, *in tract. de mercatorib. minutat. vend. artic. 1. gloss. 18. ad constit. Reg. tom 2.* * 2 qui hoc amplius (quod ad propositum accommodatissimum est) dicit *in d. tract. artic. 1. gloss. ult. nu. 11.* ex sententia Baldi, *cons. 184. Municipali lege vol. 5.* hujusmodi ordinationem non constringere Iudicem Ecclesiasticum, quin eâ non obstante, ex veritate debiti & conscientiæ, debitorem condemnare possit, etiam post tempus hujus laicalis præscriptionis. Ecclesiastici enim judices, inter quos est proculdubio Magnificus Dominus Rector, secundùm regulas juris Canonici judicare debent, *cap. Quod clericis De foro compet.* quo jure certum est, nullam præscriptionem cum mala fide procedere, non tantùm quoad reales, verùm etiam personales actiones, *cap. fin. & ibi Doct. De præscrip. Rebuff. d. gloss ult. nu. 3. Guido Papæ decis. 159. Steph. Bertrandus consil. 377. Viso casu vol. 4.* ne contingat sic improbum debitorem foveri in peccato, quod jus Canonicum præcavere studet. * Et 3 quia dicta ordinatio fundatur in præsumpta solutione, præsumptio autem solutionis esse non possit, ubi qui convenitur negat contractum debitum, † ideoque ut exceptio non numeratæ pecuniæ non datur illi, qui scripturam ex qua convenitur negat, *Auth. contra qui propriam C. De non num. pec.* & beneficium divisionis denegatur illi, qui se fidejussisse negat, *l. Si dubitet §. ita demum D. De fideiuss.* ita quoque in proposito non debet Reo neganti hoc debitum fuisse contractum, hæc præscriptio statutaria patrocinari. Vt nec patrocinari debet, ubi de debito constat; constat quoque solutionem nullam interveniisse: hoc enim casu cessante præsuppositio seu præsumptione statuti, debet quoque cessare illius dispositio, *Lud. Roman. cons. 102. Super eo, Felin. in cap. ult. nu. 7. in fine De præscript. Hieronym. Gratus cons. 101. Ex serie in fine vol. 2.* cùm nulla sit tam vehemens præsumptio, cujus effectum non resolvat contraria apparens veritas, *l. Optimam C. De contrah. & commit. stipul.* Cùm alioqui etiam non constet, quod hæc nova ordinatio sit in usum recepta, ideoque effectum juris non habeat, *Gloss. & Doct. in cap. 1. De treuga & pace*, de quo usu Reus per repetitionem seu exhibitionem Actorum in alijs causis & inter alios facta laborat, cùm similitudo causarum eadem non sit; & ideò ad exemplum sententiarum in alijs causis Iudex se componere non debet.

Remotâ igitur hac præscriptionis objectione, justa est causa condemnandi Reum, saltem delato Actori juramento in supplementum probationis, *c. ult. De iureiur.* præsertim postquam Reus ab Actore hac in parte delatum juramentum non acceptavit nec præstitit. Et cùm tam evidens sit hujus condemnationis necessitas, dubitatio nulla esse potest de condemnatione, quoad litis hujus omnes expensas; potissimùm propter Rei nimis evidentes cavillationes, & contradictionis nimiam improbabilitatem, lite ad integrum etiam annum extracta: ut quod Actor ei petenti in hoc judicio noluit indulgere ad solvendum semestre, per moras litis duplicatum extorqueret.

De Præscriptionibus.

SVMMARIVM.

Præscriptio contra Ecclesiam.

1. *Altari relictum cui debeatur.*
2. *Præscriptio quadragenaria requiritur adversus Ecclesiam.*
3. *Dies ultimus cœptus in præscriptione longissimi temporis an pro impleto habeatur.*
4. *Præscriptio longissimi temporis per citationem interrumpitur.*

CONSILIVM CXLVII.

DE qualitate Actoris nihil dubitandum est in hac causa M. Guilielmi Gregorij, contra D. Nicolaum Operbeys Reum. Nam etsi Reus allegationem Actoris, quod sit & fuerit Rector altaris SS. Antonij ac Sebastiani in parochiali Ecclesia de Limaele negaverit; est tamen ea sufficientissimè probata per literas canonicæ institutionis ac obtentæ possessionis: quarum literarum authoritatem ac veritatem Reus tandem agnovit. Ita ut benè sit stabilitum primum fundamentum intentionis partis agentis, petendi quatuor modios testamento quondam D. Georgij Deylleren relictos pro una missa hebdomadali celebranda in dicto altari: & contrà improbabilis oppositio Rei, dum ex capite Pastoris dictæ Ecclesiæ (cujus vicarium agere se dicit) contendit facultatem celebrandi hujusmodi missam, ac percipiendi dictos quatuor modios ad se pertinere; quia prædicto altari relicti sunt, hoc est intuitu dicti altaris, & nomen illius, proprium expressum, *argum. l. Si communis De stipul. servor.* quæ exceptio causam legati ostendit, & illius nuda demonstratio non est, sed altari cohæret, *l. Cum tale §. falsam De cond. & demonstr.* cùm missa ibidem pro anima testatoris celebrari jussa sit. * Quam- 1
vis enim cùm altari, quod est in Ecclesia alicujus, aliquid simpliciter legatur, emolumentum legati cedat non Rectori altaris, sed Pastori seu Curato Ecclesiæ, *Panorm. in c. 1. De succes. ab intest. Pet. De Vbaldis Perusinus in tract. De quarta cano. episc. & parochiali c. 7. vers. quid si testator*; cùm tamen altare habet bona distincta ab ipsa Ecclesia seu bonis Ecclesiæ, & cum altare in titulum perpetui beneficij erectum est, & qui altare habet in eo per Archidiaconum seu superiorem institutus est in rectorem seu curatorem perpetuum altaris, *Bald. cons. 163. Super eo quod quæritur n. 3. vol 4.* relictum altari cedit in augmentum fructuum altaris; quasi altari cùm exclusione Ecclesiæ seu rectoris Ecclesiæ relictum, *Felin. in c. Ex parte 2. n. 4. De rescrip. & in c. Dilectus nu. 3. De off. iud. ord.* Id quod voluisse testato-

testatorem deprehenditur ex eo, quod testator paulò antè speciale legatum pro anniversario Curato Ecclesiæ asscripserit, cum verosimile non sit, quod facultatem celebrandi hanc missam, & percipiendi quatuor modios eidem Curato voluerit asscribere: potissimum quod & seperatim altaris S. Antonij meminerit, & in eo hanc missam celebrari voluerit. Quod verò hoc altare proprium sit & perpetuum titulatum beneficium, constat ex instrumentis pro parte Actoris exhibitis: quodque propria ac destinata bona habeat inde probatur, quòd Reus alleget hoc altare Archidiacono singulis annis rescribi ad quinque modios: quæ fortè etiam causa fuit, cur testator alios quatuor modios adiecerit pro augmẽto fructuum. Quæ quidem rescriptio Actori obesse non debet: nam ea rescriptio antiquam formam retinet; quæ per novum augmentum ideo mutata seu aucta non fuit, quòd Rectores dicti altaris sua simplicitate, & juris ac etiam fortè facti, hoc est scripti testamenti ignorantiâ, hanc facultatem celebrandi & missas faciendi non exercuerint, quia Pastores seu vicarij sine titulo & contra voluntatem testatoris eam usurpando, non potuerunt Rectoribus hujus altaris saltem in futurum nocere & altari jus suum auferre; † quia à die conditi testamenti nondum fuerunt ante institutam hanc litem lapsi 40. anni, (scriptum est enim & publicatum hoc testamentum anno 1523. undecima Maij, & lis est cœpta mense Augusto anno 1562) sic ut ad implementum quadragenariæ præscriptionis novem menses defuerint; quâ siquidem quadragenariâ præscriptione opus est ad excludendam Ecclesiam à prosecutione juris vel rei suæ; non tantùm si privatus contra Ecclesiam, verum etiam si Ecclesia contra Ecclesiam præscribat, *c. De quarta c. Ad aures De præscript.* Francis. Balbus *De præscript. quintæ partis princip. parte 1. in princ.* * Quam quadragenariam præscriptionem oportet usque ad ultimam diem ex toto esse completam; sic ut nec ultima dies cœpta pro completa habeatur, quia odiosa est, *glos. in l. In usucapione, De diversf. & temp. præscript. & in l. 3. §. minoremDe minor.* † quam propterea sufficit etiam per solam citationem interrumpere, quoties ab initio sine titulo & mala fide cœpta est, *l. Cum notissimi in princ. & §. 1. C. De præscript. 30. vel 40. ann. Iaf. in l. fin. in princ. De eo per quem fac. erit. Baldus consil. 211. Casus talis vol. 1.* Cùm alioqui in subiecto casu nec illud constet, quo tempore testator mortuus sit; vel quamdiu seu à quo tempore Pastores de Limaele hoc jus celebrandi ac percipiendi usurpare inceperint: sic ut ad sustinendam hujusmodi Rei exceptionem præscriptionis, nihil solidi in his actis inveniatur. De malâ autem fide aut saltem defectu tituli inde constat, quòd aliquis alius titulus quàm testamentum à Reo non proferatur: is autem titulus quoad Reum seu Curatum Ecclesiæ de Limaele nullus sit; quia, ut deductum est, titulus legati ex prædicto testamento ad altare S. Antonij seu ejus rectorem pertinet, & minimè ad Pastorem.

Proinde existimo partes Domini Iudicis esse, ut declaret facultatem celebrandi hanc missam, eoque nomine percipiendi quatuor modios, ad Actorem in qualitate, qua agit, pertinere; & Reum ad perceptorum modiorum saltem ab interrupta hac præscriptione restitutionem, simul & in expensis litis condemnet.

De sententia & rejudicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ probatio.

1. *Sententia an per testes probari possit.*
2. *Sententia ex breviculo recitanda & per scripturam probanda.*
3. *Appellans curare debet, ut ei edatur instrumentum sententiæ.*

CONSILIVM CXLVIII.

EX traditione Innocentij, *in cap. G. perpetuus, De fide instrum.* communiter receptum est, quòd appellato negante sententiam, appellans possit illam probare per testes, ut id expresso etiam jure cautum est, *c. Sicut De sent. & re iudic. Alberic. de testib.* & decisione Rotæ Romanæ confirmatum, *decis. 409. Fuit dubitatum in novis, alias est 19. sub tit. de re iudicata*: usque adeò ut appellante probante, appellatus propter negationem videatur sententiæ & ejus effectui renunciasse. Cæterũ ea opinio simpliciter accipienda non est: * cùm enim sententia ad sui substantiam, & validitatem requirat scripturam, *c. fin. De re iud. lib. 6.* (est enim ex breviculo recitanda, *l. 2. & 3. C. De sent. ex brevic. recit.*) generaliter verum est, eam quoque, per scripturam esse probandam, estq; ea ordinaria forma probandi sententiam, ut & observatur in omnibus actis judicialibus, *c. Quoniam contra De probat.* A quâ tamen generali traditione certis ex causis receditur, postulante & urgente necessitate; cùm videl. sententiæ instrumentum deperditum allegatur, Panorm. *in d. c. Sicut, l. sicut iniquum C. De fide instrum. l. Testium. in fin. C. De testib.* aut Appellans allegat Iudicem vel Notarium nolle sententiæ copiam exhibere, vel si appellatus instrumentum sententiæ habeat, appellante eo carente: hujusmodi enim exemplis traditionem suam explicat, & restringit Innocentius, *in d. c. G. perpetuus.* Vnde si appellans potest vel potuit habere instrumentum sententiæ, nec curaverit, ut id habeat, quia in culpa est, ei imputabitur; & ut ait Felinus, *in d. c. G. perpetuus in fin.* ex sententia Ioannis Andreæ, Panormitani, & Imolensis, stabitur regulæ, ut Actore non probante Reus absolvi debeat: hoc est in proposito non probata aut probata sententia, appellatus ab instantia judicij absolvetur, cùm non cõstet de devolutione causæ ad Iudicem, coram quo causa appellationis introducta est. † Imò hoc amplius dicit Felin. *in d. c. G. perpetuus,* oportere appellantem probare, quòd usus sit omni remedio ad cogendum Notarium Iudicis à quo, super editione instrumenti sententiæ, & quòd factâ possibili diligentiâ ab eo consequi non potuit; ita quod ejus assertioni simplici, quòd Notarius edere noluerit, standum non sit: cùm non præsumatur Notarius negare, quem ad editionem faciendam constringit juris dispositio, *d. c. Quoniam contra*, & incitat proprij lucri exspectatio atque aviditas.

Cùm

Cùm ergo D. Ioannes Houtmert appellans neque amissionem instrumenti sententiæ, neque recusationem Iudicis aut Notarij, vel propriam diligentiam alleget, & ad alium locum currere non debeat, pro obtinendo instrumento sententiæ, sed in oppido Lovaniensi, ubi Notarius dictæ sententiæ & primæ instantiæ habitat; imò & ex actis constet appellanti literas compulsoriales esse decretas, eumque illis usum non esse; consequens est, quòd oblatio probationis per testes non sit hic admittenda, neque urgeri debeat appellatus ad respondendum ad hujusmodi appellantis allegationem de sententia pronunciata, de appellatione intra decem dies interposita, de apostolis petitis, & reverentialibus obtentis. Itaque cùm appellans de devolutione hujus causæ ad Romanam Curiam non docuerit, quod est fundamentum jurisdictionis Domini Delegati, rectè infertur & concluditur, quòd Reverendus Dominus Abbas debeat declarare sibi in hac causa jurisdictionem non competere; condemnando appellantem in expensis coram se factis.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas ob propositam recusationem.

1. *Inverecundia petentium non concedenda impetrat.*
2. *Recusatio Iudicis proposita afficit iurisdictionem.*

CONSILIVM CXLIX.

1 VENERABILIS D. Præposite. Idem vobis accidisse arbitror * quod Valentiniano & Theodosio Imperatoribus, *in l. 1. C. De petit. bonor. subl. lib. 10.* ut inverecunda ac importuna M. Petri R. inhiatione & sollicitatione constringeremini ad non concedenda tribuendum & non decernenda decernen-
2 dum. * Est enim de jure manifestissimum, quòd recusatione suspecti Iudicis proposita statim afficiatur ejus jurisdictio, *l. 1. C. Si quacunque præd. potest.* & sic quidem afficiatur, ut ab eo dicta aut lata sententia ipso jure sit nulla, & processus ab eo factus nullius momenti; quia Iudex debet esse certus de sua jurisdictione, *l. Quæro in fin. D. De eo qui pro tut. neg. gest. Bartol. in l. Multum interest De cond. & demonstr.* Quæ quidem recusatio usque adeò præmissa operatur, ut etiam simplex recusatio, nullâ probatione, imò nec allegatione causarum suspitionis accedente, sic afficiat jurisdictionem Iudicis, saltem ante cognitionem arbitrorum super articulo suspicionis assumptorum, *notat. per glos. & alios in l. Quia poterat & ibi* Lud. Rom. D. *Ad S. C. Trebell. Steph. Aufrer. decis. Tholos.* 478. quantò magis in præsenti causa id obtinebit, ubi per Guilielmum Z. recusantem tam graves & prægnantes causæ suspicionum proponuntur & probari offeruntur? quas etsi fortassis falsas esse sciat D. V. (neque enim volo ijs fidem aliquam simpliciter dare nisi accedente probatione) quia tamen ad probationem illarum contendit idem Guilielmus, non debet D. V. velut jus sibi dicens eas tamquam falsas reijcere: neque enim vobis ut Iudici constare potest de eorum falsitate aut veritate. Quam quidem sententiam, quòd per simplicem recusationem sic afficiatur jurisdictio recusati Iudicis, comprobamus authoritate Glossæ, *in c. quoties 1. q. 6.* Bartoli, *in d. l. Quia poterat*, Ioan. de Imola, *in d. l. Quia poterat*, Alex. *in d. l. Quia poterat & cons. 89. Diligenter considerata vol. 1.* Hostiensis, Ioannis Andreæ, Panorm. Præpositi *in cap. Cum speciali De appellat.* Geminiani, Pet. Anchorani, *in c. Iudex De off. deleg. lib. 6.* Salic. *in l. Apertissimi C. De iudic.* Baldi *in c. Suspicionis De off. deleg. & in d. c. Cum speciali*, Castrensis *consil. 231. Visis actis vol. 1.* Lud. Romani, *cons. 220. Circa primum*, Decij, *cons. 175. In causa falsitatis & in d. cap. Cum speciali nu. 9.* & Caroli Molinei, *in addit. ad Alex. decis. 89. & Decium d. consil. 175. & in d. c. Cum speciali.*

Cùm ergò & recusatio sit proposita per M. Guilielmum, & recusationis causæ adiectæ, quæ si veræ essent, nulla ratione ferenda esset vestra jurisdictio; non video, qua ratione, salvâ juris ratione, possit eadem evadere juris tam civilis quàm Canonici dispositionem. Rectè ergò fecerit Dominatio vestra, si reponet M. Guilielmum adversus decretum, quod verè nullum est, certè plus quàm iniquum; & sequetur formam alibi traditam, *in d. c. Cum speciali De appellat.* ubi eo etiam casu, quo aliquo modo constat partem recusationem proponere vel ex malitia vel dilationis gratia, jubet canon nihilominus rem ad arbitros referri.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ revocatio & excusata nullitas.

1. *Sententiam definitivam nequit Iudex revocare.*
2. *Appellatio à definitiva devolvit causam ad superiorem.*
3. *Appellatio ab interlocutoria non impedit Iudicem quo minus procedat.*
4. *Præceptum de solvendo an sit interlocutoria.*
5. *Summaria causa non requirit terminorum substantialium observationem.*
6. *Summariè procedi quando possit ex partium consensu.*
7. *Sententia non lecta non est semper nulla.*
8. *Sententia sine causæ cognitione lata quando sit nulla.*
9. *Sententia nulla non est, si exceptio dilatoria ordinis rejiciatur.*
10. *Exceptio ordinis dilatoria est.*
11. *Compensatio reiecta non facit sententiam nullam.*
12. *Ordinis beneficium non habet, qui alienam obligationem in se recipit.*
13. *Novatio non fit nisi quando hoc agitur.*
14. *Expromissor quis & an ordinis beneficium habeat.*
15. *Promissio sine causa inefficax non est.*
16. *Sententia per suum authorem retractari potest quæ nulla est.*
17. *Conditio sententiæ intrinseca quæ nullitatem inducat.*
18. *Iudex ordinarius quomodo appellantem contra sententiam reponere possit.*
19. *Citatione opus est ad repositionem & revocationem sententiæ.*

CONSILIVM CL.

VNICVS est juris articulus, in quo consistit status causæ appellationis, Lamberti Damidde appellantis contra Hubertum Ruerich appellatum, & is quidem sine difficultate,

ut mirum sit, cur tam primæ instantiæ judex quàm Decanus S. Pauli in eo vel hallucinati sint, vel adversus scriptam juris dispositionem, *contra l. 1. C. De legib.* (æquitate quadàm fortè imaginata) sua
1 authoritate sententiam dixerint. † Est enim indubitati juris, quòd Iudex latâ sententiâ revocare aut rescindere non possit, nec emendare, sive bene, sive malè eandè dixerit; non tantùm ex longiore intervallo, sed nec eodem die, *l. Iudex posteaquam l. Paulus D. De re iud. l. 2. C. De sent. ex brevic. recitan. l. post sententiam C. De sent. & interloc.* imò nec eâdem hora, etiamsi à tribunali nondum recesserit, si modò sententiam pro absoluta & perfecta habeat, *Ioan. Imol. in d. l. Iudex posteaquam, & Zasius in l. Actorum n. 3. De re iud.* Condemnando enim vel absolvendo functus censetur suo officio & judex esse desinit, *d. l. Iudex c. In literis & ibi Imol. De off. deleg.* exceptâ solâ executione sententiæ, quæ officio Iudicis nobili expeditur, *l. à Divo Pio in princ. De re iudic. Alex in d. l. Iudex n. 5. & ibid. Zas. nu. 15. Alex. cons. 50. Ferè omnis n. 3. vol. 1.*

Cùm ergo Dominus Officialis primæ instantiæ judex in summario judicio inter dictas partes inchoato, cognitione interposita, post summariè propositam à Lamberto petitionem, & Rei responsionem partim negativam partim dilatoriam de excutiendo prius Reo principali, depositionibus testium receptis, exceptionibus Rei adversus testes propositis, detulerit Actori juramentum veritatis, & eo præstito Reum in solutionem debiti petiti condemnaverit, nulla fuit potestas eandem sententiam per eundem Dominum Officialem retractandi, vel ampliùs de causa cognoscendi, aut alias probationes exigendi parte victrice invitâ, (licet eâ consentiente hoc admitti possit, quia injuriam non patitur, *Imol. in c. Cum dilecta De rescript. Zas. in d. l. Iudex nu. 9.*) nec mirum, cùm ne interlocutoriam quidem, si vim definitivæ sententiæ habeat, revocare possit Iudex, *gl. ff. c. fin. De elect. lib. 6. Alex. & Ias. in l. Quod iussit De re iud.* præsertim si nulla alia sententia definitiva sit ferenda, *Io. Imo. in cap. cum cessante. De appel. Alex in d. l. quod iussit:* cùm alioqui dum simplex est interlocutoria, ejus revocandæ, libera illi sit potestas, *d. l. Quod iussit.* Definitivam autem esse hanc sententiam quam priore loco pro Lamberto dixit Dominus Officialis, & non tantùm vim diffinitivæ sententiæ continentem, ex eo manifestissimum fit, quod contineat non solùm juramenti delationem, sed præterea condemnationem tam principalis debiti quàm expensarum, *l. Cum iudex. l. Præses C. De sent. & interloc. omnium iud.* & quod secundum petitionem, quæ ex citatorio colligitur, sit lata *l. fin. C. De fideicom. libert. Zas. in l. Paulus nu. 7. De re iud.*

Adversus quæ nihil facit appellatio pro parte Huberti ab ea sententia Domini Officialis interposita: † nam appellatio à definitiva devolvit
2 causam ad superiorem, & Iudicis à quo provocatur manus ligat, denegatâ ei facultate sententiam jam dictam rescindendi, vel in parte vel in toto mutandi: officio enim suo functus est, *d. l. Iudex*: & suspenditur omnis illius jurisdictio, *l. Appellatione C. De appel. c. Non solum De appel lib. 6.* * quamvis à mera interlocutoria interposita appella-
3 tione si non est delatum appellationi, aut Iudex petitos apostolos intra tempus legitimum non dederit, aut per judicem superiorem judici à quo inhibitum non est, revocari vel mutari possit per judicem à quo, *c. Cum cessante. De appel.* quia scilicet judex interloquendo officio suo omninò functus non est, *Zas. & alij in d. l. Quod iussit nu. 16.* & per appellationem, quamdiu ei non inhibetur, non cogitur in causa supersedere, *d. cap. Non solum.*

Nihil etiam movet quod hìc videatur tantùm esse præceptum de solvendo, quod ex quorundam 4
sententia, *Bal. in add. ad Specul. tit. De sent. in princ. addit. Angel. in § illud in Auth. De haered. & falcid. Lanfranc. De Oriano in c. Quoniam contra in V. interlocutiones. vers. ulterius adijcitur De probat. Angel. in l. Si debitori De iudic.* pro simplici interlocutione tantùm accipitur, & per judicem revocari permittitur: nam licet plerique dubitent, de præcepto solvendi quod fit Reo ad simplicem actoris petitionem confitenti, an sit interlocuria, an definitiva; & nemo dubitet, quin sit merè interlocutoria, si præceptum fiat vel in citatione, vel officio judicis, petitione non præcedente, *Phil. Franc. in d. cap. Cum cessante*; verius tamen est, omne præceptum judicis de solvendo, quod lite instituta judex facit, esse definitivum, si formalis libellus præcesserit, & habere vim definitivæ, si libellus non præcesserit, sed voce vel ore Reus fuerit conventus, & Iudex cognitionem adhibuerit; sic ut neutro casu liberum sit Iudici hujusmodi præceptum postea revocare, *Bald. cons. 201. Punctus vol. 5. Alex. cons. 50. Visis actis vol. 2. Phil. Franc. in d. cap. Cum cessante. Alex. in d. §. illud & d. l. Debitori.* Vnde ait Felinus *in cap. Quærenti, nu. 7. in fin. De off. iud. deleg.* quòd hoc præceptum regulabitur tanquam definitiva quoad appellationem, & inter alia, quod non possit revocari. Licet interim hìc non versemur in præcepto, quod solet fieri in confitentem, in quem nullæ sunt partes Iudicis judicantis, sed exequentis, *l. 1. De confess. l. Proinde 1. §. fin. Ad leg. Aquil.* sed in sententia condemnatoria, post Actoris probationes cognitionaliter lata, ut patet ex verbo *condemnamus*, in sententia Domini Officialis inserto.

Proinde nihil etiam obstat, quòd non constet de exhibitione libelli coram Officiali, quodque cætera judiciorum solemnia non sint in eo judicio observata: † nam formalis libellus, itemque 5
alij termini substantiales formales, in summarijs causis, & in quibus sine figura judicij proceditur, necessariò non requiruntur, sed tantùm in illis, in quibus ordinariè proceditur, *Bald. in l. Nec quicquã §. De plano. vers. quid si committitur sine figura De off. Proconsul. gloss. in Clem. sæpe in V. non exigat De verb. sign. Bart. in extravag. ad reprimendum in V. & figura.* Summariè autem in hac causa processum fuisse ex ipsis actis constat, prout etiam procedi potuit, attento quòd de modica summa quinque modiorum tritici lis fuerit, *Bart & Bal. in Auth. nisi brevis. C. De sent. ex brevic. recitan. gloss. in §. necessitatem in vers. ex non scripto, in Auth. ut iudices sine quoquo suffra. §. sit tibi quoque, in Auth. De mandat. Principum, & ibi gloss. in V. breviores.* & coram Officiali Leodiensi, ex notorio Curiæ stilo in hujusmodi tenuibus & levioribus causis, summariè procedatur; * & 6

denique

denique quod hic procedendi modus, sine ulla partis adversæ contradictione sit delectus, & observatus: non enim ubique tam rigidè præscripta est ordinaria procedendi via, ut non possit partium consensu ea relicta, causa summariè agi: quod tamen à Speculatore, *in tit. De libell. concept. §. nunc dicendum vers. nono*, simpliciter admissum alij sine distinctione, non admittunt, *card. Zabarella in Clem. sæpe De verb. signif. in princ. quæst.* 12.

Quamobrem etiam nihil est, quòd ad nullitatem sententiæ dicti Domini Officialis objiciatur, quòd ejus sententia ex breviculo seu scripto non
7 fuerit lata; * nam etsi generaliter sententia sit nulla, nec nomen sententiæ mereatur, quæ dicta est cum scripta non fuerit, *l. Statutis in fin. C. De sen. ex breuic. recitan.* id tamen non obtinet in causis, quæ breviter seu summariè expediuntur; inter quas diximus esse causas viles, hoc est modici valoris, *d. Auth. nisi breves.* Vnde etiam factum, quod pro parte Huberti à sententia D. Officialis, ex capite injustitiæ & iniquitatis appellatum & minimè de
8 nullitate dictum extiterit. † Et quamvis ad nullitatem sententiæ referri possit, si judex non visis actis præcipitanter sententiam dicat, cùm sine causæ cognitione lata sententia sit ipso jure nulla, *Bart. in l. Prolatam C. De sent. cap. Deus omnipotens* 11. *q.* 1. non potest tamen id huic sententiæ objici, in qua ferenda, plena cognitio, qualem summaria causa desiderat, adhibitam fuisse, ex singulis D. Officialis decretis successivè latis & ipsius sententiæ tenore constat: & si qua D. Officialis festinatio hìc argui posset (prout non potest) ea tamen ad nullitatem, & multò minùs ad facultatem retractandi sententiam latam nihil omninò faceret. Vnde eleganter ait Vdalricus Zasius, *in d. l. Actorum nu.* 3. *in fin. De re iud.* si Iudex latâ sententiâ variaret, ideò quòd parum (non dicit nihil) cognoverit de causa, sicut ait aliquando, facere Curtisanos, & variando quem priùs condemnaverat absolveret, vel è diverso absolutum condemnaret, permissum esse parti, quæ hâc mutatione seu variatione læditur aut gravatur appellare; quibus verbis velut in individuo hæc tota causa deciditur.

Sed nec hoc ad nullitatis caput referri potest, quòd D. Officialis nõ habuerit rationẽ objectæ per Reum exceptionis ordinis seu excussionis; quasi ex
9 fidejussionis causa obligatus fuerit. † Nã principiò dicimus, non ideò sententiam esse nullam, si judex exceptionẽ dilatoriã ordinis non admiserit; nã ipso jure obligatus est fidejussor, non excusso Reo principali, neque malè agit creditor, si fidejussorem aut debitorem principalem conveniat; eligendi enim habet arbitrium, *l. Iure nostro, l. Reos, l. Non recte C. De fideiuss.* sed datur fideiussori ante Reum convento exceptio ordinis, *Auth. præsente C. eod. tit.* quâ omissâ judicium ritè procedit, *Guido Pap. decis* 570.
10 *nu.* 6. † Vnde etiam communiore opinione inter dilatorias connumeratur, *l. Si mancipium D. De euiction. Cyn. Bal. & alij in d. Auth. præsente*, & ante litem contestatam opponenda est; sic ut fidejussor litem contestando, exceptioni renunciasse videatur, *Alex. cons.* 29. *clarissime Doctor n.* 23. *& seq. vol.* 7. & ut volunt communiter Doctores in appellationis causa opponi non possit, *Pet. Duennas reg.* 335.
11 *Gaill lib.* 2. *observat.* 27. *nu.* 4. * Quare quemadmodum si judex objectâ compensatione non habeat rationem compensationis, sententia tenet, *l. Quod in diem §. fin. De compens.* si non sit appellatum, cùm tamen compensatio ipso jure debitum minuat si objiciatur: ita quoque ex eo capite tantùm dici posset injusta hæc sententia, non nulla; quia cùm expressum juris errorem non contineat contra jus litigatoris, non contra jus constitutionis lata esset, & sic ei standum, si appellatum non sit, *l. Cum prolatis, l. Præses De re iudic.* & si appellatum est, per superiorem, non per eundem, qui illam dixit, corrigenda est. Cæterùm huius injustitiæ nulla est consideratio: non enim condemnavit Reum ut fidejussorem, sed ut principalem, seu expromissorem, quòd animo novandi pro liberatione Andreæ Borlet promiserit Actori præsenti & acceptanti quinque modios tritici; prout Domicellius Conrardus de Hennesse alter testium deposuit, secundùm cuius depositionem, in supplementum probationis D. Officialis Actori juramentum detulit: † Is autem qui alienæ obligationi accedit, ut principalis, eamque in se transfert animo 12
novandi, ut prior liberetur, beneficio excussionis seu ordinis non gaudet, *Gloss. in Auth. de fideiuss. in princ. in V. fideiussorem, Fulgos. in d. Auth. præsente.* † 13
Nam quamvis accessione alterius personæ non præsumatur novatio, cùm tamen hoc agitur & dicitur, dubium non est, novationem veram & effectualem induci, *l. fin. C. De novat. Franc. Marcus decis. Delphinal.* 1064. *parte* 1. prout hic actum & dictum fuit, ut constat ex depositione dicti Andreæ: ita quòd Reus hac via non fidejussorem se constituerit, aut constitutæ pecuniæ Reum, sed expromissorem, † hoc est alienæ obligationis vicarium 14
& susceptorem, sive alius ille efficaciter obligatus non fuerit (quo sensu vulgò expromissor accipitur, *Gloss. in d. V. fideiussorem*) sive etiam efficaciter obligatus fuerit, *l. Si quis accepto tulerit De condict. caus. dat. l. Quamvis §. si convenerit Ad S. C. Velleian. l. Eleganter §. servus pactionis De dolo malo.* In quo expromissore certò constat, novæ constitutionis beneficium de excussione rei principalis locum non habere; quia scilicet principalis vel inefficaciter obligatus non est, secundùm vulgarem opinionem, vel efficaciter antea obligatus novatione nunc liberatus est, *d. Gloss. in V. fideiussorem circa med.*

Perinde quoque ad nullitatem sententiæ non 15
facit, quòd Reus in appellatione sua proposuit, promissionem suam esse sine causa, nec constitisse, de debito rei principalis: nam id etiam tantùm respicit iniquitatem & injustitiam promissio enim sine causa nulla non est, sed ipso jure tenet; quamvis proposita doli exceptione enervari & elidi possit, *l.* 2. *§. circa De doli mali & met. except.* unde cùm Reus hujusmodi exceptionem non objecerit, sed tantùm exceptionem ordinis, meritò nulla illius erat habenda ratio; neque injusta, multò minùs nulla dici poterat sententia D. Officialis. Et cùm exceptio Rei satis implicitè contineat confessionem debiti principalis de veritate debiti principalis, nulla proposita de illius falsitate exceptione, suscipienda non fuit cognitio, multò minùs de causa fidejussionis, seu potiùs expromissionis dubitandum; quia pro causa fuit ipsa fidejussio.

Cessat itaque in hac causa omnis occasio retra-
16 ctandi hanc sententiam ex capite nullitatis; * ex quo alioqui fatemur relictam esse judici potestatem retractandi, & contrarium quandoque etiam ex ijsdem actis reddendi; cum pronunciatum ipso jure non tenuit, *Doct. in d. l. Iudex & l. Cum quærebatur De re iudic.* Porrò nec hoc laxiorem potestatem retractandi seu reformandi dictam sententiam tribuit, quod in figura conditionis in eadem sententia, dictum sit verbis absolutè positis, *Præstito per Actorem iuramento*; quasi scilicet non perfectè absoluta fuerit sententia, nec ex ea Actori jus quæsitum; quo casu superiùs diximus judici permissum esse sententiam incontinenti mutare, *Doct. in d. l. Iudex & in d. l. Paulus*: nam verè absoluta fuit, neque ex horum adiectione, conditionalis quoad substantiam, licet quoad executionem ab implemento juriiurandi in conditione positi pen-
17 dere visa fuerit. * Vnde Baldus, *in l. cum iudex C. De sent. & interloc. om. iud. & ibi Castrens.* vocat hanc conditionem intrinsecam; cùm alioqui sententiæ conditiones extrinsecas respuat, *l. 1. §. bidum, Quando appel. sit*, dicens nihilominus esse sententiam definitivam & absolutam; cum contineat non tantùm juramenti delationem, eamque puram, ut hic constat, ex verbis *Quod ei in supplementum probationis deferimus*, sed etiam condemnationem: ita ut in casu subiectio satis sit Actorem non recusasse juramenti præstationem, sed Rei oppositionibus & appellationibus impeditum fuisse.

18 Postremò quòd dici posset hîc sententiam definitivè latam non tam esse mutatam, quàm Reum adversus illam restitutum in integrum, uti sonare videntur verba decreti, à quo provocatum extitit, hæc scilicet, *Appellantem in pristinum statum reponimus*, idque judici ordinario permissum esse, *Doct. in d. l. Iudex*; in casu præsenti locum habere nequit: restitutio enim in integrum officio judicis nobili tantùm expeditur, & petenti tantùm conceditur; idque tantùm majoribus ex causis à jure comprobatis & singularem rationem habentibus, *Eleganter Zasius & alij in d. l. Iudex* Vnde cùm hîc numquam petita sit restitutio in integrum, & ordinariâ viâ appellationis Reo consultum fuerit, prout eadem tantùm usus est; extraordinariæ restitutioni in integrum locus esse non potest, *l. In causa 2. De minorib.* cùm ex omnibus actis non constet de aliqua justa causa, cur Reus restitui debuerit: nam sola injustitia sententiæ per se sufficiens causa non est, cùm de illa cognoscere prohibeatur is, qui eam dixit, sed cognoscenda ad superiorem remittatur; ita ut simplex repositio adversus sententiam pro restitutione integri accipi non debeat, sed pro mera & nuda mutatione seu variatione, quæ permissa non est, *d. l. Cum quærebatur, l. Non iudex. De re iudic.*

19 Quare minùs etiam curandum de repositione, quæ facta est decima nona Iulij: nam illa, quatenus mutationem sententiæ continet, nulla est, facta parte non vocatâ; cum etiam ad revocationem seu mutationem interlocutoriæ, quæ alicujus momenti est, opus sit partis citatione, *Imol. in c. Sacro De sen. excomm. Ioan. And. in d. c. Cum cessante, Bal. in l. Post sententiam C. De sentent. & interloc.* Et licet Officialis jusserit illam intimari Actori, tamen per eam intimationem semel contracta nullitas dilui nequit. Adde quod illa repositio non fuerit nisi temporanea, ad effectum, ne Actor delatum juramentum præstaret, & Dominus Officialis de natura obligationis seu promissionis ulteriùs informaretur: nam postea sequuta est simplex & absoluta, à qua hæc appellatio nunc in secundo judicio agitata interposita est, quâ jussus est Actor uberiùs intentionem suam probare; ut scilicet illa repositio Iudicem, hæc partem concernat.

Omnibus igitur rectè perpensis in ea sumus sententia, ut putemus per Venerabilem Dominum, hujus tertiæ instantiæ judicem, utramque sententiam, scilicet Domini Officialis repositoriam, seu prioris sententiæ retractatoriam, & Decani S. Pauli confirmatoriam, retractandam & priorem Domini Officialis confirmandam, adjudicatione expensarum Appellanti facta.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas excusata, quæ ob ineptitudinem libelli obiecta.

1. 6. *Sententia super inepto libello lata quando sit nulla.*
2. *Interdicta* Vti possidetis & Vnde vi *sibi vicina sunt.*
3. *Turbationis tempus in interdictorum usu exprimi an debeat.*
4. *Fructus restitui debent in interdicto & illorum condemnatio parte non petente fieri potest.*
5. *Damnorum petitio continet petitionem fructuum.*
7. *Nullitatem sententiæ quando inducat evidens iniustitia.*
8. *Incertitudo sententiæ quando nullitatem operetur.*
9. *Incertum quomodo peti & adiudicari possit.*
10. *Sententia contra mortuum lata quando sit nulla.*

CONSILIVM CLI.

IN causa propositæ nullitatis, ad impediendam executionem sententiæ inter Iacobum Zibrandi ejusque sororem Actores, ac Magistrum Petrum & Ioannem Simonis, eorumque alios consortes Reos latæ, multa pro parte Reorum allegata sunt, quæ tamen nobis subscriptis sufficere non videntur ad obtinendam dictæ nullitatis declarationem.

Nam quòd attinet ad prius caput propositæ nullitatis de ineptitudine libelli, quasi super inepto libello pronunciata sententia ipso jure nulla sit, *c. Examinata De iudic.* allegatę ineptitudinis causæ non satis idoneæ nobis videntur. † Vt enim ineptitudo I libelli vitiet ei accómodatam sententiam, oportet expressam esse ineptitudinem, quæ apertè resultet ex libelli prima lectione; sic ut non sufficiat, si tacitè & per subauditos intellectus, aut alioqui per subtilem & scrupulosam juris interpretationem deprehendatur, *Bald. in l. Certa ratione vers. præterea C. Quando provoc. non est necess. Marian. Socin. in cap. fin. nu. 47. & 52. De libel. oblat.* quod in proposito ita commodè dici non potest, præsertim in hoc judicio, in quo ex æquitate causæ plerumque deciduntur, rigidiore juris observatione, potissimùm in formulis prætermissa, *Bald. in l. 2. De re iudic. socinus in d. c. fin. nu. 51. Nic. Boërius decis. 42. nu. 19.* Nam primò quoad illam causam nullitatis, quæ ex modo concludendi desumitur, quasi allegato

& de-

& deducto ſpolio, ex quo in interdicto *Vnde vi* pro recuperanda poſſeſſione concludi ſolet, Actores malè cõcluſerint in interdicto *Vti poßidetis*, pro manutenentia ac retinenda poſſeſſione nihil eſt, unde nullitas deduci poſſit: ob id, quòd de vi ablativa ſeu expulſiva nihil in libello contineatur, ſed tantùm de turbativa & iniquietativa per allegationem locatæ dimidietatis villæ contentioſæ & immiſſi pecoris in eandem medietatem, quo ſe turbatam eſſe contendit pars agens, ut conſtat ex for-
2 mula libelli. † Quamvis interim verùm ſit, vicinitatem magnam eſſe inter hæc interdicta, *l.* 1. §. *eſt igitur* D. *Vti poßidetis*, nihilq́ue vetare, quò minùs ob vim expulſivam aut ablativam ſeu invaſionem intentetur interdictum *Vti poßidetis*, ſi poſſeſſionem non deſeruit, qui interdicto utitur.

Nec hanc cauſam adjuvat, quod allegatur, agentes tempore litis conteſtatæ in poſſeſſione hujus medietatis non fuiſſe: id enim ad ineptitudinem libelli nihil facit, in qua allegata & propoſita eſt præſens & ab antiquo continuata poſſeſſio totius villæ, quod ſufficit: ita ut ſi in hac parte ſit aliquis defectus in probatione, juſtitiam cauſæ, non modum procedendi reſpiciat. † Neque ullo jure
3 cautum invenitur, quod in ipſo libello debeat exprimi tempus turbationis, ſed ſufficit id in cauſa deduci ac probari, ut factum impedimentum & turbatio amoveatur, *l.* 1. *in fine* De *interdict.* *l.* 1. D. *Vti poßidetis & ibi Bart.*

4 Neque inde hæc nullitas ſtabiliri poteſt, quòd non petitis formaliter fructibus, ſententia fructuum condemnationem contineat: nam ſatis eſt naturam hujus judicij ſeu interdicti eſſe, ut fructus percepti ex turbatione reſtitui quoque debeant, *l. In interdictis* De *interdict. ſeu extraordi. action.* non minùs quàm in interdicto *Vnde vi*, *c. Gravis* De *reſtit. ſpoliat. l.* 1. §. *ex die* De *vi & vi arm.* quod cum ſit ex natura judicij, in officio quoque judicis poſitum eſt, ut poſſit eorum condemnationem, etiam parte non petente, facere: quia judici, ſimulatque Iudex factus eſt, omnium rerum officium incumbit, quæcumque in judicio verſantur, *l. Aediles* 1. §. *item ſcien-*
5 *dum* De *ædil. edicto*, *Steph. Auſrer. Deciſ.* 194. † Deinde ut tam latè non pateat, ſufficit in propoſito, quòd agentes petierint damna & intereſſe, ſub quibus fructuum petitio ſatis continetur, *l. Loci corpus* §. *in confeſſoria, & ibi Bal. si ſervit vind. Decius in l. unica* C. De *ſent. quæ pro eo quod intereſt. prof.* ſic ut non poſſit dici ex hac parte, quòd ſententia libello non ſit conformis.

6 Sed nec ex eo difformitas libelli & ſententiæ nullitas induci poteſt, quòd petitione ad totam villam eiq́ue adhærentia prædia facta, in quibuſdam tantùm per ſententiam manuteneantur Actores, in alijs autem Rei abſolvantur: nam difformitatẽ ſententiæ & libelli non inducit partis condemnatio, ſed rei, materiæ, vel cauſæ alteratio, *Bal. in l.* 1. C. *Si plur. una ſent. & in l. fin.* C. De *fideicomm. libert. Alex. conſ.* 171. *In cauſa vol.* 6. *Boerius deciſ.* 42. *nu.* 18. Proinde ut ſententia, quæ vel tota condemnatoria eſt, vel tota abſolutoria, ſuper his, quæ in petitione propoſita ſunt, nulla dici non poteſt, *l.* 1. *De re ind. l. Præſes* C. De *ſent. & interloc. om. ind.* ita nec quæ partis condemnationem & partis abſolutionem continet; ut ſit eadem ratio partis & totius: injuſta ergò, non nulla ex parte dici poteſt.

† Et quamvis evidens injuſtitia nullitatem quo- 7
que operetur, cùm tamen ex actis apertè non reluceat, & per ſe manifeſta non ſit, non ſufficit ad deductionem nullitatis, ob quam executio deferri debeat, *c. Inter cæteras & ibi Felin. & alij* De *ſent & re ind. & in Clem.* 2. *eod. tit. Hieron. Gratus conſ.* 80. *Etſi prima facie nu.* 11. *vol.* 2. Ita enim oportet eſſe manifeſtam injuſtitiam, ut ex iſdem actis, ex quibus lata eſt, ſine ſcrupuloſiore aut altiore indagine, velut manibus & pedibus deprehendi poſſit, *notatur in l.* 1. *De novi oper nunciat. & in c. ſignificaverunt* De *teſtib.* quod in propoſito propter probationes Actorum dici non poteſt † Incertitudo ſententiæ inter 8
dum quoque nullitatem operatur, *l.* 1. *& ibi Doct.* C. *De ſen. quæ ſine cert. quant.* ſed ea, quæ perplexitatem inducit, & extricationem nullam habet. * 9
Cum ergò ſententia cõtineat partim certam certæ partis deſignatæ condemnationẽ, partim incertã in re certa; non poteſt dici ſententia eſſe incerta: licet incertam partem nemo poſſidere poſſit, nec cuiq; illa adiudicari, *l.* 3. §. *incertam De acquir. poſſ.* ex loco tamen certo pars certa, pro indiviſo poſſideri & adjudicari poteſt, *l. Locus* De *acquir. poſſ.* etiamſi ad oculum demonſtrari non poſſit. Quod in propoſito accidiſſe videtur, dum ex reliquis fundis ad villam pertinentibus ad certum numerum menſurarum poſſeſſio agentibus adjudicatur.

Novisſimè nec id ſufficit pro nullitatis cauſa 10
conſtituenda, quòd ſententia lata ſit mortuo Petro Simonis uno Reorum: etſi enim ſententia contra mortuum lata ſit ipſo jure nulla, *l. Paulus* D. *Quæ ſent ſine appel. reſcin.* in propoſito tamen ſufficit ante ſententiæ pronunciationem cauſam per hæredes Petri fuiſſe reſumptam: ita ut error ſcribæ tantùm ſit in intitulatione & nomenclatura perſonarum, qui obeſſe non debet, *l. Errore* C. *De teſtam.* Proinde quamvis magnam allegationum ſilvam agentes ad demonſtrandam hanc nullitatem, impediendamq́ue executionem ſententiæ collegerint, & hujuſmodi allegationes omni probabilitate non deſtituantur: veremur tamen ne nihil profint, propter cauſas prædictas in hoc judicio, ubi æqui bonique paulò laxior eſt poteſtas, minorq́ue anguſtiarum juris obſervandarum neceſſitas: ita ut nec ad provocationis judicium Reos incitare aut adhortari audeamus; de petitorio, quia ſufficienter de eo inſtructi non ſumus, nihil dicentes.

De ſententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas excuſata, quæ ob recuſationem judicis propoſita fuit.

1. *Recuſatio judicis propoſita ſuſpendit cauſam principalem.*
2. *Recuſatio ut ſuſpendat requiritur procuratoris ſpeciale mandatum.*
3. *Recuſatio judicis iniuſta iniuriam continet.*
4. L. penult. C. De except. *intellectus.*
5. *Recuſatio judicis, ut & appellatio, coram eo præſente proponi debet.*
6. *Recuſatio judicis in ſcriptis proponi debet, & quando, an poſt litem conteſtatam vel poſt concluſionem in cauſa.*

7. Recuſa-

7. *Recusatio iudicis quando proponi possit.*
8. *Recusatione proposita an nullus sit ulterior processus.*
9. *Advocatus vel procurator in una causa non prohibetur esse clientulo suo iudex in alia.*
10. *Advocatus vel procurator an & quando pro suo clientulo possit esse testis.*
11. *Recusationem quando iudex contemnere possit.*
12. *Recusatio non potest ex alijs quàm in recusatione propositis causis iustificari.*
13. *Dilationis nimis brevis concessio quando nullitatem sententiæ inducat.*
14. *Prohibitio alienationis per sententiam an impediat dominij alienationem.*

CONSILIVM CLII.

QVÆ adversus sententiam per Magnificum D. Rectorem almæ Vniversitatis Studij generalis oppidi Lovanien sis secundùm quondam Dominum Ioannem Quene Reum, contra Magistros mensæ S. Spiritus dictæ Vniversitatis & Magistros Fabricæ collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Lovanienſis originales hujus causæ actores, nunc appellantes, latam objiciuntur, partim ex capite nullitatis, partim ex capite injustitiæ, eo loco sunt, ut Venerabiles Dominos Iudices commovere non debeant, cur illam vel nullam, vel iniquam, vel annullandam & reformandam esse declarare debeant vel possint: quod factâ horum duorum capitum separatione paucis ex infrascriptis demonstratur. Et primò quidem objectionem nullitatis in eo fundant appellantes, quod præfatus Dominus Rector per eorum procuratorem fuerit recusatus ex causa suspicionis, quia præfato Reo in hoc eodem negotio contra Actores præstitisset aliquando patrocinium in Cancellaria Brabantiæ, in processu communicatorio, qui ibidem inter Actores & Reum fuit, quodque idem procurator petierit desuper per partes hinc inde eligi arbitros juris, qui de causa suspicionis cognoscerent, protestatusque fuerit de nullitate, si quid ulterius in causa fieret, priusquam causa suspicionis esset terminata. † Per quam objectionem sibi persuadent, in dicti Magnifici Domini Rectoris potestate non fuisse, in causa ad ullum actum ulterius procedere, multò minùs sententiam definitivam proferre; quasi objecta seu proposita adversus judicem etiam ordinarium (ut Canonistæ volunt *cap. Si quis contra De foro compet. Gloss. in c. Cum speciali in verb. cum judice. De appellat.*) recusatio ex causa alicujus suspicionis non minùs quàm appellatio suspendat, & inficiat jurisdictionem judicis, illiusque manus tantisper liget, donec per assumptos arbitros judicatum sit suspicionis causam vel non veram vel non justam esse, *d. cap. Cum speciali, Bar. in l. Quia poterat ad Trebell.* & interea eximat ipsum recusantem à jurisdictione recusati judicis, *l. 1. C. Si quacunque prædit. potest. in fin. Innoc. & Hostien. in d. c. Cum speciali Bar. cons.* 105. *Inquiritur contra dominum volu.* 1. † Sed ut hic propositæ recusationis ex causa suspicionis effectus nullitatis sequentis processus & præsertim sententiæ definitivæ constitui possit plura requiruntur, quibus deficientibus, non obstante recusatione judex ad ulteriora, adeóque etiam ad calculum & pronunciationem sententiæ definitivæ validè procedere potest. Et inprimis quidem hoc requiritur, ut hanc recusationem proponat vel pars ipsa, vel illius procurator, non alius quicunque; nec etiam simpliciter & generaliter seu indefinitè ad lites constitutus, sed qui ad eam proponendam speciale mandatum habeat: ita ut generalissimum mandatum ad lites vel negotia, si hoc in specie & nominatim expressum non est, non sufficiat; *Lud. Rom. cons.* 220. *circa primum n.* 7. *Francisc. Burſat cons.* 21 *nu.* 21. quia nemo per procuratorem suspectus accusari potest, nisi constet à domino id ei mandatum esse, *l. Non solum* §. *fin.* D. *De procurat.* quippe probrum aliquod latet in hujusmodi objectione, cùm perstringat verecundiam judicis, eumque improbitatis alicujus notet, quod conscius de causa objectæ suspicionis desumptę ex suo facto proprio, in quo ignorantiam probabilem prætendere non potest, *l. fin. D. pro suo*, manum causæ admoverit, & non ultrò illam à judicatione retraxerit: unde cùm in dubio non sit verosimile, quod dominus litis ejus rei mandatum facile sit daturus, fit, ut in generali mandato contineri non censeatur, *l. Obligatione De pignor.* * Eòque minus, quod injusta recusatio in delicto constituat recusantem; adeò ut injuriarum actione conveniri per judicem possit, qui injustè eum recusavit, *Bald. in c. Super quæstionum nu.* 2. *in fin. De off. deleg.* In dubio autem seu in generali, imò etiam generalissimo mandato non censetur data potestas delinquendi aut mandantem in delicto, aut pœna delicti constituendi, *l.* 1. §. *Si procurator D. quod quisque iur. Bart. inl. Si procurator* D. *De cond. indeb. Ludovic. Rom. d. cons.* 220. *num.* 7. *in fin.* de qua præsumptione hic minus dubitandum, ob id, quod Actores in libello suo appellatorio allegent propositæ suspicionis causam ad eorum notitiam iam demum perveniſſe; ut dubitare non oporteat, quin non dederint, nec dare voluerint mandatum illius proponendæ; atque ita arresto Parlamenti Regij judicatum esse scribit Petrus Rebuffus, *ad consſit. Reg. tomo* 3. *tit. De recusationibus, articulo* 1. *Gl.* 1. *in princ.* Et in omnem eventum non potest esse præsumptio mandati dati ad proponendam hujusmodi exceptionem præpostere, hoc est non suo ordine & tempore à jure præscripto; ut contigit in hac de qua nunc agitur recusatione. * Vnde etiam est, quod lex *l. penult. C. De exception.* non ipsum principalem dominum litis, sed ipsum Advocatum seu procuratorem præpostere seu serius proponentem hujusmodi dilatoriam seu declinatoriam exceptionem puniat & mulctet pœna unius libræ auri, nimirum quod præsumatur id facere sine mandato, ex quo alioqui perinde ipse mandans ut mandatarius puniri deberet. *l. Non solum* §. *si mandato* D. *De iniurijs.* Cum igitur ex actis constet, quod quondam Petrus de Colonia, qui tunc causæ procurator erat, hanc recusationem proposuerit, nec de antecedente illius faciendi à dictis actoribus accepto mandato aliquo modo constet; neque item de facta aliqua ratihabitione; ac nec de promissione seu cautione de rato per eundem Petrum præstita, qua ad extremum pro sustinenda hac propositione opus omnino erat, *d. l. Non solum* § *fin. De procurat.* consequens est, nullum in hujusmodi recusatione nulliter proposita constitui posse effectum vel suspensivum jurisdictionis, vel impeditivum processus ad ulteriora: quod

quòd enim nullum est, nullum producere potest effectum. 5 Secundo requiritur, quòd recusatio proponatur coram judice, hoc est in præsentia judicis pro tribunali sedentis, *d. c. Cùm speciali in verb. coram judice.* Cùm enim recusatio ad instar appellationis sit saltem quoad effectum suspensivum, *Philip. Franc. in d. c. Cum speciali vers. secunda fuit opinio*, & appellatio coram judice & in illius præsentia interponenda sit; non sufficit illam extrajudicialiter apud acta aut coram quocumque alio interponi: potissimùm quia utroque casu agatur de justitia & injustitia judicis, ideoque is honor ei merito exhiberi debeat, ut in ejus præsentia, quamdiu illa haberi potest, recusatio & appellatio interponatur; *c. finis c. Ut debitus. De appel. l. ult. C. Quando provoc. non est necess. Glos. in verb. coram eodem in c. Secunda requiritur. De appellat.* adeò etiam ut nulla sit appellatio in absentia judicis, quantumvis in loco tribunalis vel in domo Notarij causæ interposita, *Satin. cons. 39. Capio primum n. 32. vol. 4. Guido Pape cons. 138. Attentatis. Lapus alleg. 38.* si ibi Judex quoque præsens non sit, dum ejus præsentia haberi possit, quod præsumitur si non constet de contrario; & ob id necesse est eo casu partem sic appellantem extrajudicialiter protestari de absentia judicis, *vide fin. me appel. Secin. d. cons. 39.* Vnde consequitur hanc, de qua hic agitur, recusationem non coram Domino Rectore, sed in domo Notarij apud acta factam pro nulla reputari & haberi debere, *Carol. Rumus cons. 6. De validitate nu. 11. vol. 4.* potissimùm quod constet procuratorem appellantium eodem illo die, quo sic proposita fuit recusatio apud acta, habuisse copiam D. Rectoris: nam & eodem illo die coram eo comparuit, & sententiam definitivam pronuntiari præsens audivit. Quam comparationem recusationis & appellationis, itemque discrimen absentis & præsentis judicis expresse tradidit Baldus, *in l. Aperti simi nu. 3. C. De iudicijs*, quam & probavit per constitutionem Justiniani *in l. Cum speciali. C. De iudicijs.* Hunc autem defectum seu vitium non tollit nec purgat sequens illa eodem die coram præfato D. Rectore facta comparitio & repetitio termini per eum eodem die apud acta servati, in quo termino continetur dicta recusationis propositio; nam hujusmodi repetitio verbalis dumtaxat fuit, non realis, quæ ad D. Rectoris (adversus cujus personam proposita fuit recusatio) notitiam non deduxit propositionem prætactæ recusationis apud acta in illius absentia factam: ubi enim facto opus est, verba non sufficiunt, *Glos. in c. 1. De causa poss. & propr. Castrens. in l. 1. §. editiones D. De eden. Natta cons. 140. In causa & lite nu. 10.* Debebat itaque procurator appellantium non tantùm repetere dictum terminum, sed etiam formaliter de verbo ad verbum illius contenta refricare; sic ut ex ea repetitione & refricatione reali D. Rector intelligere potuisset se ex aliqua causa suspectum & recusatum esse, quod ex simplici hujusmodi verbali repetione minimè intelligere potuit. Quamobrem repetitio illa verbalis inanis fuit & nulla; ut etiam nulla est repetitio appellationis extrajudicialiter in absentia judicis interpositæ, si verbaliter tantum fiat sine exhibitione instrumenti seu scripturæ appellationis in scriptis apud acta interpositæ, *secinus d. cons. 39.*

Tertiò ut recusatio suspecti judicis aliquid operetur, requiritur ut in scriptis fiat, ad instar appellationis ab interlocutoria, quæ aliter quàm in scriptis interponi non potest etiam in præsentia judicis, *c. 1 De appellat. lib. 6.* ut communiore opinione receptum est, *Gloss. in c. Quoniam contra falsam. in verb. recusationes. De probationib. glos. in d. c. Secunda requiritur in verb. coram eodem, Panormit. in c. Prudentiam §. 6. De off. deleg. Philip. Franc. in d. c. Cum speciali vers. quæritur primo, Austerius in tract. De regula n. 2. Rebuff. ad const. reg. tom. 3. tit. De recusat. artic. 5. glos. 1. nu. §. qui dicit hanc communem esse sententiam.* Ad quam comparationem appellationis & recusationis non satis adverterunt, qui sine certa & concludente ratione existimant, satis esse verbaliter proponi hanc recusationem; cum ad formam recusationis id referatur, quæ ad unguem observanda est & per quipollens minimè explicanda. *Clement. appellantes & ibi Doct. De appellat.* Proinde in proposito per procuratorem sic in absentia judicis & eo ignorante verbis tantùm proposita recusatio effectum aliquem vel suspensivum vel impeditivum operari non potuit. Quartò ut recusatio suspecti judicis effectum aliquem sortiatur, hoc etiam requiritur, ut suo tempore proponatur: proponendæ autem illius ordinarium tempus est ante litem contestatam, *c. Pastoralis De excep. l. Apertissimi C. De iudic.* 7 Quo respectu etsi nihil sit quod Actoribus imputari possit, ex eo, quod tempore litis contestatæ auctor sententiæ de cujus nullitate queritur non fuerit dictæ Vniversitatis Rector, nec hujus causæ judex, sed postea demùm ad Rectoratum pervenerit: est tamen quod ipsis imputetur, cur non statim in initio Rectoratus hanc ex suspicione recusationem adversus illum proposuerint, sed illum ultrò ut Actores adierint, & partem Ream ad proponendum peremptorie ulteriusque in causa procedendum urserint, & coram eo totis sex mensibus processerint, & procedendo illius personam approbaverint: cujus recusandi potestatem postea non habuerunt, *Panormit. in cap. inter monasterium. in 3. notabili De sent. & reiud.* præsertim cùm Actores fuerint, quibus ita non permittitur recusatio judicis, quem ipsi ultrò adierunt, & ad quem Reum etiam invitum pertraxerunt, & sic omni modo approbaverunt, *l. penult. in fine C. De sent. omnium iud. Gloss. & Panorm. in c. Insinuante. De off. deleg.* Vt enim adversus primò aditum judicem ab initio & ante litem contestatam per Reum proponenda est recusatio, *c. Pastoralis De excep. d. l. Apertissimi:* ita quoque adversus postea surrogatum judicem eadem recusatio statim simulatq; is manum causæ adhibet, proponi debet. Verùm quidem est, etiam postea proponi posse recusationem ex causa post litem contestatam primùm exorta aut etiam ante illam exorta, sed per proponentem ignorata, cum primum illa ad illius notitiam pervenit, qualis est hæc, de qua in hac causa agitur, quod præfatus D. Rector fuerit pridem Rei advocatus in alia causa communicationis: sed ad hoc, ut iid procedat & obtinere possit, necesse est quod pars proponens recusationem per suum juramentum judicialiter affirmet, quod hujusmodi recusationis causa tunc primùm cum illa proponitur ad ipsius notitiam pervenerit: ut expresso

jure

jure cautum est, *d. c. Pastoralis. in fin.* Quòd cùm itidem pro forma à jure præscriptum sit, facit ut prætermissum & ad unguem non observatum vitiet totum recusationis ex ea causa serius propositę actum, *l. Cùm hi §. si prator. De transact.* Cùm ergò dictus procurator hanc recusationem proposuerit post litem contestatam, idque ex causa, quam dicit ortam fuisse ante litem contestatam, neque ullam præstiterit vel obtulerit juramentum de eo, quòd tunc primùm ad notitiam suam expressa causa suspicionis pervenerit, atque ita non constet de veritate illius, quod tunc primùm hujusmodi causa ad notitiam pervenerit; consequens est quod illa recusatio tamquam nulla, & non debito modo facta, nullum possit producere effectum suspensivum vel impeditivum; præsertim quod ne nunc quidem ex actis hujus causæ constet de oblatione vel præstatione hujus juramenti. Quod proclivius dicendum est ex eo, quòd hæc recusatio sit proposita non ante, sed post conclusionem in causa, per formale decretum Domini Rectoris capta; post quam conclusionem plerique existimant ne quidem ex causa post litem contestatam, multò minùs ex ante orta & postmodum ad notitiam perducta proponi posse judicis recusationem, *Glos. in V. postmodum in d. c. Pastoralis Imol. in c. Iudex, De off. deleg. lib. 6. Philip. Franc. in d. cap. Cum speciali vers. sed primo quæritur, Felin. in cap. Insinuante n. 12. De off. deleg.* In quo articulo etsi non pauci putent de novo post litem contestatam, atque etiam post conclusionem exortam causam, & ad notitiam partis recusantis perductam, etiam post conclusionem proponi & probari posse, *Phil. Francus in d. cap. Cum speciali vers. sexto quæritur in 2. limitatione:* idem tamen non permittunt in ea recusatione, quæ sit ex causa ante litem contestatam orta, uti primùm post conclusionem cognita; quasi per conclusionem in causa precluſa sit via omnibus allegationibus & probationibus, *Didac. Covarr. practicarum quæstionum cap. 26. nu. 3.* Et qui de eo dubitant, vel paulò laxiorem potestatem proponendæ recusationis etiam post conclusionem in lite, ex causa de præterito & ante litem contestatam orta, licet primum cognita post conclusionem faciunt, hoc saltem non permittunt, quòd recusatio proponi possit in momento ferendæ sententiæ tunc & postquam Iudex sententiam concepit, & in breviculum seu scriptum redegit; ita ut nihil restet nisi sola verbalis ex scripto pronuntiatio, *Ioan. Imbertus Instit. Forensium lib. 1. cap. 48. in verb. superseddndum, Didacus d. c. 26. nu. 3. in fin.* quippe verosimile tunc est, calumniosam & malitiosam esse hujusmodi recusationem, quæ sic in extremo momento proponitur ad differendam paratam sententiæ pronuntiationem; ut plerumque per malitiam & calumniam hujusmodi recusationes adversus Iudices proponuntur ab his, qui malas causas sustinent, vel causæ suæ non satis confidunt. Cùm igitur eodem die, quo lata est hæc sententia ante seu sub horam audientiæ, recusatio ista proposita sit apud acta, absente & ignorante Domino Rectore, & in momento pronuntiandæ sententiæ ex breviculo seu scedula, quam tunc manu tenebat idem Rector, sit facta nuda verbalis repetitio, seu potiùs designatio propositæ recusationis apud acta, & per talem repetitionem impeditus non fuerit; meritò ad ulteriora, hoc est ad pronuntiationem conceptæ & in scriptum redactæ, quam manu tenebat, sententiæ procedere sine ullo vitio nullitatis potuit idem D. Rector; potissimùm quòd eodem illo tempore hujusmodi clandestina & subdola recusationis propositio in domo Notarij apud acta facta, nondum fuerit actis inserta, ut constat ex petitione procuratoris Actorum in illo momento ferendæ sententiæ facta, quâ perijt dictum terminum (ut vocat) apud acta servatum actis hujus causæ inseri: si enim insertus tunc fuisset & oculis dicti Domini Rectoris subjectus, frustrà idem procurator tunc adhuc petijsset illud inseri; cùm factum fieri, vel ut fiat peti necesse sit, *l. Si ita fuerit Demanum. testam.* Ita ut plus quam manifestum sit recusationem hanc pro non facta habendam; tum quia legitimè facta non est, *l. Quoties Qui satisd. cogan. Bald. cons. 26. Dum lis & quæstio vol. 1.* tum quia ad judicis notitiam non pervenit: quod omninò in omnem eventum necesse est tunc, cùm Iudex præsens est, & illius copia haberi potest; *d. l. fin. C. De iudic.* Per quæ etsi satis subversum sit fundamentum objectę nullitatis dictæ sententiæ ex propositione recusationis, per Magnificum Dominum Rectorem rejectæ; quod scilicet illa non tantùm malitiosè, ut per illam tempus regiminis dicti Rectoratus elaberetur, *cap. fin. in fin. De iud.* sed etiam nulliter sit proposita; quo tamen evidentius elucescat ex hac recusatione non posse constitui nullitatem dictæ sententiæ, hoc insuper addimus, quod etsi nihil esset, ex quo argui posset nullitas dictæ propositæ recusationis, hoc est, præsuppositò quod vel ipsi Actores eam proposuissent, vel eorum procurator ad eam proponendam sufficiens mandatum habuisset; item quòd coram Domino Rectore & in ejus præsentia proposita fuisset formaliter & in scriptis, idque etiam tempestivè & citra ullam suspicionem malitiæ vel calumniæ, cùm formali præstatione & oblatione juramenti de notitia causæ suspicionis, ad ipsos Actores post conclusionem in causa perlata; nihilo solidius esset fundamentum ad constituendam dictæ sententiæ nullitatem: * nam in disputatione illa Doctorum, an processus Iudicis, qui ut suspectus ritè & legitimè recusatus est, in quacumque judicij seu litis parte, quatenus id jure permittitur, post propositam recusationem habitus, & potissimùm sententia definitiva vitio nullitatis subjaceat, communius recepta & probata est sententia Innocentij, *in d. c. Cum speciali nu. 6. vers. illud autem non memini, & ibi Imola. Ant de Butrio, & Philippus Francus sub fin.* quòd ulterior processus non sit ipso jure nullus, sed ipso jure teneat; ideoque per appellationem ab ulteriore processu vel à decreto rejectæ hujusmodi recusationis interpositam, non autem per viam nullitatis retractari debeat. Ad exemplum ulterioris processus Iudicis post appellationem interpositam à decreto seu interlocutoria sententia, quæ ipso jure tenet; ob id, quod ut hujusmodi appellatio ante sententiam definitivam non suspendit jurisdictionem & processum Iudicis, quamdiu per superiorem provocatum Iudicem illi inhibitum non est, *c. Non solum. De appellat. lib. 6.* ita nec recusatio, quæ quoad effectum suspensivum & impeditivum ulterioris processus

8

cessus æquiparatur sententiæ interlocutoriæ, non definitivæ, *c. super eo 2. De appellat. Gloss. ad rub. De appellat.* Et quamvis sint, qui Innocentio ejusque sequacibus hac in parte contradicant, & ex recusatione proposita nullitatem ulterioris processus induci putent, *Bart. in l. Quia poterat ad Trebell.* id tamen ex ratione juris civilis tantum esse dicunt, & non procedere jure Canonico, *Bald. consil. 437. num. 4. vol. 1. & in d. cap. Cùm speciali & ibi Decius num. 9. Imola in l. Quidam consulebant De re iudic.* secundùm cujus dispositionem in consistorio Magnifici Domini Rectoris jus dicendum, *c. Quod Clericis De foro compet.* Et qui hanc distinctionem non admittunt, ita demum nullitatem sequentium actorum seu ulterioris processus constituunt, si vel probata sit objectæ suspicionis causa, vel post electos arbitros super articulo propositæ suspicionis Iudex recusatus ad ulteriora processerit; quasi tunc jurisdictione Iudicis recusati translata in ipsos arbitros, *Ludovicus Romanus d. consil. 220. nu. 7. Decius d. nu. 9. & consil. 175. In causa falsitatis num. 2.* ut generaliter nullus est omnis processus, qui fit per Iudicem à quo jurisdictio aufertur & transfertur in alium, non tantùm per appellationem ad superiorem à sententia definitiva, *l. 1. C. Si quacumque prædit. potestat.* sed ex alia quacumque causa, speciali lege vel constitutione definita, *Natta cons. 252. Viso processu nu. 8.* qualis nulla extat, quæ à Iudice simpliciter recusato transferat jurisdictionem ex sola recusatione; cum eo casu lex non adimat aut transferat jurisdictionem à suspecto, sed eum tantùm constringat ad alij mandandum seu subdelegandum ipsam causam, *l. Prætor De iurisd. omn. iudic.* saltem de recusatoris assensu, *c. Iudex De appellat. lib 6.* quod est evidens argumentum perseverantis adhuc in habitu jurisdictionis. Deinde qui nudæ recusationi hunc effectum suspensivum attribuunt, id non admittunt tunc, cum temeraria seu frivola est propositæ recusationis causa: eâ enim non obstante Iudex rectà ad ulteriora, adeoque etiam ad definitivam sententiam procedere potest; ut expresso jure definitum est, *c. 1. De off. iudic.* Imò nec tunc cum causa in suo quidem genere justa minimèque frivola est, sed per recusantem vel ante vel post recusationem, saltem coram Iudice ad quem à rejectione recusationis appellatum est, minimè probata invenitur. Ita ut ex eorum sententia impendente sit validitas ulterioris processus, dependeatque à futuro eventu, ut, si veritas allegatæ causæ probetur, ulterior processus reputetur nullus; non etiam si recusans in probatione illius vel negligens sit vel deficiat, *Imol. in d. l. Quidam consulebat, Octavian. Cacheranus decis. Pedemont. 84. nu. 5. in fin. Ludovic. Roman. d. consil. 220.* Quæ cum ita sint, facilè est deprehendere hanc sententiam post prætensam illam recusationem latam, nullitatis vitio non subjacere; sed hoc tantum inquirendum esse, an justè vel injustè sit lata, vel ex eo solo quod hujusmodi objecta suspicionis causa notoriè fuerit frivola & temeraria: nam proposuit Actorum procurator quod M. Theodoricus Peelmans tunc Rector, Reo hujus causæ præstiterit patrocinium in Cancellaria Brabantiæ, in causa communicationis ibi inter Actores & Reum mota; in ea autem causa communicationis cum actum tantum fuerit de cassatione processus per Actores contra Reum coram Magnifico Domino Rectore intentati, & sic dumtaxat super jurisdictione, de qua coram dicto Magistro Theodorico Rectore & Iudice hujus causæ, nulla quæstio erat, non etiam de meritis causæ principalis, tendentis ad condemnationem vel absolutionem, Rei quoad fructus præbendæ ejusdem Rei, de quibus solis in hac causa quæstio & necessitas judicandi fuit, & sic super alia omnino re, diversa, & separata; consequens est, quod inde, etiamsi probata fuisset hujusmodi expressa causa, non potuerit desumi occasio M. Theodoricum in suspicionem aliquam trahendi. * Nam ut Advocatus vel procurator propter patrocinium clientulo suo in aliqua causa præstitum non prohibetur pro eo testis esse in alia causa, *DD. in l. alt. D. De testib. & in cap. ult. De testib. lib. 6.* ita quoque nec prohibetur Iudex esse in alia causa illi, cui in alia diversa patrocinium præstitit. Vnde ut Iudex suspectus recusari, vel ab eo jurisdictio ex tali causa transferri possit, necesse est, quod in eadem planè causa eodemque negotio alterutrius partis advocationem ante initum Magistratum susceperit, *d. l. Prætor & ibi Dec. cap. Postremo De appellat. & ibi Innocent. in fin.* ita ut inde tradat Panormitanus, *in d. cap. Postremo in fin.* quem alij in eo sequuntur, *Decius in d. cap. Postremo nu. 3. & Philip. Franc. in princ.* quod sine metu recusationis possit quis eum, qui ipsi in alia causa seu alio negotio fuit Advocatus, impetrare Iudicem ad aliam causam seu aliud negotium. 9

Quâ ratione etiam fit, ut procurator vel Advocatus in una causa, quamvis in illa eâdem pro suo clientulo testis esse nequeat, *c. fin. De testib. c. fin. De testib. lib. 6.* possit tamen in alia causa ab illa diversa pro eodem suo clientulo testimonium dicere, *Bart. in l. Deferre nu. 1. De iure fisci Lanefranc. in cap. Quoniam contra falsam nu. 67. De probat.* usque adeò ut Advocatus vel procurator in causa possessionis alicujus rei non prohibeatur esse testis vel Iudex in causa proprietatis ejusdem rei, *Ioan. Andreæ ad Specul. tit. De teste §. opponitur. nu. 74. Anton. de Butrio in c. Cùm à nobis De testib. & ibi Ioan. de Imola n. 8. in fin. Albericus in tract. De testib. §. expedita tertia parte nu. 8. Decius in c. Insuper nu. 15. De testib.* Imò in una & eadem causa & inter easdem personas, si quis fuerit procurator vel advocatus specialiter constitutus ad ejusdem causæ unum articulum, eo finito non prohibetur esse testis super alio ejusdem causæ articulo, si ad illam non sit constitutus procurator vel advocatus; veluti si fuit testis vel advocatus super articulo declinatoriæ vel dilatoriæ exceptionis, non impedietur super principali ejusdem causæ articulo testimonium vel jus dicere. Et inde etiam est, quod dum propter mortem Actoris à quo quis mandatum habuit, desijt esse procurator, si hæres postea alio procuratore utatur, possit iste primus in eadem causa testimonium dicere, *Bald. cons. 152. ad evidentiam vol. 3.* 10

Cùm igitur manifestum sit, causam dicti processus communicatorij in Cancellaria Brabantiæ, in qua concluſum dumtaxat fuit ad avo- 11

cationem causæ à Magnifico Domino Rectore & cassationem processus contra dictum Reum intentati, & sic super articulo jurisdictionis, de qua post dictam remissionem nulla amplius fuit quæstio, & super qua præfatus M. Theodoricus judicare non debebat, attento quod Reus illam agnoverit, & coram Domino Rectore cum Actoribus litem contestatus sit, & ad finem usque coram eo in illa perstiterit; in hac vero causa litigatum, conclusum, & judicatum sit super petitorio fructuum dictæ præbendæ; manifestum quoque est temerariam, imò malitiosam & calumniosam fuisse recusationem ex prætacta causa suspicionis inde desumptæ, quod dictus M. Theodoricus Reo patrocinium præstitisset in dicta communicatoria causa, & sic potuisse eumdem M. Theodoricum recusationem talem tamquam temerariam & irrationabilem spernere, *Panorm. in d. c. Cùm speciali nu.* 15. etiamsi coram se formaliter proposita aut ad ejus notitiam perducta fuisset, eâque contemptâ potuisse eum decernere ulterius ad expeditionem causæ procedendum, & reipsa etiam ad pronuntiationem sententiæ procedere, *d. c. I. De off. jud. Dec. in d. cap. Cùm speciali in fin. & ibi Philip. Francus vers. tertio quæritur, Rebuff. ad d. tit. De recusat. artic. 5. gloss. 1. nu. 7. Natta consil.* 167. *per spectis nu.* 14. Quod animadvertentes appellantes in ea allegatione apud acta & in absentia judicis facta de præstito patrocinio in Cancellaria Brabantiæ in causa communicationis non sunt ausi persistere, sed causam suspicionis amplificantes, hoc præterea allegaverunt, quod in hac causa Reus ulus saltem fuisset consilio & auxilio præfati M. Theodorici tam ante quàm post illam institutam, ejusque sententiam & resolutionem
11 petierit: * sed hujusmodi amplificativa allegatio
12 vires nullas habere potest; ex eo primùm, quod ut ab appellatione ab interlocutoria sententia interposita non licet alias gravaminum causas persequi aut probare, quàm quæ nominatim in appellatione in scriptis interposita continentur, *Clement. Appellanti De appellat.* ita quoque proposita certa causa recusationis coram judice, non potest recusans coram arbitris ex alia de novo allegata causa suam recusationem justificare, *Dec. in d. c. Cùm speciali nu. 2. in fin.* sed debet tantùm expressè propositam prosequi; ob id, quod recusatio quoad omissas in illius propositione causas sit informis & sic nulla; ut eleganter tradit Ioannes Imola, *in d. c. Postremo*, & sequitur Philippus Francus, *in d. c. Cùm speciali vers. secundo quæritur.* Et ut hæc omnia cessarent, deberent nihilominus appellantes sibi imputare, quod à decreto de procedendo ad ulteriora non appellaverint: ita enim non appellando sibi præjudicaverunt, idque effecerunt quod processus ulterior, hoc est pronuntiatio dictæ sententiæ, nullitati non possit subjacere, *Ludovicus Romanus d. consil.* 220. *nu.* 8. sed tantum injustitiæ, si allegata justa suspicionis causa in judicio appellatorio fuisset probata, & eadem sententia definitiva inveniretur injusta, *c. Non solum De appellat. lib.* 6. licet alioqui interlocutoria super articulo non concernente materiam principalem litis, ut est dilatoria vel declinatoria, non possit retractari per retractationem sententiæ definitivæ, si à sententia interlocutoria appellatum non fuit, *cap. fin. De appellat. lib.* 6. Verùm quidem est appellantibus non fuisse permissum appellare intra tam breve tempus, inter latum dictum decretum de procedendo ad ulteriora & pronuntiationem prætactæ sententiæ; ideò quòd eodem loco & tempore utrumque factum sit; sed tamen debebant actores seu eorum procurator saltem protestari de gravamine & appellando, non etjam tacendo illi acquiescere, interposità tantum appellatione à sententia definitiva, & minimè à dicto decreto rejectionis; quod utique unâ operâ facere poterant, si voluntatem appellandi ab eo habuissent. Ex his igitur omnibus satis constat sententiam definitivam, de qua agitur, non posse dici nullam ob id solum, quod post recusationem ex causa suspicionis proposita fuerit lata.

Alterâ nullitatis causâ in eo constituunt appel- 13
lantes, quod illa sententia præmaturè & causâ non instructâ fuerit lata; ob id, quod actorum procuratori petenti non sit concessus terminus proponendi omnia & singula: sed & hæc perinde frivola & inepta est. Ideò in primis, quòd appellantes allegent, quòd hujusmodi terminus proponendi omnia & singula, partibus petentibus non sit denegandus: jam verò non constat, quòd Actores vel ipsorum procurator terminum illum sibi concedi petierint ante conclusionem in causa, quâ per speciale decretum facta, actorum procurator, verosimiliter metuens eventum jam die proximo pronuntiandæ sententiæ, de illo termino proponendi omnia & singula primùm proposuit, atque ita seriùs: conclusio enim in causa omnibus allegationibus & probationibus ulterioribus locum præcludit, *c. Pastoralis De causa poss. & propr. & ibi Innocent. & aly, Baldus consil.* 50. *Secundus creditor in fin. vol.* 1. *Panorm. in d. cap. Pastoralis nu.* 11. præsertim in proposito, in quo Actores à decreto conclusionis non appellaverunt, sed illi tacitè acquiescendo adversus illud restitutionem petierunt, cujus obtinendæ nulla erat idonea causa, ob id, quod ante illud decretum, procuratore Rei ad conclusionem causæ tendente, causam extrahi seu continuari petierit, non ad effectum proponendi omnia & singula, sed ad hoc, ut suo Advocato esset ocium visitandi acta; cujus occasionem Dominus Rector illi non subtraxit, datâ dilatione octo dierum ad hujusmodi acta visitandum, & se de jure informandum. Cum alioqui ut arctatio seu brevitas temporis nullitatem inducat, oporteat illam esse nimiam, & quæ inducat impossibilitatem actus: interim pendente datâ dilatione explicandi, & cessante impossibilitate non inducitur nullitas, sed tantùm occasio appellandi à nimia brevitate, *Bald. cons.* 92. *Quædam sententia in fine vol.* 1. quod Actores hic non fecerunt: ut dubium non sit, quin futilis tantùm sit prætextus nullitatis ex occasione non obtenti termini proponendi omnia & singula; præsertim quia non constet Actores vel coram dicto D. Rectore, vel in hac secunda instantia aliquid amplius ad causam principalem allegasse, quod priùs allegatum non fuisset. Deinde simpliciter verum quoque non est, quod Actores allegant, terminum proponendi omnia & singula substantialem esse; cùm id jure

nusquam

nusquam cautum inveniatur, & notoria statuta hujus Vniversitatis illum non requirant, imò satis rejciant, ex ea causa, quòd judicium D. Rectoris sit summarium, & in summarijs judicijs necessariò non requirantur hujusmodi multiplicati termini, *Clement. sæpè De verbor. signif.*

Proinde nec ex hac causa potest fundari per appellantes dictæ sententiæ nullitas; quemadmodum in ea objectione certam spem constituere non audent, sed ulteriùs progredientes ac præsupponentes dictam nullitatem cessare, ad hoc tandem contendunt, eandem sententiam esse injustam & appellantibus gravem, eamque ob id ut injustam retractandam & corrigendam: quod quatenus concludunt & sustinent, ex actis primæ instantiæ res tota definienda: ex quibus constat evidenter inter alia non fuisse Domino Adriano ademptam potestatem resignandi aut dimittendi sua beneficia, quæcumque tunc obtinebat, aut in futurum obtenturus esset, sed tantùm ei inhibitum fuisse, ne fructus, obventiones, ac proventus quorumcumque beneficiorum suorum alienaret aut obligaret; ita quod ut hujusmodi fructus sub hac prohibitione contineantur, necesse quoque fuerit illos esse de beneficijs Domini Adriani eo tempore, quo fructus cesserunt. Iam verò cum D. Adrianus per legitimam renuntiationem ex causa permutationis seu liberæ resignationis à festo Andreæ anno 1573. desierit esse Canonicus collegiatæ Ecclesiatæ divi Petri L. ex illo die quoque ejusdem Canonicatus & præbendæ fructus non possunt dici esse comprehensi sub dicta sententia privationis tertiæ partis fructuum; quia ex illo tempore hic Canonicatus non pertinuit ampliùs ad eumdem D. Adrianum. Et quod ea sit vera & genuina dictæ sententiæ interpretatio apertissimè convincitur ex eodem illo capite decreti Concilij Tridentini, *Sess. 25. cap. 14. De reformat. vers. quod si*, ex quo dictus D. Rector causam privationis tertiæ partis fructuum traxit: nam in concubinarios monitos non abstinentes à concubinatu prima pœna statuitur dumtaxat privatio tertiæ partis fructuum, nihil statuendo ulteriùs de beneficijs ipsis seu illorum administratione: quâ pœna si non emendetur concubinarius secundò monitus, subijcitur pœna privationis omnium fructuum & administrationis ipsorum beneficiorum per suspensionem ab illis: & demùm tertiò pœna privationis perpetuæ ipsorum beneficiorum, si tertiò monitus non resipiscat.

Cùm ergò dicta sententia ad primum gradum dictarum pœnarum subsistat, nec secundæ locus fuerit, saltem adversus dictum D. Adrianum per sententiam decreta aut declarata non fuerit; evidentissimum est D. Adrianum retinuisse omnium suorum beneficiorum, & inter illa hujus Canonicatus plenam administrationem; in obligatione pœnæ tantùm permanente dicta privatione tertiæ partis fructuum ejusdem Canonicatus, quamdiu illum obtineret. Quæ sanè administratio cum ei per jus vel sententiam expressam ademptа non fuerit, relicta intelligitur atque hoc operatur, quod ut illum retinere, ita quoque per renuntiationem vel alium legitimum modum alienare & à se abdicare potuerit, & Collatori seu patrono facultatem aperire illum conferendi Canonicatum Reo hujus causæ: in administratione enim Rei propriæ ut retinendi, ita abalienandi libera est potestas, *l. In re mandata C. Mandati.* Cùm ergo non possit dici, quòd hi fructus, de quibus in hac causa agitur, umquam pertinuerint ad D. Adrianum, nec etiam hoc, quod sint percepti ex beneficio ad D. Adrianum, tempore quo illi cesserunt vel percepti sunt, pertinente; consequens est, nec contineri illos sub prædicta Magnifici Domini Rectoris sententia, quæ Dominum Adrianum privavit tertiâ parte fructuum suorum beneficiorum, hoc est quæ sua essent tempore, quo fructus cederent: proprietatis enim & dominij seu quasi significativa est dictio *suus* seu *suum*, *l. Quintus § argenta De auro & argento leg. l. solum in fine D. De rei vindicat.* Cum alioqui etiam sustineri possit, hujusmodi sententiam, etiamsi sic accipi posset, quòd per illam Domino Adriano fuerit adempta potestas alienandi beneficia, non minùs quàm fructus perceptos seu percipiendos ex suis beneficijs, eas vires habere non posse, ut ipsorum beneficiorum atque etiam fructuum alienatio per resignationem seu renuntiationem efficaciter fieri non potuerit: † nam ut 14
prohibitio alienationis per contractum facta non impedit translationem dominij quoad tertium, in quem fit alienatio, sed prohibenti tantùm tribuit actionem ad interesse, quia prohibitioni contraventum fit; *l. Ea lege C. De condict. ob caus. dat. l. si quis ita promiserit § ea lege De verb. obligat.* non quidem contra eum, in quem alienatio facta est, sed contra ipsum alienare prohibitum; ita quoque nec prohibitio alienationis quæ per sententiam incerta est, ex quo per nudam sententiam sine traditione dominium non soleat transferri, nisi legis quoque prohibitio concurrat, quæ magis quàm ipsa sententia attendi debet, *Alexand. in l. Filiusfam. §. divi De legat. 1. nu. 9. & ibi Alciat. nu. 39.*

Cùm ergo nulla sit Canonica lex, quæ renuntiationem seu resignationem beneficij prohibeat, imò nec alienationem ipsorum fructuum, nihil est, quòd hic ex dicta sententia adversus Reum singularem successorem in hoc Canonicatu constitui possit; Actoribus sua actione relicta adversus D. Adrianum, si propter ipsius resignationem quoad tertiam partem fructuum hujus Canonicatus sua interesse putabunt.

Proindè nec magni faciendum, quod appellantes in hac instantia velut novum factum allegaverunt, quòd Reus scientiam dictæ sententiæ Domini Rectoris habuerit: nam illius, qui rem accipit, sola scientia prohibitæ alienationis per contractum aut sententiam judicis, sufficiens causa non est ad impediendam translationem dominij, aut inducendam nullitatem alienationis, quoties prohibitio non habet effectum impeditivum translationis dominij, ut est in proposito; multò minùs, ubi prohibitio ad rem, quæ alienatur, non extenditur, ut hic manifestum est non extendi ad ipsa dicti D. Adriani beneficia, cùm conclusa dumtaxat sit & restricta ad fructus beneficiorum, quæ haberet, quamdiu perseveraret in concubinatu: & si scientia in hoc juris articulo aliquid operari posset in suo genere, hîc sanè nihil operabitur, quod per

Reum negata & pernegata sit ista scientia ; & in dubio præsumatur in alieno præsertim facto ignorantia, quamdiu scientia ex adverso probata non est, *l. Verius De probationb.* prout dictæ scientiæ probatio per Actores minimè facta est.

Quibus omnibus attentis manifestè deprehenditur injustitia hujus litis per appellantes indiscreto zelo & magna imprudentia institutæ, ac huc usque perductæ; liberius fortè, quòd non suis proprijs, sed alienis expensis cum damno dictæ mensæ pauperum & prætactæ fabricæ id se facere posse persuaserunt; qui si de sua bursa expensas facere debuissent, circumspectiore judicio & majore maturitate verosimiliter versati fuissent, nec tam imperitè sibi persuaderi passi fuissent, Canonicatum prædictum vel illius fructuum tertiam partem obnoxiam seu obligatam esse dictis fabricæ & mensæ ex dicta Domini Rectoris contra D. Adrianum lata sententia. Vt proinde existimemus officium Venerabilium Dominorum Iudicum esse, ut dictam Domini Rectoris sententiam in prima instantia latam per omnia confirment, dictosque appellantes in expensis hujus quoque instantiæ condemnent; nec sibi melioris aut benignioris alicujus opinionis arripiendæ occasionem subministratam esse existiment, ex consideratione pietatis alicujus pro dictis mensa & fabrica, in tam evidenti propositæ actionis defectu seu injustitia; potissimum nunc cum in locum Rei ex illius testamento successerint pauperes, quibus bonorum suorum residuum reliquit, nec minus favorabiles sunt, quam potest esse dicta mensa vel fabrica.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas ob unius ex pluribus Iudicibus absentiam

1. *Nullitas cum appellatione cumulari potest.*
2. 5. *Iudicibus pluribus constitutis omnes iudicare oportet.*
3. *Sententia lata uno ex pluribus iudicibus absente ratificari non potest.*
4. *Arbitrorum uno absente an alij iudicare possint?*
6. *Statutum quod plures Iudices absentibus quibusdam iudicent.*
7. *Citatio ad domum subsidiaria est.*
8. *Iudicibus pluribus existentibus an unus alteri suam sententiam mandare possit?*
9. *Donatio causa mortis caducitati subiacet.*
10. *Donatio quando sit mortis causa vel inter vivos.*
11. l. Vbi ita donatur, De donat. mort. caus. *intellectus.*
12. *Donatio inter vivos, ex pacto vel lege potest fieri revocabilis.*

CONSILIVM CLIII.

BONO jure de nullitate atque item de iniquitate sententiæ, quam in causa appellationis Iudices Appellationum Vniversitatis Lovanienſis pronuntiaverunt contra M. Ioannem Furnarium in hac tertia instantia appellantem, retractatâ sententiâ Magnifici Domini Rectoris primæ instantiæ Iudicis secundùm dictum M. Ioannem, contra Vincentium Paludanum & ejus consortes nunc appellatos lata, proponitur: utroque enim vitio eadem sententia manifestè laborat. * Vti etiam ſine 1
ullo contrarietatis aut repugnantiæ vitio hæc duo juris remedia accumulari, & ex utroque saltem alternativè & per subordinationem concludi potest ut, sententia declaretur nulla, aut si aliqua est, pronuntietur injusta, *gloss. ult. in l. 1. C. Quando provoc. non est necesse, latè Ioan. de Imol. in l. Si expressim De appell. Alex. conſ. 2. Consideratis his nu. 13. & 14. vol. 3.*

Quod autem nullitatis vitio laboret hæc judicum sententia ex eo deducitur, quod, cùm ex statutis dictæ Vniversitatis quinque sint velut ordinarij Appellationum, quæ à sententijs per Magnificum Dominum Rectorem interponuntur, Iudices, quatuor dumtaxat, idque adhuc in discordia, ex pluralitate hanc sententiam formaverint & pronuntiaverint, quinto judice absente nec citato, nec ad calculum sententiæ vocato; id enim ex actis & propria partis appellatæ confessione constat. Nam etsi pars appellata primùm id negaverit, postea tamen cùm pressius ad respondendum urgeretur, respondit se credere M. Franciscum Bollaerts (qui tum erat unus ex dictis Iudicibus) tempore conceptionis & pronuntiationis dictæ sententiæ, imò etiam aliquot immediatè præcedentibus & sequentibus diebus ab oppido Lovaniensi absentem fuisse. Quâ absentiâ tic evidenter probatâ, non potest præsumi ejusdem M. Franciſci eodem tempore præsentia, etiamsi per Notarium causæ brevi clo hujusmodi sententiæ subscriptum sit, eam sententiam latam esse per Dominos Iudices causarum appellationum : nam ut falsi notam avertamus, referendum id est ad eos dumtaxat, quos constat tunc præsentes fuisse, qui quatuor tantùm fuerunt ; non etiam ad eum, quem ex propria partis adversæ confessione constat abfuisse, *l. Optimam C. De contrab. ſtipul.* * Iam verò 2
notorij & indubitati juris est, *l. Duo ex tribus D. De re iudic.* pluribus existentibus unius auditorij seu causæ Iudicibus, quosdam ex his, absente etiam uno tantùm ; judicare non posse; quia omnes judicare iubentur : non enim dum plures sunt Iudices, singuli & divisim jurisdictionem habent in solidum, sed omnes simul & complexivè, *Ias. in d. l. Duo ex tribus*; & sic singulis nec jurisdictio nec exercitium illius in solidum competit, *l. cùm Magiſtratus C. Quando provoc. non est necesse, Sebast. Vantius in tract. De nullit. sent. ex defectu iurisd. nu. 176.* Iudicasse autem omnes dici non possunt, nisi omnes adsint, *l. Tunc autem De re iudic.* quod obtinet non tantùm in receptis arbitris seu compromissarijs Iudicibus, *l. Item si unus §. si plures, l. sicuti, l. Si in tres, l. Pædius in fine De recept. arbit.* atque item in datis seu delegatis Iudicibus vel ad singulas causas, *d. l. Duo ex tribus c. Prudentiam §. 1. c. Causa matrimonij De off. deleg. c. Vno delegatorum, De offic. delegat. lib. 6.* vel ad universitatem causarum, *l. Si uni, aliàs incipit Pomponius & ibi gloss. & Alex. De re iudic.* verùm etiam in ordinarijs Iudicibus, *d. l. cùm magiſtratus Ias. & alij in d. l. Duo ex tribus.* Vt enim omnes sunt Iudices, ita quoque omnes judicare oportet, & quidem præsentes ; non quod in unam sententiam omnes convenire & concordare debeant, sed omnes simul eodem tempore & loco vel consentiendo

sentiendo, vel contradicendo, vel denique declarando, quòd sibi non liqueat, animi sui motum verbis explicare, *d. l. Si uni, l. Duo extribus:* sic quod in hoc articulo præsentia cum taciturnitate non sufficiat, *Signorol. de Homedeis cons.* 104. *Factum sic se habet nu.* 11. *Ioan. de Imola in d. l. Duo ex tribus in princ. & ibi Zasius. nu* 5. Et usque adeò necessaria est hæc omnium personalis præsentia, ut nec absenti liceat vices suas animique sui motum alijs conjudicibus committere, aut ijsdem motum sui animi vel verbo vel scripto explicare, ut sic eo etiam absente certo modo iudicetur, *glossa uls. in d. l. Sicuti, Bart. in d. l. Duo nu.* 4. *& ibi Castr. Ias. n.* 4. *&* 7. *Zas. nu.* 1. Imò quod amplius est, sic in momento ferendæ sententiæ hæc omnium præsentia requiritur, ut non sufficiat ad excusandam, quæ ex hac absentia inducitur, nullitatem, quòd hic, qui in calculo & momento ferendæ sententiæ abest, à principio litis usque ad finem cognitioni causæ præsens interfuerit, si non fuerit quoque præsens in momento ferendæ sententiæ, dum illa ex breviculo recitatur: adeoque non sufficit, quòd is præsens fuerit tunc, cùm Iudices inter se de meritis causæ disputant, & calculum sententiæ seu illius conceptionem ducunt, etiamsi tunc quoque dixerit, quid de causa sentiat; nisi præsens etiam fuerit, dum illa priùs fortè & plurium sententiâ concepta, formaliter pronuntiatur. Neque enim illa sola est ratio, cur hæc præsentia requiratur, quòd absens præsentes in suam sententiam pertrahere potuisset, *d. l. Si in tres*, sed conjunctim hoc quoque, quòd omnes judicare debeant, *d. l. Sicuti, d. l. Duo d. l. Tunc autem*; quod non fit nisi per formalem sententiæ pronuntiationem: cùm alioqui fieri possit, ut qui subducendo sententiæ calculo tempore examinationis & disputationis alios in suam sententiam pertrahere non potuit, id possit in secundo aut tertio conventu, cùm sententia in breviculum redigitur & ex illo recitatur. Quod verissimum esse scribit Bartolus, *in d. l. Duo nu.* 4. reprobata Innocentij contrarium sentientis, *in c. Raynaldus nu.* 1. *De testam.* sententiâ; quam etiam omnes alij secuti Bartolum uno ferè ore damnant, *Io. And. in c.* 2. *De arbitr. lib.* 6. *Panorm. in cap. Causam* 1. *De off. deleg. Ioan. de Imola in d. l. Duo ex tribus & ibi Castr. Cuman. Alexan. Zas. Sebast. Vantius d. tit. nu.* 182. * Atque
3 hinc etiam est, quòd sententia per quosdam in absentia vnius Iudicum lata, non possit per illius ratihabitionem aut postea accedentem consensum validari aut cõfirmari; sive fuerit lata nomine omnium, sive nomine præsentium dumtaxat, *Alberic. d. l. Duo ex tribus, & ibi Ias. nu.* 8. *Zas. n.* 6. Est enim hujusmodi sententia ab initio nulla ipso jure, propter non observatum ordinem judiciarium, qui est de substantia judicij, *Barthol. Brixiens. vener. quæst.* 41. Ita quòd in proposito ad impediendam pronuntiationem sententiæ plus possit unius ex pluribus Iudicibus absentia, quàm aliorum omnium præsentium concordia; idque sine discrimine, an illa absentia sit justa, an improbabilis & injusta; ita ut ad sustinendam sic in absentia unius prolatam sententiam, nihil prosit, si absens citatus aut requisitus contumaciter aut in gratiâ illius, contra quem alij judicare volunt, se absentet, *Zas. in d. l. Duo ex tribus.* Quò refertur cautela, quam Iason *in d. l. Duo*, suggerit illi, qui contrariam sententiam metuit; ut procuret unius ex Iudicibus absentiam.

Verum quidem est, jure Canonico hac in re 4
aliquid innovatum esse, *c.* 2. *De arbit. lib.* 6. in compromissarijs arbitris adversus voluntariam vel malitiosam absentiam quorumdam ex arbitris; ut si aliquis ex electis arbitris ab alijs legitimè requisitus ad examinandum vel definiendum una cum eis negotium non curaverit, cessante impedimento legitimo, convenire, alij præsentes negotium liberè examinare & definire possint, sicut possent eo præsente nec volente cum eis in unam sententiam
concordare. * Sed ea juris transformatio non ex- 5
tenditur ad alios Iudices vel ordinarios vel delegatos, in quibus Pontifex apertè declaravit, *in d. c.* 2. *in fine*, antiqua jura mutare se nolle; ut etiam communi opinione apud Doctores receptum est, *Bart. in d. l. Duo & ibi Ias. nu.* 5. *Castr. Alex. Zasius.*

Ex quibus manifestum sit, hanc sententiam in tam aperta M. Franciſci, præsertim minimè voluntaria nec malitiosa, sed omnium necessaria reipub. causa conceptam & pronuntiatam nullius momenti esse, & ipso jure non valere.

Ad quod vitium avertendum aut expurgandum 6
nihil facit statutum Vniversitatis in hac causa exhibitum, quo cavetur, quòd quinque Iudices Appellationum simul vel major pars ipsorum, omnibus tamen vocatis, causas appellationum à sententijs Rectoris ad ipsos interpositarum definiant; quali statuto extante, aut ad causam plurium delegatione facta communiter receptum est, sententiam non vitiari ob unius aut alterius absentiam, *d. c. Prudentiam De off. deleg. Signorol. d. consil.* 104. *Doct. in d. l. Duo ex tribus*: nam dictum statutum non simpliciter id permittit majori parti, sed conditionaliter, si omnes ad definiendum & pronuntiandum vocati erunt. Iam verò non constat, quòd dictus M. Franciscus ad dictam diem concipiendæ & pronuntiandæ sententiæ aut alium præcedentem aliquem diem vocatus fuerit: imò ex adverso ex deducta tam notoria illius eo tempore absentia constat eum vocatum non fuisse, nec vocari potuisse. Quod dum sibi plurimùm obstare sentiunt Appellantes, asserunt illum vocatum fuisse, ad ipsius domum seu domicilium; sed de ea specie citationis nihil constat ex actis, nec per appellatos ullo genere probationis probatum est. Nam relatio Bedelli apud acta facta, loquitur de convocatis judicibus, non de citatione aut vocatione ad domum facta; ideoque ut illa à falso excusetur, necessariò referenda ad eos, qui tunc præsentes fuerunt, de quibus solis etiam loquitur & intelligi debet assertio Notarij eadem illa die in actis facta, de sententia per Iudices ibidem congregatos lata.

Sed etsi constaret de citatione aut vocatione 7
dicti Magistri Franciſci ad illius domum seu domicilium facta, prout non constat, nihilo validior esset hæc sententia; ob id, quod usus citationis seu vocationis ad domum sit tantùm subsidiarius in casum, quo perquisitione personæ factâ illa inveniri non potest, *l.* 4. §. *Prætor ait. & ibi Bart. De dam. infecto, Canonista in c. Causam quæ De dolo &*

dolo & contum. De hac autem perquisitione non constat ; ut nec de mandato aliorum Iudicum eidem Bedello dato ad faciendam hanc vocationem ad domum; &, si datum fuisset, & secundùm illud citatio ad domum facta , adhuc non sufficeret ; ex quo in omnem eventum non esset facta cum legitimo temporis intervallo,sed eodem illo die,quo alij præcipites festinando proruperunt ad hujus sententiæ pronuntiationem. Ita ut hujusmodi citatio non posset dici legitima , quæ sic facta est, ut non potuerit produci in notitiam dicti M. Franciſci, qui vel se excusare , vel alios ad differendam pronuntiationem hortari poterat, *d. cap. Prudentiam & ibi gloss. De off. deleg.*

Dato etiã, quòd sic in præcipiti,& sine legitimo temporis intervallo unica vocatio ad domum, propter notoriam tunc fortè absentiam M. Franciſci, fieri potuerit; illa tamen in proposito sufficere non debet : ob id, quod per ejusdem Vniversitatis statutum aliud,quod proximè & immediatè præcedit hoc, quod de vocatione loquitur, cautum sit,quòd singuli appellationum Iudices habeant substitutum in causam absentiæ vel impedimenti. Iam verò nullo modo constat vel ad personam vel ad domum citatum fuisse dictum Magistri Franciſci substitutum, per cujus præsentiam vel contumacem absentiam sententia hæc ab hoc vitio nullitatis præservari poterat.

8 Nec sanè debebant dicti alij quatuor præsentes Iudices has partes sic sibi temerè vel imperitè usurpare , non exspectato reditu dicti Magistri Franciſci , vel non vocato illius substituto, per hoc quod pars appellata dicit, quòd Magister Franciſcus ad ipsos miserit judicium suum super hujusmodi causa scripto comprehensum , illudque exhibitum & ostensum fuisse ante sententiæ pronuntiationem : nam de hujusmodi appellatorum allegatione , & præsertim de eo, quòd hujusmodi scriptum per dictos quatuor Iudices lectum aut expensum fuerit , non satis constat , & si constaret, nihil ad sustinendam hanc sententiam faceret ; ob id , quòd, ut superiùs satis dictum est, hujusmodi scripti transmissio non suppleat absentis absentiã, nec eum repræsentet. Personalis enim & realis omninò esse debet , non imaginaria , aut repræsentata, quæ in hoc articulo requiritur præsentia;cùm nec hoc sufficere dictum sit, quòd absens alijs præsentibus vices suas mandaverit , aut animi sui motum declaraverit , vel commiserit, *gloss. in d. l. Sicuti*, Ias. Zas & alij *in d. l.* Duo. Plurimùm enim interest inter judicium scriptum , quod contradictioni præsentium respondere nequit , & personæ præsentiam , per quam præsens præsentem in suam sententiam discussis causis & rationibus contradictionis pertrahere potest. Quò respiciunt leges & Canones , cùm omnium Iudicum præsentiam requirunt, *d. l. Si in tres.*

Quia igitur neque juris communis , neque dicti statuti forma in hujus sententiæ pronuntiatione observata est; nulla est dubitatio , quin dicta sententia per omnia laboret vitio nullitatis. Quâ nullitate sic constitutâ consequitur, quòd sententia Magnifici D. Rectoris per lapsum temporum fatalium transierit in rem judicatam : cùm enim hi quatuor Iudices sic nulliter sententiando reputentur nihil egisse , *d. cap. Prudentiam*, non potest appellatio à sententia Domini Rectoris ad dictos Iudeces interposita non dici desecta , quæ intra fatalia juris fidem per pronuntiationem validæ alicuius sententiæ terminata non reperitur ; lapsum enim iam est ex die latæ illius sententiæ plusquam totum biennium,postquod nec reparationis,nec ulterioris profecutionis est remedium,nec ulla retractationis potestas, *Authen. ei qui appellat. C. De temp. appel. c. Cum sit Romana De appell.*

Semotâ quoque consideratione hujuscemodi nullitatis dictæ sententiæ , & præsupposito, quòd ritè quoad formam esset lata , manet & perdurat illius retractandæ necessitas ex capite iniquitatis & injustitiæ,quatenus per illam Magister Ioannes originalis Reus condemnatus est ad Actoribus restituendum bona in prima instantia petita. Ad cujus iniquitatis demonstrationem illa meritò sufficere debent , quæ latius & operosiùs in prima instantia pro fundanda absolutione Rei evidentissimis rationibus deduximus , *cons.* 365. & 366. *infrà*: & illud præsertim, quòd hæc donatio, de cujus revocatione agitur, fuerit donatio merè & absolutè inter vivos , & minimè mortis causa : ex cujus articuli resolutione in alterutram partem dependet hujus causæ decisio.

Actores donationem mortis causa esse volunt, 9
ut , eâ specie donationis constitutâ , dispositio de his bonis per testatorem in ultima voluntate facta, etiamsi in causam caduci venerit , & effectum sortita non sit , inducat vim & effectum perpetuæ revocationis ad utilitatem , non Magistri Ioannis donatarij , sed hæredum dicti testatoris , *l. Plane in princ.* D. De leg. 1. *l. Etsi transferam* De adimen legat. Contrà , qui pro Magistro Ioanne appellante stant evidentioribus , & irrefragibilibus rationibus donationem inter vivos esse contendunt ; ut illa donatoris dispositio propter caducitatem illius non inducat efficacem & absolutam aliquam donatorum fundorum revocationem , sed ab initio conditionalem tantùm , si testamentum effectum sortietur, *l. Cum quis decedens* §. *pater De leg.* 3. *l.* 1. §. *pro secundo* C. De cad. toll. Paria quippe censenda sunt, non disposuisse , & dispositum non perdurare aut effectum non habere , Paul. Castrens. *cons.* 161 *Viso puncto vers. secundo allegatur vol.* 1. 01

Pro donatione inter vivos stant formalia verba , quibus donatio hæc facta est , idque geminatis verbis vernaculâ & Latinâ linguâ. Nullum enim certius indubitabiliusque discernendæ donationis, an sit inter vivos , an mortis causa est, signum vel argumentum , quàm quod indubitatè colligitur & deprehenditur ex verbis, quibus donator in donando usus est ; quia ex verbis colligitur intentio loquentis , ultra quam actus agentis aliud operari non debet, *l. Labeo* De *suppel. legata l. Non omnis Si cert. petat.* nisi expressè de alia loquentis intentione aliundè constet. Et hoc est, quod Alexander consulendo respondit , *cons.* 78. *Visis quam elegantes vol.* 4. *nu.* 1. quòd adiectio horum verborum, *inter vivos* , tollat omnia fundamenta & jura , quæ propter adiecta alia verba ex adverso inducuntur: ita ut in proposito genus seu speciem donationis nullo modo mutet reservatio ususfructus & liberæ dispositionis, quæ cum donatione inter vivos

stare

stare potest, nec est planè contra naturam illius, etiamsi aliquo modo illius communem naturam & conditiones excedat, *d. §. pater.*

11 Quod autem ex adverso tantoperè urgetur, & in quo solo Appellati fundamentum ac spem ad constituendam donationem mortis causa collocant ex responso Martiani, *in l. Vbi ita donatur D. De mor. caus. donat.* ad hanc speciem, de quâ hic agitur, applicari non posse, in priore nostra Consultatione satis deduximus: non enim convertibiliter in utraque specie donationis constitui potest, ut quod in donatione, quæ mortis causa fieri dicitur, etiam fiat in donatione, quæ inter vivos expressis verbis fieri dicitur; hoc est, ut donatio inter vivos est, si donationi, quæ mortis causa fieri dicitur, adjiciatur pactum, *quòd nullo casu revocari possit, d. l. Vbi ita donatur*: ita quoque sit donatio mortis causa, quæ verbis expressis inter vivos fit, si illi adjiciatur pactum *liberæ dispositionis*, aut facultas *quandocumque velit donator, illam revocandi*: † Nam etsi
12 ex sua genuina natura donatio inter vivos sit irrevocabilis, ex informante tamen non transformante pacto revocabilis effici potest, *l. 1. & seq. C. De donat. quæ sub modo*, ut ex indubitato Scævolæ Iurisconsulti responso demonstratum est, *in d. §. pater*. Quod qui aliter accipit, aut quoquo modo ad donationem mortis causa detorquet, sensum & intellectum juris se non habere demonstrat: nisi enim in specie illius responsi constituatur & retineatur species meræ donationis inter vivos, nec potest illius divisio, nec tanti Iureconsulti subtile & æquitatis plenum acumen & definitio subsistere; cui sine ulla hæsitatione facillimum erat respondere in casu ibi proposito legatum valere, si in eo constitui potuisset species donationis mortis causa. Quò pertinet quod in dubitabilioribus terminis tradidit Andreas Barbatia, *in c. Relatum 1. nu. 28. De testam.* quod si quis in actu testandi seu ultimæ voluntatis alicui præsenti & acceptanti donet aliquid inter vivos, *salvo & reservato quod de re donata liberè possit testari*, hujusmodi donatio valeat, ut donatio inter vivos, quæ per nudam pœnitentiam, aut per aliam viam revocari non possit, nisi per testamentariam dispositionem sic pacto reservatam, quæ effectum sortiatur; quod dici non posset, si reservatio liberæ dispositionis deflecteret aut transformaret hanc donationem in donationem mortis causa, quæ pluribus modis per se revocabilis est aliter quàm per testamentariam dispositionem. Quod si ita est in donatione facta in actu testandi, qui sine causa & cogitatione mortis explicari non potest, & per se regulariter revocabilis est, *l. Si quis in princ. D. De leg. 3.* multò magis id constituendum in donatione, quæ fit extra actum testandi sine ulla mortis mentione vel cogitatione, cum formali expressione *quòd fiat inter vivos*, ut est in proposito casu. Et sanè qui adhibitâ diligentiâ percurrit commentarios Doctorum ad dictum Martiani responsum, *in d. l. Vbi ita donatur*, non inveniet à quoquam è converso hoc quoque traditum aut decisum, quòd donatio inter vivos transformetur vel convertatur in donationem mortis causa, propter adiectam reservationem liberæ dispositionis aut etiam potestatis quandocumque revocandi, vt donatio mortis causâ facta transfunditur in donationem inter vivos propter adiectionem irrevocabilitatis, *d. l. Vbi ita donatur*. Quam tamen quæstionem Interpretes prætermissuri non erant, si Iureconsulto digna fuisset, aut dubitationem aliquam probabilem perinde ut donatio mortis causa habuisset.

Persistendum itaque in eo dicimus, per dispositionem testamentariam donatoris, quæ in causam caduci venit, propter mortem legatariorum contingentem ante mortem ejusdem donatoris, nullâ ratione revocatam, resolutam, aut extinctam esse hanc, de quâ hic quæritur, donationem, sed adhuc firmam stare, & ex illa hos controversos fundos ad Magistrum Ioannem donatarium, non ad Actores ut hæredes Guilielmi donatoris pertinere: meritoque ob id & juste Appellantem in prima instantia fuisse absolutum; injustè verò & temerè per dictos Iudices retractata Domini Rectoris sententia ad illorum fundorum restitutionem condemnatum; & ob id bono jure ab ea condemnatione in eventum cessantis nullitatis appellatum; sic quod officium Venerabilis Domini Iudicis Apostolici sit hanc sententiam dictorum Iudicum, si quæ sit, retractare, & Domini Rectoris sententiam confirmare; parte quæ nunc appellata est in expensis omnium trium instantiarum condemnata.

De sententia & rejudicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas ob omissum consilium Iureconsulti.

1. *Monitorium comparente adversario resolvitur in simplicem citationem.*
2. *Appellationi pacto etiam in futurum renuntiare licet.*
3. *Appellandi potestas per iudicem tolli non potest.*
4. *Nullitas semper proponi potest.*
5. *Nullitas sententiæ coram eodem vel superiore iudice proponi potest.*
6. *Sententiam suam quando iudex revocare possit.*
7. *Sententia ex breviculo recitari debet.*
8. *Sententia etiam ex consilij requisitione lata recitari debet.*
9. *Consilium sapientis pro ferenda sententia quid sit.*
10. *Iudex à consilio sapientis recedere potest.*
11. *Iniquitas manifesta operatur nullitatem sententiæ.*
12. *Sententia posterior priori contraria non valet.*
13. *Prælationem & hypothecæ ius an habeat dos quæ verè numerata non probatur.*
14. *Exceptio non numeratæ dotis perpetua quando sit.*
15. *Fenda an obligentur pro dote aut dotalitio lucro.*

CONSILIVM CLIIII.

QVAMVIS speremus exspectationi Illustrissimi ac Reverendissimi D. Archiepiscopi Magdeburgensis Primatis in Germania abundè nos respondere posse, si ad exemplum eorum, qui in hac ardua causa ac lite inter Nobilem Virum Levinum van Halle Actorem, & Dominam Gertrudem vanden Bosche viduam Gasparis Crachts Ream, varijs dissidentibusque inter se sententijs nunc aliquoties determinata, de consilio requisiti sententiam suam scripto transmiserunt, sententiæ nostræ quoque simplicem nudamque pronuntiationem, nullis

rationibus & juris demonstrationibus instructam transmitteremus; ut tamen integritatis ac diligentiæ nostræ fidem faciamus, & cur judicium Scabinorum Hallensium magis, quàm Curiæ Saxonicæ in Wirtemberga, & Iuridicæ Facultatis in alma Vniversitate Lipsiensi sequamur, demonstremus, volumus sententiæ nostræ rationes brevi, sed tamen quantum fieri potest dilucidâ deductione in unum conijcere; non quidem ut hac deductione processus instruatur, aut partibus illius exemplum vel lectio permittatur, sed ut extra acta pro judicantium memoria retineatur.

Principiò itaq; priusquâ ad justificationem sententiæ nostræ perveniamus; removenda sunt quædam, quæ impedimentum facere videbantur, quò minus ad priorum retractationem & hujus novissimæ sententiæ pronuntiationem perveniri possit. Et primum quidem est, quod Actori intentionis suæ obtinendæ & retinendæ materiam subministrare, & ulterioris cognitionis occasionem avertere videtur, quòd in primo totius hujus processus termino & recessu decretum fuerit, Actorem post terminum quinque mensium, mittendum esse in possessionem Castri de Attensleven, datâ Reæ potestate interea docendi de potiore suo jure, & quòd ex actis non videatur apparere Ream intra illum terminum defensiones suas peregisse. Sed nihil movet ea consideratio, neque eam refricuissemus, nisi ex scripturis Actoris invenissemus, Actorem in ea allegatione persistisse, & spem magnam collocare. Non movet autem, ob id, quòd non tam Actoris quàm Reæ gratiâ is terminus sit præscriptus; ut interea de jure suo docere posset, & taciturnitatis ac silentij pœnam, nisi lapso hoc termino, non pateretur. Cùm itaque Rea ante lapsum duorum priorum mensium, jus suum proposuerit, ac instrumenta exhibuerit, planè interrupta ac præscissa fuit missionis concessio. Neque ad rem pertinet, quod intra quintum mensem cognitio absoluta non fuerit: evenit enim id magis culpa Actoris, quàm Reæ; cùm ipse multiplicatione scripturarum judicij conflictum longiùs produxerit, & Reæ ad singula scribendi ansam dederit. Quamvis etiam nullâ culpâ Actoris interveniente, ex prima propositione & defensionis allegatione pro parte Reæ facta, effectus dicti decreti missionis fuerit sublatus aut saltem impeditus. * Habet enim dictum decretum vim & potestatem monitorij, quod comparente & defensiones proponente monito, resolvitur in simplicem citationem, *Ang. Aretin. in §. curare Inst. De action. Doct. in l. Filiusfam. §. divi Delg. 1.* De quo hic nihil dubitandum est; cum in eodem recessus decreto apertè declaratum sit, quod Rea defensiones suas proponente, Illustrissimus D. Archiepiscopus pronuntiaturus sit de jure partium; atque ita vim vel exceptionem rei judicatæ non potest Actor constituere in eo monitorio decreto.

Secundum impedimentum verso velo constituit Rea in consilio reddito per Consiliarios Curiæ Saxonicæ in Wirtemberga; idque duplex. Primò, quod in dicto recessu declaratum sit, quòd partes bona fide & sine fraude acquiescent pronuntiationi Illustrissimi Domini Archiepiscopi. † Est enim indubitati juris, valere pactionem utriusque vel alterutrius litigantium, quòd sententiæ stabitur, seu quod ab ea non provocabitur, *l. 1. §. si quis ante D. Quib. appell. non lic. l. ult §. fin. C. De temp. appellat. l. Tale pactum D. De pactis.* Secundò, quòd Actor intra decendium ab eâ non provocaverit, & sic sententia transierit in rem judicatam; adversus quam posterior sententia sine vitio nullitatis nulla ferri potuerit, *l. 1. Cod. Quando provoc. non est necesse.* Sed nec hæ duæ causæ posteriori cognitioni viam præcludunt: nam nulla extat vel utriusque vel alterutrius harum partium litigantium futuræ appellationis renuntiatio, aut formalis promissio de stando ac acquiescendo sententiæ; † & quatenus ea declaratio ab Illustrissimo D. Archiepiscopo seu ejus Concilio facta est, juris adminiculo destituitur; cùm per Iudicem, qui superiorem recognoscit, fieri nequeat, quò minùs ab ejus sententia provocetur, *l. Et in maioribus cum l. seq. l. Iudicibus C. De appell.* & ne rescripto quidem Principis tolli possit provocandi potestas, *l. 2. C. De appellat.* hic præsertim, ubi nominatim & expressim non est exclusa provocandi potestas, sed tantùm declaratum, quòd partes acquiescent: quod intelligimus cum ea moderatione, si non ab ea provocetur; ut scilicet ijs verbis magis prospectum videatur adversus ea, quæ de facto attentari utrimque possent, quàm ut juris communis remedium sublatum censeatur. Et sanè si tam rigida & præcisa esset eorum verborum significatio, ut iis appellandi potestas præriperetur, nihilomagis inde impedimentum posteriori cognitioni fieri potuisset: habent enim adjunctam expressam conditionem, quòd Illustrissimus D. Archiepiscopus pronuntiaturus esset de jure partium. Iam verò ex actis non apparet, Illustrissimum D. Archiepiscopum aut ejus Concilium aliquam sententiam inter has partes pronuntiasse; sed productam & apertam tantùm esse opinionem Consiliariorum Curiæ Saxonicæ in Wirtemberga, de quâ in prætacto recessu nulla est mentio. † Posterior quoque causa de non interposita provocationis seu appellatione intra decendium pro parte Actoris, uti de jure oportet, *in auth. De appel. & intra quæ tempora coll. 4.* locum hîc non habet: non enim per viam appellationis sed nullitatis ad novam & reiteratam cognitionem coram eodem Iudice ordinario jus suum deduxit Actor, quod jure permissum est, non tantùm intra decendium, sed perpetuò usque ad triginta annos, *Glos. l. Querela C. Ad leg. Corn. De falsi. Spec. in tit. De sent. §. quoniam vers. in summa, Bald. in l. scire oportet §. fin. De excusat. tut.* nam nullitas non habet aliquod tempus præfixum à jure, nisi quod omnibus personalibus actionibus præscriptum est, *Salic. in l. Præses vers. ulterius C. Quomodo & quando, Alex. cons. 59. Viso titulo nu. 15. vol. 4.*

* & perinde proponi potest coram eodem Iudice ac coram superiore, ad quem alioqui appellatio vel nullitatis propositio devolveretur, *Ioan. Imola in l. Si iudex De re iud. Felin in c. Per tuas De sent. excommunic. & in c. In literis De off. deleg.* Potest namque ordinarius reformare sententiam suam definitivam nulliter prolatam, ex quo per pronuntiationem sententiæ, quæ nulla est, ejus officium & jurisdictio non exspiraverint, *l. Si ut proponis 11. & ibi glos. & Bald. C. Quomodo & quando iud. &c.* Quare autem nulla dici debeat sententia Wirtembergensium

gensium paulò post dicemus ad justificationis capita.

6 Tertiò impedimentum facere videtur postrema Doctorum Lipsiensium sententia, quæ etiam nullâ provocatione suspensa effectum rei judicatæ obtinuisse videtur; & hic quidem ut posteriore aliquâ contrariâ revocari aut mutari nequeat, cùm id Judici, postquam officio suo functus est, non permittatur, *l. Iudex posteaquam* D. *De re iudic.* Sed eadem consideratio, quæ secundum impedimentum tollit, propositio scilicet nullitatis, removebit quoque hoc tertium; ob id, quòd hæc Lipsiensium sententia vitio nullitatis laboret, ut jam mox dicemus.

Progredientes itaque ad opinionis & sententiæ nostræ justificationem, & singula capita illius obiter perstringentes, rectè in primis arbitramur, sententiam Consiliariorum Curiæ Saxonicæ in Wirtemberga nullitatis vitio subjici, duabus ex causis:

† Alterâ, quæ manifesta est & ultrò sese offert,
7 quòd ea sententia numquam publicata, pronuntiata, seu lecta fuerit per Illustrissimum Dominum Archiepiscopum, aut aliquem ex Consiliarijs, sed opinionis dictorum Consiliariorum exemplum seu documentum tantùm in judicio fuerit apertum. Est autem juris manifesti, quòd sententia definitiva ex breviculo seu scripti recitatione per Iudicem pro tribunali sedentem vivâ voce pronuntiari debeat, nec satis sit, ad nullitatis vitium effugiendum, eam scriptam esse, si ex scripto non pronuntietur; vel pronuntiatam, si antè scripta non
8 sit, *l.* 1. 2. & 3. C. *De sent. ex brevic. recit.* hic ut per Iudicem, qui hanc formam omisit, ex integro judicandum sit, *l.* 1. C. *d. tit.* † Quod non tantùm obtinet in sententia, quam suo judicio & prudentia Iudex conscripsit; verùm etiam in consilij requisitione, ubi consultis peritioribus sententia profertur: debet enim eo etiam casu non tantùm aperiri consilium à Iudice, sed etiam vivâ voce pronuntiari & legi, *Bald. in l.* 1. *nu.* 17. C. *d. tit.* aut saltem aliquod verbum per Iudicem, qui consuluit, proferri, per quod constet, quod secundùm consilium jus dixerit, hoc est absolverit vel condemnaverit, *Alex. cons.* 185. *Viso titulo nu.* 28. *vol.* 2. Ita ut quamvis non sit necesse legere totum consilium, relatio tamen fieri debeat aliquibus verbis ad consilium, ex quibus constet Iudicem secundùm illud sententiam voluisse pronuntiare, *Bald. d. nu.* 17. *late Iaf. in l. Nec quicquam* §. *ubi decretum* De *off. proconf. Felin. in* C. *cum venerabilis* De *except. & in cap. Si pro debilitate* De *off. deleg.* Et hoc est, quod eleganter respondit Angelus, *cons.* 250. *Domina Liberina nu.* 3. *in fine*, quòd, licet consilium aperiatur tantùm, nec recitetur formaliter vel implicitè per relationem, non mereatur nomen sententiæ, sed ab ea, nomine, sub-
9 stantiâ, & naturâ differat: * est enim consilium nil aliud quàm concepta & in scriptis redacta velut rudis, inanimata, & informis materia, cui demùm ex pronuntiatione Iudicis velut spiritus &
10 anima inspiratur. * Quod ex eo perspici potest, quòd liberum sit Iudici consulenti recedere à consilio, & aliter quàm in eo continetur pronuntiare, *Bart. in l.* 1. D. *Nil. novan. &c. Alex. & Iaf. in l. Si convenerit* De *re iudic.* Quod cùm fieri nequeat, nisi aperto, & saltem extra formam judicij & sententiæ lecto consilio, sequitur aperturam consilij non habere auctoritatem & vim sententiæ, sed usque ad pronuntiationem esse consulentis opinionem & sententiam, qui causæ Iudex competens non est, *l.* 1. C. *Si à non competen. iud.* Unde etiam factum, quòd hoc errore animadverso, sequentes sententiæ non sola apertura consilij, sed illius apertura & publicatione latæ fuerint. Quod tantò potentius hîc dici potest, quòd opinio Wirtembergensium in forma sententiæ, ut alia sequentia consilia, redacta non fuerit, sed tantùm per eos suggestum quid pronuntiari deberet; quod factum non est.

Alteram nullitatis causam adfert hujusmodi 11
sententiæ nimis evidens iniquitas, quæ perinde nullitatem, ut defectus formæ vel error juris, parere solet, etiamsi non tam sit contra jus constitutionis quàm partis; quia manifesta iniquitas seu injustitia reddit sententiam nullam, *not. in c. Inter cæteras De sent. & re iudic. in l. Si pars & ibi Ang. De inoff. test. Bald. in l.* 1. *in fin.* C. *Sent. rescin. non posse, Decius cons.* 8. *Viso puncto nu.* 5. & obstat quo minùs sententia tranſeat in rem judicatam, *Franc. Curtius Iunior consil.* 124. *Sacratissimæ nu.* 14. *parte* 2. evidens autem & manifesta iniquitas est, quæ elucescit vel apparet ex actorum inspectione, *Ang. in d. l. Si pars, Curtius iunior cons.* 170. *Sacratissimæ nu.* 8. Cùm igitur ex collatione duorum instrumentorum, hoc est contractus antenuptialis, quem Rea exhibuit, & numeratione quinque millium florenorum, quo Actor utitur, constet evidenter iniquum esse, Actorem declarari majoris summæ debitorem, quàm continet instrumentum; & præterea ratio non patiatur (ut mox dicemus) jus prælationis ei simpliciter adjudicari, quæ non ex numeratione seu confessione sed promissione dotis in futurum numerandæ tantùm agit, existimamus bonâ ratione per posteriorem cognitionem exactiùs adhibitam tantam nullitatem ex notoria iniquitate exurgentem, meritò & jure per eundem etiam Iudicem emendari posse.

In pari causa dubitatis nullitatis constituimus sententiam Doctorum Lipsiensium: nam etsi non sit simplex illius facta apertura, ut in sententia Wirtembergensium, sed fortè exactior observatio, eodem tamen evidentis & manifestæ iniquitatis vitio laborat, quo consilium Wirtembergensium; quia ijsdem finibus & medijs consistit, † & in 12
illa alterum sese prodit nullitatis vitium, quòd præcedenti sententiæ ex consilio Scabinorum Hallensium latæ, & à qua ad superiorem aliquem provocatum non reperitur, ex diametro repugnet; cùm, ut diximus, sententia posterior contraria priori, quæ in rem transivit judicatam, sit ipso jure nulla, *l.* 1. C. *Quæ sent. sine appel. rescin.* & non sit permissum Iudici sententiam propriam, quæ ipso jure nulla non est, mutare vel emendare, *l. Iudex posteaquam* D. *De re iudic.*

Alterum membrum sententiæ nostræ, quæ principalis negotij definitionē continet, manifestam justitiæ habet rationem. Nam inprimis quod ad probationem constringendam esse Ream consuluerimus, eò nos impellit hæc consideratio, * 13
quòd privilegium prælationis mereatur demùm dotis vera numeratio, non promissio, *l. Assiduis* C. *Qui portiores in pignor.* cùm & plerique dubitent, *Imol. in l. Stipulatus* §. *Chrysogonus De verb. oblig. Lud. Rom. cons.*

cons. 445. an confessioni de dote recepta hoc privilegium competat, & an secutâ etiam verâ numeratione jus tacitæ hypothecæ & prælationis incipiat ex die promissionis, *gloss. d. l. Assiduis.* Quamvis enim lapsis temporibus exceptionis de non numerata dote, mulier certum & irrevocabile privilegium hypothecæ habeat in bonis mariti, & eo respectu etiam creditoribus posterioribus præjudicetur, *l. si cui* C. *De non num. pec. gloss. d. l. Assiduis*; non præjudicatur tamen quoad jus prælationis, si constante matrimonio confessio mariti de recepta dote emanavit, *late Did. Covar. Var. resol. lib. 1. cap. 7.* Quantò igitur minùs dubitandum, quin nullum hujusmodi privilegium competat mulieri, quæ de dote dumtaxat cavit & promisit? de implemento enim priùs ipsa docere debet, quàm propter implementum agere, *l. Iulianus §. offerri De act. empti*; Cùm petitio donationis propter nuptias, seu sponsalitia largitas à receptione dotis dependeat; †
14 sic ut hac consideratione exceptio non numeratæ dotis sit perpetua adversus agentem, propter promissionem dotis, de cujus implemento non constat. Neque enim ulla in actis extat scriptura aut documentum, unde præsumptio solutæ dotis duci possit: quinimò instrumentum transactionis inter Ream & fratrem prioris sui mariti præsumptionem adfert potiùs in contrarium de dote non soluta: nam præter quàm quòd contineat promissionem de futuro, illius quoque apertam significationem facit, patrem Dominæ Gertrudis eo tempore nondum solvisse totam dotem, quam priori ejus marito addixerat, ut ideò perinde ac forte magis proclive sit, præsumere dotem potiùs non esse solutam, quàm solutam: Quid enim vetat easdem moras & in hoc matrimonio fuisse injectas?

15 Illud porrò admonemus, in actis præsupponi consuetudinem, quòd in Germania etiam bona feudalia inter nobiles, pro dotalitio lucro & tacitè & expressè obligari possint; ex qua etiam factum putamus, quòd communi calculo tam Hallenses Scabini, quàm Consiliarij Saxonici ac Doctores Lipsienses Dominæ Gertrudi jus hypothecæ in castro de Attensleven attribuerint, & omnes cum privilegio prælationis; licet hi simpliciter, illi cùm numeratio probata fuerit: de qua consuetudine idcirco Illustrissimus Dominus Archiepiscopus & Clarissimi Domini Consiliarij religionem suam instruere debebunt. Alioqui sanè ea cessante ne jus quidem hypothecæ, multò minùs cum jure prælationis, dictæ Dominæ Gertrudi tribuendum esse putaremus: communi enim opinione adversus Bartolum, *in l. Si constante D. Soluto matrim. in 3. quæst.* receptum est, neque expressè neque tacitè pro dotis restitutione, & sic multò minus pro dotalitio lucro bona mariti feudalia esse obligata, *Ioan. Imola in d. l. si constante & ibi Lud. Rom. Io.m. Croni nu.* 136. *& Baldus Novellus nu.* 7. *Las. in l. fin. nu.* 64. *C. De iure emphyt. Ant. Negusantius in tract. De pign. 2. parte prim. secundo membro nu.* 43. quia feuda ut alienari, ita quoque obligari & pignori dari prohibentur, *c. Imperialem De prohib. feud. alien. per Fred.*

Postremò hoc à Clarissimis Dominis expendi cupimus, non sine evidenti ratione nos in formula sententiæ nostræ consuluisse, per sententiâ seu decretum Curiæ declarandum ac pronuntiandum esse, quòd persistendum sit in sententia ex consilio Scabinorum Hallensium lata. (ita enim accipimus illa Germanica verba, Eröffnet vnd publiciret, hoc est, *aperta & publicata*; quasi viva voce in Curia Dominorum, partibus seu eorum procuratoribus præsentibus, illa sententia sit pronuntiata formaliter, aut saltè paucis verbis relatione ad eam scripturam facta) Potest enim Iudex à partibus sententiam latam obturbantibus interpellatus, decernere sententiæ latæ acquiescendum, & in ea persistendum, nec cogitur irequenter eâdem de re etiam conformiter sententiam formaliter pronuntiare. Proinde si in intellectu eorum verborum fortè aberramus, hoc est, si non nisi aperta fuit sententia Hallensium, & sic partibus sine ulla pronuntiatione exhibita, arbitramur pro his verbis, *quod persistendum sit in sententia ex consilio Scabinorum Iustitiæ Hallensis*, substituenda esse hæc verba, *Quemadmodum Domini Scabini Iustitiæ Hallensis etiam pronuntiandum esse censuerunt.* Consuluimus enim eo casu, ut secundùm consilium nostrum Domini Consiliarij formalem sententiam conficiant in scriptis, & eam vel Illustrissimus Dominus Archiepiscopus, vel aliquis de Concilio ex ipsius mandato & scripti recitatione pronuntiet; verendum alioqui est, nè perpetuò submministretur materia & occasio dicendi de nullitate sententiarum. Et hæc quidem omnia sub correctione Illustrissimi Domini Archiepiscopi ac eius amplissimi Concilij.

De sententia & rejudicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ nullitas ob illius præcipitationem.

1. *Præcipitatio est noverca iustitiæ.*
2. 4. *Sententia nulla est quæ per præcipitationem lata.*
3. *Præcipitatio sententiæ unde præsumatur.*
5. *Conclusio in causa necessaria.*
6. *Citari non debet qui funus ducit.*
7. *Funus ducere quis dicatur.*
8. *Probrum more civitatis accipitur.*
9. *Interventio illius cuius interest admitti debet.*
10. *Fideiussor conventus potest Reum principalem exhibere.*
11. *Hæres fideiussoris defuncti ante celebratas exequias in ius trahi non debet.*

CONSILIVM CLV.

PROVERBIVM est, catulum festinantem cœcos parere catulos: id quod evenisse evidenter percipitur in prolatione sententiæ, quam nuper duo ex tribus conjunctim à Sede Apostolica deputatis judicibus tulerunt inter Reverendum Dominum Abbatem Echternacensem Præpositum in Mersen Actorem, & Laurentium Remigij Reum, † quippe præcipitatio 1
judicij aciem perstringit, mentisque cæcitatem inducit; cùm ex iniquitatis fonte progrediatur omnis præcipitatio, *c. Inter hæc 1. vers. lenta virtus De pœnit. dist.* 3. Vnde etiam est, quòd in his actibus, qui ex legis præscripto maturitatem judicij seu consilij, & antecedentem deliberationem requirunt

runt (qualis procul dubio est sententiæ in judicijs dictio & pronuntiatio, *l. 2. C. De sent. ex brevic. recitan.*) præcipatatio & nimia festinatio, pro dolo præsumpto & eversione justitiæ habeatur, & præcipitatio judicantis noverca justitiæ dicatur, *Clem. Pastoralis §. verum De sent. & re judic.* Vt enim noverca in privignos plerumque sævire solet; ita præcipitantis Iudicis voluntas in justitiam, juxta illud,

Gaudet in afflictos sævire noverca potestas,

ut id latiùs prosequitur Felinus, *in c. Ecclesia S. Mariæ nu. 35 De constit.* * Vnde & in jure receptum 2
est, quòd sententia per præcipitationem lata sit ipso jure nulla; quia nimirum censetur & præsumitur sine cognitione & deliberatione lata, *Bart. in l. Prolatam in fin. Cod. De sent. & interloc. & in l. Ex stipulat. C. eod. tit. Sebast. Vant. De nullitat. sent. ex defectu processus nu. 30.* Etsi enim in dubio pro sententia præsumatur & quòd cum causæ cognitione justè sit prolata, *l. Ab ea parte in fine De probat. And. Alciat. De præsumpt. regul. 3. c. 10.* cessat tamen ea præsumptio, ubi præcipitatio & cæca festinatio intercurrit, *Iason in l. 2. nu. 15. C. De edendo.*

3 Quæ præcipitatio indubitate probatur ex brevitate temporis, quod inter peroratam seu conclusam causam, & tempus latæ sententiæ intercedit, vel lapsum est ab eo, quo acta ad manus Iudicis posita sunt; ita ut non sit verosimile intra illud Iudicem potuisse cum aliqua maturitate acta legisse aut expendisse, & cuncta, quæ in illa obversantur, rimatum ac ruminatum esse. Quæ temporis brevitas apertè deprehenditur in expeditione sententiæ, de cujus nullitate nunc agitur: quippe hoc ex actorum inspectione constat, hanc causam numquam ritè concluſam fuisse, & non concluſam delatam ad Iurisperitos pro instructione Dom. Deputatorum: quibus Iurisperitis relictum non fuit idoneum tempus ad hujusmodi acta utriusque causæ (quæ magna sunt) legenda, multò minùs excutienda, sed (ut festinanti brevissima mora longa) præcipitationem suam occultare non valentes hujus sententiæ auctores, acta dictis Iurisperitis sine ulla relatione aut instructione eripuerunt, nihilque veriti sunt (ut cæca cupiditas & festinatio verecundiam non habent) eodem die Petro Remigij, filio dicti Laurentij, jam tunc recenter mortui, diem dicere, non ad hoc tantùm, ut sequenti die veniret ad audiendum sententiam definitivam, sed ad hoc quoque, ad audiendum ab ejus parte adversa peti executionem ferendę hujusmodi sententiæ. Quid quæso hoc est aliud, quàm festinare, præcipitare, & proruere; imò adhuc plusquam præcipitare; hoc est, antè animo concipere sententiam, quàm saccus aut volumen actorum aperiatur? Neque enim potest dici dictos Deputatos antea aliquam operam impendisse legendis vel excutiendis actis; cùm post exhibitam partis adversæ ultimam scripturam dictus Laurentius in gravem morbum inciderit, & ex eo etiam septimo deinde die decesserit; ita ut ex investigatione temporis ad oculum deprehendatur, nullum idoneum tempus fuisse vel unius integri diei, quo hæc acta integra legi, multò minùs excuti potuerint. Nam dicere, illa fuisse lecta aliquo anteriore tempore, ut non est verosimile, ita & præcipitationis & pronuntiandi contra Laurentium seu eius filium subministrat argumentum, adeò ut rectè his Iudicibus applicari possit, quod Doctores, *Gemin. in c. Ponderet dist. 50. Alex. cons. 123. Scripsit Ecclesiasticus nu. 24. vol. 4. Felin in d. c. Ecclesia nu. 35. Sebast. Vant. d. tit. nu. 35.* tradunt de Iudicibus, quibus de mane mittitur processus, & de serò seu vesperi vel altero die jus ex illo dicunt. Quinimò etiam longius tempus, quod actorum magnitudini non respondet, pro brevi in hoc articulo habetur: usque adeò, ut Innocentius tertius Pontifex, *in c. Tum ex literis De rest. in integ.* reprehenderit prædecessoris sui Eugenij tertij sententiam, in primo mense sui Pontificatus latam, redarguens eum, quòd de causa, de qua ibi agitur, plenè instructus non fuerit, ob brevitatę temporis;

* nam inde colligunt Interpretes etiam à Papa 4
vel Imperatore præcipitanter, hoc est in brevitate temporis latam sententiam ipso jure esse nullam, *Sebast. Vant. d. nu. 35.* Multò igitur magis id obtinere debet in inferioribus, & maximè in Iudicibus juris imperitis, qui nec juris ordinem sciunt, nec æquitatis compositas rationes habent. Vnde etiam fit, ut sæpè sententiæ annullentur, & ijs annullatis partes ad novam ordinariam causæ disceptationę remittantur, quando ex præcipitatione nullitatis vitium elucet; † videlicet quòd causa non concluſa ad calculum sententiæ Iudices prosiluerint; concluſio etenim in causa pars judicij substantialis est, *c. Auditis De procurat. c. Pastoralis De causa poss. & propriet. c. Cum dilecti, De fide instrum.*

Itaque præcipitatio, & quæ inde resultat evi- 5
dens nullitas commissa fuit, quando non reportatis omnibus instrumentis, nec facto & signato inventario omnium in causa exhibitorum instrumentorum, dicti deputati Iudices causam calculo sententiæ subiecerunt, nec dicto Petro idoneas aut sufficientes inducias id faciendi concesserunt, sed præcipiti festinatione ad id faciendum intra brevissimum tempus cogere voluerunt; tunc præsertim, cùm idem Petrus patri mortuo funus duceret & justa faceret, nec ex more & honestate in publico, multo minùs in foro versari aut conspici honestè, imò nec in ius vocari poterat: † in jus enim 6
vocari non potest, qui funus familiæ & multò minùs qui funus parentis ducit, hoc est exequias & justa parentalia facit, *l. 2. §. fin. De in ius vocan.*

† Id enim Iudaicè ad literam accipiendum non est, 7
de actu dumtaxat ducendi, quando scilicet funus domo effertur, in templo cōstituitur, & ibi ex more & ritu Christiano exequię celebrantur, & orationes canuntur; quasi statim ab his celebratis aut etiam inter tempus sepulturæ & exequiarum, qui funestus est, & præsertim patrem luget, in jus vocari possit; sed civiliter id accipiendum, primò pro toto illo tempore, quo justa defuncto fiunt (quæ apud Christianos duplicia sunt, altera in sepeliendo; altera in orando per celebrationes Missarum pro defuncto ex intervallo trium, septem, & triginta dierum, præsente eo, qui funus ducit & justa facit, *can. Quia aly* XIII. *q.* 2.) Nam & in usu vulgi est post celebratas primas exequias, septenarij & tricenarij observatio, sicuti exacto tempore exequiarum ex juris communis dispositione, *in auth. Vt cum De appel. cog. §. sancimus itaque coll. 8. glos. Las.*

& aly

& alij in d. l. 2. in fin. De in ius vocan. conceduntur ei, qui justa facit parenti, liberis, conjugi, agnatis vel cognatis, adhuc novem dies, quibus durantibus prohibetur judicio conveniri aut quoquo modo inquietari; ita ut nullum judicis præceptum ei fieri possit, ne quidem proprij debiti nomine, multò minùs nomine debiti, quod defunctus contraxit. Quæ juris prohibitio subiectam etiam habet clausulam decreti irritantis omnia, quæ durante tempore exequiarum & novem dierum sequentium judicialiter vel extrajudicialiter facta sunt, *d. §. sancimus verſ. si quis verò:* quod & ita ex consuetudine ac laudabili more observari credimus per testes dicti Petri sufficienter esse probatum; quòd scilicet non liceat quoquo modo in ius vocare eum, qui intra tempora exequiarum adhuc est; cùm more civitatis probrosum & turpe sit ante exactum hujusmodi tempus in publicum prodire: * id enim pro probro & turpi accipiendum, 8 quod ex more civitatis & consuetudine tale reputatur, etiamsi alioqui naturaliter probrosum aut turpe non sit, *l. Probrum De verb. significat.* Ita ut, cùm propter religionem & observantiam communem Petrus se loco movere interea non potuerit, hoc est in publico vel in foro versari, vel in jus vocari, aut quodcumque præceptum Judicis ei fieri, multò minus eo absente quamvis vocato sententia definitiva proferri, *d. l. 2. verſ. nec eos qui, arg. à loco ad tempus ducto, quod in iure non infrequens est, Præses in loco à tempore ad cond.* sit & fuerit lata sententia ipso jure nulla, non aliter quàm parte non contumaciter absente lata, *l. 1. §. item D. Quæ sent. sine appel. rescin. l. Eos qui C. Quo modo & quando iudex &c.* quia contumaciter abesse ei non potest, qui vocari non potuit, aut vocatus Judici parere non debuit, *l. 3. §. 1. D. De re iud.* qualis inter alios est, qui defuncto parenti justa facit, & in primo tempore luctus intra dictos novem ex gratia postea concessos dies adhuc est.

Nec ad rem facit, quòd formula sententiæ concepta sit magis contra Petrum Moeren tamquam fidejussorem judicij seu pro judicato, oblique autem adversus Petrum Remigij tamquam contumacem; quasi exceptio nullitatis ex causa funeris & justorum defuncti dicto Petro fidejussori prodesse non debeat: nam inprimis inde consurgit aliud vitium nullitatis; tum quòd per hujusmodi formulam Petrus pro contumace habeatur, quem constat ex privilegio juris propter exequijs & luctui indultos dies in jus ad resumendam causam cogi vel in contumacia constitui non potuisse; tum quòd contra dictum Petrum fidejussorem sententia concepta & pronuntiata sit, qui ipse litem contestatus non fuit, & quem pars agens dereliquit admissa interventione Laurentij tamquam principalis debitoris: † prout de jure hujusmodi interventionem admittere debebat; quia ad dictum Laurentium defensio hujus causæ priore loco pertinebat, *l. Sæpè De re iud. l. ita tamen §. nunc videamus* 9 *D. Iud. catum solvi*; * & fidejussor ex jure beneficium habeat ordinis aut saltem exhibendi Reum principalem, ut cum eo actor agit, *auth. præsente C. De fideiuss.* etiamsi se obligaverit ut principalem, *Ioan. de Ferrarys in pract. sua in forma libelli contra plures reos in verb. beneficio novatum nu. 3. Guido Papa decis.* 10 *570. verſ. sed quid si fideiussor, expressus textus in d. §. sancimus.* † Deinde beneficium hoc novi juris de 11 non conveniendo hærede defuncti ante lapsa tempora exequiarum & novem dierum, perinde competit fideiussori defuncti, ut illius hæredi. Quæ juris constitutio cùm sit aperta nec ullâ contrariâ consuetudine abrogata, & præterea fundetur in summa æquitatis, civilitatis, & benignitatis ratione, & quidem adversus expressam crudelitatem tam Judicis quàm creditoris, sic quod Justinianus apertè testetur, *in d. §. sancimus*, se ex humanitatis ratione hujusmodi crudelitatem per suam constitutionem coercere; nulla ratione dissimulari aut conniventibus oculis ex incerta & vaga aliqua æquitatis ratione præteriri possunt, sed ex aperta juris luce annullari debent, quæcumque contra illam adversus dictum Petrum acta sunt, sive per citationem ad resumendam causam, sive per sententiam definitivam tanta præcipitatione latam, ut manibus etiam palpari possit illius nullitas, & inde adversus ejus auctores verus dolus.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ tres conformes executioni mandandæ etsi objiciatur nullitas.

1. *Executionem trium sententiarum conformium qui impedit calumniari præsumitur.*
2. *Sententiæ tres in parte conformes eatenus executioni mandandæ.*
3. *Sententiæ ut conformes sint, nihil impedit una contraria interveniens.*
4. *Rescriptum ex suppressione quandò vitiatur.*
5. *Appellans exhibere debet acta.*
6. *Sententiarum trium conformium oppugnationem sine executione Iudex admittere non debet.*
7. *Sententiarum trium conformium executio peti potest etiam post admissam nullitatis obiectionem.*
8. *Sententiarum nullitas post executionem proponi potest.*

CONSILIVM CLVI.

APERTA est juris dispositio, *Clement. 1. De sentent. & re iudic.* quòd nemo audiatur in propositione nullitatis adversus sententiam ad revocandam executionem judicati, qui tres conformes sententias contra se in quavis causa tam profana, quam Ecclesiastica in judicio sive possessorio sive petitorio reportavit; nisi hujusmodi tres conformes sententiæ sint plenariè executioni mandatæ. † Quippe præsumitur calumniari, qui prætextu nullitatis conatur remorari illarum executionem, *arg. c. Suscitata De restit. in integ. Bonif. De Vital. in d. Clem. 1. nu. 7. & Card. Zabarella nu. 1.* etiam tunc, cùm ante tertiam confirmatoriam de nullitate obiectum fuit; imò etiamsi ante tertiam conformem una media intercesserit, primæ vel secundæ sententiæ etiam ex causa nullitatis revocatoria, *Rota decis. 424. Nota quidam obtinuit, alias est 14. De sent. & re iudic. in antiq.* Proinde Venerabilem Dominum Decanum movere non debent, quæ pro parte D. Ioannis Harve se executioni trium sententiarum successivè pro Impetrantibus hujus causæ latarum opponentis, partem contra rescriptum Apostoli-

cum, quo executio specialiter mandatur, partim contra potestatem juris objiciuntur.

Nam quod primo loco objicitur ad convincendam subreptionem ac obreptionem rescripti, falsò esse expositum, tres esse sententias conformes, quæ ex lectura earumdem contrarium appareat, & vel de tribus conformibus vobis dicto Domino Decano non constet, facile discutitur ex eo, quod non esset dicti eidem D. Decano non constare de illis, cum ipse istarum sententiæ auctor & judex & sic non potuit non videlle priores duas, quas confirmavit: cùm alioqui ipsa acta contrarium demonstrent, & id satis ex actis apparere dicatur, quod in illis conspicitur, *l. Si bina De injusto rupto. Doct. in c. contra falsam, & in cap. Jn. De probat.* † Et sane non tam simile est ovum ovo, quam inter se similes & conformes sunt hæ tres sententiæ: in quibus si quæ forte differentia in parte, in alijs conformitas inveniretur, semper esset faciendæ executio, quatenus conformes sunt; nam difformitas in parte nihil operatur contra partes conformes, *Gloss. in d. Clement. 1. in V. alicujus.* 2

Sed nec momenti aliquid habet ad arguendam rescripti obreptionem, aut impediendam executionem, quod secundo loco proponitur de omissa mentione intercedentis sententiæ Officialis Colonienſis, per quam duæ priores sententiæ fuerunt revocatæ: nam illius expressio nullo modo erat potificem retractura à concessione hujus rescripti, & commissione executionis trium sententiarum conformium; * quippe, ut paulò antè attigimus, ne præcisa est juris dispositio de in primis & ante omnia executioni mandandis tribus sententijs conformibus, ut nihil referat, an illæ sint solæ & continuæ an vero (ut inquit Cardinalis Zabarella *in d. Clement. 1. n. 15.*) interpolatæ; semper enim verorum est, adversarium tribus conformibus se tenere superatum esse, indeque inducitur præcisa necessitas tolerandæ & admittendæ executionis, etiamsi tertia sententia duarum priorum revocatoria lata fuerit super nullitate illarum. Quamvis enim hoc casu permittatur post quartam sententiam duarum priorum confirmatoriarum appellatio, & appellationis seu nullitatis ulterior prosecutio super sola nullitate; differenda tamen aut impedienda non est trium conformium executio, *Bonifac. De Vital. in d. Clem. 1. nu. 11.* Quod majorem habet probabilitatem, quando tertia priorum duarum retractatoria non est lata super nullitatis articulo, sed super meritis causæ (ut contingit in proposito) nam tunc cùm adversarius bis appellaverit, à prima scilicet & secunda sententia, non est ei permittenda appellatio à quarta; quia hoc esset tertiò appellare, quod omnia jura prohibent, *c. Directæ c. Sua De appel. l. 1 C. Ne liceat in una eademq; causa tertiò provoc.* 3

Cùm ergo media hujusmodi sententia revocatoria nec nunc rerum fiat, nec effectum aliquem habeat, nihil necesse fuit illius mentionem facere in supplice libello, pro obtinenda hac commissione executionis: quia narrata & exposita Papam non erat commotura ad denegandum vel difficilius concedendum hoc rescriptum in forma communi; quo casu regulariter suppressio non nocet nec attendenda est, *c. super literis, vers. inter alios De rescript.* Allegat in eam rem Advocatus quandam Rotæ Romanæ decisionem, quam ut invenire non potui, ita nec esse credo; præsertim quòd juris ratio in hoc articulo planè repugnet. 4

Quod tertio loco objicitur de sententia Decani S. Cuniberti Colonienſis revocatoria dictæ quartæ sententiæ ex capite nullitatis ante datam rescripti hujus, quod scilicet illius in impetrando hoc rescripto facta non sit mentio, & quòd illa retundere videatur effectum trium conformium, perinde nocere non potest. Si enim intermedia revocatoria sententia antecedentium, etiam ex capite nullitatis, secutâ quartâ sententiâ duarum priorum confirmatoriâ, non impedit executionem trium conformium, ut jam diximus, multò minùs nocere vel impedire debet revocatoria ex capite nullitatis, quæ sequitur tres sententias conformiter latas; præsertim quòd Decanus S. Cuniberti illam ferre non potuerit. Nam si illi constitit de tribus conformibus antecedentibus, ut oportet (non enim potest constare de nullitate sententiarum, nisi & de ipsis quoque actis priorum instantiarum & de sententijs constet, * ad quorum exhibitionem appellans tenetur, *l. Si contra l. Quoniam nonnulli, l. In offerendo, l. Ampliorem c. appellat. sebast. Vant. in tract. De nullit. tit. à quo & in quibus mod. nu. 12.*) non potuit ad cognitionem super nullitate procedere, nili prius facta plenariâ executione trium conformium: † quia juris hoc beneficium non tantùm constitit in beneficio exceptionis, sed etiam in ultroneo & spontaneo officio Judicis, parte victrice etiam non excipiente; constitutio siquidem juris, *d. Clem. 1.* præcipit Judici, ut non admittatur propositio nullitatis nili factâ prius plenariè executione, *Card. Zabarella in d. clem. 1. nu. 16 & ibi Bonifac. De Vital. nu. 26.* † Nec usquam in jure cautum invenitur, quod admissa semel cognitione nullitatis, aut semel judicato super vel etiam pro nullitate, censeatur renuntiatum beneficio executionis trium conformium: quemadmodum cognitione petitorij, aut sententia super petitorio lata, non præcluditur refugium ad interdictum seu judicium possessorium, *l. Naturaliter §. nihil commune De acq. poss.* Sed de eo hic laborandum non est, cùm de hujusmodi revocatoria sententia Opponens prompte non doceat, & sic ob ejus allegationem non debeat executio differri. 5 6 7

Adhæc nihil commovere debet, quòd dicitur hæc Decani S. Cuniberti sententia lata ex defectu jurisdictionis; tum quòd non existimatur, ex cujus persona defectus iste redarguatur; tum quod alioqui verius sit ob prætextum nullitatis ex defectu jurisdictionis non posse magis impediri executionem trium conformium quàm alio quovis, propter tam intensam & universalem dictæ constitutionis prohibitionem, ut eleganter docuit Bonifacius de Vitalinis, *d. Clement. 1. nu. 99.* Nihil etiam conturbat clausula dicto rescripto inserta hæc scilicet, *firma tamen remanente causa tam coram Decano S. Cuniberti introducta.* Illa enim tantùm pertinet ad jurisdictionem & cognitionem causæ nullitatis, ne illa per hoc rescriptum censeatur revocata à dicto Decano. * Nam ut propositio 8

positio nullitatis non perimitur per seu propter executionem trium conformium, sed suspenditur tantum, *in d. Clem.* 1. ita nec commissio seu mandatum judicandi super proposita nullitate. Vnde malè colligitur seu infertur, quòd ipsa sententia quoque in judicio nullitatis fortè lata, firma manere debeat, quam non constat tunc latam fuisse, & si lata fuisset, non posset censeri confirmata per verba hujus rescripti, conservantia tantùm jurisdictionem & cognitionem, non etiam judicatum aliquod; quod ob id in omnem eventum est relinquendum juris dispositioni, secundùm quam sola sententiæ pronuntiatio non sufficit, nisi & in rem judicatam transierit, cùm ab ea appellari potuerit; nec dubium est, quin si talis aliqua lata fuit, ab eâdem etiam appellatum fuerit.

Noviſſimè non obstat etiam huic inceptæ executioni, quòd rescripto inserta sit clausula, *cõstito de tribus conformibus*; quasi scil. per legitimã cognitionẽ priùs super eo formaliter processus haberi debeat, & sic non fieri initium ab executione: nam, ut antè diximus, præfato Venerabili Domino Decano etiam ante hanc commissionem constitit de veritate harum trium sententiarum conformium; quia ipse tertiæ conformis auctor fuit: constitit quoque parti adversæ, quæ ijs superata est, nec audet apertè negare; præsertim quia adhuc semel ea de re fuerit quæstio, & per decretum præfati Domini Decani objectio difformitatis, quatenus illæ tres sententiæ sunt conformes, sit reiecta, & ulterior executio decreta; ut nunc meritò rectâ viâ sine ulla alia cognitione procedi potuerit ad meram executionem, quam pars adversa nimis apertis & manifestis calumnijs nititur impedire: quibus idcircò reiectis, Venerabilis Dominus Decanus cœptæ executioni strictè inhærere debet.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ tres conformes.

1. *Appellatio à tribus conformibus calumniam continet.*
2. *Victor exequens sententiam an teneatur victo cautionem præstare.*
3. Clement. 1. De sent. & re iudic. *intellectus.*
4. *Cautio in omnibus causis ex officio Iudicis præstanda.*
5. *Pœnitentiæ locus est reintegræ.*
6. *Oblatio quando non prosit.*

CONSILIVM CLVII.

1 CALVMNIÆ plerumque adscribitur, quod post sententiam, quæ transivit in rem judicatam, & potissimùm post tres sententias conformes in eadem causa, differendæ executionis causa à victo seu condemnato proponitur ante plenariam executionẽ earundem sententiarum; ut meritò receptum sit, ne nullitatis quidem objectionem ante plenariam paritionem admitti, *Clem.* 1. *De sent. & re. iud. & ibi Card. & And. Barbatia.* Hinc in quantum Iacobus Humblet hujus causæ Impetrans adversus promptam paratamque executionem trium sententiarum conformium pro Wilhelmo d' Allemaigne successivè latarum objecit cautionis defectum seu recusationem, sua calliditate extortam, dubium non est, quin eidem studio incumbat: imò duplici ex causa calumnia ipsius detegitur; tum quòd ejus calliditate factum sit, cur Opponens petitam cautionem præstare recusaverit; tum quòd oblatam & postea præstitam cautionem contempserit, & ex priore recusatione differendæ executionis ansam arripuerit. † Quod ut apertiùs percipiatur, hoc 2
principiò constituendum, nullo jure cautum esse, ut in executione sententiæ, quæ in rem transivit judicatam, aut à qua appellari non potuit, si in judicio petitorio lata est, victor cogatur victo cautionem aliquam præstare pro restitutione ipsius rei, nisi cùm victo propter eandem rem, quam in executione judicati restituere debet, à tertio ejusdem rei nomine periculum imminet: veluti si eandem rem alius quoque judicio petierit, aut eo nomine aliud judicium metuat; ut in hæreditate à duobus petita, *l. pen. D. De pet. hæred.* item in fundo à duobus vindicato, *l. Is à quo fundus De rei vindic.* servo vindicato ab eo, cum quo noxali judicio furti agebatur, *l. Is à quo seruus De rei vind. Rebuff. ad constit. Regias tit. De senten. exec. artic. ult. gl. 1. nu. 22.* † Ideoque neque in Clementina con- 3
stitutione, *d. Clem.* 1. neque in alicujus Interpretum ad eam Commentarijs ulla fit mentio cautionis; quamvis in sententijs provisionalibus ante executionem præstanda sit cautio, quia scilicet super principali causa cognitum non est, *Rebuff. d. tit. artic. 1. gloss. 15. in verb. en baillant.* † Et licet in 4
omnibus causis, ubi justa ratio urget, officio Iudicis præstari debeat cautio, *l. In omnibus De iudicijs*; non debet tamen illa ultro à parte offerri, neque etiam præstari nisi Iudicis officio, eo scilicet ita decernente, & partem ad id condemnante, *d. l. In omnibus in fine, d. l. pen. De pet. hered.* nec id simpliciter, sed si cautionem petens, causam petitionis proponat; veluti paupertatem, dissipationem, aut prodigalitatem adversarij, aut aliam, quam Iudex justam arbitretur, *l. si fideiussor §. fin. qui satisd. cog. gloss. in d. l. In omnibus.* Cùm itaque Clementina constitutio, per cautionis exactionem non constituat differri executionem trium sententiarum conformium, neque Impetrans in petitione hujusmodi cautionis coram Domino Ioanne Henrici executore specialiter deputato, causam idoneam allegaverit; neque præfatus Dominus executor præstandam esse decreverit; meritò nihil obesse debet Wilhelmo recusatio seu denegatio præstandæ cautionis, ad quam secundùm terminos juris communis non tenebatur: præsertim quia, ut superiùs attigi, hæc recusatio ex Impetrantis captatione originem habeat. Cum enim Impetrans impetrasset rescriptum pro commissione causæ nullitatis, exhibito Sanctissimo Domino Papæ supplice libello, in quo inseruerat hanc clausulam, *Parito imprimis per dictum oratorem, prout parere offert prædictis tribus sententijs, mediante tamen cautione fideiussoria, vel pignoratitia sufficiente & idonea per adversarium præstanda*, &c. Item hanc, *Ac quatenus adversarius dictam cautionem præstare forsan recusaret, simpliciter absque paritione prætacta*, sciens eam esse conditionem sui rescripti nondum citato Wilhelmo, nec tenore dicti rescripti ad præfati Domini Henrici executoris aut Wilhelmi notitiam perlato, in

causa

causa executionis pendente coram dicto mero executore (cujus nulla erat cognitio, nulla admittendarum exceptionum aut objectionum potestas, c. *Pastoralis* §. *quia vero De off. & potest. jud. deleg.*) post longa subterfugia captandi gratia petijt dictam cautionem; ita ut subsecuta recusatio, quam Guilielmus ex consilio Advocati, imò per vocem ejusdem Advocati, ad simplicem juris dispositionem respicientis fecit, nullam reprehensionem aut paratæ executionis dilationem adferre debeat. Quæ captio aperte deprehenditur ex collatione datarum, tam præsentationis rescripti Reverendo Domino Abbati factæ, & petitionis dictæ cautionis coram præfato executore, quàm subsecutæ recusationis, ac literarum citatorialium præfati Reverendi D. Abbatis executionis: ita ut antecedens scientia eorum, quæ in dicto rescripto continebantur, & post recusationem facta executio, evidentissimum doli indicium contineant, *l. Dolo C. De dolo malo*; & causam ac consilium, cur ante intimationem dicti rescripti petita fuerit cautio, demonstrent. Proinde cum ex jure communi non allegata per Impetrantem, nec per judicem probata alia prægnantiore causa, ob quam præstanda erat cautio, impunè recusare potuerit Guilielmus; & necessitatem præstandi, conditionemque paratæ executionis restrictam ex dicto rescripto, dolo adversarij petentis ignoraverit; non est quod ex hoc novo rescripto aliqua ratione periclitetur, & à prompta paratáque executione trium sententiarum conformium deturbetur: facti enim ignorantia in damno potissimùm vitando excusat, *l. Error C. De iuris & facti ignor. l. Error facti D. eod.* Eâ etiam consideratione, quod Impetrans vigore dicti rescripti numquam petierit cautionem, neque coram dicto executore, ut dictum est, neque coram præfato Domino Abbate, coram quo petenda videbatur, quia eâ conditione ei causa mandata fuit.

Atque ita necessariò concluditur, partes Reverendi Domini Abbatis esse, ut retundendo dicti Impetrantis calumniam, rejectâ dictæ recusationis objectione, antequam manum causæ admoveat, aut ad ulteriora procedatur, decernat in primis & ante omnia parendum esse dictis tribus sententijs; ob id, quòd Reus statim post citationem & cognitionem dicti rescripti sic conditionati, fidejussoriam cautionem præstiterit, & Impetranti intimaverit, & sic Impetrantis petitionem legitimam anteverterit; ut nulla sit occasio Reverendo Domino Abbati secundùm posteriorem supratactam clausulam decernendi absque paritione prædicta, de causâ nullitatis esse cognoscendum. * Qua consideratione rursus excusari posset dicti Guilielmi recusatio, etiamsi facta esset virtute dicti rescripti coram dicto Domino Abbate; quia rebus omnibus adhuc integris facta est, scilicet ante terminum citationis advenientem: quo casu pœnitentiæ & purgandæ moræ integra est potestas, *l. Si ita quis promiserit* §. *Sed De verb. oblig.* Sic ut posterior mora & recusatio Impetrantis in non admittenda cautione propter Opponentis priorem moram, potiùs attendenda sit & ipsi Impetranti nocere debeat, *l. Illud De periculo & com. rei vendita.* * Quemadmodum oblatione pecuniæ per debitorem creditori non acceptanti factâ, non nocet creditori, si postea debitorem iterum convenerit, & is conventus ut solveret moram fecerit, *l. Debitor usurarius De usuris*; etiamsi prior recusatio seu mora non omninò sit probabilis: quanto magis cùm probabilis est: non enim omne quod differendi causâ optima ratione fit, moræ adnumerandum est, *l. Sciendum De usuris.* Unde in proposito bona ratione simpliciter, non ostenso dicto rescripto, neque justæ alicujus causæ specificatione facta, petita cautio secundùm terminos juris communis recusari à Wilhelmo potuit.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiarum trium conformium executio.

1. *Sententys tribus conformibus prius parendum, quam de nullitate agi potest.*
2. *Restitutio in integrum adversus tres sententias permittenda non est nisi prius parito rei iudicatæ.*
3. *Appellatio tertia an concedi possit per Nuntium Apostolicum vel Legatum.*
4. *Legatus Papæ eandem potestatem non habet quam Papa.*
5. *Clausula, ex certa scientia, non subintelligitur.*
6. *sententia super desertione decisiva non est, sed interlocutoria.*
7. *Clausulæ rescriptorum intelligi debent secundum ius commune.*
8. *Clausula, non obstantiarum, quando & à quo inscribi possit.*
9. *Nullitas non allegata per iudicem curari non debet.*

CONSILIVM CLVIII.

EXISTIMABAM, Venerabilis Domine Præpolite, non esse necessarium quicquam de jure in medium adferre in causa prætensæ appellationis, quæ coram vobis proposita est inter Henricum Ienck tribus conformibus sententijs condemnatum nunc Appellantem, & Wilhelmum Zelius ijsdem tribus sententijs victorem: eò quod non dubitabam vos pro vestra eruditione & industria facilè perspicere, quid in ea statuendum sit: tum etiam quòd in tam manifesta juris decisione, & appellantis calumnia, labor scribendi vel affectatus à nobis susceptus dici posset. Verùm improbitas adversarij, qui in tam iniqua causa & ubique se prodente calumnia, multis nunc mensibus litem coram vobis trahit & protrahit, ac suæ improbitatis & calumniæ patrocinium invenit, diligentia quoque Advocati ejusdem adversarij, qui exhibita vobis juris informatione conatur persuadere procedendum esse in negotio, rejecta petitione nostra, per quam secundùm apertissimi juris decisionem, *Clement. 1. De sent. & re iud.* petimus appellantem urgeri priùs ad paritionem trium priorum sententiarum, quàm ad agendum coram vobis ulteriùs admittatur, faciunt, ut vel inviti de aperta juris decisione scribere debeamus; ne si diligentiam advocati partis adversæ non exæquamus, aliquo modo cedere vel diffidere videamur, aut ijs quæ ab eo fortè adferentur acquiescere. Alioqui sanè ab hoc labore abstinere poteramus, & doctissimi Iudicis

ingenio atque industria contenti esse: quo quidem & nunc contenti, & plurimùm confidentes pro refricanda dumtaxat memoria velut commonitorium quoddam proferemus.

1 Est igitur aperto jure decisũ, quando lata est una sententia contra aliquem, quæ in rem transivit judicatam, aut cùm sunt in una eademque causa adversus aliquem latæ tres sententiæ conformes, sic ut omnis appellandi occasio sublata sit, *c. Sua nobis De appel. l. unica. C. Ne liceat in una tert. provoc.* quòd si tunc Reus condemnatus velit agere de nullitate ipsarum aut alicujus ipsarum, admittatur quidem, sed non aliter, quàm cum eo temperamento, de quo in Clementina constitutione, *in d. Clement. 1. De sent. & re iud.* ut sic condemnatus patiatur hujusmodi sententias plenariè executioni mandari. Præsumit enim legislator victum per tres sententias conformes, nec tamen illis acquiescentem, mala fide versari & calumniari, proponendo nullitatem hujusmodi sententiarum vel per modum exceptionis, vel per modum actionis sive supplicationis, *ut notatur in l. si expressim De re iudic.* Est namque pro Iudicis sententia præsumendum, *c. In præsentia De renunciat. c. Sicut De sent & re iud. c. Res iudicata, De R. I. lib. 6.* & proinde æquum bonum visum est, ut hujusmodi calumnijs & malitijs occuratur, *d. Clem. 1. l. In fundo De rei vindic.* non tantùm ut partis victoris indemnitati consulatur, sed etiam Iudicis honori, *l. ult. C. Quando provoc. non est nec. c. Vt debitum De appellat.* Sunt equidem causæ gravissimæ, quæ induxerunt legislatorem, ut statuerit volentem impugnare tres sententias conformes, illarum executionem priùs pati debere, nec priùs audiri quàm judicato paruerit, *d. Clem. 1.*

Cum itaque per exhibita sententiarum documenta evidentissimè vobis Domino Præposito fides facta sit, Wilhelmum tres in sui favorem obtinuisse, & reportasse sententias conformes, & ita quidem conformes, ut per omnia velut individualem conformitatem contineant; meritò non est audiendus præfatus Henricus appellans in impugnatione prædictarum sententiarum, aut alicujus ipsarum, ex capite nullitatis, nisi præactis sententijs paritum fuerit. Id enim, ut dixi, clara juris dispositione cavetur, *in l. Ancilla C. De furtis.* Vnde cùm in hac materia textum habeamus rotundum & certum, non est, quòd vestra sententia vacillet; quoniam, ubi est textus legis, ibi nulla potest esse dubitatio, *Nicol. Everard. Præses. in præambul. De Locis nu. 3.* Neque video quomodo sine periculo litem faciendi suam, aut in sententia sua expressum juris errorem complectendi, quisquam inter has partes ulteriùs procedendum esse judicare possit.

Sed ut paulò pressiùs rem attingamus, non videtur Appellans in nuda simplicique nullitatis sententiarum, aut alicujus illarum allegatione conquiescere; sed ulteriùs illarum etiam iniquitatem evidentem urgere, & exaggerare. Sed nec sic evadet faciliùs: nam viâ ordinariâ audiri nullo modo debet, propter denegatam tertiam provocationem; extraordinariâ verò, hoc est mediante beneficio restitutionis in integrum, nihilo magis perveniet ad ulteriorem prosecutionem, nisi prius tribus sententijs paruerit. † Nam beneficium re- 2
stitutionis in hoc articulo non aliter impertitur Princeps, quàm parito prius rei judicatæ, hoc est mediante restitutione non tantum fructuum sed & ejus quod interest & expensarum litis, *Auth. Qua supplicatio C. De prec. Imper. offer.* Est enim sic juro communi statutum, ut si allegetur nullitas trium sententiarum conformium, vel alicujus illarum, ordinario remedio appellationis, vel etiam actionis super nullitate, condemnato succurratur, *ut notat. Card. Zabarella. in d. clem 1.* non quidem simpliciter, sed addito moderamine & temperamento, ut priùs executioni pareatur. Sin verò evidens, seu insignis iniquitas proponatur, solùm ad extraordinarium remedium supplicationis confugiendum erit, per quam petitur ex justa causa restitutio in integrum adversus sententiam vel sententias, quæ læsisse dicuntur, *arg. l. In causa De minorib.* ex clausula generali, *si qua mihi iusta causa esse videbitur, l. 1. & per tot. D. Ex quib. caus. maior. &c.* sed non aliter rursum auditur supplicans petens restitui in integrum, quàm refusis expensis & parito judicato, *d. auth. Qua supplicatio c. fin. & ibi not. De restit. spoliat.* Sic ut quoquò res vertatur, non possit sibi aliquam viam invenire dictus Henricus, quâ per vos Dominum Iudicem admitti debeat ad ulteriorem prosecutionem hujusmodi tertiæ appellationis, antequam paruerit rei judicatæ.

Quinimò cùm res altiùs expenditur, occurrit aliud, propter quod Dominus Iudex simpliciter ab omni ulteriore prosecutione repellere debeat dictum Henricum. Cùm enim, ut dixi, duæ tantùm sint viæ, quibus juvari posset, si umquam posset, nullitatis scilicet, & restitutionis seu supplicationis, & neutram ingressus sit dictus Henricus, utriusque etiam commodo meritò carere debet, *l. fin. §. si vero C. De iure delib.* Nam quod nullitatis viam ingressus non sit apertè declaravit Advocatus dicti Henrici, dum scripsit in hac instantia nullum dubium propositum esse de nullitate sententiæ seu sententiarum; indicans Henricum viâ ordinariâ admittendum esse ad prosecutionem appellationis. Quæ eadem Advocati declaratio per supplicationem dicti Henrici Nuntio Apostolico porrectam adjuvatur: ita enim concepta est, ac si hæc tertia provocatio foret secunda super desertione. Rursus supplicationis viam illum non esse secutum constat; quia de restitutione adversus sententias priores nullum est verbum: licet fortè de fatalibus seu lapsu fatalium obiter aliquid dicatur, quod huc non pertinet. Deinde dicta restitutio tam facilè non conceditur, nisi allegata admodum justa causa, hoc est evidenti iniquitate, quam in sua supplicatione Henricus non allegavit: & si tenor supplicationis benè inspiciatur in forma communi ea concepta reperietur: unde & secundùm juris communis regulas debet illi accommodatum censeri rescriptum desuper concessum.

Quod autem Advocatus Henrici dicit Sum- 3
mum Pontificem seu ejus Legatum à latere ex certa scientia posse concedere tertiam appellationem ex sententia Baldi & Ioannis de Imola, *in cap. una nobis De appellat.* partim veritatem non habet,

partim

aprtim præsuppositа veritate huic causæ adaptari non potest: nam licet verum esse non negemus Papam vel Principem ex certa scientia & ex plenitudine potestatis posse rescribere contra jus commune seu positivum, *Bald. in l. Rescripta C. De precib. Imper. offer. Doct. in l. Humanum C. De legib.* & sic etiam tertiam provocationem aut desertam appellationem admittere, *Guido Papæ decis.* 185. tamen id etiam eorum legatis concessum & per-
4 missum esse verum non est. † Etsi enim Legatus Papæ magnam habeat potestatem, & majorem, quàm Archiepiscopus aut Episcopus, in cujus provincia degit; quia vices Papæ gerere dicitur, *c. Cùm venerabilis De consuetud. cap. Mandata De præsumpt.* non tamen habet eandem, quam ipse Papa, & proinde *motu proprio* aut *ex certa scientia* nihil facere potest, quod juri communi vel consuetudini repugnat, *c. Nisi De off. legati*; neque ad ea, quæ in signum privilegij singularis sunt tantùm Summo Pontifici reservata, sine speciali mandato manus extendere debet, *cap. Quod translationem De off. legat. & ibi gloss. in V. reservata*: ne sit in potestate inferioris solvere legem superioris, *c. Cùm inferior De major. & obed.* Vnde quia concedere tertiam appellationem est contra jus, & Summo Pontifici seu Principi tantùm concessum, non debet id dici etiam Legato concessum, maximè qui non est de latere (qualis est D. Episcopus, qui hoc rescriptum concessit) nisi de hujusmodi speciali licentia seu potestate constet; prout hîc non constat, nec allegatum est, hunc Nuntium tales facultates habere; de quo etiam præsumptio est, quod eas non habeat, *c. Cùm in iure peritus De off. deleg. l. Vnica C. De mand. Princip. Steph. Auster. decis. Tholos.* 463. cui præsumptioni si Dominus Iudex acquiescere nolit, poterit legere exemplar ipsarum facultatum, quod est apud Notarium causæ.

5 Rursus ne de illa clausula, *ex certa scientia*, multum disputemus, quia non est inserta huic rescripto, non est existimandum illius effectum huc porrigi: debet enim illa clausula nominatim inseri semper, aut saltem ex facti narratione constare evidenter, peti id, quod apertè est contra jus commune tunc, cùm Pontifex vel Imperator rescribit, *iuxta not. per Felin. in c. Cùm inter De except. & est text. in c. Cùm motu proprio De præben. lib. 6.* Nam nihil absurdius quàm semper eamdem velle subintelligere, quoties juri contrarium aliquid impetratur: quid enim prodesset jure constitutum esse, rescripta contra jus elicita ab omnibus Iudicibus refutari, *l. Rescripta C. De precib. Imp. offer.* si per subauditionem clausulæ, *ex certa scientia*, vel *motu proprio*, conservarentur? Equidem ad improbitatem & inverecundiam petentium refertur, quòd Princeps interdum non concedenda concedat, non ad concessionis validitatem, *l. 1. C. De petit. bonor. sublata lib. 10.* Et ne dubitemus, extat ea de re apertus textus, *in d. c. sua nobis*, in quo Papa concesso à se tertio rescripto simpliciter ex ordinaria potestate de eo certior factus jubet suo delegato, ut ulteriùs non procedat. Quia igitur non est inserta ea clausula, meritò cessare in hoc casu debet Baldi sententia; & tantò magis, quod Legato illa uti non licet, nisi ex speciali Se-

dis Apostolicæ permissu. Deinde nec ex narratione facti deprehendi potest, quod Appellans contra juris dispositionem voluerit impetrare rescriptum super tertia appellatione, aut post tres sententias conformes: quia apertè dicit tantùm esse conformes duas, scilicet postremas, quas super desertione latas narrat; quasi prima sola esset lata super jure & petitione originalis Actoris: sic quod articulus desertionis incurrens per tres conformes sententias, debeat priùs decidi instante Reo. † Est enim sententia super desertione non 6
decisiva sed interlocutoria, *Baldus in auth. si quis C. De Episc. aud. Rota decis. 87. incip. nota quod sententia lata, alias est 125. in antiquis sub tit. De appellat.* aut saltem ipsa desertio novus articulus à principali lite & quæstione separatus. Quod quidem ipsum videns Reverendissimus D. Nuntius restringendo & velut causam suæ concessionis assignando per apostillam sua aut sui Auditoris manu in supplicatione subscripsit, *attento quod imprimis de appellationis desertione est iudicandum*: nam eo casu habet decisio Rotæ, quòd Iudex, cui commissa est causa, possit inhibere executionem, *Rota decis. 3. incip. nota quod ubi tres, alias est 21. De sent. & re iudic. in antiq.* Quare cùm nec petitio sit juri repugnans, neque concessio, quæ juris communis dispositionem continet, non est præsumendum Dominum Nuntium alia potestate uti voluisse, quàm ordinaria; dato etiam, quod in hoc casu pleniorem potestatem haberet.

Atque ita omnes clausulæ rescripti hujus reci- 7
pient interpretationem secundùm jus commune, *c. Licet §. fin. De elect. Dun. in Rubr. De rescript.* ne sine causæ cognitione, quæ apud Dominum Nuntium habita non est, dicto Guilielmo jus ex tribus sententijs acquisitum auferatur, *Innoc. in cap. Veniens De fil. presbyt. gloss. in cap. fin. De hæred. lib. 6. l. Quoties C. De prec. Imper. offer.* * Neque est, quòd di- 3
catur clausulas non *obstantiarum* in fine supplicationis adjectas satis derogare juri communi; quia principiò hujusmodi clausulis uti non potest Legatus, nisi secundùm jus commune, & quantum ex mandato Sedis Apostolicæ ei concessum est: deinde ut hoc sit ei permissum, satis non est eas esse adjectas, nisi adsit quoque clausula, *ex certa scientia*, *Doct. in d. l. Quoties*; præsertim ubi fit concessio in alterius præjudicium; prout hîc evenit, ubi appellatus à parata executione rejicitur ad aliam instantiam sustinendam.

Vnde omnibus rectè perpensis, non video, quo pacto Dominus Iudex, qui hîc invenit tres sententias conformes, decernere non possit easdem executioni mandandas, & pro executione ad priores Iudices remittendas, antequam de nullitate audiatur præfatus Henricus; qui si nullitatem non prætexit, prout Advocatus dicere videtur, nullo modo est audiendus, propter tres sententias, quæ ulteriorem appellationem non admittunt; maximè ubi nulla est evidens & notoria iniquitas, prout hîc non est, neque etiam pro parte dicti Henrici allegatur: † nam de eadem 9
aliter Iudex inquirere non debet, quàm si allegatur, *Felin. in cap. Inter cæteras De sent. & re iud.* Vt supervacuus sit labor instantiarum formulas legere & quodammodò contra juris dispositionem

de causa cognoscere. Quibus omnibus si falsitatem narrationis dicti Henrici pro obtinendo dicto rescripto adjungamus, non video, quis scrupulus restare possit: cum enim omnes tres sententiæ pro parte dicti Wilhelmi in duobus instrumentis exhibitæ sint conformes, sitq; ad omnes processum, cognitione de instantia præcedente, neque ex illis ulla sit, quæ desertionis mentionem faciat; quis non intelligit apertissimo mendacio hoc rescriptum esse extortum? Nam si narrasset veritatem contentorum illarum trium instantiarum, non est præsumendum, Dominum Nuntium contra ius commune & præter mandatum suum admissurum umquam fuisse hujusmodi tertiam appellationem. Vnde meritò dicere licet, falsum & mendacem hunc precatorem, nulla ratione rescripto sic contra ius extorto adjuvandum esse, *l. Etsi legibus C. Si contra ius vel utilit.* Quinimò justissimam fuisse dicto Wilhelmo occasionem appellandi, ab interlocutoria, quâ vos, Venerabilis Domine Præposite, decrevistis vos hujus causæ Iudicem competentem, & ex rescripto per meram falsitatē impetrato jurisdictionem fundastis. Quamquam idem Wilhelmus bono consilio id omiserit; eâ scilicet spe, quòd ab æquissimo Iudice secundùm communem juris dispositionem facilè impetraret remissionem hujus causæ ad priores Iudices pro executione: nihil veritus vel detrectans coram eodem postea non tantùm super nullitate, sed etiam super iniquitate & injustitia (quamquam rationibus prædictis attentis, ad istud postremum minimè teneatur) causam ter actam & finitam quartò agere & prosequi. Quæ præscripta sufficere arbitror pro monitorio ac desiderio dicti Wilhelmi, submittens ea correctioni perspicacissimi Dominæ Iudicis, qui etiam sine nostra hac admonitione, quæ statuenda hic erant facilè perspecturus erat: sed vicit nos apertissima hujus contentionis improbitas, & D. Advocati partis adversæ in causa iniquissima patrocinium.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiarum trium conformium executio.

1. *Iudex deferendo appellationi omnem jurisdictionem in ea causa abdicat.*
2. *Sententiæ tres conformes exequi debent, etiamsi tertia sit lata post appellationem ab interlocutoria.*
3. *Apostolorum dubia responsio pro delatione est.*
4. *Appellationi defert qui dicit se non admittere nisi quatenus de jure tenetur.*
5. *Exceptionum generalis exclusio non pertinet ad eas quæ notoriæ sunt.*
6. *Sententiæ tres conformes executioni mandandæ nisi nullitas subsit evidens.*

CONSILIVM CLIX.

SVPER articulo altercationis novissimè in causa appellationis inter Petrum Nootstock, & Wilhelmum van Dalem incidente, an secundùm petitionem partis appellatæ procedendum priùs sit ad executionem trium sententiarum conformium, an propter easdem tres sententias D. Decanus causam à se abdicare debeat, non admodum insistendum est. Primò quòd falsa sit partis appellatæ allegatio de tribus sententijs conformibus. Nam quamvis sententia Domini Decani S. Martini conformis sit sententiæ Decani Sanctæ Crucis; non tamen conformis est sententiæ D. Officialis primo loco exhibitæ, tam in materia quàm verbis; cùm illa principale negotium magis respiciat, hæ duæ posteriores super devolutione appellationis latæ sint; quod sine operosiore demonstratione ex earum lectione deprehendere licet. Secundò, quòd datâ seu præsuppositâ earum conformitate, nihilomagis secundùm petitionem appellati decernendum sit: ob id, quòd postrema sententia Decani S. Martini lata sit post interpositam appellationem à quodam decreto ejusdem D. Decani, ut ex collatione datarum manifestè deprehenditur; cujus appellationis causa nunc hîc indecisa pendet. * Cui quidem appellationi dictus Decanus etiam detulit, & deferendo omnem jurisdictionem à se abdicavit, *c. Cum appellationibus §. si verò De appel. lib. 6.* ita ut sententia postea per eum lata, & alia quæcunque per eum & coram eo acta juris firmitatem habere nequeant, *glos. in clem. 1. in verb. non deferens De dolo & contum. Cardin. Zabarella cons. 32.* * Proinde quamvis dum appellatum est in tertia instantia ante tertiæ sententiæ definitivæ pronuntiationem ac deinde non delato appellationi postea tertia sententia alijs duabus conformis pendente tali appellatione profertur, executio trium sententiarum conformium differri non debeat, *clem 1. §. fin. De sent. & re iudic.* aliud tamen est, si appellationi à gravamine Iudex detulerit, *Lanfrancus de Oriano in c. Quoniam contra nu. 79. De probat.* quia, ut diximus, deferendo à se omnem jurisdictionem abdicasse censetur. & sic utilem aliquam sententiam proferre non potest, quæ dici queat alijs prioribus conformis. Quod autem dictæ appellationi ante pronuntiationem sententiæ definitivæ detulerit Decanus S. Martini, patet ex ipso instrumento appellationis per appellantem in hac causa exhibito, in quo continetur dictum Decanum his verbis apostolos dedisse, *Appellationi vestræ non aliter quàm ius defert deferimus.** Quibus quidem verbis detulisse credi debet; quemadmodum detulisse videri debet, qui simpliciter dedit acta pro apostolis, & generaliter dubia apostolorū responsio pro dimissione seu delatione accipi debet, Franc. *Aretin. in l. Qui in Domini nu. 3. De testam. Bal. in l. De statu sub. finem De testament.* * Imò quod magis est, decidit Cardinalis Zabarella, *in Clem. 2. §. fin. nu. 4. De appell.* quòd si Iudex respondendo de apostolis dicat se non admittere, nisi quatenus de jure tenetur, haberi debeat, pro non respondente quoad apostolos. Iam verò manifestum est, Iudicem non exhibentem apostolos non posse ulteriùs procedere, &, si procedat, processum ejus esse invalidum & irritum, *c. 1 cap. Vt super, c. Ab eo De appell. lib. 6.* sic ut hoc respectu propter notoriam & ex ipso actorum primo conspectu relucescentem nullitatem, nulla concedi debeat executio.

* Vt generaliter lege vel statuto excludente exceptiones, non intelliguntur exclusæ quæ sunt notoriæ, *Bal. in l. 1. C. Ne liceat ter provoc. Dect. in cap. Inter catera. De sent. & re iud.*

Vnde etiam apertè decidit Baldus, *in d. l. 1. nu. 2.* & consuluit etiam Oldradus, *consil. 106. Quod litera.*

Lud.

Lud. Rom. in l. Si verò §. De viro Soluto matrim. nu. 62. in 32. fallentia, profitendo se ita judicasse, Clementinam constitutionem de executioni mandandis tribus sententijs conformibus, non obstante exceptione nullitatis, *Clem. 1. De sentent. & re judic.* locum non habere, si nullitas euidens ex actis deprehendatur.

Concludo ergò ad ulteriora procedendum esse, eo etiam attento, quòd Dominus Decanus decreverit se Iudicem competentem, & pars appellata libellum appellatorium admiserit, & eidem etiam responderit.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Expensæ litis.

1. *Actori imputandum quod de suo iure diligentius non inquisiverit.*
2. *Testis singularis quando faciat semiplenam probationem.*
3. *Iuramentum in supplementum probationis cui deferri debeat.*
4. *Expensæ compensanda cum ex delatione iurisiurandi sit condemnatio.*
5. *Expensas effugit Reus qui maturè liti cedit.*
6. *Culpa lata dolo proxima*
7. *Actor qui instrumenta in finem litis retinet, illa postea exhibenda in expensis condemnatur.*
8. *Remissio canonis quando emphyteutæ fieri debeat.*

CONSILIVM CLX.

DE expensis litis ferè nunc tantùm est quæstio in hac causa inter Conventum Albarum Dominarum Oppidi Lovaniensis agentem, & Iacobum Scharon Reum, an vel alterutra, & utra pars ad illas condemnari, vel illarum compensatio fieri debeat. In qua inprimis videtur Reum hujus causæ extra dictarum expensarum parti agenti refundendarum, periculum esse. Etsi enim in actore renuntiante liti seu ab ejus prosecutione desistente, majus sit periculum quoad condemnationem seu refusionem expensarum, etiamsi ab initio justam causam litigandi habuerit, & causa cur desistat postea supervenerit; * quasi scilicet actori imputari deberet, cur non diligentiùs de jure suo ante ingressum litis inquisierit, & sic firmiore fixioreque pede litem sit ingressus, cùm in ejus potestate fuerit quando litem institueret, *Paul. Castr. in l. De stitisse nu. 5. D. De iudicijs*; in reo tamen, qui non ex sua, sed actoris voluntate etiam invitus convenitur, *l. Inter stipulantem §. si Stichum De verb. oblig.* & spatium deliberandi investigandique non habet ante litem, præsertim cùm non ex suo, sed ex alterius vel contractu, vel facto convenitur, & sic perinde instructus esse non potest, excusationis major justiorque est occasio, *l. Qui in alterius De reg. iur. l. Si quando C. De dilat. Steph. Bertr. and. cons. 146. Iusta causa vol. 7.* Proinde cùm Reus in hac causa ex proprio contractu aut suo facto non fuerit conventus, sed alterius, ad solutionem annui reditus, quem nec ipse nec eius majores promiserunt, & de cujus veritate seu subsistentia agentes certa & indubitata instrumenta nulla exhibuerunt, & quæ exhibuerunt concludenter non convincant aut probent, quòd hic reditus debeatur ex fundo, quem Reus ab hæredibus eorum, qui hunc reditum retrò præteritis temporibus dictis agentibus solverunt, comparavit, propter cujus defructuationem Reus ad continuationem solutionis urgeri posset; cùm hic fundus nec ex magnitudine, nec ex situ, nec alijs qualitatibus respondeat fundo, cujus mentio fit in instrumentis exhibitis; quemque fundum Reus absolutè sub onere ejusdem reditus non comparavit, sed sub conditione illius præstandi, si deprehenderetur hunc reditum inde exire: meritò potuit Reus se huic agentium petitioni opponere, saltem tantisper, dum liquidò ex probationibus agentium constaret, hunc à Reo comparatum fundum, saltem pro parte eundem esse cum eo, qui in exhibitis instrumentis hoc reditu oneratur. Neque enim debebat Reus propter periculum expensarum, nisi in comperta veritate, liti cedere aut ius suum indiscussum vel indefensum relinquere, *l. Illud De petit. hæred.* quin tantisper saltem dum de agentium intentione plenè & indubitatè constaret potuerit eam sustinere: quod in proposito dici non potest ex prædictis instrumentis; neque etiam ex testimonijs ex parte agentium receptis. Nam ex duobus testibus, quos solos agentes in testimonium produxerunt, posterior nihil deponit, unde indubitatè colligi possit hunc fundum, quem Reus ab executoribus testamenti quondam Catharinæ de Rycke comparatum possidet, esse eundem, cujus instrumentum constituti hujus reditus meminit; sed magnitudine differre, eundemque per Reum emptum esse sub conditionali onere hujus reditus, si exinde inveniretur deberi. Prior verò etsi satis apertè testificetur hunc fundum, quem Reus possidet in anno 1496. suo patri addivisum fuisse sub hujus reditus onere; tamen cùm id hic testis non deponat ex propria scientia, sed per relationem ad copiam instrumenti hujuscemodi divisionis, nec non ad libellum quendam dicti sui patris, nihil potest concludenter inferri, quamdiu hujusmodi instrumentum & libellus in judicium non reproducuntur, *arg. Auth. Si quis in aliquo C. De edendo.* Cùm alioqui etiam exhibitâ ipsorum copiâ nihilo magis concluderet hoc testimonium; cùm nudæ copiæ nulla sit auctoritas, nulla fides, *c. 1. De fide instrum. l. 2. D. eod. tit.* Et hac in parte in reprehensionem venit ignavia seu negligentia agentium, qui viso hoc hujus testis testimonio non hoc egerunt, ut libelli aut instrumenti divisionis istius editio fieret, vel saltem quod ex Regestris Scabinorum Lovaniensium aliud describi statim non curaverint, & sic Reo causam non dederint desistendi à defensione hujus litis.

Quare nec movet ulteriùs ejusdem primi testis testimonium de alia sequenti divisione, quam mortuis suis parentibus se fecisse dicit cum dicta Catharina sua sorore. Nam & ea in parte est ipsius depositio relativa ad instrumentum divisionis, quod itidem judicialiter exhibitum non est; sic quòd hoc ipsius testimonium per se stare non possit. Et ut posset, unicum & singulare foret, atque ita sine fide & effectu plenæ probationis, *l. Iurisiurandi C. De testib.* imo etiam semiplenæ, ob id, quòd hujusmodi depositio tendat ad exonerationem testis, ne onus hujus debiti converteretur in

cum tamquam pro parte suorum saltem parentum hæredem, quos agentes prætendebant hunc reditum per longa tempora solvisse & ad illum obligatos fuisse. † Vt enim ex unius testis testimonio semiplena probatio constituatur, necesse est testem omni exceptione majorem, & extra omnem suspicionem esse, *Iason in l. Admonendi nu. 166. De iureiurando*; qualis hoc casu non potest reputari ille primus, propter considerationem commodi, quod exspectare posset ex hoc suo testimonio, vel incommodi, quod sentiret ex illius contrario, *Innoc. in c. Quoniam nu. 2. De testib. Angel. cons. 296. Visis attestationibus nu. 1.* Ita quòd ad ejus supplementum non posset per judicem agentibus super eo, quod ille sic deposuit, deferri juramentum; * quia hoc numquam deferendum nisi in semiplena probatione, *c. fin. De iureiurando*; & ubi semiplena est, ei tantùm, qui veritatem ejus quod jurandum est verosimiliter scire potest, *l. Marcellus §. qui rerum D. Rer amotar. Doct. in d. l. Admonendi, Steph. Bertrand. cons. 127. Recordor quod alias nu. 1. parte 1.* Atque ita cum verosimile non sit, partem agentem aliquam habere scientiam sic factarum divisionum, propter illarum antiquitatem, & neutra sit de ipsius facto aut conscientia, sed aliorum, non debuit hoc testimonium saltem non probabiliter pro probatione aliqua, aut probationis alicujus gradu per Reum accipi; & per consequens ex eo non potuit ipsi superinduci aliqua justa occasio, cur credere debuerit hunc fundum hoc reditu esse gravatum, *Step. Bertran. cons. 282. Viso processu nu. 3. vol. 2. parte 1.* vel injustam litigandi causam se fovere. † Est enim hæc relata inter justas causas, ob quas Iudex reum in expensas litis condemnare non debet, si actor intentionem suam per unicum dumtaxat testem, etiam omni exceptione majorem probavit, & præterea ex delatione judicis in supplementum probationis juravit, *Bald. in l. Generaliter nu. 9. C. De Episc. & cler.* Ex qua consideratione nihil quoque commovere debebat Reum, quod idem ille testis ulteriùs deposuit, parentes suos atque etiam illos, à quibus hunc fundum emit, reditum petitum pluribus annis dictis agentibus solvisse; non tantùm ob prætactam singularitatem, vitio suspicionis quoque infectam; sed ex eo quoque, quòd plenius facta illius probatio necessariò non cõcluderet, Reum singularem ejusdem fundi successorem ex illorum solutionibus in obligationẽ aliquã venisse; ob id, quod personalis obligatio fundi possessorem non sequatur, *l. 1. §. si hæres præcepto Ad S.C. Trebell. l. fin. §. ult. De contrab. empt.* & præterea præcisè ex illorum solutionibus non potuerit argui ex hoc fundo illas fuisse factas: cùm dicti parentes reperiantur sub isto eodem territorio plures fundos possedisse, ex quibus quosdam etiam ipsemet testis huic fundo, quem Reus emit, conterminos etiamnum possidet, uti constat ex testibus, tam per agentes, quàm Reũ productis. Quæ probabilis litigandi causa hoc tandem effecit, ut agentes ausæ non fuerint prioribus suis probationibus confidere, sed demùm in exitu causæ allegaverint supratactas divisiones, & urgente Reo de posteriore authenticum instrumentum exhibuerint: quo posteriore viso Reus statim bonam fidem agnoscendo declaravit se paratum liti cedere, atque adeò etiam in conclusionem agentium pro annis, quibus hunc fundum possedit, consensit.

Cùm igitur Reus eo usq; notoriè justam litigandi causam habuerit, propter incertam & celatam veritatem intentionis partis agentis postea per exhibitionem dicti instrumenti divisionis primùm detectam, & incontinenti deprehensâ veritate seu justitiâ actionis propositæ sine ulla mora à lite destiterit, nec ulteriùs intentioni agentium se opposuerit; nulla dubitatio est, quin ob id ab expensarum condemnatione liber esse debeat: quia, ut diximus, ob justam litigandi causam leges Reum ab expensis excusant, *l. Qui soludum §. etiam De leg. 2. Auth. De iudicib. §. oportet, Bart. & alij in l. Properandum §. sin autem alteruter C. De iudic. per l. Si quis insitatus D. De positi, Bald. in l. Desistisse De iudic. Guid. Papæ decis. 137. Felin. in c. Exceptionem nu. 4. De excep. Lanfrancus tract. De expensis nu. 3.* potissimùm tunc, cùm Reus in bona fide, saltem non in mala fuit, & cùm agnoscendo bonam fidem ab ulteriore litis prosecutione sine mora (ut hic contigit) desitit, *Bald. cons. 217. Verba libelli nu. 7. vol. 2.* & omnium maximè, cùm aliquo modo per Actorem aut ejus ignaviam seu negligentiam stetit, quò minùs aut seriùs Reus, cùm non de ejus proprio sed auctorum suorum facto agitur, & sic nulla ejus probabilis ignorantia obversatur, *l. l. Qui in alterius & ibi Decius nu. 7.* de veritate & justitia causæ agentis instrui potuit. Quæ consideratio non hoc tantùm operari debet, ut Reus ab expensis absolvatur, sed illud præterea, ut agentes Reo ad illas omninò condemnari debeant; ut quę temerè plenis & sufficientibus probationibus non instructæ ad hanc litem adversus Reum tertiam singularem personam prosilierint, *l. Eum quem temere De iudic.* & diligentiam faciendarum probationum, quam ante exordium seu saltem in initio litis facere debebant, primùm post longa litis certamina, duobus cum dimidio circiter annis ab hujus litis initio lapsis, facere cœperint. Nec potest hæc negligentia seu potius ignavia ullo modo excusari, quandò per alterum testem demonstrata fuit via, quâ diligentiam investigationis facere possent, ex designatis annis, quibus supradictæ divisiones, per quas hic controversus reditus super hoc fundo reservatus fuit, factæ fuerunt. † Sic enim fuerunt agentes si non in aperto dolo, saltem per nimiam negligentiam in latâ culpâ, quæ minimo gradu à dolo & malitia distat, *l. Quod Nervæ D. Depositi, l. Cedere diem §. fin De verb. signif.* & doli malitiæque effectus habet, *l. Magna negligentia De verb. signif.* † Iam verò docet Bal. *in c. Except. n. 2. De excep.* & ab aliis probatur, *Hippol. De Marsil. in tract. crimin. §. diligẽter n. 203.* quòd Actor, qui usque ad finem litis seu seriùs differt exhibitionem instrumentorum, ex quibus de veritate intentionis ejus Reus instrui posset, debeat in expensis litis condemnari, nec audiatur, si ulteriùs exactionem urgere velit adversus Reum, visis hujusmodi instrumentis incontinenti desistentem ab ulteriore oppositione, nisi refectis & solutis expensis litis. Ita ut Venerabilis D. Iudicis officium esse putemus, agentes in omnibus expensis hujus litis condemnare. Idque; eò magis, quòd plus debito petierint, §. *sed hæc quidem Inst. De actionib.* per hocquòd petierint pensiones seu arriragia

arriragia illorum annorum, quibus Reus ex fundo notoriè nihil percepit, neque percipere potuit, propter impeditam illius culturam per horum
8 temporum tumultus & bellum: * ob quod impedimentum etiam emphyteutæ facienda esset remissio pensionis, ut ex sententia Iacobi de Arena tradidit Bartolus, *in l. fin. nu.* 12. C. *De iure emphyt. Alex. consil.* 112. *Videtur in præsenti vol.* 1. & communiore opinione receptum est, *latè A Egidius Bossius tract. De remiſſon. merced.* multò magis ei, qui ex alterius generis fundo seu propter illum ad aliquem annuum reditum tenetur, & accidentariè non nisi ex causa fructuum perceptorum obligatur tamquam ex quasi contractu, obligatione principali & ordinaria cohærente fundo, propter quam fundi possessio posset avocari, ut ex doctrina Pauli Castrens. *in l. Imperatores in princ. De public. & vectigal.* eleganter respondit D. Nicol. Euerardi Præses *cons.* 146. *Præclariſſimepoſt princ.* & apertiùs postea declaratum fuit per Carolum Molineum, *ad conſuet. Pariſ. §.* 11. *n.* 17. *& in tract. De divid. & individ. p.* 3 *n.* 294. Vsque adeò ut qui contra sic obligati fundi possessorem personaliter agére vult, duo allegare & probarè debeat; Reum conventum possidere, & pro libellatis annis defructuasse, *Præses d. conſil.* 146. *poſt princ.* prout etiam agentes in suo libello utramq; causam tam possessionis quàm defructuationis pro libellatis annis expressim pro medio concludendi proposuerunt; licet allegatam defructuationem per tot annos ex parte Rei negatam nullo genere probationis probaverint, & probare non potuisse rei evidentia, hoc est dicta notoria bellica calamitas redarguit. Quod sanè in proposito tanto magis dicendum videtur, quòd ex literis constituti hujus reditus in actis per agentes exhibitis apertè constet eum non esse fundiarium, hoc est emphyteuticum, censualem, aut sub annuo reditu alienatum, sed imposititium tantùm per speciem pignoris seu hypothecæ supereo fundo, qui numquam ad Monasterium agentium pertinuit, sed tempore recognitionis & constitutionis illius fuit, qui illum recognovit & constituit: ut proinde cessante defructuatione, in qua quasi contractus constituitur, *Præses d. conſ.* 146. aduersus possessorem fundi nulla personalis actio ad solutionem reditus competere possit, sed dumtaxat realis hypothecaria ad avocationem nudæ possessionis fundi, *l. Pignoris.* C. *De pignor. l. Pignoris* D. *eod.*

De sententia & rejudicata.

SVMMARIVM.

Expensæ litis.

1. *Conſcientia nimis ſcrupuloſa interdum periculum habet.*
2. *Iudex malè iudicans ad damnum parti læſæ reſtituendum tenetur.*
3. *Imperitia iuris in Iudice latam, in arbitro levem culpam habet.*
4. *Iudex & arbiter ſecundum allegata & probata iudicare debent.*
5. *Expenſæ viaticorum & vacationum Iudicis arbitrio relinquuntur.*
6. *Iudici an aliquid donari poſſit.*
7. *Expenſæ exiguæ quantitatis iuramento probantur.*
8. *Imperiti literarum ut iudices, ita ſollicitatores & geſtores alienorum negotiorum eſſe poſſunt.*

CONSILIVM CLXI.

HÆ, quæ primo, quæque sequentibus locis proponuntur quæstiones, ex fervore religionis ac scrupulosa, & nimis fortè scrupulosa proficiscuntur conscientia, * quæ & in difficultatem & periculum ædificationis ad gehennam, dubitantem facilè conjicere possent: quam nec evadet is, ex cujus parte proponuntur, nisi depositio errore & scrupulo, *c. Per tuas in fine De ſimonia, Bald. conſ.* 295. *Fama vicinia in fin. vol.* 1. *Angelus conſ.* 181. A *ſecit teſtamentum nu.* 3. In quo deponendo ipse sibi respondere debet in primis, an tempore latæ primæ sententiæ seu arbitrij sibi malè conscius fuerit; quòd scilicet vel ex gratia, vel odio, vel sordibus, vel denique ex imperitia negotiorum gestori seu curatori, de quo proponitur aliquid vel omninò non debitum, vel plus debito ex bonis pupillorum seu minorum contra propriam conscientiam cum alijs arbitris (quos scrupulus conscientiæ non urgere dicitur) adjudicaverit. Id enim si ita esse sibi persuadere potest, se etiam judice, à restitutione damni, quod pupilli seu minores ex ea re acceperunt, excusari non potest: † qui enim sic malè judicat, litem 2
suam facere, & ad damnum inde acceptum parti læsæ resarciendum obligari dicitur, sive Iudex fuerit, *l. ult. De var. & extraord. cognit. l. Ex maleficijs §. ſi iudex De act. & oblig. l. Filius familias De iudic. l.* 2. C. *De pœna Iudicis qui malè iud. c.* 1. *De ſent. & re iudic. lib.* 6. sive arbiter, sive compromissarius, *gloſ. ult. in d. l. ult.* Evidentius quidem & indubitatè si per gratiam, odium, aut sordes, quia id apertum dolum continet, ubi imperitia & imprudentia Iudicis dolo carere potest, & latam culpam tantùm continere, quæ tamen ad restitutionem etiam obstringit, quia dolo comparatur, *l. Quod Nerua* D. *Depoſiti, l.* 1. *ſub fin.* D. *Si menſor. falſ. mod. dix.* etiamsi ex juris ignorantia sit; quia imputatur Iudici, cur cùm juris imperitus sit, functioni hujusmodi se immiscerat. Dico de Iudice; * nam in ar- 3
bitro etiam compromissario, multò magis in arbitratore, qui publici officij functionem non sustinent, juris ignorantia seu imperitia levem tantùm culpam habet, quam præstare coguntur, si dolosè nihil faciant, *gloſ.* 1. *in c. Quia iudicante & ibi Panor. De præſcript.* sibique imputare debent, qui imperitum ad controversiam terminandam adhibuerunt, *l.* 1. §. *hac actio, Si menſor. fal. mod. dix.* satisque est arbitratori ad excusationem etiam in foro conscientiæ, si prout sibi videtur ex bono & æquo illæsa conscientia judicavit; tunc præsertim, quando ad arbitrandum seu concordandum partibus se non obtulit seu ingessit. Est enim arbitrator velut pacis compositor, & transactionis concinnator: in qua hoc naturale est, ut pro bono pacis conniventia quadam velut ex consensu partium aliquid alterius juri detrahatur, *Summa Silveſtrina in dict. Arbiter verſ.* 18. *Summa Roſella, in dict. Arbiter nu.* 6. *Summa Angelica in dict. Arbiter nu.* 6. *& in dict. Culpa nu.* 5. *Bartol. Fumus in ſua* Aurea Armilla *in dict. Arbiter nu.* 17. *&* 20. *in fine*; tunc præsertim, cùm vera & exacta justitia & quid cujusque verè sit aut non sit, apertè & evidenter deprehendi nequit.

Itaque

Itaque in propositarum quæstionum primo capite scrupulum conscientiæ, quem post sententiam seu arbitrium latum, iniecit Procuratoris generalis declaratio, removendum omninò esse
4 puto: † quippe ut Iudex, ita quoque arbiter secundùm allegata & probata, & secundùm qualitatem causæ, quæ est tempore ferendæ sententiæ, jus dicere potest, imò debet, *l. Illicitas §. veritas & ibi Bar. & alij* Doct. *De off. præsidu.*: & cùm semel dixit, ut mutandæ sententiæ ex his quæ postea cognoscit potestatem nullam habet, *l. Iudex posteaquam De re iud. l. Dicere, cum l. seq.* De *recep. arbit.* ita quoque malè latæ sententiæ opinionem sibi super inducere non debet. Vnde est, quòd sententia etiam iniqua contra jus litigatorum lata jus faciat, *l. 1. §. 1. De lib. exhiben. l. sive* De *lib. agnoscen.* Etsi enim dolum & culpam etiam levem Iudex & arbiter præstare debeat, dum tamen extra dolum & culpam fuit, resarciendi damni ex ea iniquitate accepti periculum nullum ei est. Quia igitur tempore lati arbitrij à Procuratore generali nulla facta fuit hujuscemodi declaratio; non potuit arbitrantis animus & religio ex ea commoveri, sed verosimiliter credere debuit assertioni saltem juratæ horum negotiorum gestoris, quoad numerum dierum, quibus asserebat se vacasse & operam dedisse in sollicitanda revocatione confiscationis. Quæ sollicitatio, ut difficilis est (sicuti omnia quæ à Principe seu eius fisco impetranda sunt; citiùs enim Herculi clavum, quàm ab illis aliquid extorseris, ita ut prope pro impossibili habeatur quod in illorum potestate constitit, & ab illis precibus obtinendum est, *l. Idem Iulianus §. constat & ibi Castr. nu. 3. De leg. 1.*) ita quoque ex communi usu temporis longissimum sæpe tractum habet, nec paucis diebus absolvi potest, etiam tunc, cùm judicio res peragitur: multa enim ante illius ingressum circa præparatoria, multa post exitum circa executionem agenda sunt, quæ temporis & dierum cursum requirunt. Ita ut major numerus dierum quinquaginta in tanta re etiam in solo biennio improbabilis non sit, meritoque sollicitatori illum numerum sub juramento asserenti credi potuit; quia ex communi usu non solent negotiorum gestores documenta de singulorum dierum occupationibus & vacationibus à Iudice, Notario, aut actuario exi-
5 gere: † Ideoque in usu forensi etiam Iudicis arbitrio id relinquitur, qui vel propinquitatis vel temporis longinquitate, vel ex consideratione qualitatis causæ viaticorum seu vacationum expensas ac salaria pro suo arbitrio etiam parte non jurante, certiùs tamen eâ jurante, taxare potest, *l. Non ignoret C. De fruct. & lit. expens. l. Sanctimus cum auth. seq. C. De iud. Bart. & alij in l. 1. D. Si quis ius dicen. nō obtemp.* Satis ergò est ad removendum hunc scrupulū conscientiæ, quod juris ratio exegerit, quòd negotiorum gestori ac sollicitatori hujusmodi viaticorū & vacationum expensæ refundi debeant, *c. Cum pro causa* De *procurat. l. Etiam C. Mandati*; & ex communi usu florenus in singulos dies excessivus non sit (ut etiam de hoc scrupulus nullus proponitur) & quòd ex æquo & negotiorum gestori jurato affirmanti seu affirmare offerenti attenta causa & temporis qualitate credi potuerit.

Eodem modo in secundo scrupulo nihil commovere debet arbitrum seu arbitratorem alia Procuratoris generalis sequens post latum arbitrium declaratio; quæ certa & indubitata non est, sed conjecturis tantùm nititur; cum ex adverso non improbabilis sit sollicitatoris hæc asseveratio de viginti florenis Consiliario ac Receptori expeditionum dono datis: † quippe in corruptis ho- 6
rum temporum moribus proclivis est donorum hujusmodi & datio & receptio; reprehensibilis quidem, si ob judicandum, aut non judicandum fiat, *l. Lex Iulia D. Ad leg. Iul. repetund.* tolerabilis, si ob gratiosè impetrandum aliquid à superiore, ut est remissio seu relaxatio confiscationis bonorum, fiat: in his enim incivile, rusticum, & inhumanum foret nihil dare, nihil velle accipere, *l. Solent §. non vero* D. De *off. proconf.* Remunerationis igitur aut provocandæ diligentiæ & acceleratio nis gratiâ Consiliario datum per sollicitatorem rectè repeti, & repetenti per arbitros adjudicari potuit, *l. Cum plures §. penult.* De *admnist. tut. l. 1. §. sed non nullis De tut. & ration. distrahen.* Imò etiam, quoad quantitatem dati, juramento sollicitatoris credi potuit, cùm exigua fuerit tam respectu illius, cui, quàm causæ, pro qua data asseritur, *Franc. Aretinus cons. 24. nu. 14.* † & generale sit in alienarū 7
rerum administrationibus fidem adhiberi administratoribus injurata eorum assertione de expensis exiguæ quantitatis; præsertim de his, quorum probatio aut apocha ex communi usu exigi aut exhiberi non solet, *Bald. in l. 1. §. officio De tutel. & ration. distr. Castr. in l. Quæ sub condit. n. 1. De cond. & demonstr.*

Quæ ratio & consideratio ad proximè præcedentem dicta discutit etiam scrupulum, qui tertio loco movetur de sex florenis Procuratori fiscali dono datis; præsertim quòd idem Procurator postea interrogatus statim non declaraverit se illos non accepisse, & valde verosimile sit ei datos esse; vel ex eo, quòd hujusmodi generi hominum vix umquam satis citò aut satis multum detur, & in causis fiscalibus sint veloves oculataſque plerumque habeant manus, & vix nisi muneribus placati causæ alicujus fiscalis expeditioni intendant. Igitur ex communiter accidentibus id verosimile omninò reputari debuit, & sollicitatori id juranti in tantilla summa credi merito & probabiliter potuit; quod ad integræ conscientiæ conservationem D. Arbitratori satis esse debet. Quem nec hoc conturbare debet, quod sollicitator hos sex florenos uno loco pro munere, alio pro expensis Procuratoris fiscalis ponat: quia satis est summam eandem esse & ex diversis his causis multiplicatam non esse: ita enim fit, ut & ad donum & ad expensas referri possit; quasi expensum pro munere, favorabilis judicij seu rescriptionis causa.

Simili ratione satis æquum videri debet hoc arbitrium, quoad tres summulas in quarti scrupuli propositione mentionatas; tum ob earum exiguitatem, tum ob sollicitatoris juramentum, & denique ex rei probabilitate & communiter accidentibus; quòd hujusmodi sollicitationes & causarum fiscalium directiones sine Advocati consilio, sine opera & interventione ministrorum seu amanuensium explicari aut ad finem perduci nequeant. Neque etiam ad Consiliarios, eosque, qui res fisci procurant, facilis, saltem non tam liber & favorabilis

est ac-

est accessus, si non muneribus ministri subinde demulceantur. Ita ut procuratio seu sollicitatio exemptionis à confiscatione seu illius relaxatio hujusmodi impensas omninò requirat, & sic illarum erogatio si non omninò necessaria, saltem utilis esse soleat: quæ utilitatis ratio sufficit ad repetendum erogata seu expensa in procurationem alieni negotij, *l. Si servum alienum* C. *De neg. gest. l. Quæ utiliter D. eod tit.* Et cùm verosimile sit, has erogationes in Advocatum & dictos ministros sic esse factas, nihil tribuendum est malignæ & incertæ declarationi Advocati; quâ post sententiam dixit se non putare, quod sibi aliquid fuerit solutum salarij nomine; se tamen inquisiturum, num aliquid receperit: per hanc enim non convellitur sollicitatoris assertio, imò magis probabilis efficitur, quàm esset, si absolutè respondisset se nihil accepisse. Licet alioqui verosimile non sit, nihil ei solutum esse; cùm Advocati plerumque & ex communi usu ament præsentem pecuniam, & operam gratis non præstent, ob quam ipsis etiam extraordinariè jus dici debet, *l. 1. §. in honorarys D. De variis & extraord. cognit.*

Quintum scrupulum facilè discutit debitorum multitudo. Executorum enim seu viatorum salaria facilè in iustam aliquam summam excurrunt; præsertim si ex longinquis locis debitores citandi, vel ob eorum contumaciam citationes sæpiùs repetendæ fuerunt. Ita ut D. Arbitri meritò hujus quantitatis definitionem juratæ assertioni sollicitatoris committere potuerint, potiùs quàm exactiorem illius probationem requirere; cùm eam non suo damno, sed periculo & expensis pupillorũ facere debuissent, & sic in exigendo probationem causam pupillarem magis gravaturi, quàm sollicitatoris labores aucturi erant; quia fructum omnem facilè absumptura fuisset impensa.

Quod ipsum quoque dici potest ad sextum scrupulum de 105. florenis sollicitatori per hoc arbitrium adjudicatis pro viaticis & vacationibus, quæ à sollicitatore petita fuerant ob prosecutionem litium adversus supradictos debitores: quippe usus communis demonstrat sine sollicitatione, sine prosecutione & instantia, vel domini, cujus sunt lites, vel alterius nomine illius, lites commodè nec institui nec ad exitum perduci posse; satisq; in proposito est, quòd non arguatur hic sollicitatoris vel calumnia vel temeritas, *l. Non est ignotum* C. *De administr. tut.* sic quòd utilitas, imò necessitas sic gesti negotij admittat, adeoque etiam expoſcat hujusmodi salarij seu viaticorum solutionem, etiamsi Iudicis auctoritas aut præceptum nullum accesserit; quia quod sic petitur & eo nomine erogatur, potiùs justitia, quàm aliena authoritate firmatur, *l. Sumptus in fine* C. *De administrat. tutor.* Nec ad rem facit, quod hic sollicitator literarum fuerit imperitus: nam & qui eas nescit Iudex, *l. certi iuris* C. *De iud.* & accusator, *l. 3. §. item subscribere De accusat.* & rerum alienarum administrator esse potest, *l. Athletæ §. ult. D. De excus. tutorum*; cùm etiam imperiti literarum ad administrationem negotiorum sufficere possint, *§. similiter Inst. De excus. tut.* Sufficit enim solers diligentia, nec requiritur literarum peritia in sollicitandis causis seu litibus; quæ judicio quidem & consilio Advocatorum instruuntur, sed instantiâ & diligentiâ ejus, cujus sunt, vel amici, vel quibus ejus rei cura mandatur, urgentur & sollicitantur.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Executio Iudicati.

1. *Executio iudicati per pactum de non petendo sistitur.*
2. *Sponsiones in iure approbantur.*
3. *Expensarum condemnatio in causa appellationis quomodo fieri debeat.*

CONSILIVM CLXII.

ORTO hujus litis, quæ nunc in secunda instantia pendet coram Venerabili Domino Decano Ecclesiæ S. Petri Lovanienſis inter Guilielmum Horion originalem Reum, nunc appellantem, & Raphaelem Sgevens appellatum, inde profluxit (confert enim illius repetitio ad causæ intelligentiam) quòd, cùm Appellans ab Appellato conductum agrum aliquot annis sub pensione quatuor florenorum possedisset, idem Appellans procurante Appellato pro septem pensionibus coram Officiali Leodiensi anno 1554. in jus pertractus, ibidemque in jure debitum sex annorum confessus fuerit; cujus confessionis ac recogniti nomine pro dictis sex annis tandem anno 1559. idem Appellans per literas Domini Officialis sub pœna excommunicationis monitus, ut recognitum debitum solveret, eoque non solvente censuris Ecclesiasticis innodatus fuit. Cæterùm quoniam post dictam confessionem inter Appellatum & Appellantem (conquerente Appellante quod Appellatus pro septem annnorum pensionibus eum in jus traxisset, eaque ratione eum injuria affecisset, cum sex annorum tantùm pensionem deberet; negante id Appellato & asserente se tantùm pro sex annis Appellantem in jus vocasse) sponsio inter Appellatum & Appellantem facta fuit, accepto per Appellatum ab Appellante uno dalero, sub ea conditione & lege, ut, nisi Appellatus probaret Appellantem pro ijs annis, pro quibus eum in jus pertraxerat debere, ius petendi totius debiti etiam recogniti amitteret; idem Appellans sic pro dicto recognito monitus ac censuris innodatus prætactam sponsionem allegavit, & ex ea allegatione absolutionem à censuris obtinuit, & ad probandum dictam sponsionem admissus, probavit eam per Rasonem & Tilmannum; eo tantùm apertè non probato, quòd de septem annis verborum contentio exorta & sponsio facta fuerit: quò factum, ut Dominus Officialis decreto suo Appellantem gravaverit onere probandi, quòd ad instantiam Appellati pro septem annis citatus fuerit: quo onere in se assumpto Appellans per dictum Rasonem liquidò id probavit, obscurius per Tilmannũ; ex cujus probationis imperfectione (ut conijcio) D. Officialis tandem decrevit prætactam suam monitionem pro recognito sub pœna censurarum Ecclesiasticarum factam cursum habere debere; à quo decreto, cùm vim diffinitivæ habeat, Appellans provocavit, causamque coram præfato Domino Decano per Apostolicum rescriptum introduxit: cujus quidem appellationis causa omninò justa est. * Hoc

enim

enim certum est, quòd quamvis in jure confessus pro judicato habeatur, *l. 1. C. De confessis*, & adversus eum non cognitionaliter, sed executivè procedendum sit, *l. Proinde §. notandum Ad leg. Aquil.* executionem tamen etiam veri judicati sisti, & illius vim elidi per pactum liberatorium de non petendo; cum sententiæ iniquitatem non redarguat, sed vim solutionis, saltem ope exceptionis habeat, præsertim quando post rem judicatam aut confessionem intercessit, *l. si unus §. pactus ne peteret & ibi Doct. De pact.*

Cùm ergò per dictam sponsionem appellanti debitum etiam recognitum omninò reperiatur remissum, Actore in sponsione succumbente, consequens est, recogniti executionem aut exactionem
2 efficacem nullam esse: * sponsiones enim ad obligationem, multò magis ad liberationem, quæ ubiq; favorabilis, *l. Arrianus De action. & obligat.* inducendam efficaces sunt; non tantùm ex causa de præterito, veluti an aliquis sit mortuus, aut aliud factum sit, vel non sit, de quo nulla est dubitatio, *Ioan. Bapt. Cacialupus in tract. De ludo nu. 23. per l. Cum ad præsens Si cert. pet.* verùm etiam de futuro, ex honesta minimeque vetita causa. Conditio enim, sub qua fiunt sponsiones, illiusque eventus vel defectus in alterutram partem pro causa obligationis habetur, *l. Titio & ibi Castrens. Salyc. & aly De verb. oblig. Marianus Socinus in c. Inter dilectos De excess. prælat. Matth. De Affict. decis.* 389. quarum usus etiam veteribus admodum frequens fuit, *Guil. Budæus ad Pandect. tit. De orig. jur. in verb. vindicias filiæ suæ.* Qualis etiam fuit illa (quæ huc proximè pertinet & propositæ sponsionis similis est) Ciceronis *in orat. pro Cecinna*, an Cecinna adversus violentam Sexti Ebutij dejectionem restitutus esset?

Cùm igitur liberationem sic sibi pacisci potuerit Reus sub ea conditione, hoc solùm quærendum, ex cujus parte sponsio commissa sit? Et indubitatum est ex parte Appellantis, & ad ejus emolumentum concessam esse; ob id, quòd in ea sponsione Appellatus actoris & asserentis partes sustinuerit; non tantùm per receptionem dari (quam ipse quoque fatetur, licet causam hanc receptionis non agnoscat, quam tamen testes, qui sponsioni interfuerunt apertè testificando asserunt) verùm etiam propter Appellato ultroneam in dicta sponsione factam assumptionem oneris probandi, quòd Appellans deberet ei pensionem pro tot annis, pro quot illum citari prius fecerat; cujus probationem Appellatus ne nunc quidem hactenus fecit, nec facere tentavit. Sic ut ex defectu hujusmodi probationis, quæ fuit conditio sponsionis, Appellans si non ipso jure, saltem ope exceptionis (quam coram D. Officiali proposuit) liberatus fuerit à recognito debito; cujus nomine ulterior executio peti, vel decursus literarum monitorialium pro recognito decerni non debuit. Prout etiam toto quadriennio ab interposita hac sponsione Appellatus tacendo, recognitum debitum non ursit, propter defectum promissæ probationis; resumpta tamen non sine improbitatis suspicione ac nota, causa ex intervallo quadriennij, spe & fiduciâ, quòd interpositæ sponsionis probationem nullam Appellans in labilitate memoriæ humanæ esset habiturus. Cujus significationem facit improba Appellati negatio factæ sponsionis, quam Appellans testibus probare debuit, & liquidò etiam probavit. Sic quòd meritò Officialis, vel omninò non gravare debuerit Appellantem probatione citationis pro septem annis factæ, in pœnam mendacis negationis; vel saltem eidem in supplementum probationis juramentum deferre debuerit super eo, quòd pro septem, non pro sex tantùm annis citatus fuerit: ob id, quod Appellans plus quàm semiplenè id ante decretum à quo appellatum est, probaverit; primò per liquidum testimonium præfati Rasonis, qui tam constante causa scientiæ adducta, de septennij citatione est testificatus; secundò per accessionem testimonij Tilmanni, qui quamvis dicat se numeri annorum non meminisse, apertè tamen dicit se scire, quòd contentio fuerit de excessu unius anni in citatione, quem appellatus negabat, appellans asserebat. Ita ut cùm in sexennio conveniant appellatus & appellans, necesse sit de septennij citatione contentionem verbalem fuisse. Proinde cum ad semiplenam etiâ actori juramentũ Iudex deferre teneatur, in supplementum probationis, *l. Admonendi & ibi Doct. De jurejuran.* multo magis ad eam, quæ semiplena major, & omnium maximè Reo, cui magis quàm actori favendum, *l. Favorabiliores De reg. jur.* inspecto statu actorum primæ instantiæ, existimem per D. Officialem malè judicatum, neque admodum opus fuisse clariore deductione aut probatione boni juris ipsius Appellantis quoad dictam exceptionem ex prætacta sponsione adversus debitum recognitum, illiusque executionem ei competentem. Quæ tamen accessio clarioris probationis cùm malam fidem Appellati detegat, hoc efficere omninò nunc debet, ut non tantùm officio Ven. D. Decani incumbat retractare præfati D. Officialis decretum, à quo provocatum est; verùm etiam condemnare Appellatum in expensis utriusque instantiæ propter dictam malam fidem, consistentem in negatione facti proprij, cujus nulla est probabilis ignorantia, *l. ult. in fine D. pro suo.* Cur enim damno aut fraudi appellanti id erit, quod magnis expensis probare debuerit dictam sponsionem per appellatum factam, & tamen mala fide negatam?

Cum alioqui hoc generaliter verum sit, quod 3
quotiescumque actorum prioris instantiæ ea est conditio, ut ex illis prior sententia retractari possit, succumbens in appellatorio judicio, condemnari debeat in expensis, tam prioris quàm posterioris instantiæ, *Bart. in l. Generaliter §. 1. nu. 8. C. De reb. cred. Rota decis. 251. Licet sententia, alias est 10. sub. tit. De dolo & contum. in novis, Ioan. Bapt. Ferret. conf. 175. Pars adversa.* Quod & tunc quoque procedit, quando ex novis probationibus mala fides actoris, quæ in prima instantia ex defectu probationis non poterat deprehendi, detegitur, & sic deprehenditur postea eum justam causam litigandi non habuisse, aliasque bonam fidem non agnovisse, *Pancr. in c. Finem litibus nu. 25. De dolo & contum.* Non enim justificatur eo casu appellatio, neque causa retractandæ prioris sententiæ datur ex eo quod actor ignoraverit; quod equidem fieret, si vel ex alieno facto conveniretur, *l. Qui in alterius De reg. jur.*, vel instrumentis de novo repertis, quæ

justè

justè ignorare potuit priùs non confecta probatio, conficeretur. Itaque cùm præmissorum occasio, imò necessitas data fuerit ex probatione facti proprij ipsius Appellati, qui mendaci negatione factum suum tegere conatus fuit, non debet ei patrocinium esse ex iniqua sententia, cui causam pro maxima parte dedit ejus negatio, ut ab expensis utriusque, vel alterius instantiæ excusetur.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Executio judicati malè facta.

1. *Sententia interlocutoria executioni mandanda per Iudicem, à quo appellatum est,*
2. *Executio malè facta retractari debet.*
3. *Missio in bona, non distractio facienda est in condemnatione ad factum.*
4. *Interesse liquidari debet, antequam ad executionem procedatur.*
5. *Iudice authore quando quis iustè faciat.*
6. *Factum Iudicis est factum partis.*
7. *Executio iudicati sistitur solutione.*
8. *Satisdationem non recipiens quodammodo iniuriatur.*
9. *Cautionis decretum quid contineat.*
10. *Damnum reparari non potest nisi de eo constet.*

CONSILIVM CLXIII.

SCRIPSIMVS latè in causa petitæ rescissionis certi contractus inter Henricum Vlen & Ioannem de Platea adversus intentionem dicti Ioannis, hujusmodi rescissionem proponentis: cæterum quia ex ea lite necdum finita, statim in illius initio alterius contentionis materia incidit, propter executionem decreti sequestrationis pecuniæ localium ac argenteorum ex parte Ioannis, & sex obligationum seu cautionis eo nomine præstandæ ex parte Henrici, paucis priori nostro responso adjiciemus, an justa sit petitio Henrici in eo articulo, hoc est, an inhibenda sit ulterior dicti decreti in ea forma, quâ cœpit Ioannes, executio, & quatenus facta est, impetranda sit revocatio & redintegratio.

Et primò quoad articulum exceptionis declinatoriæ, quâ contendit Opponens recognitionem hujus articuli pertinere ad Concilium Brabantiæ, ad quod actor per modum reformationis provocavit in materia dictæ executionis, subsistendum
1 non est. * Nam constat executionem sententiæ interlocutoriæ esse faciendam à Iudice, à quo provocatum extitit, & non à Iudice provocato judicante appellationem iniquam esse, *l. Intra utile & ibi Bart. De minor. spec. in tit. de execut. sent. §. 2. vers. quid ergo*; multoque magis eo casu, quo ex statuto vel consuetudine appellatio non suspendit executionem rei judicatæ: nam eo quoque casu sententiam definitivam exequetur Iudex, qui sententiam dixit; licet alioqui Iudex appellationis exequatur sententiam definitivam, *l. A Divo Pio in princ. De re iud. l. Præcipimus §. officijs & ibi Bart. C. De appellat.* Iam verò & hoc quoque constat, quæstiones in executione emergentes per eos ipsos, qui rem judicatam executioni mandant, cognoscendas esse, *d. l. A Divo Pio §. fin. super rebus.*

Igitur ad executionem ipsam accedamus, quam Domini Advocati tam latè excusserunt, ut vix sit quod eorum laboribus addatur. Præcipua itaque capita tantum attingemus, quibusdam additis.

* Hoc autem apertissimum est, executionem 2
rei judicatæ præter ordinem juris, vel iniuriosè vel injustè factam retractari, & executionem passum adversum eam in integrum reponi, *l. 1. De excep. rei iud. l. Meminerint C. Vnde vi, l. Non est verosimile §. 1. De eo quod metus causa, Bart. in quæst. Lapus capt. Bald. in l. Observare n. 13. De off. procons. l. si pignora De eviction. Anchar. cons. 292.* imò injuriarum agi posse adversus eum, qui executionem fieri procuravit, *l. si verò § qui pro rei D. Quis caus. cogan.* Neque enim debet velo levato, non præcedente matura deliberatione, sive instante sive non instante parte, ad executionem procedere vel Iudex, vel serviens, vel apparitor, *d. l. Meminerint, Corneus consil. 159. n. 13. vol. 1. & cons. 62. nu. 3. vol. 3.* Cùm ergo in casu subiecto plurima sint, quæ & parti executionem importunius sollicitanti, & judici exequenti hic objici & ad turbatum juris ordinem & formam executionis injuriosam referri possint; meritò ad suspensionem ulterioris executionis contendit Actor, & ad factæ executionis redintegrationem, ulterioriscque distractionis prohibitionem, *locis sup. allegatis Afflict. decis. 358.*

Constituimus autem hujus nullitatis & injusti- 3
tiæ rationem in eo primùm, quòd cùm Actor ad factum condemnatus fuerit, (sequestrare scilicet obligationes, aut cavere Ioannem nullam molestiam inde passurum) non debuerit aut potuerit statim in executione pati bonorum distractionem, seu missionem in bona, aut pignorum capturam, *l. si fideiussor §. fin. Qui satisd. cog.* quia non pro solutione sed cautione tantum debuit fieri executio: cùm ut ab uno genere executionis permisso ad aliud, quod diversi generis est, fiat transitus permissum non sit, *Angel. in l. Qui restituere n. 5. De rei vindic.* quemadmodũ nec executio adversus unũ decreta adversus tertiũ fieri potest, *not. in l. Minor De evict. Anchar. d. cons. 292.* Et quamvis ad cautionem duplæ quis condemnari possit, & sententia impetratæ cautionis executioni mandari, antequam res vendita evincatur, *Bart. in l. si dupla De evict.* æquum tamen non est, bona distrahi, antequam evincatur res, aut saltem probetur emptoris interesse, *l. fin. De prætor. stipulat.* * nam ut propter 4
interesse ad distractionem perveniatur, necessaria est cognitio, & ejus quod interest liquidatio, *Bart. in l. 1. in fin. De leg. 2. l. 1. D. Iudicat. solvi, Cassiens. cons. 79. Pro plenore vol. 1.* quia id quanti interest plerumque illiquidum est, *d. l. fin. De prætor. stipul.* Ideoque illud præterea requiritur, ut Iudex interloquendo pro tribunali decernat res mobiles eo nomine distrahendas esse, *socin. cons. 158. vol. 2.* Ita ut cùm hæc non præcesserint non tantum iniqua judicanda sit cœpta executio per bonorum distractionem, sed etiam evidenter nulla; ut meritò ulteriùs inhiberi & quatenus facta est revocari possit, *Corneus cons. 204. In præsenti.*

Neque audiendus est Reus, si sub prætextu au- 5
ctoritatis Iudicis se excusare velit; quasi eo auctore omnia justè sint facta, *l. Iustè De acquir. possess.* nam

hoc obtinet, & ad excusationem aliquo modo pertinere potest, quoties vel ambitio vel compactum aut aliud quod speciem fraudis habet argui
6 non potest, *l. Ordo rei C. De except. rei iudic.* * Nam si argui potest, factum Iudicis est factum partis, *l. si ob causam & ibi Bart. Bald. & alij De evict.* cùm uterque jubeatur bona fide in eo versari, *Bart. in l. Creditoris De distract. pign.* Iam verò pro parte Actoris allegatum est, Reum quodammodò compulisse Iudicem etiam invitum, ut suo periculo ad executionem procederet, interpositâ promissione indemnitatis: sic ut non tam Iudex, quàm ipse Reus auctoritate sua judicatum executus sit, & bona distraxerit; quo respectu etiam in periculum furti aut bonorum raptorum, & injuriæ, ultra necessitatem præstationis ejus quanti interest, incidit, *l. Miles §. qui iudicati De re iudic.* Qui nullitatis & injustitiæ modus augetur etiam ex eo, quòd Reus cautionem ab Actore re ipsa oblatam admittere noluerit, eaque reiectâ executionem per bonorum distractionem sub hasta publica aggressus
7 sit. * Nam ut solutione ejus quod debetur judicium quisque evitat, *§. fin. Inst. De perpet. & temp. act. l. Quidam existimaverunt D. si cert. pet.* ita quoque executionem judicati solutione, præstatione, aut legitima oblatione ejus quod re judicata cõtinetur, *l. Qui condemnare §. ait prætor cum §. seq. & §. soluisse De re iud.* etiam post missionem in bona, imò etiam post proscriptam distractionem, *l. si priusquam C. De distract. pig.* auctioni enim & distractioni intercedere licet, *l. si hypothecas C. De remiss. pign.* Cum ergo Reus alternativè condemnatus fuerit, vel sequestrare obligationes, vel cavere, & alterutram partem eligere potuerit, *c. In alternativis De regul. iur. in 6.* ac iam accincto ad executionem tam Reo, quàm Iudice, Actor non tantùm cautionem obtulerit, sed se cavisse demonstraverit, judicialiter scilicet hypothecando domum & prædium suum & in universum omnia bona sua, quia nihil supererat quod executioni mandaretur, sublatâ obligatione sequestrandi per electionem cautionis, sine vitio nullitatis non potuit procedi ad hanc rigorosam executionem; non magis quàm cùm nulla adhuc res judicata est, *l. 1. C. De exec. rei iud.*

8 Neque obstet recusatio Rei in suspicienda cautione: nam & in eo summa est improbabilitas & injuriæ quædam species, *l. si verò §. qui pro rei Qui satisd. cog.* Ad Iudicem enim referre debuit, si minùs idoneum pignus existimasset, non protervè procedere ad distractionem, *l. 2. C. De re iud.* cùm liquidè non constiterit inidoneum fuisse; & eo casu, quo de idoneitate dubitatur, simpliciter reijci non debet, sed ad cognitionem revocari, *d. §. qui pro rei.* Quod enim Reus dicit hanc cautionem prius fuisse reiectam, cùm eam Actor offerret pro cautione pecuniæ namptizatæ, verum non est: nam oblatione facta, & audita Rei recusatione, cùm Actor videret Reum malignari, ne inde namptizandæ & tollendæ pecuniæ aliqua mora iniiceretur, sine decreto Iudicis pro satisfactione satisdationem præstitit; ut sic fuerit tantùm commutatio cautionis, non priοris improbatio. Et sanè si hac ex parte scrupulus aliquis superfit, expendi & excuti potest per Dominos Iudices oblata cautio num idonea fuerit, ut ex eventu cognoscatur, an vitiosè & sic nulliter fuerit pro parte Actoris cautum, *l. Quoties Qui satisd. cog.* Quod si reperiretur vitiosè scilicet cautum fuisse (quod non putamus) nihilo justior efficietur dicta distractio, quod eam cautionem non admiserit Reus, ut dictum est. * Nec obstat, quod fideiussoribus datis,
9 non pignoribus aut hypothecis, cavere debuerit; nam cùm decretum cautionem postulet, de idonea & omni genere idoneæ cautionis loqui intelligitur, *l. Sancimus C. De verbor. signif.* Cum itaque plus cautionis sit in rem, quàm in personam, *l. plus cautionis De regul. iur.* præferenda est satisfactio seu pignorum datio fideiussoribus: cùm etiam in prætorijs stipulationibus, in quibus cautionis exacta habetur ratio, quamvis fideiussoribus datis liberetur, qui cavere debet, *l. prætoriæ satisdationes De prætor. stipul.* quin tamen audiatur, si pignus potiùs, quàm fidejussorem dare velit, dubium non est, *gloss. in d. l. Prætoriæ satisdationes in V. satisdationes & ibi castren.* Cum alioqui eo quoque respectu ad cognitionem Magistratus reijcienda fuisset disceptatio, cujus generis cautio præstanda fuerit.

Sed nec hoc magis justificabit hanc præcipitatam executionem, quòd Reus iam tempore exe-
10 cutionis molestiam & damnum ex duabus obligationibus passus erat, sic ut ea cautione restaurari non potuerit, sed damni reparatione opus fuerit. Nam inprimis quod attinet ad alteram obligationem Vincentij Smet, non est Reus condemnatus virtute obligationis alteri traditæ, sed specialis promissionis dicto Vincentio factæ, ut ex tenore sententiæ de facienda namptizatione liquidissimè apparet. Et quoad alteram obligationem Christiano Hulsbusch traditam, etsi de conventione constare videatur, non constat tamen de executione aut reali solutione: damnum enim reparari non potest, nisi de eo constet, nec tenetur ex indemnitatis obligatione quisquam nisi damno illato & probato, *l. 1. & 2. & ibi Bart. & Bald. C. De conven. debit. lib. 10.* * Ideoque etiam utroque
10 casu oportuit ante omnia de damno & damni quantitate doceri, & Iudicem cognoscere, & sic imperare ejus solutionem, vel recusante Actore mandare executionem per bonorum distractionem, *Afflict. decis. 388. Dec. cons. 322.* quod hic factum non reperitur: prout etiam hæc satis latè per Dominos Advocatos deducta sunt.

Illud quoque in hac re ad nullitatem dictæ executionis & reijciendam allegationem damni post sententiam de sequestrando vel cavendo latam accepti, plurimùm facit, quòd pro dicto damno postea emergente non fuerit permissa executio, sed tantùm executio sententiæ latæ 21. Octobris, quam etiam solam Reus Actori intimavit & per decretum 23. Decembris subsequentis prosequi jussus est: ita ut cùm in dicta sententia 21. Octobris lata de damni reparatione nihil contineatur, nulla quoque ejus nomine sine nova cognitione fieri potuerit executio; cum velut nova causa fuerit, quæ allegationibus defensionibusque Actoris repelli potuit, *Decius d. cons. 322.* Cùm ergo tam multa concurrant, partim ab Advocatis deducta

(à quo-

(à quorum repetitione abstinemus) quæ Actoris intentionem justificent, & temeritatem executionis detegant; arbitramur nos subscripti V. I. Doctores pro parte Henrici Vlen justè petitam esse redintegrationem factæ executionis, & inhibitionem ulterioris.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ executio, quæ nulla fuit.

1. *Iud. cis factum est factum partis.*
2. *Scholaris in loco originis conveniri nequit.*
3. *Scholaris ad laicum tribunal vocari non potest.*
4. *sententiæ à Iudice incompetente prolatæ verba enunciativa non probant.*
5. *Citatio non præsumitur.*
6. *Citationis defectus annullat sententiam etiam pro absente latam.*

CONSILIVM CLXIV.

IN causa, quæ per Reverendum D. Conservatorem decidenda est inter M. Arnoldum de la Chapelle Actorem, & Nicasium Petit ac viduam Nicolai Leurion Reos, illud expendendum, num actione in factum teneantur Rei, quod Actori impedimentum præstiterint, quò minùs consequatur solutionem reditus controversi? Negant enim id Rei eo prætextu, quod in causam judicati per apparitorem distractus sit hic
1 reditus, quasi nihil sit quod eis imputari possit. † Cæterùm cùm factum Iudicis sit factum partis, *l. Si plus* D. *De evict. Alber. in l. Qua ratione* §. *hæ quoque* D. *De acq. rer. dom.* hoc est, is fecisse intelligatur, quo instante Iudex fecit, consequens est, ut factum ad instantiam dictæ viduæ ei quoque imputari debeat. Quemadmodum etiam in juriarum nomine tenetur, cujus querela & petitione aliquis à magistratu cæsus est, *l. sed si unus* § *servus meus De iniur.* Quod hic potentius dici potest, ex eo, quòd sententia, virtute cujus Rei prætendunt dictum reditum in causam judicati distractum, sit ipso jure nulla; idque ea ex causa, quòd ab incompetente Iudice lata sit, *l. 1. & fin. C. Si quis à non competente iud.* * Iudex enim originis vel incolatus in Cleri-
2 cum scholarem jus dicere non potest, cùm is peculiarem suum Iudicem habeat, *Auth. habita. C. Ne fil. pro patre*: præsertim in alma Vniversitate Lovaniensi, quæ ex privilegio tam notoriam habet exemptionem, ut in tota hac Belgica à nemine dissimulari possit: quod privilegium cùm habeat insertam clausulam irritantem, ultra jus commune longè potentius facit ad dictæ sententiæ nullita-
3 tem, * & hoc quoque operatur, quòd cum notorium & certum sit scholasticos non posse ad laicorum tribunalia evocari, *gloss. in l. 2. §. 1. in verb. sciatur si quis in ius vocan. non ierit*, nihil obsit Actori, quòd vocatus coram Magistratu Tornacensi non comparuerit, *l. fin. De iurisd. om. iud.* & privilegium suum non allegaverit, *d. l. 2. §. 1.* Quamvis interim de vocatione seu citatione nihil omninò constet, etiamsi sententia citationis mentionem faciat: constat enim ex tenore sententiæ, latam eam fuisse in Actorem hujus causæ absentem; * quo
4 casu communi opinione receptum est, *Alex. cons. 42. Viso processu. vol. 4. & cons. 123. Viso processu vol. 2.* enuntiativa verba, quæ sententiæ inseruntur, non probare. * Sed nec in dubio præsumptio
5 assumenda, quòd citatio verè præcesserit, ubi sententia est recens, hoc est ultra decem annos non lata; ut est in casu proposito: citatio enim est solemnitas extrinseca, ideoque præsumi non debet, *Bart. & alij in auth. si quis in aliquo C. De eden. Canonistæ in c. Qui contra De probat.* Ita ut inde aliud nullitatis vitium rursus constitui possit, cùm ex eo consequatur eremodicium nullum contrahi, nec in absentem sententiam ferri potuisse: † defectus enim citationis tam po-
6 tens est & substantialis, ut sententia etiam in favorem absentis non citati lata ipso jure sit nulla, *Bart. in l. ea quæ C. Quomodo & quando &c. & in l. Si furioso & ibi Alex. & Ias. De re iudic.*

Cùm itaque ex tenore sententiæ constet dictam viduam non potuisse hujus causæ Actorem convenire ex syngraphis mense Iulio anno quinquagesimo tertio scriptis, post lapsum trium mensium, hoc est post octavam mensis Octobris tunc sequentis, intra quod tempus idem Actor matriculæ dictæ Vniversitatis inscriptus fuit, & continuò in eadem resedit, ut patet ex notula intitulationis, & attestatione non tantùm Bedelli, sed etiam testium pro Actore productorum: consequens est, omnia medio tempore in causa civili contra Actorem Tornaci coram Magistratu sæculari & illius authoritate acta, ipso jure esse nulla, & per D. Conservatorem via canonicæ sanctionis revocanda, sic ut hic sufficiat constare reditum Actoris esse, & per Reos distractum fuisse.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Sententiæ executio quæ nulla fuit.

1. *Sententia, quæ nulla fuit, executioni mandari non debet.*
2. *Executio male facta revocari debet.*
3. *Executor an de nullitate sententiæ cognoscat.*
4. *Monachus neque succedere neque in iudicio agere potest.*
5. *Contumacia non punitur amissione causæ, sed missione in bona.*
6. *Contumax quando censendus qui per illegitimum procuratorem comparet.*
7. *Possessor bonæ fidei an fructus perceptos & consumptos restituat.*
8. *Contumacia ficta non excedit fines veritatis.*
9. *Principis alienatio privilegiata est.*
10. *sententia contra sententiam lata est nulla.*
11. *sententiæ nullitas coram eo qui iudicavit proponi potest.*

CONSILIVM CLXV.

IN causa seu actione judicati, quam contra D. Goswinum van Raesfelt Reum proposuit

& instituit Gerardus Swasken tamquam maritus Adrianæ Beckom, Actor ex condemnatoria sententia, per quam Dominus Goswinus velut ex contumacia condemnatus est, inter cætera ad solutionem & restitutionem non tantùm expensarum litis, sed etiam perceptorum fructuum ex bonis, in quorum proprietatis possessionem eadem sententia positus & missus est Gerardus, quamvis Actoris intentio ex claris verbis dictæ sententiæ nulla provocatione aut appellatione suspensæ, videatur primo conspectu esse fundata; perimitur tamen & enervatur ex vitio nullitatis per præfatum Reum obiectio. Cujus quidem nullitatis obiectio potentissima est, sive viâ executivâ ex ipsa sententia procedatur, sive nova actione judicati propter sententiam agatur:

1 * executioni quippe sententia mandari non debet, quæ nullitatis vitio infecta est, *Iaſ. in l. 4. §. condemnatum in princ. & nu. 4. De re iud.* quia sententiæ nomen non meretur, quæ nullius momenti est, *d. §. condemnatum.* nec rei judicatæ aut juris

2 auctoritatem habet, *Clem. Poſtoralis De re iud.* * Vsque adeò, ut si præcipitantius aut temere executioni mandata sit, retractari possit executio, *l. Si cum nulla De re iud. l. ult. C. Si ex falſ. inſtrum. Iaſ. d. nu. 4.* sic quòd nemo Iudex siue superior sive inferior cogatur aut possit, parte saltem opponente, officium suum impartiri petenti hujusmodi sententiæ executionem; neque etiam ex

3 ea sententia condemnationem aliquam facere. * Nam etsi qui ad sententiam alterius exequendam deputatus ac requisitus est, non debeat de iniquitate sententiæ cognoscere, *l. si prætor iuſſerit De re iud. c. Paſtoralis §. quod verò De off. deleg.* cum ejus officium in eo tantùm versari videatur, ut rei judicatæ vigorem ad effectum perducat, *l. Executorem C. De exec. rei iud. c. De cætero De ſent. & re iud.* alio tamen est conditio, & causa nullitatis; quia de eâ cognoscere potest, & debet executor, præsertim qui non ex mandato Principis vel superioris, aut ejus delegati exequi debet, *d. §. quod verò*; ut fit cùm is qui jurisdictioni præest ab alterius loci Iudice requiritur, ut sententiam adversus suum subditum per requirentem latam exequatur, *Caſtrenſ. in d. l. Si prætor iuſſerit in princ.* multoque magis cum nulla Iudicis condemnantis requisitione interveniente pars victrix ex nova actione judicati eundem vel alium Iudicem adit; & omnium maximè cùm supremus Iudex ex inferioris Iudicis sententia aditur.

Nullitas autem dictæ sententiæ ex pluribus causis & capitibus deducitur. Et primò quidem ex conditione, atque inhabilitate personæ, cui in effectu adjudicata est possessio dictorum bonorum. Cùm enim notorium sit & sine negotio probari possit, præfatam Adrianam pridem emisisse votum Religionis, & in statu ac habitu monachali multis annis fuisse; neque ex actis constet de legitima aliqua ex Pontificis gratia & auctoritate super hujusmodi voto ac statu dispensatione seu relaxatione; neque etiam si fortè literas dispensationis impetratas haberet de illarum interimento, verificatione & Iudicis (cui cognitio super narratis in hujusmodi bulla seu literis Apostolicis ex stilo Romanæ Curiæ committi solet) declaratoria sententia; & status sua natura perpetuus semel susceptus perdurare semper præsumatur, donec plenè constet de illius legitima mutatione; non potuit dicto Gerardo ex capite Adrianæ aliquid juris adjudicari. † Religiosus enim cùm mortuus sit mundo, *Auth. Ingreſſi C. De ſacroſ. Eccl. c. In præſentia De probat. Curt. in tract. feud. parte 3. q. 9. nu. 17.* 4
ipso jure est incapax non tantùm rei petitæ & per sententiam obtentæ, sed etiam judicij, *c. 1. De vaſal. mil. qui arma bell. depoſ.* nam Monachus per inde ut seruus personam standi in judicio non habet, *l. Seruus De iud. l. penult. Qui accuſ. poſſ. c. Si quis* III. *q. ult.* redditurque judicium retrò nullum conditione monachali etiam postea detectâ, *Non idcirco §. ſed & poſtea & ibi Bald. De iud.*

Secunda propositæ nullitatis causa, est evidens & manifesta quæque prima lectione deprehenditur ac palpatur dictæ sententiæ iniquitas, quæ semper operatur nullitatem, *Doct. in c. 1. & in c. Inter cæteras De re iud.* idque variis iterum ex causis. Primò, quòd Reus ob solam contumaciam affectus sit damno totius causæ: * cùm secundum 5
terminos juris contumacia in non comparendo non debeat statim puniri tali pœna, ex qua inducereturamissio totius causæ, sed tantùm fieri missio in bona, *gloſ. in l. 1. §. fin. Si quis ius dicen. non obtemp. & ibi Bald. Bart. in l. Diuus De cuſtod. reor. Franciſc. Aretin. conſ. 146. Viſa conſultatione. vol. 1.* Et dota quòd alia esset consuetudo seu statutum loci, ut damno causæ statim affici possent contumaces, prout hujusmodi statutum vaplerique volunt, *Ioan. And. in cap. Veritatis De dolo & contum. Bald. in c. 1. De pa. iura fir. n. 11. Specul. in tit. De accuſat. §. ſequitur videre*; sanè tamen & cum moderatione accipiendum esset de eo, qui verè ac manifestè contumax est: quod in proposito casu dici non potest; ob id, quòd ex instrumento protestationis per Reum exhibito constet, Reum ante latam sententiam per procuratorem comparvisse, & ligitimas causas, morbi scilicet ac feriarum allegasse.

* Cui nihil obstat, quod objicitur, procurato- 6
rem missum non fuisse habilem ad procuratoris officium subeundum, & quod contumax etiam reputetur, qui per illegitimum procuratorem comparet, *Bart. in l. Si finita §. Iulianus n. 13. De damno infecto, Bald. in authent. Et qui C. De temp. appellat.* nam hujusmodi defectus non sufficit ad manifestam & notoriam contumaciam inducendam, quæ tam graviter damno amissionis causæ puniri debeat, sic quòd Angelus, *in d. l. ſi finita §. ſi plures nu. 1. in fine*, existimet eo casu novam citationem decernendam esse, potissimùm quòd hæ procurator non tam procuratoris quàm excusatoris personam sustinuerit, in quo excusatore requisitæ qualitates in eo, qui alieno nomine litigat, ita non desiderantur, quin saltem sufficiat ad effectum evitandæ contumaciæ sui principalis.

Secunda hujus nullitatis ex evidente hac injustitia exurgentis causa est, quòd per hanc sententiam Reus condemnatus sit ad restitutionem fructuum perceptorum: repugnat enim id omni juri & rationi; cùm ex instrumento donationis constet,

constet, Reum justo titulo horum bonorum possessionem adeptum fuisse, bonâque fide illa per sedecim ferè annos possedisse; † jure autem ita constitutum sit, ut bonæ fidei possessor de perceptis & consumptis fructibus, nisi post litem contestatam non teneatur, *l. bona fide De acquir. rer. dom. §. si quis à non domino Inst. De rer. divis. l. Qui scit §. 1. De usur.* Sic quòd si pleno ordinarieque judicio causa hæc acta fuisset, nulla ratione potuisset tam exorbitans fructuum restitutio in condemnatione poni. Ideoque vel propter hanc solam exorbitantem iniquitatem, quæ primo conspectu eluceicit, & dissimulari non potest, nulla ratione sustineri potest dicta sententia, multòque minùs ad illius executionem procedi; præsertim in hoc articulo, in quo de expensarum & fructuum perperam adjudicatorum restitutione agitur. † Licet enim contumacia pœnam mereatur, & contumacem pro confesso interdum haberi faciat; non debet tamen huiusmodi pœnæ aut fictæ confessionis effectus excedere fines & limites veritatis; hoc est non debet esse major condemnatio ex ficta confessione, quàm futura esset, si in judicio Reus minimè contumax vel probationibus, vel propria confessione convictus esset, *Phil. Corneus cons. 55. Reperio n. 25. vol. 2.* Atque ita quemadmodũ plenis probationibus pro parte agente de dominio ac bono jure Adrianæ in his bonis allatis, causaque ordinariè peracta, Reus propter titulum & bonam fidem non potuisset condemnari ad fructus retropræteriti temporis; ita quoque nulla ratio patitur, ut nullis probationibus pro parte agente factis, sed fictione juris Reo ob assertam contumaciam pro confesso habito, idem Reus ad ejusdem temporis fructuum restitutionem condemnari potuerit.

Cujus quidem iniquitatis modus augetur ex eo, quod prolato & exhibito instrumento donationis divi Caroli Quinti Imp. quâ motu proprio, & ex causa remunerationis, habitâ deliberatione cum his, qui Domanio & Finantiæ suæ præerant, hæc bona controversa Reo donavit, satis constiterit adversus Reum nullam omninò esse actionem ad repetendũ hæc bona. * Principis enim hujusmodi alienatio privilegiata est, & intra quadriennium tantùm (quod tempore institutæ hujus actionis amplius quàm ter lapsum erat) permittit actionem pretij nomine proponi, non adversus donatarium, sed fiscum, *l. Bene à Zenone C. De quadrien. præscript.* Sic quòd Principalis donationis reverentia Judices continere meritò debuisset & à præcipiti hujusmodi sententiâ retrahere.

Relinquitur ergò ex his causis, alijsque, quas Reus per duas scripturas latiùs deduxit, nulla ratione imperandam esse ex tam evidenter nulla sententia fructuum restitutionem: sed vel prorsus abstinendum à quacumque fructuum condemnatione, propter sententiæ sic intellectæ nullitatem; vel saltem hujusmodi sententiam moderatiore intellectu sic interpretandam, ut contineat tantùm fructuum post litem motam perceptorum restitutionem; hujusmodi enim interpretationem verba sententiæ sine distortione admittunt. Neque est, quod hujus vel rejectionis vel moderationis occasionem ac potestatem impedire possit Actoris allegatio, quasi consuetudo loci non patiatur de eâdem re sæpius judicari: * nam & hoc jure communi constitutum est, proditâ exceptione rei judicatæ, *l singulis De except. rei ind.* & constituta posterioris sententiæ nullitate, si sententia contra sententiam feratur, *l. 1. C. Quando provoc. non est necesse*; sed id ita intelligendum est, si prior sententia per se notoriè nulla non est, sed effectum rei judicatæ habet: alioquin illius nullitas repetitionem actionis non impediet, multòque minùs defensionem & actionis oppugnationem, sive principaliter sive incidenter de nullitate agatur, *Bart. & aly in d. l. 1.* Et cùm Actor novam hanc actionem instituerit coram alio Judice, de seipso queri debet, cur novæ sententiæ ferendæ occasionem dederit, *c. Inter monasterium & ibi glos. De sent. & re judic.* cùm potuisset viâ executivâ à prioribus Judicibus hanc fructuum restitutionem petijsse, quamvis haud majore cum fructu. † Nullitas enim sententiæ coram eodem etiam Judice qui nullitatem admisit proponi potest quandocumque, *Bart. & alij in d. l. 1. n. 15.* hoc est etiam in petita sententiæ executione.

De sententia & re judicata.

SVMMARIVM.

Executionem sententiæ an tertius impediat.

1. *Executionem sententiæ non remoratur.*
2. *Sententiâ ob contumaciam latâ tertius an executionem impediat?*
3. *Citatio in alterius territorio facta quando valeat.*
4. *Executor meros nullam exceptionem admittit.*
5. *Protestatio sine causa nulla est.*

CONSILIVM CLXVI.

SERIVS & sine fructu executioni rei judicatæ, quam impetravit Generosus Dominus Hermannus Comes in Nuwenaer sese objicit Valenus van Gelre. † Etsi enim quicumque per executionem sententiæ adversus alium latæ præjudicium aliquod patitur, si incontinenti de jure suo doceat, objicere se possit executioni; frustra tamen se objicit, qui ante sententiam scivit causam & litem tractari inter victorem & victum, & jus sibi competere non ignoravit, *c. Veniens 2. De testib. & ibi Panor. Felin. in cap. Præterea De testib. cogen. l. à Divo §. si super rebus De re ind.* nec pro suo interesse comparuit, *l. Is à quo De rei vind. Felin. in d. c. Veniens. 2. nu. 10. Boer. decis. 79. p. 1.* præsertim ubi ipsa sententia tertio præjudicat ratione scientiæ, ob quam non audiretur appellans; quod evenit, si quoque citatus fuit qui postea executioni sese opponit, *Boerius d. decis. 79.* Cùm itaque ex actis causæ constet per relationem nuntij (cui in actibus suum officium concernentibus credi & stari debet, *Bart. & aly in l. Theopompus De date prælegata.*) non tantùm Theodoricum Valeni Fratrem, sed ipsum quoque Valenum citatum fuisse, & contumaciter non comparuisse; nihil est unde opponendi post rem judicatam desumi possit occasio vel potestas; cùm etiam contra eum lata dici possit sententia. A primo namque litis exordio continuo ductu in contumaciam utriusque processum est, & sententia obtenta. † Ita

Ita ut ea consideratione nihil obstet eorum opinio, *Lud. Rom. consil. 329. Mathesilanus sing. 26. Hippol. de Marsil. sing. 4.* qui existimant liberiorem esse potestatem sese opponendi executioni, si sententia contra victum non præsentem sed contumaciter absentem lata sit; cum in eodem luto contumaciæ & in eadem causa hæreat Valenus; cui ob contumaciam ut appellandi, *l. Properandum §. sin autem C. De iud. c. Personas De appel.* ita quoque executionem impediendi nulla est potestas.

3 Et quod vitium nullitatis Valenus citationi objicit, ex eo capite, quòd extra territorium facta sit, non impetrata licentia Iudicis loci, ubi facta fuit citatio, nihil conturbat. Nam eodem loco, *l. 1. §. præsides De requiren. reis*, ex quo Valenus auctoritate Bartoli nititur, apertè tradit Bartolus, *ibid. nu. 3. & sequitur Iason, & alij in l. fin. D. De iurisd. om. iud.* legitimam & validam esse citationem in alieno territorio factam, si territorium citantis, & in quo fit citatio, uni superiori mediatè vel immediatè subiaceat. Cui consonat quod dicit Bald. *in l. pen. n. 34. post medium C. De except. res iud. & in l. fin. n. 5. De iurisd. om. iud.* quòd hujusmodi citationis potestas non referatur ad territorium, in quo fit, sed ad locum, ad quem fit citatio, qui si idoneus sit, legitimat citationem. Cum ergò uterque locus, unde & in quo facta est citatio, subsit eidem judici, legitima & valida reputari debet hæc citatio. Cum alioqui etiam Cynus, Baldus, & alij plurimi, *d. l. fin. nu. 5.* in ea sint sententia, quòd generaliter extra territoriũ per nuntium seu viatorem citatio verbalis, quæ nullam executionem in rebus vel persona habet adjunctam, per literas fieri possit; quia scilicet citatio, quatenus à nuntio seu viatore explicatur, non est actus judicialis, sed est tantùm intimatio quædam, *Bald. in d. l. fin. nu. 5.* Quod in proposito casu tanto potentius obtinere debet, ob id, quod paulò antè dictum sit, scientiam sufficere ut removeatur tertij oppositio adversus executionem.

4 Hoc quoque ad avertendam Valeni oppositionem plurimùm facit, quod non perinde libera sit potestas objiciendi se executioni coram executore, cui vel per imperium seu jussum, vel implorationem subsidij à judice, qui sententiam tulit, data est potestas exequendi. Nam coram mero executore, qui nullam cognitionem eo respectu habet, non possunt proponi aut admitti exceptiones, *Bart. & alij in d. l. à Divo Pio in princ. & in c. Pastoralis §. quia verò De off. deleg.* ut meritò tertij oppositio sit reijcienda, & ad judicem eo etiam casu, quo in suo genere admissibilis esset, qui sententiam tulit, remittenda, *Glos. Panor. & alij in d. §. quia vero.* De quo in præsenti nihil dubitandum, ob id, quòd cum longo loci intervallo locus oppositionis distet à loco cognitionis seu latæ sententiæ.

Sed & illud novissimè prætermittendum non est, neque ante executionem, neque in ipsa executione factam esse aliquam pro parte Valeni oppositionem, ut ex actis & instrumento executionis ac executoris relatione constat. * Neque 5
quicquam facit, quod in ipsa executione Valenus protestatus fuerit, quòd hujusmodi executio ei non deberet præjudicare: nam ea protestatio non est oppositio, & per se inefficax omninò est; nuda enim est ab omni causa. Vt autem protestanti prosit protestatio, & impediat progressum rei seu negotij, cui protestatio opponitur, necessum est quod protestans causam protestationis alleget, alioqui, ut dicit Baldus, *in l. fin. nu. 24. C. De edicto Divi Adriani tollen.* inanis est, sicut petitio, quæ sine causa fit, *l. 1. C. De prædys curial. lib. 10. Bald. addit. ad Spec. in tit. De testam. vers. sed planè heres.* Proinde quia executio plenariè facta est, nulla interpositâ Valeni oppositione, & per eam executionem justè nunc possidet generosus Dominus Comes, *l. Iustè l. Pomponius §. qui iussu & ibi Doct. De acquir. poss.* imò per eam officio suo functus est judex & imploratum juris remedium seu subsidium impertivit; nulla est causa, cur vel executio retractetur, vel nova cognitio introducatur.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio quando interponenda.

1. *Nullitas & articulus gravaminis simul & semel decidi possunt.*
2. *Appellatio coram Iudice interponenda.*
3. *Appellans in absentia Iudicis quid facere debeat.*
4. *Appellandi tempus quando incipiat currere.*
5. *Appellans in ultimo momento decendij horam exprimere debet.*
6. *Rescriptum partim veram partim falsam narrationem continens pro parte valet.*
7. *Iudex delegatus intra annum tantùm potest exequi sententiam.*
8. *Excommunicatio Iudicis incompetentis nulla est.*
9. *Excommunicatio sine monitione prævia est ipso iure nulla.*
10. *Appellatione desertâ extinguitur iurisdictio Iudicis delegati, ac remittenda partes ad Iudicem à quo.*

CONSILIVM CLXVII.

BI MEMBRIS est conclusio, quæ facta est pro parte Domini Engelberti Hemstede appellati, in causa appellationis, quam Matthias Mulempeddere à decreto D. Decani Beatæ Mariæ Traiectensis se interposuisse dicit: nam altera ad nullitatis, altera ad injustitiæ, quâ appellatio dicti appellantis laborare dicitur, declarationem tendit. * Simul autem in unica conclu- 1
sione saltem per alternationem seu subordinationem conjungi potuisse dubium non est: quemadmodum etiam de nullitate, & gravamine seu iniquitate sententiæ latæ simul & semel dici potest, *Glos. l. 3. C. Quando provoc. non est necess. & ibi Bart. & alij, Alex. cons. 59. Viso titulo nu. 9. vol. 4.* Et sanè utriusque usus in hac causa evidenter incidit. Nam quod attinet ad nullitatem appellationis, virtute cujus hanc instantiam perdurare & constare putat Matthias, apertissimè demonstratur, appellationem, virtute cujus putat hanc causam esse devolutam ad Sedem Apostolicam, & ex commissione Apostolica coram vobis Reuerendo Domino Abbate Vlierbacensi introductam, esse prorsus nullam. Siquidem ex ipso, quo ad fidem faciendam de sua appellatione in hac causa utitur instrumento, evidentissimè constat, eumdem Matthiam

thiam coram eodem Domino Decano B. Mariæ non appellasse, sed in præsentia Notarij & testium in navi Ecclesiæ S. Servatij Trajectensis, & sic extra locum, quo idem judex pro tribunali sedere solet: constat enim ex citatorio & alijs plurimis locis actorum Decanum in hac causa pro tribunali sedere in domo suæ inhabitationis sita in claustro
2 Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ. * Iam verò indubitati juris est, appellationem coram Iudice, qui sententiam vel interlocutoriam tulit, in illius præsentia interponendam esse, *c. Vt debitus De appel. Spec. in tit. De appel. §. qualiter vers. item cautus*; sic ut extrajudicialis appellatio non sit permissa, nisi in duobus casibus: quando scilicet justus metus impedit appellantem, ne Iudicem adeat, aut quando Iudicis præsentia haberi non potest, *c. fin. De*
3 *appel. & ibi Doct.* † Quo ipso casu adhuc necessarium est coram Notario & testibus, coram quibus extra judicium appellatio interponitur, protestari & expressissimè declarare, quod vel Iudicem metuat, aut ejus præsentiam habere non possit appellans: alioqui eâ protestatione omissâ, ipsa appellatio est omninò nulla ex defectu formæ, neque devolvit causam ad superiorem, *Panor. Imola & alij in d. c. fin. Cassad. decis. 8. De appell. Socin. cons. 45. Visa appellatione vol. 1. Carolus Ruinus cons. 113. Ex multis nu. 9. vol. 4.* præsertim si cùm extrajudicialiter interposita est, Iudici postea intimata non reperiatur aut apostoli ab eo non sint petiti, *Cassad. d. decis. 8.* Cùm ergò in ipso appellationis instrumento nulla protestatio absentiæ conspiciatur, neque etjam appellans quicquam proposuerit, cur impeditus fuerit interponere coram ipso Iudice, neque postea eam Iudici intimaverit, aut ab eo apostolos petierit, necessariò sequitur hanc appellationem ipso jure ex defectu formæ esse nullam, sic ut neque D. Iudici jurisdictionem tribuat, neque sententiâ aliquâ confirmari aut approbari possit. Nec in contrarium facit, quod in capite appellationis reperiuntur hæc verba, *Coram Venerabili viro Domino Decano &c.* quia scripturæ actus non fuit conformis. Etsi enim scriptura id cõtinebat, re ipsa tamen non fuit coram Decano interposita, sed tantùm coram Notario & testibus, sicut attestatio Notarij de eo nihil dicit, imò contrarium indicat. Cur enim à Notario petiti fuissent apostoli, si Iudex fuisset præsens?

Cui hoc quoque secundo loco ad majorem nullitatis demonstrationem addi potest, quòd non constet hanc appellationem intra decimum diem à lato decreto interpositam fuisse: dies enim decreti fuit quintus Septembris & interpositæ prætensæ appellationis decimus quintus ejusdem men-
4 sis: * unde cùm tempus decem dierum ad appellandum statim à prolatione sententiæ incipiat currere, & currat de momento in momentum, *glos. & Bart. in l. 1. §. dies Quando appel. sit*, incertum planè est, an lapso decendio, an ante illud interposita fuerit appellatio, ad cujus tamen probationem appellans adstringitur: potuit enim aliqua pars diei decimæ quintæ Septembris esse initium, vel bona
5 pars undecimæ diei post appellationem. * Quamobrem pro cautela eo casu traditum est à Felino, *in c. Quod ad consultationem nu. 26. De sent. & re jud.* & alijs, *Angel. & alij in d. §. dies*, quòd appellans in decimo seu ultimo naturali die à prolatione sententiæ seu decreti, debeat appellationis scedulæ inserere horã diei; alioqui non extare probationem appellationis tempore debito interpositę. Quę quidem duo nullitatis capita, & præsertim primum, tam sunt potentia, ut Reverendo Domino Iudici omnem potestatem eripiant declarandi hujusmodi appellationem esse justam.

Quod ad alterum caput attinet injustitiæ, operosa admodum non est illius deductio. Nullum enim continet gravamen decretum præfati D. Decani, quo decrevit secundùm commissionem sibi datam viâ regiâ esse procedendum in principali negotio; hoc est, ut omissâ antecedente quæstione, quam Matthias per articulos declinatoriales coram dicto Decano introduxerat, cognosceretur de viribus appellationum successivè interpositarum. In ea enim discussione consistebat illius instantiæ principale negotium; non in eo, unde totius controversiæ origo profluxit; id quod idem Decanus in dicto suo decreto satis indicavit. In qua quidem discussione omnium eorum, quæ per modum declinatoriæ exceptionis proposita erant, peremptoriæ exceptionis loco repeti poterant Cùm præterea receptum sit, ut dum rescripto id objicitur, in quo appellationis justificatio & impugnatio consistit, rescriptum non sit ipso jure nullum, sed vigore illius competat jurisdictio, etiamsi postea in probatione deficiat Impetrans. Nunc autem omnia, quæ Matthias in longis illis articulis coram D. Decano B. Mariæ exhibitis pro repellendo appellato ab usu sui rescripti congessit, pertinent ad justificationem appellationis interpositæ, à gravaminibus per Decanum S. Petri Lovaniensis illatis, ut meritò non ante ingressum judicij appellatorij, sed jam constituto judicio appellatorio de ijs cognoici debuerit. Quo etiam cessante, quia iam antè constiterat Iudici de veritate quorundam narratorum in supplicatione appellati, veluti de compromisso, de impedimento præstito per literas Cancellariæ Brabantiæ, itemque de alijs multis, quæ ex collatione actorum coram præfato D. Decano S. Petri, & supplicationis dicti appellati, evidenter apparent; meritò potuit & debuit dictus Decanus B. Mariæ hujus causæ cognitionem intercipere, & nihil moveri surreptione & obreptione per Matthiam objecta. † Est enim com- 6
munis traditio, quòd dum plura in commissione obtenta narrantur, quorum aliqua sunt falla, aliqua vera, si ex veris potest sequi conclusio, valeat commissio, *faciunt notata in c. Inter cæteras & c. Olim De rescript. & c. Licet De probat.* ita ut ex capite surreptionis vel obreptionis, principalis is causæ seu articuli gravaminis cognitio differri, omitti, vel deseri non debeat. Quorum omnium tanto major est in proposito probabilitas, quòd Reverendo Domino Iudici ex inspectione actorum coram D. Decano S. Petri Lovaniensis, & præsertim ex citatorialibus literis decretis & executioni mandatis constabit, prout dicto Decano B. Mariæ tunc constabat, eandem citationem cum omnibus inde secutis fuisse prorsus nullam; ex eo, quòd tunc omni jurisdictione exciderat, sic ut ad sententiæ suæ executionem procedere non potuerit. Sententia enim ab eo lata fuerat septima Februarij an-

no 1539. sic ut ab eo die usque ad 14. Iunij
7 1540. plusquam annus intercesserit * Est autem aperto jure cautum, *c. Quærenti* DE *off. & potest. iud. deleg.* Iudicem delegatum non posse per excommunicationem aut aliter procedere ad suæ sententiæ executionem, nisi intra annum à lata sententia; cum lapsu anni exspiret omnis illius potestas.

Neque obstat, quod Matthias novum rescriptum impetraverit pro executione facienda: nam per illud fuit dicto Decano S. Petri tantùm data potestas continuandæ executionis cœptæ, uti ex illius tenore patet. Cùm ergò cœpta executio ipso jure sit nulla, ut dixi, neque hujusmodi vitium per posterius rescriptum sit purgatum, nullâ scilicet mentione hujusmodi vitij factâ in supplicatione appellantis, non potest ulla validitas sequentium constitui, *cap. Principatus* I. *q.* 1. *c. Non firmatur De*
8 *regul. iur. lib.* 6. * Si enim non valet excomunicatio, si illa ipso jure nulla est, ut verè nulla est, quia à judice incompetente illata (nulla enim major est nullitas, quàm quæ ex defectu jurisdictionis emergit, *gloss. ult. & ibi Doct. in Clem.* 1. *De sequest. poss. & fruct. Alex. consil.* 77. *In causa. n.* 8. *vol.* 2.) sequitur omnes insequentes executiones & aggravationes esse nullas, eò quod per saltum in censuris procedi non debeat, & præsertim sine legitima monitione præcedente. Vnde cùm monitio per Decanum facta 14. Iunij anno 1540. ut dixi, fuerit ipso jure nulla, necessum est, quòd nullitatis quoque vitio laborent omnes sequentes censuratum ulteriorum literæ; quia canonicam mo-
9 nitionem antecedentem non habent. * Est autem certi juris, excommunicationem delegati Iudicis non præmissâ monitione canonicâ ipso jure nullam esse, *c. Sacro* DE *sent. excommunic.* ROTA *decis.* 559. *alias est* 23. *utrum excommunicatio in antiq.* sic ut, cùm ex hac parte justificata sit appellati causa, meritò in cognitionem admitti potuerit appellationis discussio.

De desertione appellationis nihil dicendum esse arbitrati sumus, quod illa ex actis & temporis supputatione sese offerat, & nullo negotio deprehendatur: maluimus enim solliciti esse pro reiectione appellationis seu confirmatione sententiæ à qua appellatum dicitur; cùm declaratio desertionis sententiæ priori conjungi non possit, neque numerum sententiarum conformium faciat, *Rota decis.* 21. *Nota quod ubi tres, alias est* 3. *sub tit. de sent. & re*
10 *iud. in antiquis.* † Hoc tamen addo, desertâ appellatione, Iudicis appellati jurisdictionem esse extinctam, nullasque alias illius esse partes, quàm ut declaret sententiam esse desertam, remittendo illam ad Iudicem à quo, *de quo tamen vide decis. Rotæ.* 98. *in novis.* Vnde existimo partes Reverendi Domini Abbatis esse, ut appellationem Matthiæ declaret esse nullam, aut saltem iniquam.

De appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio quando interponenda.

1. *Appellatio coram Iudice à quo interponenda.*
2. *Appellatio quando coram testibus interponi possit.*
3. *Apostoli si non petantur, fit appellatio deserta.*
4. *Apostoli quomodo & à quo petendi.*
5. *Appellationis tempus exactè observandum & probandum.*
6. *Appellans ultimo die decendij debet horam exprimere.*
7. *Absolvi petens ad cautelam quid observare debeat.*
8. *Appellatio à die notitiæ quando permittatur.*
9. *Excommunicationis sententia trahit secum executionem.*
10. *Appellationis causa quando intra eandem diœcesin committi possit.*
11. *Excommunicari quomodo possint collegia.*

CONSILIVM CLXVIII.

EVENIT, venerabilis Domine Præposite, quòd nuper me suspicari dixi, cur pro parte Reverendi Domini Abbatis Heyleshemensis tam præcipitanter & importunè petita fuerit absolutio à censuris ad cautelam, nullâ parti adversæ permissâ facultate, seu termino dicendi contra litteras Apostolicas Domino Præposito præsentatas, & illius jurisdictionem: nam ex instrumento appellationis, quod postea extrajudicialiter protulit, liquidò constat de nullitate dictæ appellationis, & defectu petitionis apostolorum; quod paucis demonstrabimus: quia exactiorem demonstrationem reservamus in id tempus, quo permissa potestate dicendi, & excipiendi de defectu jurisdictionis, & literarum Apostolicarum justior erit occasio; nunc enim in hoc tantùm laborabimus, ut demonstremus petitioni pro parte Domini Mercurini de Iaillon Opponentis propositæ, quâ petijt sibi annui terminum dicendi contra litteras & jurisdictionem Domini, ante omnia esse annuendum.

Quòd igitur per exhibitionem dicti instrumenti nihilomagis justificata sit petitio Appellantium, sed potiùs improbata, liquet primùm ex eo, quòd appellatio non sit interposita corâ Domino Officiali Cameracensi. * Interponenda est enim 1
appellatio coram eo, qui gravamen intulit, *c. Vt debitus* DE *appel. l.* 1. *§. si quis ipsius* D. *Quando appel. sit, Spec. in tit.* DE *appel. §. qualiter vers. item cautus, Angel. conf.* 130. *Visis omnibus.* † Nam extrajudicialis 2
appellatio coram Notario & testibus duobus tantum casibus permissa; quando scilicet justus metus appellare volentem impedit, ne Iudicem adeat; aut Iudicis copia seu præsentia haberi non potest, *d. §. si quis ipsius c. fin. De appell. Clem.* 1. DE *appel. Ang. d. conf.* 150. Quibus tamen casibus necessarium est coram Notario & testibus, coram quibus extrajudicialiter appellatur, protestari, & expressim declarare, quòd vel judicem metuat appellans, vel ejus præsentiam habere non possit: nam omissa hujusmodi formali protestatione, ipsa appellatio est omninò nulla ex defectu formæ, neque devoluit causam ad superiorem, *Panor. Imol. & alij in c. fin. Cassador. decis.* 8. *De appel. Socinus conf.* 45. *Visa appellatione vol.* 1. Cùm ergò per exhibitum instrumentum constet coram Domino Officiali (qui sententias & decreta tulit, à quibus appellatum prætenditur) appellatum non esse, neque pro parte appellantium aliquis metus aut defectus judicis præsentiæ allegetur, & in eodem instrumento nulla extet protestatio de metu vel absentia; consequens est, ut ipso jure nulla dici debeat hujusmodi appellatio; sic ut neque Domino Iudici juris-

jurisdictionem dare, aut decreto aliquo confirmari vel approbari possit.

Neque utiliorem efficatioremque facit hanc appellationem intimatio seu insinuatio ejusdem appellationis postea facta; Nam ut intimatio subsequens valeat, & appellationem corroboret, necesse est, ipsam appellationem extrajudicialem utile initium habere, hoc est interpositam esse coram honestis personis, propter Iudicis metum vel absentiam, *Cassador. d. decis.* 8. quòd hic dici non
3 potest. * Deinde præsuppositio utili initio dictæ extrajudicialis appellationis, ultrò resoluta est dictæ appellationis potestas; ex eo, quòd non constet postea petitos esse apostolos: par enim est causa ejus, qui omninò non appellavit, & qui appellavit. sed apostolos non petijt, *l. fin. §. illud C. De tempor. appel. Clem. Quamvis De appel.* Omissio namque apostolorum continet renuntiationem & desertionem appellationis, *d. Clem. Quamvis*, & desertio eo loco constituit appellantem, quo futurus erat si non appellasset, *Clem. Sicut. De appel. c. Ab eo eod. tit. lib. 6.*

4 Quod non petitorum apostolorum vitium non eluitur per eorundem petitonem coram Notario factam, ejusdemque Notarij testimonialem responsionem: nam eo casu, quo utili initio appellatio extrajudicialiter coram persona honesta interponitur, si intra tempus juris Iudicis præsentia haberi potest, adeundus est & apostoli ab eo petendi, *Ant. de Brut. in c. Ex ratione vers. ex his decidit. De appel. Felin. in c. Ex transmissa nu. 5. De præscript.* De quo tametsi dubitare videatur Cassadorus, *d. decis.* 8. in proposito tamen casu res est manifesta; ex eo, quòd insinuatio Domino Officiali postea facta sit, quæ pro appellationis renovatione haberi debet: unde sicuti ab initio oportuisset petere & repetere apostolos; ita quoque nunc post hujusmodi insinuationem, quam appellantes simpliciter fecerunt, non exhibita copia appellationis, neque petitis apostolis. Et quamvis postea ex intervallo hujusmodi copiam per servitorem Notarij mississe dicatur; fuit tamen hujusmodi missio simplex, nec adjunctam habuit aliquam petitionem apostolorum, quæ in omnem eventum cum debita instantia fieri debet, *d. c. Ab eo. d. clem. quamvis.*

5 Sed nec hic subsistendum est: nam etiamsi constaret de appellatione coram Iudice interposita, neque ullus esset defectus in petitione apostolorum; non constaret tamen, an legitimo tempore esset interposita; cujus probatio appellanti incumbit, quia de momento ad momentum currit tempus, *glos. & Bart. in l. 1. §. dies D. Quando appel. sit.*
6 † Vsque adeò, ut traditum sit, *Fulg. Ang. & alij in d. §. dies, Felin. in c. Quod ad consultationem nu. 26. De sent. & re. iud.* quòd appellans in ultimo die decendij debeat appellationi inferere horam diei, alioqui non extare probationem appellationis tempore debito interpositæ. Atque hinc est, quòd Appellantes consulto & callidè abstinent ab exhibitio ne sententiæ seu decreti, unde se appellasse
7 dicunt; † cujus tamen sententiæ seu decreti exhibitiò perinde necessaria est petenti absolutionem à censuris ad cautelam, ut exhibitio appellationis, *Innoc. & alii in c. Solet & in c. Venerabilis De sent. excom. & in c. 1. & c. Apostolicæ De except. Paul. Paris. cons. 27. Ad resolutionem n. 45. & seq. vol. 4.* * Quam 8
consideration non turbat, quòd hæc appellatio dicatur à die notitiæ interposita, eoque respectu nihil inter sit scire tempus latæ sententiæ seu decreti; cùm tunc etiam post decendium interposita appellatio utilis sit. Nam appellatio à die notitiæ post decendium tunc tantùm permittitur, cùm adversus absentem & qui procuratorem non habuit fertur sententia; secus si procuratorem habuit, *l. 1. in fin. D. Quando appel. sit & ibi glos. & Bart. Guido Papæ in tract. De appel. quæst. 77. & 102.* Iam verò ex tenore ipsius appellationis, quam aplantes exhibent, constat eos procuratorem habuisse, & per illum coram Domino Officiali causam defendisse.

Cui proxima est alia consideratio, quæ etiam sese ultrò offert ad demonstrationem nullitatis dictæ appellationis quòd ex tempore supplicationis pro obtinendo rescripto Domino Papæ exhibitæ, constet appellantes magis ab executione præcedentis decreti, quàm ab ipso decreto appellasse; quod non est permittendum. † Sententia enim excommunicationis lata trahit secum executio- 9
nem, à qua si non est appellatum tempore congruo, appellatio à futura denuntiatione & literarum traditione inutilis & nulla est, *c. Pastoralis §. fin. in fine De appel.* nam non appellando ab eo decreto seu sententia, in cujus executionem necessariam sequentia veniunt, censetur pars ut antecedenti, ita & consequenti acquiescere, ut eleganter consulendo respondit Andreas Barbatia in specie ab hic non multùm dissimili, *cons. 7. Visis dubijs eleganter in princ. vol. 3.*

Sed videamus nunc, an præsuppositæ omnimoda validitate appellationis, absolutio ad cautelam statim in limine judicij impendi debeat? In qua quæstione duo potissimùm expendenda veniunt, quæ appellantes objiciunt de nullitate sententiæ Domini Officialis; quorum alterum est, quòd Officialis Cameracensis incompetens Iudex fuerit, ex eo, quòd dum actor & reus ejusdem sunt diœcesis, causa intra eandem committi debeat, *c. statutum §. cum verò De rescript. lib. 6.* Alterum, quod Abbas & conventus excommunicari non potuerint, quia universitates & collegia excommunicari non possunt, *c. Romana §. fin. De sent. excommunic. lib. 6.* Sed neutrum hic prodesse debet appellantibus ad obtinendam statim hujusmodi absolutionem. * Nam quod ad illud prius attinet, obti- 10
net ea juris dispositio in literis justitiæ, vigore quarum quis ad judicium evocatur, & minime in litteris seu executionibus literarum Apostolicarum, *Io. Monach. in d. c. statutum in princ. nu. 3.* quales sunt executiones reservatæ pensionis. In his enim cessat ratio, quæ militat in delegationibus ad causas ac lites: nam hæ cognitionem desiderant, ac sic frequentiorem partium comparitionem, in quo molestia & expensarum magnitudo propter locorum diversitatem & distantiam consistit. At litteræ gratiarum executoriæ cognitionem nullam admittunt, aut postulant, sed tantùm præceptum & mandatum quod citra partium incommoditatem tam ex alio ac diverso, imò etiam longinquo, quàm eodem aut propinquo loco fieri potest.

Atque

Atque ita aliquoties in auditorio Rotæ Romanæ decisum & judicatum fuit, *decis.* 392 *nota quod si, in forma, & decis.* 55. *utrum c. statutum*, *alias est* 565. *sub tit. De conces. præben. in antiquis*: mandatur enim hujusmodi litteris tantùm mera executio. Et licet vigore earundem citatio fieri possit; tamen non ad effectum cognitionis, sed monitionis seu fidei faciendæ de paritione; idque incidenter, quia pars parendo, comparitione nulla opus habet, *Rota decis.* 393. *nota ex hoc & d. decis.* 55. *utrum c. Statutum sub fin. vers. nec obstat.* * Quod ad alterum attinet, nihil definire potest D. Iudex in præsenti hujus processus statu: quia non constat adhuc de ipso decreto nec excommunicationis forma, quæ variari potest, & interdum utiliter ferri etiam in collegium seu conventum: veluti si dixerit, Excommunicamus Abbatem & omnes de conventu, qui noluerunt parere mandatis meis, *Hostien. in Summa De dolo & contum. §. fin. vers. ergo per istum*, *Phil. Franc. in d. c. Romana §. fin. nu.* 5. & alijs quibusdam modis, de quibus apud Doctores disputatur, *Ioan. Monach. ad. d. c. Romana nu.* 11. *& ibi Phil. Probus nu.* 9. *Felin. in c. Dilectus* 2. *De simonia nu.* 6. Cùm etiam inquirendum sit in voluntatem & intentionem excommunicantis, an excommunicando conventum intenderit singulares personas, an conventum ipsum excommunicare. In quo articulo in dubio præsumitur singulares personas magis voluisse excommunicare, *Phil. Prob. loco supra citato*; ut res potiùs valeat quàm pereat, & excommunicatio secundùm causam suam reguletur, hoc est in proposito ut quemadmodum & quâ forma conventus cum Abbate promisit solutionem pensionis, ita quoque ob cessationem & recusationem solutionis excommunicari credatur. Quod latiùs deduci poterit, ubi in eo articulo versabitur causæ status: cùm in præsenti ad revocandum absolutionem ad cautelam satis sit de hujusmodi nullitate liquidò non constare Domino Iudici. Cùm ergò appellantes non satis attulerint, ex quo liquidò de jurisdictione Domini constare possit, neque etiam Dominus Iudex adhuc declaraverit se Iudicem hujus causæ: meritò contendit procurator Opponentis petitam absolutionem concedendam non esse, sed sibi concedendum terminum dicendi contra literas Apostolicas & jurisdictionem Domini; qui terminus ex stilo semper primus est, & citato petenti denegari non potest.

De appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio coram Iudice interponenda.

1. *Appellatio coram Iudice interponi debet.*
2. *Appellatio in absentia Iudicis quando valeat.*
3. *Apostoli repetendi sunt in termino iuris.*
4. *Apostolas petendi terminus quando incipiat currere.*

CONSILIVM CLXIX.

DVÆ sunt prægnantes & concludentes causæ, ob quas appellationi, quam Magister Petrus Vekemans interposuit à sententia per Dominos commissarios lata, deferri non debeat, sed per refutatorios apostolos illa reijci. Prior est dictæ appellationis nullitas; quia scilicet intra triduum per statuta Vniversitatis interponendis appellationibus præscriptum interposita est, non in præsentia Dominorum Iudicum, sed in eorum absentia: * cujus generis appellatio permissa non est, quoties Iudicis, à quo provocatur, copia haberi potest, *c. Ut debitus, c. ult. De appel. l.* 1. §. *dies* D. *Quando appel. sit. l.* 1. C. *De his qui per met. iud. Lapus allegat.* 39. *latè Phil. Franc. in d. c. fin. vers. Item gloss., glos. in c. Suggestum De appell. socinus. cons.* 39. *nu.* 9. *vol.* 4. Est namque in proposito manifestum, quod utriusque Iudicis copia commodissimè haberi potuit; cùm uterque in loco latæ sententiæ residerit, & neuter eorum latitaverit, sed in publico versando sui copiam expeditissimam fecerit; quod sufficere debet ex sententia Philippi Franci, *in d. c. fin. vers. sexto quæritur quando dicatur.* Neque verò ad sustinendam istam appellationem sufficere potest, quod M. Petrus in ultimo momento dicti triduj venerit ad domos habitationis Dominorum Iudicum animo interponendi appellationem, & quòd ijs non repertis domi de eorum absentia protestatus coram Notario appellationem interposuerit. Nam id tunc tantùm prodest, cùm copia Iudicis haberi non potest, non etiam quando copia ipsius esse potest; unde appellans non allegaverit nec protestatus sit, quòd non potuerit habere copiam horum Iudicum (prout ex rei veritate allegare non potuisset) sed hoc tantùm, quod illos in eo temporis momento domi non invenerit, non potest hæc sic interposita appellatio sustineri: ut proinde sibi imputare debeat appellans, quòd vel priùs hos Iudices non adierit, sed in extremo velut labentis triduj momento primùm ad domos eorum iverit, & sic se ipsum coangustaverit & arctaverit, *l.* 2. §. *si quis tamen cum posset* D. *Si quis caution. &c.* vel saltem nondum planè lapso triduo, quod de momento ad momentum computatur, eo momento temporis illos non adierit, quo ex communi more quisque paterfamilias domi esse solet, hoc est horâ prandij. † Deinde ut coram Notario & testibus in absentia Iudicis interposita appellatio valeat, hoc saltem necesse est, ut Iudici à quo intimetur; idque durante adhuc, non etiam lapso termino appellandi, *Phil. Franc. in d. fin. vers. in gloss.* 2. *l. Bonorum* D. *Rem ratam haberi*: id quod Magister Petrus non fecit nisi seriùs post lapsum terminum à statuto præscriptum. Nulliter enim fit, quòd fit post terminum juris; cùm id quod ad illum permissum est, eo lapso denegatum censeri debeat, *l. Qui fundum De contrab. empt.*

Altera causa est, quòd appellans apostolos debitè non petierit: cùm enim per Dominos Iudices appellanti, intimanti dictam suam appellationem in absentia interpositam, dictum esset, quòd de apostolis responderent in termino juris, debebat appellans hoc temporis momentum sibi præscriptum diligenter observare, & in termino juris, hoc est ultima vel penultima die temporis, quod ad dandum apostolos Iudici præscriptum est, triginta scilicet dierum, apostolos formaliter petere, *c. Ab eo & ibi glos. De appel. lib.* 6. *& expressius in Clem.* 1. *eod. tit. & ibi glos. in verb. intra dictum, vers. & nota quod licet*: & ita quidem, ut quemadmodum non

posset

posset post lapsum terminum illos petere, ita neque ante illum, quando Iudex non intra terminum juris, seu ut in usu sæpè est, in termino juris & infra, sed simpliciter (ut hic factum est) in termino juris se de apostolis responsurum dixit. Debent enim litigantes tempora vel à lege, vel à canone, vel à Iudice statuta diligenter observare, *l. Nemo C. De appel. c. Personas* DE APPEL. Quare nihil momenti habent duæ subsecutæ apostolorum petitiones factæ distinctis duobus diebus; ob id, quòd præmaturæ fuerint, utpote factæ ante terminum Iuris, & pluribus diebus ante illorum exitum, quæ pro nullis haberi debent secundùm præmissa, ut eleganter distinguendo respondit Marinus Socinus Iunior, *cons.* 31. *Queritur in effectu nu.* 2. *& 10. vers. secundo casu vol.* 3. Cum alioqui duarum petitionum utilitati obstet hoc quoque, quòd ex actis non constet illas factas esse in præsentia dictorum Dominorum Iudicum, sed dumtaxat in judicio & auditorio Rectoris, à quo non debebant peti apostoli; cùm ipse sit Iudex superior, ad quem provocatum est, & ad quem dari debebant apostoli ab istis Iudicibus, *l. Iudicialis l. Eos §. apostolos C* DE *appel.*

4 Et quamvis tertia apostolorum petitio dictis Iudicibus facta sit; quia tamen seriùs facta fuit, pro nulla itidem haberi debet; cum ex die latæ sententiæ tunc integri triginta & unus dies lapsi essent; à quo die latæ sententiæ numerari debent tringinta dies ad petendum & dandum apostolos, non à die interpositæ appellationis, *l. Iudicibus C.* DE *appell. d. ciem.* 2. Etsi enim in hoc juris articulo plerique aliter sentiant; communius tamen receptum est, ex die latæ sententiæ initium triginta dierum constituendum esse, tunc præsertim, quando appellans ignorantiam latæ sententiæ prætexere non potest; ut in proposito non potest, tum quòd in loco latæ sententiæ residebat, tum quòd ex termino latæ sententiæ constet eundem appellantem præsciviisse sententiæ pronuntiationem, & ut pronuntiaretur eâ die consensisse. Quæ communis sententia summam rationem habet, & decisione auditorij Rotæ Romanæ, *decis.* 29. *fuit dubitatum à quo tempore, alias* 5. *sub tit. de appell. in novis*, multorumque Doctorum traditione approbata est, *Guido Papæ decis.* 436. *nu.* 35. *quæst.* 26. *Robertus Maranta de ord. iudiciario partis sextæ p.* 3. *n.* 209. *Marian. Socinus d. cons.* 31. *steph. Bertran. cons.* 39. DATA *varietate nu.* 2. *vol.* 3. *parte* 1. & pro qua extat expressa juris constitutio, *d. l. Iudicibus*, etiam per Gratianum, ut aiunt, canonizata, *in c. Ei qui* 11. *quæst.* 6.

Cum igitur nulla hic sit, quæ vel vitiò nullitatis non laboret appellatio, vel sublata non sit renuntiatione appellantis, quæ constituitur in eo, quòd debito tempore apostolos non petierit, *c. Ab eo* DE *app. lib.* 6. nulla est justa causa, cur sic interpositæ appellationi deferri debeat aut possit.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis interponendæ tempus.

1. *Appellare non licet à sententia interlocutoria, quæ vim definitivæ non habet.*
2. *Sententia interlocutoria quando habeat vim definitivæ.*
3. *Decretum de procedendo ad ulteriora vim definitivæ non habet.*
4. *Appellans debet observare ea quæ per statutum præscripta sunt.*
   Valet statutum ut appellandum sit intra triduum.
5. *Vicerector idem potest quod Rector.*
6. *Appellari intra decendij ultimum momentum potest.*
7. *Appellandi tempus currit de momento ad momentum.*
8. *Appellatio nulla non iustificatur per processum appellati super illa.*
9. *Attentata post appellationem à sententia definitivæ differunt ab attentatis post interpositam ab interlocutoria.*
10. *Attentata, desertâ appellatione, vel quando nulla est, non retractari.*
11. *Appellatio à reiectione articulorum quomodo iustificari debeat.*
12. *Impertinentes articuli reyciendi sunt.*
13. *Literæ quando noceant accipienti.*

CONSILIVM CLXX.

ADDENDO his, quæ alias in prima instantia latè scripsimus super causa, quæ coram Magnifico Domino Rectore acta & peracta, ac tandem ex ejusdem Magnifici Domini Rectoris delegatione per eximium virum Dominum Michaelem Herenbout V. I. Doctorem definitivâ sententiâ terminata est, & nunc in tertia instantia coram Venerabilibus Dominis Iudicibus appellationum indecisa pendet inter Iacobum le Roy cum suis consortibus Actorem, nunc appellantem, & Domicellam Mariam de Castro Ream nunc appellatam, hoc primùm in animadversione habendum est, duas esse appellationes, quas appellans interposuit; alteram à decreto per Dominum Vicerectorem octava mensis Iunij; alteram ab ejusdem Vicerectoris definitiva sententia pòst deinde sexta mensis Iulij proximè sequentis lata interpositam; qui tamen in altera tantùm, hoc est in priore, prosecutionis instantiam feciisse videtur, proposita conclusione ad retractationem illius per appellationem; retractatione alterius non viâ appellationis sed attentatorum remedio tacitè proposita. Vnde consequitur, quòd si probari possit priorem appellationem ab interlocutoria vel nullam vel iniquam esse, secundæ appellationis à definitiva effectus nullus sit; tum quia ex illa nulla est proposita petitio aut conclusio; tum quia iniquitate appellationis ab interlocutoria interpositæ declarata, rescissionis, retractationis, seu revocationis ex capite attentatorum seu innovatorum nulla sit potestas, quia transit sic lata sententia definitiva in rem judicatam.

Quod autem appellatio decima octava Iunij coram Domino & Magistro Gysberto Loyden Vicerectore interposita à dicto decreto octava Iunij lata sit nulla, deducitur & probatur ex eo, quod per statuta Vniversitatis Lovaniensis non sit permissa appellatio à sententia interlocutoria vim definitivæ sententiæ non habente, ut nec jure civili id permissum est, *l. ante sententiæ C. Quorum appel. non recip.* & olim quidem jure Canonico 1

permis-

permissum, *c. super eo De appel.* per decreta Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 20. de reform.* novissimè prohibitum est. Quod autem dictum decretum processus ad ulteriora dumtaxat sit interlocutorium, & minimè definitivæ vim habeat, res ipsa demonstrat. Et quamvis per illud videantur articuli pro parte appellantium exhibiti reiecti, nihilomagis tamen dici potest, idem decretum
2 obtinere vim sententiæ definitivæ. † Illud enim decretum seu interlocutoria dicitur habere vim definitivæ, cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequit, & post quod non exspectatur vel speratur alia sententia; non etiam hoc, per quod non finitur Iudicis officium, nec definitur aliquis articulus substantialis, & quo neque absolutio neque condemnatio ad dandum vel faciendum aliquid continetur, *Phil. Franc. in c. Cum cessante De appell. Bart. in l. Quod iussit De re iud. glos. in Clem. fin. De appel. Rob. Maranta in tract. de*
3 *ord. Iud. parte sexta parte 3. n. 41. & sequen.* * Et nominatim quòd sententia à repulsione exceptionis etiam peremptoriæ, sive expressè hoc dicatur, sive implicitè, per decretum de procedendo ad ulteriora seu ad expeditionem causæ sit interlocutoria, nec habeat vim sententiæ definitivæ, ex traditione Glossæ, *in Clem ult. De appel.* communiter probant omnes Interpretes, *Zabarella n. 1. Bonif. De Vital. n. 19. Ioan. de Imola n. 8. in d. clem. ult. De appel.*

Cùm ergò per dictum statutum prohibeatur appellatio à sententia interlocutoria, quæ non habet vim definitivæ; & idem statutum sit conforme novo decreto Concilij Tridentini; consequens est, quòd appellatio ab illa interposita sit nullius momenti. Sed etsi vim definitivæ sententiæ aliquo modo haberet, ideoque ab illa licuisset appellare; nihilo tamen magis valuisset dicta appellatio: idcò quod non sit interposita à decreto octava mensis Iunij lato, intra tres dies ab illius pronuntiatione, quod planè necessarium fuit, ex quo per idem statutum Vniversitatis constitutum sit, quod in casibus, quibus appellare licet à sententia Rectoris, oporteat appellare intra triduum, quod mox & continuò ex die pronuntiatæ sententiæ currit, sive sit definitiva sive interlocutoria. † Cujus generis statutum validum
4 & efficax est ex communiore Doctorum interpretatione, *Panor. in c. Cum sit Romana nu. 14. De appel. Ant. Corsetus singul. 4. De appellat.* & de simili statuto Vniversitatis Bononiensis tradit Angelus, *in l. 2. nu. 3. De re iudic.* potissimùm quando appellatio est interponenda ad eos Iudices, quos ipsi statuentes constituerunt, *Felin. in d. c. Cum sit Romana nu. 4. vers. sed cavendum*; ut est in dicta Vniversitate Lovaniensi, in quâ per concilium Vniversitatis Iudices appellationum constituuntur. Cujus quidem statuti observatio omninò necessaria est: nam ut cessante statuto oportet appellantem in interponenda appellatione juris præscriptum tam quoad tempus, quàm formam appellandi observare, & eo non observato appellatio habetur pro nulla & deserta, *c. 1. De appel. l. 6.* ita quoque stante statuto, quod brevius tempus vel aliam formam appellãdi prętribit, oportet hujusmodi pręscriptũ ad unguẽ servare; alioqui aliquo eorũ omisso appellatio est ipso jure nulla, *Las. consil. 191. Placet mihi n. 1. vol. 2.* Cum itaque hæc appellatio à dicta interlocutoria sit interposita diu post lapsum dictum statutarium triduum, dubitandum non est, quin sit omninò nulla.

Neque hac in parte ideo quicquam immutandum est, quod sententia sit lata non à Rectore, de quo loquitur dictum statutum, sed à Vicerectore, cujus in dicto statuto nulla est mentio. * Nam 5
Vicerector cùm loco Rectoris sit, & eandem potestatem habeat, quam Rector in eo, in quo est Vicerector, eodem quoque jure censeri debet, *l. 1. & 2. C. De off. eius qui vices alicuius iud. obtinet*; nec ulla est ratio, cur majus tempus detur appellandi ab ejus sententia, quàm à sententia Rectoris. † 9
Quinimò amplius dico, nec secundùm terminos juris communis rectè ab hac interlocutoria sententia esse appellatum. Notissimum enim est, quod à sententia quacumque ex jure communi appellare operteat intra decẽ dies, *Auth. Hodie C. De appel. c. Cum dilecti in fine De appel.* quando sententia in præsentia partis vel procuratoris ejus (ut in proposito factum est) lata est, qui statim à pronuntiata sententia incipiunt currere de momento ad momentum, *Bart. in l. 1. §. dies D. Quando appel. sit, Panor. in c. Quod ad consultationem De sent. & re iud.* ita ut post ultimum momentum decendij interposita appellatio sit ipso jure nulla, & sententia lata transeat in rem judicatam, *d. c. Quod ad consultationem.*

Cum ergo dicta sententia interlocutoria sit lata octava Iunij & appellatio interposita decima octava, dici nequit, quod interposita fuerit intra decimum diem & ante illius exitum. Verum quidem est, quod decima octava dies sit decimus ab octava; sed non est verum, quòd omnis hora aut omne momentum decimæ octavæ diei sit intra decimum diem ab omni hora præcedentis diei octava, licet sit decimi diei à lapso die octavo. Nam si dicta interlocutoria lata est octava mensis Iunij mane quacũque hora fortè octava vel nona, & appellatio decima octava die sit interposita vel à prandio vel ante prandium horâ seriore, non erit verum intra decimum (quorum singuli constant viginti quatuor horis, *l. More D. De feriis*) appellatum esse. † 7
Incipit enim tempus appellandi (ut diximus) currere non à fine diei, in quo lata est sententia, ut in multis juris articulis dies termini à quo non computatur in termino, *l. Eum qui calendis De verb. oblig. And. Tiraquel. De retract. §. 11. nu. 14. & seq.* sed ab eadem hora, imò ab ipso momento, quo lata est sententia: Ita ut, si sententia lata est hora octava antemeridiana, appellandi facultas non duret nisi ad eandem horam octavam antemeridianam die 18. ejusdem mensis, *Panor. in d. c. Quod ad consultationem n. 3. Tiraq. d. §. 11. n. 21. & seq.* favore nimirum rei judicatæ, & ut appellantes discant appellationum tempora non tantùm in prosequendo, sed etiam in interponendo observare: ut eleganter respondendo scripsit Ioannes de Anania, *cons. 93. Viso processu nu. 6.* Et hoc est, quod textus novæ constitutionis dicit, *in auth. De appel. & intra quæ tempora in princ. collat. 4. Phil. Cornæus cons. 279. In hac consultatione nu. 2. vol. 4.* spatium horum decem dierum à recitatione sententiæ numerandum esse, & sic de momento in momentum: ut & in alijs multis juris articulis ab ipso actu initium temporis constituitur,

l. 3.

l. 3. §. minorem D. De minor. l. 2. C. De temp. appel. Tirâq. d. §. 11. nu. 28. Quod autem appellatio intra hos decem dies sit interposita ante lapsum extremum momentum, probari debet ab ipso, qui se appellasse dicit: ita ut non sufficiat probatio interpositæ appellationis, sed, ut tradit Philippus Decius, *in cap. Cùm in Ecclesia nu. 2. De appel. & ibi Phil. Franc. in ult. notab. Guido Papæ decis. 436. n. 8.* tria oporteat Appellantem probare, ut obtineat devolutionem causæ ad superiorem; primò, quòd appellaverit, (id quod perinde post ut ante finem decem dierum de facto contingere potest:) secundò, quòd ex causa legitima, (quam allegare sufficit,) & tertiò, quòd intra decem dies sit interposita, *cap. Romana §. si vero De appel. lib. 6.* Vt regulariter qui dicit se actum aliquem fecisse, quem debet facere intra certum terminum, nec potest facere nisi intra illum, debet necessariò probare intra illud tempus se eum fecisse: quia quod permissum est ad certum tempus, eo finito non censetur permissum, *l. Statu liberum §. Stichum De leg. 2. Iud. Rom. cons. 427. In proposito nu. 11. Bald. in l. 1. nu. 1. C. Qui admit. ad bonor. possess.* Et quamvis ad hoc probandum plerumque sufficiat reproducere sententiam à qua appellatum est; non sufficit tamen illius reproductio seu exhibitio ad probandum, quòd intra decendium sit appellatum, nisi ex ipsa sententia quoque deprehendi possit, non tantùm quo die, sed etiam qua hora sententia sit lata, & appellatio sit interposita, eo scilicet casu, quo ultimo die est interposita appellatio; cùm verum esse possit (ut dixi) ultimo die esse appellatum, sed tamen verum non sit, appellatum esse intra decendij extremum momentum: sic quod sibi imputare debeat, qui se sic coarctavit ad ultimum diem, quodque in hujusmodi angustijs illius ultimæ diei constitutus protestatione aut aliâ ratione sibi non providerit, ut ei salva esset probatio, ante ultimum momentum interpositam fuisse appellationem, *l. 2. §. quod diximus D. Si quis cautionib. &c.*

Est igitur hæc appellatio à dicta sententia inlocutoria lata octava Iunij tripliciter nulla: primò, quod jure communi novissimo per dictum decretum conciliare, & per dictum statutum Vniversitatis sit prohibita; secundò, quòd apertè constet intra triduum non esse interpositam, quod idem statutum in casibus, quibus appellare licet, requirit; & tertiò, quod non constet interpositam esse ante lapsum decendij, & per consequens nullum potuit effectum devolutionis causæ ad Domi-
8 nos Iudices operari. † Eoque pertinet quod pro parte appellata de hujusmodi appellationis à dicto decreto interpositæ nullitate, propositum & conclusum sit, quòd nullitatis vitium non potest censeri expurgatum per hoc, quòd pars appellata in hac instantia super hujusmodi asserta appellatione cum appellantibus processerit. Nam ut aperto jure definitum est, *in Clem. si appellationem De appellat.* quòd si post desertam appellationem, quæ ab initio etiam fuit ritè interposita, Appellans cum Appellato, vel Apellatus cum Appellante, aut Appellatus solus in causa assertæ appellationis processerit, & super justitia sententiæ concluserit, non expurgatur vitium desertionis, nec convalidatur jurisdictio Iudicis, ad quem provocatum est: ita quoque & multo magis (ut dicit Glossa, *in d. Clem. Si appellationem in V. desertam & ibi Bonif. de Vital. nu. 65.*) non præjudicat sibi Appellatus, nec prorogat aut stabilit jurisdictionem Iudicis ad quem, si appellatio ab initio non tenuit. Cujus unum inter alia exemplum dat eadem Glossa, *in d. V. desertam*, si appellatio sit interposita post decem dies; id enim quod nullum est consensu partium expresso vel tacito convalescere non potest, *l. si expressim De appel. c. Auditis De elect. Bonif. de Vital. in d. Clem. Si appellationem n. 7.*

Ex quibus omnibus consequitur, quòd constituta dictæ appellationis nullitate tamquam interpositæ contra formam seu præscriptum non tantùm statuti, sed etiam juris communis, dictis Appellantibus non possit per Dominos Iudices adjudicari conclusio, quam solam modò in hac causa proposuerunt ad obtinendam retractationem dicti decreti per Dominum Vicerectorem octava mensis Iunij lati, & admissionem articulorum coram eodem Vicerectore exhibitorum. Quo constituto consequitur quoque, quod etiam definitiva sententia, quæ per dictum Dominum Vicerectorem sexta Iulij immediatè sequentis lata est, transierit in rem judicatam, non tantùm ex causis & rationibus ibidem propositis, quæ si benè ad juris dispositionem expendantur, invenientur veræ, etiamsi Domini Iudices ijs non obstantibus decreverint se Iudices competentes, quod ad solam potestatem cognoscendi non approband iappellationem accipiendum est; verum etiam ex eo, quòd non constet de aliqua hujusmodi appellationis prosecutione. Etenim inspiciendo conclusionem, quæ in hac causa capta est, nulla invenietur proposita petitio, de declaranda injustitia sententiæ definitivæ per dictum Dominum Vicerectorem pronuntiata; neque de ea ex capite vel nullitatis vel iniquitatis revocanda, aut cassanda: sed proposita est principaliter & specialiter seu restrictivè dumtaxat petitio de retractanda dicta sententia interlocutoria, octava Iunij per Dominum Vicerectorem lata, eâque retractata admitti ad probandum articulos antea exhibitos: obiter tantùm adjecta petitione de retractandis alijs attentatis; sub qua adjectione si pars appellans existimat contineri petitionem retractandæ quoque dictæ sententiæ definitivæ, postea sexta Iulij latæ tamquam attentati, opinione sua fallitur.

Verum quidem est, quòd, cùm in casibus à jure 9
permissis appellatur à sententia interlocutoria, perinde adversus illam attentata retractari possint, ut attentata & innovata contra vel post appellationem à sententia definitiva interpositam, *c. Non solum De appel lib. 6.* sed tamen cum hoc discrimine, quòd attentata post appellationem à sententia definitiva interpositam, in primis & ante omnia sint revocanda, non docto etiam de justitia appellationis, nec retractata adhuc sententia definitiva, qui non est casus præsentis quæstionis: sed attentata post appellationem ab interlocutoria statim revocanda non sunt, sed tunc demùm, cùm Iudex iudicando super appellatione ab interlocutoria declarat & pronuntiat illam injustè latam, & justè ab ea provocatum esse: nam id faciendo, unico labore & unicâ pronutniatione potest

retractare sententiam definitivam post appellationem ab interlocutoria interpositam latam, *d. c. Non solum*, tamquam attentatum, non tanquam nulliter latam, *Phil. Corneus cons.* 305. *Circa primum vol.* 3. *in princ.* Neque enim prohibetur Iudex, à cujus interlocutoria appellatur, quamdiu ei per provocatum Iudicem inhibitum non est, ulteriùs in causa etiam ad sententiæ definitivæ pronuntiationem procedere, appellante etiamsi contumaciter non recedat ad Iudicem non citato, *c. Cum qui De dolo & contum. lib.* 6. *Rebuff. ad constit. Regiæ tit. De appel.* §. 16. *Gloss.* 2. *n.* 14 præsertim quando Iudex appellationi ab interlocutoria interpositæ non detulit, *Corneus d. cons.* 305. *in princ.* prout hic contigit. Sed cum potestas hic retractandæ sententiæ dependeat à potestate retractandæ sententiæ interlocutoriæ, à qua appellatum est, consequitur, quod cùm non retractatur seu retractari non potest sententia interlocutoria, (ut non potest quando vel appellare non licuit, vel non est ritè seu tempestivè appellatum, quæ conjunctim hic concurrunt) nulla sit occasio vel materia allegandi attentati; quia sic quoad partem transit in rem judicatam ipsa sententia interlocutoria, quasi ab ea appellatum non esset; & per viam attentati seu innovati in consequentiam seu accessionem sententiæ retractatoriæ gravaminis per interlocutoriam illati, retractari non potest sententia definitiva post appellationem ante inhibitionem Iudicis ad quem lata; quia sublato seu deficiente principali, accessorij nulla potest esse potestas, *l. Cum principalis De R. I.*

10 Vnde etiam est, quod ut desertâ appellatione nulla est potestas retractandi seu revocandi attentata, seu innovata per remedium attentatorium, *c. Licet De sent. excommunic. lib.* 6. *And. Alciat. consil.* 406. *in princ.* quasi scilicet eo loco sit causa ac si appellatum non esset, *l. ult.* §. *illud C. De temp. appel. Tas. in l.* 1. *De bonorum possess secund. tabb.* ita quoque nulla est potestas hic revocandi seu retractandi attentata, tunc, cùm appellatio est nulla, *Ioan. Monach. in c. Cupientes* §. *quod si per viginti De elect. l.b.* 6. *Phil. Franc. in c. Ex ratione quæst. ult. eodem tit.* vel quia illa jure vel statuto prohibita est, ut est quæ ab interlocutoria reparabili interponitur, tam ex dictæ Vniversitatis statuto, quàm ex decreto Tridentino; vel quia ritè & tempore debito interposita non est, ut superiùs deduximus. Atque ita cùm potestas retractandi attentata post appellationem ab interlocutoria dependeat ex victoria in causa hujusmodi appellationis, hoc est in eventum, quo Iudex judicat malè interloquutum & bene appellatum, *Rota decis.* 344. *alias est* 44. *Licet in causa, & decis.* 461. *alias est* 65. *Si appelletur, in novis*; sequitur quòd sententia illa definitiva, quæ sexta Julij per dictum Vicerectorem lata fuit, non possit per viam attentati tetractari; ad cujus generis retractationem dictus Appellans dumtaxat, idque adhuc non in specie, sed in genere concluserit. Et cùm non possit obtinere retractationem illius sententiæ per viam attentati, sequitur quòd nec possit ordinariâ viâ sub prætextu injustitiæ & iniquitatis: quia ad illam Appellans non concluserit. Atque ita eo respectu manet deserta appellatio, quæ à dicta sententia definitiva postea interposita dicitur, propter omissam ejus prosecutionem; quam si solam appellans proposuisset & prosecutus fuisset, poterat contendere primùm ad retractationem dictæ interlocutoriæ & obtinere admissionem dictorum rejectorum articulorum, & sic postea urgere retractationem sententiæ definitivæ, si justitia causæ id pateretur, *cap. fin. De appel. lib.* 6. At cùm rotâ inversâ prosequutus sit principaliter causam gravaminis seu appellationis, statuto & jure illam non permittente, ac præterea illam debito tempore non interposuerit, sic ut de ea per Dominos Iudices nihil judicari possit, manet dicta sententia definitiva ex capite desertionis irretractabilis, tamquam ab ea interposita appellatione desertâ, *l. ult.* §. *illud C. De temp. appel.* Ad quæ Venerabiles Domini Iudices diligenter attendere debent, quia prorsus peremptoria & inevitabilia sunt, liberantque eosdem Dominos Iudices ab ulteriore investigatione, an prima, an item secunda per dictum Dominum Commissarium & Vicerectorem successivè latæ sententiæ sint justæ: ubi enim appellatio est deserta, nullæ sunt provocati Iudicis partes, nisi in remittendo causam ad priorem Iudicem, à quo provocatum est, pro sententiæ executione. Sed etsi dicta appellatio à prædicta interlocutoria octava Junij lata, nullo laboraret vitio nullitatis, vel ex prohibitione juris communis seu dicti statuti, vel ob vitiosam illius interpositionem post tempus à statuto vel jure præscriptum; nihilo tamen major esset Appellanti occasio obtinendæ victoriæ seu retractationis illius. * Nam II
qui à nuda exceptionis peremptoriæ seu articulorum exhibitorum vel expresè vel tacitè per processum ad ulteriora, repulsione seu rejectione olim appeliabat (quod ex dicto Concilio Tridentino non videtur nunc ampliùs esse permissum) non poterat obtinere retractationem hujusmodi sententiæ interlocutoriæ repellentis seu rejicientis exceptionem peremptoriam, seu articulos, nisi quoque rejectarum exceptionum seu articulorum veritatem probasset. Ita quòd non sufficiebat hujusmodi exceptiones seu positiones esse in fronte & apparentia justas & legitimas, sed justificari illæ omninò debebant, *cap. Interposita in princ. & ibi DD. De appel. & in cap. Ex parte, De testib.* Vt proinde rectè & eleganter docuerit Innocentius, *in cap. Post electionem De concess. præb. nu.* 3. *vers. potest tamen dici*, quòd licet primâ facie appareat exceptionem (idem est de articulis, quibus exceptiones seu allegationes proponuntur) esse rationabilem & legitimam; si tamen Iudex inducat in animum, quòd non sit vera, aut quòd ex aliqua alia causa admitti non possit (fortè propter publicationem testimoniorum) possit hujusmodi exceptionem rejicere, & ad sententiæ definitivæ pronuntiationem procedere, non obstante appellatione à repulsione exceptionum interpositâ: nec enim (inquit) cassabitur sententia propter hoc, quòd legitimas exceptiones aut allegationes non admisit, nisi in causa appellationis probetur de veritate hujusmodi exceptionum seu allegationum. Quam traditionem commendant & sequuntur Petrus Anchoranus, *cons.* 158. *Ex narratis in facto nu.* 19. *vers. sed ex eo*, &

Stepha-

Stephanus Bertrandus, *consil.* 502 *Quamvis Magister Bertrandis vol* 4.

Iam verò diligenter expendendo testimonia, quæ pro parte dicti appellantis de facto (nam de jure non potuerunt propter nullitatem appellationis superiùs deductam) in hac asserta appellationis causa recepta sunt, non invenietur appellans probasse ea, quæ de novo in secunda instantia prætendit se proposuisse per dictos rejectos articulos: nam de articulis illis passim & satis conformiter deposuerunt testes se nihil scire; qui hoc solùm dixerunt, se non recordari, quod appellata tale quid fuerit confessa; imò ex contrario dixerunt, eandem appellatam admiratam fuisse tantum à se peti, conquerendo quod planè ignara esset rerum sui mariti: sic ut per ea testimonia non tam probentur quàm potiùs improbentur dictorum articulorum contenta. Cum alioquin hoc quoque verum sit, quod, etsi contenta dictorum articulorum plenè, ut ponuntur, essent probata, nihil relevarent; ex eo, quòd omnia illa veniant in consequentiam illius persuasionis, circumventionis, & erroris præfatæ appellatæ, quæ sic sibi passa fuisset persuaderi non in proprio, sed in alieno, hoc est mariti sui facto, cujus probabilem ignorantiam prætendere poterat, *l. fin.* D. *Pro socio*, *l. Qui in alterius* D. *reg. jur.* de eo, quod debere dicebatur: ut mirum non sit, si ea tunc confessa fuerit, quæ etiam eò perducta fuit, ut subscriptione suæ manus se obligârit appellantibus. Quam obligationem sic scripto factam, cùm præfatus Vicerector animadverteret appellatæ non nocere, ex causis & rationibus, quæ in articulis primæ instantiæ, & in consultatione juris in eadem prima instantia exhibita deduximus, bona ratione potuit per dictum decretum octava Junij latum facultatem probandi hujusmodi prætactos articulos nihil profuturos rejicere, & sic ad ulteriorem causæ cognitionem procedere.

12 Boni quippe Judicis est lites abbreviare, superflua, impertinentia, & nihil profutura resecare, dilationum dispendia avertere, *l. Ad probationem C. De probat. c. Cum contingat De off. deleg. l. si duo patroni* § *idem Iulianus in fine* D. *De iureiur.* & præsertim cùm aliqua præsumptio vel verosimilitudo est, quòd impertinentia & inadmissibilia proponens ea non probabit, *c. Quia verisimile De præsumpt.* quemadmodum eventus docuit appellantem hujusmodi probationem quoad rejectos articulos sufficienter non probasse. Unde consequitur, quod superiùs diximus, quod cum nullo modo dici possit justificatam esse illam appellationem à dicta interlocutoria sententia interpositam (etiamsi dici posset quod à tali interlocutoria etiam post triduum appellare licuisset) non possit retractari dicta sententia interlocutoria de procedendo ad expeditionem causæ. Ex quo iterum sequitur (est enim id sæpiùs inculcandum) quod cùm non possit retractari dicta sententia interlocutoria, non possit quoque in illius consequentiam retractari dicta sententia definitiva postea lata; neque per viam attentati, cùm respectu sententiæ quæ non retractatur attentatum dici non possit; neque per viam ordinariam appellationis à definitiva, quia illam appellantes intra tempora fatalia non sunt prosequuti; ideoque appellatio censeri debeat deserta, & sententia obtinuisse effectum rei judicatæ, *l. fin.* §. *illud* C. *De temp. appell.* Imò ut speciosiorem viam obtinendi appellatæ paremus, hoc amplius dicimus, quod etiamsi super appellatione à dicta sententia definitiva dumtaxat, vel subordinatè & legitimè fuisset appellatum, & quod Venerabiles Domini Judices de utriusque sententiæ definitivæ, tam in prima, quàm in secunda instantia latæ, æquitate vel iniquitate cognoscere possent, (quod secundùm suprascripta facere non possunt) nihilo meliore loco esset appellans per novas probationes in hac tertia instantia factas: quia ostendimus eas vel imperfectas, vel ad faciendam fidem inidoneas esse; vel saltem sic accipiendas, ut de quibus testimonia loquuntur, veluti de confessione appellatæ, & de libro manuali, intelligi debeant eo modo & fine, quo accipiendam esse ipsam obligationem, cui appellata subscripsit, deduximus in priore nostra consultatione, à cujus repetitione brevitatis studiò abstinemus.

Planè quod attinet ad binas literas, quas Adol- 13
phus Wolch scripsisse perhibetur; alteras ad quondam Dominum Lambertum Verhaere, alteras ad hujus causæ appellatam, non potest in illis aliquod præjudicium quoad appellatam constitui. Primò, quòd non constet illas per Dominum Lambertum vel appellatam receptas, & sic approbatas esse: cùm illas proferant ipsimet Appellantes, ad quos scriptæ non sunt, qui nec post negationem appellatæ probaverunt, quod appellata sibi eas tradiderit; & quòd non sint perlatæ ad præfatum Dominum Lambertum inde patet, quod idem Dominus Lambertus ante datam illarum ex hac vita decesserit, ut constat ex propria confessione appellantium in prima instantia facta. Quidquid igitur in illis literis continetur, quod aliquo modo adversus appellatam trahi posset, id nocere non debet: quia nemo ex alterius voce aut scripto præjudicium pati debet, *§. fin. in auth. Ut cum de appel. cognosc, l. Rationes*, *l. Exemplo C. De fide instrum.* & sic nec ex literis, quas non recepit, aut aliquo modo aliter non approbavit, *Bart. in l. Cum tabernam §. idem quæsit in fine* D. *De pignor. & hypoth.* ut è contra nec mittenti literas præjudicium fit, quamdiu ab eo ad quem missæ sunt non sunt receptæ, *l. Qui absenti. De acquir. possess.* Quod porrò attinet ad literas, quas D. Lambertus ad Adolphum scripsit, nihil est quod causam appellatæ premere possit: nam etsi in ijs videatur D. Lambertus hoc egisse, ut haberet illos mille florenos, non constat tamen id ad effectum perductum esse: ut multa sæpè tractantur, quæ non perficiuntur, *d. l. Si ex causa* §. *nunc videndum De minor. l. Si voluntate C. De rescind. vend. l. Sciendum* §. *dictum De edul. edicto*; & multa petuntur, quæ non conceduntur. Et quod ad hanc petitionem Domini Lamberti nihil sequutum sit, aperte demonstrat alia ejusdem Adolphi epistola ad D. Lambertum postea ex intervallo unius anni scripta; in qua non monet D. Lambertum, ut solvat, sed optat tantùm, ut expensis Adolphi Dominus Lambertus efficere velit apud hæredes Caroli Crols (qui sunt hujus causæ appellantes) quò ei satisfaciant;

idque etiam cum ostentatione gratitudinis, quod facturus non erat, si Dominus Lambertus fuisset illorum debitor. In summa eo loco nunc collocata est haec causa, ut appellantibus nihil adjudicari possit; & ne quidem retractari praedicta sententia interlocutoria, multò minùs ipsa definitiva per viam attentati aut iniquitatis, vel injustitiæ, propter causas superiùs ex ordine discussas; sed condemnandi erunt appellantes in expensis hujus instantiæ.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio alternativa.

1. *Appellatio alternativa an valeat.*
2. *Fatalibus durantibus executio sententiæ impediri potest.*
3. *Sententia falsum continens est nulla.*
4. *Desertionem non obiectam an Iudex inspicere debeat.*
5. *Terminus hominis an ita arctet ut terminus iuris.*
6. *Articuli non relevantes admitti non debent.*

CONSILIVM CLXXI.

1 CONTROVERSI juris est, an alternativa appellatio à sententia Iudicis interposita, si appellans durante decendio, quod ad appellandum datur, non declaret aut eligat, apud quem causam appellationis introducere velit, sit nulla? Nam Ioannes Andreæ *in gloss. c. Si is cui De offic. deleg lib. 6. & in 6. In alternativis De R. I. lib. 6.* & hunc sequuti Philippus Francus, *in d. c. Si is cui nu. 4.* Alexander *cons. 101. 164. 167. vol. 2.* Angelus Perusinus, & Ioannes de Imola, *in l. 1. §. si quis De appel.* existimârunt appellationem esse nullam: contrà Speculator, *in tit. De appel. §. nunc tractemus*, Baldus, *in l. Cum proponas n. 5. C. De bon. auth. iud. possid. & in l. Appellatione n. 8. C. De appell.* Panormitanus, Felinus, *in c. Inter cætera De appel.* Condisalvus de Villadiego Auditor Rotæ Romanæ, *in tract. De legat. quæst. 8. nu. 34.* Geminianus, *in d. c. si is cui nu. 5.* & aliquot alij, appellationem utilem esse censuerunt; & Angelus Perusinus, *in d. l. Cum proponas nu. 2.* immemor prioris sententiæ, secure attentari posse voluit, appellationem valere, etiam si appellãs intra decem dies non declaret quem Iudicem superiorem eligat; quasi declaratio etiam post terminum fieri possit, *l. Hæredes palam §. 1. De testam.* Quam posteriorem affirmativam sententiam auditorium Rotæ Romanæ sequutum est & comprobavit, *Rota decis. 209. appellatio alternativa in novis aliàs est. 3. De appel.* Satis enim est, si re ipsa fiat declaratio per prosequutionem appellationis coram uno ex his Iudicibus intra terminum vel à jure, vel ab homine ad prosequendam appellationem præfixum; quia incertitudo, quæ consistit in alternatione, sic reducitur ad certitudinem, *Ioan. de Lignano in c. si duobus De appel.* Quod quidem minus dubitationis habet, quando appellatio per Iudicem semel admissa est, etiamsi tempus ad declarandum Iudicem & prosequendam appellationem præfixum sit, *Gemin. in d. c. si is cui nu. 5.* omniumque maximè, si appellatus non contradixerit.

Cùm igitur in causa appellationis Domini Caroli Nitzen post appellationem vivâ voce à sententia Commissarij D. Officialis Leodiensis primæ instantiæ Iudicis septima Februarij, ad committentem vel ad Sedem Apostolicam interpositam, apostolosque reverentiales cum præfixione terminorum consuetorum obtentos rescriptum appellatorium Romæ sit impetratum 12. Iunij tunc proximè sequentis, ejusque vigore causa coram D. Abbate S. Gertrudis introducta, & sine ulla appellati contradictione aut objectione nullitatis terminata; non est justa causa, cur dicatur Dominum Decanum S. Martini Leodiensis tertiæ instantiæ Iudicem ideo benè declarasse præfatum Dominum Abbatem malè retractasse dicti Commissarij sententiam, quasi appellatio ab eadem præfati Commissarij sententia fuerit deserta; cùm desertionis hic nulla occurrat species. Nam constat initium prosecutionis appellationis factum esse in primo bimestri à datis apostolis; quia tertia Aprilis facta est declaratio prosequendæ appellationis ad Sedem Apostolicam; quam declarationem immediatè sequuta est missio supplicationis pro obtinendo rescripto ad Romanam Curiam; quòd deprehenditur ex sequuta dicti rescripti impetratione in principio Iunij proximè sequentis, habitâ ratione intervalli, & longitudinis itineris; quæ realis prosecutio potentior est verbali declaratione, *l. Nostram & ibi Doct. C. De testam.* Neque ad desertionem quicquam facit, quod probatum non sit, appellantem ante exitum quarti mensis docuisse apud præfatum Commissarium de factis diligentijs prosecutionis: * Nam quamvis eo non 2
facto judex à quo, qui hujusmodi terminum præfixit, possit ad suæ sententiæ executionem progredi, quamdiu apud superiorem causa appellationis non est introducta, nec judici à quo inhibitum: inde tamen non inducitur appellationis desertio, quin durantibus adhuc fatalibus juris communis, appellationis prosecutio fieri, atque etiam latæ sententiæ executio impediri possit, si Iudex ad quem, aut ejus delegatus inhibendo vel cognoscendo præveniat, *Panor. Decius & alij in c. Personas De appel. Lud. Rom. sing. 163. hoc nesciunt Legistæ, Rota decis. 94. & 155. in novis, & 452. 358. & 359. in antiq. sub tit. de appel.* † Proinde cùm appellans 3
tempestivè rescriptum super appellatione sua à sententia D. Commissarij obtinuerit, & coram Abbate S. Gertrudis legitimè prosecutus sit & præterea pars appellata hujusmodi appellationi & prosecutioni acquieverit, nec desertionem objecerit: dubitandum non est, quin sententia Decani S. Martini sit non tantùm iniqua, sed etiam nulla; eò quòd falsam causam contineat, *l. 2. & 3. C. Si ex fals. instrum, l. 1. §. hæc verba Ne vis fiat &c. l. Si prætor §. Marcellus De iud.* quia scilicet appellatio à sententia Commissarij fuerit deserta. Sed & si pro causa retractationis sententiæ dicti Domini Abbatis dixisset, hujusmodi appellationem fuisse nullam propter dictam alternationem; nihilo magis sustineri posset: quia ex prædictis satis constat, illam propter prædictam alternationẽ non posse dici nullam; præsertim quia illi Iudex detulerit, atque etiam pars appellata, cujus nusquam

exrat

extat aliqua contradictio, nec nullitatis vel desertionis obiectio; quæ obiectio omninò necessaria
4 est. † Et hoc est, quod eleganter docet Felinus, *in c. Ex parte 2. nu. 11. De rescript. & sequitur Rebuff. ad constit. Reg. in tract. De appel. artic. 5. glos. 1. nu. 47. vel. 3.* & in re proposita magnum momentum habet, quòd Iudex appellationis, si ex actis comperiat, appellationem à sententia interpositam esse desertam, & de desertione coram eo disputatum non fuisse, non debeat ad desertionem respicere, nisi talis sit desertionis species, quæ obiecta excusari possit; secus si talis sit desertio, quæ nullam excusationem admittit: ut est illa, quæ inducitur per biennij lapsum, *Auth. Et qui appellat De temp. appel.*

Nec denique ad nullitatem appellationis facit, quod appellans intra quindecim dies per dictum Commissarium præfixos elegerit iudicem: quia inde non inducitur nullitas appellationis, neque etiam desertio; cùm nullum hoc casu appellatus habeat interesse, qui durantibus fatalibus dictorum quatuor mensium, nullum interesse passus fuit, *Gemin. in d. c. si is cui nu. 5.* satisque sit, quòd appellans intra quatuor menses initium prosecutionis fecerit, & Iudex à quo, atque item appellatus ab executione abstinuerint, eosque appellans impetrato rescripto ac Iudice præ venerit. † Non enim per omnia sic arctat terminus
5 hominis, ut terminus juris; cùm etiam post terminum hominis prosecutio detur, *Panor. & alij in d. c. Personas*: & in mora modici temporis (quod censetur quamdiu adversarij non interest) nullum sit præjudicium, *l. Et. si post tres & ibi Doct. Si quis cautionib.* tantumque, imò plus possit realis electio, seu declaratio per ipsam prosecutionem, quantum verbalis, præterquam quòd alioqui in dubio potiùs reijcienda sit desertionis cogitatio, quàm assumenda; & admittenda appellationis prosecutio potiùs, quàm reijcienda, *Castren. & Ias. in l. 1. nu. 17. si quis cautionib.*

6 Ex quibus manifestum esse putamus, articulos de desertione hujusmodi, qui nunc primùm in quarta instantia post conclusionem in causa exhibentur, cùm non sint relevantes, & admissi seu probati nihil relevarent, fore reijciendos, *l. Ad probationem 1. in fine C. De probat. l. si duo patroni §. idem Iulianus & ibi Alex. & Iason. De iureiurando*, & secundùm conclusionem appellantis judicandum.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio malè interposita.

1. *Appellatio ex falsa causa non valet.*
2. *Appellari non potest à sententia super executione facienda.*
3. *Appellatio ab interlocutoria quomodo facienda.*
4. *Præceptum de solvendo vim sententiæ definitivæ habet.*
5. *Appellare non licet à sententia ex confessione partis lata.*
6. *Sententia etiam iniqua ius facit.*
7. *Sententia contra absentem lata quando teneat.*
8. *Præceptum de solvendo adversus absentem an fieri possit.*
9. *Pignoris amissionem culpâ creditoris contigisse debitor allegare & probare debet.*

CONSILIVM CLXXII.

ADVERTANT Venerabiles Domini Iudices diligenter ad tenorem scedulæ appellationis tertia mensis Martij coram Magnifico Domino Rectore pro parte Domicelli Ioannis Rybera mariti Domicellæ Mariæ Ellens interpositæ, & manifestè deprehendent hanc appellationem accommodari non posse ad sententiam (ut appellantes illam vocant) interlocutoriam ultima Februarij tunc proximè antecedentis latam; etiamsi procurator appellantium exhibendo scedulam, dixerit se ab eâ appellare: quippe in dicta appellationis scedula aliud contra dictam sententiam ultima Februarij latam pro gravamine non allegatur, quàm quòd per illam sententiam interlocutoriam pronuntiatum & declaratum fuerit, quòd pars Actrix teneretur Reis solvere ducentos florenos Rhenenses; id quod ex lectione dictæ sententiæ interlocutoriæ ultima Februarij latæ, manifestè deprehenditur falsum esse: cùm tenor ejusdem sententiæ interlocutoriæ hoc tantùm contineat, quod Magnificus D. Rector inhæreat decreto undecima mensis Septembris lato, adjunctâ condemnatione expensarum litis citra dictam diem undecimam Septembris factarum. † Proinde ex causa notoriè f l a, cujusque falsitatem demonstrat actorum I
inspectio & lectio, interposita appellatio ipso jure nulla est, *c. Cum appellationibus De appel. lib. 6. Ioan. Andreæ in c. 1. De appell. lib. 6. nu. 11. Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. §. fin. De appellat.* ita nullum devolutivum effectum operari potest, & justificandi illam omnem spem præscindit.

Et quamvis videri posset, quòd Magnificus D. Rector declarando se inhærere decreto undecima Septembris lato, compendio verborum & effectualiter repetierit contenta decreti undecima Septembris lati; ita tamen res se non habet. Nam hujusmodi decretum inhæsionis quoad dictam sententiam undecimæ Septembris, non est repetitio aut multiplicatio sententiæ antea latæ, sed magis decretum; non quidem confirmativum, quo opus non erat, postquam illa sententia, nulla appellatione suspensa in rem transierat judicatam, sed executivum adversus ineptam dictæ partis agentis petitionem post rem judicatam propositam, tunc & postquam illa sententia transierat in rem judicatam, *Guido Papæ cons. 66. In facto præsupponitur & cons. 76. circa processum & cons. 83. Non potest.* † Iam verò manifestum est à sententia 2
super executione seu de exequendo lata appellari non posse nisi in exequendo modus excedatur, *l. Ab executore C. Quorum appel. non recip.* Et si quod gravamen in dicta sententia interlocutoria constitui potuisset, id secundùm acta non poterat aliud esse, quàm quod Magnificus D. Rector per hujusmodi sententiam interlocutoriam tacitè reiecerit petitionem actoris post dictam rem judicatam propositam: ea autem petitio non fuit de revocando aut retractando dictam sententiam undecima mensis Septembris latam, aut declarando illam fuisse nulliter pronuntiatam, sed de eo tantùm, quod per partem

Ream

Ream exhiberetur manualis obligatio quondam mariti dictæ Domicellæ Mariæ, & quod respon-
3 deret ad quædam de novo in facto proposita; * in quo quia nullum gravamen appellans ponit, saltem non exprimit (cùm tamen in appellatione & sententta interlocutoria illud formaliter & expressis verbis exprimere necesse sit, ut appellatio valeat, *d. c.* 1. *De appell. lib.* 6. & ex ea justificari in judicio appellatorio possit, *Clem. Appellanti De appell.*) manifestè consequitur, hanc appellationis causam non veram esse, nec dictæ sententiæ interlocutoriæ accommodari posse.

Prout multò minùs accomodari possunt, quæ subsequenter in dicta appellationis scedula subijciuntur gravaminis causæ; videlicet quòd dicta sententia interlocutoria sit nulla aut saltem injusta; primùm ex eo, quòd lata sit parte legitimè non citata, & ea absente: secundò, quod lata sit parte inaudita in suis legitimis defensionibus: tertiò, quòd sit lata ex falsa relatione dictorum Reorum. Nam ex his tribus ne unum quidem est, quod huic sententiæ interlocutoriæ ultima Februarij latæ obsit: lata enim fuit in præsentia procuratoris, statim à pronuntiatione illius de gravamine & de appellando protestantis; de cujus procuratoris mandato ex ipsis hujus causæ actis constat; nihilque interest in præsentia procuratoris an domini sententia feratur, *l.* 1. *in fine D. Quando appel. sit.* Deinde lata etiam fuit cum plena causæ discussione, & post omnes partis actricis allegationes, & quidem etiam ad instantissimam dicti procuratoris petitionem, ut super actis jus diceretur. Denique ex actis, quæ post undecimam mensis Septembris à die latæ prioris sententiæ definitivæ habita fuerunt, non constat de aliqua, multò minus de falsa Reorum relatione, ex quâ dicta sententia interlocutoria ultima Februarij dici posset esse lata. Subijcitur quidem in dicta appellationis scedula clausula generalis, *alijsque rationibus & causis in actu causæ propositis & suis loco & tempore adhuc proponendis*; sed nihil facit ad sustinendam aut justificandam dictam appellationem. Nam sententia dicta die ultima Februarij lata est merè interlocutoria; ut etiam in prætacta appellationis scedula Actrix appellans eam vocat & baptizat interlocutoriam; & manifestum est, quod à sententia interlocutoria in scriptis appellandum sit, *d. c.* 1. *De appel. lib.* 6. & omnes appellationis causæ formaliter, disertis verbis, & in individuo, non per relationem ad acta aut aliud aliquod, in scriptura appellationis exprimendæ; ita quod relatio ad acta, multò minùs ad postea alleganda aut proponenda non sit permissa in hoc genere appellationis ab interlocutoria sententia, *Doct. in d. cap.* 1. *& in d. Clem. appellanti, Guido Papæ cons.* 124. *& d. cons.* 76.

Vt proinde multipliciter demonstretur dictam appellationem à prædicta illa sententia interlocutoria nulla ex parte repetitioni contentorum in actis neque item expressioni causarum gravaminis congruere aut accommodari posse; ideoque illam minimè justificatam esse, minimeque ex expressis causis justificari potuisse; multò minùs ex illa dictam interlocutoriam sententiam ultima Februarij latam impugnari aut retractari posse. Congruunt & accommodari aliquo modo possunt dictæ tres expressæ causæ præcedenti definitivæ sententiæ undecima Septembris latæ, quam pars agens in eadem appellationis scedula vocavit decretum; sed ex ijs in dicta appellationis scedula non interponitur aliqua appellatio, sed tantùm à dicta interlocutoria sententia ultima Februarij lata: ita quod hîc nulla sit concordia inter assertam facultatem & voluntatem; ob id, quòd fortè rebus integris, nullo alio interveniente impedimento, ab eâ appellare potuisset, sed tamen pars noluerit. Vnde fit, ut cùm id quod potuit noluerit, & quod voluit eo modo non potuerit, in hac appellatione sic interpositа nec devolvendi nec justificandi aut impugnandi aliquis effectus constitui possit, *l. Multum interest C. Si quis alteri vel sibi &c.*

Sed ut vel errori vel imperitiæ procuratoris appellantis hoc condonemus, quasi hic omnia benè congruant & concordent; & verum esse præsupponamus, quòd per dictam interlocutoriam, qua formaliter pronuntiatum & declaratum est, quòd Actrix teneretur Reis solvere ducentos florenos, imò eo ampliùs quod sic & ex prædictis causis appellatum fuerit à dicta sententia undecima Septembris lata; nihilo validior aut justior dici poterit hujusmodi appellatio, ob quam eadem sententia vel nulla declarari, vel ut injusta per Venerabiles Dominos Iudices retractari possit: Primùm ex eo, quòd in omnem eventum quoad sententiam die undecima Septembris latam seriùs foret interposita post lapsos non tantùm tres dies, qui ex statutis Vniversitatis Lovanienſis appellationibus interponendis præscripti sunt, sed etiam post decendium jure communi præscriptum, *auth. hodie C. De appell.* Nam eâ latâ dicta die undecima Septembris, Actrix sententiæ acquiescendo nihil vel appellando vel alia ratione contradixit, sed primùm secunda die mensis Octobris proximè tunc sequentis, non tam contradicendo dictæ sententiæ, quàm occasionem litis novæ, seu repetendæ ejusdem litis captando, proposuit & continuavit petitionem exhibendæ manualis obligationis, per ejus maritum Reis traditæ; idque non directè ad finem retractandæ dictæ sententiæ, sed ad hoc tantùm, ut actrici constare posset, quibus conditionibus dictus suus quondam maritus aurea in actis mentionata oppignoraverat. Qua in parte actrici satis factum fuit per responsionem & declarationem Reorum factam ad interrogationem Magnifici D. Rectoris, quòd hujusmodi obligationem non haberent, nec ubi sit scirent. Atque ita intempestivè appellatio interposita effectum aliquem habere non potest, multò minùs dicta contradictio, non directè ad finem revocationis ejusdem sententiæ, sed alio omninò fine, videlicet vel ad moderandum vel differendum executionem dictæ sententiæ facta, si fortè in reperta & exhibita manuali obligatione aliquid contineretur, propter quod aut Actrix præcisè & statim non debuerit solvere ducentos florenos, aut Rei non possent statim prosilire ad venditionem catenæ pignori datæ. Quo etiam factum, quod Actrix, videns se per temporis lapsum excidisse remedio appellationis, adversus Reorum

in

istam objectionem replicaverit, quòd dicta sententia undecima Septembris lata interlocutoria fuerit, quæ quoad judicem numquam transeat in rem judicatam, ideoque illius retractandæ quandocumque ei sit potestas, *l. Quod iussit D. De re iudic.* quòd tamen sic replicando objecit seu retorsit, ut numquam ex ea aut alia causa petierit dictæ sententiæ retractationem seu revocationem; ut sanè
4 bono jure petere non poterat: † quippe illa sententia (sive sententia appelletur, sive præceptum de solvendo) non interlocutoria, *Bart. in l. 1. D. De confess.* sed absolutè definitiva fuit, sententiæ definitivæ per omnia potestatem habens, *Bald. cons. 201. Functus petita vol. 5. Guido Papæ decis.*
5 12. & 120. *Anchar. cons. 234. Casus talis nu. 3.* † Idque tantò potentius, quòd sit lata ex confessione partis agentis in judicio coram Iudice in præsentia partis Reæ facta; à cujus generis præcepto seu sententia nulla est appellatio, *l. 2. C. Quor. appell. non recip.* cùm adversus confitentem non tam judicandi & condemnandi sint Iudicis partes, *l. Proinde. D. Ad leg. Aquil.* quippe confessus in judicio pro judicato habetur, *l. 1. D. De confess.* quàm exequendi & initium executionis faciendi, & judicato præcipiendi ut solvat, *Bart. in d. l. 1. D. De confes.* Sic quòd illa sententia irretractabiliter tranlierit in rem judicatam; sive quia ab ea appellari non potuit; sive quia appellatum aut contradictum non fuit, aut saltem non debito tempore; ideoque nulla ratione possit per Dominos Iudices ex capite ali-
6 quo injustitiæ aut iniquitatis retractari: * quia sententia, quæ in rem judicatam transivit, inter partes jus facit, sive illa æqua sive iniqua sit, & ob id nec disputationem justitiæ vel injustitiæ; æquitatis aut iniquitatis admittit, *l. 1. § pari modo De liber. exhiben. l. scire De lib. agnos. l. Qui Romæ §. duo fratres & ibi Bart. & alij De verb. oblig.*

Quamobrem Actrix diffidentiâ retractationis ex capite iniquitatis & injustitiæ, confugit ad objectionem & causas nullitatis: malè quidem & incongruè quoad dictam interlocutoriam sententiam ultima Februarij latam; quia causæ nullitatis allegatæ, ut superius deduximus, illi nulla ratione accommodari possunt; sed magis appositè & congruentius quoad dictam sententiam definitivam undecima Septembris latam. Cujus nullitate constitutâ, ex consequenti constituenda quoque esset dictæ sententiæ interlocutoriæ undecima Februarij tamquam de facienda executione latæ inefficacia: Non enim potest executivum decretum ferri, aut procedi ad executionem sententiæ, quę vel nulla vel nulliter lata est, *l. 4. §. condemnatum l. Si cum nulla De re iudic.* Cæterùm nec hac ex parte magis fundata est Actrix: nam quas hujusmodi nullitatis expressit & proposuit causas, momenti nihil in proposito habent.

Quod enim ad primo loco propositam attinet, quod lata fuerit parte sua non legitimè citatâ, & ea absente, partim verum non est, quoad defectum citationis scilicet, partim nullius est momenti, quoad absentiam actricis. Citatam quippe fuisse Actricem evidenter constat ex relatione nuntij seu Bedelli eadem die, qua dicta sententia lata fuit, in judicio facta, qui actricem in personam suæ ancillæ seu famulæ domesticæ citaverat speci-

aliter ad videndum & audiendum decretum Domini Rectoris interponi; cui nuncio ea parte credendum est, *Glos. in c. Cum parati De appel.* eoque magis, quòd Actrix indirectò id non neget, sed hoc tantùm, ad avertendum effectum hujusmodi citationis, dicat, se ex sua ancilla intellexisse, se quidem ad Dominum Rectorem vocatam fuisse, sed non audivisse fieri mentionem de decreto aliquo interponendo; quod sanè probabile non est: quippe intelligebat facilè Actrix, atque etiam intelligere debebat, se ob aliam causam coram Domino Rectore tunc vocatam non fuisse per nuntium, quàm litis suæ, quam contra Reos paucis diebus ante ad repetitionem pignorum instituerat, & ex ea occasione per eosdem Reos reconventa fuerit ad solutionem ducentorum florenorum mutuo datorum; quodque hoc debito per eam confessato nihil restabat quàm pronuntiatio seu decretum Domini Rectoris super hac conventione & reconventione utrimque proposita, & unico actu satis liquidata; ideoque non debebat hanc vocationem sic contemptui aut neglectui habere, & in multam lucem stertendo delicatè lectum auctoritati & reverentiæ Rectorali præferre. Adeò ut ejus hæc absentia nulla ratione sit probabilis, sed prorsus sit ex contumacia & dolo, aut saltem ex lata culpa, quæ dolo comparatur. * Et si qua 7
ratione hæc ejus absentia probabilis dici posset, & extra omnem contumaciam in plena ignorantia constitui; nihilo magis nulla dici posset hæc sententia, seu præceptum de solvendo: cum ipso jure, etiamsi iniqua esset, valeat, & absenti necesse sit appellare ab hujusmodi sententia intra statuta tempora, aut saltem à die scientiæ, quòd lata fuerit, ut expresso jure definitum est, *l. Ab eo C. Quomodo & quando iudex &c.* si modò citatio facta sit (ut inquit Bartolus, *in d. l. Ab eo*) ad domum absentis, etiamsi ad illius notitiam non pervenerit. Iam verò hac quoque in parte sibi defuit Actrix, quæ nullo umquam tempore, & ne nunc quidem à dicta sententia seu decreto undecimæ mensis Septembris ullam appellationem voce vel scripto interposuit, nec restitutionem ad appellandum umquam petijt, sed post lapsos viginti dies à pronuntiatione dictæ sententiæ, ut superiùs diximus, proposuit dumtaxat petitionem exhibitionis manualis obligationis; sic in effectu rem ad initium alterius litis pertrahere laborans, sine directa oppugnatione prætactæ sententiæ, seu præcepti de solvendo, per remedium appellationis, statim à die scientiæ aut restitutionis ad appellandum. Sic quod hæc sententia ex defectu citationis aut propter absentiam actricis convelli aut nulla dici non possit. * Cum alioqui hujusmo- 8
di præceptum de solvendo non tam sit sententia, quàm initium executionis judicati, quod constituitur ex partis conventę vel reconventę confessione, *Bart. in l. 1. D. De confess. Lud. Rom. in l. 5. De verb. oblig. Zasius in l. Certum §. confessi nu. 4. De re iud.* ideoque etiam adversus absentem & non citatum plerumque fieri possit, *Bart. in l. Nec quicquam §. ubi decretum De off. proconf.*

Quæ deinde subijcitur hujus nullitatis causa, quòd scilicet dicta sententia lata sit parte penitus inaudità in suis legitimis defensionibus, multo

magis frivola est; cùm Actrix per Reos non sit in jus vocata, sed ipsa Reos ad judicium pertraxerit, & reconventioni Reorum nihil objecerit, imò debitum ducentorum florenorum apertè in jure confessa fuerit; exceptioni seu responsioni Reorum adversus Actricis conventionem propositæ, (quod pars dictorum pignorum sine ipsorum culpa per milites ablata fuerit) nihil prorsus replicando contradixerit, nec contradicendi aut desuper deliberandi dilationem petierit, sed tacita confessione verum esse cognoverit, & sic cognoscendo Domino Rectori justam occasionem dederit declarandi, quòd actrix in sua conventionali petitione non sit fundata; idque expressim adjecta hac causa, quod de culpa Reorum non constet.

9 Quam causam idem Dominus Rector meritò adjicere poterat, non tam ex narratione, seu (ut Advocatus actricis dicit) relatione Reorum, quàm ex defectu objectionis seu allegationis culpæ, quam actrix, ut minimùm objicere debebat, si periculum dictorum pignorum à se avertere, & in Reos rejicere volebat: quia ut probatio, ita quoque allegatio culpæ amissionis pignorum incumbit non creditori, qui pignori accepit, sed debitori, qui pignori dedit, *l. S. creditor & ibi glos. in verb. seperdidisse C. De pignor. actione*; nam sine culpa amissum esse, mere abnutivum est & in dubio præsumitur, *l. Merito D. Pro socio, Bart. Cepolla consil. criminali* 69. At verò in culpa esse seu culpa creditoris pignus amissum esse in facto consistit, cujus nulla est præsumptio, sed necessitas allegandi & probandi, *l. In bello §. facto D. De capt. & postlim. reversi. Bald. cons.* 403. *Ioannes Simonem nu.* 6 *vol.* 3.

Quare frivola quoque est tertia propositæ nullitatis causa, quam actrix constituit in eo, quòd Dominus Rector attenderit ad falsam relationem seu assertionem Reorum, quod pars pignorum sine eorum culpa sit ablata. Quî enim falsa dici potest, quam deficiente contrarij probatione, jus ipsum præsumit? Et ut verè falsa fuerit hujusmodi assertio; inde tamen non potest constitui sententiæ nullitas, sed ad summum dumtaxat iniquitas, quam, ut contra jus partis admissam, actrix remedio appellationis convellere legitimo tempore & modo debuit, *l. 1. C. Si sæpius in integ. restit. postul. l. 1. §. Item cum contra, l. Quæ sent. sine appell. rescind. Bald. cons.* 363. *Si thema vol.* 4. ita quoque cum id non fecerit, aversa prorsus censeri debet præsumptio iniquitatis, & ex adverso ex auctoritate rei judicatæ inducta præsumptio veritatis & æquitatis; cùm, ut diximus, iniqua etiam sententia remedio appellationis non suspensa jus inter partes faciat, *l. Res iudicata De reg. iuris.* Quâ in parte hoc quoque in animadversione habendum, quod dicta Domini Rectoris sententia lata undecima Septembris duo capita habeat; alterum absolutionis Reorum in conventione; alterum condemnationis Actricis in conventione ex causa mutui; & quod Actrix in prætacta appellationis scedula dumtaxat conqueratur de posteriore illius capite, quod fuerit condemnata in ducentis florenis; & quod jus permittit ab una tantùm parte sententiæ appellare, reliquâ, qua expressim appellatum non est, in suo robore manente, *l. Etiam §. 1. D. De minor. l. 1. § ult. D. Nil. novan. appel. pend.* Ita ut à priore parte nulla extet appellatio aut querela, cui priori parti applicatur dicta causa (quam Actrix falsam vocat) quòd non constet de culpa Reorum; ideoque ut posteriori parti dictæ sententiæ illi applicari non potest, quia in mutuo hujusmodi culpæ consideratio non est; ita quoque iniquitatem condemnationis facere non potest, multo minus nullitatem.

Multa igitur concurrunt, ex quibus manifestè deprehenditur per Venerabiles Dominos Judices pronuntiandum esse nulliter, aut saltem malè esse appellatum à dicta sententia interlocutoria ultimâ Februarij latâ, ideoque eandem per omnia esse confirmandam, partemque appellantem in expensis litis condemnandam.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio à subdelegato ad quem fieri debeat.

1. *Appellatio à delegato ad quem interponatur.*
2. *Clausula*, donec, *& quousque easdem subdelegans ad se iterum revocandas duxerit, in subdelegatione quod operetur.*
3. 5. *Appellatio per se nulla si à parte adversa admittatur valet.*
4. *Apostoli quales sint cùm Iudex defert, quatenus ius defert.*
6. *Appellatio alternativa valet.*

CONSILIVM CLXXIII.

AD impediendum progressum causæ appellationis, quæ coram Reverendo Domino Abbate S. Gertrudis Lovaniensis ex parte Domini Martini Bruninex, & Annæ van Releghem appellantium contra Dominum Dionysium Scroncx introducta est, dictique Domini Abbatis jurisdictionem præscindendam, objicitur, quòd eorum appellatio nulla sit, nullumque operetur vel suspensionis rei judicatæ, vel devolutionis ad superiorem effectum; * ob id, quòd I
expresso jure cautum sit, *in c. si delegatus De off. deleg. lib.* 6. si quando à subdelegato Apostolico, cui causę per delegatum non simpliciter, sed cum clausula, *Donec & quousq; easdem subdelegans ad se iterum revocandas, & reassumendas duxerit*, delegantur, appellandum esse ad subdelegantem, & minimè, eo omisso, ad Papam; licet aliàs regulariter à quocumque inferiore, omisso medio seu immediato superiore, ad Papam appellari possit, *c. Dilecti De appel. c. Ad Romanam* 2. *q.* 6. Ita ut testibus Ioanne Andrea & Philippo Franco, *in d. c. si delegatus*, in Romana Curia non soleant dari literę seu rescripta delegatoria super hujusmodi appellatione à subdelegato ad Papam, prætermisso subdelegante interposita. Verùm quoniam dicta juris definitio sæpissimè vitium patitur, & ex plurimis causis restringitur, & limitatur, ex ejus generalitate in abstracto non potest argui dictæ appellationis nullitas, nec præfati Domini Abbatis jurisdictio in hac causa impugnari; etiamsi verum sit præclaræ memoriæ Dominum Robertum Episcopum Leodiensem, (cui inter has partes per rescriptum Apostolicum causa commissa primùm fuit) eandem causam Venerabili Domino Petro Boels suo

Sigilli-

Sigillifero ſubdelegaſſe, cum prædicta clauſula, *Donec & quouſque &c.*

Nam in primis (ut in frontiſpicio ponamus, quod omnium expeditiſſimum & ad hanc objectionem removendam efficaciſſimum eſt) regula prædicta non obtinet, ſi tempore latæ ſententiæ ſeu interponendæ appellationis à ſententia ſubdelegati, ſubdelegans mortuus ſit, etiamſi ſub nomine dignitatis, nomine ejus proprio minimè expreſſo, cauſa ei delegata ſit: tunc namque recta via appellari poteſt ad Papam, *c. ſi is cui De off. & poteſt. iud. deleg. lib. 6.* Cùm ergo Præfatus D. Robertus ſubdelegans, tempore hujus ſententiæ rebus humanis exemptus fuerit, conſequens eſt, hanc appellationem ad Papam rectâ viâ fieri potuiſſe, nec rectè ex parte appellati proponi hunc caſum appellationis ſub exceptione dictæ regulæ non contineri.

2 Secundò, Innocentij ſententia eſt, *in c. Si pro debilitate nu. 5. De off. & pot. iud. deleg.* quam ſequitur & confirmat Speculator, *in tit. De appel. §. nunc tractemus n. 7. verſ. ſed ad quem appellabitur*, quod effectus clauſulæ illius, *Donec &c.* vires ſuas quoad appellationem ante ſententiam definitivam per ſubdelegatum latam operetur, ut ante illam revocari poſſit ſubdelegatio, & ante illam ſi appelletur ab interlocutoria interpellandus ſit ſubdelegans, non Papa; non autem poſt latam ſententiam definitivam, per quam ad eum caſum devenit res, ut ad ſubdelegatum tranſlata videatur tota juriſdictio, & per ſententiam definitivam ſubdelegati, perinde ſubdelegans ut ſubdelegatus officio ſuo functus intelligatur, & uterque judex eſſe deſierit, *l. Iudex De re iudic.* videtur enim ſubdelegans judicaſſe per ſubdelegatum, *c. Dudum De præb. lib. 6. c. Qui per alium De reg. iur lib. 6.* Quia igitur Dominus Petrus Boels ſententiam definitivam in hac cauſa protulit, devolutioni ad Sedem Apoſtolicam locum feciſſe videtur: potiſſimùm quod ſubdelegatio non ſimpliciter, ſed cum peculiari intentione facta ſit; cum proteſtatione ſcilicet, quòd D. Robertus eam nullo umquam tempore revocaret, niſi de revocatione ipſa ſpecialiter mentionem faceret.

3 Tertiò, non obtinet prædicta regula, quoties pars, contra quam appellatio interponitur, appellationi ſe non opponit, ſed tacendo illi quodammodò defert, patiturque Appellantem in appellatione progredi, & appellationis commiſſionem obtinere: videtur enim eo ipſo approbare, & approbando ſe coarctare, *Panor. & Felin. in c. ſuper quæſtionum §. porro De off & pot. iud deleg. Phil. Franc. d. c. ſi delegatus n. 8. verſ. 2. limita.*

4 Quartò, multo magis impeditur & fallit dicta regula, quando Iudex ſubdelegatus, qui ſententiam tulit, potiſſimùm parte appellata non contradicente, hujuſmodi appellationi defert, *Panor. Felin. Philip. Franc. locis ſupra citat. Rota in deciſionib. Biſgueti 21. incip. An ſub executore De appell.* Quia igitur ex inſtrumento appellationis in hac cauſa exhibito conſtat, partem appellatam contra hanc appellationem nihil dixiſſe, & illi per D. Petrum Boels delatum eſſe; nihil dubitandum eſt, quin cauſa ad Sedem Apoſtolicam ſit devoluta, & ſic per Papam Præfato D. Abbati rectè committi potuerit.

Nec movet quicquam, quòd Dominus Petrus non abſolutè detuliſſe, ſed magis rejeciſſe videatur, qui hoc modo reſpondit, *Appellationi veſtræ in quantum ius defert, deferimus.* Nam hujuſmodi verborum adjectio in appellatione, quæ rationabilis eſt (qualis plerumque eſt, quæ à definitiva interponitur) non facit delationem conditionalem, nec ſuſpendit; ſed perinde eſt ac ſi ſimpliciter Iudex detuliſſet, *Lud. Rom. conſ. 501. Vt declarationem nu. 3. Felin. c. Cum contingat De off & pot. Iud. deleg. Elegantes Bald. conſ. 427. Delegatus Apoſtolicus nu. 3. vol. 2.*

Quintò, non obtinet prædicta regula, ſi utraque pars ad Papam appellaverit; communis enim conſenſus hoc efficit, ut benè appellatum dici debeat: cùm etiam invito delegante partes litigantes poſt ſententiam à ſubdelegato latam Curiam Romanam ac Papæ auditorium accedere poſſint, *Rota d. deciſ. 21. verſ. item quia partes*; & hoc caſu parti appellatæ objici poſſit, quod illo jure uſa ſit, hoc eſt, ſic etiam ipſa ad Papam appellaverit, & ſuper appellatione hujuſmodi apoſtolos reverentiales obtinuerit, & ob id æquo animo pati debeat, *l. 1. D. Quod quiſque iur.* ut appellans eodem jure utatur, etiamſi adverſarius ſic interpoſitam appellationem non proſequatur, *l. ſi quis iniquum in fine prine. D. Quod quiſque iur.* Cùm ergò ex inſtrumento prædictæ appellationis conſtet utrumque eodem modo appellaſſe, & utrumque eadem forma verborum eoſdem apoſtolos retuliſſe; nihil ambigendum eſt quin appellatio hæc rectè ad Sedem Apoſtolicam devoluta ſit. * Ex quâ 6 etiam cauſa ad vitium dictæ appellationis objici non poteſt, quòd fuerit alternativa ad Papam vel ad Epiſcopum Leodienſem, cùm neuter in altero id reprehendere poſſit: & in contentione Doctorum in eo articulo, an alternativa appellatio valeat, electione intra decem dies non factâ, verior ſit eorum ſententia, qui valere putant, *Spec. in d. §. nunc tractemus, Bald. in l. Cum proponas nu. 5. C. De bon. auth in poſſid. & in l. Appellatione nu. 8. C. De appel. Panor. & Felin. in c. Inter cætera De appel. Gemin. & alij in d. c. ſi is cui De off. & poteſt. iud. deleg. lib. 6.* quam & Rota Romana comprobavit, *Rota deciſ. 209. alias eſt 33. appellatio alternativa de appel. in novis. Vide ſ. conſ. 171.* Ita ut omnibus ritè expenſis Reverendus Dominus Abbas de ſua juriſdictione dubitare non debeat; quin ſcilicet ſit omninò hujus cauſæ Iudex competens ob prætactam devolutionem ad S. D. N. Papam ſine ullo impedimento eorum, pars appellata ex adverſo obiecit.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellari poſſe ab Eccleſiaſtico ad Eccleſiaſticum inter laicos.

1. 12. *Clerici omnes cuiuſcumque dignitatis ſubiecti ſunt Papæ etiam quoad ius appellandi.*
2. 11. *Appellari poteſt ad Papam omiſſis medijs.*
3. *Iudex Eccleſiaſticus tam in reali quàm perſonali cauſa iudicare poteſt.*
4. *Cauſæ reales, quando pertineant ad Iudicem Eccleſiaſticum.*
5. *Feudalia quo iure iudicet Iudex Eccleſiaſticus.*
6. *Laici ratione bonorum ſubijci poſſunt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ.*
7. *Bona*

7. *Bona Ecclesiæ data, purè data præsumuntur.*
8. *Res cuiusque censetur libera.*
9. *Appellari potest ad Papam à Iudice Ecclesiastico, qui in temporalibus superiorem non agnoscit.*
10. c. Romana. §. debet De appell. lib. 6. *intellectus.*

CONSILIVM CLXXIIII.

VENERABILIS Domine Decane, ut V. D. in memoriam revocemus ea, quæ ex juris dispositione in hoc incidenti articulo, an vobis ex rescripto Apostolico jurisdictio aliqua competat, expendenda & sequenda erunt, pauca pro rei qualitate in medium adfe-
1 remus. * Et in primis quidem, quòd alioquin vulgatissimum est, omnes omninò Ecclesiasticas personas Archiepiscopos, Episcopos, tam cathedrales quàm alias quascumque Ecclesias mediatè sive immediatè, subjectas esse Sedi Apostolicæ, tamquam capiti & omnium Iudici, *c. Per venerabilem Qui filij sint legitimi, c. Ad Romanam 1. q. 6. c. Antiqua De privil. c. Cuncta 9. q. 3. c. fin. iuncta glossa & ibi Panor. De foro compet.* † Ita ut Papa regulariter omissis medijs & subalternis Iudicibus, appellari possit sententiâ latâ ab aliquo judice Ecclesiastico, *c. si duobus c. solicitudinem De appel. c. si quis vestrum 2. q. 6.* Cùm igitur ex actis secundæ instantiæ evidentissimè constet, sententiam interlocutoriam, à qua provocatum ex parte appellantium proponitur, latam esse à Commissarijs Dominorum Decani & Capituli Collegiatæ Ecclesiæ sancti Servatij Traiectensis, quos pars appellata aperte fatetur personas esse Ecclesiasticas, & res ipsa sine probatione satis docet optima ratione ab ijs rectâ viâ ad Sedem Apostolicam appellari potuit; argumento à genere ad speciem ducto.

Nihil autem movet, quòd pars appellata in contrarium objecit, quòd hæc materia, de quâ inter partes hujus causæ agitur, sit mere realis, & quod Iudices primæ instantiæ sint merè laicales, ideoque causa ad Sedem Apostolicam devolvi non potuerit. * Nam quoad prius dicimus, Iudicem
3 Ecclesiasticum tam posse judicare in causa reali, quàm personali, in his quæ ad suam jurisdictionem pertinent; prout Capitulum S. Servatij, necnon pars appellata asserunt, bona controversa supposita esse, saltem ratione superioritatis, jurisdictioni dictorum Dominorum, *c. 1. & multis alijs per tot tit. De caus. possess. & propriet.* non tantùm si clericus clericum, vel laicus clericum; verum etiam si laicus laicum conveniat: licet alioqui regula sit in contrarium *c. si clericus c. Licet ex*
4 *suscepto De foro compet.* * Pertinent autem causæ reales seu civiles laicorum ad Iudicem Ecclesiasticum, varijs ex causis; inter quas una est, si laici bona teneant ab Ecclesia in feudum, *c. Verum & ibi Panor. De foro compet. c. Caterum De iudic.* quibus proxima sunt bona emphitheutica & censualia; ut per Præsidem Nicolaum Everardi latè tractatum est, *in locis iuris legal. in loco à feudo ad emphyt. & ab emphyt. ad censum.* Quare cùm hæc omnia bona controversa (ut prætendit pars appellata) sint bona, quæ in censum teneantur à Dominis de Capitulo S. Servatij, uti patet ex allegatione partis appellatæ in libello suo appellatorio coram dictis Commissarijs exhibito; sequitur de illis ratione superioritatis saltem in præjudicium partis appellatæ (nam quoad appellantem controversia est, & respicit hic articulus totam appellationis causam) potuisse dictos Dominos de Capitulo Iudices esse. Sed non est necesse hic insistere: etsi enim nunc pro commodo & opportunitate causæ id negare videatur pars appellata; tamen quia satis ex secundo processu secundæ instantiæ constat dictam partem appellatam allegare & sic tacitè confiteri, *l. 2. c. De lib. caus.* bona controversa subjecta esse tribunali seu banco (ut ait) Curiæ Capituli S. Servatij, de eo nobis nunc non est dubitandum, aut de jure illius articuli disceptandum: satis enim nobis esse debet hanc sententiam latâ esse à Iudice Ecclesiastico.

Non obstat rursus, quòd in hujusmodi feudalibus 5
& censualibus bonis Iudices Ecclesiastici pro laicis habeantur; & quòd persona Ecclesiastica in tali casu judicetur ut laica & secularis, *c. solita in verb. qui ab eo De maior. & obedien.* quia hoc procedit, eo dumtaxat casu, quo constat eos hujusmodi bona habere à laicis; alioqui censendi sunt Ecclesiastici, *Panor. & Felin. in c. Caterum in fine De iud.*

Quoad posterius, quòd scilicet prioris instantiæ Iudices merè sint laici, facilis est responsio: Id enim etsi negari possit aliquo respectu, eo scilicet, quòd sint subditi dicto Capitulo, ut non omnino ratione horum bonorum, jurisdictioni superiori sæculari possint dici subjecti, seu potiùs quod sint Scabini & Villici dictorum Dominorum de Capitulo; ita ut eorum naturam sequidebere videantur ex vi & natura surrogationis: tamen ut id verum esse fateamur, nihil parti appellatæ obest;

† ex eo, quòd, ut jam diximus, etiam merè lai- 6
cæ personæ subijci possint jurisdictioni superiori Ecclesiasticæ ratione bonorum; ita ut ex eo rectè consequatur, quòd Ecclesiastici possint territorium seu jurisdictionem, aut judicium seu tribunal aliquod inferius & sibi suppositum habere, eorum bonorum ratione, quibus adhærere solet jurisdictio, *ut per Bald. in c. 1. De eo qui cur. vend. in usib. feud.* Præterea si pars appellata ideo voluit committi non posse hanc causam Iudici Ecclesiastico, quòd à Iudicibus laicis lata sit sententia, cui ipsi iniquum jus (quale secundùm eorum opinionem hoc censeri debet) impetrando, obtinuerunt recipi seu committi appellationem à sententia dictorum Iudicum laicalium præfato Capitulo? Quo casu magis peccatum videtur per partem appellantem, quæ sententiam latam non à laico sed ab Ecclesiastico obtinuit committi Iudici ejusdem generis Ecclesiastico. Si quæ ergò subest hic iniquitas, prout tamen re vera non est, æquo animo ferat pars appellata, quia simili jure usa est, *toto tit. D. Quod quisque iuris.* Neque audienda est pars appellata, si velit Iudices secundæ instantiæ jure laicorum censeri; quia, ut dixi, id admittendum non est, nisi constaret eos hujusmodi bona in feudum aut alio titulo à Principibus laicis tenere: quod quidem pars appellata neque allegat, neque usquam in actis constat. † 7
Quare cum de contrario non constet, potiùs præsumendum est, quod temporalia data & concessa Ecclesiæ sint data purè & simpliciter, nullâ recognitione concedenti reservata, *Panor. in c.*

Veniens

Veniens in 2. notab. De accusat. Felin. in d. c. Caterum
8 *in fine.* * Cui omninò conjungenda est naturalis illa præsumptio, quòd cujusque res censeatur libera, *l. Altius l. Si in ædibus C. De servit. & aqua.* * Huc
9 pertinet quod decidunt Glossa & Panormitanus, *in c. Cum Ioannes De fide instrum. & in d. C. caterum*, quòd quando Iudex Ecclesiasticus, à quo appellatur, non recognoscit in temporalibus superiorem, liceat ad Sedem Apostolicam appellare. Tenent idem apertè Felinus, *in d. c. Caterum*, & Guido Papæ, *decis. 436. conclus. 7. & in suo tract. de appellat.*
10 *quæst. 119.* * Et ne longa disputatione Iudicis aures fatigem est de hac re apertissimus textus, *in c. Romana §. debet De appel. lib. 6.* ubi apertissimè dicitur, quòd in causis, in quibus Episcopi temporalem jurisdictionẽ exercent (ut in bonis litigiosis prætendunt sibi Domini de dicto Capitulo) ab Episcopis appellari debeat ad Archiepiscopos, & sic ad Iudices spirituales; non ad Imperatorem aut alium Principem: quem textum Speculator etiam eo casu procedere intelligit, *Spec. in tit. De appel. §. nunc tractemus in fine*, cùm Ecclesiastici bona tenent à Principibus laicis. Quod si verum est (nam de veritate illius non est necesse multis hîc agere) multò magis id obtinebit, ubi ratione eorum bonorum non recognoscunt superiorem aliquem laicum; quemadmodum hic evenire ostendimus. Rursus si verum est, in temporalibus bonis appellari ab Episcopo ad Archiepiscopum, *d. §. debet*, par erit, imò major ratio, ut à Capitulo appelletur hoc casu ad superiorem Ecclesiasticum, non laicum; argumento ducto à majore ad minus.

Cùm itaque dictum Capitulum sit immediatè subiectum jure exemptionis (ut sunt passim omnia in his regionibus Canonicorum Collegia) Sedi Apostolicæ, à sententia lata per Dominos dicti Capituli appellandum fuit ad dictam Sedem, prout posset etiam tunc, cùm non esset illi immediatè suppositum, per ea quæ superiùs diximus.
11 * Nam quod dicitur, *in. d. §. debet*, de Archiepiscopo appellando, sententiâ latâ per Episcopum, jus commune & ordinarium continet seu ordinem appellandi communem respicit, quo gradatim appellandum est, non jus singulare, quo soli Pontifici concessum est, ut ad eum omisso medio appellari possit. Vt enim de jure communi Papa est Iudex appellationis quoad omnes, *d. c. Si duobus*, ita etiam ex jure accidétali, si ex accidenti jurisdictionem suam Ecclesiastici inferiores porrigant: veluti in jurisdictione temporali, quæ jure ordinario illis competit, *c. Quærenti De off. Iud. ordin. arg. eorum quæ notat Gemin. in d. §. debet in princ.* Hoc certe admittendum non est, si fortè Capitulum sibi hoc vindicare velit, ne liceat ab illo appellare, quasi scilicet in summo sit constitutum, non agnoscens aliquem superiorem: quia ut Ecclesiastici hoc sibi
12 vindicare nequeunt, † cùm omnes sint subiecti Papæ, ut diximus; neque ut laici, quia de eo non constat, at nec allegatum est, ita militat in contrarium jus commune, secundùm quod ad immediatos Iudices, excepto Papa, Imperatore, & pauciss. alijs, appellare licet, *c. Cum sit Romana De appel. c. 2. c. Ad Romanam 2. q. 6. spec. in tit De appel §. videndum*: juxta quod omninò judicandum est, quamdiu de privilegio seu jure singulari non constat, *l. Si non speciali C. De testam. c.* & *ro c. Cum capella De privileg. l. unica C. De mand. Principum.* Quibus rationibus adducor, ut putem Domini Iudicis esse partes, ut decernat se Iudicem competentem: nam de devolutione causæ satis constat per instrumentum appellationis, imò & per petitionem & responsionem apostolorum.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellandum ab Ecclesiastico ad Ecclesiasticum etiam in causa profana.

1. *Appellatio ab interlocutoria iustificanda ex ijsdem actis.*
2. *Ecclesiastici omnes subsunt Papæ.*
3. *Appellari potest ad Papam omissis medijs.*
4. *Iudex Ecclesiasticus etiam de rebus profanis iudicare potest.*
5. *Iudicis Ecclesiastici iurisdictioni ex quibus causis subtraheant bona laicorum.*
6. *Ecclesiastici possunt sub se habere Curiam secularem.*
7. *Ecclesiastica causa multis modis duci & considerari potest.*
8. *Ecclesiastica causa secundùm iura canonica desumenda.*
9. *Appellandum ab inferiore ad superiorem.*
10. 14. *Appellari à Iudice Ecclesiastico non potest ad laicum.*
11. *Appellari potest de iure Canonico à quocumque gravamine.*
12. *Appellari quandoque debet ad secularem à Iudice Ecclesiastico ratione bonorum secularium.*
13. *Bona Ecclesiæ data præsumuntur simpliciter data.*
14. *Appellare licet ab omnibus excepto Papa & Imperatore.*
15. *Consultatio ab appellatione multum defert.*

CONSILIVM CLXXV.

VENERABILIS Domine Decane, necnon Domine Assessor eximie, diligenter excussis actis, tam coram vobis habitis, quàm coram Decano Sancti Martini Iudice, à cujus interlocutione appellatum fuit per Mariam Sbeckers, necnon Syndicum Dominorum Decani & Capituli Sancti Servatij Traiectensis, invenio partes vestras esse, ut confirmata sententia interlocutoria ejusdem Domini Decani Iudicis, remittatis hanc causam ad eundem pro ulteriore in materia principali cognitione; dicta Maria ac Syndico condemnatis in omnes expensas tam coram dicto Decano, quàm vobis factas: idque paucis, ipsque manifestis & apertis rationibus deducere conabor. * Si inprimis hoc admonuero, I
per vos non esse legenda atque excutienda alia acta, quam quæ coram dicto Domino Decano Sancti Martini ac coram vobis sunt habita; attento articulo gravaminis in appellatione dictorum appellantium nominatim expresso, aliunde quam ex prioribus actis & minimè ex novis aut de novo probandis justificari vel etiam impugnari potest, *c. 1. vers. in quibus De appel. lib. 6. Clement. Appellanti eod. tit.* Id quod etiam iam prius per decretum vestrum latum & repetitum optimè declarastis. Quia igitur articulus gravaminis in eo tantum consistit, quòd Dominus Decanus S. Martini

S. Martini, non obstantibus exceptionibus appellantium, decreverit se Iudicem competentem in causa appellationis interpositæ per Dominum Ioannem Staffins hujus causæ appellatum, in primis consultissimum erit, si in genere proponamus, an appellatio à decreto seu sententia Dominorum Decani & Capituli S. Servatij per dictum Dominum Ioannem interposita, devoluta fuerit aut devolvi potuerit ad Sedem Apostolicam, sic ut ritè & legitimè committi potuerit dicto Domino Decano?

2 Et sanè vulgatissimum notissimumque est, omnes omninò Ecclesiasticas personas tam Archiepiscopos, & Episcopos quàm Collegiatas Ecclesias, & Cathedrales, cæteraque corpora Ecclesiastica immeditatè vel mediatè subiecta esse sacrosanctæ Sedi Apostolicæ, tamquam capiti & communi omnium Domino ac Iudici, *c. Per venerabilem Qui filij sint legitimi, c. Ad Romanam 1. 2. q. 6. c. Cuncta*

3 *9. q. 3. c. fin. & ibi DD. De foro compet.* † Quemadmodum & illud, ab omnibus ijldem personis & corporibus, omissis medijs & subalternis Iudicibus, si quam sententiam dixerint, regulariter appellari posse, atque hujusmodi appellationem ritè ac legitimè ad eandem Sedē Apostolicam devolvi, *c. si duobus, c. solicitudinem De appel. c. Si quis vestrum 2. q. 6.* Cùm itaque ex actis tertiæ instantiæ coram dicto Domino Decano S. Martini, & potissimùm articulis declinatorialibus appellantium atque etiam ex instrumento appellationis ibi reproducto, evidentissimè constet, sententiam à qua provocatum fuit pro parte Domini Ioannis Staffins latam esse a Dominis Decano & Capitulo S. Servatij Traiectensis, Leodiensis diœcesis, quos palam constat esse Ecclesiasticas personas & minimè sæculares, optimà ratione infertur, ab eorum sententijs recta via ad Sedem Apostolicam appellari potuisse, argumento à genere ad speciem ducto.

Sed ut nunc ad rem propiùs accedamus, & causas, quibus adversus hanc communis juris dispositionem nituntur appellantes, expendamus; an scilicet momenti aliquid habeant, cur à communi juris regula recedere oporteat, comperimus eosdem appellantes sibi effinxisse tres causas principales. Primò, quòd materia, de quâ inter partes hujus causæ agitur, sit merè realis, de re non spirituali, sed prorsus temporali & sæculari. Secundò, quòd Iudices primæ instantiæ fuerint merè laici. Tertiò, quòd vel ex consuetudine vel ex privilegio non possit appellari à sententijs Dominorum dicti Capituli; aut si possit, quòd non ad Sedem Apostolicam, sed ad urbem Aquensem, & sic ad Iudices sęculares, quæ ordine inspiciendæ sunt.

Prima ratio nihil omninò movet; nam potest Iudex Ecclesiasticus cognoscere & judicare tam in 4 causa merè reali, quam personali, & tam super rebus sæcularibus & profanis, quàm spiritualibus, his inquam, quæ ad suam jurisdictionem pertinent. Idque non tantùm si clericus clericum, vel laicus clericum; verumetiam si laicus laicum conveniat: licet alioqui regula sit in contrarium, *c. Si clericus c. Licet ex suscepto De foro compet.* * Pertinent 5 enim causæ reales, civiles seu sæculares laicorum ad Iudicem Ecclesiasticum varijs ex causis; inter quas una est, si laici bona teneant ab Ecclesia in feudum, *c. Verum & ibi Panor. De foro compet. c. Cæterū De iud.* quibus proxima sunt bona Emphyteutica & censualia, *Nicol. Everardus Præses in locis legalib. loco à feudo ad emphyteusin & ab emphyteusi ad censum.* Cùm igitur appellantes coram Decano Sancti Martini, atque etiam coram vobis in libello appellationis sæpius agnoscant cognitionem de bonis controversis in secunda instantia pertinuisse ad Capitulum prætactum, & ipsis non agnoscentibus re ipsa satis deprehendatur, ex eo, quòd confiteantur bona controversa in censum teneri à Dominis prætacti Capituli, & moveri sub Curia censuali eleemosynariæ ejusdem Capituli, mansionariosque ejsdem Curiæ subesse Dominis Decano & Capitulo prærnentionatis; dubitandum non videtur, Dominos de Capitulo fuisse competentes Iudices, saltem in secunda instantia super dictis controversis bonis. Et sanè articulus iste non tam pertinet ad quæstionem propositam, quàm ad illam, an Capitulum in dicta secunda instantia judicare potuerit? sic ut, cùm de eo nunc nulla sit controversia, frustrà quæratur; quia circa illum non versatur articulus gravaminis appellationis interpositæ, de quo hic potissimùm quærendum.

Secunda quoque ratio nihilo magis urget: nam quamvis negari non posset primæ instantiæ judices fuisse merè laicos, si eorum conditionem simpliciter intueamur; aliquo tamen & diverso respectu negari potest; eo scilicet, quòd sint subditi dicto Capitulo, illorumque mansionarij, sic ut horum bonorum seu Curiæ, unde judicandi potestatem desumunt & habent, respectu, non possint dici omninò subjecti esse superiori jurisdictioni sæculari, sed spirituali seu Ecclesiasticæ: cum Curia, cujus sunt mansionarij, ad Ecclesiam pertineat, sic ut ex vi & natura subrogationis eodem jure censeri debeant, quo illi, quos referunt & quorum sunt mansionarij, *l. 1. §. hæc actio & ibi Bart. Si quis testamento liber esse iuss. fuer.* † Et hoc est quod 6 ait Baldus, *in c. 1. De eo qui cur. vend. in usib. feud.* quòd Ecclesiastici sibi possunt habere suppositum aliquod inferius tribunal seu territorium ac jurisdictionem bonorum suorum ratione, quibus adhærere solet jurisdictio. Deinde si Domini de Capitulo (quos hic articulus magis respicit, quàm originalem Actricem) existimant, ideo non posse committi hanc causam appellationis alicui Iudici Ecclesiastico, quòd à Iudicibus laicalibus sit lata sententia; cur quæso ipsi jus sibi (quale secundùm eorum opinionem hoc censeri deberet) dicentes permiserunt causam appellationis à dictis mansionarijs merè (ut fatentur) laicis ad se devolvi & coram se agi? Imò non tantum permiserunt, sed id etiam fieri debere contenderunt, & adhuc nunc in suo libello appellatorio contendunt.

Præmissa adiuvantur & illustrantur, quòd causa 7 Ecclesiastica varijs modis consideretur, *glos. in c. 1. 11. q. 1.* non tantùm ratione materiæ, quando est de rebus spiritualibus, beneficijs, matrimonijs, & similibus, *Clement. Dispendiosam De iud.* aut personæ conventæ, ut puta quòd sit clericus, qui convenitur: verum etiam intuitu solius Iudicis, qui de causa cognoscit, *c. Diligenti, c. Significasti De foro compet.* sive sit spritualis sive profana causa. Et id quidem

quidem absque distinctione quomodocumque Iudex ecclesiasticus de ea cognoverit, sive rectâ & ordinariâ viâ, sive per appellationem (ut est in
8 præsenti casu.) † imò verò cùm sic causa est ecclesiastica, decidenda est secundùm jura Canonica & Ecclesiastica, non etiam sæcularia, *Bald. & Phil. Franchus in c. Si duobus §. fin. De appell. Specul. in tit. De constit. §. 1. in vers. & sunt hæc, Hostien. in Summa tit. De testam. §. qualiter, Archidiac. in c. Non ita 2. q. 6. Panor. in cap. Quod clericus De foro compet.* Cùm itaque per appellationem hæc causa à dictis Iudicibus laicalibus devoluta & introducta semel fuerit coram Iudice Ecclesiastico, hoc est dicto Capitulo S. Servatij; secundùm præmissa dici debet effecta Ecclesiastica, & decidenda secundùm jus commune Canonicum; non secundùm leges
9 sæculares, *per jura prædicta.* † Iam verò cum jure communi, non tantùm Canonico, seu etiam Civili sit cautum, ut ab inferiore ad superiorem appelletur, *l. Præcipimus C. De appell. l. Imperatores De appell. c. si quis putaverit & cap. Anteriorum §. illud 2. q. 6.* & quòd quælibet causa ecclesiastica ab ecclesiastico Iudice sit cognoscenda, *d. Clement. Dispendiosam, Panor. in d. c. Quod clericus*: appellandum omninò fuit ad Papam (ut mox latiùs dicemus) & non ad aliquem sæcularem Iudicem, qui semper censetur inferior quocumque Iudice ecclesiastico, *c. Solitæ De major. & obedien. c. Vt nostrum & ibi DD. De appel.* * Equidem ubi Iudex ecclesiasticus semel manum apposuit causæ, Iudex sæcularis sese illi deinde intromittere non potest, *d. c. Vt nostrum c. statutum De rescrip. in 6.* quia est effecta
11 ecclesiastica. * Vnde non male intulit Archidiaconus, *in d. c. Non ita 2. q. 6.* quòd laici possint à quocumque gravamine appellare; quia id permittit Ius Canonicum (licet jure civili cui sunt obstricti id non liceat) tunc cùm coram Iudice ecclesiastico litigant: sive coram eo litigent ex natura causæ, sive ex ordinaria jurisdictione, sive ex causa accidentali, puta ex prorogatione, appellatione, vel reconventione, *ut per Specul. Hostien. Panor. locis supra citatis.* † Quod si verò prætati Domini Decanus & Capitulum velint se juri laicorum & non ecclesiasticorum esse censendos, ob id,
12 quòd in hujusmodi bonis feudalibus, seu censualibus Iudices ecclesiastici pro laicis habeantur, & persona Ecclesiastica in tali casu judicetur ut laica & sæcularis, *d. c. solitæ in verb. qui ab eo suscipiunt De major. & obedien.* respondetur, quòd hoc verum esse possit eo casu, quo constat eos hujusmodi bona habere & tenere à laicis seu sæcularibus Principibus: quia eo cessante habendi & censendi sunt omninò ut ecclesiastici, *Panor. & Felin. in c. Cæterum in fine De judic.* Nunc verò tam ex actis coram Domino Decano S. Martini quàm coram vobis habitis non constat, imò nec allegatum invenitur, quòd dictum Capitulum teneat dictam curiam censualem eleemosynariæ in censum aut feudum
13 ab alio aliquo laico: * sic ut præsumendum sit, quòd bona temporalia data & concessa Ecclesiæ sint data purè & simpliciter pleno jure, nulla recognitione concedenti reservata, *Panor. in c. Veniens in 2. notab. De accusat. Felin. in d. c. Cæterum in fine*; cùm naturali præsumptione res cujusque censeatur libera, *l. Altius, l. Si in aliis C. De servit. & aqua. Dd. in cap. Nimis per illum text. De jurejur.* & potiùs allodialis quàm feudalis, *Alciat. in tract. præsumpt. reg. 2. cap. 1.* Quare cùm non reperiantur Domini de Capitulo in temporalibus aut saltem ratione dictæ Curiæ recognoscere superiorem, rectè ab ijs, utpote Ecclesiasticis, appellabitur ad Sedem Apostolicam: quod communi calculo receptum est, & eo jure utimur, *gloss. & Panor. in c. Cum Ioannes De fide instrum. Guido Pape decis. 436. Panor. & Felin. d. c. Cæterum in fine & in d. c. Nimis, c. Romana §. adhæc De appellat. lib. 6.*

Reliquum est, ut ad tertiam ac postremam rationem descendamus, quæ bimembris est. Primò enim hoc continet, appellari non posse à sententijs dicti Capituli: secundò, etiamsi appellari posset, sic jam consuetudine obtentum, ut appelletur à sententijs dicti Capituli ad urbem Aquisgranensem: ita ut hac ratione non appellato eo tribunali, ad quod fieri debebat provocatio, nulla censeri debeat appellatio, *l. 1. §. si quis in appellatione De appell.* Quod ad prius attinet, subintendum non est: continet enim arrogantiæ plus quàm apparentis æquitatis: quo enim jure id sibi usurpabunt præfati Domini, qui necessariò agnoscere debent superiori & majori potestati se esse subiectos? Neque enim ut Ecclesiastici tale quid sibi vindicare possent; quia Ecclesiastici ad unum omnes Papæ sunt subiecti, ut supernùs diximus: neque ut laici, quia eam qualitatē non probant; & ut probarent, nihilomagis prædicta obtinerent. Militat enim contra eos jus commune, secundùm quod † ab omnibus Iudicibus, excepto Papa, 14
Imperatore, & pauciſſimis alijs, appellare licet, *c. Cum sit Romana De appell. c. Ad Romanam 2. q. 6. Specul. tit. De appel. §. videndum*: quod sequendum est, quamdiù de privilegio seu jure singulari non constat, *l. Si non speciale c. De testam. c. Cum Capella De privileg. l. unica C. De mand. Princ.* quia privilegia non præsumuntur, prout nec consuetudo.

Quibus nihil officit depositio Domini Gerardi Zon, nec non Domini Ioannis de Berghe sexti & septimi respectivè testium productorum pro parte appellantium coram Decano Sancti Martini, dum incidenter deponunt dictos Dominos de Capitulo esse Dominos temporales Curiarum, nullum superiorem agnoscentes præter Imperatorem: Nam præterquam quòd eorum fides in hac causa sit suspecta, cùm sint Capellani & Notarij Ecclesiæ Sancti Servatij & Capituli ejusdem, repugnat eorum dicto jus commune superiùs deductum. Neque etiam adferunt satis probabilem causam juris hujusmodi singularis seu privilegiati; & quam adferunt non constat esse veram: faciunt enim mentionem libri statutorum dicti Capituli, de quo cùm aliter non constet, nulla debet ejus haberi ratio, neque etiam hujusmodi depositionum ulla recipienda fides: exemplo illius, quod dicitur de instrumento faciente mentionem de altero aliquo, quod non apparet, *Authent. si quis in aliquo docum. C. De edendo.* Et novissimè assertivè non deponunt de jure, quòd non possit appellari à sententijs Dominorum de Capitulo: sed hoc tan-

tùm, quòd non viderint appellari, seu quod non sit ulteriùs appellatum: ex quo non sequitur consuetudo aut privilegium, appellari non posse; quod enim ipsi non viderunt, ab alijs videri potuit. Et quid mirum, si non viderint, cùm ex alijs quinque testibus facilè colligatur, aut numquam appellatum à Curijs censualibus ad Dominos, aut si appellatum fuit, appellantes non fuisse prosecutos appellationem? Ita scilicet, ut ex hujusmodi testium depositione privilegium, quod concedi aut dari, non usu. *c. Sanè De privileg.* (de quo hic nihil etiam omninò constat) acquiri solet, non probetur; neque etiam consuetudo, ad cujus probationem longè plura desiderantur, *Azo in summa tit. Quæ sit longa consuet. Cynus l. 2. C. eod. tit. Bald. in l. De quibus De legib. Canonistæ in c. Præterea De testib.* Certè quod Ioannes Kem quartus in ordine testis deponit, Dominos esse inappellabiles, assertionem nullam continet, sed tantùm auditum alienum, qui ad probationem non sufficit, *l. Testium & ibi DD. C. De testib. Canonistæ in d. c. Præterea De testib.* Et si lubet concordare ultimos testes cum prioribus, hæc futura esset concordia, ut quod postremi dicere videntur, quòd superiorem non agnoscat Capitulum, & præterea sit inappellabile, intelligatur secundùm ea, quæ præcedentes deponunt, quòd appelletur à Dominis, cùm consultatio accepta est ab Aquisgranensibus: quod si verum esset (nam nec id probatum est) jam sequeretur, dictam consuetudinem (si quæ esset) cessare, quia neque ex allegatione, multò minùs probatione appellantium constat, quòd Domini de Capitulo acceperint aliquam consultationem ab Aquensibus: sic ut casus in statuto, privilegio, vel consuetudine omissus, manere debeat in communis juris dispositione; hoc est, ut ab eis appellari liceat tunc, cùm nulla accepta est consultatio. Et noviſſimè verum non esse, quod non liceat à Capituli sententijs appellare, in genere satis fatentur appellantes, dum non satis fidentes fallæ allegationi ad aliud excusationis caput confugiunt; appellari scilicet non ad Sedem Apostolicam, sed ad urbem Aquensem: sic ut propter contrarias has allegationes falsi seu mendacij præsumptionem contra se habeant, & propterea non sint audiendi, *l. 1. C. De furt. c. un. co. vers. omnibus Vt eccles. benef. conf. sine diminut. c. penult. De off. iud. deleg. lib. 6.*

Cujus quidem excusationis materia alterum est membrum postremæ superius adductæ rationis: sed cùm ea allegatio nulla juris præsumptione adjuvetur, imò communi juris dispositioni adversetur, non nisi ritè probata quicquam in hac causa operabitur. Non esse autem probatam vel sola lectio testium demonstrat: instrumenta enim ad eam rem nulla exhibita sunt. In quibus quidem testibus primùm contrarietas apertissima deprehenditur, dum unus se non vidisse appellari ait; alter, atque item tertius appellari quidem non Aquisgranum, sed Bruxellam; quartus, quintus, atque item sextus, consultari tantùm Aquisgranense Capitulum; sic ut fides veri inde colligi nequeat, *Gloss. in cap. In nostra De testib.* Et si quicquam colligi posset, hoc illud esset, præfatos Dominos de Capitulo hoc effecisse, ut dum suo Domino juga sua subtrahere conantur, à varijs Iudicibus modò huc modò illuc trahantur, & id tandem effecerunt, ut fluctuarit ipsorum jurisdictio & in incerto vagare incœperit.

Cæterùm, quia in eo tres convenire videntur, consultari solitos Aquenses, paulò propiùs hoc expendendùm est. Quare inprimis dicimus, quòd etsi tres illi de consultatione deponant, non tamen conveniunt. Primus enim atque secundus se ab alio id audivisse dicunt, cujus generis testimonium diximus reprobari, *per not. in d. l. Testium & d. c. Præterea*; tertius verò, etsi constantiùs id dicat, solus & unicus est, ideoque parum idoneus, *l. Iurisiurandi C. De testib.* Et præterquam quòd propter suam Capellaniam & Notariatum, ut diximus, suspectus sit, consuetudinis, qua id fieri deponit, nullas adfert causas, circumstantias, aut alia adminicula, quibus illa probari debet. Deinde ut concordi multorum testimonio probatum sit Capitulum prætactum fuisse solitum consultare Aquenses; id tamen nihil hic oberit: quia ut consilium nemo sequi tenetur, *l. Consilij De reg. iuris*, nisi velit; ita multò minùs alium consulere, & in consulendo libera est potestas quem consulas: cùm in appellatione certi sint præscripti ordines, quos non licet excedere, *l. Præcipimus De appellat.*

Ad hæc consultatio, quæ appellationi assimu- 15
latur, *ut in tit. C. De appel. & consult.* longè alterius est naturæ quàm appellatio, cùm illius usus sit etiam post latam sententiam, *l. Præcipimus §. in his autem, l. In offerendis C. De appellat* hac verò, de qua testes deponunt, uti videntur Domini de Capitulo ante prolatam sententiam; ea quidem intentione, ut prudentiores fiant in judicanda illa causa; ut evidentissimè colligitur ex sexto & septimo teste. Consultatio enim indifferens est, & ad probandam superioritatem aut necessitatem appellandi ad eosdem necessariò nihil concludit.

Quandoquidem igitur appellantes nihil adducunt aut probant, cur secundùm juris communis observationem non debeat regulari hæc præsens causa, bonâ ratione concludere licet, ac iterum, quod initio diximus asseverare, vestras partes, Venerabilis Domine Decane, alias non esse, quàm ut sententia Domini Decani Sancti Martini confirmetur & appellantes in expensas temerariæ appellationis condemnentur.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio ab interlocutoria.

1. *Officiatus nomine officij agere censetur.*
2. *Officiatus calumniosam litem instituens proprio nomine lust expensas.*
3. *Clem.* Appellanti De appellat. *intellectus.*

CONSILIVM CLXXVI.

AIVRIS ratione alienum est, quòd Michael Rutten Vniversitatis Lovaniensis Promo-

Promotor, pro rejectione libelli appellatorij Domini Petri Peeters appellantis novissime proposuit. Nam quod ad prius attinet, quòd scilicet dictus libellus conceptus sit adversus Michaelem privato nomine, non sub qualitate Promotoris, veritate destituitur; cùm dictus libellus in consequentiam priùs actorum sit exhibitus: quæ autem priùs acta sunt constat evidenter cum Michaele tamquam Promotore esse acta; nulla scilicet dilatoria seu declinatoria exceptione ex conditione seu persona Michaelis vel in priore vel in hac posteriore instantia proposita. Imò ex adverso constat appellantem se defendisse, & hanc appellationem prosecutum esse adversus Michaelem tamquam Promotorem, ex variis locis seu actis non tantùm primæ, sed & secundæ instantiæ, atque etiam ex termino exhibitionis coramdem articulorum, in quibus qualitas Promotoris aliquoties exprimitur. † Et ut qui id, quod ad officium publicum pertinet, non expressa officij sui qualitate agit, nomine officij exercere censetur, *l. Pignori §. fin. D. De usucap. Imola, Alex. & Iason. l. Post dotem Soluto matrim. l. Post mortem §. 1. Quando ex facto tut.* (præsertim sicut est in re præsenti in inquisitione criminali, quæ fisco tantùm permittitur:) ita quoque qui adversus Officialem se defendit, in qualitate officij cum eo contendere censetur. 1

Neque quicquam facit, quod Michael dicit concludi adversus eum suo privato nomine: nam nec id verum est. Verba enim illa, quæ ponuntur in conclusionis ea parte, quæ de expensarum condemnatione agit, hæc scilicet, *nomine suo & ad onus ipsius*, id non convincunt: nam accipienda ita sunt, *nomine suo*, hoc est eo, quo hanc litem sustinet. Et si apertè ita concluisset Appellans, in nullo vacillaret, aut vitiosa dici posset ipsius conclusio; † quia aperti juris est, eos, qui sub prætextu officij calumniosas lites movent vel sustinent, suo nomine condemnari posse in expensis calumniosæ litis, *l. Nemest ignotum C. De admin. tut. l. Properandum §. sin verò C. De iud.* sic ut ex hac parte Appellans, si id adjecisset, Dominos Judices admonuisse videretur, ut ex officio in sententia sua habeant illius rationem pro exoneranda Universitate, ad cujus onus redundare existimat Michael periculum expensarum, si quando judicio vincitur. Eoque etiam refertur declaratio seu protestatio Appellantis, quam in decimo nono articulo libelli fecit, ex qua facillimè colligi potest Appellantem conclusivè & directò non concludere ad condemnationem expensarum in persona appellati sub alia qualitate, quàm sub qua ille litem hanc instituit, & articulum gravaminis calumniosè sustinuit; nam de evidentia calumniæ circa articulum gravaminis nihil est dubitandum, ut patet ex actis & tenore libelli. 2

Quod verò posteriore loco objicit, ex imperitia juris proficiscitur. Nam tam stricta non est Clementinæ constitutionis, *Clem. Appellanti De appell.* prohibitio, ut non liceat refricare ea, quæ in actis apparent, ad demonstrandum gravamen illatum esse verum. Equidem verissimum est, quod appellatione ab interlocutoria interposita, non liceat alias causas gravaminis prosequi, quàm in appellatione nominatim sint expressæ, *DD. in c. 1. De appellat. lib. 6. & in d. Clem. Appellanti*; & quod processus primi Judicis ex novis justificari aut impugnari non possit. Interim ex adverso illud quoque verum est, ex illis, quæ coram Judice à quo provocatum est, acta vel exhibita sunt, utique impugnari posse sententiam interlocutoriam, *d. Clem. Appellanti in fine.* Nunc autem licet in libello appellatorio unus tantùm articulus gravaminis sit expressus, qui & per vos Venerabiles Dominos Judices refractari petitur, nimirum juramenti indebitè per Rectorem instante Promotore exacti, qui etiam solus in appellatione ipsi expressus est, satis tamen conformasse se dictæ Clementinæ constitutioni dici debet Appellans: nam ab ea non recessit per latiorem explicationem eorum, quæ coram D. Rectore acta sunt: nova enim ista non sunt, sed ex actis prioribus apparentia, nulla probatione nova egentia, quæ vos ipsi, Domini Judices, non refricante aut sic distincte non repetente appellante, ex officio refricare & repetere debetis. Quamvis alioqui non desint, *Carol. Ruinus cons. 69. Viso processu nu. 11. vol. 5.* qui Clementinam istam constitutionem sic accipiant, ut etiam causa proposita & allegata coram Judice à quo, quæ non fuit probata coram eo, probari possit coram Judice ad quem, *c. Interposita De appel.* Cùm ergò in libello appellatorio nihil proponatur, quàm quòd in actis clarè patet, & id quod allegatur ad unicum articulum gravaminis tantùm justificandum pertineat (qui articulus allegari, & per allegationem juris justificari posset, etiamsi in appellatione nominatim expressus non esset, *Ioan. Imola & alij in d. Clem. Appellanti*: est enim de jure notorium salvum conductum esse servandum) non est cur admissioni dicti libelli obstare debeat Clementina constitutio.

Quibus omnibus cessantibus, aliâ ratione totus libellus appellatorius, etiamsi in eo multa de novo allegata essent, admitti deberet tam ad respondendum, quàm probandum: idcò quòd præter appellationem prædictam etiam de nullitate sit dictum; quæ nullitas devolvit causam ad superiorem, sicut appellatio, *l. Si expressim & ibi Bart. De appellat. stephan. Bertrand. consil. 324. vol. 4. & cons. 15. vol. 7.* In quo nullitatis articulo dicta Clementina constitutio locum non habet; quia propriè gravamen non est. Proinde arbitror partes Dominorum Judicum esse, ut libellum appellatorium admittant (quamvis Appellans non magnoperè curare debeat, si non admittatur) ad respondendum aut probandum: cùm ei satis sit, si admittatur simpliciter, & velut pro instructione Judicum in actis relinquatur: nam omnia illius contenta ex actis constant, neque ampliore ullâ probatione egent. Dominorum Judicum ac aliorum quorumcumque melius sentientium judicio semper salvo.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio ab interlocutoria.

1. *Appellari non potest ab interlocutoria.*
2. *Interlocutoria quando non habeat vim definitivæ.*
3. *Appellare à citatione non licet.*
4. *Appellare an liceat à reali citatione.*
5. *Arrestum solvitur data cautione.*
6. *Cautio non sufficit ubi solvere non oportet.*
   In obligationibus guarentigiatis non est locus satisdationi aut exceptionibus altiorem indaginem habentibus.

CONSILIVM CLXXVII.

SVPRA modum frivola & iniqua est appellatio, quam Henricus Vlemincx Appellans interposuit à decreto septima Maij anno 1563. lato, ut meritò illius appellatio rejiciatúmque decretum confirmari, causa pro ulteriore cognitione ad judicem priorem remitti, & Appellans in expensas hujus causæ appellationis condemnari debeat. Quod in compendium contractis his, quæ per Advocatum causæ latissimè deducta sunt, ijsque solis, quæ articulum & statum causæ appellationis proximè contingunt, ob oculos positis, paucis demonstrabimus.

Articulus gravaminis in eo solo consistit, quod Iudex primæ instantiæ decreverit Matthiam Kinnaris Syndicum & Procuratorem Venerabilium Dominorum Decani & Capituli Sancti Ioannis Leodiensis, posse suo periculo in carcere seu custodia tenere Godefridum Vlemincx fidejussorem contractus dationis pro præfato Henrico; qui pro Godefrido suo fidejussore ad judicium vocatus tunc interveniebat. In quo sanè nulla potest
1 constitui appellationis potestas vel justitia. † Nam cùm hujusmodi decretum neque definitivum sit, neque sententiæ definitivæ vim aut potestatem habeat, appellare ab eodem non licuit, *c. super eo 2. c. Vt debitus De appel. l. Ante sententiæ C. Quor. appel. non recip.* quia circumscripta Iuris Canonici licentia, *in d. C. super eo*, juris civilis observatio in usum reducta est, ut à mera interlocutoria appellare ampliùs non liceat, *c. 20. Conc. Trident. Sess. 24. De reformat.* Pro definitiva autem sententia hujusmodi decretum accipi non posse, plus quàm manifestum est; cùm id ex verbis, quibus conceptum est, manifestè conspiciatur. * Et quod sententiæ definitivæ vim aut potestatem non habeat, ex eo percipitur, quod gravamen, quod per illud inferri portet, per sententiam definitivam, vel in illa, vel
2 post illam reparari possit; neque contineat ullum præjudicium sententiæ in principali ferendæ, *gloss. & DD. in d. l. Ante sententiæ, Bald. in l. 2. C. De Episc. aud. Guido Papæ decis. 75.* † Vnde etiam est, quòd
3 à citatione appellare non liceat; ob id, quod comparendo, & causam dicendo possit citatus suum gravamen justificare, & sic citationis injuriam effugere, *Lanfrancus in c. Quoniam contra falsam De probat. nu. 62.* * Et quamvis Bartolus, & ex
4 ejus sententia alij, *in l. 2. D. Quorum appellat. non recip. Bald. in d. l. 2. C. De Episc. audien.* permittant appellationem à reali citatione, hoc est, à captura, quam vulgò arrestum vocamus; non obtinet tamen in ea captura seu arrestatione, quæ vigore contractus præcedentis fit: prout ex statutis seu consuetudine fieri potest, ne à contractu appellare liceat, *Bald. in l. 2. nu. 1. C. De recep. arbitrus*; præsertim cùm hic modus procedendi per inscriptionem personæ seu citationem in scriptis ad finem sistendi se in captura seu arresto sit executivus, ex præcedente contractu, & Scabinali promissione; & ab executione, nisi modus excedatur, appellare non liceat, *l. Ab executione C. Quor. appel. non recip.*

Tum etiam quòd gravamen, quod ex hoc ar- 5
resto seu decreto de retinendo in arresto seu captura, quatenus gravamen continere potest, ultra effectum citationis, Reus statim evadere possit, datâ cautione de sistendo se juri, & judicato solvendo: sicut & sequestrum etiam licitè factum tollitur contrario satisdationis remedio, *l. fin. C. De ordine cognit. Dott. in l. 1. C. De prohib. sequest. pec.* quâ cautione data arrestum resolvitur, & in simplicem citationem convertitur, *l. fideiussor §. fin. Qui satisd. cog. Philip. Corneus cons. 136. Vitis actis nu. 3. vol. 4.* à qua, ut dictum est, appellare non licet. Ita ut in proposito satis sit constare Godefridum, quamvis ex intercessionis causa, ut principalem fujisse obligatum per Scabinalem obligationem habentem ex more & consuetudine vim & effectum promptæ & paratæ executionis; quæ per objectum appellationis differri non debet.

Nec quicquam urget in contrarium, quod non videatur liquidum fuisse hoc debitum, cujus nomine Godefridus inscriptus fuit, & per hoc decretum in arresto ad voluntatem arrestantis manere jussus: nam ex eo debebat Godefridus aut ejus nomine Henricus nunc appellans coram Iudice primæ instantiæ excipere, & excipiendo inscriptionis seu arresti iniquitatem vel nullitatem arguere; non verò propter hoc solum decretum de manendo in arresto, in vocem appellationis prorumpere; nulla proposita causa injustitiæ, vel nullitatis ejusdem arresti; nulla etiam facta petitione vel propositione de tollendo vel relaxando arresto; imò quod vel maxime in consideratione habendum est, nulla facta oppositione adversus petitionem arrestantis, qui post petitionem Rei de communicatione habenda, & subducendis rationibus petijt, quod in eventum, quo Reus ad communicationem & rationes admitteretur, Godefridus arrestatus teneretur in arresto & captura manere: sic quòd in effectu Reus hujusmodi petitioni detulisse videatur; ut meritò deferre debebat. Cur enim inter moras communicationis & rationum, arrestum relaxaretur, non oblata idonea cautione saltem de sistendo? *d. l. si fideiussor. § fin.*

Deinde quàm nullum hoc decretum contineat gravamen, ex eo manifestè deprehenditur, quod idem decretum hanc retinendi in arresto seu captura facultatem permittat non simpliciter & absolutè, sed periculo arrestantis; ut, si arrestum injuriâ factum inveniretur, Godefrido jus suum, quoad damna & interesse maneat salvum. Vt proinde relaxare non debuerit, sed stante arresto de causa plenissima cognitio assumi in primo illius limine. † Sic enim multò clementiùs agitur cum 6
Reo

Reo obligato, quàm observari solet in obligationibus Cameralibus, guarantigiatis, & alijs paratam executionem habentibus, in quibus, cùm solvere oporteat, non tantùm satisdationi locus non est, *l. si pecuniæ §. fin. & ibi Bart. D. Vt in poss. legat. & l. Consentaneum C. Quomodo & quando Iudex, Franc. Curtius in tract. De sequestris*; sed nec exceptionibus altiorem indaginem requirentibus, *Bart. in l. 1. §. & parvi refert D. Quod vi aut clam.* Vt sibi gratulari hic debeat appellans, quod ulterius in principali executione, saltem ad provisionalem solutionem non sit processum. Atque ita manifestum, est præmaturam esse hanc querelam adversus decretum continuationis arresti, quod Reus numquam petijt relaxati, nec oppositionem ullam fecit adversus petitionem dictæ continuationis pro parte arrestantis propositam.

Quare supervacuus est labor, quem Appellans impendit in latissima illa deductione damnorum & interesse, ex diversis causis, ex quibus existimat obligationem suam ex conductione fundorum ad dictum Capitulum pertinentium vel extinctam vel supra modum diminutam. Illa enim causam principalem, non ipsum arrestum contingunt; cujus causæ principalis cognitionem Reus per hanc appellationem impedivit: quâ terminatâ de justitia vel injustitia arresti constare potuisset. Sic quòd satis sit Appellantem in habitu & potentia fundatum fuisse ad procedendum per viam capturæ seu arrestationis personæ, ex literis scabinalibus principaliter obligatæ: potissimùm quod hujusmodi allegationes damnorum & interesse aliarumque causarum, ob quas Reus existimat se ab obligatione vel prorsus vel ferè liberatum, ad justificationem hujus appellationis à nudo decreto, præsertim reparabili, admitti non debeant. Appellatio enim ab interlocutoria justificari debet ex actis primæ instantiæ, & ex processu primi Iudicis; sic ut ex novis aut de novo probandis, nec justificari nec impugnari possit, sed tantùm ex illis, quæ acta & exhibita fuerunt coram ipso, *Clem. Appellante De appel.* Præsertim cùm Iudici à quo objici non possit, nec ad culpam referri, quod novæ allegationes, & earum probatio non fuerint admissæ, *Bald. in l. Arbitrio nu. 7. D. Qui satisd. cog.* ut proculdubio contingit, cùm non proponuntur: sicuti in hac causa, in qua ut diximus, non semel quidem petita est relaxatio arresti; nec quicquam propositum de illius injustitia; nulla etiam facta contradictione vel oppositione contra petitionem continuationis illius formaliter propositam. Quamvis alioquin ex parte appellati satis deductum sit, quod hujusmodi novæ allegationes sint frivolæ, non tantùm quia obscuræ, sed etiam quia incertæ, & illiquidæ. Sed cùm isthæc in facto non in jure consistant, & per D. Advocatum causæ luculenter discussa sint, nihil necesse est in illis majorem laborem collocari.

Concludo igitur, sententiam interlocutoriam, à qua appellatum est, confirmandam, & secundùm conclusionem partis appellatæ per omnia judicandum; reservatis appellanti suis exceptionibus & allegationibus in causa principali.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Apellatio ab interlocutoria.

1. *Appellandum non est ab interlocutoria.*
2. *Notarij error etiam in indicijs nocere non debet.*
3. *Sententia an sit definitiva unde discernatur.*
4. *Verba impropriè dicta debent si aliter nihil operentur.*
5. *Appellatio ab interlocutoria in scriptis non voce fieri debet.*

CONSILIVM CLXXVIII.

VENERABILES Domini Iudices, cùm officio boni Iudicis sit, calumniantium iniquitatibus occurrere, eaque reprimere, *in proœm. Inst. in princ. vers. calumniantes*, malignantiumque votis nihil indulgere, *d. vers. calumniantium iniquitates & ibi DD.* & jus frivolis appellationibus numquam deferat nec deferri patiatur, *c. Cum appellationibus De appell. lib. 6.* dubitandum non est, quin Dominationes vestræ facile videant & intelligant, quòd nullâ ratione admittenda sit appellatio, quam Procurator Domini Ioannis Molenaers viva voce statim latâ sententia per prædecessores vestros 28. Februarij novissimè præteriti interposuit; ieque in articulo, qui nullam dubitationem juris aut facti habet, ut sine magno labore statim intelligetis, si legere lubebit ea, quæ per binas consultationes pro parte Dominorum Decani & Capituli S. Iacobi Lovanienſis in hac causa novissimè & successivè exhibitas deducta sunt. Ex ijs enim intelligent DD. VV. quàm multis & indignis modis dictus Dominus Ioannes per incidentes altercationes principalem hujus litis causam à recta sua via seduxerit & diverterit; studioque conquestitis diversis altercationibus illam ad decennium prope sic extraxerit, ut in causa vixdum litis contestatio facta sit; interpositis pluribus & diversis appellationibus à decretis per vestros prædecessores successivè latis, per quarum appellationum impedimenta, causa hæc ad prædecessores vestros delata, per eos cognita ac definita fuit, quoad incidentes hujusmodi articulos & altercationes. Quæ quidem etsi sufficere possent ad informandos animos vestros ad aperte percipiendum & intelligendum, an huic appellationi, de qua nunc admittenda vel rejicienda agitur, deferri vel non deferri debeat; quia tamen dictus Dominus Ioannes jam olim induit habitum, etiam in nullo, vel minimo cedendi, quamdiu deluctandi, aut subterfugiendi, sive æqua sive iniqua supereſt occasio, causamque sic per altercationes & appellationes omni jure atque etiam per statuta Universitatis improbatas trahit, soli facem adhibendo, paucis demonstrabimus, nullam esse occasionem, imò nullam potestatem admittendi hanc, de qua nunc agitur, appellationem, aut ei deferendi; idque ultra rationes in prætactis binis consultationibus deductas.

Et in primis quidem ut jure civili sanctè & rectè constitutum est, ne appellare liceat à sententia interlocutoria, seu decreto Iudicis ante pronun-

tiationem sententiæ definitivæ, *l. ult. C. De sent. l. Ante sententiã C. Quor. appel. non recip.* ita quoque in conformitate & ad imitationem tam sancti juris per statuta hujus almę Vniversitatis Lovaniensis specialiter constitutum est, *sub tit. De off. & iurisd. Rect. artic. ult. incip. Ab interlocutoria, & sub. tit. De off. & iurisdict. Dom. quinque Iud. art. 5. incip. Quod de appellationibus*, ne liceat à Magnifici Domini Rectoris aut Dominorum Iudicum sententijs interlocutorijs, aut decretis vim sententiæ definitivæ non habentibus, appellare, & ut ab ijs interposita appellatio non admittatur. Quin autem hæc sententia per vestros prædecessores lata sit interlocutoria, nec habeat vim sententiæ definitivæ quoad dictum Dominum Ioannem, dubitatio nulla est. Id enim in primis demonstrat temporis ratio, quòd scilicet in hac causa, & inter has partes nulla hactenus sit lata sententia definitiva, *d. l. Ante sententiã*. Deinde idem demonstrat materia ejusdem sententiæ, quæ versatur tantùm circa mandatum, & procuratorium M. Ioannis Petri, (de cujus sufficientia dictus Dominus Ioannes numquam exsaturari potuit) imò adhuc vix de ejus mandato, sed tantùm de ejus sufficientia, & insufficientia declarationis circa hujusmodi mandatum, sæpius per eundem Magistrum Ioannem plus quàm sufficienter factæ. Sic quòd eadem sententia quoad Dominum Ioannem definitiva non sit, nec vim definitivæ habeat: ideoque ab ea appellare non liceat; potissimùm quia hæc prohibitio quoque sit Conciliaris, & per Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum, *Séss. 24. De reform. cap. 20.* aperte constitutum, ne appellationes aliquæ nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente per quemcumque admittantur. Neque in contrarium urget, quod breviculum seu scriptura hujus sententiæ contineat hæc verba, *per hanc nostram definitivam sententiam*; prout etiam Notarius in termino dicta 28. Februarij servato & scripto hanc sententiam definitivam appellat: *

2 nam id per errorem & inadvertentiam Notarij, qui sententiam in formulam redegit, dictumque terminum scripsit, factum est; qui error sive in omittendo necessaria, sive addendo superflua nocere non solet, *l. Errore scribentis C. De testam.* potissimùm circa rei appellationem; cùm superflua non noceant, *l. Testamenta C. eod. tit.* & satis sit constare de rei veritate, *l. si in nomine C. De testam.* quia non attenditur expressa vel præsumpta verborum qualitas, ubi constat de mente disponentis. Ita ut adjectio definitivæ vel pro superflua, & non adjecta haberi, *l. 3. C. De lib. præter.* vel impropriari debeat, generis nomine ad speciem redacto:

3 * ut scilicet definitiva quidem sit non totius causæ principalis, de qua Domini Iudices non cognoverunt, ideoque nec de ea pronuntiasse præsumi debent, *l. De quæ re D. De iudic.* cùm definitivæ sententiæ officium sit condemnare vel absolvere, quoad totum negotium, *l. Præses C. De sent. l. 1. C. De re iud.* sed tantùm definitiva, hoc est decisiva articuli incidentis, seu emergentis circa mandatum, seu procuratorium dicti Magistri Petri. Atque ita cùm res ipsa & materia repugnet nomini, seu appellationi in stricta significatione acceptæ, necessarium est ab ea appellatione recedere, saltem per impropriietatem vocis seu nominis. * 4

Vbicumque enim dispositio retenta verborum proprietate seu rigore vitiaretur, aut effectum non operaretur, impropriè verba sunt accipienda, *l. scævola Ad Trebel. l. Si tam angusti & ibi Ang. De servitut.* ne actus reddatur nullus vel inutilis, *l. Titia §. Lucius De leg. 2.* unde ut regulariter in omnibus alijs, ita in hoc quoque rei origo & initium inspici debet. Cùm ergo hæc sententia interlocutio tantùm sit, non definitiva, consequens est, ut ab ea interposita appellatio, contradicente juris civilis dispositione, *l. si procuratorem in princ. D. Mandati*, repugnantibus statutis Vniversitatis, prohibente Sacro Concilio Tridentino, nulla ratione per Venerabiles Dominos Iudices admitti debeat: † eoque minùs, quòd vivâ voce interposita sit, & minimè in scriptis. Est enim apertissima Iuris Canonici (ad cujus exactissimam ob- 5
servationem hæc studiorum Vniversitas adstringitur, *c. Quod clericis De foro compet.*) dispositio, *in c. 1. De appel. lib 6.* quòd cùm appellatio in judicio vel extra super interlocutoria vel gravamine aliquo ad Sedem Apostolicam interponitur, appellandum sit non vivâ voce, sed in scriptis; idque non simpliciter (ut potest fieri cum à definitiva appellatur, *l. Litigatoribus C. De appel. l. A sententia §. fin. De appel.*) sed formaliter expressis causis, ob quas appellatio interponitur; idque adhuc ijsdem causis formaliter in scriptura appellationis insertis: sic quod non sufficiat illas per relationem ad acta expressas, seu demonstratas esse, *Vdal. Zasius in l. Fundi De excep. DD. in d. c. 1. De appel. lib. 6.* Vt proinde ob non observatam formam hæc appellatio in omnem eventum nulla judicari debeat.

Nec in contrarium urget, quòd hæc sententia lata sit super appellatione, quam procurator Dominorum de S. Iacobo interposuit à contraria sententia etiam interlocutoria; & sic dicto Domino Ioanni perinde videatur permittenda appellatio ab hac retractatoria sententia, *l. 1. D. Quod quisque iuru.* Nam alia & diversa est causa Domini Ioannis, quàm dictorum Dominorum S. Iacobi; quia quoad hos dicta sententia mera interlocutoria non est, sed vim sententiæ definitivæ habet, ob id, quòd contineat impossibile, & prorsus irrationabile præceptum faciendæ per Magistrum Ioannem Cloetinghem declarationis, quam perantea plenè, & sæpius fecerat: sed respectu D. Ioannis mera interlocutoria est: ita ut illius respectu retractatio ejusdem sequès, nisi pro interlocutoria accipi non possit, ideòque ab illa appellari nequeat. Deinde ut par sit conditio utriusque in potentia & effectu, hoc est, quòd utraque vim definitivę habeat, hoc semper verum manet, appellationi huic deferendum non esse, propter peccatum in forma interpositionis appellationis. Non enim per procuratorem dicti Domini Ioannis appellatum est ab hujusmodi retractatoria sententia in scriptis, sicut procurator dictorum Dominorum fecit, sed incontinenti vivâ voce, quod jus non permittit, *in d. c. 1 De appel. lib. 6.* sed indistincte vult omnem appellationem ab interlocutoria seu gravamine aliter fieri non posse, quàm in scriptis; ita quod ad effectum formæ appellandi, omnis interlocutoria ejusdem sit conditionis,

Doct. *in Clem.* 1. *De appel.* Sicuti idem etiam observatur in pluribus aliis juris articulis; ut quamvis discrimen sit inter meram interlocutoriam, & eam, quæ habet vim definitivæ, quoad hoc, ut ab illa non liceat, ab hac verò liceat appellare, secundùm veteres canones, *d. c.* 1. nullum tamen discrimen sit quoad effectum formæ & modi appellandi ac faciendi hujus appellationis prosecutionem, Doct. *in Clem. Appellante* De appel.

Ex quibus nimis quàm apertè constat huic appellationi per Venerabiles Dominos quinque Iudices nulla ratione deferri posse, propter juris prohibitionem, & interpositæ appellationis nullitatem; etiamsi deficeret consideratio frivolitatis, quæ hic perquàm manifesta est: nihil enim per hanc appellationem quærit appellans, quàm ut appellatos ejus præiudio quam longissimè abducat à vero juris tramite, & abductos quàm diutissimè impediat à principalis causæ prosecutione.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio ob expensarum condemnationem.

1. *Victus victori in expensis condemnandus.*
2. *Actor magis justam causam litigandi quàm reus defendendi habere debet.*
3. *Iudex ipse in causa inquisitionis* Reo *absoluto expensas refarcire debet.*
4. *Expensarum compensatio quando fiat.*
   Reus absolutus Actori *nunquam condemnandus in expensis.*

CONSILIVM CLXXIX.

OPerosiore deductione opus non est ad justificationem appellationis, quâ pro parte quondam Leonardi van Iseren à sententia Commissarij Officialis Leodiensis interpositam prosequitur Maria ejus vidua contra Dominum Reynerum Gabrielis, seu illo nunc defuncto ejusdem hæredes seu executores. Cùm enim de principali causa neutra partium conqueratur, & pars appellata ab absolutione dicti Leonardi ab impetitione Domini Reyneri non appellaverit, neque in ulla parte hujus litis de injustitia vel nullitate absolutionis conquesta sit aut proposuerit, & appellans in sua appellatione apertè declaraverit se tantùm appellare à dicta sententia in punctis & capitulis contra se facientibus, hoc est à condemnatione in quatuor partibus expensarum, quinta illarum parte compensatâ; solùm inquirendum est, justènè Dominus Commissarius hanc condemnationem fecerit?

1 Et sanè cùm pro regula juris traditum sit, *l. Properandum* §. *sive autem alterutra C. De iudic.* victum victori in expensis condemnandum esse, hoc est, reum condemnatum actori, & actorem reo absoluto; fundatissimam appellationis suæ appellans habet intentionem, *gloss. l. Omnis definitio De reg. iuris*: coërcenda enim est actoris in jus vocantis temeritas damno non tantùm expensarum litis, sed etiam viaticorum, *l. Eum qui temere De iud.* & cùm nulla actoris temeritas argui potest, si reus absolvatur secundùm prædictam regulam, actor reo saltem in expensis litis condemnandus est, *gloss. in* 2 *d. l. Eum qui temerè.* * Temeritatem autem arguit ignorantia eorum, quæ scire debuit actor, quæque investigando diligenter cognoscere potuit, *l. Qui solidum* §. *etiam in fine De leg.* 2. *Bart. & Decius in l. Qui in alterius De R. I.* Et hoc est quod dicit Bartolus, *in d. l. Eum qui temerè*, quòd in actore magis requiratur justa causa litigandi, quàm in reo, ut excusetur ab expensis: & rationes assignat, quia antequam litigare incipit debet subtilius deliberare: qui enim agit certus esse debet; cùm sit in potestate ejus, quomodo & quando velit experiri; & antè debet rem diligenter explorare, quàm ad agendum procedere, *d. l. Quum alterius De reg. iur.* Cùm itaque præfatus Dominus Reynerus soli fragilitati famæ consideratio, ad impetrationem citationis profilierit, nec in ortum ac originem famæ satis inquisierit, quæ in progressu litis comperitur ab æmulis ipsius sparsa, sic ut ex ea principium agendi desumere non debuerit (sicut advocatus causæ in prima instantia bene deduxit) neque etiam investigaverit in causam sparsæ famæ de lepra dicti Leonardi, quæ in deductione & probatione utrimque facta comperitur profluxisse ex nodositate digitorum ejusdem; in quam si inquisivisset & medicos consuluisset, discere poterat nodositatem articulorum lepram non causare, sed magis podagram & chiragram. Vnde illud Ovidij, 1. *de ponto eleg.* 2.

Solvere nodosam nescit medicina podagram; & Horatij *epist.* 1.

Nodosa corpus nolis prohibere chiragra; item Persij,

Sed cum lapidosa podagra fregerit articulos:

Poterat quoque cognoscere, quod testes tam pro ipso, quàm reo producti deponunt, Reum fuisse bona complexione, eumque à nemine vitatum, quem nemo non vitasset, si vel ulla suspicio lepræ in ipso fuisset. † Neque actorem excusat publici officij necessitas: nam illa sola non excusat, neque 3
negligentiæ, calumniæ, vel temeritatis ansam vel patrocinium præstat; cùm etiam Iudex in causa inquisitionis ex delicto teneatur reo absoluto reficere expensas, *Bald. in l. Non ignorat C. De fruct. & & lit. expens. per l. severiter C. De excus. tut.* * Et sanè quamvis interdum fieri possit, ut propter pro- 4
babilitatem institutæ actionis absoluto reo expensæ compensari possint, *Doct. in d. §. sive autem alterutra*: nusquam tamen traditum est neque patitur æquitatis ratio, ut absolutus reus actori non obtinéti condemnetur in expensis, ubi Rei nulla argui potest contumacia extrinseca: & sanè monstro simile est absolvi à principali petitione, & condemnari in expensis.

Cùm itaque in eventu sententiæ compertum sit actorem nullo jure postulasse reum ad probrosam (uti moribus hodiernis receptum est) corporis inspectionem; magnaque temeritate reum pertraxisse in opinionem & suspicionem lepræ, sic quod actori ad negligentiam imputari possit, cur de habitu corporis Rei ac famæ origine diligentius ante judicium institutum non inquisierit; non patitur æqui bonique ratio, ut quoad expensarum pro ulla parte condemnationem sententia prædicta comprobetur; sed postulat omninò ea in parte retractationem & condemnationem expensarum, non tantùm hujus instantiæ, quæ ex ijsdem actis sine ulla nova deductione vel allegatione

peracta est, *Bald. ind. §. sive autem, nu. 4. Imol. in c. Finem litibus De dolo & contum. Guido Papæ decis.* 137. verum etiam prioris instantiæ propter absolutionem Rei, & defectum probabilitatis & exactæ diligentiæ in actore.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis effectus.

1. *Appellatione interposita executio sententiæ suspenditur.*
2. *Sententiæ executio non obstante appellatione quandoque fit, ut cùm ex instrumento graventigiatis agitur.*

CONSILIVM CLXX.

1 REGVLA quidem est juris communis tam Canonici, quàm civilis, * quòd interpositâ appellatione nihil sit novandum, *l. 2. D. Nil. nov. appel. pend. c. Dilectu De appel.* quia per appellationem si non extinguitur, *l. 1. §. ult. Ad S. C. Turpil.* saltem suspenditur pronuntiat a sententia, *l. Tale §. qui provocavit De pact.* sic ut nec Iudex, à quo provocatum est, ad executionem illius, *c. Venientes De iureiur.* nec Iudex, ad quem provocatum est, progredi possit ante eventum appellationis, *l. Si contra C. De appel. §. illa in auth. Ut nul. ind.* Integer enim debet esse causæ status, *d. l. 1.* & omnia in eodem statu manere, etiamsi contra fiscum appellatum sit, *l. 2. D. De appell. non recip.* eaque in parte vidua Hermanni Obrechts, (cui vidua Ioannis Gratiosi condemnata est ad solutionem dotis, quàm & hæc & dictus Ioannes ejus maritus præfato Hermanno nomine suæ filiæ cum eo nupturæ, ante & propter nuptias promiserunt, & contractis nuptijs coram Scabinis Leodiensibus recognoverunt & constituerunt) repugnantem aut saltem non assistentem habeat juris communis dispositionem, quatenus scilicet petit etiam pendente appellatione dictæ sententiæ saltem fiduciariam seu provisionalem fieri executionem: hoc tamen etiam ex eodem jure communi æquè certum est, interdum Iudici tam à quo, quàm ad quem provocatum est, permitti, ut appellanti imponat necessitatem solvendi pecuniam, in quam condemnatus est, *l. Cum ex causa D. De appel.* Cujus quamvis non multa exempla in jure scripto extent; moribus tamen & statutis passim pro varietate locorum vel ex causa vel ex conditione obligationis, seu ejus quod petitur, & ad quod condemnatio facta est, appellationis usus beneficium illud suspensionis non habet, sed devolutionis ad superiorem dumtaxat; ut executionem secum trahat vel ipsa obligatio, vel obligationi accommodata Iudicis sententia, *argumento l. 1. & ibi Doct. C. Si de moment. poss.* † Cujusmodi executionis usus admodum frequens est apud Italos, cùm ex instrumentis publicis (quæ guarentigiata vocant) agitur; apud Francos ex instrumentis per Regios Notarios confectis; apud Belgas ex Scabinalibus recognitionibus. Hæc enim cùm judicij seu judicialis actus formam habeant, translata in publica monumenta, ut perpetuam firmitatem etiam ex jure communi, *l. Gesta C. De re iud.* ita facilè ex moribus vel statutis rei judicatæ effectum præsentem producunt & promptam executionem merentur: quasi sic in jure confessis, *l. 1. D. De confess.* sufficere debeant, & pro magno beneficio haberi quòd facultatem retineant appellandi, jure communi confessis denegatam, *l. Observare C. Quor. appel. non recip.* etiamsi hoc quoque non referant ex illa potestate, quod executio differatur: cùm etiam nondum lata sententiâ ab executione exhis instrumentis initium fieri possit, promptaq; & parata executio seu exactio his moribus vel statutis sit permissa. Quemadmodum hæc admodum multis & luculentis rationibus pro sustinenda hac præfatæ viduæ fiduciaria seu provisionali solutione consummato labore & acri judicio deducta sunt per Consultissimum Dominum Petrum Oranum V. I. Doctorem; quæ idcirco me in ejus sententiam pertrahunt, ut præsuppositâ veritate, notorietate consuetudinarij hujus juris, quod in civitate Leodiensi effectus & potentia promptæ & paratæ executionis consistat in Scabinalibus recognitionibus, rectè quoque putem in hac causa petitam esse hanc provisionalem & fiduciariam promissæ dotalis hujus pecuniæ executionem, nunc præsertim post latam in foro Ecclesiastico sententiam, secundùm hujusmodi Scabinale instrumentum; ex quo si ab initio executivè seu provisionaliter actum fuisset secundum sic obtinentem prædictam consuetudinem, idem obtineri potuisset in defectu plenæ probationis verè solutam fuisse hanc dotalem pecuniam.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Recusatio Iudicis.

1. *Recusatione proposita suspenditur Iudicis iurisdictio.*
2. *Iudex qui recusari potest ipso iure habet iurisdictionem.*
3. *Recusatus iudex quando subdelegare possit.*
4. *Conservator recusatus an subdelegare possit.*
5. *Canonicus Canonico suspectus Iudex.*
6. *Vniversitati quod debetur singulis non debetur.*
7. *Prælatus in causa sua Ecclesiæ iudex esse potest.*
8. *Recusatio removet iudicem, non nuda suspicio.*
9. 13. *Assignatio facit rem illius, cui assignatio facta est.*
10. *Cedentis post cessionem amplius non interest.*
11. *cedens pro cessionario an idoneus sit testis aut iudex.*
12. *Litigiosum inter consortes alienari potest.*
14. *Delegatus ad universitatem causarum ad instar iudicis ordinarij est.*

CONSILIVM CLXXXI.

SOLERTER magis quàm ingenuè pro parte Reverendi Domini Abbatis Rei citati contra eximium Dominum Henricum Gravium sacræ Theologiæ Professorem oppugnatur jurisdictio Venerabilis Domini Decani S. Iacobi subdelegati, ex duplici capite: primùm erroneè ex capite suspicionis, deinde deprehenso errore ex capite deficientis jurisdictionis.

* Quamvis enim sive Advocatus sive Procurator in primo articulo priore loco exhibitorum articulorum audenter asserat se contra Dominum Decanum S. Petri Lovanienſis, nunc Conservatorem privilegiorum Vniversitatis Lovanienſis, subdelegantem proposuisse causam suspicionis ad effectum

effectum tollendæ seu præripiendæ potestatis subdelegandi, ex eo, quòd propositâ recusatione ex causa suspicionis jurisdictio Iudicis suspendatur, ideoque nullum sit quicquid post recusationem sic recusati ante cognitionem super causis suspicionum quoquo modo agitur, ut habet multorum Doctorum opinio, DD. *in c. Cum speciali De appell. decis. Tholos.* 478. *Bertrand. cons.* 131. *Ex processu nu.* 5. *vol.* 8. ex inspectione tamen actorum hujus causæ apertè deprehenditur, præfatum Dominum Conservatorem ex causa aliquâ suspicionis recusatum non esse; sed hoc tantùm allegatum, quòd nulla ei in hac causa competat jurisdictio, ex eo, quòd debitum in hac causa petitum principaliter spectet ad Capitulum suæ Ecclesiæ. Id autem
2 juri consentaneum non est: * Nam quibus ex causis quis suspectus recusari potest, ex ijdem non censetur Iudex ipso jure nullam jurisdictionem habere, sed ex adverso constituitur & præsupponitur in illo competens jurisdictio, cujus judicium ex causa suspicionis declinari debet; ita quod non proposita recusatione ex causa suspicionis reputetur Iudex competens, & ab eo judicatum teneat. Vnde est, quod pater filio & filius patri in privatis negotijs possit esse Iudex, *l. In privatis De Iudic.* si non ut suspectus recusetur; licet ob suspicionem recusatus debeat à judicio abstinere, *l. Qui iurisdictioni* D. *De iurisd. omn. Iud. & ibi Paul. De Castro.* Cùm igitur manifestum sit, Domino Decano ut Conservatori indubitatam competere jurisdictionem in causis Doctorum & scholarium dictæ Vniversitatis, negari non poterat illi in hac causa competere jurisdictionem, nec ex capite deficientis jurisdictionis declinari potuisse illius judicium: sed si ex allegata causa Reus existimasset justam desumi potuisse causam suspicionis adversus eundem Iudicem, id formaliter proponere debebat, & super obiecta suspicione arbitros petere; ut ex admonitione seu replicatione Actoris fecit per exhibitionem posteriorum articulorum: aliud enim est suspectum seu ex suspicione recusari posse; aliud de facto ex hujusmodi aliqua causa recusatum esse.
3 † Quare cum dictus Dominus Conservator ex causa suspicionis non fuerit formaliter nec effectualiter recusatus, utique potuit hanc causam præfato Domino Decano S. Iacobi subdelegare; quia ita expresso jure constitutum est, *in c. Iudex De offic. & potest. Iud. deleg. lib.* 6. quòd Iudex à Sede Apostolica datus seu delegatus, etiamsi ex justa aliqua causa ut suspectus recusari possit; nihilominus tamen ante recusationem adversus eum propositam possit causam alteri subdelegare & vices suas committere: & sic quidem ut, si in totam causam alteri committat, nihil censeatur sibi ex jurisdictione reservare, DD. *in d. c. Cum speciali, Freder. De Senis consil.* 24. ut factum est in hac subdelegatione: ideoque non possit hujusmodi commissio seu subdelegatio impugnari ex defectu potestatis.

Et quidem faciliùs subdelegare potuit ex jure &
4 potestate Conservatorialis jurisdictionis, propterea quòd Dominus Decanus datus & delegatus sit Iudex non ad unam vel alteram causam dumtaxat, sed ad universitatem causarum infinitatum, prout variæ Doctoribus & Magistris incidere possunt: sic quod respectu hujus, latioris potestatis sit & reputari debeat Iudex ordinarius, *gloss. in V. delegatus in fine in c. Cum causam De appellat.* & omnia facere, quæ ordinarius, *d. gloss. in c. statutum* §. *insuper in V. moderatas De rescrip. lib.* 6. *Io. Nevisanus.* Iam verò receptum est, ordinarium Iudicem recusatum ex causa suspicionis subdelegare posse etiam post recusationem formaliter propositam, *c. Si quis contra De foro compet. d. c. Cum speciali in fine & ibi gloss. in V. de recusatoris. DD. in d. c. Iudex. Decis. Tholos.* 355. Ita quòd omnibus modis constet & subsistat hæc subdelegatio; post quam factam seriùs objicitur recusatio ex antecedente etiam justa suspicionis causa; præsertim post assumptam hanc causam per subdelegatum, & postquam ipse jurisdictione sibi subdelegata uti cœpta assumendo subdelegationem, ac decernendo citationem contra præfatum Reum, eodemque Reo vigore hujusmodi citationis non tantùm citato, sed præterea ei statuto termino dicendi cõtra jurisdictionem; sicuti hæc omnia in hac causa post dictam subdelegationem intervenerunt; ex quorum interventu nulla amplius superesse potest ex causa suspicionis recusatio: quali sublata omni suspicione per subdelegationem Conservatoris & omnimodam abdicationem totius jurisdictionis in hac causa, *gloss. in d. c. Iudex in verb. nequibit & ibi phil. franc. nu.* 7. *vers. Item intelligi.* Ita quòd præventio ejusdem Conservatoris in subdelegando excluserit Rei citati recusationem ex causa suspicionis tamquam seriùs propositam. Malè itaque assumit Advocatus Rei, quòd Dominus Conservator validè subdelegare non potuerit post suspensam jurisdictionem ex proposita recusatione; cùm nulla extet coram præfato Domino Conservatore proposita recusatio, sed dumtaxat declinatio, seu fori declinatoria exceptio, ex causa deficientis jurisdictionis, quæ causa notoriè falsa est.

Et quamvis Advocatus Rei subtiliter deprehenso & suo & procuratoris errore post subdelegationem dicat, quod ejus seu Rei mens semper fuerit Dominum Conservatorem ut suspectum recusare, & quòd mens magis quàm verba attendi debeant: quia tamen propositum in mente retentum nihil operatur, *l. Si repetendi C. De condict. ob causam dati* & sola voluntas non sufficit, nisi in actum erumpat, *d. c. 1. De eo qui mittitur in possess.* nihil tribuendum est huic sequenti ex usu pro commodo causæ sic factæ declarationi; potissimum in manifesta & speciali declaratione per Reum priùs facta, cur & ad quem finem coram Domino Conservatore ante subdelegationem proposuerit, quod Dominus Conservator esset Decanus & Canonicus dictæ Ecclesiæ, & ad illius Capitulum pertineat debitum, de quo in hac causa agitur, nulla facta mentione alicujus suspicionis, concludendo quòd dicto Domino Conservatori in ea causa nulla competat jurisdictio; quod notoriè verum non esse demonstravimus: ita quod ex causa suspicionis nunc nihil confici possit. Verum quidem est, etiam subdelegatum hunc Iudicem ex causa suspicionis recusari posse, ut disputando definit Bartholomæus Brixiensis, *in Dominicali quæst.* 74. sed ex proprio suo non dicti subdelegantis capite. Prout etiam dictus Reus id agnoscendo

scendo per eosdem priores articulos dicto Domino Decano subdelegato ad suspicionem movendam objicit confraternitatem & societatem contractam ratione communis Collegij in facultate Sacræ Theologiæ; sed hac in parte non resistitur dictæ recusationi quoad illius propositionem seu obiectionem ad cognitionem admittendam; cùm actor illam admittat, justitiam illius negando, cognitionemque illius permittendo arbitris, qui ex notoria juris dispositione super obiectis recusationum causis omninò assumi debent, *c. Secundò requiritur §. ult. c. Cum speciali De appell.* Quemadmodum etiam idem Reus objiciendo hanc suspicionem petijt arbitros super illis assumi, quamvis improbabiliter postea ab ea resiliendo subsistineat arbitros non esse assumendos, in effectu resiliendo à propositione recusationis ex causa suspicionis ex capite præfati Domini Decani subdelegati, ob nimiam proculdubio obiectæ suspicionis improbabilitatem, ex ea sola causa, quòd idem Dominus subdelegatus Decanus sit sacræ Theologiæ, & in
5 una velut professione collega.* Etsi enim Canonicus, in causa sui concanonici possit ut suspectus Iudex recusari, *c. Cum R. Canonicus De offic. & potest. Iud. deleg.* propter arctiorem societatem & communionem vitæ, quæ est inter Canonicos ejusdem Ecclesiæ tam in temporalibus quam spiritualibus: idem tamen non videtur statuendum in his, qui sunt ejusdem alterius Collegij, in quo tanta non est communio. Vnde est quod Cardinalis alteri Cardinali, quamvis ratione Collegij Cardinalium conjuncto, sine potestate recusandi possit esse Iudex, *Iason. consil. 98. Causa quæ vertitur nu. 3. vol. 4.* præsertim inter tam eximias personas, & in Collegio talis professionis, quæ omnem suspicionem facile superat; qui non tam socij quàm sodales dicuntur, *l. ult. D. De colleg. & corpor. illicitis*, & communionis jus, unde affectio depravari possit, inter se non habent. Proinde diffidens Reus ab assumendis arbitris approbari posse obiectam suspicionem ex hac sola causa communis Collegij seu professionis, à recusatione transit ad declinationem ex causa deficientis jurisdictionis, per exhibitionem posteriorum articulorum, ut saltem eâ ratione declinari possit dicti Domini subdelegati jurisdictio, ex defectu potestatis subdelegantis. Nulla enim est subdelegatio, quæ fit ab illo, qui suo vel alieno jure nullam subdelegandi potestatem habet, *c. fin. in fine De offic. & potest. Iud. deleg.* cùm nemo ad alium transferre possit quod ipse non habet, *l. Si filius tuus C. De donat.*

Hanc autem jurisdictionis incompetentiam in eo primùm constituit, quod hoc sive creditum sive debitum, de quo in hac causa agitur, sit creditum Capituli dictæ Ecclesiæ Sancti Petri Lovaniensis, atque ita in effectu ipsius etiam præfati Domini Conservatoris, qui dicti Capituli Decanus & caput est; eaque ratione sit non tantùm suspectus, sed etiam incompetens Iudex in causa propria, in qua nemo Iudex esse debet, *l. 1. C. Ne quis in sua*
6 *causa iud.* † Cæterùm non rectè hoc assumitur. Etsi enim ab initio hoc creditum fuerit dicti Capituli, non tamen dici potuit proprie esse creditum præfati Domini Conservatoris, quamvis in alia qualitate sit unus de Capitulo: quod enim universitati debetur, singulis deberi non censetur, *l. Sicut §. 1. D. Quod cuiusque univers. nom.* Ita ut ex definitione causæ propriæ, propria causa illius, qui de universitate unus est, dici non possit, quæ ad ipsum proprio nomine & ad ejus emolumentum non pertinet, etiamsi ad ipsam universitatem pertineat, *l. 1. §. in propria D. Quando appel. sit.* ideoque qui de universitate unus est non prohibetur esse Iudex in causa, quæ totius universitatis est.

† Et hoc est, quod Doctores tradunt, Prælatum 7
in causa suæ Ecclesiæ in re, quæ proprie & directò non pertinet ad mensam prælaturæ, etiamsi in consequentiam aliquam aliquo modo ad eum pertineat, *Tiraquel. in tract. Res inter alios & c. limitat. 1. vers. & idem quæst. 33.* posse esse Iudicem & habere jurisdictionem; quamvis per obiectum recusationis ex suspicione elidibilem; ita ut sententia à non recusato in causa suæ Ecclesiæ lata ipso jure teneat, *Bald. cons. 369. In causa quæ vertitur nu. 3. vol. 3.* ut ex Panormitano, *in c. Cum venissent De Iud. & in c. Insinuante nu. 4. De offic. deleg.* probant Decius, *in d. c. Cum venissent & in d. c. Insinuante*, & Philippus Francus, *in d. c. Secundò requiris §. ult. vers. quinto quæritur.* ‡ Vt generaliter etiam in 8
causis suspicionum in jure specialiter probatis, *d. §. ult. d. c. Ex insinuatione, d. c. cum R. Canonicus, d. c. Insinuante De offic. & potest. Iud. deleg.* nulla per se ipso jure detrahit potestati Iudicis, cui illa objici potest, sed dat dumtaxat recusandi potestatem, quam Reus in jus vocatus vel contemnere vel dissimulare potest; & contemnendo seu dissimulando subsistit jurisdictionis competentia, *d. c. Insinuante in fine.* Proinde Reus negando jurisdictionem Domini Conservatoris, quæ illi ipso jure competebat, & omittendo recusationem ex causa suspicionis, quam objicere poterat, non ademit Domino Conservatori subdelegandi potestatem.

Quamvis certiore ratione dici posset hoc creditum eo tempore, quo causa super illo coram Do- 9
mino Conservatore introducta fuit, ne quidem ad dictum Capitulum, multo minùs pro ulla parte ad Dominum Conservatorem pertinuisse: ideo quòd Actor in literis citatorialibus proposuerit illud ad se pertinere ex assignatione Capituli. Hujusmodi enim rei communis assignatio per eos, inter quos est communio, uni illorum facta facit, ut assignatum ampliùs commune dici non possit, sed sit proprium & peculiare illius, cui assignatio facta est, & pro nulla parte cum alijs ampliùs commune est, *Instit. De assignat. libert. in verb. solus ut patronus habeatur, cui assignatus est*; & quod in divisione societatis aut alterius cujuscumque inter plures communionis, singulis ex socijs seu consortibus assignatur, adjudicatur, aut addividitur, id efficitur illius pleno jure proprium, *l. Plane D. Famil. erciscund.* nec ampliùs cum consortibus communicatur, *l. Et puto §. Iulianus D. Famil. erciscund.* & quod unus ex socijs seu consortibus ex assignatione obtinet velut emisse censetur; cùm divisio & divisionis causâ facta assignatio emptionis vicem obtineat, *l. 1. C. Communia utriusque iudic.* Cùm itaque commodum & periculum hujus litis dumtaxat pertineat ad Actorem hujus causæ, & nulla ex parte ad Capitulum, multò minùs ad præfatum Dominum Conservatorem, ut dicti Capituli Decanum

canum; nulla potest in proposito esse consideratio propriæ, imò nec communis causæ, unde constituatur vel jurisdictionis totalis defectus, aut
10 recusationis ex suspicione potestas. * Et quamvis in subtilitate juris posset videri, quòd hujus causæ Actor partim proprio partim procuratorio nomine agat, & sic ex persona etiam dicti Decani agere intelligatur; id tamen ad constituendam propriam D. Decani causam, aut ad diminuendum jus Actoris non sufficit; ob id, quòd quatenus procuratorio nomine agere videtur, sit procurator in rem suam, *l. Procuratore De procurat.* Jam verò procurator in rem suam domino ubique præfertur, & sic saltem quoad utiles actiones domini cedentis seu mandantis amplius non interest, & ob id nullo respectu nullaque ex parte dici potest rem cedentis esse propriam, quam cedendo, delegando, assignando semel alienavit & alienando in alium trans-
11 stulit, §. *per traditionem Instit De rer. divis.*

Verum quidem est affectionis vestigia aliqua in cedente ad cessam causam manere, ideoque cedentem cessionario idoneum testem non esse, ut quidam, DD. *in l. Omnibus C. De testib.* (alijs reclamantibus, *Speculat. de testibus* §. 1. *vers. sed pone mutuam*, Ioannes de Imola *consil.* 102 *in causa vertente nu.* 10.) putant, & per consequens, nec Iudicem integrum; sed id nihil facit ad tollendam jurisdictionem, sed dumtaxat ad constituendam causam recusationis. Sanè quatenus Reus hanc cessionem oppugnat, quasi per concordata super jurisdictione Conservatoriali eam facere non licuerit, quod per illam tantùm admittantur cessiones à parentibus in liberos, manifestam continet cavillationem. Id enim tantùm obtinet in voluntarijs cessionibus, non in illis, quæ plus necessitatis quàm voluntatis habent; quales sunt, quæ fiunt jure consortij aut communionis, in quibus pro commoditate socio-
ru[illegible] hujusmodi assignationes & adjudicationes sunt necessariæ, propter non minima incommoda, quæ adferre solet nominum seu creditorum & actionum divisio, præsertim inter multos, si singuli
12 pro partibus suis sigillatim agere deberet, *d. l. Planè.*

Vnde etiam est, quòd quamvis pendente lite prohibita sit alienatio rei litigiosæ, etiam per cessionem actionis, *l. 1. & seq. C. De litig.* non sit tamen prohibita, sed aperto jure permissa alienatio seu cessio per divisionem inter consortes, *l. ult. versic. exceptis C. eod. tit.* Nam in tali alienatione ex tali causa nulla est fraudis præsumptio, propter quam potissimùm per dicta concordata restricta est potestas faciendæ cessionis seu transportus actionum, *Guido Papæ decis.* 273. Cùm alioqui hac in re non tam sit cessio ejus, quod cessionarij prius non fuit, quàm quod illius verè fuit: quod enim alicui cum alio commune est id utique & rectè illius esse dicitur, cùm nulla illius pars dici possit sua non esse, *l. Rectè* §. *Quintus l. Pupillus* §. *fin. De verb. signif.*

13 Proinde nec id cavillatione caret, quod objicitur ex falsa seu erronea consideratione, quòd hæc causa seu creditum sit Capituli dictæ Ecclesiæ, ad cujus protectionem non pertinet hæc Conservatorialis jurisdictio; maleque ob id idem Dominus Conservator in hac causa sit aditus, cùm dictum Capitulum non sit de corpore Vniversitatis, nec illi subditum, & sic privilegiata Conservatoriali jurisdictione in præjudicium ordinariæ uti frui non debeat. Nam cùm per hanc assignationem hoc creditum desierit esse Capituli, & tranlierit in jus & dominium solius præfati Actoris, secundùm ea, quæ superiùs deducta fuerunt, non est inspicienda conditio Capituli, sed dicti Actoris, qui cùm sustineat duplicem qualitatem, Canonicalem scilicet, & Magistralem sub dicta Vniversitate, quod non potest ex altera obtinere debet ex ea, quæ huic rei idonea est; ut plerumque fit in ijs, quæ respectiva sunt, & ut respictiva diversam considerationem habent: & sic in proposito quod hic Actor ut Canonicus & in qualitate Canonici non potest, possit ut Doctor & Professor, *l. Item eorum D. Quod cujusque universit. nomine, latè Nicolaus Everardus Præses in loco à Tamquam.* Et quamvis respectu Canonicatus hæc assignatio illi sit facta, non prohibetur tamen hoc creditum persequi in qualitate Doctoris; ex quo illius proprium effectum est, & confusum cum illius alio patrimonio seu bonis, *arg. l. Sed si plures.* §. *filio De vulg. & p. p. l.* 1. §. *sciendum De separ. bonor.*

Novissimè perinde ineptum est, quod Advocatus pertentando omnes angulos ad declinandam hanc jurisdictionem profert, quod Domino Conservatori hæc subdelegandi potestas non fuerit permissa, ex eo, quod ei non constiterit de sua jurisdictione, vel per præsentationem literarum Conservatorialium; c. *super eo 2. in fine De appel.* Franc. Aretinus *in l. Sed etsi de sua* §. 1. *De acquir hared.* vel illarum repetitionem: Nam quoad repetitionis defectum vel erroris vel falsæ allegationis arguitur; cùm ex primo termino in hac causa coram dicto Domino Conservatore servato evidenter constet, Procuratorem Actoris fundando jurisdictionem Domini Conseruatoris repetijsse literas conservatoriales Domino Conservatori præsentatas, in ò obtinuisse etiã illas actis hujus causæ inseri; ut mirum sit, quã fronte defectus hujusmodi præsentationis & repetitionis objiciatur, & in eo mordicus persistatur, in tam eviuente & contraria actorum veritate. * Calumniã certè non caret, quòd 41
defectus jurisdictionis in eo constituatur, quòd in hac causa non fuerint specialiter exhibitæ dictæ litteræ Conservatoriales; & mirum est, quòd non etiam hanc jurisdictionem seu citationem illius vigore factam non impugnaverit Reus ex eo capite, quod litteris citatorijs non sit insertus tenor litterarum Conservatorialium, cùm in delegatorum Iudicum citationibus id regulariter requiratur; c. *Præterea De dilat c. Prudentiam c. Cum in iure peritus De offic. & potest. iud. deleg.* Sed cum nullo jure requiratur, quòd ad singulas causas hujusmodi Conservatoriales litteræ præsententur, sufficit illas semel in genere & in abstracto præsentatas fuisse, præsertim quia, ut superius dictum est, hæc Conservatorialis jurisdictio non sit ad unam aut alteram vel ad paucas aliquot particulares causas, sed ad universitatem causarum: ita ut ejus jurisdictio censeatur magis ordinaria & favorabilis quàm delegata, odiosa aut restringibilis, *Domin. Gemin. in c. Cum in illis* §. 1. *in fine De præben. lib. 6. Felin. in c. Eam te nu.* 15. *vers. Quarta declaratio De rescript.* eoque respectu quia ejus jurisdictio transit in notorium facti permanentis, ex diutino

præser-

Præsertim temporis usu, longaque & assidua exercitatione, mirum non est, si in tanta notorietate non sit necessaria illius ad singulas causas specialis repetitio; multò minùs præsentatio, quam semel factam esse sufficit, & iterum fieri necesse non est, *l. Si ita fuerit De manumiss. testam.* Ideoque nec citatorijs litteris semper inseri debet, præsertim cùm ad judicium vocatur is, qui in loco residentiæ Conservatoris agit, qui facillimè potest inquirendo certiorari de veritate hujusmodi jurisdictionis, *Ant. de Butrio & alij in d. c. Præterea, Iason cons.* 145. *Circa duo, versic. Tertiò respondetur vol.* 4. Cum alloqui hæc Conservatorialis jurisdictio sic sit per litteras Apostolicas delegata, ut etiam sine præsentatione sit perpetua, & propterea illius insertione opus non sit in litteris citatorijs: ut in simili respondit Iason, *d. consil.* 245. *vers. Quarto accedat.* De quo tamen in proposito nulla est quæstio, propter voluntariam dicti Rei comparitionem; & quod de non inserto tenore dictæ Conservatoriæ nihil objiciatur; totaque ob id hæc declinandi judicij causa consistat in falsa allegatione non præsentatarũ aut repetitarum litterarum Conservatorialium, quas ex actis & ex veritate rei constat jam olim & ante multos annos esse præsentatas, & specialiter in hac causa non tantum repetitas, sed etiam actis hujus causæ inseri petitas & obtentas.

Cùm ergò nihil proponatur, ex quo possit argui defectus jurisdictionis in præfato Domino Conservatore, & ex juris potestate subdelegari illa potuerit, & subdelegandi facultas per formalem recusationem ex causa suspicionis ante subdelegationem propositam non fuerit impedita, *d. c. Iudex*; solùm hoc restare potest in hac causa, ut quæratur de causa suspicionis Domino Decano subdelegato obiecta ex sodalitate ipsius cum dicto Actore per electionem arbitrorum, qui de illa cognoscant. In quam etsi Actor aperte consenserat; quia tamen Reus à suo consensu in idem priùs semel præstito resilijt, & de deficiente seu elicibili Domini Conservatoris subdelegantis jurisdictione proposuit, & in illa perstitit, & ex ea causa subdelegati jurisdictionem impugnando declinat, neutrum consequi debet, neque id quod vult, hoc est declarationem incompetentis jurisdictionis, quia non potest; neque id quod potest, hoc est remissionem causæ ad electionem & cognitionem arbitrorum super suspicione; quia id nunc tandem vult, *c. Cum super in fine De offic. & potest iud. deleg.*

Vnde officium Venerabilis Domini Decani esse putamus, ut simpliciter se declaret hujus causæ Iudicem competentem, reiectis omnibus, quæcumque nimis improbabiliter ex suggestione illius, cui Conservatorialis jurisdictio non tantùm bene nota est, sed & illam magis protegere quàm impugnare deberet, dissimulato proprio & subiecto alterius nomine ex adverso proponuntur; condemnando Reum in expensis hujus altercationis.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationum apostoli quomodo petendi.

1. *Appellatio à definitiva quando valeat sine scripto.*
2. *Apostoli quomodo peti & dari debeat.*
3. *Apostolos petendi tempus quando currere incipiat.*
4. *Appellatio interponenda coram eo, qui gravavit.*
5. *Adiecta vitiosè quando actum non vitient.*
6. *Appellans quando à denegata delatione denuo appellare debeat.*
7. *Appellatio frivola quomodo ad superiorem devolvatur.*

CONSILIVM CLXXXII.

ALTERCATIO, quæ in termino 10. hujus mensis Octobris servato coram Venerabilibus Dominis Iudicibus appellationum mota est in causa appellationis inter M. Maximilianum Dauchy appellantem, & Martinum Lievens appellatum, super petita remissione causæ ad Magnificum Dominum Rectorem pro executione sententiæ in prima instantia pro dicto Martino contra præfatum Maximilianum latæ, decidenda & terminanda est secundùm contradictionem & petitionem eiusdem Maximiliani, contendentis remissionem non esse faciendam, sed sibi permittendam prosecutionem suæ appellationis, tam viva voce ac stante pede 30. Augusti novissimè præteriti à sententia definitiva præfatorum Dominorum Iudicum, quàm in scriptis à dictorum Iudicum responsione apostolorum refutatorialium 7. mensis Septembris interpositæ. Cum enim dicti appellati Procurator in dicto termino decimæ hujus mensis Octobis causam petitæ remissionis in eo tantùm constituat, quòd Appellans appellationem suam à non delatione debitè prosecutus non sit, & actorum lectio demonstret planè contrarium; fit, ut detectâ falsitate allegatæ causæ, ejusmodi petitioni nihil sit tribuendum: tantoque minùs, quòd nulla in specie proponatur aut allegetur indebitæ alicujus prosecutionis causa; ut ex veritate actorum allegari non poterat nec potest.

Nam quod attinet ad priorem appellationem à 1
sententia definitiva, deprehenditur illam legitimè esse interpositam vivâ voce, incontinenti, in momento, quo illa sententia lata fuit: prout de jure sic appellare à sententia definitiva permissum est, *l. 1. §. fin. l. A sententia §. fin. D. De appellat. l. Litigatorib. C. eod.* † Constat quoque eâdem illa die 2
eodemque momento debitâ cum instantia ab ijsdem Dominis Iudicibus petitos esse apostolos, & sic juris requisitæ solemnitati satisfactum, *Clement. Quamvis De appellat.* Constat denique, eadem illa die per eosdem Dominos Iudices datos esse apostolos; ut proinde defectus vel petitionis vel dationis seu responsionis apostolorum indebitæ prosecutionis causa constitui non possit, *l. Eos §. apostolos l. Iudicibus C. De appellat.*

Et quod attinet ad posteriorem appellationem à dicta non delatione perinde legitimè interposita est, tam ex tempore, quàm ex forma; videlicet dicta die 7. Septembris quæ erat quoque septima à dicta responsione apostolorum durante adhuc decendio ad legitimè appellandum à jure concesso, *Authe. Hodie C. De appellat.* idque in scriptis (uti oportet) cùm ab interlocutoria quandocumque, aut à definitiva ex intervallo appellatur, *c. Vt debitus De appellat.* factâ etiam apud eosdem Dominos Iudices & singulos eorundem eâdem prætacta septima die debita instantia petitionis apostolorum: prout etiam à singulis illorum eadem illa septima

septima die apostolos, quamvis refutatorios, obtinuit. Ita ut appellans inveniatur requisitæ juris solemnitati eatenus per omnia satisfeciſſe, *c. 1. De appel. lib. 6. d. Clement. Quamvis.* Verùm quidem est quòd procurator dicti appellantis ex omnia scrupulositate similaque diligentia non contentus his appellationibus & responsionibus apostolorum coram ipsis Iudicibus, qui tam sententiam definitivam protulerunt quàm apostolos refutatorios dederunt, eandem appellationem à dicta non delatione iterum interposuerit, seu repetierit coram aliis Iudicibus, qui fibrâ dictorum priorum Iudicum jurisdictione ex temporis lapsu, ipsis prioribus Iudicibus surrogati sunt, quam secundam appellationem dictus Appellari procurator sibi persuadet desertam esse, ob non debito tempore debitaque cum instantia petitos apostolos, *c. Ab eo De appel. lib. 6.* id in eo constituens, quòd intra triginta dies à dicta trigesima mensis Augusti hujusmodi apostoli non sunt extrenuè petiti & obtenti, sed primùm dicta die septima hujus mensis Octobris, & sic serius cum periculo desertionis, *d. c. Ab eo & d. Clem. Quamvis*: verùm in eo & juris & facti error obversatur, ob id, quòd, ut dictum est, à sententia definitiva priorum Iudicum non tantùm legitimè appellatum fuerit, & apostoli petiti; verùm etiam obtenti eadem illa trigesima die in extrema & summa dictæ prioris appellationis prosecutione. Et quoad posteriorem appellationem à dicta non delatione, ut illa tempestivè interposita censeri debet dicta septima die Septembris, ut jàm dictum est; ita quoque debito tempore petiti & obtenti dici debent apostoli, qui dicta die septima Octobris in extremo puncto termini juris petiti & obtenti sunt: exacta enim dinumeratio temporis hoc detegit, quod ex die interpositæ hujusmodi appellationis, quæ fuit septima Septembris, apostoli fuerint petiti & obtenti septima mensis Octobris, durante adhuc non etjam penitus lapso termino 30. dierum à jure præscripto ad instanter petendos apostolos, *d. c. Ab eo d. Clem. Quamvis*, quod appellanti sufficere debet; ex quo post semel petitos apostolos super appellatione à dicta non delatione à dictis surrogatis Iudicibus per eosdem primò responsum fuerit, quod de apostolis responderent in termino juris; ob quam responsionem dicto appellanti prærepta fuit potestas ulteriorem instantiam petitionis apostolorum faciendi ante extremum diem & extremum momentum dictorum triginta dierum, *d. Clem. Quamvis vers. verum si Iudex, & ibi DD.*

3 In quo appellanti obstare non potest illa quorundam opinio, quod tempus triginta dierum ad perendos apostolos ex die latæ sententiæ, seu illati gravaminis computandum sit, *d. l. Iudicibus, gloss. in d. Clem. Quamvis in V. tempore & in d. c. Ab eo in V. triginta*: ob id, quod plurium Doctorum sententia, authore & duce Hostiensi, sit, quòd dinumeratio hujus temporis facienda sit ex die interpositæ appellationis, non latæ sententiæ aut illati gravaminis, *Bald. & Salicetus in d. l. Iudicibus & in d. §. apostolos, Ioan. de Imola in d. Clement. Quamvis, Steph. Aufrerius decis. 44. Guido Papæ cons. 167. Ex facto tali*: quorum sententia decisione quoque auditorij Rotæ Romanæ confirmata est, *decis. 29. Fuit dubitatum quæ est quinta in tit. De appellat. in novis*; ideo meritò etiam probanda, quod generaliter receptum sit, in dubio potiùs favendum esse, quàm resistendum appellationi & ejus prosecutioni; & potiùs judicandum esse contra desertionem, quàm pro illa, *Castrensis in l. 11. D. si quis cautionib. Felin. in c. Significaverunt De testib. Decius cons. 83. In causa accusationis in fine, Mar. Socinus Nepos cons. 31. Quæritur nu. 11. vol. 3.* Quod nullam habet dubitationem, quando sententia, à qua appellatum est, lata est in absentia illius, contra quem judicatum est; ut ingenuè fatentur, qui alterius opinionis authores sunt, *Robert. Maranta De ord. judic. parte 6. nu. 209.* Ita ut hoc saltem casu propter absentiam dicti Maximiliani tempore dictæ responsionis apostolorum (prout adhuc absens est) dinumeratio temporis fieri non minùs deberet ex die interpositæ appellationis.

Sed scrupulosiùs in eo insistendum non est: * 4
Primùm ex eo, quòd hujusmodi secunda appellatio à non delatione priorum Iudicum coram dictis surrogatis Iudicibus secundo loco, sed eadem die interposita, minimè fuerit necessaria; nam semper appellandum est coram eo, qui sententiam tulit seu gravavit, & minimè coram alio. *c. Vt debitus in verb. coram eodem Iudice De appellat. Gloss. in c. Appellatio in V. Iudici De appellat. lib. 6. Lapus alleg. 39. An valeat appellatio*; etiamsi post latam sententiam, aut illatum gravamen Iudex esse desierit; sic quod hæc secunda appellatio & illius prosecutio sine ulla juris necessitate, & ad superabundantem dumtaxat cautelam facta, in consideratione haberi non debeat. * Etsi enim necessaria prætermissa actum 5
vitient; ex abundanti tamen etiam vitiosè adjecta nullo modo nocent, *l. Testamentum C. De test. am. l. Cum tabulæ De bonor. poss. sec. tabulas.* Vnde si quid omittendo peccatum est in repetita hac appellatione coram surrogatis Iudicibus, considerandum non est; ex quo omnia necessaria & requisita diligenter & exactè observata reperiuntur in priore appellatione à dicta non delatione interposita coram iisdem, qui in momento interpositæ appellationis à non delatione septimo die ab illato hujusmodi gravamine refutatorios apostolos dederunt; ut constat ex terminis dicta septima Septembris servatis. * Secundò ex eo, quod nulla ratione ne- 6
cessum fuerit appellare à dicta non delatione. Quamvis enim cum ab interlocutoria sententia appellatur, & Iudex appellationem hujusmodi respondendo de apostolis, illiqúe non deferendo rejiciat, iterum appellandum sit à tali non delatione, & non appellando læsus appellans sibi præjudicet, *Innoc. in c. Pastoralis nu. 5. in fine De offic. deleg. Zabarel. cons. 32. In decisione nu. 1. vers. Secundus est, Ioan. Bapt. Ferettus consil. 104. In causa matrimoniali nu. 3. Ant. Capycius decis. 34. in fine*; cùm tamen appellatio interposita est à sententia definitiva, & responsum de apostolis refutatorijs, nihil necesse est ab hujusmodi non delatione appellare; ne res in infinitum abeat, ob id potissimùm, quòd Iudex latâ sententiâ definitivâ officio suo defungatur; & aliud facere non possit interpositâ appellatione, quàm semel respondere de apostolis, *l. Iudex posteaquam D. De appellat.* Quo sensu accipiendum est id, quod ex Innocentio,

in d. c. Paſtoralis nu. 5. Ioach. Mynſing. cent. 2. obſervat. 47. plerique tradunt de neceſſitate alterius appellationis à non delatione, *l. Iudex poſteaquam* D. *De appellat.* conſtituto diſcrimine inter appellationem à ſententia definitiva; & eam, quæ interponitur ab interlocutoria: quod & in judicijs ita practicari traditur. Cùm igitur hîc agatur de appellatione interpoſita à ſententia definitiva dicta die triceſima Auguſti per præfatos Iudices lata, ſufficere omninò debet unica hæc appellatio ab eadem ſententia definitiva, ſine ulla neceſſitate appellandi à non delatione. Et cùm id neceſſe non fuerit, ſcrupuloſiùs inquirendum non eſt, an ea ſecunda appellatio legitimè interpoſita, ejuſque proſecutio per tempeſtivam apoſtolorum petitionem facta fuerit; ex prætacta ratione, quod ſuperabundans cautela vitioſè adhibita nocere aut vitiare non debeat, *d. l. Teſtamentum.*

Quæ cùm ita ſint, nulla videtur eſſe dubitatio, quin appellanti permittenda ſit interpoſitæ appellationis proſecutio, & appellato deneganda intempeſtivè & præmaturè petita remiſſio: nec aliter ſine vitio attentati & innovati in præjudicium interpoſitæ appellationis ſtatui poſſe videmus. Quò moderni D. Iudices ob id etiam magis propendere debent, ex eo, quòd præfati priores Iudices non rectè non detulerint appellationi à ſententia definitiva interpoſitæ; cùm jus appellationibus hujuſmodi deferri omninò præcipiat etiam ſub gravi pœna, *l. Quoniam Iudices* C. *De appellat.* * & quamvis Iudex frivolis appellationibus deferre non teneatur, *c. Cum appellationibus De appellat. lib. 6.* non deferendo tamen non poteſt impedire, quo minùs appellatio ad ſuperiorem devolvatur, & illam appellans proſequatur, ſaltem ad finem illum, ut Iudex ſuperior provocatus, non à quo provocatum eſt, judicet, an admittenda ſeu recipienda ſit appellatio & permittenda illius proſecutio, *l. ſi cuius* D. *De appellat. recip.*

7

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Apoſtoli petendi & quomodo.

1. *Appellaſſe non cenſetur qui renuntiat vel deſerit.*
2. *Deſertio appellationis unde cauſetur.*
3. *Apoſtoli petendi.*
4. *Appellatio ſine mandato interpoſita eſt nulla.*
5. *Apoſtoli unico contextu ſæpius peti poſſunt.*
6. *Apoſtolos petens quando ſæpius venire debeat.*
7. *Clem.* Quamvis De appellat. *intellectus.*

CONSILIVM CLXXXIII.

PAR cauſa eſt illius, qui vel omninò non appellavit; vel appellavit quidem, ſed appellationi ſuæ renuntiavit, aut eam deſeruit, *l. fin. in fine* C. *De appel.* † Deſeritur autem appellatio non tantùm, ſi nulla illius intra juris fatalia fiat proſecutio, verùm etiam ſi tantùm omittatur apoſtolorum petitio, aut hi non petantur uti oportet, *d. l. fin.* §. *illud*: quia ut appellationis omnimoda omiſſio cauſam non devolvit, ita & neglecta apoſtolorum petitio deſertionem & velut renuntiationem appellationis inducit, quæ planè impedit devolutionem cauſæ ad ſuperiorem.

1 2

Proinde cùm à ſententia lata per Præpoſitum Walcurienſem in favorem Theodorici de Leewe, contra Ioannem Leyckens, appellatum quidem ſit, ſed apoſtoli ritè & ſecundùm præſcriptam à jure formam minimè petiti à Iudice, qui ſententiam dixit, certum eſt, appellationem dicti Ioannis vivâ voce interpoſitam tamquam deſertam pro nulla habendam eſſe, *Clem. Quamvis* De *appel. per totum.* Quo conſtituto, ſequitur Venerabili D. Decano nullam competere jurisdictionem in cauſa appellationis, quæ non intelligitur, neque in rerum natura tempore commiſſionis Apoſtolicæ fuit.

Neque ad rem pertinet, quod in inſtrumento appellationis per dictum Ioannem exhibito apertè contineatur, M. Ottonem Haeften procuratorem ſubſtitutum M. Walteri Remigij procuratoris dicti Ioannis ab eadem ſententia appellaſſe ad Sedem Apoſtolicam & primò, ſecundò, tertiò, inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſſimè petiſſe ſibi reſponderi de apoſtolis. † Nam in primis non conſtat de dicti Ottonis ſubſtitutione ac mandato ad appellandum; quo ipſo ab initio appellatio nulla cenſeri debuit, etiamſi poſtea ab ipſo appellante aut Waltero Remigij ipſius vero procuratore apoſtoli eſſent petiti, *l. 1. in princ. De appell. recip. vel non l. Ab executore* §. 1. De *appel.* Deinde præſuppoſito mandato dicti Ottonis, hujuſmodi petitio unico momento toties repetita & congeminata non ſufficiſſet: * nam quamvis Iudice ultrò poſtea reſpondente aut tacente ſufficiat ſic in continenti unico contextu petitos eſſe apoſtolos, *d. Clement. Quamvis in princ.* ſi tamen ad petitionem ſic unico contextu congeminatam, Iudex dicat ſe reſponſurum de apoſtolis in termino juris & interim, (quemadmodum in caſu propoſito factum eſt) neceſſe eſt appellantem poſt hujuſmodi reſponſionem, poſtea durante termino juris, hoc eſt intra triginta dies ad judicem reverti, & congruo loco ac tempore inſtanter, & ſæpiùs ſaltem unico contextu apoſtolos petere; alioqui ſuæ appellationi renuntiaſſe videbitur, qui id facere neglexerit, *d. Clem. Quamvis* §. *ſimiliter, & ibi Card. Zabarella, Imola, Pet. de Anchar. & alij.* Quod cùm tam manifeſtè à jure ſit diſpoſitum, neque ex dictæ appellationis inſtrumento conſtet dictum appellantem aut ejus procuratorem poſt prædictam Præpoſiti reſponſionem, ad eundem Præpoſitum recuſſe, & rurſus apoſtolos petiſſe; mirum eſt, quo colore Advocatus partis adverſæ tam claræ juris diſpoſitioni obnitatur, & dicti appellati cauſam auctoritate Venerabilis viri D. Michaelis Driutij Officialis Leodienſis premat: cujus auctoritati ut nihil derogatum cupimus; ita ſanè juris diſpoſitioni clariſſimè indubitatò adhærendum putamus.

4 5 6

Rectè ſentit idem D. Officialis, ſi, cùm uno contextu ſæpiùs apoſtoli ſunt petiti, exiſtimat, non opus eſſe amplius eos petere; nam id aperto jure cautum eſt, *d. Clem. Quamvis in princ.* ſed ſi hoc quoque caſu unicam petitionem uno contextu ſæpius repetitam putat ſufficere, cùm poſt apoſtolorum petitionem Iudex reſpondit ſe in termino juris & interim reſponſurum, toto cœlo errat, *d.* §. *ſimiliter*; neque eo caſu ipſius auctoritati legis cedet teſtas. Quod igitur de gemino intellectu iſtius juris diſpoſitionis ſomniat Advocatus, ingenij penſi nihil habet: ſi ad hanc cauſam id applicare volet.

7

volet. Quinimò si in universum & perpetuò existimet petitionem apostolorum uno contextu sæpiùs & instanter factam sufficere, multo magis aberrat; & juris communis intellectu destituitur, & Clementinæ constitutionis & Glossarum totum contextum vel non legisse se ostendit, quod incivile est, *l. Incivile est De legib.* vel pro parte dissimulare velle, quod calumniæ notâ non caret, *l. Regula in princ. De iuris & facti ignor. l. Leges C. De leg. l. Si prætor De iud. §. 1. in Auth. De æqual. dot.* Existimo itaque partes Venerabilis D. Decani esse, ut decernat se hujus causæ & inter partes Iudicem competentem non esse.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationum apostoli & desertio.

1. *Rescripta limites suos excedere non debent.*
2. *Rescriptum desecta appellatione impetratum est nullū.*
3. *Apostoli non petiti inducunt appellationis desertionem.*
4. *Sententia contra sententiam non valet.*
5. *Apostoli uno contextu sæpius peti possunt.*
6. *Apostoli ab ipso Iudice petendi.*
7. *Appellatio extrajudicialis quando admittatur.*
8. *Nullitas maxima, quæ causatur ex incompetentia iurisdictionis & semper opponi potest.*
9. *Sententia a non Iudice lata duplicitèr nulla.*
10. *Appellationis desertio causam ipso iure ad Iudicem à quo devolvit.*
11. *Dictiones* una *&* cum *quomodo coniungant.*
12. *Appellationis desertio quomodo extinguat iurisdictionem.*
13. *Delegatus ad rem certam de alia iudicare nequit.*
14. *Commissio causæ appellationis ab interlocutoria*, cum incidentijs, annexis & cõnexis, *quid importet.*
15. *Desertionis effectus quis sit.*
16. *Procurator sine speciali mandato non prorogat iurisdictionem.*

CONSILIVM CLXXXIV.

ARDVA & perplexa est causa appellationis, quæ coram Venerabili D. Officiali Leodiensi Lovanij residente indecisa pendet inter Magistrum Franciscum Alardyn appellantem; & Reverendam D. Abbatissam ac conventum Monasterij Beatæ Raygenfredis de Denanio appellatam, tot articulis & incidentibus quæstionibus multiplicata, ut qua in parte status & punctus causæ constitui debeat, vix post longam disquisitionem deprehendi possit. Vt igitur æquissimi D. Iudicis laborem in illius examine & discussione aliquantulum sublevemus, relictis alijs ipsius perspicacissimo judicio, unicum hunc pertractabimus, qui præcipuam difficultatem habere videtur, demonstraturi sententiam D. Iudicis secundæ instantiæ verè fuisse nullam, & ob id illius nullam nunc fieri posse confirmationem; sed primam sententiam secundùm partē nunc appellantem in prima instantia latam vel transivisse in rem judicatam, vel saltem esse confirmandam.

Et sanè si idem nunc esset status causæ, qui erat tempore, quo judex secundæ instantiæ adversus desertionem appellationis restituit prætatam Abbatissam, multis ex causis defendi & probari posset, nulla esse omnia, quæ postea acta sunt. Cæterùm quando ab eo decreto appellatum non est, & de causa principalis appellationis cognitio suscepta, abstinebimus à refricatione illarum causarum, quas processus ad ulteriora aliqua ratione sustulisse videri potest. Equidem cùm rescriptum restitutionis in integrum pro parte dictæ Abbatissæ in secunda instantia impetratum, ad certum articulum restitutionis fuerit restrictum, & tantùm contineat restitutionem adversus rem judicatam & lapsum fatalium, ob impedimenta, quæ in Abbatissæ supplicatione specificè fuerunt expressa; non est parti nunc appellanti prærepta occasio ex alijs cautis deserendi, & actorum secundæ instantiæ nullitatem proponere. † Rescripta enim cùm stricte accipiantur, *l. Elegantes §. si quis post De condict. indeb. c. sedes De rescript. c. Cum olim 1. De off. deleg.* limites suos excedere non debent, neque ultra causas in ijs commemoratas extendi, *d. c. Cum olim.* 1

Omissa igitur desertione appellationis, quæ in prosecutione appellationis post prius rescriptum per Abbatissam in secunda instantia impetratum admissa fuit, & ad eam respicientes, quæ impetrationem illius rescripti antecessit, dicimus (prout etiam in hac tertia instantia jure permittente, *l. Eos §. si quis autem C. De appel. Bart. l. 1. C. Quando provoc. non est necesse*, appellans allegavit, & ipso id allegare omittente per D. Iudicem, propter summam illius notorietatem ex actis ipsis relucentem, nullaque alia extrinsecus probatione egentem, ex officio suppleri posset, *Doct. in l. unica C. Vt quæ des. advoc. part. Decius in c. Ex insinuatione nu. 8. De appel.*) primam sententiam diu ante impetratum rescriptum transivisse in rem judicatam; † ideoque 2
rescriptum postea priore etiam loco pro parte dictæ Abbatissæ tunc appellantis impetratum verè fuisse nullum: punitur enim qui desertā appellatione id impetrat, & ipso jure rescriptum est nullum, *l. pen & ult. C. Vt lite pend. l. fin. & ibi Bald. C. Sent. rescindi non posse.* * Hoc autem in eo constituimus, quod ex actis evidenter constet, pro parte 3
Abbatissæ appellantis in prima instantia non esse petitos apostolos, quemadmodum de jure oportuit, *clem. Quamvis De appel.* intra triginta dies, computandos sive, ut quidam, *Glos. in d. clem. Quamvis*, volunt à tempore latæ sententiæ, sive, ut communiùs receptum est, *Zabarel in d. Clem. Quamvis, Rota decis. 29. Fuit dubitatum, alias est 5 De appellat. in novis*, ab interpositione appellationis. Sententia enim lata fuit 14. Maij, appellatum 21. Maij, insinuata Iudici appellatio 23. Maij, apostoli autem petiti demùm ultimâ Iunij. Quæ quidem apostolorum petitionis omissio impedit devolutionem appellationis ad superiorem, *c. Romana §. si vero De appel lib. 6.* & sententiam latam ratificat; & sic quidem, ut ipso jure annullet sententiam, in affectato appellationis judicio contra illam priorem latam, *Alex. cons. 59. Viso titulo nu. 7. vol. 4.* † sen- 4
tentia enim contra sententiam quæ in rem judicatam transivit, non valet, *c. Inter monasterium De sent. & re iud. l. 1. & ibi Bald. C. Sent. resc. non posse, l. Post sententiam C. De sent. Alex. cons. 79. In causa & lite n. 4. vol. 7.* Cùm ergò eo respectu non fuerit devoluta appellatio Abbatissę ad superiorem, rescriptum super ea impetratum verè nullum, velut efficiente

materia ac causa nemo negabit: lite enim mortuâ nulla amplius lis intelligitur, *l. Cum lite D. Iudic. solvi.* Quam quidem desertionem Abbatissa in suo restitutorio rescripto ne verbo quidem attigit: sic ut restitutio illius vigore obtenta non possit ad hanc desertionis speciem referri, cujus nusquam meminit.

Neque ad rem facit, quòd in scedula appellationis pro parte Abbatissę petiti videantur apostoli per verborum congeminationem, *instanter, instantius & instantissimè*: * Nam quamvis forma hujusmodi petendi apostolos sufficiat, si uno contextu apostoli instanter & sæpiùs petantur, *d. Clem Quamvis* §. 1. quia tamen à Iudice petiti non sunt, pro non petitis haberi debent: quid enim interest omninò non, an vitiosè seu à quo non oportuit, petā- 6 tur? *l Quoties Qui satisd cog.* * ut enim appellatio, *l.* 1. § *dies D. Quando appel. sit, glos. c. Suggestum De appel. c. fin. eod. tit.* ita etiam petitio apostolorum coram Iudice, qui sententiam tulit, proponenda, *c. Vt super in verb. quod ille a quo appellatur De appellat. lib.* 6. Proinde non potest Abbatissam excusare, quod in illa appellationis suæ scedula petierit instanter, instantiùs, & instantissimè apostolos à Notario, coram quo appellavit: nam & illa ipsa appellatio per se nulla est, non interposita coram eo, qui sententiam tulit, ex defectu formæ. * Quamvis enim 7 extrajudicialis appellatio interdum recipiatur ex causa absentiæ vel metus, *c. fin. & ibi glos. De appel.* non tamen tenet appellatio sic interposita coram Notario vel viris probis, nisi id etiam expressim appellationi inseratur, quòd propter metum vel absentiam Iudicis coram Iudice appellare non possit, *Doct. in d. c. fin.* Sic ut Dominicus Geminianus dixerit, *in c. Cupientes* §. *quod si per vigintı De elect. lib.* 6. vidisse se quendam in appellationis causa propterea succubuisse. Et quamvis Philippo Decio hujusmodi protestatio non videatur pręcisè & omninò necessaria, requirit tamen & ipse in judicio appellatorio probationem metus vel absentiæ: quod in hac causa factum, in ò nec allegatum quidem reperitur. Dissimulare quidem nolumus, aliqua ex parte videri posse expurgatum vitium non rectè interpositæ appellationis per insinuationem appellationis pro parte Abbatissæ Iudicibus primæ instantiæ postea factam; sed tamen è diverso diffiteri quoque non possumus, quin si rem strictè & ad juris rigorem expenderimus, non pauca occurrent, ob quæ forma ista appellandi censeri debeat omninò nulla. Verùm in re proposita satis est demonstrasse appellationem ante impetrationem rescripti fuisse desertam, eandem desertionem per dictam insinuationem non fuisse purgatā vel excusatam; cùm simpliciter facta fuerit sine ulla apostolorum petitione; & petitio, quæ scedulæ appellationis inserta fuit, sufficere non potuerit, eo quòd apostoli non à Iudice sed à Notario à quo peti non debebant petiti inveniantur. Quæ quidem illa ipsa petitio, sic scedulæ appellationis inserta, ipsismet appellantibus visa est non sufficere secundùm juris formam; qui idcirco postea (licet temporis ratione non servata) ab ipso Iudice apostolos petierunt, factoque suo proprio ostenderunt petitionem quam prius fecerant vitiosam fuisse ac insufficientem.

Hac igitur ratione annullata appellatione, & constituta re judicata, everso quoque rescripto (cùm generaliter Papa vel Princeps numquam præsumatur juri acquisito voluisse derogare, *l. Rescripta C. De precib. Imp. offer.*) palam consequitur, nullam habuisse jurisdictionem eum, qui in secunda instantia judicavit; ideoque sententiam postea ab illo latam aperto nullitatis vitio obnoxiam fuisse.

† Nulla enim efficacior est nullitas, quàm quæ 8 causatur ex incompetentia judicantis, *glos. & Doct. in Clem.* 1. *De sequest. poss. Philip. Decius cons.* 38. *Circa primum nu.* 7. quæ dum notoria est (prout hic contigit, quia ex actis sine ulla alia probatione apparet, *Panor. in c.* 1. *De constit. utili & inutili, & in c. Cum olim De constitut.*) comparatur evidenti iniquitati & injustitiæ, *l. scire oportet* §. *fin. l. Qui testamentum & ibi Bal. De excus. tut. Bellamer. decis.* 224. *post Innoc. in c. Dilecti De appel.* semperque opponi potest, etiam tunc, quando generaliter omnes exceptiones sunt prohibitæ, *Felin. in rub. De foro compet. col.* 1. *Decius d. cons.* 38. * Duplex enim nullitas resultat ex 9 sententia lata à non Iudice; quia adeò pro nulla habetur, ut neque re neque nomine, neque præsumptione legis (ut inquit Baldus, *cons.* 332. *Proponitur nu.* 2. *vol.* 2.) pro aliqua habeatur: ubi alioqui quæ à competente Iudice lata est, licet ex aliqua causa vitio nullitatis laboret, sententiæ tamen nomen nihilominus meretur, saltem quamdiu non est declarata nulla, *not. in l. fin. C. De ord. cognit.*

Sed ut donemus (sine præjudicio veritatis) hac ex parte propter omissionem petitionis apostolorum nullum fuisse vitium nullitatis; alio tamen ex capite adhuc dici potest ab eo latam fuisse sententiam, qui jurisdictionem non habuit. Nam negari non potest, quin appellatio fuerit deserta saltem propter omissam prosecutionem intralegitima fatalia. Quod ipsum & ipsa Abbatissa in prosecutione sui rescripti, & Iudex in sententia sua restitutionis, præsupposuerunt, & per appellantem cùm in hac tum in secunda instantia plenissimè deductum est. * Quamobrem cùm desertione 10 superveniente ipso jure desinat esse Iudex is, cui appellatio commissa fuit, redeatque causa ad Iudicem, à quo appellatum extitit, executioni mandanda, etiamsi ipse appellationi detulisset, *Glos. & Io. de Imola in Clem. si appellationem De appel. glos. & Dominicus in c. Cum appellat. in fine eod. tit. lib.* 6. *Rota decis.* 11. *alias* 3. *De appellat. in novis*; sequitur, virtute prioris rescripti per Abbatissam impetrati, nullam amplius con petijsse jurisdictionem Iudici secundæ instantiæ. Quæ quidem jurisdictio sic semel extincta non revixit, neque reddita est per posterius rescriptum dictæ D. Abbatissæ; quia per hoc Iudici commissus tantùm est articulus restitutionis in integrum, & minimè negotium principale; sic ut procedendo & judicando in negotio principali inveniatur jurisdictionem usurpasse in articulo sibi non commisso, *l.* 1. *C. si non à compet. iud.* Functus enim erat officio suo pronuntiando super restitutione: ideoque sententiam in principali negotio dicendo nihil egisse videri debet.

Neque ad rem facit, quod novissimo dictæ Abbatissæ rescripto inserta fuerit clausula, *Cum omnibus & singulis suis incidentijs & dependentijs, annexu & connexis:*

connexis : quia non potest sub illis verbis contineri causa principalis. Reciprocatio enim, *suis*, refertur ad verba, *causam & causas*, non quaslibet, sed *quam seu quas habet & movere vult*, nimirum de & super restitutione adversus prætensam rem judicatam & lapsum fatalium : ita ut limitata causa limitatum effectum parere debeat, *l. In agris De acq. rer. dom. l. Cancellaverat De his quæ in testam. delen. l. Cum pater §. dulcissimis De leg. 2.* Iam vero plusquam manifestum est, causam principalem neque esse incidentem, neque dependentem, aut emergentem, aut annexam aut connexam quoad articulum restitutionis: absurdum enim esset dicere, id, quod principalem locum obtinet, dependere ab illius accessione, *arg. §. si quis in aliena Inst. De rer. divis.* † Vnde in ijs, quorum natura est, ut unum 11
alteri accedat, hæ dictiones, *una, cum*, & similes conjungunt accessorie, & non principaliter, *l. 1. & ibi Bart. cum l. seq. De pecul. leg.* † Quia igitur hic 12
sumus in desertione, quæ contigit per lapsum omnium fatalium juris communis, non tantùm per lapsum termini à Iudice præfixi (quo casu solum quoad appellantem, non quoad Iudicem à quo esset deserta, *DD. in clement. sicut De appel.*) dici debet omni ex parte extincta jurisdictio, *d. c. Si appellationem*; quæ deinde per dictam clausulam restituta videri non potest, quia debet intelligi secundùm puros terminos juris communis, ne in aliquo illud lædatur, *Felin. & alij in c. Causam quæ De rescrip. glos. pen. & ibi Doct. in c. Vt debitus De appel.* quod fieret si Iudex ad quem adhuc permaneret Iudex, qui per desertionem desijt esse Iudex.

13 Neque his adversatur, quod restitutione concessa & obtenta, in eodem statu videatur Abbatissa reposita, quo erat tempore rescripti impetrati; quasi scilicet restitutio faciat, ut unusquisque integrum suum jus recuperet, *l. Quod si minor §. restitutio De minorib.* & sic etiam Iudex jurisdictionem suam recepisse videatur. Nam cùm diversæ sint naturæ judicium rescindens & rescissorium, *ut per Ias. & alios in §. rursus Inst. De action.* & utrumque suos Iudices habeat, *l. fin. C. Vbi & apud quem resist. &c.* admittendum non est, ut cui sola restitutio adversus fatalia vel rem judicatam mandata est, possit de ipso principali negotio cognoscere; cum qui ad causam petitorij delegatus est de possessorio judicare non possit, *l. Si de proprietate C. si à non compet. ind.* Ita ut hic locum obtinere debeat regula *l. 1. C. eod tit.* Iudicem ad certam rem datum, si de alijs pronuntiavit, nihil egisse: restitutio enim nihil amplius operari debuit, quàm facultatem prosequendi appellationem coram Iudice compe-
14 tente. † Et quamvis appellatione ab interlocutoria interposita, causaque appellationis, *cum incidentijs, emergentibus, annexis &c.* commissa, censeatur etiam negotium principale commissum, *Aegid. Bellamera decis. 619.* ubi tamen sic deserta reperitur appellatio, Iudex ad quem sine nova commissione non cognoscet, *Rota decis. 447. alias est 39. nota quod maior De appellat. in antiquis, Augusti. Berous quæst. 110.* ne nimium ab interpretatione juris communis recedat rescriptum.

Nec rursus obstat appellanti, quòd passus sit Iudicem secundæ instantiæ cognoscere super prin-
15 cipali negotio: † Nam in primis ea est vis & potestas desertionis, vt non obstante utriusque partis prosecutione, nihilominus semper obstet desertio; sic ut sententia præcedens dici debeat transijsse in rem judicatam, *Clem. Si appellationem De appel.* & sententia subsequens, etiamsi fuerit confirmatoria prioris, nullo modo teneat, *Zabarella in d. clem. Si appellationem, decis. Tholos. 244.* sicut paulò antè diximus. Deinde obstat utilitas postea actorum, quod de re ad rem, sed potius de causa ad causam in Iudice delegato ita commodè non semper fiat prorogatio, *Panor. in c. P. & C. De off. delegat.* Et ut fieri possit, in præsenti tamen causa inutiliter facta est per procuratorem ad hoc speciale mandatum non habentem * Est enim hoc indubitatum, pro- 16
curatorem non habentem speciale mandatum, vel cum libera, non posse prorogare jurisdictionem, *c. Cum olim Abbas & ibi late Doct. De off. deleg.* Vnde finem hujus articuli, qui jurisdictionem dumtaxat & facultatem procedendi respicit, facientes, concludimus, sententiam Iudicis secundæ instantiæ nullam esse : & eam, quæ lata est à judice primæ instantiæ, transiisse in rem indicatam.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationum fatalia.

1. *Apostolorum responsio omissa pro delatione est.*
2. *Fatale secundum ut concedatur sufficit quod intra primum fatale obtentum sit rescriptum.*
3. *Fatale secundum habere debet qui in primo fuit impeditus.*
4. *Fatalia non currunt pendente attentorum quæstione.*
5. *Attentata quando in appellationis instantia revocanda.*
6. *Stylus observandus.*
7. c. Non solum De appell. lib. 6. *intellectus,*

CONSILIVM CLXXXV.

NVLLO desertionis vitio laborare prosecutionem appellationis interpositæ à decreto D. Officialis Leodiensis pro parte Reneri vander Beken, contra Philippum Fourdyn brevi demonstratione sic deducitur. Decretum à quo appellatum fuit in scriptis latum est vigesima septima Augusti, anno 1574; cujus mensis die 30. interposita est appellatio in præsentia Iudicis, apostoliqúe petiti; & pòst deinde mensis Septembris die sexta & 18. debita cum instantia repetiti, atque appellatio eadem parti adversæ dicti mensis Setembris die 25. in-
sinuata: * ita ut ad legitimæ appellationis for- 1
mam nihil prorsùs desiderari potuerit, *c. Ab eo De appel. lib. 6. c. Vt debitus De appel. Clem. 1. cum glos. ead. tit. Clem. causam De elect.* & ipsa Iudicis intra terminum juris post debitam & instantem dicti appellantis requisitionem respondere de apostolis differentis negligentia pro delatione accipi debeat, *Clem. Quamvis §. fin. De appel.* Iam verò quòd non fuerit negligens idem appellans in ulteriore ejusdem appellationis prosecutione constat ex data rescripti super hujusmodi appellatione impetrati septima Aprilis anno 1585. & deinde 27. Maij Domino Iudici hujus instantiæ præsentati.

2 Quæ quidem sic facta intra primum fatale prosecutio per rescripti impetrationem satis esse debet ad obtinendum secundum fatale ex stylo Romanæ Curiæ, *Thomas Faxiolus Rotæ dubio 37. Eodem die, Cassador. dcis. 6. De appel. Auth. si appellatione C. De temp. appel.* † & ex jure communi, si vel aliquo tempore impeditus fuit appellans appellationem suam prosequi ac finire, & de eo expressè protestatus fuit, *c. Ex ratione & ibi Panor. & alij De appel. Clem. sicut eod. tit. Auth. Ei qui appellat. C. De temp. appel* ut in præsenti causa evenit, per contradictiones partis adversæ, quæ prima Julij contendit nullam jurisdictionem Domino competisse, ac deinde 23. Augusti exhibito instrumento suæ appellationis & responsionis apostolorum, per quod de causæ devolùtione apertè constabat, non est passa Dominum Iudicem super competentia jurisdictionis suæ pronuntiare. In secundo sanè fatali diligenter satis progressus est appellans usque ad 8. Novembris dicti anni 1585. quo die necesse habuit appellans impetrare literas super attentatis, super quibus hactenus processum est, & proceditur: sic ut secundi fatalis nulla interlligi
4 possit desertio aut lapsus. † Pendente enim attentatorum judicio fatalia nullo modo currunt; neque cogitur in appellationis causa procedere appellans, quia super attentatis ante omnia audiri debet, *c. Non solum De appel. lib. 6. Rota Decis. 102. Fatalia, alias est 15. De appellat. in novis, Ioan. Crottus consil 101. Viso puncto nu. 3. Ioan. Bapt. Ferretus cons. 170.*

5 Neque ad rem facit, quòd appellatione ante sententiam definitivam interposita attentata non sint revocanda, nisi sint attentata post inhibitionem legitimè per Iudicem factam; hoc est factam, postquam de sua jurisdictione & causam ad se devolu-
6 tam cognovit, *d. c. Non solum.* * Nam quamvis de jure ita constitutum videatur; stylus tamen & usus, qui in his, quæ ad judiciorum ordinem pertinent, plurimùm attendendus est, *Panor. in c. Ex literis De constit. Rota decis. 16. alias 710. De consuetudinibus in antiquis, Alex. cons. 39. Visis & consideratis in fine vol. 3. Phil. Decius cons. 699. Accepimus. 5. & 6.* omninò in contrarium est. Videmus enim passim in his regionibus per delegatos Apostolicos in prima citatione vigore rescripti Apostolici ipsis præsentati decretâ semper inseri clausulam inhibitoriam. Quam observationem sequutus appellans illâ inhibitione contentus, ulteriore sibi opus non esse existimavit: sic ut iniquum sit eum hujusmodi D. Iudicis stylo atque usu decipi & fraudari.

7 Dato interim & concesso stylo atque usus prætextu, non sustineri inhibitionem in prima citatione per D. Decanum factam: quia tamen D. Decano commissa est hæc appellationis causa cum negotio principali, incidentijs, dependentijs, & emergentibus, cum potestate citandi & inhibendi, potuit idem D. Decanus statim inhibere, & ipsius inhibitio, etiam absque partis citatione, censeri debet omninò legitima; præsertim quia tenor totius commissionis tam citationi, quam inhibitioni fuit insertus, *Rota decis. 11. alias est 3. De appelat. in novis.* Alioqui enim parum vel nihil operaretur expressa facultas inhibendi, nec esset differentia, an causa simpliciter, an adiectâ expressim potestate citandi & inhibendi esset commissa, *c. Romano §. si vero De appel. lib. 6.* quod non est dicendum, *arg. l. si quando De leg. 1. c. 1. De rescrip. Augustinus Berous q. 124.* Deinde quia hic termino præfixo ad dicendum contra commissionem appellans de devolutione causæ per exhibitionem dicti instrumenti sufficienter docuit, sic ut Iudici de sua jurisdictione nulla potuerit esse dubitatio: nihil mirum, si postea inhibere & attentatorum revocationem mandare potuerit, *Paul. Castrens. consil. 237. in fine vol. 2.* Nulla igitur ratione admittenda est appellati petitio nunc novissimè facta, qua desertam pronuntiare cupit appellationem: hic ut Venerabilis D. Decani officium in principali causa sit pronuntiare, se causæ & partium Iudicem competentem, & partem appellantem ad suæ appellationis justificationem admittere; quæ propter attentatorum ex facto appellati causam, hactenus in suspenso fuit; & in qua appellans (ut paulò antè dictum est) invitus procedere non debuit, & nunc si velit procedere non possit, *decis. Rotæ 102.* Vnde in causa attentatorum, ejusdem D. Decani partes erunt, ut appellatum condemnet ad respondendum ad jura & instrumenta designata in scedula 29. Ianuarij novissimè exhibita, juxta procuratoris petitionem dicta 29. die factam & 3. Septembris novissimè repetitam; ut sic tandem finito attentatorum judicio plenis velis appellans possit procedere in negotio principali ad justificationem suæ appellationis legitimè (uti suprà dictum fuit) interpositæ ex causa gravaminis in dicta sua appellatione expressi.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationum fatalia.

1. *Apostolorum petendorum tempus quando incipiat currere.*
2. *Apostolos semel petijsse cum debita instantia sufficit.*
3. *Fatale secundum obtinetur, si in primo aliquid actûm sit.*
4. *Fatali primo lapso, in secundo fieri potest prosecutio.*
5. *Nullitatis prosecutio non inducit appellationis renuntiationem.*
6. *Appellationi renuntiare quando quis censeatur revertendo ad Iudicem a quo.*
7. *Nullitatis causa currente, conquiescit causa appellationis.*
8. *Nullitatis causa fatalia non habet.*

CONSILIVM CLXXXVI.

QVOD nullo jure subsistant exceptiones & obiectiones, quas D. Advocatus M. Petri Iordani pro remoranda atque impedienda jurisdictione Venerabilis D. Præpositi obiecit, subsequentibus rationibus demonstratur. Et primò quidem quòd de defectu legitimæ petitionis apostolorum secundùm Clementiam constitutionem, *clem. Quamvis De appel.* objcitur, nullius momenti est. Etenim constat, quòd 25. Augusti latâ sententiâ per Dominos Iudices appellationum 3. Septembris ab eâ pro parte Magistri Ioannis Pels appellatio interposita fuerit in scriptis, apostoliq́ue non tantùm in scriptis, sed etiam vivâ voce tunc petiti, dictoq́ue appellanti

lanti respondsum, D. Iudices in termino juris, & interim responsuros de apostolis; eoque termino pendente appellantem 11. Septembris & 2. Octobris repetisse eosdem apostolos, cum ingeminatione repetitionis: † sic quòd cum à die interpositæ appellationis (ex quo primùm secundùm Hostiensem, non à die prolatæ sententiæ, quod alij maluerunt, incipiunt currere 30. dies ad respondendum de apostolis à jure præfixi, *Hostien in c. 1. De appel. lib. 6. Rota decis. 484. alias est 80. Nota quod triginta in antiq. & 29. alias est 5. Fuit dubitatum in novis.*) & medio tempore ac sub exitum eorundem 30. dierum pro parte dicti M. Ioannis sint petiti ac repetiti apostoli, nihil sit, quod ex parte dicti appellantis desiderari possit, aut assumi ad inducendam desertionem aut renuntiationem appellationis; quæ induci solet per indebitam apostolorum petitionem: præsertim quia in termino juris prima vice petitis apostolis alius terminus nó sit appellanti assignatus; quo etiam assignato non teneretur appellans toties redire: sufficit enim semel in termino cum debita instantia apostolos petitos esse, *Clem. Quamvis & ibi glos. Rota decis.* 460. *alias est* 47. *si auditor appellanti in novis.* † Ita ut hic constitui non debeat pœna desertionis, vel renuntiationis adversus appellantem, qui formam, tempora, aut momenta juris observavit; sed juris potestas converti adversus ipsos Iudices, *l. Quoniam* 2. C. *De appellat. l. Ei cuius* D. *De appellat. recip.* ut scilicet omni jurisdictione excidisse dicantur, & tacitè detulisse appellationi, *d. c. Abeo.*

Quod etiam pars adversa agnoscens per scedulam coram prædictis Iudicibus appellationum exhibitam, ad impediendam ulteriorem dictorum Iudicum cognitionem seu jurisdictionem, obiecit de interposita appellatione & abdicata eorum jurisdictione; propter omissam apostolorum responsionem debito tempore non factam. Quæ obiectio & positiva allegatio pro confessione absoluta accipi debet, *l. Cum precum C. De lib. caus.* & parti adversæ, quia in jure seu judicio facta est, præjudicare, *l. 1. C. De confess.*

Quod de alia hujus appellationis desertione per temporis seu fatalium dierum lapsum objicitur, perinde nihil momenti habet; quia constat, quòd appellans hanc appellationis causam debito tempore instituerit & prosecutus sit, supplicatione pro rescripto obtinendo Romam missa, seu cursori ac sollicitatori tradita 7. Martij novissimè præteriti. Constat quoque rescriptum delegatorum pridie Kalendas Iulij hoc est ultima Iunij sequentis obtentum, & Venerabili Domino Præpositio 29. Iulij præsentatum, ac virtute illius antè 25. Augusti (quo primum lapsus est annus à die latæ sententiæ) appellantem in plena causæ prosecutione fuisse. Iam verò certum est, quòd, cum ab hómine seu Iudice à quo non præfigitur appellanti terminus introducendæ aut prosequendæ appellationis, tunc appellans habeat integrum annum ad eandem appellationem prosequendam: * usque adeò, ut sufficiat primo illo anno quemcumque actum prosecutionis esse factum, etiamsi cursori tantùm sit tradita supplicatio pro obtinendo rescripto ad obtinendum secundum fatale seu biennium, *Innoc. & Ant. de Butrio in c. Ex ratione De appell. Angel. in l. Si expressim* D. *De appellat. Nevizanus consil.* 41. & id obtinere in praxi tradit Calladorus, *decis.* 4. *& 6. de appel.* ita ut quæcumque diligentia prosecutionis ad hoc sufficiat: multò ergò magis si nondum lapso primo anno rescriptum delegatorium sit obtentum, Iudici præsentatum, & vigore illius pars citata: ut in hac causa contigisse jam demonstratum est. * Atque ita impedimento non est appellanti lapsus primi anni, quo durante satis diligens fuit: quin post illum finitum possit appellationis causam in secundo anno prosequi ac finire coram Iudice ad quem, *Lud. Rom. in l. 2. De re iud.*

Sed nec in prosecutione causæ nullitatis coram dictis Iudicibus constitui potest prædictæ appellationis renuntiatio: cùm enim nihil vetet, quin ab eadem sententia appellari possit, & æquè principaliter illa de nullitate redargui; separatis scilicet à jure proditis adversus hujusmodi gravamina remedijs, nec unum contingat aliud, unoque finito ac peracto ad aliud recurri possit, *Bart. in l. 1. C. Quando provoc. non est nec. & inl. Si expressim nu. 16. De appel.* & cùm de nullitate coram eodem Iudice, qui sententiam tulit, dici ac proponi possit ad impugnationem sententiæ; & in optione gravati sit, utrum superiorem adeat, an coram eodem Iudice nullitatem proponat, *Felin. in c. Per tuas De sent. excom. Imol. in l. Iudex nu. 5. De re iud.* consequens est, aditum ad superiorem per viam appellationis non fuisse præclusum: potissimùm propter frequentes protestationes, quas appellans proponendo causam nullitatis apertè fecit; ita ut renuntiatio appellationis per reversionem ad dictos Iudices ex sola propositione nullitatis induci non possit †. Tunc enim per reversionem censetur appellationi renuntiatum, cùm fit aliquis actus appellationi contrarius, *c. sollicitudinem De appellat.* non etiam cùm aliquid agitur, aut proponitur, quod tendit ad sententiæ majorem improbationem vel impugnationem, *Guido Papæ decis.* 264. Cùm ergò obiectio nullitatis eò tendat, & ei præterea adjuncta sit expressa protestatio de conservanda appellatione, nihil dubitandum, quin appellationi per propositionem nullitatis non sit renuntiatum.

Atque inde fit, quod pendente cognitione ac judicio nullitatis, conquiescat ac dormiat causa negotij principalis & appellationis, *l. Contra maiores C. De inoff. testam. Bart. in l. 1. nu. 8. C. Quando provoc. non est necess. & in d. l. Si expressim:* sic ut hujus fatalia interim non decurrant, *Sebast. Vantius in tract. de nullit. tit. Quoties & intra quod tempus nu. 12.* Vt proinde minùs dubitandum sit de ijs, quæ superiùs pro excusanda desertione appellationis in medium adduximus † Quamvis tamen de his omnibus scrupulosiùs hic disputandum non sit; cùm constet per rescriptum Apostolicum etiam causam nullitatis expressim commissam esse; adversus quam nulla fatalia nisi triginta annorum currere solent, *Angel. & Bald. in l. unica C. Qui pro sua iurisdict. iud. And. Gail lib. 1. obser. 135.* quæque perinde causam ad superiorem devolvit, ut appellatio, *c. Cum contingat De off. Iud. deleg.* Ita ut non desit Venerabili Domino Præposito materia seu occasio decernendi se Iudicem competentem.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis renuntiatio.

1. *Appellandum in scriptis ab interlocutoria.*
2. *Articuli peremptorij & relevantes si reijciantur appellare licet.*
3. *Appellationi renuntiatur per ulteriorem comparitionẽ.*
4. *Appellationi renuntiare non potest procurator.*

CONSILIVM CLXXXVII.

QVOD in causa appellationis per Henricum Beverst appellantem interposita à sententia interlocutoria lata per Dominum Decanum S. Petri Leodiensis ultimâ Augusti novissimè præteriti, contra M. Lambertum Gielkens, aliosque ejus litis consortes, per Venerabilem D. Præpositum Beatæ Mariæ Walcurtensis procedi possit, idemque D. Præpositus sibi jurisdictionem in hac causa vindicare debeat, ex sequentibus rationibus deducitur.

1 Et primò quidem de legitima forma interpositæ appellationis evidenter constat: nam interposita est per ipsum Henricum in præsentia ipsius Iudicis: idque in scriptis atque expressa gravaminis causa, uti in appellationibus ab interlocutoria oportet, *Clem. Appellnati De appel.* & deinde debita cum instantia petiti apostoli, *Clem. Quamvis rigor eod. tit.* tam per Henricum ipsum, quàm Ioannem Motmans ad hoc specialiter constitutum procuratorem: uti hæc constant ex instrumento appellationis in hac instantia exhibito. Prout etiam ex collatione ejusdem instrumenti, & actis coram præfato D. Decano habitis constat, intra decendium hujusmodi appellationem esse interpositam: Lata enim fuit sententia ultima Augusti post meridiem hora vesperarum; appellatio autem interposita 10. Septembris ante meridiem, & sic ante lapsum decem dierum, qui in hoc casu de momento ad momentum computantur, *Auth. Hodie C. De appel.*

2 De justitia appellationis constat, quòd jure permissum sit à repulsione seu reiectione exceptionum, allegationum, aut articulorum peremptorialium, & qui ad justificandam causam partis faciunt, appellare, *c. Dilecto De appel. Clem. Cum à repulsione eod. tit.* Peremptorios autem & relevantes esse hujusmodi articulos, quos præfatus D. Decanus reiecit, evidenter constat ex rationibus in scedula appellationis per Henricum exhibita; quas latius non prosequimur. Hoc tantùm addentes, quòd longè justiore ratione hujusmodi reiectos articulos admittere debuisset, quàm postea admisit ejusdem fere tenoris alios per assertum dicti Henrici procuratorem sine mandato exhibitos.

3 Quæ satis animadvertens pars adversa, aliunde præfatum Henricum à prosecutione suæ appellationis depellere conatur; quasi eidem renuntiaverit per ulteriorem processum coram eodem D. Decano, *c. Sollicitudinem De appel. c. Gratum De off. & potest. Iud. deleg.* Verum quidem est, quod Arnoldus Meldart, qui procurator Henrici usque ad diem prætacti decreti reiectorij fuit, postea ulteriùs in hujusmodi causa coram præfato Domino Decano processerit: sed tamen inde non potest inferri, quòd Henricus suæ appellationi renuntiaverit. * Nam hoc receptum est, quòd procurator non possit appellationi solemniter interpositæ renuntiare in præjudicium domini sui sine expresso ac speciali mandato, *Bald. in l. ult. §. fin. nu. 14. C. De temp. appell. & in l. 1. §. si procurator nu. 5. & ibi Iaſ. nu. 12. Siquis tut. dicen. non obtemp. Alex. conſ. 115. Attentis narratis vol. 5.* Idque potissimùm ubi dominus in propria persona non adhibito eodem procuratore appellavit, & ad petendum apostolos alium procuratorem constituit; uti factum est in proposito. Id enim est expresse contravenire facto domini sui; & speciem quandam revocationis procuratoris habet comparitio & actus per dominum interpositus, ac multò magis alterius procuratoris constitutio, in eo actu potissimùm, quo prior procurator in effectu definit esse procurator: appellatione enim interposita, ut non cogitur procurator illam prosequi, ita quoque finitur illius mandatum, *l. Invitus C. De procurator. & ibi Bart. Rota deciſ. 2. Si Dominus, aliàs est 2. De procurat. in novu.* Et quòd non fuerit Henrico ulla voluntas renuntiandi hujusmodi suæ appellationi constat evidentissimè per exactam illius diligentiam in prosecutione; ob id, quòd rescriptum Venerabili Domino Præposito præsentatum, sit Romæ impetratum secunda Novembris, & sic ante lapsum duorum mensium ab interposita appellatione; ita ut sibi imputare debeat pars adversa, quòd ad procuratoris in effectum revocati nutum & voluntatem, in causa ignorante Henrico processerit, & de mandato aut saltem facultate revocandi diligentiùs non inquisiverit. Et quamquam de justitia appellationis superiùs proposuerimus; in eo tamen articulo, in quo nunc versamur, illius ratio haberi non debet: cùm hoc tantùm quæratur, an D. Præpositus sit Iudex competens. Quo decreto, per exhibitionem actorum aliarum instantiarum, aliasque rationes, latiùs deducetur dictæ appellationis justitia: sic quod in re præsenti satis sit inconvincibilibus & apertis rationibus demonstrasse, quòd causa appellationis rectè sit ad Sedem Apostolicam devoluta, & D. Præposito commissa, perdurante adhuc potestate in eadem causa ulteriùs procedendi; cùm etiam in dubio potiùs judicandum sit recipiendam, quàm non recipiendam esse appellationem, *l. 1. & ibi Iaſon in 6. notabilis D. si quis cautionib. Decius conſil. 34. Et pro tenui nu. 5.*

4

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis renuntiatio.

1. *Appellans qui iudicatum facere incipit, recedere intelligitur ab appellatione.*
2. *Appellans petendo terminum solvendi appellationi renuntiare censetur.*
3. *Appellans agendo actum quemcumque contrarium appellationi renuntiare intelligitur.*

CONSILIVM CLXXXVIII.

AVDIRI ampliùs non debet Dominus Nicolaus Huberlant in prosecutione appellationis, quam se interposuisse dicit à sententia Venerabilis Capituli Nivellensis ad Sedẽ Apostolicam; nec ullæ

nec ullæ possunt esse in hac causa Venerabilis D. Officialis Namurcensis ad hanc appellationis causam ex delegatione apostolica delegati Iudicis partes, neq; etiam alia eius iurisdictio, quàm in declarando sibi nullam competere iurisdictionem, ac cõdemnando appellantem in expensis in hac causa factis. Est enim hoc rescriptum prorsus subreptitium & obreptitium, ex omissa per dictum appellantem narratione, quòd post interpositam appellationem cœperit illi parere, adeundo scholas Lovanienses, ad quas correctionis causa remissus erat, & iniunctam pœnitentiam ibidem agendo.

1 Qui enim iudicatum facere incipit, etiamsi primo actu non perficiat, interpositæ appellationi, velut ex pœnitentiâ renuntiare censetur: quippe spontanea paritio, seu executio, prosequendæ appellationis animum deponit, *c. Quod ad consultationem, De re iud.* * Sicuti & is (quod multò minùs est) qui condemnatus à Iudice petit terminum seu dilationem solvendi, sententiæ acquiescere & beneficio appellationis renuntiare censetur, *l. Ad solutionem C. eod. tit.* † Imò qui coram Iudice, à
2 quo provocavit, comparendo quemcunque actum
3 sententiæ approbatorium, vel appellationi quoquo modo contrarium, aut ab eo diversum facit & explicat, idem facere intelligitur, *c. Sollicitudinem De appel. d. c. Quod ad consultationem, c. Gratum De off. & pot. iud. deleg. c. Cum venisset De testib. latè Felin. in d. c. Quod ad consultationem.*

Quod quidem in proposito tanto potentius dici potest, ex eo, quòd dictus appellans inceptâ & aliquousque perductâ suâ pœnitentiâ, per plures supplices libellos apud Capitulum institerit pro dictæ sententiæ commutatione & moderatione, hoc est ut injunctam pœnitentiam Lovanij per visitationem scholarum peragendam, Nivellę peragere posset, idque etiam obtinuerit, ut constat per supplices libellos partim suâ manu, partim alterius ex ejus mandato scriptos & Capitulo exhibitos. Quæ enim quisque supplicando narrat, narrata confiteri & petitis acquiescere censetur, *l. Cum precum C. De lib. caus.* Ita ut etiam nullo facto actu executivo, qui sententiæ latæ conformis sit, facta ab eo, qui condemnatus est, sola petitio ad obtinendum terminum seu dilationem solvendi vel parendi rei judicatæ, inducat approbationem sententiæ, & ex consequenti renuntiationem appellationis, non tantùm interpositæ, quod nullam dubitationem habet, *d. l. Ad solutionem*; sed etiam interponendæ, durante scilicet adhuc tempore interponendæ appellationis, si actus aliquis executivus accedat, ut eleganter tradidit Felinus, *in d. c. Quod ad consultationem.* Vt proinde multò magis constituenda sit approbatio latæ sententiæ, & renuntiatio jam interpositæ appellationis per quemcumque actum executivum, latæ sententiæ conformem seu ad illius executionem tendentem; ut est in casu proposito, inchoatio pœnitentiæ per accessum ad locum designatæ pœnitentiæ, & præterea petitio & impetratio commutandæ ac moderandæ pœnitentiæ. Potissimùm quòd id fit velut quædam pactio seu transactio super lata sententia, per quam constat interpositam appellationem resolvi, & Iudicis causæ appellationis nullas esse partes in discutiendo negotio principali, *l. Tale §. qui provocavit De pact.* quia pro confesso habetur, qui sic petit & obtinet: adversus confessum autem nullæ sunt Iudicis partes, nisi in exequendo, *l. Proinde D. Ad leg. Aquil.* Et qua ratione censetur appellationi renuntiare, qui sic quoquo modo sententiæ parendo petit aut impetrat; ita quoque nullitati renuntiare censetur, quæ appellationi semper tacitè inest, & velut in ejus ventre clauditur, *Alex. in l. 4. §. condemnatum n. 11. D. De re iudic.* Sic quòd qui auctoritatem rei judicatæ per voluntariam paritionem latæ sententiæ superinducit, nullo modo amplius conqueri possit; obstante nimirum ei exceptione rei judicatæ, quæ non tantùm perimendi potestatem habet, sed etiam repellendi à limine judicij; ut nec audiri debeat, qui rem judicatam contra se habet, *c. 1. De litisconteſt. lib. 6.*

Cùm ergò dictus appellans renuntiatione ac paritione rei judicatæ appellationem interpositam deseruerit, idque S. D. N. Papæ narrare prætermiserit; consequens est, vitio surreptionis & obreptionis laborare hoc rescriptum, illiusque vigore Venerabili D. Officiali nullam competere jurisdictionem: nam si id narratum fuisset Pontifici, rescriptum hoc delegatorium causæ appellationis, quæ non erat in rerum natura (extincta scilicet & resoluta per dictam renuntiationem) concessum verosimiliter non fuisset: cùm nec Papa, nec Imperator suo rescripto facilè velint resuscitari seu restaurari rem judicatam, *l. 1. C. De re iud.*

Quæ cùm ita sint, consequitur officium & partes Venerabilis Domini Officialis esse, ut quod generaliter fit propositâ exceptione rei judicatæ in prima instantia (repellere scilicet agentem à limine judicij adversus actionem primævam, etiamsi sententia actionem ipso jure non primat) hîc quoque & multo magis fieri debeat adversus appellationem ipso jure per renuntiationem resolutam. Idque non obstante, quod pars appellata in ejus jurisdictionẽ consenserit. Est enim id factum cum debitis protestationibus, & extenditur hujusmodi consensus dumtaxat ad simplicem jurisdictionem, non etiam appellationis recognitionem aut approbationem; eâ in parte appellato integrâ manente suâ defensione quacumque, & inter cætera ultroneæ renuntiationis etiam ad impediendum litis ingressum: quia hujusmodi exceptiones non ipsum Iudicem, sed vel judicium ac processum, cùm in limine illius proponuntur; vel merita causæ, cùm post litem contestatam proponuntur, respiciunt, *d. c. 1. & ibi Doct.* quæ sanè omnia extra dubitationem sunt.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationum termini, & desertio.

1. 5. *Probari non debet quod probatum non relevat.*
2. *Appellationis desertio inducitur etiam ex lapsu termini per Iudicem præfixi.*
3. *Appellanti à Iudice præfixi termini quomodo accipiantur.*
4. *Mensis quot dies habeat.*
6. *Apostolorum petitio omissa inducit desertionem appellationis.*
7. *Apostoli à singulis Iudicibus, cum plures sententiam dixerunt, petendi.*

CON-

CONSILIVM CLXXXIX.

1 AD probandum admittere non debet Iudex quod probatum non relevaret, *l. Ad probationem 1. in fin. C. De probat. l. Si duo patroni §. idem Iulianus & ibi Alex. & Laſ. De iureiur.* Proinde cùm quæ pro parte Iacobi Marotelle appellantis in facto propoſita ſunt, ejus generis ſint, ut Iacobo nihil prodeſſe poſſint, ad excuſandam deſertionem appellationis; conſequens eſt, ut rejectâ ipſius petitione Reverendus D. Abbas decernat, ſe non eſſe hujus cauſæ Iudicem competentem, ob notoriam prætenſæ appellationis deſertionem. Quod autem impertinentia & irrelevantia ſint, quæ Iacobus probare offert, ita demonſtratur.

2 Certum eſt appellationem non minùs deſeri per lapſum temporis, quod Iudex à quo appellanti præfigit, quàm per lapſum dierum ſeu fatalium, quæ lex ſeu canon præſcribit, *c. Cùm ſit Romana c. Perſonas De appell. Guido Papæ deciſ.* 135. ita ut ſi Iudex appellanti prængat terminum duorum aut quatuor menſium ad faciendam proſecutionem ſuæ appellationis, ſi interea initium proſecutionis non facit, cenſeatur appellatio deſerta, *Panor. Decius & alij in d. c. Perſonas c. Sæpe, c. Reprehenſibilis De appellat.* Iam verò per reſponſionem apoſtolorum dicto Iacobo datam conſtat, quòd ei præfixi ſint quatuor menſes ad actus conſuetos (qui ex notorio ſtylo ita diviſi ſunt, ut prioribus duobus menſibus initium proſecutionis appellationis per arreptionem itineris ad Iudicem ad quem, vel traditionem ſupplicationis curſori ſeu ſollicitatori, & duobus poſterioribus menſibus de eo Iudici 3 fides fieri debeat) * Quorum quidem duorum terminorum diſpar eſt conditio: nam quamvis poſterioris termini lapſus, ſi in priore peccatum non eſt, non inducat omnimodam deſertionem, ſed hoc tantùm faciat negligentia appellantis in illis duobus poſterioribus menſibus; ſi ſcilicet de facto initio proſecutionis, durante priore bimeſtri, Iudici fidem non faciat, ut Iudex à quo poſſit procedere ad executionem ſententiæ; quæ nihilominus retractari poſſit, ſi intra terminum juris ſeu legis appellans cauſam proſequatur, & in appellationis cauſa obtineat, *Panor. in d. c. Perſonas & ibi Decius nu.* 10. *Lud. Roman. ſing.* 163. *Hoc neſciunt Legiſtæ. Bart. & Alex. in l. Præſes C. De appel. Rota deciſ.* 94. *alias* 13. *ſi Iudex, &* 15. *alias* 25. *ſi Certus De appel. in novis, &* 538. *alias* 48. *Nota ſi certus De appel in antiq.* prioris tamen temporis ſeu bimeſtris lapſus, hoc eſt, ſi illo durante initium proſecutionis fiat per arreptionem itineris, vel miſſionem ſupplicationis, non inducit omnimodam deſertionem; quæ per ſequentem reſcripti impetrationem & cauſæ proſecutionem dilui non poteſt. Et hoc caſu veriſſimum eſt, & obtinet, quod vulgò dicitur, terminum hominis perinde ligare ut terminum juris, *d. c. Cùm ſit Romana c. Reprehenſibilis De appel.* Idque præſupponunt omnes, qui appellantem excuſant ob non factam intra alios duos menſes fidem diligentiæ proſecutionis cœptæ in primo bimeſtri, *Doct. in d. c. Perſonas & alij ſupra citati.* Ita ut nemo ſit, qui non aperte fateatur ex lapſu primi termini, qui pro inchoanda proſecutione à Iudice præſcriptus eſt, induci deſertionem appellationis, *Decius in d. c. Perſonas nu.* 7. 8. *& 9. d. deciſ. Rota* 94.

Cùm igitur ex actis primæ inſtantiæ non tantùm non conſtet de initio proſecutionis factæ in primo bimeſtri; ſed præterea etiam conſtet toto illo bimeſtri nihil actum eſſe, ex eo, quòd M. Ioannes Gloetinghem ſollicitator reſcriptorum in Romana curia 26. Decembris anno 1566. & ſic poſt lapſum quadrimeſtris à datis apoſtolis, triginta diebus pro ſingulis menſibus computatis (ut de jure computandi ſunt, cùm ſimpliciter menſium mentio fit, *Decius in c. Vbi lex De reg. iur.*) imò (quòd plerique requirunt, *Bart. in l. Cum bis ſexto De verb. ſignificat.*) computatis etiam triginta & uno die pro illis menſibus, qui tot dies habent, in judicio declaraverit ſe pridie illius diei, hoc eſt 25. Novembris accepiſſe ab appellante ſupplicationem Romam mittendam pro obtinendo reſcripto delegatorio; dubitandum non eſt, quin in plenissima deſertione ſit hæc appellatio. Ita ut nihil proſit allegare, quod intra finem anni impetratum ſit reſcriptum; eoque caſu ex ſtylo & communi praxi permittenda ſit proſecutio ulterior appellationis; non obſtante etiam executione ſententiæ plenariè facta, quodque ſæpiùs ita judicatum ſit. Nam id verùm eſſe agnovit Franc. van Gheele appellatus, ſi initium proſecutionis debito tempore, hoc eſt durante primo bimeſtri factum fuerit, non etiam ſi id omiſſum ſit: quem caſum in allegatione praxis, ſtyli & conſuetudinis non comprehendit; * & cum non prodeſt hujuſmodi allegatio, ſecundùm præmiſſa ad prædictum admitti non debet, *d. l. Ad probationem d. §. Idem Iulianus, Rota deciſ.* 98. *aliàs* 14. *Licet appellatio ſub tit. De appel. in novis*, ſed officium Domini Iudicis eſt, vel declarare appellationem deſertam; vel (quod etiam facere poteſt) ſententiam à qua confirmare. Ad quod faciendum promtior eſſe debet, quod coram Dominis Iudicibus, à quibus appellatum fuit, quæſtio deſertionis hujus fuerit ventilata, & cum legitima cauſæ cognitione pronuntiatum, appellationem eſſe deſertam: quæ ſententia nullâ appellatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam: idque adhuc poſtquam Iacobus ad ſæcularis Iudicis auxilium confugiendo ſimilem retulit ſententiam, per quam ei permiſſa eſt executio.

Noviſſime illud quoque conſiderandum, aliam hîc adhuc obverſari deſertionis cauſam; ex eo, quòd ex actis non conſtet delegitima apoſtolorum petitione, *c. Ab eo De appellat. lib. 6. c. ult. §. quandoque 2. q. 6.* Cùm enim ſententia à qua Iacobus appellavit ſit lata à quinque Iudicibus, & in præſentia omnium fuerit appellatum, & ab omnibus appellanti ſit ſtatutus terminus juris & interim &c. non inventus appellans in illo termino ad omnes reverſus, ſed ad unum tantùm, qui ſolus etiam de apoſtolis reſpondit: * cùm in appellatione à plurium Iudicum ſententia requiratur, quod ab omnibus vel conjunctim vel ſeparatim petantur apoſtoli, *Clem. 1. De appel.* & termino ad dandum illos per Iudices aſſignato oporteat appellantem ad eoſdem redire, & cum debita inſtantia apoſtolos repetere: alioqui non redeundo, uti oportet, cenſetur appellationi ſuæ renuntiare, *l. Eos §. apoſtolos C. De appell. c. 1. eod tit. lib. 6. Clem. 2. §. verum eod. tit.*

In con-

In concursu igitur tam multorum, quæ desertionem appellationis inducunt, existimamus officium Reverendi Domini Iudicis esse, ut reiecta petitione appellantis, petentis admitti ad probandum, in clara luce juris stantis pro appellato, pronuntiet appellationem desertam, confirmando etiam priores sententias.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

In appellationis causa quis acta exhibeat.

1. *sententia præsumitur iuste lata.*
2. *Acta exhibere debet appellans in causa appellationis.*
3. *Exemplis iudicandum non est.*

CONSILIVM CXC.

FRIVOLA est, & ex magna juris ac praxis imperitia deprompta altercatio, quam fecit procurator Hesterę de Groote appellantis, contra Matthæum de Muntere appellatum, super exhibitione actorum primæ instantiæ; ad quam faciendam appellans præfatum Mat-
1 thæum compelli petit. † Cum enim præsumatur pro Iudicis sententia præsertim definitiva, quòd justè & ritè lata sit, *l. Ab ea parte De probat. Alciat. de præsumpt. reg. 3. q. 10.* meritò onerari debet probatione injustitiæ aut nullitatis, qui de ea conqueri-
2 tur. † Quod cùm fieri non possit sine exhibitione actorum primæ instantiæ; consequens est, appellantem ad illorum exhibitionem teneri, præsertim quando ipse etiam in prima instantia Actoris partes sustinuit, uti eleganti distinctione decidit Guido Papæ, *decis. 20. incip. nunquid appellans*; ad quem brevitatis causa remissive in proposito sufficiat, simul & ad novissimam Concilij Tridentini reformationem; per quam hic articulus expressim est decisus, *Sess. 24. de refor. cap. 20.* Nam
1 ita decrevit, ut, quoties quis in casibus à jure permissis appellat, aut de aliquo gravamine conqueritur, teneatur omnia acta primæ instantiæ ad Iudicem appellationis expensis suis transferre: quamvis appellatus postea comparendo cogatur partem earundem expensarum subire, si ijsdem actis uti velit, nisi aliter ex consuetudine servetur, ut videlicet ad appellantem integrum onus pertineat. Cùm ergo ex tenore supplicationis ac rescripto Venerabilis D. Officialis Cameracensis exhibito apertè constet, præfatam Hesteram fuisse Actricem in prima instantia; consequens est, ut secundùm prædicta eadem Hestera teneatur ad exhibitionem actorum primæ instantiæ; & propter dilatam eorundem actorum exhibitionem, declarari debeat causam assertæ hujus appellationis esse desertam.

Neque in contrarium quicquam movere potest exemplum sententiæ per Dominum Præpositum Frigidimontis Bruxellensis latæ in causa appellationis Iaonnis du Guy, contra Ægidium le Ioesne; atque item in causa Engelberti Boonen contra D. Petrum Curtium; quatenus in utraque decrevisse dicitur, quòd acta primæ instantiæ per pro-
3 curatorem appellati debuerint exhiberi: * nam principiò exemplis judicandum non est, *l. Nemo C. De sentent.* neque præjudicium faciunt per alium & inter alios lata sententiæ, *l. Sæpè D. De re iudic.* Deinde non constat quæ fuerit ratio, cur in illis causis ita decretum fuerit: quid enim si pars appellata acta primæ instantiæ in manibus habuerit? Quid si appellatus in prima instantia non Reus, sed Actor fuerit? quibus casibus putant plerique, *Guid. Papæ loco sup. cit.* justam subesse causam, cur exhibitio actorum primæ instantiæ appellato imponi debeat. Sed leviora sunt hæc, quàm quæ doctissimo Iudici latius explicari debeant.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio & illius effectus.

1. *Appellatio coram Iudice interponenda.*
2. *Appellatio extrajudicialiter interposita quando valeat.*
3. *Appellatio deseritur per secundi fatalis lapsum.*
4. *Appellatione deserta revolat iurisdictio ad Iudicem à quo.*
5. *Iudex appellationis deserta appellatione sententiam à qua approbare potest.*
6. *Appellationis desertione quando excludatur nullitas.*

CONSILIVM CXCI.

QVAMVIS abundè sufficiant ad obtinendam victoriam in hac appellationis causa, quæ est coram Venerabili D. Officiali Cameracensi, inter Hesteram de Groote appellantem, & Matthæum de Muntere appellatum, quæ eleganter, me subscribente, deduxit Advocatus causæ in hac instantia, ut tamen D. Iudicem à partibus appellantis aversiorem, & ad partes appellati inclinatiorem habeamus, id prætermittendum non esse putamus (quod ad exclusionem appellantis sine discussione justitiæ seu articuli principalis omninò facit) quòd hæc appellationis causa vel non fuerit devoluta ad Sedem Apostolicam, & sic per Venerabilem D. Officialem hujusmodi appellatio declarari debeat nulla; vel si devoluta fuit, multis modis fuerit deserta: & ob id alterum ex duobus facere debeat Dominus Iudex, vel confirmare sententias priores, deprehensa justitiâ causæ ex parte appellati; vel si eam deprehenderit stare pro appellante (quod non putamus) declarare hujusmodi appellationem esse desertam; & nulla ratione pro appellante judicare, vel priores sententias retractare, idque ex rationibus infrà deducendis.

De defectu devolutionis hac ratione docetur, quòd ex actis secundæ instantiæ coram Dominis Iudicibus appellationum Vniversitatis Lovaniensis constet per eosdem Dominos Iudices latam esse sententiam; & quòd ex ijsdem actis, aut aliquo alio instrumento per Notarium illius instantiæ confecto, non constet à sententia eorundem Iudicum fuisse appellatum. Equidem documentum appellationis, quod appellans in eum finem exhibuit, nihil prodest; cùm appellatio non sit facta coram Iudicibus ipsis conjunctim vel divisim: † & indubitati juris sit, quod appellatio 1
tam à sententia definitiva, quàm interlocutoria sit facienda coram Iudice, qui sententiam vel interlocutoriam tulit, & in illius præsentia interponenda, *c. Vt debitus De appel. specul. in tit. de appel. §. qualiter vers. Item cautus.* Sic ut extrajudicialis appellatio

pellatio coram Notario non sit permissa nisi duobus casibus; quando scilicet justus metus impedit appellantem, ne Iudicem adire possit, aut Iudicis præsentia haberi non potest, *c. fin. & ibi Doct. De appel.* * Quo utroque casu necesse adhuc est coram Notario & testibus, coram quibus appellatio sic extra judicium interponitur, protestari & expressissime declarare, quòd vel Iudicem metuat, vel ejus presentiam haberi non possit: alioqui ea protestatione omissa, ipsa appellatio est omninò nulla ex defectu formæ, nec devolvit causam ad superiorem, *Panor. Imola & alij mod. c. fin. Cassad. decis. 8. de appel. Socinus cons. 45. Visa appellatione vol. 1. Carol. Ruinus cons. 85. Pana ad quam v. 5* præsertim si cùm extrajudicialiter interposita sit, Iudici etiam intimata non est, & ab eo petiti apostoli, *Cassad. loco sup. cit.* ut in proposito accidit. Cùm ergò non constet de legitima & uniti appellatione, non potest super ea jus dici, saltem non aliter quàm illam rejiciendo, & nullam declarando; & cum sententiæ Iudicum priorum instantiarum transierint in rem judicatam, abstinendo ab illarum retractatione, *l. 1. C. De re iudic. quia* sententia contra sententiam, quæ in rem judicatam transijt, est ipso jure nulla, *l. 1. C. Quando appel. non est necesse.*

3 Sepositò hoc devolutionis defectu adhuc ad desertionem relabitur causa. Nam quin multipliciter sit deserta, sive bona sive mala sit, dubitandum non est: ob id, quòd sententia Dominorum Iudicum secundæ instantiæ sit pronuntiata 27. Februarij anno 1561. ita ut sine jam lapsum sit plus quam quinquennium; & sic non tantum ex I. pro primi vel secundi fatalis, sed triplicato eodem secundo fatali, appellatio sine ullo remedio sit deserta, *c. Cum sit Romana De appellat.* Usque adeo enim verum est, ex lapsu secundi fatalis deseri appellationem, ut non sufficiat in causa conclusum esse, eo fatali durante; sed oporteat etiam pronuntiatum esse à Iudice, *Angel. cons. 130. Visis omnibus in fine.* Et dum forte in secundo fatali impedimenta incidunt, plus temporis post secundum fatale concedendum non est, quàm pro rata impedimentorum, petita ad hoc formaliter restitutione in integrũ adversus hujusmodi impedimenta: sic quod nec prosit appellanti, per Iudicem steterit, quo minùs interea sententiam tuleri, *l. vlt. §. illud C. De temp. appel. steph. Bertran. cons. 241. Viso processu num 8. vol. 2. parte 1.* † Quod usque adeo procedit, ut lapso secundo fatali ante pronuntiationem, liceat redire ad Iudicem, à quo appellatum est, pro executione sententiæ à qua appellatum fuit, *Angel. d. cons. 130. Bald. in Auth. Si quis litigantium C. De epist. aud. Nicol. Boerius decis 206. nu. 11.* efficitque ut Iudex appellationis deserta appellatione, quasi extincta ejus jurisdictione, nullas alias habeat partes, nullam quoque potestatem, quàm ut declaret appellationem desertam, remittendo illam ad Iudicem à quo: ad quem cùm appellatio apparenter per lapsum primi & secundi fatalis est deserta, vt hic evenit, ipso jure revolavit jurisdictio, *gloss. in l. Eos C. De appel. Clem. Si appellationem eod. tit.* † Hoc solo excepto, 5 quòd si viderit justitiam stare pro sententia, omissa declaratione desertionis, possit confirmare priorem sententiam, à qua appellatum est, *Rota decis. 98. Licet appellatio & ibi addita in nova, & decis. 5. Rota quod ubi appellatio in antiq.* quæ aliquin ab ipso jure erat satis confirmata propter desertionem, *Steph. Aufrer. decis. Tholos. 244. in fine.* † Quod 6 etiam obtinet, si cùm appellatione de nullitate mixtim dictum fuerit: tum enim cùm nullitas principaliter non proponatur, sed sit accessoria appellationi, deserta quoque judicari debet: quasi sublato principali accessorium tolli necesse sit, *Bald. in l. Tale pactum §. qui provocavit nu. 12. De pact. Ferrariensis in praxi, in forma appellationis ab interlocutoria in gloss. Verb. in tu scripsis. Zasius in l. Cum quaerebatur in fin. De re iud.* quia hujusmodi nullitas in ventre appellationis claudituri, & sic appellationis verbo simpliciter prolato, tam quam quid annexum & accessorium meritò dicitur, *Bald. in d. l. nu. 5. C. Quando provoc. non est nec.*

Cùm ergò hæc in jure dubitationem non habeant, & desertionis factum ex tursu integri quinquennij sit apparentissimum, nihil dubitamus, Dominum Iudicem illius in primis diligentem habiturum rationem, ut scilicet vel pronuntiet appellationem desertam; vel, quod justitia causæ potiùs videtur: priores sententias confirmet, appellante in expensis condemnato.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Appellatione deserta Iudex ad quem quid facere possit.*
2. *Appellationis desertio quando inducatur.*
3. *Patrata nova per Iudicem confirmari possunt.*
4. *Appellatio quomodo fiat deserta.*

CONSILIVM CXCII.

CERTA & indubita a est juris tam civilis, quam Canonici determinatio, quòd deserta appellatione Iudex appellationis aliud 1 facere non possit, quàm vel sententiam, à qua appellatum extitit, confirmare, vel appellationem desertam pronuntiare. *Gloss. in l. Eos §. in ipsum C. De appellat. Rota decis. 98. Licet appellatio, & est 4. de appel. in novis. & 453. Rota licet, alias est 41. De appellat. in antiq.* † Deserta quippe appel- 2 latione, sententia à qua provocatum est rata manet, *l. Quoniam & l. si contra matorem C. De appellat.* quia res eodem loco constituitur, ac si appellatum non fuisset. Deseritur autem appellatio, si intra annum, aut justo impedimento intervenient, intra biennium causa appellationis non finiatur per sententiam Iudicis, *Auth. Et qui appellat l. fin. §. illud. C. eod. tit.* sic quòd causam appellationis intra biennium conclusam esse non sufficiat, nec possit triennium aut longius tempus ad persequendam appellationem dari, *d. Auth. Et qui, c. Cum sit Romana De appellat Clement. sicut eod. tit.* Cùm itaque sententia, per quam Venerabilis Dominus Joannes Witten Canonicus Leodiensis ex delegatione Apostolica primæ instantiæ Iudex, D. Corbellum de Forge in hac instantia appellantem condemnavit in libellatis ac petitis pro parte Thomæ du Sart Actoris nunc appellati, lata sit 5. Decembris anno 1556. meritò ac necessariò potuit & debuit Decanus S. Petri Leodiensis secundæ instantiæ Iudex 13. Junij. 1565. pronuntiare ac declarare,

causam

causam hujusmodi appellationis esse desertam, & partem appellantem appellatio in expensis illius instantiæ condemnare, *Cassador. decis. 6. De appel.* nimirum quia ex die sententiæ tunc ferè novem anni effluxerunt, quod temporis intervallum tam longum inexpiabile & impurgabile est; etiamsi anno 1561. 19. Decembris in ea causa fuerit conclusum: quia & ipsa hujusmodi conclusio post lapsa omnia fatalia facta est. &, ut diximus, intra fatales dies conclusum esse in causa non sufficit; sed curæ appellantis incumbit, ut omnibus modis curet & efficiat, ut Iudex intra fatalia sententiam di-
3 cat, *Cassador. d. decis. 6.* * Cujus desertionis modus intenditur, & in proposito major est, ex eo, quòd Dominus Ioannes Witten deferendo appellationi præfixerit D. Corbello appellanti terminos consuetos, prout præfigere potuit. Etsi enim appellans ex jure communi habeat annum ad prosequendam & finiendam appellationem, & ex causa biennium, *d. Auth. Ei qui appellat, d. Clement. Sicut*: Iudex tamen à quo pro celeriore appellationis expeditione potest appellanti præfigere terminum citeriorem seu breviorem; non ut intra illum causam appellationis finiat, sed initium prosecutionis faciat, vel iter ad superiorem Iudicem arripiendo, vel ad illum pro delegatione causæ obtinenda mittendo, & de factis diligentijs docendo, *d. c. Cum sit Romana, c. Personas De appel. Guido Papæ decis.* 336. quod dum appellans non observat, inducitur perinde appellationis desertio, ut ex fatalibus temporibus à jure præscriptis.

4 Cùm ergò consuetorum terminorum specialis præfixio ex notorio stylo & observatione hoc contineat, ut primo bimestri fiat initium prosecutionis, & id hîc observatum non esse constet. Vel ex eo, quòd per instrumentum factarum diligentiarum circa prosecutionem appellationis in hac causa exhibitum comperiatur appellantem initium hujusmodi prosecutionis demùm fecisse 7. Februarij anno 1557. & sic lapso primo bimestri à die prolatæ sententiæ & interpositæ appellationis, quæ fuit 5. Decembris antecedentis; consequens est etiam ex illo tempore, multo magis ex subsecuto decursu novennij hujusmodi appellationem omninò fuisse desertam. Nihil in contrarium faciente, quòd ante finem anni rescriptum Dominus Corbellus super hujusmodi appellatione obtinuerit, & ante exitum anni præsentaverit: nam etiamsi id possit prodesse appellanti adversus id, quod altero & sequente bimestri durante fieri debebat, docere scilicet de factis diligentijs intra prius bimestre, ut id omissum non inducat omnimodam desertionem appellationis, *Bald. in l. Præses nu. 2. vers. Pone C. De appel. Lud. Rom. singul.* 163. *Hoc nescient Legistæ, Panor. in d. c. personas*, si modò postea per impetrationem rescripti doceatur, quod in primo bimestri diligentia prosecutionis facta sit; non prodest tamen adversus negligentiam commissam in primo bimestri. Ita quod certum sit vitium desertionis contractum in primo bimestri non expurgari per diligentias postea factas, aut rescriptum impetratum durante primo anno, *Lud. Rom. d. sing.* 163. *Rota decis.* 94. *alias* 13. *si iudex, &* 155. *alias* 25. *si certus terminus De appel. in novis.*

Evidens igitur est, appellationem illam duplici desertionis specie seu modo fuisse desertam: & ob id per Dominum Decanum S. Petri Leodiensis aliter super illa appellatione judicari non potuisse, neque nunc posse per Reverendum D. Abbatem hujus tertiæ instantiæ Iudicem; sed quod Domini Decani S. Petri Leodiensis sententia omninò sit confirmanda, & appellans in expensis hujus quoque instantiæ condemnandus: præsertim concurrente evidente justitiâ causæ principalis (de qua tamen nunc cognosci non potest) ex eo, quòd exceptiones, quibus appellans solutionem impensarum ex causa evictionis bonorum, quam fecit Thomas, effugere conatur, prorsus sint frivolæ. Nam exceptio incompetentis Iudicis discussa & annihilata est per delegationem Apostolicam, quam per speciem avocationis Thomas obtinuit. Cum alioqui ex registris & chartabellis Capituli S. Bartholomæi exhibitis satis constet Dominum Corbellum eo tempore in Ecclesia S. Bartholomæi residisse, ac residentium Canonicorum jura percepisse; & Leodij id quoque observari constet, ut qui in duabus Ecclesijs ejusdem loci Canonicus est, conveniri possit in altera; utra scilicet velit Actor. Exceptio quoque aversionis, per quam appellans conatus est onus & periculum impensarum rejicere in retrahentem seu purgantem evictorum bonorum apprehensionem, eliditur per aperta testimonia partis appellatæ, aperte asserentia, quòd in arbitrio & optione victoris evincentis sit, à quo repetat expensas evictionis; an ab eo, qui evictionem patitur, an ab eo, qui evictionem jure consanguinitatis aut alterius actionis retrahit seu purgat.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Causæ provisionales summariè agi debent.*
2. *Sententia & pronuntiari & executioni mandari potest contra fideiussorem iudicij.*
3. *Appellantis desertio præripit Iudici potestatem iudicandi.*
4. *Terminus hominis ligat perinde ut terminus legis.*
5. *Appellatio deseritur per biennij lapsum.*
6. *Ecclesiarum reparatio unde fieri debeat.*
7. *Ornamenta sacerdotalia quæ dicantur.*

CONSILIVM CXCIII.

QVIA Advocatus Reverendi Domini Abbatis de Tongerloe appellantis, adversus Curatum & Magistros Ecclesiæ ac Communitatis de Sittardt appellatos confidentius insistit petitioni ac conclusioni declarationis nullitatis sententiæ per D. Officialem Namurcensem latæ, illamque priori conclusioni super asserta iniquitate ejusdem sententiæ præferre videtur; prius de nullitate, quàm iniquitate agemus. Et sanè quod ad nullitatem attinet, non profertur nec designatur per appellantem aliquid, unde dictæ sententiæ aliqua nullitas constitui possit, sed consistit in nuda indeterminataque nullitatis allegatione; ita ut in suspicionem veniamus aliquid affectatè captari, vel ex modo & forma procedendi, quoad ipsum processum; vel quoad ipsius sententiæ pronuntiationem. Ve-

rùm præſſiore etiam inveſtigatione factâ, nihil invenire potuimus, quod ad perfectum vitium nul-
1 litatis faciat. † Et cur minùs aliquid ſubeſſe ſuſpicemur, efficit hujus cauſæ qualitas & conditio; quòd ſcilicet ſit cauſa ſummaria, ſummarium minimeque formalem aut ordinarium proceſſum requirens, ob id, quòd agatur de ſartis tectis, & reparatione Eccleſiæ, in qua cauſa abruptâ ordinariæ litis telâ, ſummariè proceditur, & plerumque ab executione fit initium per modum proviſionis, *l. Ait prætor §. fin. De iure delib. Rebuff. in tract. de ſent. proviſ. in præſat. nu.* 127. *ad Reg. Conſtit. lib.* 1. Prout etiam Papa in reſcripti, quo appellans in hac cauſa utitur, conceſſione ſub conditione de non retardanda dicta reparatione, appellationis cognitionem Reverendo D. Abbati commiſit. Sic quòd cùm in ſummarijs cauſis neque litis conteſtario neque aliæ judiciorum ordinariorum formalitates requirantur, *Clem. Sapè & ibi Card. & alij De verb. ſignif.* nihil nobis occurrat, unde nullitas conſtitui poſſit ex ipſo proceſſu, in quo ex vulgari more ab arreſto decimarum (quæ dictis reparationibus obnoxiæ eſſe dicuntur) initium factum eſt legitimâ intimatione ipſi decimatori ſeu conductori decimarum factâ. Cui arreſto ſe obiecit & obtulit Ioannes Trullekens, & ad hanc cauſam procuratorem conſtituit: adverſus quem idcirco libellus exhibitus eſt, quique judicati in hac cauſa fidejuſſorem ſe conſtituit: cujus procurator litem conteſtatus eſt, reſpondendo ad libellum appellatorium, & contrariam concluſionem capiendo, ſuaſque defenſiones & de jure Monaſterij pleniſſimè proponendo; quod etiam de jure communi ſatis eſt ad litis conteſtationem inducendam, *c.* 1. *De litis conteſt.* Cùm alioqui in ſummarijs cauſis omnis actus, qui in ordinarijs poſt ſolemnem litis conteſtationem ſequitur, habeatur pro litis conteſtatione, *Bart. & Bald. in l. Nulla & in l. Nihil C. De procur. Felin. in*
2 *c. Olim De accuſat.* † Ita quod adverſus eundem Ioannem Trullekens rectâ viâ proferri potuerit dicta ſententia, tam propter prætectam oblationem, *l. Is qui ſe obtulit De rei vindicat.* quàm quòd adverſus hujuſmodi fideiuſſorem rectâ viâ ſententia proferri, imò & executioni mandari poſſit, *Bart. in l.* 1. *Iudic. ſolvi, Bald. in l. ult. §. ult. nu.* 3. *C. De uſur. rei iud.* Et cùm præſentibus utriuſque partis procuratoribus ſit lata hujuſmodi ſententia ex breviculo ſeu ſcripti recitatione ab Officiali Namurcenſi pro tribunali ſedente; non occurrit aliqua idonea cauſa, ex qua eadem ſententia de nullitate argui poſſit: præſertim quia licet actis prioris inſtantiæ non ſit inſertum mandatum ſeu procuratorium Domini & M. Petri Belien & Petri vander Spicht actorum, nunc appellatorum, virtute cujus ſubſtitutio de perſona M. Henrici Wils procuratoris Curiæ Namurcenſis facta eſt; in veritate tamen ſubſtitutionem prædictam anteceſſit, & per exhibitionem illius in hac inſtantia factam ſatis probatum eſt. Sic ut manifeſtum ſit, nullum hic eſſe nullitatis periculum, ſed magis ex parte appellantis periculum deſertionis, quæ cauſaret nullitatem ſententiæ, quæ nunc ferenda eſt, ſi aliter quàm confirmatoria prioris aut declaratoria deſertionis ferretur. * Ad alterutrum enim horum duorum tantùm hoc caſu Iudex eſt, cui ex delegatione Apoſtolica cauſa commiſſa eſt, non ad alia, & minimè ad retractandam ſententiam, à qua provocatum dicitur, *Rota deciſ.* 95. *Licet appellatio, aliàs eſt* 14. *De appellat. in novis.* Quinimò ſi appellationis deſertio contingit non in manibus ſuperioris aut delegati Iudicis, nihil aliud judicare poteſt, quàm ſe non eſſe Iudicem, *Clement. Si appellationem De appellat. Rota deciſ.* 5. *Nota quod ubi appellatio, alias eſt* 2. *De appellat in antiq. Ioan. Nevizanus conſil.* 41.

Quod autem hæc appellatio fuerit deſerta, 4
etiam antequam ad Reverendi Domini Abbatis tribunal deduceretur, ex eo demonſtratur, quòd per apoſtolos, quos Officialis Namurcenſis dicto appellanti dedit, eidem appellanti præfixi ſint quatuor menſes ad actus conſuetos; hoc eſt (ut de notoriſſimo ſtylo omnium Iudiciorum obſervatur) duo primi ad faciendum initium proſecutionis; & duo poſteriores ad faciendam fidem Iudici à quo de hujuſmodi proſecutionis initio, ſeu diligentijs factis durantibus illis primis menſibus: & quòd ex actorum inſpectione conſtet, pro parte appellantis initium proſecutionis ſeu primum actum diligentiarum factum eſſe 2. Aprilis 1565. cùm inſtaret finis quarti menſis à prolatione dictæ ſententiæ & reſponſionis apoſtolorum. Ita ut judubitatum ſit in primo bimeſtri nihil omninò circa proſecutionem appellationis eſſe actum; quod omnimodam appellationis deſertionem cauſare ſolet. Quamvis enim primo initio proſecutionis facto in primo termino ſeu bimeſtri, non inducatur omnimoda appellationis deſertio per hoc, quod in ſecundo termino Iudex à quo de hujuſmodi diligentijs certioratus non eſt, ſi poſtea certioretur, ad impediendum ulteriorem proceſſum & executionem; inducitur tamen illa indubitatè ipſo jure, ſic ut nulla ſequente diligentia excuſari poſſit, ſi in primo aſſignato termino, hoc eſt in propoſito in dictis duobus menſibus dicti quadrimeſtris nihil diligentiarum factum eſt, *Panor. in c. Perſonas & ibi Decius nu.* 10. *De appel. Rota deciſ.* 94. *Si Iudex, aliàs* 13. *De appellat. in novis & deciſ.* 538. *Nota ſi certus, aliàs* 48. *& deciſ.* 539. *Nunquid infra, aliàs.* 50. *De appellat. in antiq.* Ita enim ligat & conſtringit terminus ab homine præfixus, ut quem lex ipſa præfixit, *c. Cum ſit Romana d. c. Perſonas De appel.*

Ad quod diligens conſideratio habenda eſt, ob 5
id, quòd & in alijs tribunalibus ita obſervetur (prout etiam, quia ex juris diſpoſitione id eſt, obſervari debet) & non rarò contingat ſententias ſecundùm merita & juſtitiam cauſæ etiam benè judicatas ex eo ſolo retractari, quòd latæ ſint poſt deſertionem appellationis, etiamſi in manibus Reverèdi D. Abbatis appellatio deſerta ſit; uti hęc etiam ultra ſupratactam deſertionem in ipſo limine in majorem deſertionem incidit, per hoc, quòd intra biennium imò triennium non ſit finita, *Auth. Ei qui appellat C. De temp. appel. d. c. Cum ſit Romana.*

Superatis (uti putamus) inſidijs, quæ ex capite nullitatis dictæ ſententiæ ſtruuntur, & deductâ partis appellantis appellatione in certum periculum deſertionis, ex abundanti dicimus, nullam juſtam fuiſſe cauſam appellandi, neque dicto Ioannі Trul-

ni Trullekens (prout reipsa non appellavit) neque præfato D. Abbati de Tongerloe pro suo interesse; ob id, quod certò constet eum possidere tertiam partem decimarum loci de Sittardt; & ex consuetudine ac antiquo usu in eo loco possessores decimarum teneri ad reparationem Ecclesię & intertẽtionem ornamentorũ, aliorumque quæ in Ec-
6 clesia necessaria sunt. * Etsi enim ex juris communis dispositione dicta reparatio & intertẽtio nõ sint proprium & ordinarium onus ipsarum decimarum; cùm tamen & ubi consuetudine ita receptum est, ex decimis reparationes fieri, prævalet consuetudo, *Zabarel. Panor. Henr. Bolic Ant. de Butrio in c.* 1. *De Eccles. ædif. Barbatia cons.* 26. *Difficile est vol.* 3. *Steph. Bertrand. cons.* 49. *Visis quibusdam vol.* 2. *par.* 2. *Alciat cons.* 49. *Non videtur, Aufrer. decis. Tholos.* 499. ut generaliter in omnibus primùm id spectatur & servatur, quod consuetudine receptum atque obtentum est, *l. De quibus & l. Si de interpretatione De legib.*

Cùm igitur in proposito non quæratur, an tertia hæc pars decimarũ reparationi & intertentioni sit obnoxia, sed quatenus; nihil dubitandum est, actorum intentionem esse fundatam, & restrictionem seu limitationem, cui soli appellans innititur, improbabilẽ. Primò ex eo, quòd qui alias duas partes earundem decimarum possident, hac restrictione non utantur, sed simpliciter agnoscant solita onera hujusmodi reparationum & intertentionis: nec sit causa, cur qui in pari jure sunt quoad commoda, in incommodis atque oneribus sint dispares, *l. Secundùm naturam De reg. iur.* Secundò, quòd ante aliquot annos per Archidiaconum Brabantiæ adversus D. Abbatis Tongerloensis decimatores ita judicatum fuerit, & ex eo judicato dictæ Ecclesiæ accessio actionis in effectu facta, *l. ult. C. De usur. res iudicat.* Cui sententiæ, quamvis appellans multa objiciat, quasi non citato aut audito eo, sed auditis his, de quorum mandato non constat, sit lata, nec exemplis judicandum sit, *l. Nemo C. De senten.* præbet tamen hujusmodi sententia magnum momentum, & ad sequendum proclivitatem injicit; præsertim quia per illam appellati constituti sint in indubitata possessione exigendi sarta tecta ex dictis decimis, & possessores decimarum pro rata illa præstandi. Deinde delimitatione seu restrictione, quam pars appellans objicit, non aliter docetur, quàm per antiquum instrumentum acquisitionis, quâ prædecessores appellantis ad hanc tertiam partem decimarum parochiæ de Sittardt pervenerunt. In quo instrumento venditores ejusdem tertiæ partis onera declarando, expresserunt solum onus conservandi, & cùm necesse fuerit reparandi duos parietes principales, & medium tectum dictæ Ecclesiæ, cum majore campana ac ornamentis sacerdotalibus: sed hujusmodi expressio dictæ Ecclesiæ, quæ in illam non consensit, præjudicare non potuit; ut generaliter ex voce & declaratione alterius alteri præjudicium fieri non debet, §.
7 *fin. in Auth. Vt cùm De appel cognosc.*

Deinde insequentis temporis usus ex recepta consuetudine & recordijs, quorum in actis fit mentio, satis ostendit, quo sensu illa verba sint accipienda, & quòd pertineat ad ea omnia, ad quæ appellati contendunt: ut scilicet ornamentorum sacerdotalium appellatione contineantur ea omnia, quibus ad sacra in dicta Ecclesia faciendum opus est. Sacerdotis enim nomen cùm sit dignitatis & honoris, *Panor. in c. si sacerdos De off. ordin.* & versetur in editione atque exhibitione sacrorum, *l. Non distinguemus §. sacerdotio De recept. arbit.* meritò sacerdotalia ornamenta reputanda sunt, sine quibus sacra sacerdos facere ex communi usu non potest. Ideoque horum ornamentorum appellatione continentur non tantùm vestes, quibus sacerdos & ei assistentes in sacrificijs ornantur; verùm etiam calices, aliaque vasa, candelabra, cortinæ, mappæ, libri, repositoria, & alia divinis officijs deputata, *Clem. 2. post prim. De decimis, c. Minus iniqua sub fin. De excess. Prælat.* Sic quòd etiam proprio suo velut testimonio seu instrumento pars appellans convincatur, & contradictionis suæ ac hujus appellationis improbabilitatem omninò detegat, & in proposito ampliùs quærendum non sit, an defectus in sartis tectis ac dictis ornamentis tempore institutæ hujus litis fuerit: nam in eo articulo nulla potest esse dubitatio, propter visitationem, ac defectuum descriptionem per Iudicem primæ instantiæ factam. Breviter itaque concludendo existimo, sententiam Domini Officialis Namurcensis confirmandam, & partem apellantem in expensis hujus instantiæ condemnandam.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatio à desertione excusata.

1. *Appellanti ex stilo semper datur secundus annus.*
2. *Appellatio lapsu biennij omninò sit deserta.*
3. *Appellationis desertio per negligentiam Iudicis quando excusetur.*
4. *Fatalia ex consensu partium suspendi possunt.*

CONSILIVM CXCIIII.

AFFECTATA nimis est injustitia sententiæ, quam Dominus Decanus S. Martini Leodiensis adversus Magnificum Dominum Carolum Nitzen Præsidem Provincialis Concilij Frisiæ in favoren Ioannis de Elsrack ex capite desertæ appellationis pronuntiavit; eoque commento æquitatem sententiæ, quam Reverendus Dominus Abbas S. Gertrudis Lovanienſis secundùm præfatum D. Carolum, eiusque consortes in secunda justantia pronuntiavit, supprimere conatus est; deficiente occasione retractandæ illius sententiæ ex litis materia ac causæ meritis; quod solet plerumque depravatorum judicium esse, ut cùm adjuvandi amici, aut gratiæ exercendæ in negotio & articulo principali occasionem non habent, ad processum causæ sese convertant, & omnium terminorum angulos percurrendo pertentandoque quærant nullitatem aliquam vel processus vel sententiæ aut appellationis desertionem. Sed in hac affectatione plurimùm oberravit dictus Dominus Decanus. Etenim constat primam sententiam per Commissarium D. Officialis Leodiensis primæ instantię Iudicem latam esse 7. Februarij 1562. appellationemque interpositam, & apostolos eadem

die petitos, & dimissorios obtentos. Constat item super hujusmodi appellatione 12. Iunij proximè sequentis rescriptum delegatorium obtentum, illudque dicto Domino Abbati præsentatum, & ex eo literas citatorias obtentas, illasque facta legitima in dictum Ioannem appellatum executione, 3. Octobris deinde sequentis in judicio reproductas atque ad terminorum substantialium ordinariam observationem continuâ serie processum fuisse; sic quòd ultimus terminus substantialis
1 servatus sit 21. Augusti anno 1563. * Et quamvis primo anno causa non fuerit finita, tamen inde non potest constitui appellationis desertio: cùm ex stylo Romanæ Curiæ (uti attestatur Guilielmus Cassador. *decis. 6. nu. 8. De appel.*) factis aliquibus diligentijs, & præsertim impetratione atque exhibitione rescripti in primo fatali anno, semper detur appellanti secundus annus, etiamsi majore diligentia factâ, potuisset appellationem in primo fatali finire, *eleganter Ioannes Bapt. Ferrettus cons. 56. Vertitur difficultas nu. 8.* potissimùm cum aliquod etiam levissimum impedimentum, vel ex parte Iudicis, vel adversarij in toto illo primo fatali occurrit. Vsque adeò ut Præpositus Alexandrinus *in c. Ei qui 2. q. 6.* tradiderit, ex practica sacri Palatij hoc servari, quòd propter unius diei impedimentum in primo fatali biennium dari debeat, *Ferret. d. consil. 56. nu. 9.*

Iam verò ex actis instantiæ appellationis coram dicto D. Abbate constat, multas remoras & impedimenta incidisse; & inter alia quòd appellati procurator 26. Novembris anno 1562. terminum jurandi de calumnia semel statutum, & cui ex parte appellantis satisfactum erat, reiterari voluerit; prout procurator appellantis in sequenti termino longioris moræ & altercationis evitandæ causa reiteravit. Rursus cùm procurator appellati in termino 23. Ianuarij 1563. durante adhuc primo fatali ad exhibita per appellantem jura respondere debuisset, passus est se moneri; sic in alteram audientiam id extrahendo. Deinde si supputentur dies, quibus Dominus Abbas durante illo primo fatali, foras profectus vel alijs negotijs impeditus, pro tribunali non sedit, nulla erit dubitatio quin non unius diei, sed multorum dierum impedimenta in illo primo fatali incidisse comperiencur: ut meritò secundum fatale dicto appellanti indulgendum fuerit. Prout etiam appellatus id animad vertens cum ipso appellante sine ulla protestatione vel objectione desertionis in causa pro-
2 cessit. * Sic ut hoc tantum restet excusandum, cur sententia non sit lata per Dominum Abbatem durante saltem secundo anno: est enim lata 22. Martij 1564. cùm biennium finitû fuisset 7. Febr. tunc præcedentis; & in jure hujusmodi biennij tempus usque adeò sit præcisum, ut eo lapso sententia ipso jure transeat in rem judicatam, *Auth. Si qui appellat C. De temp. appel.* nec propter incurrentia impedimenta detur triennium, *l. fin. §. illud C.*
3 *d. tit.* * Excusationem illius constituimus non in eo præcipuè, quòd multa impedimenta inciderint ex parte adversarij in secundo anno, sed magis in eo, quòd injecta fuerint impedimenta per ipsum Iudicem, qui præparata & ordinata omninò causa ad definiendum seu judicandum in Octobri anno 1563. sententiæ pronuntiationem usque ad sequentis Martij 22. diem extraxit. Etsi enim non excusetur desertio, si per Iudicem ejusque tarditatem steterit quo minùs intra hujusmodi fatalem diem causa appellationis finiatur, *d. l. fin. §. illud in fine*; non obtinet tamen id, si copia superioris ipsius Iudicis, coram quo pendet appellatio, ad manum non sit, apud quem de tarditate Iudicis inferioris querela exponi possit. Eo enim casu sufficit appellanti, si diligentiam instantiæ faciat, & Iudicem sæpiùs de ferenda sententia interpellet, & potissimùm si de eo protestetur, *Rota decis. 65. Si appellatus in addit. nu. 2. alias est 7. De appellat. in novis*; uti hic frequentiùs interpellatum, petitum & protestatum extitit, tam ex parte appellati quàm appellantis.

† Deinde, cessante hac consideratione, constat 4
quòd præfatus D. Abbas causam suspenderit; & suspensioni hujusmodi appellatus non tantùm non contradixerit, sed acquieverit: quæ suspensio, ut & compromissum seu pactum & conventio partium, obstat proculdubio decursui fatalium, etiàsi decies millies (ut hyperbolicè lex loquitur, *in Auth. Si tamen C. De temp. appel.*) biennium post suspensionem labatur, *Clem. Quandiu De appel.* Ita quod omnibus perpensis, nulla sit justa causa declarandi prætactam appellationem, quam à Domini Officialis Leodiensis Commissarij primæ Instantiæ judicis sententia appellans interposuit, esse vel fuisse desertam ex tam brevi temporis spatio, quo post lapsum biennij Dominus Abbas S. Gertrudis suam retractatoriam sententiam pronuntiavit: prout etiam in tertia instantia coram præfato Decano de desertione formaliter propositum non est.

Proinde existimamus Venerabilis D. Decani S. Petri Lovanienſis hujus quartæ instantiæ Iudicis officium esse, ut retractet sententiam prædictam desertionis declaratoriam, confirmando sententiam D. Abbatis S. Gertrudis, quam justam esse putamus ex his, quæ pro retractatione primæ sententiæ dicti D. Commissarij in secunda instantia instructivè scripsimus ac deduximus.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Appellatione deserta quando superior Iudex confirmare non retractare possit.*
2. *Appellatio quando deseratur.*
3. *Appellatio deseritur per tempus ab homine præfixum.*
4. 7. *Appellans si aliquid faciat primo anno habet biennium.*
5. *Procurator appellatione interposita officio suo functus est.*
6. *Sententia falsam causam habens est nulla.*
8. *Appellationis desertio quando contrahatur ex facto iudicis.*
9. *Fatalia lapsa suspendi non possunt.*

CONSILIVM CXCV.

IN hanc appellationis causa, quæ nunc in quarta instantia pendet coram Venerabili viro Domino Decano S. Petri Lovanienſis, inter

inter Hugonem Bombay appellantem, & M. Franciſcum Blavier appellatum, ſubſecuta appellationis hujuſmodi deſertio ſublevat Venerab. Dominum Decanum à labore legendi acta trium præcedentium inſtantiarum; cùm deſertio appellationis in cognitione præjudicium faciat, Iudicemque eò deducat, ut non poſſit aliud facere, quàm declarare appellationem deſertam: ideo quod ad ſuperiorem dici nequeat devoluta, ſi antequam appellatio coram eo introduceretur, fuit deſerta. 1 Hoc enim diſcrimen eſt inter appellationem, quæ deſeritur in manibus Iudicis ad quem, poſtquam ſcilicet cauſa coram eo eſt introducta, & illam, quæ deſerta eſt priuſquam coram Iudice ſuperiore introduceretur; quod priore caſu Iudex ad quem poſſit vel declarare appellationem deſertam, vel ſententiam, à qua appellatum dicitur, confirmare, ſed nullâ ratione retractare, *Rota deciſ. 98. alias 14. Licet appellatio De appellat. in novis & deciſ 453. Nota licet appellatio, alias eſt 41. De appellat. in antiq.* poſteriore verò caſu nec retractare nec confirmare poſſit, ſed ſolam deſertionem declarare, vel in initio cauſæ, decernendo ſe cauſæ non eſſe Iudicem, vel peractâ causâ loco definitivæ id ipſum pronuntiare, *c. Exparte 2. De reſcript. Rota deciſ. 5. Nota quod ubi appellatio, alias eſt 2. De appel. in antiq.*

2 Quod autem hæc appellatio, quam Hugo à ſententia Reverendi Domini Hieronymi vander Noot Archidiaconi Hannoniæ eodem die, quo eadem ſententia lata fuit, interpoſuit, videlicet 13. Iulij 1566. fuerit deſerta, antequam ad D. Papam, ad quem appellatum eſt, deferretur, multò magis priuſquam coram dicto D. Decano S. Petri Iudice delegato introduceretur, ex eo conſtat, quòd reſcriptum delegatorium dicto D. Decano per Hugonem præſentatum, ſit impetratum 21. Martij 1567. octavo ſcilicet menſe à die appellationis. Cùm igitur per dictum D. Archidiaconum præfato Hugoni appellanti præfixi fuerint per reſponſionem apoſtolorum termini conſueti, qui ex notorio ſtylo omnium Curiarum ſpiritualium ſunt quatuor menſes; quorum duo priores conceduntur ad faciendum initium proſecutionis hujuſmodi appellationis; poſteriores ad docendum ſeu Iudici à quo faciendum fidem de diligentia, ſeu initio proſecutionis in primis duobus facto, *Rota deciſ. 94. alias eſt 13. Si Iudex, & 155. alias 25. De appellat. in novis, & 538. Nota ſi certus terminus eod. tit. in antiq.* conſequens eſt, quoniam ex data dicti reſcripti de longiore dilatione & appellantis negligentia longè excedente duos primos, imò etiam duos poſteriores duplicatos menſes evidenter & ad oculum conſtat, quòd deſerta ſit, ac judicari debeat dicta appellatio, & cauſa ad Iudicem à quo pro executione remitti: cùm deſertâ appellatione aliud non reſtet, *l. ult. §. illud C. De temp. appel.*

3 Deſeritur autem appellatio non tantùm per lapſum termini à jure præfixi, qui eſt unius anni à lata ſententia, *Auth. Et qui appellat C. eod. tit.* verùm etiam per lapſum termini ab homine, hoc eſt Iudice præſtituti, etiamſi is termino juris brevior ſit, *c. Cum ſit Romana c. Perſonas De appel.* Porrò licet ex eo ſolo, quòd appellans intra quartum menſem non doceat apud Iudicem à quo de facto initio ſuæ proſecutionis intra priores duos menſes, non cenſeatur deſerta appellatio, quin ſi ante executionem per Iudicem factam, poſſit etiam poſt quartum menſem ſuam appellationem, durante fatali juris communis, proſequi, *Panor. in d. cap. Perſonas & ibi Decius nu. 10. Bart. & Alex. in l. Præſes C. De appel. Rota d. deciſ. 94. & 155. & 507. alias eſt 47. De appel. in antiq.* ſi ſcilicet in primo bimeſtri initium proſecutionis fecerit: eo tamen omiſſo, hoc eſt ſi in primo bimeſtri appellans nihil egit, ſi ipſe ad iter Romam ſe non accinxit, ſi ſollicitatori Romanæ Curiæ ſupplicem libellum Romam mittendum non tradiderit, aut informationem pro impetrando reſcripto non dederit; nullum eſt dubium, quin appellatio omnino ſit deſerta. Indubitatum igitur eſt, ex lapſu primi termini ſeu primi bimeſtris, ex illis, quos Iudex à quo præfixit, ſi appellans in eo nihil facit, induci omnimodam illamque ineluibilem appellationis deſertionem, *Decius in d. cap. Perſonas nu. 7. 8. & 9. Rota d. deciſ. 94.*

Cùm igitur appellans toto iſto bimeſtri nihil egerit (quod probatur ex eo, quia id non apparet, ob id quod appellans neque intra quartum menſem, neque in anno, imo nec huc uſque id docuit aut probavit, *Bald. & Caſtren. in l. Sibinæ De minuſto rupto &c.*) & nihil egiſſe cum ex data ipſius reſcripti conſtet; dubitatio nulla eſt, quin hujuſmodi appellatio cenſeri ac declarari debeat deſerta: potiſſimùm quòd nec intra primum annum fatalem, qui ex juris communis diſpoſitione indulgetur, appellationis cauſa ſit finita; imò nec eò uſque progreſſum, quòd ſententia à qua fuerit exhibita. Eſt enim primùm exhibita 16. Octobris an. 1567. cum 13. Iulij proximè antecedentis annus fatalis exierat; nulla allegata cauſa impedimenti, ob quod ſecundum fatale concedi debuerat.

Et quia fundamentum obtinendi in hac cauſa primum collocavimus in deſertione, id quoque demonſtrandum nunc putamus, in pari deſectu deſertionis M. Franciſcum non verſari, quoad appellationem quam interpoſuit à ſententia D. Abbatis S. Gertrudis ſecundæ inſtantiæ Iudicis. In eo enim ſi verſaretur ea appellatio, tertiæ inſtantiæ nullitas, vel ſaltem par cauſa utique conſtituenda eſſet, ut neutri nocere poſſit deſertio: quo enim jure quis utitur, adverſarium ſuum eodem jure utentem prohibere non poteſt, *D. Quod quiſque juris &c.* Poſſet ſanè principio videri aliquid periculi Magiſtro Franciſco hic eſſe; ob id, quòd Abbas S. Gertrudis ſecundæ inſtantiæ Iudex poſt definitivam ſuam ſententiam, poſt M. Franciſci appellationem 14. Octobris 1564. interpoſitam, decreverit ad executionem ſuæ ſententiæ procedendum eſſe, eâ additâ & expreſſâ causâ, quòd cùm M. Franciſcus infra tempus ſibi per ipſum D. Abbatem præfixum non docuerit de diligentijs factis circa proſecutionem ſuæ appellationis, appellatio ejus eſſet deſerta. Cæterùm nihil eſt, unde dicta appellatio deſerta dici poſſit: nam ſive ad initium, ſive ad exitum proſecutionis reſpiciatur, nihil eſt, in quo negligentia M. Franciſci accuſari aut diligentia major requiri poſſet. Nam quod ad initium attinet, certum eſt, quòd latâ per dictum Abbatem ſententiâ primæ ſententiæ

retractatoriâ, M. Franciſci procurator incontinenti vivâ voce appellaverit, eique eodem veſtigio de apoſtolis reverentialibus cum præfixione quatuor menſium ad actus conſuetos reſponſum ſit. Conſtat quoque quòd M. Franciſcus 15. menſis Iulij eodem anno, & ſic in principio ſecundi menſis, initium proſecutionis fecerit; tradito ſuo ſupplice libello pro obtinendo reſcripto ſollicitatori Romanæ Curiæ; facta deinde per ſingulos menſes diligenti inſtantiâ apud eundem ſollicitatorem uſque ad 25. Octobris, qua die acceptum ex urbe reſcriptum ſollicitator M. Franciſco tradidit; quod ſic traditum M. Franciſcus altero die delegato Iudici exhibuit. Ex cujus reſcripti tenore conſtat idem reſcriptum impetratum fuiſſe 24. Auguſti, & ſic paulò poſt ſecundum primum terminum dictorum quatuor præfixorum menſium: cùm alioqui ex ſtylo Romanæ Curiæ factis hujuſmodi diligentijs initio ad ſatisfaciendum termino ab homine præfixo, ſuffeciſſet quandocumque intra annum hujuſmodi reſcriptum impetraſſe, *Caſſad. deciſ. 6. n. 8. De appel. Ioan. Bapt. Ferret. conſ. 56. Vertitur difficultas nu. 8. & 9.* Quæ proculdubio ſufficiunt ad deductionem bonæ ac diligentis proſecutionis in initio, & ad ſatisfactionem termini ab homine præfixi. Nec M. Franciſco damnum aliquod adfert, quòd alteri parti dictæ reſponſionis apoſtolorum non ſatisfecerit, hoc eſt intra duos poſteriores menſes de facta diligentia in primis duobus
4 menſibus non docuerit: * nam quamvis hujuſmodi omiſſio & negligentia poſterior aliquem effectum habeat, videlicet quòd Iudex à quo lapſis quatuor menſibus poſſit ad executionem ſuæ ſententiæ procedere; prout idem Dominus Abbas per ſupratactum decretum 14. Octobris, & ſic quatriduo poſt lapſum quadrimeſtre procedendum eſſe decrevit; non tamen ex eo cenſetur ipſa appellatio verè deſerta, quin ſi durante fatali juris, hoc eſt primo anno, appellans reſcriptum impetret, & delegato præſentet, poſſit appellationem ſuam proſequi, atque executionem præcedentis ſententiæ, ſi illa per Iudicem à quo facta aut abſoluta non eſt, vel impedire vel remorari; & ſi facta ſit etiam retractare, caſu quo appellationis Iudex ſententiam à qua retractet. Hoc enim diſcriminis eſſe inter negligentiam factam circa initium proſecutionis in primis duobus menſibus, ut inde abſoluta deſertio appellationis inducatur; & inter illam, quæ priore diligentiâ factâ committitur in poſterioribus menſibus, non faciendo ſcilicet fidem Iudici à quo de facto proſecutionis initio, ut inde non inducatur deſertio, niſi toto primo juris communis fatali, hoc eſt anno lapſo, tradunt paſſim omnes, *Panor. in d. c. Perſonas*, Decius, *Lud Rom. Alex. & alij locis ſup. citatis*; & ſic etiam in ſacro Rotæ Romanæ auditorio in judicando obſervatur, *Rota d. deciſ. 54. & 155. in novis. & 452. alias eſt 40. & 538. Nota certus alias 48. & 539. Numquid infra, alias eſt 50. De appell. in antiq.* Ita ut illa quoque interlocutoria Abbatis de procedendo ad executionem nihil hic faciat; quoniam executionem illam M. Franciſcus prævenit per tempeſtivam exhibitionem ſui reſcripti, & introductionem cauſæ coram Iudice tertiæ inſtantiæ; ob quam & Abbas ab exequendo, & adverſarius ab urgenda executione deſtiterunt: * quamvis interim hujuſmodi 5
decretum videatur eſſe nullum; tum quòd Magiſtro Franciſco non citato latû fuerit, & procuratoris ejus præſentia ei non nocuerit, quia is appellando à ſententia Abbatis officio ſuo functus erat, ita ut ſine novo mandato M. Franciſci coram eodem Domino Abbate poſtea comparere non debuerit, *l. Dominus l. Si actor C. De appel. l. fin. D. Ampliatum cauſ. appel. &c. Boërius deciſ. 185. nu. 9.* * 6
tum quòd contineat falſam cauſam, quòd ſcilicet appellatio M. Franciſci per lapſum termini hominis fuerit deſerta; id quod ex ſuperioribus conſtat verum non eſſe: eſt autem certum, ſive ſit ſententia definitiva ſive interlocutoria, nullam eſſe, ſi contineat falſam cauſam in ea expreſſam, *Gloſſ. & DD. inl. Si is ad quem De acquir. hæred.*

Reſtat ut quoad exitum quoque appellationem M. Franciſci à deſertionis vitio præſervemus. Et ſanè quamvis ſententia retractatoria præfati D. Archidiaconi lata ſit 13. Iulij anno 1566. & ſic uno menſe & tribus diebus poſt lapſum biennium à ſententia Domini Abbatis lata 10. Iulij 1564. non poteſt tamen ob id dici deſerta, cùm acta tertiæ inſtantiæ evolvendo deprehendatur M. Franciſcus diligentiæ aſſiduitatem numquam intermiſiſſe, ſed continuâ ſerie ſemper proceſſiſſe; illiſque remoras multas ex parte dicti Hugonis tam in primo anno fatali, quàm ſecundo injectas fuiſſe. Quibus tamen non obſtantibus idem M. Franciſcus appellationem ſuam ad concluſionem incluſivè perduxit 14. Ianuarij 1566. & ſic toto quadrimeſtri ante lapſum ſecundum fatale Franciſco per D. Iudicem indultum fuit, prout omninò etiam indulgeri debuit:
† nam ex ſtylo Romanæ Curiæ (quem Iudicem 7
Apoſtolicum ſequi oportet) quotieſcumque appellans intra primum fatalem annum aliquid feciſſe reperitur, impetrando ſcilicet reſcriptum delegatorium, illudque Iudici præſentando, indulgeri ei omninò debet ſecundum fatale ſeu ſecundus annus, *Caſſad. d. deciſ. 6. Ioan. Bapt. Ferret. d. conſ. 56.* etiamſi uno tantum die toto primo anno impeditus fuiſſet, *Præpoſitus in c. Ei qui 2. q. 6.* Cùm alioquin hic non aliundè, ſeu ex parte ipſius Hugonis coram dicto D. Archidiacono multa impedimenta fuerint præſtita in primo anno; ut evidenter apparet ex ijs, quæ coram D. Archidiacono acta ſunt à 9. Ianuarij 1565. uſque ad Iunium tunc proximè ſequentem. Et quia cur minùs ab eo tempore, quod à prædicta 14. Ianuarij 1566. uſque ad 10. Iunij ſequentis lapſum eſt, ſententia lata ſit, culpa Hugonis factum eſt, qui acta ſuppreſſit & apud ſe retinuit, ac ſæpius exhibere juſſus per multos menſes id diſtulit, & quidem eo uſque, donec poſt multa decreta ob contumaciam in non exhibendis hujuſmodi actis commiſſam, ejus procurator per excommunicationem coactus fuit; nulla eſt ratio, cur hujuſmodi impedimentum per appellatum præſtitum M. Franciſco appellanti nocere debeat: potiſſimum quia eo etiam ceſſante conſtet ex actis, M. Franciſcum continuam inſtantiam feciſſe, ut jus diceretur; repetitis & additis ſemper ſolitis proteſtationibus, quod non per ipſum, ſed vel per Iudicem, vel per partem ſtaret, quo minùs per ſententiam cauſa terminaretur; quæ diligentia & proteſtatio

testatio appellationem adversus lapsum fatalium præservare solet, *Iason in l. Properandum §. fin. autem C. De iud. nu. 3.* † Et quamvis desertio appellationis contrahatur etiam tunc, cùm per solum Iudicem stat, quo minus intra fatales dies sententia feratur, *l. ult. §. illud in fine C. De temp. appel.* non obtinet tamen id, nisi cùm copia superioris facilè haberi potest, ad quem possit esse recursus ad proponendam querelam contra tarditatem Iudicis, *d. §. illud in fine*: Ita ut dum superior, qui adeatur, ad manum non est, sufficiat appellanti, si diligentiam instantiæ fecerit & sæpiùs Iudicem adierit, deque ferenda sententia frequenter interpellaverit, ac de tarditate protestatus sit, *Rota decis. 65. alias est 7. si appellatus in addit. nu. 2. De appellat. in novis*; prout M. Franciscum feciſſe coram D. Archidiacono jam demonstravimus. Cùm alioqui etiam ex actis constet, cursum fatalium per D. Archiadiaconum suspensum fuisse, utraque parte satis assentiente, saltem neutra contradicente: quo casu tamquam ex compromisso facto inter partes, aut ex eorum voluntate suspensis fatalibus, numquam metuenda est desertio, etiamsi decies millies fatales dies labantur, *Auth. Si tamen C. De temp. appel. clem. Quamdiu De appel.*

Atque ita extra desertionem esse putamus appellationem M. Francisci interpositam à sententia dicti D. Abbatis, eaque ex parte nullum periculum, vel nullitatis, vel injustitiæ imminere sententiæ D. Archidiaconi: sed è contra ex eadem consideratione ac retorsione paris juris non posse dilui aut purgari illam desertionem, in quam incidit appellatio, quam Hugo à sententia D. Archidiaconi interposuit; quæ sententia ob id haberi debet pro confirmata, ac si ab ea numquam appellatum fuisset. Qua sanè ex parte si quid periculi immineret appellationi M. Francisci à sententia D. Abbatis interpositæ, propter aliquam vel initio, vel in exitu factam desertionem (prout non) recursus esset ad præcedentem desertionem, quam commisit Hugo quoad appellationem primam interpositam à sententia D. Officialis Capituli Leodiensis. Lata enim hæc fuit 26. Septembris 1561, dimissoriis apostolis cum præfixione quatuor mensium consuetorum datis. Vnde cum Hugo inter primos duos menses initium prosecutionis suæ appellationis non fecerit (quod constat ex data rescripti dicto D. Abbati præsentati, quod est de 16. Februarij. 1562.) notoriè impegit in desertionem in initio prosecutionis: in quo etiamsi debitam feciſſet diligentiam, succederet adhuc altera seu secunda desertio, quam contraxisset ex negligentia ulterioris prosecutionis; in qua ita cessavit, ut per dictum Abbatem sententia demùm lata fuerit, 10. Iunij. 1564. & sic in decimo mense post lapsum secundum fatalem annum; absque eo quòd in actis coram dicto Abbate habitis inveniatur, quòd durante secundo fatali in causa fuerit conclusum, vel jus dici petitum: quod appellans primum facere cœpit 9. Februarij 1564. posteaquam secundum fatale quinque ferè mensibus lapsum fuit.

Nec excusat sequens fatalium suspensio per D. Abbatem 26. Aprilis 1564. facta; neque etiam sequens diligentia instantiæ & interpellationis, ut D. Abbas jus diceret: nam illa suspensio nullius momenti est, quia facta post absolutum cursum omnium fatalium, post quem Iudex superior nihil potest, cum jurisdictione careat, *l. Cum non eo C. Quando provoc. non est necesse*. Quæ enim ei per rescriptum concessa fuit, eam sequens desertio ipso jure abstulit, *l. Si contra C. De appel. d. §. illud*; sic ut major nullitas animo concipi non possit, quàm quæ exurgit ex causa deficientis jurisdictionis; cum judicatum aut per Iudicem factum diei nequeat, quod per eum factum est, qui jus dicendi non habuit, *l. 1. § fin. Ad S. C. Tertul. l. 2. in fin. De pœnis.*

Neque enim cursu fatalium finito, eorum suspensio aliqua fieri potuit: quia id demum suspenditur & prorogatur quod est, non quod non est, aut finitum est, *l. sed & si manente De precario l. 2. §. sed si Iudex De iud.* Sic quod omnibus collatis dictus Hugo deprehendatur & primam & secundam suam appellationem deseruisse; non item M. Franciscus suam; quia etiamsi hæc deserta dici posset, maneret nihilominus vis rei judicatæ ex prima sententia, propter desertam per Hugonem ab ea interpositam appellationem; sic ut Hugoni agenti ex secunda sententia objici posset exceptio rei judicatæ ex prima, quæ in rem transivit judicatam, *d §. illud.*

Quare finem faciendo dicimus officium Venerabilis D. Decani esse, ut vel desertam judicet postremam hanc Hugonis appellationem, vel saltem D. Archidiaconum benè judicasse declaret, ipsius sententiam confirmando, & Hugonem appellatum in expensis hujus instantiæ condemnando.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appelllationis desertio.

1. *Iniustam causam fovens quando delinquat.*
2. *Sententia quomodo præiudicet.*
3. *Sententia præsumitur iusta.*
4. *Appellationem deserens pro non appellante habetur.*
5. *Apostoles petüsse satis non est ad conservandam appellationem.*
6. *Appellans curare debet ut appellatio tempestive introducatur.*
7. *Appellationi quando lex deferat.*
8. *Appellatio deseritur etiamsi Iudex prosecutioni impedimentum faciat.*
9. *Fatalium cursum quando pestis impediat.*
10. *Mors partium non excusat à lapsu fatalium.*
11. *Instrumenta non sunt necessaria in alienatione rerum immobilium.*
12. *Confessio morientis quando probet.*
13. L. 2. C. De rescind. vendit. *beneficium intra triginta annos proponendum.*

CONSILIVM CXCVI.

NVLLA est ratio, cur vel in odium vel indignationem apud Dominum Drossartum de Stochem venire aut pertrahi debeant Matthias Korvers ipsiusque consortes, sub prætextu, quod injustam appellationem prosequantur contra Mariam Zavelantz pauperculam mulierem. * Nemini enim injuriam facit, & in nullo delicto est, qui jus suum prosequitur; cùm ex adverso injuriam pati dicatur, cui

alius impedimento est, quo minus vel re sua utatur vel jus suum prosequatur, *l. Iniuriarum §. si quis me prohibeat. l. Si quis proprium* De iniur. Negari quidem non potest, quin causæ iniquitas ad delictum trahi, & puniri etiam possit, dum evidens est, vel ex nimia temeritate, *l. Eos* 1. §. *ne temerè* C. *De appellat.* aut animo injuriandi vel concutiendi fit, *d. l. Iniuriarum §. si quis per iniuriarum*; sed quæ ita evidens non est, eóque studio non fit, ad nullam speciem delicti trahi debet; *l.* 1. *&* 2. D. *De concuss.* Nemo enim tenetur jus suum indiscussum indefensumque relinquere, *l. Illud post princ.* D. *De petit. hared.* præsertim defendendo & partes rei sustinendo; satisque est si hujusmodi talis qualis temeritas expensarum damno coërceatur, *Inst. De pœna temerè litig. l. Properandum §. sin autem* C. *De iudic.*

Iam verò in hac causa appellantium, sive externa sive interna excutiantur, nulla occurrit apparentia vel color aliquis iniquitatis: sed ex adverso ubique justitiæ & æquitatis non tantùm color, sed etiam solida & certa fundamenta; quæ singula excutiemus. Et primò de externis, quæ apparentiam saltem boni juris (quod appellantes non agendo sed defendẽdo prosequuntur) tam vehemẽtem habent, ut excludant omnem ulteriorem disquisitionem. Nam principiò ex actis apparet adversus authores prædecessoresque dictorum appellantium diversis in locis duo constituta fuisse judicia: alterum per præfatam Mariam Zavelant, seu Nicolaum Dymael ejus maritum coram Mansionarijs Curtis S. Servatij in Dilsen, ad vindicationem fundorum controversorum: alterum diu antea per Catharinam relictam viduam Ioannis Zavelantz avi dictæ Mariæ coram Magistratu oppidi Trajectensis, ad canonum ante mortem dicti Ioannis per sedecim annos cessorum solutionem, propter eorundem fundorum defructationem. In quo quidem priore judicio dicta Catherina (Ioanne Gruysen per arrestum Trajecti detento) per eadem fundamenta conata fuit ostendere Ioannem Gruysen & Dionysium Wevers (à quibus appellantes causam habent) injustè occupasse hos agros, quia numquam à Ioanne Zavelantz ejus marito aut illius liberis per legitimas legis operas fuissent abalienati: quibus tamen non obstantibus, ac auditis Schulteti & Scabinorum, qui alienationi, cessioni, & legis operis interfuerant testimonijs, asserentibus solemnitatem hujus alienationis, Magistratus Trajectensis absolvit Ioannem Gruysen ab impetitione Catharinæ, condemnata eadem Catharina in expensis.

2 Quæ quidem sententia sic inter alios lata, tametsi non posset præcisum præjudicium adferre præfatæ Mariæ *l.* 2. C. *Quib. res iud non noc.* præbet tamen appellantibus honestum prætextum existimandi justam se nunc fovere causam, quando utriusque causæ fundamenta & in petendo, & in defendendo planè sunt eadem; siquidem si inter easdem partes de utroque, hoc est de canonibus cessis & de defructuatione pignorum actum fuisset, vel ageretur, altera ad alteram proculdubio præjudicium & exceptionem rei judicatæ paritura esset, *l. Si testamento §. si fundum De excep. rei iud.* Cui sententiæ accedens sententia Mansionariorum inter Mariam & Ioannem Gruysen in judicio vindicationis magno intervallo postea lata, ob firmare etiam debuit appellantium animos, ut existimare potuerint justissimam esse suam hanc causam: † quia pro sen- 3
tia præsumitur etiam appellatione interposita, *Io. Imola in c. In præsentia per illum text. De renuntiat. Bald. in c. Cum super De sent. & re iud. Si instituta §. de officioso De inoff. testam.* multò magis appellatione non interposita vel desertâ, cum tunc pro veritate habeatur, *l. Res iudicata De reg. iur. l.* 1. C. *De re iud.* eique standum sit: & appellatione per eum, qui succubuit, interposita, etiamsi priorem sententiam retractari postea contingat, probabilis tamen est victoris oppositio, qui ob id in expensis ratò aut saltem difficulter condemnari solet, *glos. l. Generaliter* C. *De reb. cred. specul. in tit. De expensis § nunc videndum vers. quid de appel.* Quod indicium magnum est, temeritatem constitui non posse in victore, qui se appellationi opponit; cum temerè litigantium pœna minima sit expensarum damnum.

* Cum igitur sententia Mansionariorum, in 4
Dilsen lata 2. Maij anno. 1542. ad audientiam seu auditorium Capituli S. Servatij introducta sit primũ 9. Martij 1548. & sic ex intervallo sexennij; confidenter dici potest, secundùm terminos juris perinde esse, atque si nulla appellatio interposita fuisset, etiamsi constaret legitimè interpositam fuisse: ejusdem enim conditionis est qui appellationem interpositam omninò deserit, & intra fatalia tempora, hoc est intra annum vel biennium non peragit, *l. fin. §. illud De temp. appel.* ac multò magis qui ad Iudicem superiorem non introduxit, cum eo, qui omninò non appellavit; quia desertio appellationis renuntiationem continet, *Clem. Sicut De appel.* quæ facit ut sententiæ acquiescere videatur renuntians, *d. §. illud in fine l. Quoniam* 1. C. *De appel.* usque adeo ut ne militibus quidem (in quorum causis legum vincula & apices sæpissimè relaxantur) remittantur appellationis interponendæ, introducendæ, & peragendæ tempora, *l. Qui suspectum §. militibus* D. *De appel.*

Neq; ex excusationem aut juris relaxationẽ meretur Maria, quòd per testes probasse videatur sæpè se institisse apud dictos Mansionarios, ut acta deferrent ad Iudicem ad quem provocatum erat: nam, ut abstineamus ab exceptionibus, quibus in secunda instantia adversus hujusmodi testes usi sunt appellantes, & præsupposita instantiæ hujusmodi veritate, nihil prodesse potest dictæ Mariæ talis instantia; primò, quòd de tempore hujusmodi instantiæ & diligentiæ non constet, an scilicet intra tempora fatalia, an post intervenerit; quod appellanti in omnem eventum probandum incumbit; cui etiam satis non est probare appellationem interpositam, nisi probetur intra decendium fuisse interpositam, cùm de momento in momentum hujusmodi fatales dies & tempora decurrant, *glos. & Bart. in l.* 1. §. *dies* D. *Quando appel. sit, Ioan. de Anania consil.* 93. *Viso processu n.* 6. † Præterea requisitio 5
& instantia, quæ fit apud Iudicem à quo provocatur, est tantùm pro petitione apostolorum; & sola petitio apostolorum tempore legitimo facta non conservat appellanti effectum appellationis, nisi post apostolos impetratos, vel refutatorios datos, causa etiam coram Iudice, ad quem provocatum est, fuerit

est, fuerit introducta, *d. l. Quoniam* 1. Sola enim Iudicis à quo recusatio & tergiversatio appellationem non justificat, sed ulterior diligens prosecutio: cujus enim appellatio non recipitur à Iudice, à quo appellatur, debet is legitimo tempore adire Iudicem ad quem, & docere non esse receptam suam appellationem, aut Iudicem à quo provocatur nolle dare opinionis suæ rationem, aut recusare actorum transmissionem, aut aliter impedimentum facere; eaque de causa adversus priorem Iudicem superior, iqui provocatus est, libellum supplicem pro remedio porrigere; nam si id omiserit perinde erit atque si appellatum non fuisset, ut expresso jure cautum est, *per notab. l. Si cuius appellatio D. De appel. recip. Ant. Capycius decis. Neapol.* 34. *nu.* 11. sic ut ea in parte pro excusando appellante inspiciēda sit tergiversatio, non Iudicis, à quo provocatū fuit, cujus tergiversatio per superiorē coërceri & compesci potest; sed Iudicis ad quem, his appellationem suscipere rogatus esset vel differat,
6 *Auth. Si appellatione C. De temp. appel.* quod in proposito dici non potest. † Sic ut Mariæ imputandum sit, cur appellatione interposita intra tempora constituta perinde non adierit Dominos de Capitulo S. Servatij, ut diu post ea lapsa, scilicet ex intervallo sexennij: Vigili enim diligentia & secundum juris præscriptum laborandum est, ut appel-
7 lationes introducantur & finiantur, *l. Nemo C. De temp. appel.* * Quam introductionem & absolutionem non potest impedire Index à quo; qui sive deferat, sive non deferat, appellationi impedimentum facere non intelligitur; idque sive deferat, sive non deferat expresse sive tacitè per lapsum termini, infra quem deferre & acta transmittere eum oportuit; quia his casibus lex defert, & deliberationem, an recipienda vel non recipienda sit appellatio, per Iudicem à quo tribuit, *l. Appellatione, l.* A *Proconsulibus, l. Iudicibus. l. Si appellationem C. De*
8 *appel. Clem. Quamvis §. fin. De appel. Guido Papæ decis.* 213. † Et sanè utroque casu sive impedimento sit Iudex à quo, sive ad quem provocatur, nihilominus tempora fatalia decurrunt, & datur parti appellanti regressus, non adversus partem, cum qua litigavit, & quæ priore judicio vicit, ad retractationem sententiæ aut litis renovationem seu provocationem, quia ei nihil imputari potest, sed adversus ipsum impedientem, *l. Quoniam. l. Iudicibus C. De appel.* ita ut ob iniquam sententiam à Iudice latam per imperitiam aut gratiam, adversus Iudicem datur actio, *l. fin. D. De var. & extraord. cognit.* Negligentia itaque Mariæ, aut non apud quem oportuit facta diligentia, *l. Eicuius vers. planè*, ei obesse debet, quæ nec potest ullo vel errore vel ignorantiâ sive juris sive Iudicis ad quem provocare debuit (non enim cogitur victor eum appellanti demonstrare) excusari, *d. vers. plane*: tantoque minùs, quod postea, sive suo sive alieno consilio adjuta (quo etiam priùs adjuvari poterat, propter magnam Iurisperitorum & Pragmaticorum in terra Leodiensi & oppido Trajectensi copiam, *l. In bonorum in fine D. De bonor. possess. iuncta l. Iuris ignorantiam & ibi glos. in V. manifestum C. Qui admitti ad bonor. possess.*) benè scivit secundùm formam juris adire Dominos de prædicto Capitulo, atque ab illis implorare citationem tam contra partem quàm judices; cùm nec eo casu, ut diximus, miles excusaretur, *l. Qui suspectum §. militibus De appellat.*

Pari modo removeri potest, quod pro excusatione Maria adfert de impedimento per bella, quæ latâ primâ sententiâ vigebant; ac per pestilentem morbum, qui annis sequentibus passim grassabatur. Nam principiò quod ad bellum attinet, constat id primùm in autumno adversus Geldros & Iuliacen. 1542. cœpisse, & 1543. ante finem anni finitū ac pacatum fuisse, ita ut & ante bellum à prolatione sententiæ dictorum Mansionariorum tres ut minimùm menses habuerit, quibus commodissimè appellationem saltem introducere poterat; & eo cessante nihil vetuit, quo minùs postea annis plus quàm quatuor intercedentibus illam introduxerit (si de jure scilicet fatalia lapsa non fuissent:) cessante enim impedimento cessare quoque debet excusatio ob impedimentum, *l. Et si contra & ibi Bald. & Salicet. C. De nuptijs*, & cessante bello cessant omnis effectus ex ipso bello, *Bald. in §. hoc quod nos in V. cessentur De pace constant. Hostien. in c. Dilecti De foro cōp.*

Quod ad pestem attinet, manifestum est ex pro- 9
pria Mariæ allegatione, eam tantùm sævisse anno 1543. & 1544. post quos adhuc integrum quadriennium intercessit, quo Mariam nihil egisse constat. Ita ut nulla sit causa, cur tacente Maria post quadriennium, & nihil prorsus agente, non censeantur omninò lapsa fatalia, & appellationi, si quæ interposita fuit, renuntiatum. Iustè enim impedito prosequi appellationem suam non datur nisi annus post impedimenta, *Paul. Castren. cons.* 334. *Visa appellatione nu.* 8. *Sol.* 1. Neque impedit pestis, quo minùs fatalia decurrant, si ante pestem (prout hic evenit) currere cœperunt, *Glos. in Clem. Quamdiu in V. alias De appel. Philip. Franc. in c. Ex ratione in 5. impedimen. vers. quarto quæritur De appel.* Ideoque nisi restitutione impetrata appellanti succurri non potest, *Bart. in Auth. si appellatione C. De temp. appel.* quam restitutionem Maria neque petijt neque obtinuit. Deinde mendacium Mariæ hic in allegatione hujusmodi impedimentorum ultrò elucescit: cùm enim Trajecti habitet, semperque habitaverit, quid ei obesse potuit bellum, ob quod nemo ex oppido Trajectensi benè munito excessit? Quid item pestis, ob quam non allegat se aliquò secessisse, cur minus saltem appellationem in auditorium dicti Capituli introduxerit? sic ut in tanta mora & extrema negligentia & comperto proposito deferendæ appellationis, fatales dies triplicatò quadruplicatòque diu exierint ante introductam hanc causam coram præfato Capitulo.

Quod Maria adjungit mortem sui mariti interve- 10
nisse; itemque Ioannem Gruysen primum adversarium decessisse post appellationem interpositam, nimis ineptum est: nam positivè non allegat, quando horum mors intervenerit, ante vel post lapsa fatalia, & nihil interest, quando decesserint: nam mariti non fuit causa, sed sua, poteratque sibi per procuratorem providere, mortuo legitimo procuratore, hoc est marito; & mors partium circa fatales dies nihil mutat; præsertim in tam longo intervallo & silentio; cùm instantia activè & passivè in hæredes transeat, *l. si constante § fin. D. sol. matrim. Marian. Socinus cons.* 31. *Prosequendo ordinem nu.* 8.

nu. 8. *vol.* 1. & hæredes appellantis tam debeant reddere causam provocationis, hoc est appellationem prosequi, quàm ipse defunctus, qui appellavit, aut sententiæ acquiescere; *l.* 1. C. *si pend. appel. mors interven.* ut etiam transit instantia de procuratore in dominum, *l. In causæ D. De procurat.* Proinde evidenter constat, ex jure positivo appellantes optimè justissimeque esse fundatos, ac causæ suæ magnam probabilitatem & colorem habere, qui auctoritate & exceptione rei judicatæ adversus Mariam planè tuti effecti sunt; & sic quidèm, ut DD. de Capitulo suâ posteriore sententia non potuerint hujus rei judicatæ auctoritatem infringere per hoc, quod permiserint Mariæ appellationem suam prosequi, cùm non eo minùs censeatur prior sententia transisse in rem judicatam, ac si omninò appellatum non fuisset, *Clem. Si appellationem De appel.* quia sententia lata contra sententiam, quæ in rem transivit judicatam, ipso jure nulla est, & ob id necesse non est ab ea appellare, *l.* 1. C. *Quando provoc. non est necesse.* Atque ita hic parum curandum, quòd Domini de Capitulo declaraverint se Judices competentes; quia vitium ex defectu juridictionis insanabile est, *Panor. in c. Significasti De foro compet.*

11 Sed nunc videamus interna justitiæ fundamenta, sepositâ dictæ rei judicatæ auctoritate (quam plerique non pro veritate, sed veritatis imagine & præsumptione accipiunt, *Bald. in l. Iulianus De condict. indeb. & ibi glos.*) Et sanè cùm nihil magis naturali æquitati conveniat, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi, *l. Qua ratione §. hæ quoque De acquir. rer. dom.* & ex causa venditionis factâ traditione transferatur dominium, *l. Traditionibus* C. *De pactis*, sic ut ne is, qui semel alienavit, neque ejus hæres eam possit vindicare, *l. Vindicantem De evictionis.* consequens est, ut quia Ioannes Zavelantz eo tempore, quo per dissolutionem matrimonij proprietas horum bonorum ex consuetudine patriæ Leodiensis liberis prioris matrimonij affecta fuit, unà cum ijsdem liberis ea vendidit, & coram justitia seu Mansionarijs de Dissen factis legis operis transportavit, dici debet proprietatem, dominium, & possessionem à se abdicasse; sic ut Maria neque ex capite avi, neque ex capite patris aut matris, neque etiam avunculi sui, quod his omnibus successerit & hæres effecta sit (ut allegat) possit vindicationem aliquam proponere: quia eodem jure, quo illi, uti debet, *l. Qui in alterius De reg. iur.* eorumque factum comprobare, etiamsi tempore alienationis ad Mariam proprietas horum bonorum pertinuisset, *l. Cum à matre* C. *De rei vindic.*

De qua quidem alienatione etsi nullum extet legitimum instrumentum aut literæ Scabinales, ex quibus constare possit talem alienationem in præfatos Ioannem Gruysen, & Dionysium Wevers fuisse factam: extant tamen Sculteti & Scabinorum, qui hujusmodi alienationi & operis interfuerunt, & auctoritatem impartiti sunt, testimonia; quod satis est: neque enim ad stabiliendam bonorum immobilium alienationem, instrumentis omninò opus est, sed solemni actu; de quo si quomodocumque constet, satis est: cùm testimoniorum & testium in exercendis litibus eadem sit potestas, *l. In exercendis* C. *De fide instrum.* Nec ad rem facit, quod eadem testimonia alio in judicio, & inter alias partes sint recepta, videlicet coram Magistratu oppidi Trajectensis, inter Ioannem Gruysen & Catharinam Zavelantz: nam cùm de eadem re tunc fuerit litigatum ex capite Ioannis Zavelantz senioris, & à multis annis ijdem testes sint mortui, non debet eorum testimonium in hac causa reijci, *Ias. in l.* 15. *Apud quem nu* 24. C. *De eden. & in l. Admonendi* D. *De iureiur.* præsertim cùm & alijs perdurantibus adminiculis adjuventur; nimirum per literas Scabinales, in quibus apertè continetur attestatio, quod prædictus Ioannes cum prolibus de his bonis per renuntiationem ususfructus se devestierit, licet non contineatur etiam ad cujus opus seu commodum id factum fuerit. Id enim adminiculariè probant dicta testimonia, & præterea possessio Ioannis Gruysen & Dionysij Wevers, qui nusquam allegantur vi, clam, vel precario hæc bona occupasse; & in dubio id præsumi non debet, cùm delicti præsumptio capienda numquam sit, *l. Merito D. Pro socio*; sed potiùs quod quisque ex præambulo contractu possederit.

Neque præsumptionem istam in diversum trahit confessio seu declaratio Ioannis, quam in extremo vitæ articulo fecisse fertur, quod numquam cum liberis suis cessionem vel legis operas fecerit: nam privatis hujusmodi etiam morientium confessionibus in præjudicium tertij pro utilitate sua seu hæredum suorum standum non est, *l.* 1. §. *si quis moriens Ad S. C. Sillan.* etiam si susceperit Corpus Christi, *Bald. in c.* 1. *in verb. vasalli De pace Constan. Ioan. Igneus in d. §. si quis moriens*, si modò non deposuerit solemniter præstito & recepto juramento, *c. Exhibita De homicid.* hoc præsertim casu, ubi verosimilitudo est in contrarium, ex eo, quòd Ioannes senior, ad quem, affectâ proprietate liberis prioris tori (quos Maria non negat legis operas fecisse) pertinebat horum bonorum ususfructus, non fuisset verosimiliter passurus Ioannem Gruysen & Dionysium Wevers in horum bonorum possessione, si ad eum legitimè non pervenissent. 12

Nec postremò facit exiguitas pretij, quæ appellantibus objicitur: nam ut illam præsupponamus, hoc semper verum manet, appellatam malè vindicare hęc bona; cùm eo casu alio juris remedio agere deberet ad contractus rescissionem, relictâ appellantibus potestate vel bona ipsa restituendi, vel justum pretium supplendi, *l.* 2. C. *De rescin. vendit.* quod minimè fecit, nec facere potuit, eò quod tale remedium intra 30. annos proponendum fuisset, *Doct. in d. l.* 2. quos appellata, nullâ interruptione vel interpellatione quoad hanc rescissionem interpositâ, omnino labi, & inde se excludi passa est. 13

Quia igitur tam multa pro appellantibus concurrunt, quæ partim litis per Mariam motæ ingressum prohibent, partim ad primam instantiam illam restringunt, nec ulterius progredi patiuntur; partim justitiam causæ apertè aut saltem probabiliter demonstrant; non videmus, cur à juris sui ulteriore prosecutione & defensione desistere debeant ijdem appellantes, vel ex illorum prosecutione indignari Dominus Drossartus.

De

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Appellatione desertâ, quæ sint provocati Iudicis partes.*
2. 10. *Appellatione desertâ Iudex procedere non potest.*
3. *Appellatione desertâ ulterior processus est nullus.*
4. *Appellationis desertio quando inducatur.*
5. *Appellatio ab interlocutoria quando permittatur.*
6. *Decretum iurisdictionis competentis continet gravamen irreparabile.*
7. *Appellari debet vivâ voce à decreto competentis iurisdictionis.*
8. *Nullitas non habet tempora fatalia.*
9. *Fatale secundum conceditur propter impedimentum etiam in ultimo die.*
11. *Fatale tertium in appellationibus non est.*
12. *Protestatio adversus fatalia quando non prosit.*
13. *Appellatione desertâ potest appellatus statim confugere ad Iudicem à quo.*
14. *Sententia à qua appellatum non est transit in rem iudicatam, etiam in beneficialibus.*

CONSILIVM CXCVII.

1 CErtvm & indubitatum est, desertâ appellatione nullas esse partes Iudicis provocati, præterquam quòd declaret appellationem desertam; &, si velit, possit sententiam à qua provocatum est confirmare, non etiam quovis modo infirmare, seu retractare, *Rota decis. 98. alias est 14. Licet appellatio De appellat. in novo & 453. alias est 41. Nota licet appellatio De appellat. in antiq.* Nimirum, quia auctoritate juris confirmata est per lapsum fatalium temporum, *Steph. Bertrand. cons. 18. Existimo nu. 3. vol. 7.* quia lapsus fatalium eo loco constituit sententiam, à qua appellatum est, quasi appellatum non sit, *l. ult. §. illud C. De temp. appel.* & præterea appellans eandem sententiam volens approbaverit, *l. 2. in fin. C. De temp.*
2 *appel.* † Vnde lex ipsa interdixit Iudici post desertam appellationem, ne ulteriùs in causa procedat, *Auth. De appellat. in princ.* & ne quidem precibus Papæ aut Principi oblatis, nec per sacrum rescriptum, *l. Nemo C. De temp. appel.* Vsque adeò ut victori nihil noceat, nec victo prosit, ad temporis prorogationem, si post desertionem appellationis appellatus vel solus vel cum appellante procedat ulterius in causa; imò etiamsi in ulteriorem processum expressè consentiat: quia tali ulteriore processu non obstante, censebitur sententia in rem judicatam transisse, *Clem. Si appellationem De appel. & ibi glos. in V. appellatus, Steph. Aufrer. decis. Tholos. 244.*
3 Quicquid igitur Iudex provocatus seu ad causam appellationis delegatus vel decreverit, vel pronuntiaverit post desertam appellationem, id omninò pro nullo habetur, tamquam à non competente, & jurisdictione carente Iudice decretum seu pronuntiatum, *Steph. Bert. cons 188. Multis & variis nu. 10. vol. 6. & d. cons. 18. Philip. Franc. in c. Extratione vers. circa octavum membrum principale De appellat.*
4 Desertio autem appellationis indubitatissimè inducitur, si non per lapsum primi fatalis, hoc est primi anni à die interpositæ appellationis, saltem per lapsum secundi anni, si durante toto biennio in vigilanti prosecutione appellationis appellans non fuerit, *d. l. Nemo, clem. Sicut De appel.* quia terminus biennij à lege seu canone constitutus præcisè peremptorius est & fatalis; sic ut post illum nulla sit spes alterius, *Bald. cons. 340. Statuto Papiæ vol. 1. nu. 3.* Atque ita lapso biennio dicitur liquidè constare, appellationem esse desertam, cùm tunc impedimenta subsequentia non excusent, ob quæ excusatio adversus primum fatale desumi & admitti potest, ad obtinendum secundum, *Alex. cons. 79. In causa nu. 4. vol. 7.*

Ex quibus consequitur interlocutoriam sententiam per D. Officialem Namurcensem in causa appellationis pro parte D. & Fratris Gerardi Bourgeois appellantis contra Reverendum Dominum Lambertum ab Ora appellatum interpositæ à sententia definitiva Reverendi Domini Abbatis S. Gertrudis Lovanienſis primæ instantiæ Iudicis (per quam decrevit se illius causæ appellationis Iudicem esse competentem, & parti appellanti concessit secundum fatale) nulliter, non tantùm iniquè esse latam; ideoque pro parte dicti Domini Lamberti ab hujusmodi sententia seu decreto rectè esse appellatum, & de nullitate illius dictum. Etsi enim regulariter ex jure civili, *l. Ante sententiæ C. Quorum appel. non recip.* atque nunc etiam ex jure Canonico per decretum Sacri Concilij Tridentini, *Sess. 24. cap. 20. De reformat.*, ab interlocutoria sententia appellare non liceat; permittitur tamen potestas appellationis ab ea interlocutoria sententia, cujus grauamen per sententiam definitivam reparari nequit; *l. Ante sententiam D. De appel. recip. d. Sess. 24. c. 20. vers. nisi à definitiva*: quale est decretum seu interlocutoria sententia, qua Iudex non obstantibus exceptionibus in contrarium propositis, decernit se causæ Iudicem competentem. †
6 Etsi enim Salicetus, *in Auth. Habita nu. 26. C. Ne fil. pro patre &c.* existimaverit gravamen inde illatum per appellationem à definitiva reparabile esse, ideoque ab eo appellari non posse: ex sententia tamen Accursij, *in d. Auth. Habita in ult. glos.* & Bartoli, *in l. 2. nu. 13. D. De appel. & in l. Post sententiam C. De sentent.* communiùs receptum est, hoc gravamen per appellationem à definitiva sententia irreparabile esse; ex causis & rationibus, quas Bartolus adfert, & communiùs approbantur, *per Bald. in l. 2. nu. 13. De Episc. aud. Castren. in l. Arbitro Qui satisd. cogan. Ias. in l. Nemo potest nu. 78. D. De leg. I. Imola in l. Quidam consulebat De reiud., Philip. Franc. in cap. si duobus vers. secundo quæritur quod si Iudex De appel.* Ideoque ab hujusmodi interlocutoria appellari etiam posse.

Præsuppositio tamen, quòd ab hac, ut alijs in- 7
terlocutorijs, appellari non possit, aut quòd Dominus Lambertus ab hujusmodi interlocutoria non ritè appellaverit, ut pars adversa prætendit, objiciendo quòd legitimè & secundùm juris ordinem appellatum non sit, vivâ scilicet voce, non in scriptis, uti oportet, tunc cùm à sententia interlocutoria appellatio permittitur, *c. cordi De appel. lib. 6.* uti etiam ab hac interlocutione super jurisdictione in scriptis non vivâ voce appellandum esse respondit Baldus, *cons. 44. Ad evidentiam nu. 6. vol. 3.* † salvum nihilominus manet dicto Domino Lamberto adversus prætactam interlocuto- 8
riam

riam remedium nullitatis, quod perinde causam ad superiorem devoluit, ut appellatio, *l. Si ut proponis* 1. C. *Quomodo & quando & ibi Bart. c. Cum contingat De off. deleg.* Quæ nullitas constituitur, ut dictum est, in pronuntiatione illius interlocutoriæ tunc & postquam dictus Dominus Officialis desierat esse prætactæ causæ appellationis judex per supratactam desertionē: prout etiam per rescriptum Apostolicum dictæ nullitatis causa æque principaliter Domino Abbati Parcensi commissa fuit, sicut constat ex supplicatione dicto rescripto inclusa; ut necesse non sit disputare aut inquirere, an dicta D. Lamberti à prætati D. Officialis Namurcensis sententia interposita appellatio sit legitima aut deserta: quia omissa uel nulliter interposita, seu remota appellatione, semper manet nullitas, quæ desertioni non subijcitur, nec fatalia tempora habet; cùm illius proponendæ & persequendæ potestas sit usque ad 30. annos, *Angel. & Bald. in l. 1. C. Qui pro sua iurisd.* Sic quod frustrà nunc inquireretur, anne desertioni quoque obnoxia sit hæc prætati Domini Lamberti appellatio à dicto D. Officialis Namurcensis decreto cōpetentis jurisdictionis interposita, hoc est ab 11. Februarij anni 1575. usque ad mensem Augusti anni 1577. lapsum sit integrum biennium & sex menses. Nam sublato remedio appellationis, remanet vis & effectus istius nullitatis: in concursu enim duorum pluriumve remediorum vel impedimētorum, sublato uno, manet vis remedij vel impedimenti in alio non sublato, *l. Si non lex D. De hæred. instit. l. Quoties duplici De reg. iur.* Cùm alioqui vis & potestas primæ desertionis talis & tanta sit, ut ex sequente alia desertione alterius appellationis, quam victor fortè committit, non possit purgari aut tolli vitium prioris desertionis, nec per eam sententia, quæ ob desertionem semel in rem judicatam translijt, infirmari, *Phil. Franc. in d. c. Ex ratione vers. circa octavum membrum principale:* hic quod inutiliter hic quæreretur de desertione hujus appellationis, quam D. Lambertus interposuit à dicto decreto Domini Officialis Namurcensis, postcaquam palam constat decretum competentis jurisdictionis fuisse per se nullum.

Nihil igitur restat hic inquirere, quâ an dicta appellatio à sententia definitiva Reverendi Domini Abbatis S. Gertrudis (per quam Prioratus Monachorum dicto D. Lamberto adjudicatus, & prefato Fratri Gerardo abjudicatus est) pro parte ejusdem D. Gerardi interposita ex lapsu biennij sit deserta? Cujus demonstratio laborem nullum requirit, cùm ex ratione temporis, & ex inspectione actorum tam primæ quàm secundæ instantiæ ultrò ea se offerat. Etenim ex actis primæ instantiæ constat, dictam sententiam definitivam latam esse 30. mensis Augusti anno 1572. & eodem die incontinenti vivâ voce appellationem ad Sedem Apostolicam pro parte dicti Fratris Lamberti interpositam fuisse, ex quo die cœpit initium primi fatalis anni, *d. Clem. Sicut*, quem constat plenissimè lapsum esse; & non tantùm eum, sed etiam totum secundum, antequam Iudex aliquis superior causæ manum admovit, hoc est antequam se causæ Iudicem competentem declararavit per dictam interlocutoriam, à qua appellatio, de qua hîc agitur interposita, & de cujus nullitate etiam principaliter dictum est. Quippe, ut ex actis Namurcensibus constat, lata est 11. Februarij 1575. quo die totum biennium, & ultra illud quinque menses & decem dies lapsi erant: ita ut desertio plenissima fuerit, & secundum præmissa ex die 20. mensis Augusti 1574. sententia D. Abbatis redierit seu transierit in rem judicatam, & in commutabiliter rata ac firma effecta sit præscisâ omni spe ulterioris potestatis prosequendæ appellationis, atque infirmandæ sententiæ dicti Domini Abbatis, *Auth. de his qui ingred. ad appel. §. si vero venter.*

† Sic quòd quicquid post diem 30. Augusti anno 1574. coram dicto Domino Officiali Namurcensi per totum ferè semestre actum est, pro nullo haberi debeat; nec ulla sit æquitatis aut humanitatis ratio, ob quam posteriùs acta, & potissimùm dicta interlocutoria super competentia jurisdictionis, sustineri aut valere possint, etiamsi uno tantùm mense ex post eadem interlocutoria lata fuisset, *Steph. Bertrand. d. cons. 188. n. 11. qui de uno mense post fatale biennium loquitur.* 9

Nec sustinetur ea interlocutoria ex eo, quòd per illam Dominus Officialis dicto appellanti secundum fatale quoque concesserit. Nam etsi Iudex ex juris auctoritate propter impedimenta in primo fatali, secundum fatalem annum appellanti indulgere possit, lapso primo anno; nusquam tamen invenitur Iudici permissum, quòd id facere possit post lapsum secundum annum: quia id esset concedere tertium fatale, quod jus non permittit, cùm propter impedimenta in primo anno ipso jure (ut plerique putant) secundum fatale concedatur, *Alex. d. cons. 79. nu. 2.* & semel concessum ampliùs concedi non debeat * Cùm alioqui idem D. Officialis declarando se Iudicem competentem post lapsum biennij, extra fatalia judicaverit, & subiungendo concessionem secundi fatalis, nullitatem decretæ sibi jurisdictionis purgare seu emendare non potuerit; cùm lex post lapsum illius in causa ulteriùs procedi prohibeat, *Auth. De appell. in princ. verb. non posse ulteriùs procedere.* 10

Receptum quidem est, ut lapso secundo fatali, non tertium fatale, sed restitutio in integrum adversus illius lapsum appellanti concedi possit, propter impedimentum, quod fortè cursum processus in secundo fatali impedivit; sed fit id non ad totum tertium annum (sicut in concessione secundi fatalis quæ fieri debet, imò ipso jure conceditur, etiamsi uno tantùm, eoque etiam ultimo die primi anni fatalis impedimentum inciderit, *Doct. in d. c. Ex ratione, l. fin. §. fin. C. De temp. appel. glos. in c. si electio in fin. De elect. lib. 6.*) sed dumtaxat ad tantum tempus, quantum fuit illud, in quo impedimentum incidit; idque non ipso jure, sed formaliter petitâ & indultâ restitutione in integrum. Etsi enim primus & secundus annus fatalis ipso jure competant; ulterius tamen tempus non datur ab ipso jure, sed à Iudice ex justa causa per restitutionem in integrum pro parte appellantis petitam, *d. c. Ex ratione & ibi glos. Angel. in Auth. Ei qui C. De temp. appel.* qualis nulla in actis Namurcensibus exstat in integrum restitutionis petitio pro parte Domini Gerardi proposita: quæ restitutio alioquin regulariter numquam latiùs fit, quàm pro modo læsionis 11

seu

seu impedimenti. Ita ut, si unius mensis dumtaxat impedimentum inciderit in secundo fatali, eo lapso restitutio integri ad facultatem ulterius in causa appellationis procedendi ad unum tantummodò mensem fieri possit, non etiam ad unum integrum tertium annum, *Innoc. Ioan. And. Ant. de Butrio & alij in d. c. Ex ratione, ibi latissimè post alios Phil. Franc. vers. Secundo casu quando impedimentum & vers. Circa tertiam dubitationem.*

Iam verò diligenter percurrendo acta coram Officiali Namurcensi habita, non invenietur aliquod impedimentum, vel per dictum Dominum Lambertum, vel per Dominum Officialem Iudicem, vel per tertium aliquem factum, seu propter quod vel uno die dictus Frater Gerardus impeditus vel turbatus fuerit in prosecutione suæ appellationis, nedum in secundo, ac nec in primo fatali anno; sed ex contrario reperientur infinita per quæ idem Frater Gerardus sibi ipsi impedimentum fecit, quæ propterea ipse sibi ad proprium damum imputare, non ad excusationem aut ad beneficium restitutionis in damnum Domini Lamberti referre debet, *l. 2. §. si non propter & §. si quis tamen D. Si quis cautiomb.* Prout etiam in ijldem actis non invenitur ulla dicti Fratris Gerardi positiva allegatio de aliquibus impedimentis, vel in primo, vel in secundo anno fatali; neque etiam aliqua adversus illa petitio restitutionis in integrum pro aliquo tempore.

12 Extant quidem in dictis actis frequentes, & in singulis actibus seu expeditionibus judicialibus illius causæ reiteratæ procuratoris præfati D. Gerardi protestationes, quòd per ipsum non steterit, quo minus celeriùs in ea causa processum fuerit, & quòd ob id sibi fatalia currere nō debuerint, quodque secundum fatale sibi concedendum fuerit; sed ut nudæ fuerunt illæ protestationes ex formularibus & stylo procuratorum magis quàm ex voluntate partium factæ, sine ulla expressione, aut positiva allegatione causæ alicujus impedimenti, propter quod Frater Gerardus, seu ejus procurator, impeditus fuerit in suæ appellationis prosecutione; ita proficere aut prodesse ei non potuerunt: quia non sufficiunt duo, quæ communiter in hujusmodi & similibus protestationibus requiruntur, hoc est, quòd congruo tempore, & publicè coram Iudice facta sit protestatio, sed hoc præterea requiritur, ut protestationi adjuncta sit causa, *c. fin. & ibi Phil. Franc. vers. in eadem glossa in clausula, Tertiò requiritur, De appel.* quod à dicto Domino Gerardo seu ejus procuratore omissum inutilem reddit ipsius protestationem; præsertim quòd ne quidem in hac instantia, in qua de negligentia & desertione ipsius formaliter disputatur, nusquam allegaverit causas aliquorum impedimentorum; quas tamen allegare & evidentissimis etiam (ut lex ait, *d. §. illud*,) probationibus probare cum oporteret; generaliter in quacumque alia re, qui impedimentum allegat probare illud debet, *l. Qui commeatus De re milit. & ibi Bart.*

Quinimò ex adverso diligenter singulos actus judiciales coram dicto Domino Officiali Namurcensi habitos percurrendo, apertè deprehenditur dicti Domini Gerardi in prosecutione suæ appellationis negligentia etiam affectata. Primùm ex eo, quod rescriptum Apostolicum super sua appellatione 19. Decembris 1572. impetratum Domino Officiali Namurcensi non clausum sed apertum præsentaverit 18. Aprilis 1573. quod ex eo die usque ad 2. Iunij sequentis in causa nihil egerit; quod deinde usque ad 7. Maij 1574. de quadam correctione literarum citatorialium semper contenderit, dicto D. Lamberto non refragante, imò in illam apertè consentiente; quod rursus (ut ipse allegat, & per exhibitum instrumentum constat) hoc rescriptum Officiali Trevirensi priùs præsentaverit, & ab illo retraxerit sine causa: nam etsi in dicto instrumento pro parte Fratris Gerardi narretur, quod id factum sit ex eo, quod D. Lambertus curasset per Senatum Bruxellensem ipsi inhiberi, ne coram Officiali Trevirensi procederet; non constat tamen id verum esse, neque de eo aliter probatur, quàm ex illius nuda narratione. Nec est verosimile id factum esse vel ex eo, quòd D. Lambertus non sit subditus Catholicæ Regiæ Maiestatis, ut extra illius terras virtute literarum Apostolicarum in jus trahi non potuerit: sed verius est dictum Fratrem Gerardum id fecisse ex eo, quòd scitet commissionem dicto Officiali Trevirensi datam in hac causa esse nullam ex Bonifaciana constitutione, *in c. Statutum §. cum vero De rescript. lib. 6.* quæ vult causam committi vel in diœcesi ipsius, adversus quem Iudex impetratur, vel in tertia, non verò in diœcesi impetrantis, tunc cum litigatores diversarum Diœcesium sunt, ut sunt dicti Domini Lambertus & Frater Gerardus: ille enim in diœcesi Leodiensi, residet, hic in Trevirensi; ita ut incompetentem Iudicem per errorem etiam adeundo sibi saltem in tempore nocuerit dictus Frater Gerardus, *l. 1. § si quis in appellatione De appel.*

Vlteriùs conspicitur ipsius Fratris Gerardi negligentia, quòd primo anno ad fundandam jurisdictionem D. Officialis nihil exhibuerit, & ne quidem in secundo fatali anno, nisi 7. Maij anno 1574. quo exhibuit instrumentum sententiæ prædicti Domini Abbatis, & appellationis per eum ab ea interpositę: sine quorum exhibitione de devolutione causæ ad Sedem Apostolicam constare non potuit, sine qua devolutione nec dictum rescriptum concedi, nec causa appellationis cuiquam mandari potuit, *l ult. C. Sent. rescindi non posse, Bellameta decis. 22. 28. & 100.*

In residuo quoque tempore dicti secundi anni nihil invenitur actum, quod ad probationem appellationis directè pertineat, sed tantùm frivola petitio & altercatio Fratris Gerardi super reproductione literarum citatorialium: idque adhuc post magnum silentium seu cessationem in causa à 19. Iulij usque ad 8. Octobris 1574. (quo à 30. Augusti tunc proximè præcedentis lapsus erat secundus annus fatalis. Vnde manifestùm fit, dictas Fratris Gerardi protestationes fuisse vanas & inutiles: cùm contrariæ fuerint ipsi facto, hoc est quòd protestando, per eum non stare quò minus citiùs causa perageretur, nihil pro prosecutione appellationis egerit, & sic per eum stare ostenderit,

nullo externo impedimento interveniente, *c. Sollicitudine De appellat. glos. in verb. sine præiudicio in c. cum M. Ferrarien. De constit.* Nec potest ex eo desumi justum impedimentum, quod Dominus Lambertus confugerit ad Dominum Abbatem prioris instantiæ Iudicem pro executione sententiæ ab eo latæ, & quod inde Frater Gerardus coram Domino Officiali querelam attentatorum proponere debuerit: Nam id contigit, postquam prætacta biennalis desertio intervenisset, videlicet in mense Ianuario anno 1575. quod utique D. Lamberto
13 permissum fuit. * Cum enim indubitatè tunc constiterit appellationem fuisse desertam (quod indubitatissimum est lapso biennio, *d. Clement. sicut*) licuit ei refugere ad Iudicem à quo, & petere executionem sententiæ, quæ indubitatè in rem judicatam transiverat & cujus exequendi potestas ad Iudicem, qui judicaverat, ipso jure reversa fuit, *Bald. in l. Eos nu. 5. C. De appel. Ioan. Andreæ in c. In præsentia De renuntiat.* etiâ non postulata à Iudice à quo declaratoria sententia desertionis, *l. Si contra maiorem C. De appel. glos. in verb. pronuntiatum in l. 1. D. Nil. novan. appel. pend. Zabarella in d. Clem sicut, Catellian. Cotta in Memorabilibus in dict. Appellatione deserta, Phil. Franc. in d. c. Ex ratione vers. Septimo & ultimo quæritur.*

Manet ergò in proposito insanabilis desertio
14 præfati Fratris Gerardi, & ex tanta desertione irretractabilis dictæ sententiæ definitivæ pro præfato D. Lamberto per Dominum Abbatem super proprietate seu petitorio judicio dicti Prioratus latæ firmitas. Nam hoc indubitate verum est, etiam in causis beneficialibus sententiam latam transire in rem judicatam, si ab ea appellatum non sit, aut appellatio ab ea interposita quovis modo deserta sit. *c. cum dilectus de elect. c. constitutus vers. intellecto. & ibi Philippus Franc. in 2. notabili de appel Glos. in c. 1. de concess. præbend.*

Officium itaque Venerabilis Domini Decani hujus instantiæ subdelegati Iudicis esse putamus, ut retractet seu potiùs nullam declaret suprataetam Domini Officialis Namurcensis sententiam interlocutoriam, quâ se Iudicem competentem in illa appellationis causa decrevit, eáque retractatâ, seu nullâ declaratâ, decernat ad executionem sententiæ definitivæ per præfatum Dominum Abbatem primæ instantiæ Iudicem latæ adversus dictum Fratrem Gerardum procedendum esse; condemnando eundem Fratrem Gerardum in expensis tam coram dicto Domino Officiali Namurcensi, quàm in hac instantia factis: idque eo proclivius, quòd idem Frater Gerardus contumaciter in hoc judicio non comparaverit, & ob id adversus eum per audientiam contradictarum ad valvas procedi necessarium fuerit.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Appellanti potest index statuere terminum ad prosequendum appellationem.*
2. 4. *Appellans si intra præfixa à Iudice tempora appellationem non prosequatur, deserta fit appellatio.*
3. 9. *Index prorogare non potest tempus, quod ipse ad prosequendum appellationem appellanti præfixit.*
5. *Appellatio in præsentia Iudicis interponenda.*
6. *Appellare viva voce sine scripto quomodo liceat.*
7. *Appellatio in scriptis quomodo facienda.*
8. *Apostoli ultrò dati non petiti an & quomodo prosint.*
10. *Restitutio in integrum adversus desertionem appellationis ipso iure non conceditur, sed per appellantem petenda.*
11. *Appellatione deserta quod sit Iudicis officium.*

CONSILIVM CXCVIII.

DESERTIO, quæ objicitur appellationi, quam adversus Reverendum Dominum Abbatem & Conventum Monasterij S. Michalis citatis Antwerpiensis hujus causæ appellatorum prosequitur Rumoldus Smets suo & consortium suorum nominibus appellans, manifesta est duplici ratione. * Prior dete- 1
gitur per formale instrumentum hujusmodi assertæ appellationis, per appellantem in hac secunda instantia secundo loco exhibitum; quo continetur, quòd Venerabiles Domini Decani Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ S. Rumoldi Mechlinien-sis dictæ primæ instantiæ Iudices, procuratori dicti appellantis quinta mensis Februarij anno 1578. à sententia per eos 29. Augusti tunc proximè præcedentis lata, apostolos dimissorios dando præfixerint quatuor menses; & id quidem cum manifesta distinctione, duos priores ad prosequendum hujusmodi appellationem in Curia Romana, duos verò posteriores ad docendum; dictosque Dominos Iudices certiorandum de diligentijs factis circa hujusmodi appellationis prosecutionem; idque formaliter & expressè sub pœna desertionis ejusdem appellationis. Iam verò nec ex actis, sive dictæ prioris, sive hujus secundæ instantiæ, neque ex eis, quæ in utraque exhibita sunt, constat quòd appellans initium aliquod prosecutionis hujusmodi intra illos duos priores menses à dicta die 5. mensis Septembris proximè sequentes fecerit. Imò ex ijsdem primæ instantiæ actis apertè constat, intra illos duos priores menses nullum initium prosecutionis factum esse; ob id, quod appellans 20. mensis Februarij anno 1579. pro impedienda seu in suspenso retinenda executione dictæ sententiæ, quam tunc urgebant appellati, volens docere de diligentijs circa prosecutionem suæ appellationis factis exhibuerit instrumentum arrestationis Pauli Kersteyns sollicitatoris & directoris negotiorum in Romana Curia; quo sub data octavæ diei mensis Decembris dicti anni 1578. attestatur se ad impetrandum rescriptū Apostolicum in Vrbe super hujusmodi appellatione à procuratore appellantis accepisse aurum & argentum atque instructionem & informationem. Quod quidem etsi per se in genere satis posset esse ad constituendum initium utilis prosecutionis appellationis ei, qui extra Romanam Curiam & præsertim ultra Alpes est, etiamsi ad Romanam Curiam ipse iter non arripiat, aut in ea non compareat, *Cassador. decis. 4. de appel. nu. 4.* inutile tamen & insufficiens est in proposito quia

non

non suo tempore, hoc est intra dictos duos priores menses factum est, sed seriùs, postquam pœna desertionis in dictis apostolis adiecta iam plusquam toto mense commissa erat: quod enim certo præfinitoque tempore fieri debet nullitèr aut saltem inutiliter fit post lapsum hoc præfinitum tempus, *l. Si unus §. si cum reo, l. Epistola §. fin. De pact. l. statuliberum §. Stichum De leg. 2. l. Qui fundum* DE *contrab. empt.* Quam pœnam desertionis appellans perinde per hanc negligentiam incurrisset, etiamsi in dictis apostolis tam expressè & formaliter illa adiecta non fuisset: potest enim jure permittente Iudex, qui tulit sententiam, à qua ad superiorem provocatur, appellanti moderatum tempus statuere, non quo causam appellationis perfagat; nam id à jure præscriptum Iudex brevius facere aut diminuere non potest, *c. Cum sit Romana & ibi glos. &* DOCT. *De appel.* sed quo initium prosecutionis apud superiorem provocatum Iudicem faciat, *c. Personas De appell. c. Ad hæc 2. c. Pervenit eod. tit. c.* CUM CAUSA *De re iudic.*

2 † Idque cum eo appellantis periculo, ut si intra illud tempus, quamvis brevius, præscriptum, non faciat prosecutionis initium, appellatio insanabiliter & irreparabiliter efficiatur deserta; & ita quidem, ut post hujusmodi desertionem impetrata causæ appellationis delegatio, & quæcumque quamtumvis diligens prosecutio sit nulla, & ex eo temporis præscripti lapsu sententia, à qua appellatum est, transeat in rem judicatam, *Bald. in c. 1. §. fin. Quo temp. miles investitur, Guido Papæ decis. 436. nu. 16. Steph. Bertran. cons. 18. Existimo vol. 7.* Aliter quàm si appellans in præscripto posteriore tempore ad docendum & certiorandum de factis diligentijs prosecutionis negligens fuerit: ea enim posterior negligentia nec pœnam nec periculum desertionis habet, *Panor. & alij in d. c. Personas, Lud. Rom. sing. 163. Hoc nescient Legistæ, Rota decis. 13. alias 49. si Iudex De appel. in novis* (si modò fiat intra fatalia tempora appellationum à jure præscripta, *Angel. cons. 194. Visis processibus nu. 4.*) sed dumtaxat permittit Iudici, à quo appellatum est, ad executionem suæ sententiæ procedere, & in ea perseverare, quamdiu per Iudicem provocatum ipsi non inhibetur, appellatione interea & ejus prosecutione in suo robore permanente, ad effectum etiam retractandi factam executionem, si appellans in causa appellationis obtineat, *Bald. in l. Præses nu. 5. C* DE *appel. Lud. Roman. d. singul. 163. Oldrardus cons. 60. Est tempus,* ROTA *d. decis. 94. in novis.*

3 Quam desertionem per negligentiam facti initij prosecutionis in prætactis duobus prioribus men- non excusant vel emendant sequentes dictorum Dominorum Iudicum primæ instantiæ aliquot prorogationes appellanti concessæ 26. Februarij & 8. Maij anno 1579. Nam illæ non respiciunt primam illam diligentiam, quæ prioribus illis duobus mensibus præscriptis circa prosecutionem appellationis secundùm præscriptum Dominorum Iudicum faciendæ erant; ut nec in notulis hujusmodi prorogationum de illa diligentia ulla mentio fit, imò nec fieri poterat per dictos Iudices; quia fatale illud brevius tempus, quod Iudex, à quo provocatur, jure permittente appellanti ad faciendum initium prosecutionis aut ad introducendam appellationem præscribit, tam fatale & præcisum est, ac tam exactè, rigidè, & ad unguem observari debet, ut nec per Iudicem, qui id præscripsit, prorogari possit, *Innoc. in c. Ex ratione De appel. Guid.* PAPÆ *d. decis. 436. nu. 22.* sed respiciunt istæ prorogationes dumtaxat diligentias docendi seu certiorandi prædictos Iudices de factis in prioribus illis mensibus diligentijs circa initium prosecutionis; quòd videlicet hujusmodi diligentiam posteriorem appellans adhuc facere posset intra tempora dictarum prorogationum ad evitandam seu adhuc in suspenso retinendam executionem dictæ sententiæ: quemadmodum appellans etiam facere potuisset, nulla datâ prorogatione, non quidem ad desertionem per priorem negligentiam commissam, quia illa insanabilis fuit, & irretractabilis, sed ad realem executionem sententiæ à qua appellatum fuit evitandam, *Doct. in d. c. Personas.*

Altera desertio, quæ, priore per lapsum temporis ab homine, hoc est dictis Dominis Iudicibus 4
præscripti, cessante, accessit, in eo consistit, quòd juris manifesti sit, causam appellationis non tantùm coram Iudice appellato introducendam, sed etiam omninò peragendam esse, intra annum à die interpositæ appellationis seu responsionis apostolorum, seu saltem intra biennium, si in dicto primo anno fatali appellans aliquo modo probabiliter impeditus fuit, *Auth. Ei qui appellat C De appel. c. Cum sit eod. tit.* & sic quidem quòd lapsis his duobus fatalibus annis introducatur irretractabilis desertio appellationis, & lata sententia omninò & irretractabiliter transeat in rem judicatam, *l. ult. §. illud C. De temp. appel.* quasi post biennium nulla sit vita, nullus vigor interjectarum appellationum, *l. Nemo C. d. tit.* Cùm ergò ex conjunctione actorum prioris & hujus secundæ instantiarum evidenter constet, quòd sententia, à qua appellatum dicitur, sit lata 29. Augusti anno 1578. & inde in mense Decembri anni 1580. lapsi fuerint duo integri anni, & tres menses, nulla est dubitatio, quin hæc appellatio plenissimè sit deserta per lapsa fatalia tam brevioris temporis, à dictis Iudicibus præscripti ad inchoandum, quàm longioris temporis, à jure præfiniti ad peragendum prosecutionem appellationis; præsertim quia non constet de aliquibus impedimentis in secundo fatali anno, ante cujus initium appellans rescriptum delegatorium ex Curia Romana recepit, & Venerabili Domino Decano hujus secundæ instantiæ Iudici præsentari fecit.

Nec ad excusandam hanc desertionem per lapsum secundi fatalis anni, aut ad justum impedimentum constituendum quicquam facit, quod pro parte appellatorum adversus jurisdictionem ejusdem Domini Decani proposita sit exceptio ex causa desertionis seu nullitatis prætactæ appellationis, eò quod tunc non constaret de appellatione legitimè interposita, neque de petitis legitimè apostolis. Nam impedimentum prosecutionis ulterioris, quod inde iniectum fuit, ad culpam

appellatorum referri non debet; ob id, quod appellans primùm 23. die mensis Ianuarij anno 1580. exhibuerit instrumentum continens speciem legitimæ apppellationis, & ex actis primæ instantiæ, aliisque, quæ appellans in secunda instantia ante prætactam sextam diem Februarij exhibuit, non constiterit de aliqua legitima appellatione, aut devolutione causæ ad superiorem: quod enim pro instrumento appellationis in secunda instantia ante exhibitionem dicti instrumenti novissimè exhibitum fuit, continebat quidem appellationem quandam, sed quæ omnimodò & ex triplici causa minùs legitima imò nulla reputari debuit. * 5 Primò, ex eo, quòd contineret appellationem interpositam extra judicium coram tribus Canonicis dumtaxat, quorum unus consors litis fuit, cùm debuerit interponi coram ipsis Iudicibus, hoc est coram Dominis Decano seu Vicedecano & Capitulo aut saltem coram Capituli majore parte, *Clem. 2. De appell.* In absentia enim Iudicis, cujus copia haberi potest (ut præsumitur, si non constet de impedimento & de impedimenti protestatione) interposita appellatio nullius momenti est, *l. 1. §. si quis ipsius* D. *Quando appel. sit*, *l. 1* C. *De his qui per met. iud. non appel. Lapus alleg. 39.* Angel. *cons. 130. Visis omnibus, Marian. Socinus cons. 45. Visa appellatione vol. 1. & cons. 39. Capio primum nu 32. vol. 4.*

6 † Secundò ex eo, quòd eadem appellatio verbalis tantùm fuisset vivâ voce sine ullo scripto interposita. Etsi enim vivâ voce sine scripto appellare liceat à sententia definitiva in momento latæ sententiæ, eodem die, & ut communiùs receptum est, Iudice adhuc pro tribunali sedente; ex intervallo tamen id non est permissum, sed requiritur quòd in scriptis appelletur, *l. 2. l. A sententia § fin. & ibi glos. De appel. l. Litigatoribus* C. *De appel.* Hæc igitur appellatio septima die post latam sententiam verbo interposita notoriè fuit nulla.

7 Quam nullitatem non avertit, nec excusat quòd in verbali hac appellatione & ex intervallo interposita, additum fuerit, quòd procurator appellaverat ex causis in scedula eadem die in actis exhibenda expressis: nam cùm pro forma à jure præscriptum sit, ut appellatio in scriptis fieri debeat, formaliter interponenda est, non explicandus illius actus per relationē ad scriptū aliud, præsertim tunc nondum exhibitum, sed postea demùm exhibendum: ut nec in appellatione ab interlocutoria, quæ etiam in scriptis facienda est, cum specifica expressione causarum gravaminis, *Clem. Appellanti De appel.* sufficit in scriptis appellare cum relatione ad aliud scriptum continens causam gravaminis; quia forma à jure præscripta ad unguem servanda est, *l. Vbi autem §. fundi & ibi Zasius. De verb. oblig.* Quare nihil facit ad expurgandum vitium hujus nullitatis, quòd appellantis procurator illa eadem die horâ meridianâ ex intervallo apud acta exhibuerit scedulam gravaminum; quia in ea exhibitione rursus duplex irrepsit vitium: tum quod illam exhibuerit non cum voce appellationis, sed tantùm ex declaratione gravaminum, ob quæ præcedens verbalis appellatio sic nulliter prius erat interposita: tum quòd illa exhibitio facta fuerit in absentia Dominorum Iudicum, in quorum præsentia; ut diximus, appellandum omnino erat: tertiò quòd ex ijsdem exhibitis actis non constiterat de aliqua pertinente & formali petitione apostolorum, in præsentia eorundem Dominorum Iudicum proposita, quam jus cum instantia fieri præcipit, *l. Eos §. apostolos & ibi glos. in V. oportet C. De appellat. l. 1. D. De libel. dimiss. Clem. Quamvis De appel. Cuiacius lib. 14. Observat cap. 29.* Etsi enim in ijsdem actis, non in ordine descriptorum actorum, sed omninò extra ordinem in epistographo instrumenti ad instructionem causæ exhibiti, per Notarium causæ inveniatur annotatum, quòd quintâ Septembris per partem appellantem fuerit interposita appellatio, & responsio apostolorum data; hoc tamen additum non reperitur, quòd appellans illos apostolos petierit. ‡ 8 Iam verò receptum est, quòd negligentia non petentis apostolos non emendetur nec excusetur, si ad interpositam apellationem Iudex, à quo provocatur, illos alio seu diverso tempore ultrò vel sponte det, nisi illos fortè det eodem momento, quo appellatio interponitur; quasi hoc casu festinatione & acceleratione responsionis apostolorum Iudex à quo censeatur prævenisse & impedivisse petitionem partis appellantis, illiúsque occasionem præripuisse, non etiam alio casu, Rota *decis. 46. Si appelletur De appel. alias 351. in novis, Guido Papæ decis. 436. nu. 12.* Omissa igitur petitio apostolorum induxit prætactæ appellationis, etiamsi legitimè interposita fuisset nullitatem: quia hæc omissio appellantem eo loco constituit, quasi non appellasset, *c. 1. vers. Quod si appellator De appel. lib. 6.* aut saltem appellationi suæ renuntiasset, & illam deseruisset, *c. Ab eo De appel. lib. 6.*

Quæ appellationis vitia cùm tam potenter urgeant & appellationem annullent, non immeritò pro parte appellatorum obijci potuerunt; quia causam dederunt justissimam in illis objectis tamdiu perseverandi, quàm pars appellans exhibuisset aliud illud instrumentum, quo appareret contineri, quod appellantis procurator quintâ Septembris coram Domino Decano & Capitulo capitulariter congregatis in scriptis appellasset, apostolos petijsset, & eodem momento obtinuisset. Quo instrumento posteriore viso appellati exceptionibus adversus jurisdictionem Venerabilis Domini Decani diutiùs insistere noluerunt, ad effectum impediendi ingressum litis, sed mox in illam apertè consenserunt, sub protestatione, quòd ipsis salva maneret objectio nullitatis & desertionis dictæ appellationis ad merita causæ. Hoc ergo impedimentum à dicta die 16. Februarij anni 1579. usque ad sextam Februarij anni 1580. non ex appellatorum aut alterius, sed ipsius appellantis culpa est, quod ipse non priùs de aliqua appellatione, quæ saltem in aspectu & apparentia legitima videri potuisset docuerit; ideoque idem impedimentum sibi ipsi imputare, & ad damnum desertionis referre debet, *c. Damnum De reg. iuris. lib. 6.* Et quidem tanto magis, quòd æque negligens fuerit in sequente tempore, quo & debebat & poterat reliqua prosecutionis suæ appellationis perficere, & causam ad conclusionem & sententiam inclusive perducere; quod factum non esse

esse acta hujus instantiæ demonstrant. Quæ quidem negligentia eo major & inexcusabilior est, quòd idem appellans durante hoc fatali biennio nullam petitionem, vel conclusionem de retractanda sententia, in priore instantia lata proposuerit, sed demùm tertio mense post lapsa omnia fatalia dicti biennij.

Nec est quod fatalium cursus iste impediri vel reparari potuerit clausulâ istâ, quæ in supplicatione, rescripto delegatorio inclusa, inserta fuit sub hoc verborum tenore: *Præterea fatalia quatenus durent arbitrio suo prorogandi, & quatenus lapsa sunt adversus illorum lapsum & quemcumque terminum à iure vel ab homine præfixum in integrum constituto de bono iure oratoris seu de legitimo impedimento vel diligentijs etiam ex clausula generali, si qua iusta est causa &c. prout iuris fuerit, restituendi.*† Nam ad prorogandi facultatem quod attinet, usus illius esse non potest, ob id, quòd tempore porrectæ ejusdem supplicationis videlicet 10. Aprilis anno 1579. jam tunc lapsa essent fatalia termini duorum mensium per Dominos Iudices præscripti ad faciendum initium prosecutionis; cujus generis terminus fatalis ab homine præscriptus semel lapsus facit ut nulla haberi debeat consideratio alterius fatalis temporis unius anni, vel, impedimento prosecutionis intervenientе, biennij de jure communi præscripti, *d. c. Personas*; quia terminus sic ab homine præscriptus succedit in locum termini à jure præscripti, *Innoc. in d. c. Extratione nu.* 2. & sic quia facultas prorogandi conditionaliter data est, *si durarent fatalia*, & prorogari generaliter non possit quod finitum est, & sic amplius non durat, *l. Sed etsi manente D. De precar.* manifestum est, prorogationis effectum aliquem hic constitui non posse.

Perinde est de potestate restituendi in integrum adversus fatalia lapsa, (ut verè tempore porrectæ supplicationis lapsa erant, secundùm ea, quæ prædiximus) nam & illa conditionalis est sub duplici conditione, *si constaret de bono iure appellantis seu de diligentijs & impedimentis legitimis*; de quorum neutro constat. Non de bono jure, quia per appellantem nihil allegatum aut probatum est, per quod justè dici posset cum nomine suæ uxoris hæredis Domini Rumoldi Reynarts non teneri ad implementum promissionis per eundem Dominum Rumoldum dictis Abbati & Conventui factæ, quâ inter alia hoc continetur, quòd promiserit suam promissionem & obligationem indemnitatis factam renovare coram Concilio Mechlinienſi toties quoties ad hoc ex parte Abbatis & Conventus requisitus foret, & in condemnationem voluntariam consentire, ac realiter & cum effectu omnia & singula aliâ facere, & procurare, quæ pro majore securitate & indemnitate Dominorum Abbatis & Conventus forent necessaria vel opportuna. Ad quam renovationem & procurationem dumtaxat Dominus Abbas & Conventus in prima instantia concluserunt, & præfati D. Iudices partem appellantem condemnaverunt. Non constat quoque de appellantis diligentijs factis in dicto termino duorum priorum mensium, neque etiam de aliquibus impedimentis, quæ illo termino durante intervenissent; sed nec per appellantem aliqua allegata sunt, & non allegata, quia in facto consistunt, præsumi, *l. In bello §. facta de capt. & postlim. reverſ. c. 1. De constit. lib. 6.* aut per Iudicem suppleri non debent, *l. 1. C. Vt quæ desunt advoc. part. iud. sup.* Imo ex adverso rei evidentia manifestum facit nullum prorsus impedimentum intervenisse, & merâ appellantis negligentiâ hos duos priores menses elapsos fuisse, cùm quolibet momento dicti bimestris potuerit facere initium dictæ prosecutionis, tradendo saltem præfato Paulo Kerstynen suo concivi in eadé civitate commoranti informationem & mandatum sollicitandi rescriptum delegatorium, ut fecit post lapsum tertium mensem. Ita quòd restituendi adversus lapsa fatalia potestas sic restrictè Domino delegato Iudici ad hanc causam concessa nullius momenti vel efficaciæ sit; potissimùm quia concessioni hujus potestatis adiecta sit clausula, *Prout iuris fuerit*, quæ apertè indicat restituendi potestatem non esse in libera facultate Domini delegati Iudicis, nec ipsi concessum illius liberum arbitrium, sed dumtaxat regulatum & restrictum ad terminos juris: & sic hæc verba, *Prout iuris fuerit*, qualificant & restringunt præcedentem concessionem, ut nihil dispensent vel relaxent ex jure communi, sed ad illius observationem Iudicem adstringant, *c. 2. in fine De confeſ. lib. 6. And. Alciat. conſ.* 385. *Licet ordinarijs nu.* 3. quia non permittunt, ut aliter possit concedi restitutio, quàm ex causa jure probata, qualem appellans nullam omninò allegavit vel ex parte Iudicum à quibus appellatum est, vel ex parte appellatorum, vel ex inopia aut aliquo casu fortuito; & ob id restitutionis nulla potest esse potestas, præsertim quia constitutum sit, *l. Nemo C. De temp. appel.* appellationem desertam ne quidem Principis rescripto reparari, aut exerceri posse, & infamiâ notari eum, qui super appellatione deserta rescriptum impetravit, *l. fin. C. Vt lite pend. Alciat d. conſ.* 385. *nu.* 3. De quo in proposito minùs dubitandum est, ob id, quod præter desertionem per negligentiam prosecutionis in dictis duobus prioribus mensibus, postea quoque accesserit plenissima desertio ex lapsu omnium fatalium temporum jure communi præscriptorum, hoc est anni, & interveniente justo impedimento biennij, *Auth. Ei qui appellat. C. De temp. appel.* Quia igitur præcisa non est restitutio adversus fatalia, sed tantùm mandata cognitio restitutionis, cum potestate illius concedendæ, si jus pateretur, hoc est, si justa esset causa; & jus non patiatur sic omnimodò desertam ampliùs exerceri, aut adversus eam beneficium restitutionis concedi; restituendi ut non est occasio, ita nec potestas, propter lapsa fatalia omnia tam ab homine quàm jure concessa: post quem lapsum non curatur ampliùs nec inquiritur de bono jure appellantis, nec de appellationis justitia; quia sententia, quæ vel omissa vel deserta appellatione transivit in rem judicatam, etiamsi re vera iniqua esset, inter partes litigantes pro veritate habetur & jus irretractabile facit, *l. 1. §. pari modo De liber. exhib. l. Sive De lib. agnoſc. Bald. conſ.* 363. *Si thema vol.* 4.

Sed etsi ea clausula adjecta non fuisset, sed potestas restituendi adversus lapsa fatalia purè & 10

simpliciter concessa, nihilo plus efficaciæ haberet hęc concessio; ob id, quòd appellans in nulla parte actorum hujus secundę instantiæ aliquam restitutionem in integrum adversus lapsa fatalia petierit. Neque enim Pontifex ipse, ut diximus, præcise restituit, sed restituendi potestatem dumtaxat concessit; quæ ut necessitati restituendi Iudicem non subjicit, *l. Non quicquid De iudic. l. 1. C. Quomodo & quando Iudex &c.* ita quoque nullius effectus est, si per appellantem postea introducta causa appellationis coram Iudice delegato formaliter non impetratur restitutio. Etsi enim nullâ formali petitione aut restitutione opus sit ad impetrationem secundi fatalis anni, propter impedimenta, quæ in primo anno intervenerunt; ob id, quòd ipso jure secundus hic fatalis annus propter impedimenta competat appellanti, *Glos. ad V. indulgeatur in d. Auth. Ei qui appellat*, *Calderinus cons. 10. An secundus annus De appel. steph. Aufrer. decis. Tholos. 445.* ad impetrationem tamen ulterioris temporis post lapsum dictum secundum fatalem annum, aut etiam post lapsum brevius tempus à jure præscriptum, si justa subest causa, cur appellans in prosecutione appellationis adhuc audiri debeat, ipso jure non succurritur impetranti, sed necessarium omninò est beneficium restitutionis in integrum. *Glos. in d. Auth. Ei qui appellat. adverb. manet sententia, Innoc. in d. c. Ex ratione sub fin. vers. Sed per beneficium restitutionis, & ibi Panor. nu. 9. & Decius nu. 12. Paul. Paris. consil. 108. Pro solutione vol. 4.* quod nulli nisi petenti & imploranti conceditur; ut pleraque omnia quæ ab officio Iudicis dependent; *Card. in Clem. 1. nu. 2. De restit. in integr.*

Quæ cum tam evidenter vera sint, & per se appellatis sufficere debeant, non est necesse latiùs & scrupulosiùs hoc iterum asserere & deducere, quòd appellatio, quam appellans hic prosequitur, vitio nullitas sit infecta ex tribus illis causis, quas superiùs obiter attigimus. Quoquò igitur res vertatur, elucescit & manet dictæ appellationis si non omnimoda nullitas, saltem inexcusabilis & irretractabilis desertio; ob quam sententia dictorum Dominorum Iudicum prioris instantiæ plenissimè
11 in rem judicatam transijt; * nullumque ob id aliud sit Venerabilis Domini Decani officium, quàm declarare hanc desertionem, & appellantem in expensis condemnato causam ad priores Iudices, à quibus provocatum est, pro executione remittere; nullo autem modo eandem sententiam retractare ex capite injustitiæ seu iniquitatis, si fortè de aliqua constare posset: deserta enim appellatione Iudex, ad quem provocatum est, potest si velit ex abundanti sententiam, à qua appellatum est, confirmare, *Rota decis. 14. alias 98. Licet appellatio De appellat. in novis, & 41. alias 453. Nota licet appellatio De appellat in antiq.* nullo autem modo rectractare vel reformare, etiamsi partes consenserit; quia non habet ad hoc aliquam jurisdictionem, *Clem. Si appellationem De appel. & ibi glos. in V. appellatus, Hostien. in d. c. Ex ratione glos. in l. Eos in verb. vel. iniustam & ibi Bart. C. De appel.*

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio, attentatorum revocatio.

1. *Iudex à cuius sententia appellatum est, desinit esse Iudex.*
2. *Appellationis effectus quis?*
3. *Appellans non cogitur reverti ad Iudicem à quo.*
4. *Attentari nihil potest in præiudicium appellationis.*
5. 16. *Attentata ante omnia revocanda, etiamsi causa appellationis sit iniusta.*
6. *Fatalia non currere pendente iudicio attentatorum.*
7. 11. 13. *Tempus à iudice præfixum quando appellanti sit fatale.*
8. 15. *Appellans quomodo & quando initium appellationis prosequendæ facere debeat.*
9. *Appellanti annus & ex causa biennium indulgetur.*
10. *Appellatione deserta quid possit Iudex.*
12. *Terminus à lege vel Iudice præscriptus quando lapsus dicatur.*
14. *Consuetudo non inducitur ex actibus voluntarijs.*
17. *Attentorum revocatio non impeditur per defectum iuris in principali.*
18. *Attentata revocanda etiam appellatione deserta.*

CONSILIVM CXCIX.

DEDVCENDO quòd pro parte M. Philippi Bawetij appellati sit verè in præjudicium appellationis seu appellationum à sententijs Dominorum Iudicum appellationum Vniversitatis Lovaniensis contra Lambertum Smoers appellantem interpositarum attentarum & innovatum, & ob id idem appellans ex beneficio juris rectè contendat, ad attentatorum revocationem in primis & ante omnia, hoc est etiam ante sententiam definitivam in negotio principali in causa appellationis ferendam; ut indubiè permittitur, cùm appellatum est à sententia definitiva, sive hujusmodi attentata sint facta ante, sive post inhibitionem Iudicis, ad quem appellatum est, vel cui causa appellationis commissa est; *c. Non solum De appel. lib. 6. & ibi glossa in verb. ante omnia, Ioannes de Amicis consil. 36. In causa*; † hoc præmittendum putamus, quòd Iudex, † 1
à cujus sententia provocatum est, si ritè & legitimè tempore debito appellatio interposita fuit, & tempore à jure præscripto apostoli cum debita instantia petiti, & potissimùm si Iudex, à quo appellatum est, ob honorem & reverentiam Iudicis superioris, ad quem appellatur, appellationi interpositæ reverenter detulit, desinat esse Iudex, & nullam partem jurisdictionis retineat, tam quoad partes litigantes, quam quoad causam, in qua judicando & sententiam definitivam pronuntiando officio suo functus dicitur, *l. Iudex post eaquam De re iudic.* etiamsi executio sententiæ facta non sit, si modò à sententia sit appellatum, *c. Dilectus 2. in fin. De rescript. c. Vt debitus De appel.* * Nam appellatio 2
causam cum omnibus suis accessorijs ad superiorem devolvit, *c. Dilectis filijs De appel. c. Nos inter De purgat. canon.* appellantem à jurisdictione Iudicis, à quo provocatur, eximit quoad illam causam, *c. Directæ c. Ad hæc. 6. Proposuit De appel.* idque efficit, ut Iudex ab executione sententiæ & omni ulteriore cogni-

cognitione supersedere debeat, suspensa & dormitante interim ejus jurisdictione, quamdiu ejus sententia per superiorem provocatum Iudicem confirmata non est, *c. super eo, c. Pastoralis §. verum De appel l. ult. §. fin autem C. De temp. appel. c. Si a iudice De appel. lib. 6. c. Cum inter De sent. & re iud.*

3 Ideoque appellans cogi non possit, ut pendente appellatione veniat seu revertatur ad Iudicem à quo, sive ad instantiam appellati, sive ex voluntate Iudicis: ne si post appellationem ad Iudicem à quo compareat, & aliquid appellationi præjudiciabile agat censeatur appellationi suæ renuntiare, *c. Gratum in fin. De offic. deleg. c. Sollicitudinem De appel. c. Cum venisset De testib.* † Vnde consequitur ut

4 nec Iudex à quo appellatum est, nec appellatus pendente appellatione, possint aliquid contra appellantem attentare aut innovare, & omnium minimè contendere aliquo modo ad executionem sententiæ à qua appellatum est; sed debeant omnia durantibus appellationis fatalibus in eodem statu permanere, *l. Sciendum De appel. recip. l. 1. §. propter D. Nil nova De appel. pend.* sive recepta, sive non recepta sit; ne præjudicium fiat, quoad superiorem deliberetur, an accipi debeat. *d. l. 1. D. Nil nova appel. pend.* & si quid in contrarium per Iudicem à quo vel coram eo actum erit pendente appellatione, id debet statim & sine mora per provocatum Iudicem revocari, cassari & annullari, *l. Ei cuius De appel. recip. d. c. Sollicitudinem, c. Ex conquestione De restit. spoliat. c. Venientes De iureur. d. c. Non solum.* Cùm ergo ex actis secundæ instantiæ in hac causa constet, quod pro parte dicti Lamberti ritè & legitimè ad Sedem Apostolicam appellatum sit à sententijs definitivis per dictos Dominos Iudices 16. Februarij anno 1582. latis, quodque ijdem Iudices altera, hoc est 17. die ejusdem Februarij respondendo de apostolis his appellationibus ob honorem S. D. N. Papæ detulerint, præfigendo eidem appellanti quatuor menses ad actus consuetos, nec debuit nec potuit dictus M. Philippus, seu ejus procurator durantibus saltem, & necdum lapsis illis quatuor mensibus aliquo modo in præjudicium pendentis hujusmodi appellationis attentare aut innovare; nec præfati Iudices aut eorum Commissarius sic attentanti aut innovanti audientiam exhibere, vel cognitionem aliquam accommodare. Cujus tamen contrarium faciendo idem M. Philippus, seu ejus procurator temerè præsumpsit 24. Aprilis tunc proximè sequentis, durante adhuc illo quadrimestri, coram dictorum Iudicum Commissario judicialiter comparere, & sub prætextu desertæ ex solo lapsu duorum priorum mensium petere, ut causa & partes pro ulteriore justitiæ complemento (hoc est pro executione sententiarum prius latarum) ad Magnificum Dominum Rectorem prioris instantiæ Iudicem remitterentur; cui petitioni dictus Commissarius aures accommodando, & cum eodem M. Philippi procuratore pariformiter in præjudicium appellationis attentando 19. Iunij decrevit per appellantem ad proposita & allegata M. Philippi respondendum esse, non obstante protestatione per procuratorem Lamberti de pendentia suæ appellationis & attentatis; perseverante ex adverso dicti M. Philippi in hujusmodi remissionis petitione, processumque per varios & plurimos actus Iudiciales continuare usque ad mensem Novembris tunc proximè sequentem, quo per Venerabilem D. Iudicem ex apostolico rescripto delegatum ad tertiam instantiam, dicto M. Philippo inhibitum fuit, ne quid ulterius in præjudicium hujus appellationis attentaret: magna sanè ejusdem M. Philippi pertinacia, & non in minore imperitiâ dictorum Iudicum seu Commissarij, qui dictum M. Philippum super hac remissionis petitione procedentem toleraverunt, eandemque petitionem tribus diversis decretis successivè promoverunt. Ita ut dubitandum non sit quin hæc vera sint attentata, & ob id privilegiato remedio juris revocari & annullari debeant, causaque ad eum statum reduci, quo tempore interpositæ appellationis erat, *c. Bene De appel.* & præterea dictus M. Philippus in expensis coram dictis Iudicibus post præfatorum apostolorum responsionem, & in hoc attentatorum judicio factis condemnari, *Rota decis. 13. aliàs 1. Vt lite pendente in novis.* Idque ut diximus, imprimis & ante omnia simulatque de hujusmodi attentatis D. Iudici constat, *d. c. Non solum & ibi glos. in verb. Ante omnia,*

† ita ut cum de ijs constat, attentatorum cogni- 5
tio & definitio non sit differenda, donec causa principalis sit concluſa & instructa, etiamsi apparerer appellantem notoriè jus in principali non habere; ut communiore opinione, præsertim in rebus profanis receptum, & usu fori seu in praxi comprobatum est, *Alex. cons. 99. Visis processibus nu. 9. & ibi in addit. Molineus vol. 5. Didac. Covar. pract. quæst. c. 23. nu. 4.*

Ita enim privilegiatum est hoc juris remedium, 6
quod eo proposito appellans non cogatur, si nolit, causam appellationis principalem prosequi, nisi prius super attentatis pronuntiatum sit, *c. Non solum & ibi Doct. Afflict. decis. 91. nu. 3.* idque propter contemptum Iudicis & partis, quæ ad beneficium appellationis confugit, *Rota decis. 57. aliàs 4. sub tit. Vt lite pendente in novis.* Vsque adeò ut pendente judicio attentatorum, fatalia causæ appellationis non currant, sed in suspenso hæreant, & fatalibus appellationis deducendum sit omne tempus quo de attentatis actum fuit, *Rota decis. 102. aliàs 15. sub tit. De appel. in novis, & decis. 448. aliàs 79. De appel. in antiq.* Videamus igitur quodnam illud sit in quo tam confidenter pars adversa pedem figit, ut putet se nihil injuria, sed summo jure attentasse in præjudicium harum appellationum? Poni id deprehendimus, in eo, quod præfati Iudices respondendo de apostolis præfixerint Lamberto quatuor menses ad actus consuetos; hoc autem actus esse duos. Priorem, ut appellans durantibus duobus prioribus mensibus, & ante eorum lapsum faciat initium prosecutionis suæ appellationis per missionem supplicationis ad S. D. N. Papam; posteriorem, ut in reliquis duobus mensibus Appellans coram Iudice à quo fidem faciat seu doceat de sic facta diligentia prosecutionis. Iam verò putavit M. Philippus appellantem, nec priorem nec posteriorem actum fecisse, & ob id ejus appellationes desertas, & per desertionem bene potuisse peti à dictis Iudicibus dictam remissionem ad D. Rectorem pro ulteriore justitiæ complemento; quia nihil sit quod appellato aut dictis Iudicibus seu

ipsorum Commissario pro attentato aut innovato objici, multo minus pro tali imprimis & ante omnia retractari possit; cùm appellatio deserta pro ea sit quasi ab initio interposita non fuisset, *l. ult. § illud in verb. Tanquam si ab initio* C. De *temp. appel.* vel interpositæ de facto appellans renuntiasset, *c. Directa De appel.* & sic nullum sit objectum respectu cujus attentatum dici possit.

7 Cæterùm per omnia non satis conveniunt appellatus & appellans in constitutione & discrimine horum duorum actuum, *Rota decis.* 464. *alias* 76. *sub tit. De appel. in antiq.* & separatione duorum priorum mensium, à duobus posterioribus: nam etsi in eo satis conveniant quod duo priores menses sint morosi (ut inquit Baldus, *in l. Præses in princ.* C. De *appel.*) omnino fatales, ita ut si illis durantibus debito officio non fungatur appellans, nec faciat actum qui in illis requiritur, appellatio irreparabiliter efficiatur deserta, & sententia transeat in rem judicatam, *c. Personas cum c. Sequent. & ibi Panor. & Decius De appel.* in forma tamen expediendi illum priorem actum non satis conveniunt, ob id, quod appellatus sustineat illum priorem actum explicandum esse per formalem & realem missionem supplicis libelli ad Romanam Curiam pro impetratione Iudicis delegati, super appellatione, ita ut si ante lapsum horum duorum priorum mensium, supplicatio non fuerit in itinere ad urbem, non sufficiat quod prius sollicitatori tradita post illum lapsum realiter in viam Romam destinetur; eamque ob causam dictas appellantis appellationes fuisse desertas, quod appellans non probaverit ante lapsum illorum duorum priorum mensium suum supplicem libellum realiter Romam fuisse transmissum: Appellans verò contendit sufficere solam traditionem hujusmodi supplicis libelli ad manus solicitatoris alicujus ex his ad quos in partibus istis committet pro expeditione talis actus solet haberi recursus. In qua contentione appellatus non probavit quod actus ille ita formaliter explicari debeat, ut nec jure id invenitur statutum; sed pro contraria allegatione appellantis stet major probabilitas, & juris non ob cura definitio, quod sufficiat sola supplicationis ad manus sollicitatoris seu directoris in partibus traditio in quacumque parte, & quolibet etiam extremo momento dictorum duorum priorum mensium ad evitandum periculum desertionis, quod latet

8 in fatali tempore eorundem duorum mensium. Nam jure communi ei qui tempus ad prosequendum suam appellationem seu se exhibendum Iudici ad quem appellavit, sufficit vel sola itineris arreptio, & præparamentum ad illud, seu quæcumque alia diligentia ad finem inchoandæ prosecutionis destinata, *c. Cum causam De re iud. c. Cum sit, c. Ad hæc 4. De appel.* Et ita quidem ut nunc in usu & praxi fori obtinuerit & frequentetur, ut sufficiat vel sola diligentia dari mandati vel supplicis libelli apud solicitatorem seu directorem negotiorum in Romana Curia ad finem obtinendi rescripti apostolici; non tantùm ad finem evitandæ desertionis, verum etiam ad effectum obtinendi secundum fatale etiam post lapsum terminum prosequendæ appellationis à jure præscriptum, qui est unius integri anni, *Ludov. Roman. in l. 2. De re iud. Cassador. dec.* 5. 4. & 6. De *appel.* multò magis in breviore tempore ab homine, hoc est à Iudice præfixo; prout aliquot decisionibus auditorij Rotæ Romanæ decisum est, *Rota decis.* 94. & 155. *Quæ aliàs sub tit.* De *appel sunt* 13. & 25. *in novis, & decis.* 538, *aliàs* 48. *eod. tit.* De *appel. in antiq.* Cùm igitur ex certificatione D. Petri Castillij, quam appellans coram dictis D. Iudicibus exhibuit 29. Maij dicto anno 1582. constet quod ipse tanquam negotiorum Romanę Curię sollicitator acceperit à Lamberto non tantùm commissionem impetrandi rescriptum super appellationibus dicti Lamberti coram M. Philippum Bauwetium, sed etiam realiter & cum effectu scripserit & miserit ad urbem, eaque certificatio sit sub data 22. Martij eodē prædicto anno 1582. atque ita statim à lapso primo mense, & sic adhuc durante secundo ex dictis duobus prioribus; dubium nullum potest esse quin appellans officio suo satisfecerit, dictæ præfixioni intra primum mensem sic realiter parendo. Cui certificationi meritò fides adhiberi debet, tum propter dicti Castillij notoriam fidem, legalitatem, & communem recursum ad ipsum in hujusmodi negotijs: ut id aperte etiam pars appellata recognovit appellanti objiciendo quod dictus Castillius sit diligens in impetrandis & obtinendis in urbe expeditionibus; tum quod attestanti de facto proprio fides dari soleat, præsertim in exercitio alicujus officij, ex authoritate aut usu publici; ut est in argentarijs, nummularijs, & similibus hominibus, *l. Argentarius* §. 1. D. De *eden. l. Si quis decurio & ibi glos.* C. *Ad leg. Cor. De falsis.* Prout etiam pars appellata dictę certificationi fidem non detraxit ex singularitate hujuscemodi testimonij, neque etiam ex inidonea aliqua qualitate quoad illius personam, quod fide dignus non sit; sed tantùm per negationem scripturæ hujusmodi certificationis, quod manu ejusdem Castillij fuerit scripta. Cæterùm cùm hanc negationem procurator appellantis calumniosam esse diceret, eandemque per appellatum sub juramento calumniæ affirmari peteret (uti hoc tam à parte adversa quam ejus procuratore petere poterat, *c.* 2. §. *Procuratores De iuramen. calum. lib.* 6.) & in eventum hujusmodi affirmationis & perseverationis in dicta negatione offerret incontinenti probare dictæ scripturæ veritatem; pars appellata seu ejus procurator deliberando super hac appellantis petitione, & oblatione, neque peti tam affirmationem fecit, neque oblatam probationem admisit; sed tacitè à negatione prædicta recedendo & veritatem manus seu scripturæ satis agnoscendo ex alia causa contra dictam certificationem excepit de deficiente verosimilitudine eorum quæ in illa narrabantur: ita quod præfatos Dominos Iudices seu eorum Commissarium commovere non poterat, ut nec commovit hæc scripturæ negatio; imò nec prædicta deficientis verolimilitudinis exceptio seu objectio: ob id, quod super hujusmodi dicti appellati negatione, & deficientis verosimilitudinis objectione, nec non allegatione consuetudinis (de qua mox dicetur) atque item super petitione & oblatione appellantis, per dictos Iudices seu ipsorum Commissarium 11. Septembris interloquendo dumtaxat decretum & ordinatum sit super allegata consuetudine

suetudine informationem esse capiendam; sic tacitè reijciendo appellati prætactam negationem & deficientis verosimilitudinis allegationem, exonerando etiam appellantem ab oblata probatione manus & scripturæ dicti Castillij, constituendo ulterius statum causæ non in eo an appellans in primis duobus mensibus diligentiam prosecutionis fecerit per veram & realem missionem suæ supplicationis ad urbem, sed in eo an statim lapsis his duobus prioribus mensibus pars appellata possit ad executionem sententriæ à qua appellatum extitit coram Iudice à quo procedere, si appellans ultrò non doceat de facta hujusmodi requisita diligentia; ut si possit, non possint pro attentatis accipi quæcumque pro parte appellati, saltem ante exhibitionem dictæ certificationis coram Iudice à quo facta sunt, sin vero non possit, justa fuerit appellantis oppositio, & perinde justa in hac causa de attentatis querela ad effectum revocationis & cassationis illorum. Quem dicti decreti seu ordinationis intellectum apertissimè declarat appellatus in scedula articulorum, quos in hac instantia pro justificatione eorum, quæ sic egit & impugnatione querelæ attentatorum exhibuit; in quibus nulla est mentio alicujus obiectionis adversus dictam certificationem, tam quoad scripturæ, quam contentorum seu narratorum in ea deficientem veritatem seu verosimilitudinem: Ita quod hujusmodi certificationi plena fides ex omni parte merito attributa fuerit, & attribui debuerit. Et sanè quoad obiectionem deficientis verosimilitudinis probabilitas nulla est, sed ex adverso, ex re ipsa verosimilitudinis, imò absolutæ veritatis extat in proposito sufficiens vel saltem præsumtiva probatio; per hoc quod quæstione super prætacta remissione causæ coram dictis Iudicibus seu eorum Commissario indecisa pendente, Appellans ex urbe Romana receperit; & venerabili D. Decano S. Iacobi Lovaniensis delegato Iudici exhibuerit, & illius vigore parti appellatæ ne ulterius coram dictis Iudicibus in præjudicium hujus causæ appellationis procederet inhiberi fecerit. Cujus quidem rescripti in urbe impetrati data est de 22. mensis Junij dicti anni 1582; ex qua data respectum ad tempus præteritum habendo verisimillimum fit quod supplicatio appellantis pro obtinendo dicto rescripto ante 22. Martij Romam fuerit realiter missa, quia ex die 22. Martij usque ad 22. Junij tres duntaxat menses intercesserunt; quibus bene opus fuit non tantum quo ad transmissionem supplicationis; nunc præsertim cessante per hæc turbida tempora solita diligentia & celeritate cursus publici seu postæ; qui ex his regionibus Belgicis Romam versus nunc notorie tardior est, quod propter multas hostilitates solitum iter non teneat, sed per ambages decurrat: verum etiam propter notoriam tarditatem expeditionum in Romana Curia, & sollicitatorum, ad quos supplicationes mittuntur pro impetrandis rescriptis, vel occupationes vel moras, quibus nulla incumbit necessitas ex partibus acceptas supplicationes in momento, quo illas accipiunt, velut cum sacco paratis S. D. N. Papam adire pro obtinenda signatura, & ea obtenta in vestigio Abbreviatorem adire pro rescriptorum expeditione: habent enim hæc omnia naturalem quendam tractum temporis in his, quæ vel ex longinqua regione agenda vel petenda sunt, ut quemadmodum nimia negligentia, aut tarditas non admittitur, ita quoque non consideretur, ad culpam more excusandam, nimia festinatio & diligentia, *l. Continuus §. cum ita stipulatus De verb. oblig.* præsertim quod hujusce modi sollicitatores sine periculo partium quoad desertionem appellationis etiam ad menses aliquot differre possint impetrationem rescriptorum; cum, ut superiùs dictum est, sufficiat illud impetratum esse etiam in fine, imò in ultimo die anni in interposita appellatione, *Cassad. d. decis. 4. & 6. de appel.* † qui annus quia legalis est indulgetur 9
appellanti, *Novel. 49. de his qui ingred. ad appel Novel. 93. de appel. Auth. Ei qui appellat. C. De temp. app. c. cum sit Romana c. Oblatæ De app.* etiam tunc, cùm Iudex à quo appellanti præfigit certum aliquod tempus prosequendæ appellationis, *Paner. & alij in d. cap. Personas*; satisque est in eo tempore factum esse initium prosecutionis vel per arreptionem itineris, vel transmissionem supplicationis: quo facto succedit beneficium juris quoad ulteriorem prosecutionem non tantùm reliqui temporis dicti anni, quod superest ab interposita appellatione, sed etiam alterius insuper anni pro secundo fatali proprer diligentias in priore anno factas, *Cassad. d. decis. 4. & 6. Ioan. Bapt. Ferret. cons. 56. Vertitur dissicultas nu. 8. & cons. 202. Reverende pater nu. 2.*

Certum itaque & indubitatum est, has per appellantem à sententijs Dominorum quinque Iudicum interpositas appellationes 24. Aprilis an. 1582. (quâ appellatus hæc attentata facere cœpit, & usque ad inhibitionem per D. Iudicem hujus instantiæ ei factam continuavit) minimè fuisse desertas, propter actum illum initij diligentiarum non factum seu explicatum intra dictos duos priores menses. * Quod & appellatus ipse satis 10
agnoscit & fatetur, per hoc, quod in causa principali dictarum appellationum in hac tertia instantia nusquam objiciat desertionem, nec ad declarationem desertionis, sed malè & injustè interpositæ appellationis, & confirmationem earundem sententiarum concludat: quo non esset opus, si eodem appellationes desertionis vitio subjacerent: imò, ex quorundam opinione, ne quidem in potestate partis appellatæ est post desertionem id petere, multò minùs in potestate Iudicis id judicando declarare; ob id, quòd desertâ appellatione ipso jure sententia à qua transeat seu revertatur in rem judicatam, & is ad quem provocatum est Iudex causæ appellationis esse definat, *Bald. consil. 390. Punctus super quæ vol. 3.* manente ei dumtaxat facultate declarandi appellationem desertam, causamque & partes remittendi ad Iudicem ad quem, & partem appellantem condemnandi in expensis, ultra quæ quicquid facit Iudex ad quem, nullum omninò est, tamquam f. ctum à non Iudice, *l. Furti in fine princ. D. De his qui notan. infam. glos. in l. Eos iudices vers. item quid si tempora, & ibi Bald. nu. 5. C. De appel. Alex cons. 104. Circa primum & 114. Visa scripturarum vol. 5.*

Expediti ergò de actu, qui debebat fieri, & revera

revera factus est in prioribus duobus mensibus per dictos Iudices appellanti præfixis, transgrediamur ad actum, qui in duobus posterioribus mensibus explicari debebat; hoc est quòd appellans debuerit docere & dictis Iudicibus à quibus fidem facere de diligentia facta in prioribus duobus mensibus circa initium prosecutionis appellationum prædictarum. In quo quidem convenjunt appellatus & appellans, quòd id ita fieri debuerit; ut etiam ex juris communis dispositione & notoria judiciorum observatione requiritur, *d. c. Personas & ibi Panor. & Decius*: factum tamen esse negat appellatus per ea, quæ adversus præmentionatam D. Castillij certificationem objecta esse diximus. Sed qua ratione ad sustinendam veritatem explicati actus in prioribus duobus mensibus requisiti, dictam certificationem justificavimus, ex eadem quoque veritatem secundi actus in posterioribus duobus mensibus requisiti constituimus; videlicet quòd appellans durante hoc bimestri de facta diligentia in prioribus duobus mensibus, dictis Iudicibus fidem sufficientem fecerit per exhibitionem ejusdem certificationis, factam in primo judiciali actu, post petitam ex parte appellati remissionem causæ; licet eo non obstante appellatur attentata continuando & multiplicando per plures & diversos actus judiciales coram dictis Iudicibus seu eorum Commissario, in petitione remissionis, in præjudicium interpositarum appellationum, perseveraverit usque ad inhibitionem per venerabilem D. Iudicem hujus tertiæ sustantiæ factam, idque ea falsa persuasione, quòd appellante ultrò statim à lapsu priorum duorum mensium non docente de diligentijs in ijsdem duobus prioribus mensibus realiter factis, appellatus potuerit procedere ad executionem sententiæ, atque à dictis Iudicibus, seu eorum Commissario petere, ut causam & partes pro ulteriore justitiæ complemento, hoc est pro executione sententiæ ad D. Rectorem remitterent. Idque expressa hac sola causa, quòd ex parte appellantis in duobus prioribus mensibus nullæ fuerint factæ diligentiæ. Quæ sic expressa causa ut apertè falsa & erronea est; & talem esse exhibita certificatio D. Castillj, & in conformitatem illius postea exhibitum rescriptum delegatorium re ipsa demonstrant: ita quoque falsa & erronea censeri debet persuasio facultatis sic petendi remissionem, & procedendi ad executionem,
11 durantibus adhuc illis duobus mensibus. * Etsi enim veritas non factæ diligentiæ in primo bimestri, ut diximus, operetur omnimodam & irreparabilem appellationis desertionem; non tamen hoc etiam operatur, ut ante lapsum duorum posteriorum mensium appellatus possit progredi ad executionem sententiæ: neque etiam hoc, ut idem appellatus ante finem illorum duorum posteriorum mensium possit appellantem præcisè cogere ad docendum de factis diligentijs in priori bimestri, vel formaliter id petendo, vel per obliquum per petitionem remissionis seu executionis sententiæ effectualiter ad id appellantem compellendo, sine periculo attentatorum & innovatorum. Nam ut consulendo respondit Fredericus de Senis, *cons.* 28. *Punctus quæstionis*, non invenitur hoc in jure vel Iudici vel parti appellatæ permissum, quòd durantibus adhuc his duobus mensibus posterioribus cogere vel urgere possit appellantem ad docendum de factis diligentijs; multò minùs quòd ipso appellante tacente interea progressum aliquem facere possit ad executionem sententiæ. Et sanè bonâ ratione: nam hi quatuor menses per Iudicem à quo præfixi in effectu sunt loco illorum quatuor mensium, qui judicatis non appellantibus ad judicatum faciendum commiserationis & humanitatis causâ concedi solent, *l.* 2. *C. De excep. rei iudic.* quos nec pars victrix, nec Iudex umquam prævenire potest, sed exspectare cogitur, donec omnimodò præterierint, *l.* 4. §. *si quis condemnatus D. De re iudic.* Unde etiâ est, quòd quatuor hi menses, quos lex condemnatis induiget, non dentur illi condemnato, qui à sententia condemnationis appellavit quidem, sed intra tempus, vel à jure vel ab homine præfixum, appellationem non prosequendo deseruit; ne duplicatas per commentum appellationis sic extorqueat, adversus executionem judicati, inducias, *l. Quoniam nonnulli* 1. *C. De appel. Alex. cons.* 16. *Etsi puto nu.* 4. *vol.* 3. præsumitur enim tunc malitiosè appellasse, ut vim executionis eludat, ut ait Baldus, *in d. l. Quoniam nonnulli nu.* 2. † Et ita quidem appellanti integra servari debent tempora hujus posterioris semestris sine ulla inquietatione, ut nec ultima die horum duorum posteriorum mensium appellatus aut Iudex possit appellantem inquietare, aut ad docendum de factis diligentijs cogere; quia nimirum totum hoc tempus integrum ei indultum est. Vt & in alijs omnibus dilationibus, quæ vel ex juris beneficio, vel ex conventione partium alicui ad quemcumque actum explicandum conceduntur, vel præfiguntur ad hoc, ut is dici possit id non fecisse intra terminum præscriptum, exspectandum est, donec extrema hora extremumque momentum totius præscripti termini sint lapsa, *l. Hoc iure De verb. oblig. l. Obligationum ferè in princ. De oblig. & act.* totum enim hujusmodi tempus est in arbitrio & potestate ejus, cui illud præscriptum est, §. *omnis vers. at ne eo quidem Inst. De verb. oblig.* Ita ut nisi præterito toto tempore & ultimâ illius horâ non possit dici intra præscriptũ terminum quid actum non esse; & ob id totus ultimus dies præscripti temporis computatur in ipso termino, *l. In omnibus De act. & oblig. l.* 1. §. *si intra De succes. edicto.* idq; sive annus, sive mensis, sive dies aliquot præscripti sint ad aliquid faciendum, *l. Qui hoc anno De verb. oblig.* sive quid intra vel infra annum, mensem, vel dies præscribatur, *l. Si ita stipulatus*, *l. Qui Romæ* §. *Callimachus De verb. oblig.* imò si quid faciendum erit ante annum, mensem, vel diem, *Aulus Gellius lib.* 18. *cap.* 13. Hæc enim omnia etiam ex Grammaticorum judicio, juris potestate in idem recidunt, & completionem lapsumque totius temporis requirunt, ut quid præscripto tempore dicatur non esse factum, ad hoc, ut non facienti pœna à Iure vel homine statuta commissa, aut beneficium à jure indultum amissum dici possit, *l. Si ita fuerit* §. *ult. De manumiss. testam. l. Arbiter intra certum*, *l. Celsus aut. De recep. arbitr.*

Quæ cùm ita sint, manifestum est in proposito pœnam desertionis appellanti superinduci non potuisse, quòd ante 29. Maij appellans coram dictis 12 Iudi-

Iudicibus non docuerit de diligentia facta in duobus prioribus menſibus, ex quo id facere poterat quocumque die, uſque ad decimam ſeptimam menſis Iunij, illâ etiam totâ inclusâ; & ſic illi fraudi eſſe non debeat, quòd ante 29. Maij id non fecerit, cùm ad citiùs faciendum cogi non poterat, propter indultum à jure & à dictis Iudicibus, ſeu eorum Commiſſario quatuor menſium beneficium, *c. Indultum De reg. iuris lib. 6.* & appellans id faciendo 29. Maij pluſquam tempeſtivè fecerit; quod id etiam poſtea uſque ad 17. Iunij faciendo abundè ſatisfeciſſet, ad præcavendum, ne appellatus citeriore die poſſet apud dictos Iudices, à quibus provocaverat, inſtare pro remiſſione cauſæ ad effectum executionis ſententiæ; multò magis id efficere, ne vel tunc durante curſu dictorum duorum menſium, quod nullam habet dubitationem, vel poſtea lapſis illis, ſibi appellanti objici poſſet deſertio dictæ appellationis, etiamſi de facta diligentia nullo momento dictorum duorum poſteriorum menſium apud dictos Iudices docuiſſet.

13 Nam ut hoc quoque ad illuſtrationem hujus materiæ addamus, magnum diſcrimen eſt inter duos priores menſes ad faciendum diligentiam ſeu initium proſecutionis, & inter alios poſteriores, ad docendum de diligentijs: quia licet illi duo priores omninò & irreparabiliter ſint fatales, ut diximus, eoque loco ipſo jure conſtituant appellantem, quaſi non appellaſſet, ſi illis durantibus initium proſecutionis non fecit, *Bald. in l. Præſes in princ. C. De appel.* poſteriores tamen duo perinde fatales non ſunt, nec à Doctoribus inter fatales terminos referuntur, ut tradit Baldus, *in d. l. Præſes in princ.* nec ex eorum lapſu inducitur appellationis aliqua deſertio, ſed hujus negligentiæ ſeu omiſſionis effectus in eo conſiſtit, quòd ob eam non poſſit dici appellatio deſerta, quod eſt inſanabile & irreparabile vitium, quantumvis pars appellata ſtatim & incontinenti à lapſu horum duorum poſteriorum menſium poſſit inſtare, & Iudex à quo irreprehenſibiliter progredi ad ſuæ ſententiæ, à qua appellatum eſt, executionem, ſaltem tamdiu & donec ei per Iudicem ad quem inhibitum fuerit; ita ut ante inhibitionem perfectè & plenè facta executio per viam attentati retractari non poſſit, ſed in ſuo effectu perdurare, donec per Iudicem ad quem ſententia, à qua appellatum eſt, retractata fuerit; quâ retractatâ, & non priùs, revocari demùm poteſt facta executio. Quod à Baldo, *d. l. Præſes*, à Frederico de Senis, *d. conſ. 28.* Panormitano, *in d. c. Perſonas nu. 11.* Decio, *in d. c. Perſonas nu. 10.* Alexandro, *in addit. ad Bart. in d. l. Præſes*, & judicio auditororij Rotæ Romanæ comprobatum, *Rota deciſ. 94. alias 13. ſub tit. De appellat. in antiq.* aureis literis ſcribendum, & ad honorem advocati inde referendum pro ſingulari notavit Lud. Romanus, *Sing. 163. Hoc neſciunt Legiſtæ.* Vnde cum dictus appellatus finem duorum poſteriorum menſium nimiâ & præcipiti feſtinatione anteverterit, non poteſt non dici attentaſſe in præjudicium appellationis, petendo remiſſionem cauſæ ad effectum executionis durantibus adhuc prætactis duobus poſterioribus menſibus. Et ſic rectè de attentatis revocandis agit in hac cauſa appellans, perinde de ijs, quæ ante 29. Maij ad finem remiſſionis, ac de illis, quæ poſtea coram dictis Iudicibus ſeu eorum Commiſſario poſt interpoſitam appellationem facta ſunt; in quibus poſtea actis evidentior & præfractior eſt appellati innovatio & attentatum, propterea quod ipſe tunc per exhibitionem certificationis factæ diligentiæ inſtructus, ignorare non potuerit appellantem eſſe in debita & requiſita ſuæ appellationis proſecutione, & ſic abſtinere debuerit, & exſpectare tantiſper quàm per Iudicem hujus tertiæ inſtantiæ vel confirmatæ eſſent ſententiæ, à quibus appellatum erat, vel quid aliud ordinatum. Quod ipſum appellatus ſatis agnoviſſe videtur, ex eo, quòd tam coram dictis Iudicibus, quàm in hac attentatorum cauſa hoc ſolum pro juſtificatione & ſuſtentatione petitæ remiſſionis propoſuerit, quòd appellans de proſecutione ſuæ appellationis nullo modo docuiſſent ante dictam diem 29. Maij, tacitè agnoſcendo tunc ſaltem doctum fuiſſe. Et ſic attento, quòd appellans intra duos priores menſes de diligentijs docere non debuit, & intra duos poſteriores tempeſtivè docuerit, nulla poteſt eſſe dubitatio, quin omnia poſt appellationem coram dictis Iudicibus ſeu eorum Commiſſario acta, ſint mera & vera attentata, ideoque, ut ſæpè diximus, ante omnia & in primis caſſanda & annullanda.

Quam juris communis diſpoſitionem & poteſtatè ſatis animadvertendo appellati procurator & advocatus ex ſuo cerebro excogitatam objecerunt conſuetudinem in Auditorio ſeu Curia D. Rectoris, quinque Iudicum, & Conſervatoris Academiæ Lovanienſis obſervatam; ad cujus probationem Commiſſarius dictorum quinque Iudicum, coram quo dicta attentata facta ſunt, admiſit partem appellatam ad producendum coram ſe vel per turbam, vel ſingulos dictæ Curiæ Practicos, ex quibus de hujuſmodi ſtylo & conſuetudine ſe informare poſſet. Admiſit quoque appellantem quoad contrariam conſuetudinem pro parte illius minimè allegatam; nam is dumtaxat jus commune, quod certum finitumque eſt, *l. In omni parte De iuris & facti ignor.* non conſuetudinem aut aliquem ſtylum, quæ in facto conſiſtunt & probatione indigent, *c. 1. De conſtit. lib. 6.* contra præcipitatam appellati petitionem de remittenda cauſa allegavit & propoſuit. Vt, itaque ad commodum & emolumentum intentionis partis appellatæ uſus, diſtinctio, & ſeparatio iſtorum quatuor menſium ad actus conſuetos detorqueri poſſit, ex parte appellati talis conſuetudo & ſtylus dictarum Curiarum proponitur, quòd appellans duobus prioribus menſibus durantibus pro obtinendo reſcripto Apoſtolico realiter mittere debuerit, & quòd illis lapſis, ſi appellans medio tempore ultrò non docuerit de proſecutione appellationis, appellans conſueverit citari ad docendum de reali proſecutione ſuæ appellationis; alioqui videndum & audiendum decerni & declarari hujuſmodi appellationem eſſet deſertam & partes ac cauſam remitti ad Iudicem primæ inſtantiæ pro ulteriore juſtitiæ complemento. Qui ſtylus multùm diſcrepat à ſuperius deducta juris communis veritate, tam quoad duos priores menſes, quibus diximus per appellantem ſatisfieri, etjamſi ſola commiſſio ſeu ſupplicatio pro obtinendo reſcri-

reſcripto Romam mittenda tradatur; quàm quoad poſteriores, quibus durantibus, non poteſt appellans cogi ad docendum de diligentijs, nec ob negligentiam in ijs commiſſam cadit aliqua appellationis deſertio, multò minùs poteſtas concludendi vel contendendi ad declarationẽ deſertæ appellationis: ſed ut magnâ & inconſultâ audaciâ aſſumpta & propoſita eſt hujuſmodi ſtyli & conſuetudinis allegatio; ita nõ minore probandi diffidentiâ ab illius probatione per teſtes deſtitit appellatus, etiam tunc, poſtquam ſine contradictione obtinuiſſet tres dilationes ad probandum, & ultra illas tertiæ prorogationem, appellante contradicente; confugiendo tandem ad exhibitionem aliquot proceſſuum ſeu actorum in diverſis cauſis & litibus actorum & peractorum in Curia ſeu Auditorio D. Rectoris, & ex appellatione coram dictis quinque Iudicibus: ex quibus conſtare dicit, quòd durantibus duobus poſterioribus menſibus petita & obtenta fuerit remiſſio cauſæ, propterea quòd de initio proſecutionis appellationis in prioribus duobus menſibus doctum non fuiſſet.

Cæterùm illorum actorum quoad hunc propoſitum articulum non eſt in omnibus una conformitas & inde probandæ dictæ conſuetudinis ſufficiens poteſtas: nam quæ ex illis proferuntur exempla ad probandum allegtaum ſtylum ſatis idonea non ſunt, nec ad aliud ſervire poſſunt, quàm ad demonſtrandum, quòd pari imperitiâ procuratores partium appellatarum terminum juris a Iudice præſcriptum præveniendo præmaturè petierint remiſſionem cauſarum pro executione, quâ procurator dicti appellati id fecit in hac cauſa. Et quòd in iſdem actis ulteriùs annotatum eſt, quòd ſic petitiæ remiſſiones obtentæ fuerint, non contigit ex contradicto judicio, nec ex Iudicis decreto; ſed ex taciturnitate, & ſic tacito conſenſu partis adverſæ, ſeu ejus procuratoris, nihil dicentis contra hujuſmodi petitionem, nec allegantis pendentiam appellationis, & ſic in effectu conſentientis in hujuſmodi petitionem ex conſcientia (uti veroſimile eſt) omninò irreparabiliter deſertæ appellationis, ob nullas in rei veritate factas diligentias proſequendæ appellationis. Ita ut illa exempla non ſufficiant ad probationem ſic allegati ſtyli in contradicto judicio, ut ad probationem conſuetudinis omninò requiritur, *l. cum de conſuetudine D. De legib.* Neque enim ſi probari poſſet etiam millies in judicio petitum & obtentum eſſe ſine contradictione Rei id, quod eo contradicente vel excipiente averti & evitari poterat, dicendum erit, uſum exceptionis ſtylo contrario excluſum eſſe inter eaſdem, multò minus inter alias partes, *l. qui exceptionem De condict. indeb.* * Nam quam-
14 vis taciturnitate procedendo coram Iudice incompetente is, qui ejus juriſdictioni non ſubeſt, illius juriſdictionem prorogare cenſeatur, *l. 2. D. De iud.* inde tamen etiamſi per tempora mille id ſic faciant, non cenſebitur conſtituta Iudicis perpetua juriſdictio adverſus alios, qui illi alioqui non ſubſunt, ſi de incompetentia Iudicis excipere velint, *l. Privatorum C. De juriſdict. om. iud.* Quod & in alijs ſimilibus infinitis uſu venit, ubi in arbitrio hominis poſita eſt contradicendi ſeu excipiendi aut aliud faciendi poteſtas, qualia multa refert alibi Alexander, *conſ. 45. Viſis atteſtationibus nu. 5. vol. 2.* quia in actibus, qui dependent ex mera facultate & voluntate hominis, contraria obſervantia quàm jus poſtulat, non implicat contrarium uſum, nec inducit conſuetudinem aut ſtylum, nec juris communis deſuetudinem, *Car. Molin. ad conſuet. Pariſ. §. 1. gloſ. 4. nu. 12.* * Ita ut in exemplis iſtis error
15 potiùs lateat, ex quo non poteſt induci conſuetudinis alicujus poteſtas; præſertim ubi contra rationem ſit receſſus jure communi, *l. Quod non ratione De legib.* ut fieret in hac ſic ut proponitur allegata conſuetudine. Quid enim abſurdius dici poſſet, quàm quod appellans deberet ultrò docere de diligentia proſecutionis factæ in priore bimeſtri durantibus adhuc duobus poſterioribus menſibus, qui toti appellanti cedunt, & utiles ſunt ad docendum de illis diligentijs? Nam ſic videretur appellanti unâ manu eripi, quod alterâ priùs fuit conceſſum; quod rationem non habet, *l. Qui ſic ſolvit De ſolutionib.* & pro conſuetudine ſeu ſtylo quia irrationabilis eſſet, reputari non poteſt, *l. 2. C. Quæ ſit long. conſuet.*

Equidem ſi appellantem oporteret intra priores duos menſes non tantùm facere initium proſecutionis, ſed prætetea etiam docere de diligentia, ſupervacui omninò eſſent, & de vento ſervirent duo reliqui menſes, in quibus appellanti nihil ex uſu talis prætenſæ conſuetudinis permitteretur: quia ſi, ut in hac cauſa ponitur, lapſis duobus prioribus menſibus appellatus, durantibus adhuc duobus poſterioribus, poſſit ad remiſſionem & executionem progredi, fruſtrà permittetur appellanti in illis docere de diligentijs factis in duobus prioribus; cùm, ut ex jure communi ſuperiùs deductum eſt, id appellato nulla ratione permiſſum ſit, niſi poſt lapſum totum poſterius bimeſtre.

Favorabilis ſanè fuit appellato is, qui ex camera ſcriptoris Notarij Vniverſitatis iſtos proceſſus deſumpſit, omiſſis alijs, ex quibus evidenter conſtare poſſet de alio uſu diſpoſitioni juris communis conformi: quòd videlicet per dictos Iudices ſæpiùs rejecta fuerit hujuſmodi remiſſionis petitio, quoties illa propoſita fuit durantibus duobus poſterioribus menſibus: ſic quòd exempla illa aliò referri non poſſint, quàm ad procuratorum, advocatorum, & Iudicum, qui cauſis præfuere, imperitiam, juris ignorantiam, vel errorem detegendum. Cùm alioqui in nullo dictorum proceſſuum inveniatur, quod appellantes durante ſecundo bimeſtri, ſaltem poſt petitionem remiſſionis, aliquo modo doucuerint de diligentijs factis quoad priorem illum actum explicandum per appellantem in duobus prioribus menſibus; aut etiam re ipſa poſt lapſos priores hos duos menſes coram aliquo delegato Iudice ex reſcripto Apoſtolico cauſam appellationis introduxerint; uti etiam non docto de diligentijs poſt lapſos poſteriores menſes facere poterant, ad effectum impediendæ ulterioris executionis, quatenus tunc facta plenè non fuit, & retractandæ illius, ſi non ſtatim & ante omnia, ſaltem cum ſententia retractatoria, quæ fortè ferretur in principali cauſa appellationis; ut ex Frederici de Senis, Lud. Romani, Panormitani, & Decij ſententia, ac deciſionibus Rotæ Romanæ fieri poſſe ſuperiùs deduximus: ſed in iſdem exemplis

exemplis ſuberat vera deſertio, quæ poſtea primùm detecta fuit, non probato de aliqua appellationis proſequendæ diligentia; ſic quod in illis ex poſteriore eventu, ſeu ex poſt facto manifeſtè declaretur, appellantes ab initio habuiſſe animum deferendæ appellationis, *arg. l. Qui res §. rem autem De ſolut.* At in hac cauſa ante lapſum duorum poſteriorum menſium pro parte appellantis coram prædictis quinque Iudicibus, ſeu eorum Commiſſario, doctum eſt de factis diligentijs in priore bimeſtri, & in hac tertia inſtantia de reſcripto delegatorio impetrato, & Iudici delegato exhibito in hac tertia inſtantia; & hæc omnia in conſequentiam appellationum à ſententijs dictorum Iudicum interpoſitarum. Quæ etiam cauſa fuit, quòd appellatus in hac tertia inſtantia tandem ab ulteriore contentione ſuper remiſſione cauſæ coram Commiſſario præfatorum Iudicum ſuperſederit; ſed quia id ſeriùs fecit, pœnam illius meritò luit: debebat enim id non inchoare, niſi poſt lapſum duorum poſteriorum menſium, & ab eo præmaturè, durantibus adhuc illis duobus poſterioribus menſibus, inchoato, ſtatim ab exhibita ſupradicta certificatione deſiſtere; & minimè, ſicut fecit tam verbo quàm ſcripto, per plures menſes perſiſtere, non tantùm in petitione remiſſionis, cauſæ ſed etiam in petitione declarationis appellationes appellantis eſſe deſertas; ſic notoriè & multipliciter ex propoſito attentando, & appellantem onerando inutilibus expenſis: ut meritò pro parte appellante in hac tertia inſtantia petatur hujuſmodi attentatorum revocatio, cum condemnatione expenſarum tam coram dictis Dominis Iudicibus ſeu eorum Commiſſario à tempore reſponſionis apoſtolorum per eos decima ſeptima Februarij anno 1582. factæ, quàm in hac cauſa attentatorum in hac tertia inſtantia factarum.

16 Et id quidem in primis & ante omnia ſuſpenſa interim cauſa principali, propter privilegiatum judicium revocationis attentatorum & innovatorum poſt & contra appellationem à ſententia non interlocutoria ſed definitiva interpoſitam: ut habet clara quæ diſſimulari non poteſt juris diſpoſitio, *in c. Non ſolum in 1. reſponſo De appel. lib. 6.* Nam pendentia cauſæ attentatorum per implorationem officij Iudicis operatur effectum ſuſpenſivum cauſæ principalis, ut interim illa fileat in odium attentantis, quod adverſus attentantem etiam longè majus eſt, quàm odium ſpolij adverſus ſpoliatorem: ideò quòd attentans non tantùm lædat jus & partem, cum qua agit, ſed etiam ex contemptu offendat Iudicem & judicium; & ob id privilegiatius eſt quàm interdictum redintegrandæ poſſeſſionis, per quod non auditur ſpoliator, niſi antè reparatum fuerit ſpolium, vel notoriè conſtet ſpoliatum in re jus non habere, *c. Ad decimas De reſtit. ſpoliat. lib. 6. & ibi Doct.* qui notorius defectus juris in principali non obſtat, quo minùs revocatio attentatorum fiat, *Gemin. in d. c. Ad decimas nu. 9. Alex. conſ. 99. Viſis proceſſibus nu. 9.*

17 *vol. 5.* * Et quamvis ſint, qui exiſtiment notorium juris defectum in principali perinde impedire revocationem attentatorum, ac reſtitutionem ſpolij, *Afflict. deciſ. 98. & 352. n. 5. Didac. Covar. prac.*

quæſt. cap. 23. nu. 4. communiore tamen & frequentiore opinione receptum eſt, non obſtare, maximè in rebus profanis; qualis eſt ea, de qua in hac cauſa agitur, *Franc. Vivius lib. 2. Commun. opin. cap. 30. nu. 7. Michael Graſ. com. opin. lib. 2. quæſt. 21.* quam communiorem opinionem etiam practicari teſtatur Carolus Molinæus, *ad d. Alex. conſ. 99.*

Atque hinc eſt, quod etiam deſertâ appellatione de attentatis revocandis adhuc agi poſſit; licet 18
eo caſu dubium non ſit, quin appellans notoriè jus non habeat in principali, *Phil. Franc. in d. c. Non ſolum nu. 8. ex ſententia Lapi alleg. 1.* imò quod amplius eſt etiam poſt renuntiationem appellationis per appellantem factam, *Franc. in c. Conſuluit. 2. in fine De appel. Imola & alij in c. Cum veniſſent. De eo qui mitt. in poſſ. cauſa rei ſer.* Semper enim revocanda ſunt attentata, etiamſi appellatus in judicio appellatorio vincat ſaltem pro forma, *Molin. ad d. Alex. conſ. 99.* & ad illum effectum, ut vel ſolas expenſas ſolvat appellatus, quæ propter ipſius attentata appellans facere debuit: uſque adeò ut Iudex injuriam & injuſtitiam facere dicatur, ſi non revocet ante omnia quæcumque attentata ſunt, pendente appellatione à ſententia definitiva interpoſitâ, *Franc. in d. c. Non ſolum nu. 5. Afflictus d. deciſ. 98. nu. 4.* quia Canon hanc neceſſitatem Iudici imponit, *d. c. Non ſolum in V. debent, & ibi Franc. nu. 5.* De qua tamen notorietate deficientis juris hîc nullum eſt periculum; prout appellatus illum defectum appellanti, ad impediendum attentatorum revocationem, in hac cauſa non objecit, & in eventu adhuc poſitum ſit, utrum ſententiæ, à quibus appellans provocavit, an verò appellatio ab ijs interpoſita ſint juſtæ: & in aſpectu ſumma ſit probabilitas dictæ appellationis, vel ex eo, quòd ſententiæ Iudicum non ſint conformes ſententiæ, quam Dominus Rector in prima inſtantia pronuntiavit, ut ex illarum collatione patet; & quod notoriè ne nunc quidem conſtet, quòd appellans nullum jus habeat vel petendi pecuniam, quam petijt in cauſa conventionali, vel ſe defendendi adverſus appellatum in cauſa reconventionali: & non ſemper optimè judicet, qui noviſſimo loco judicat, ſed ſæpè in peius latam ſententiam reformet, *Doct. in l. Qui Romæ §. duo fratres De verb. oblig.* unde quod ex eventu & alea judicij, quæ incerta eſt, dependet, pro notorio accipi non poteſt. Quæ preſſiùs inculcamus ad hoc, ut conſtet partem appellatam non rectè contendere ad concluſionem in cauſa principali, & minùs rectè quatenus in eadem principali jus dici petit ante determinatam cauſam attentatorum.

Ex his ſic latiùs fortè, quàm res poſtulabat, in tam aperta luce juris dictis, exiſtimamus partes Venerabilis Domini Iudicis eſſe in revocandis & caſſandis his attentatis ante omnia; hoc eſt etiam ante definitionem vel concluſionem in cauſa principali, & in condemnando appellatum in ſupradictis expenſis, de quibus ſolis ferè in hoc articulo attentatorum eſt quæſtio.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellationis desertio.

1. *Appellatione deserta Iudex ad quem non potest retractare sententiam.*
2. *Appellatione deserta Iudex appellationis iurisdictionem amittit.*
3. *Appellatione deserta Iudex à quo statim potest exequi suam sententiam.*
4. *Desertio non excusatur per conclusionem in causa ante finem biennij.*
5. *Desertio non excusatur, si appellatus cum appellante ulterius procedat.*
6. *Causâ conclusâ, alij articuli admitti non debent.*
7. *Citatio ad sententiam necessaria non est, quando litigantes inveniuntur præsentes.*

CONSILIVM CC.

IN decisione causæ appellationis, quæ coram Venerabili Domino Officiali Mechlinienſi introducta est inter Martinum Maerschalck appellantem, & Magistrum Petrum Hellewijcx appellatum, de justitia sententiæ, à qua appellatum extitit, magnopere quærendum non est: * ideo quòd ex nimis lon-
1 go insequentis temporis lapsu eadem appellatio in desertionem recideriт, & sic Venerabilis Domini Officialis hac in parte officium sit constrictum; ita videlicet, quòd nullo modo possit dictam sententiam retractare tamquam injustè latam. Est enim ita jure constitutum, & in praxi forensi observatum, quòd, cùm appellatio per lapsum fatalium temporum est deserta, Iudex appellationis alterum ex duobus facere debeat, vel confirmare sententiam, à qua provocatum est, vel appellationem declarare desertam, condemnando appellantem in expensis causæ appellationis, *Bald. in l. Eos §. apostolos C. De appel.* Tertium verò, hoc est improbare, retractare, aut corrigere eandem sententiam nullo modo potest, ut aperto jure constitutum est, *in Clem. Appellanti De appel.* & communi Doctorum sententia receptum, *Gloss. in Clem. Si appellationem in verb. appellatus, Hostien in c. Ex ratione in fine De appel. Bart. in d. l. Eos, Calderin. cons. 9. de appel.* & votis ac sententijs auditorij Rotæ Romanæ frequentissimè decisum, *decis. 98. aliàs est 14. Licet appellato & ibi in addit. De appel. in novis, & decis. 5 aliàs est 2. Nota quod ubi appellatio De appel. in antiq.* † hac nimirum evidente ratione, quòd
2 lapsis temporibus fatalibus sententia, à qua appellatum est, transeat incommutabiliter in rem judicatam, & rata maneat, *Auth. Ei qui appellat C. De temp. appel.* definatque provocatus seu ad quem appellatum est, judex jurisdictionem in causa appellationis habere ex momento profectè supervenientis desertionis, *Egid. Bellamera decis. 117.* quia quæ per appellationem in Iudice, à quo provocatum est, suspensa, *l. Tale pactum §. qui provocavit D. De pactis*, seu, ut alij volunt, durante appellationis causa extincta erat, *l. 1. §. fin. D. Ad S. C. Turpil.* iterum propter supervenientem desertionem revolat ad Iudicem à quo, *Gloss. in d. l. Eos & in d. Clem. Si appellationem.* Vsque adeo ut ne consentientibus litigatoribus jurisdictio maneat in manibus aut potestate Iudicis provocati, in cujus manibus deserta est appellatio; perinde ac si deserta esset, antequam causa appellationis ad eum est deducta, *d. Clem. si appellationem.*

Desertio enim habet effectum renuntiationis; quasi scilicet renuntiare censeatur appellationi, qui illam intra fatalia tempora non peragit: non aliter quàm appellans, qui intra præstituta tempora apostolos non petijt, per hoc appellationi renuntiare intelligitur, *c. Ab eo De appellatione.*

Vsque adeò ut desertâ appellatione, pars appel- 3
lata non cogatur exspectare sententiam desertionis à Iudice provocato, sed possit, si velit, omisso illo, rectâ viâ ire ad Iudicem, à quo provocatum est, pro sententiæ executione, à qua appellatio interposita, sed nunc deserta existit; sic ut nihil sit necesse exspectare, donec Iudex ad quem declaret appellationem desertam, ut eleganter tradidit Angelus Perusinus, *in l. Si contra majorem C. De appel. per illum tex. velin in 6. Ex parte 2 n. 5. De appellat. Guido Papa decis. 436. nu. 23.* dicens secta infinitis vicibus practicasse, & hoc modo vitari magnum circuitum; & sic quidem, ut Iudex à quo possit executivè contra condemnatum procedere, eo etiam aliter non citato, *1o. de Imola in c. Ex ratione De appel. Petrus à Placa in epitome delict. lib. 1. cap. 11.* Nam, ut inquit Glossa, *in d. l. Eos ad verb. vel imustam*, desertio eò rem deducit, ac si appellatum numquam fuisset,

Quòd autem non tantùm plena, sed etiam plenissima desertio in hanc appellationis causam incurrerit, ipsa acta demonstrant: quippe constat sententiam à qua latam esse anno 1568. 10. mensis Julij, & ab ea incontinenti viva voce fuisse provocatum, & deinde mensis Julij 17. responsum de apostolis, ac pòst satis bonâ diligentiâ illam coram Venerabili D. Officiali introductam fuisse 28. mensis Augusti tunc proximè sequentis; sed tam diu protractam fuisse hanc causam, quòd demùm per decretum D. Iudicis in causa sit conclusum 22. Januarij 1572. cùm jam ad eum usque diem totum triennium cum semestri à tempore interpositæ appellationis defluxisset; quo ipso tamen tempore dictæ conclusionis causa nondum terminata fuit, sed exinde in hunc diem ulteriùs aliud totum triennium effluxit: ita quod ex die interpositæ dictæ appellationis jam effluxerit totum sexennium & præter illud octo adhuc menses; sic ut de desertione nulla possit esse dubitatio, quin illa sit plenissima & inemendabilis; cùm hanc desertionem facit primi anni, aut ad summum justo impedimento interveniente biennij ex die interpositæ appellationis lapsus, non tantùm jure civili, *d. Auth. Ei qui appellat C. De appel.* sed etiam Canonico, *c. Cum sit Romana De appel.* * & 4
quidem ita, ut non sufficiat intra biennium in causa conclusum esse, nisi præterea pars appellans etiam prosecutionis diligentiam fecerit, ut Iudex quoque intra biennium appellationis causam definiat, ut aperto jure constitutum est, *l. ult. §. ult. in fine C. De temp. appel.* sic quòd lapso biennio non debeat ex quacumque etiam causa dari triennium, & omnium minimè quadrien-

nium

nium aut ulterius aliquod tempus, *Angel. conſ.* 130. *Viſis omnibus in fine Caſſad. deciſ.* 6. *de appel. ſtephᵒ. Bertran. conſ.* 435. *Appellanti vol.* 4. *quod repetitum eſt conſil.* 73. *vol.* 5. De qua re minor eſt in propoſito dubitatio, propterea quòd pro parte appellantis nulla ſit propoſita allegatio juſti alicujus impedimenti, ob quod aliud fatale, vel aduerſus lapſum reſtitutio in integrum concedi debeat.

5 Nec ad ſuſtinendam inſtantiam ſeu perdurationem fatalium, uel averſionem delertionis quicquam facere poteſt, quòd appellatus in hac appellationis cauſa coram Venerabili D. Officiali cum appellante proceſſerit, etiam poſt lapſum biennij: nam aperto jure conſtitutum eſt, *in Clem. Si appellationem De appel.* non ideo minùs ſententiam, à qua appellatum fuit, cenſeri deſertam, & tranſire in rem judicatam, ſi appellatus cum appellante etiam principaliter in cauſa appellationis procedat; ita ut ſi appellato cum appellante in appellationis cauſa poſt lapſum fatalium procedente contingat Iudicem appellationis ſententiam, à qua provocatum fuit, retractare, etiamſi ab ea ſententia appellatum non fuerit, poſſit poſterior ſententia adverſus eum, qui in prima inſtantia vicit, executioni mandari, *gloſ. in d. Clement. Si appellationem ad V. appellatus*, *Ioannb. Mynſiger. centur.* 2. *obſervat.* 59. tamquam lata contra rem prius judicatam, *l.* 1. C. *Quando provoc. non eſt neceſſe*, & ab eo, qui juriſdictionem nullam habuit, cujus juriſdictionis defectus facit, ut nec de nullitate prioris ſententiæ Iudex appellationis judicare poſſit, ſi illa forte aliquo modo commiſſa eſſet; ſed re inquenda eſt illius cognitio priori Iudici, *Cardin. Zabarella in d. Clem. Si appellationem.*

De quo mihi hic dubitandum, cùm ex parte appellantis de aliqua nullitate nihil proponatur, nec in actis aliquid conſpiciatur, unde nullitas dictæ primæ ſententiæ aliquo modo argui poſſit. Intelligo Venerabilem D. Officialem difficultatem aliquam facere, quaſi cauſa in prima inſtantia peracta ſeu concluſa non fuerit, ex eo, quòd finis actorum primæ inſtantiæ requirere aut etiam admittere videatur, non ſententiam definitivam, ſed interlocutoriam, ſuper altercatione, quæ 8. menſis Maij anno 1568. mota fuit, quoad admiſſionem quarundam articulorum per partem ream nunc appellantem, tunc paulò antè exhibitorum, nullâ poſt hujuſmodi exhibitionem aut altercationem facta concluſione in cauſa, ſine qua ad ſententiam definitivam regulariter perveniri non poſſe videtur; quaſi concluſio ſit de ſubſtantia proceſſus, *c. Quoniam contra De probat. c. Cum dilectus & ibi gloſ. De fide inſtrum.* Nam priùs in cauſa formaliter fuiſſe concluſum manifeſtè demonſtrant acta primæ inſtantiæ, in quibus invenitur per Iudices primæ inſtantiæ concluſum fuiſſe 29. menſis Novembris anno 1567; idéque ex formali etiam conſenſu procuratorum utriuſque partis: reperitur etiam in iſdem actis relatio facta citationis partis reæ ad
6 audiendum ſententiam ferri. * Quæ concluſio cum contineat renuntiatum fuiſſe omnibus & quibuſcumque ulterioribus allegationibus, probationibus, & exhibitionibus, *c. Paſtoralis De cauſ. poſſeſſ. gloſ. in d. c. Quoniam contra ad V. renuntiationes*, *& in d. c. Cum dilectus in V. concluſum*, meritò non debuit haberi ratio illorum articulorum, quos pars rea in prima inſtantia 17. Februarij anno 1568. poſt tres ferè menſes à tali concluſione exhibuit, & ad probandum ac reſpondendum admitti petijt, ſed potuerunt D.D. Iudices, non obſtantibus illis, ad ulteriora procedere, & captæ concluſioni inſiſtendo ad calculum & pronuntiationem ſententiæ definitivæ procedere: quia jus Iudicem poſt concluſionem in cauſa ad id aſtringit, non permiſſa facultate, alia poſt concluſionem ad novam cognitionem admittendi, niſi per beneficium reſtitutionis in integrum, *c. Auditis De in integ. reſtit.* quæ à parte rea petita non reperitur; præſertim poſt conſtantem partis agentis contradictionem, de ſtando concluſioni captæ, & non admittendis hujuſmodi articulis poſt illam.

Nec movet quicquam, quòd Iudices ad ſuam cognitionem receperint cognitionem hujuſmodi altercationis, ſuper admiſſione ſeu rejectione articulorum poſt concluſam cauſam: nam & de eo cognoviſſe præſumitur factâ dictorum ſeriùs exhibitorum rejectione, ſi non formali ſaltem effectuali; quia Iudex incidenter mota altercatione ſuper admiſſione præſertim articulorum per proceſſum ad ulteriora, cenſetur hujuſmodi articulos adhibitâ cognitione reijcere, *c. Ex parte* 2. *De appel. Bart. in l.* 1. *nu.* 5. C. *De ord. cognit. & in l. A. procedente nu.* 2. C. *De dilat.* Et ſi id injuſtè facit, nullitatem non committit, ſed tantùm injuſtitiam contra jus partis; de qua injuſtitia poſtquam ſententia in rem tranſivit judicatam, ampliùs quæri non poteſt; quia rebus judicatis ſtandum eſt, & ſententia, quæ tranſivit in rem judicatam, etiamſi ſit injuſta, jus facit, *l.* 1. §. *pari modo De liber. exhib. Sive contra De lib. agnoſc.* Quod autem dicta ſententia in prima inſtantia tranſiverit in rem judicatam propter quadruplicatum ferè lapſum fatalium ſuperiùs ſatis demonſtratum eſt.

Nec denique quicquam facit, quòd poſt hujuſmodi altercationem in actis primæ inſtantiæ non 7
inveniatur aliqua citatio ad audiendum jus dici. Nam etſi ad ſententiæ prolationem omninò requiratur citatio partis, & ea omiſſa, ſententia ſit ipſo jure nulla, *l. Ea quæ & ibi Bald. C. Quibmodo & quando c. Quoniam frequenter §. porro Vt lite non conteſtata &c.* omiſſionem tamen ſpecialis hujuſmodi citationis purgat litigatorum & Procuratorum eorum præſentia: quia ſufficit partes, ſeu eorum procuratores tempore quo ſententia fertur fuiſſe præſentes; cũ citationis uſus ſit pro abſentibus, nõ preſentibus, *Bart. Bald. & alij in l.* 1. *De in ius vocan. l. De unoquoque in verb. præſentibus omnibus De re iud. l. Et ſi §. ult. D. De minorib.* atque ita ad avertendum vitium nullitatis ex omiſſione citationis, ſufficit, quòd ex inſtrumento ſententiæ conſtet utriuſque partis procuratores fuiſſe præſentes. Sed hic anxiùs & ſcrupuloſiùs perſequimur, quæ nec pars adverſa movit, nec juris ſubtilitatem habent.

Quamobrem in eo perſiſtimus Venerabilis Domini Officialis officium eſſe, ut vel deſertam pronuntiet hanc appellationem, remiſſa cauſa ad executionem ſententiæ prædictæ; vel ſimpliciter

eandem sententiam confirmet ; vel denique, quod consultius & justius erit , ut utrumque faciat , ad illum finem , ut in omnem eventum hæc secunda sententia numerum sententiarum faciat. Et sanè si res postularet , evidenter demonstrari posset justitia dictæ primæ sententiæ : sed quoniam desertio ulteriori cognitioni præjudicium facit , ab eo labore abstinebimus.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Nullitas sententiæ & Appellationis desertio.

1. *Nullitatis causa an coniunctim cum causa principali cognosci possit.*
2. *Appellationis desertæ Iudex tenetur causam remittere ad Iudicem à quo , cùm ab interlocutoria est appellatum.*
3. *Clausula*, cum toto negotio principali, *in rescripto quomodo accipiatur.*
4. *Appellationis ab interlocutoria causam Papa committere potest, ita ut non fiat remissio ad Iudicem à quo.*
5. *Iurisdictio delegata semel extincta non prorogatur.*
6. *Procurator iurisdictionem prorogare non potest sine speciali mandato.*
7. *Desertio non tollit causam nullitatis.*
8. *Desertio per Papam vel Principem tolli potest.*
9. *Iniustitia sententiæ evidens operatur nullitatem.*
10. *Restitutio quando etiam post quadriennium detur.*
11. *Incertitudo vitiat sententiam.*
12. *Sententia nulla rectè etiam dicitur iniqua.*

CONSILIVM CCI.

VARIÆ incidunt quæstiones in ea instantia, quæ nunc coram Reverendo Domino Vicario Episcopi Leodiensis pendet inter Annam relictam Theodorici de Gemeppia & Balthazarem N. quæ tamen parum adjuvant veritatem pacti antenuptialis, quod Baltazar prætexit.

Primò quæritur , an separatim vel conjunctim
1 cognosci & judicari debeat tam super objecta nullitate sententiæ, à qua provocatum est, quàm super causa principali ? Ad quam paucis respondemus, ex sententia Bartoli , quem in eo sequuntur omnes , *in l. 1. nu. 8. C. Quando provocare non est necesse & in l. Si expressim nu. 7. De appellationib.* conjunctionem illorum utique admitti, tam in interpositione appellationis , quàm illius prosecutione , ac sententiæ pronuntiatione , tunc cùm ex ea non consurgit conjunctorum aliqua contrarietas; ut est in proposito casu, quo sententia Decani S. Dionysij arguitur nulla & iniqua ; ut priùs pro parte Baltazaris idem objectum fuit sententiæ, quam Decanus sanctæ Crucis secundum præfatum Baltazarem pronuntiavit ; potissimùm cùm articulus nullitatis ex causa desertionis altiorem habeat indaginem , & disquisitionem, & ipsa injustitia causæ nullitati actorum vel præponderet, vel par sit, *Rota decis. 434. Nota utrum primo in fine quæ est 29. sub. tit. De sentent. & re iud. in antiq.* Sic quod in ipsa injustitia causæ , sententiæ quoque consistat nullitas ; quod in hac causa contingere paulò pòst demonstrabimus. Ita ut quemadmodum præfatus Dominus Vicarius rectè utrumquæ ad cognitionem admisit , quamvis sub hac cautione , *salvo iure impertinentium , & non admittendorum*; ita quoque de utroque cognoscere possit , & ex eo quod præponderat causam definire.

Secundò quæritur , an Dominus Ioannes Wyngarden , cui Baltazar interpositâ appellatione à decreto Domini Officialis Leodiensis reijciente certos quosdam præfati Baltazaris articulos, causam per rescriptum Apostolicum committi obtinuerat, post sententiam suam, per quam declaravit appellationem Baltazaris esse injustam, confirmato præfati Domini Officialis decreto , de principali causa quoque potuerit cognoscere , vel virtute delegationis Apostolicæ , vel ex prorogatione procuratorum ? Quæ difficilem quoque non habet resolutionem. † Est enim juris dispositio 2
in eo articulo clara , quòd , cùm ante sententiam à gravamine appellatur , Iudex appellationis, qui pronuntiat bene judicatum , & malè appellatum , teneatur de juris rigore causam seu principale negotium remittere ad Iudicem, à quo provocatum fuit, *c. Vt debitus De appel. c. Romana §. ult. De appellat. lib. 6.* etiam tunc cùm per rescriptum Apostolicum alicui causa appellationis à gravamine commissa est , *cum toto negotio principali* ; † quia hæc adiectio tacitam in 3
se habet conditionem juris, ut scilicet tunc negotium principale censeatur commissum , si justa pronuntiatur appellatio , *Lud. Rom. consil. 362. Quoad primum nu. 2. Decius ad d. c. Vt debitus nu. 7. Felin. in c. Causam quæ nu. 2. De rescript.* Idque etiamsi Auditori Rotæ Romanæ causa sic committatur, *Lud. Rom. d. nu. 2. Rota decis. 237. Volucrunt, quæ aliàs est 23. De rescript. in novis*, quamvis in eo quidam varient, existimantes Auditori plus tribuendum esse ; ob id , quòd causa in Auditorio Papæ pendere videatur , quæ illi commissa est , & sic non facilè à Papa ad inferiorem redeat , *Rota decis. 11. Fuit dubitatum , quæ alias est 3. De appellat. in novis.* Sed quamvis id de stylo curiæ observari dicatur, hoc tamen fatentur omnes contra jus esse , *d. decis. 11. vers. & hoc habet stylus licet de iure esset contrarium , Felin. in d. c. Causam quæ nu. 6.* ideoque ipsos Auditores Rotæ excedere non debet; imò plerique existimant, non obtinere nisi tunc, cùm ab uno Auditore appellatione interposita , causa alteri Auditori committitur , *Rota decis. 612. De quod ubi auditor , quæ est 63. De appellat. in antiq.* Sic ut in proposito indubitatum sit causam omninò remittendam fuisse ad Officialem , quem credimus frivolæ appellationi à reiectione impertinentium articulorum non detulisse (non enim vidimus acta) nam eo casu remissio necessaria non est , *c. cum appellationibus De appellat. lib. 6.* * Non negamus tamen , quin 4
per Pontificem causa ita committi possit , ut etiam confirmata sententia , à qua provocatum est , delegatus quoque de negotio principali cognoscat ; sed id dependet ex tenore rescripti, quod non vidimus. Cum itaque Dominus ab Wyngarden judicando malè appellatum functus fuerit suo officio , & Iudex esset desierit, *c. cum super, sub finem De offic. & potest iud. deleg.* & negotij principalis notionem aut cognitionem

nem non habuit, nisi in eventum legitimæ appellationis; consequens est, sententiam postea latam tamquam ab incompetente iudice latam, nullius momenti esse.

5 Quam non confirmat aut validam efficit prorogatio vel ulteriorem processum coram eo in negotio principali: nam quamvis jurisdictio delegati inter easdem personas de re ad rem, de tempore ad tempus, de loco ad locum, plerumque prorogari possit, *c. De causis, c. Cum olim De offic. Iud. deleg. c. statutum §. in nullo De rescript. in 6.* quamdiu stat delegata illius jurisdictio: non idem tamen obtinet ea extinctâ; quod fit per pronuntiationem sententiæ super articulo ei commisso, *l. privatorum C. De iurisd. omnium iudic. l. 1. C. De iudic.* quia officio suo functus est, & privato loco constituitur, nec jurisdictionem ullam habet, ideoque nec prorogatio fieri potest, & ut fieri potuisset, facta tamen non censetur: quia de dicti Theodorici, aut Annæ ejus uxoris prorogatione aut eorum mandato ad prorogandum
6 non constat: * per principales enim personas facienda est prorogatio, aut ex eorum speciali mandato per alium, seu alios, non autem per procuratorem simpliciter constitutum, *Innocent. in d. c. De causis, Panor. in d. c Cum olim, Socinus in c. Significasti nu. 20. De foro compet.*

Neque verò pro prorogatione aut prorogationis factæ conformatione seu ratificatione accipi potest mandatum seu procuratorium, quod lite super principali coram dicto Domino Wyngarden introducta & pendente, mortuo Theodorico de Gemeppia Annæ marito, Anna dedit: id enim ex tenore verborum sic restrictum fuisse proponitur, ut vim prorogationis habere nequeat, ad resumendum scilicet causam in eo statu, quo erat tempore vitæ ac mortis Theodorici de Gemeppia sui mariti: quo sane tempore dici non poterat per eum aut de ejus mandato prorogata jurisdictio præfati Domini Wyngarden, quoad negotium principale. Cùm alioqui prorogationem impediat error prorogantium, *l. si per errorem De iurisd. omnium iud. l. 2. in princ. D. De iudic.* qui procul dubio in hujusmodi generali mandato de resumenda causa constitui debet, in muliere id faciente. Sic itaque constituta nullitate sententiæ, per quam Dominus Wyngarden sine jurisdictione cognoscendo de principali negotio, pronuntiavit conventiones antenuptiales coram justitia Cynacensi probatas, esse validas, consequitur, quòd ex illa nihil commodi referre possit Baltazar, frustraque disputetur de desertione appellationis, quàm Anna ab eadem sententia interposuit. Neque enim dici potest illi robur aliquod accessisse, vel ex appellatione, vel ex declaratione desertionis ejusdem appellationis, quam Decanus Sancti Dionysij in quarta instantia fecit, revocata sententia Decani sanctæ Crucis, per quam revocata erat præacta sententia per Dominum Wyngarden lata; cum illi quod nullum est nihil possit accedere, nihil ad robur adjici, *l. Obligationes De obligat. & action. Bald. in l. Tale pactum §. qui provocavit De pactis.*

7 Cum ergò nulla fuerit sententia per Dominum Wyngarden lata, nulla opus erat appellatione, aut provocatione ab eadem, & quatenus ex superabundanti interposita fuit, vitium nullitatis non expurgavit, & per consequens ex illius desertione conformari aut in rem judicatam transire non potuit. Desertâ quippe appellatione, remanet adhuc effectus nullitatis illius, qui non potest tolli per sequentem desertionem appellationis, *elegantèr Bald. in l. 1. nu. 11. C. Quando provoc. non est necesse & in d. §. qui provocavit*; præsertim si à confirmatoria primæ sententiæ, quæ nulla dicitur, est appellatum; sic quod illa non possit dici transisse in rem judicatam, *Angel. in l. 2. nu. 7. vers. septimò fallit in fine D. si quis in ius vocat. non ierit, Paul. Paris. consil. 107. Non obstat nu. 7. vol. 4.* propter appellationem interpositam à sententia Decani Sancti Dionysij. Itaque dici non potest extare ullam dictæ sententiæ per Wyngarden latæ approbationem, quæ in desertionem superfluæ minimeque necessariæ appellationis constitui nequit: ut meritò audiri non debeat Baltazar ad illius patrocinium confugiens, si ex desertionis causa sustinere velit sententiam per Dominum Decanum Sanctæ Crucis latam. Cujus dicendi proclivior est occasio ob Pontificias constitutiones, ac rescripta derogantia & tollentia ejusmodi desertionem, in casum justitiæ in causa & articulo negotij principali. † Etsi enim per desertionem parti appel- 8
latæ jus acquiratur, quia sic sententia transit in rem judicatam, *l. ult. §. illud vers. Si per eum steterit C. De temp. appellat.* ita ut ne quidem per rescriptum Principis reparari, & causa ad cognitionem iterum trahi queat, *l. Nemo c. eod. tit. l. 2. C. Vt lite pendente &c.* potest tamen id facere Papa aut Princeps, si velit, & evidens sit eorum voluntas, quòd id voluerint, non tantùm in minore, verum etiam in majore, propter Papæ & Principis majorem potestatem, *Innocent. in c. Ex literis De restitut. in integ. Guido Papæ decis. 185.* potissimùm si ex causa aliqua id faciant, *Panor. in d. c. Ex literis, nu. 11.* ut est in proposito, tum propter incidentem mortem Theodorici de Gemeppia, atque Annæ de Masberch, tum ob pupillarem minoremque ætatem Catharinæ; tum denique propter notoriam incapacitatem dicti Baltazaris. Cujus quidem notoriæ incapacitatis consideratio operatur secundùm dictæ sententiæ, quam Dominus Wyngarden in principali negotio tulit, nullitatis vitium: ita ut concurrat hîc duplex nullitas, ex defectu jurisdictionis, quæ insanabilis est, & ex nimia iniquitate. † Evidens siquidem & nimia iniqui- 9
tas, quæ ex actorum primo aspectu vel inspectione deprehenditur, nullitatem sententiæ operatur, *c. Inter cæteras De sent. & re iudic. Steph. Bertrand. consil. 222. Visis processu nu. 4. vol. 7.* & executioni etiam rium conformium sententiarum objici potest; non tantum si iniquitatis causa in sententia expressa sit, verum etiam si expressa non sit, si modo ad oculum demonstrari possit, *Doct. in Clem. Vt calumniæ De sentent. & re iudic.* ut in proposito potest, demonstratâ Baltazaris spurietate, quam ipse Baltazar in actis sæpiùs confessus est, *Felin. in d. c. Inter cæteras nu. 10.* Cui confessioni accommodata juris dispositio, quæ sputium paternorum bonorum incapacem facit, hanc notorietatem & manifestam injustitiam

omninò operatur ; non aliter quàm si confiteretur sententiam esse injustam, quæ omninò retractari, seu nulla declarari debet, *Felin. in d. c. Inter cæteras nu.* 11. *vers. Cum his adde.* Quare magnopere curandum non est, quòd in rescripto restitutorio seu reparatorio adversus desertionem ex causa hujus spurietatis subjecta sit hæc clausula, *Prout de iure:* Nam concessò (non enim vidimus rescriptum) quòd illa tamquam finalis ad omnia præcedentia ex æquo pertineat, ac referri debeat, ut plerumque fit, *l. Talis scriptura §. fin. & ibi DD. De legat.* 1. semper manet impedimentum, & vitium nullitatis ex notoria injustitia ; cujus cognitio semper refricari potest, usque ad triginta annos, quantumvis adversus rem judicatam non soleat dari reparatio audientiæ vel nova cognitio: judicatum enim dici non potest, quod nullitatis vitio laborat, *l. 4. §. condemnatum De re iud.*

10 Quæ consideratio hoc quoque efficit, ut quadriennij, quod restitutioni in integrum impetrandæ præscriptum est *l. 1. De restit. in integ. l. ult. C. De tempor. restit. in integ.* ratio hîc haberi non debeat; cujus ratio habetur in vera integri restitutione, quam etiam inferior, non tantùm Princeps, concedere potest, *c. penult. De restit. in integ.* non perinde in reparatorio remedio, quod restitutioni in proposito conjunctum fuisse videtur ; cujus solius potestatem Princeps secundùm supradicta habet, sine temporis præfinitione. Cum alioqui in articulo tam reparationis, quàm restitutionis in integrum omnem scrupulum amoveat Catharinæ interventus, quæ horum bonorum, de quibus controvertitur, ex dissoluto matrimonio parentũ suorũ secundùm communẽ patriæ consuetudinẽ Leodiensis, & locorũ vicinorũ effecta proprietaria, nullum damnum in ea pati potuit, vel debuit, ex negligentia matris ; sic saltem, quin ei per restitutionem in integrum succurri potuerit intra quadriennium à completa ejus minore ætate: ante cujus quadriennij lapsum hæc restitutio petita proponitur. Atque ita uno ductu cohærentes plures quæstiones satis solutæ sunt, *l. sicut & ibi glos. in verb. servanda C. De præscript. 30. annor. l. Non est incognitum C. Quibus non obiic. long. temp. præscript. l. 1. C. si adversus usucapionem.*

11 Rectè quoque ad incertitudinem sententiæ per Dominum Wyngarden latæ objicitur, quòd per illam confirmentur conventiones antenuptiales Cenaci probatæ ; cùm & illæ probationes incertæ sint, neque in omnibus & per omnia conveniant, &, ut proponitur, pari numero inter se dissideant; ideoque inter se collidantur nec fidem mereantur, quamdiu Iudex ad alteram partem testimoniorum meorum animi sui non accommodat, specificè declarando, quibus potius fiet, & fidem adhibeat, *l. Ob carmen §. si testes De testib.* & dum declarat se approbare Cenaci probatas conventiones, non aliter in effectu facit, quàm qui cum duos Titios habet, alterum se legare dicat, *l. Duo sunt Titij De testam. tutela* ; certum autem est sententiam ratione incertitudinis nullam reddi, *l. 3. & 4. C. De sent. quæ sine cer. quant. tit. profer.* Et hoc ita quidem, si aliundè ex actis deprehendi non possit, quòd Iudex de illis senserit, quæ pro Baltazare stant, *d. l. 2. C. De sent. quæ sine certa quantit. prof.* quod vel ex eo præsumi ac colligi posset, si sic concepta esset sententia, ut secundùm Baltazarem judicatum dicendum sit ; veluti si Anna in expensis litis condemnata sit.

Quod quæritur ulterius, an non ob id nulla quoque dici possit sententia Decani Sanctæ Crucis, quòd pronuntiaverit sententiam per Dominum Wyngarden latam esse nullam, & iniquam, quasi contrarietatem implicet, *Alex. consil. 49. In causa & lite nu. 3. vol. 7.* difficultatem non habet: nam cùm nullitatis, & iniquitatis accumulatio de iure admittatur, ut ante diximus, *Bart. in l. Si expressim De appellat.* utriusque potestatem in judicando habet Iudex etiam conjunctim ; præsertim cùm ex notoria iniquitate sententia dicitur nulla, non tantùm ex defectu jurisdictionis; * quia, ut rectè dixit 12
Baldus, *in l. Eos nu. 10. vers. poterit etiam pronuntiare super utroque C. De appellat.* omnis sententia, quæ nulla est, rectè etiam dicitur iniqua. Propter quam Baldi considerationem Marcus Ant. Natta, *Consil. 211. Reverende Pater nu. 1.* ex cujus responso hæc difficultas movetur, non audet in eo consistere, quòd repugnantia, & nullitas sententiæ constitui possit, si Iudex conjunctim dicat sententiam nullam & iniquam. Et hæc quidem secundùm proposita.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

De nullitate vel iniquitate sententiæ an cognoscat executor.

1. *Executor vel alius Iudex non cognoscit de sententia cuius executio petitur.*
2. *Sententia ius facit inter litigantes.*
3. *Executor dubitans de sententia, causam remittit ad eum, qui iudicavit.*
4. *Qualitate quâ quis in principio litis egit, eâdem condemnatus præsumitur.*
5. *Officiarius calumnioſe agens condemnatur in expensis etiam proprio nomine.*
6. *Sententia quando non sit libello conformis.*

CONSILIVM CCII.

RECTE & ordine Magnificus Dominus Rector decima quinta Septembris novissimè prætereriti, statim & sine ulla cunctatione, pro juris subsidio requisitus, suo Promotori mandavit executionem, per litteras Magistratus oppidi Lovanienſis, pro parte Ioannis vander Biest, adversus Magistrum Antonium Vanney requisitam, nulla etiam abhibitâ cognitione quoad validitatem sententiæ, cujus executio petebatur: uti constat ex notariali annotatione dictis literis requisitorialibus subjecta. † Postulat enim † 1
juris aperta dispositio, & civilitatis humanitatisque ratio, ut Iudex condemnati alicujus requisitus ab alio Iudice, qui condemnavit, officium suum in facienda executione sententiæ adversus condemnatum exhibere debeat: & quidem promptè & statim sine ulla alia cognitione super validitate vel invaliditate latæ sententiæ, cujus executio requiritur, *c. Pastoralis §. quia vero De off. Iudic. delegati.* Potissimùm tunc, cùm requisitus Iudex in jurisdictione requirentis non est superior, *Guido Pape decis. 574.* sed vel inferior; vel sine ulla subalternatione

tione alterius stationis: ut est cùm Iudex Ecclesiasticus laicum Iudicem, vel è contra Laicus Iudex Ecclesiasticum Iudicem per literas requisitoriales, seu, ut vocant, compassus, *Zasius in l. a divo Pio §. sententiam De re iudic.* requirit pro executione sententiæ per eum latæ, *l. Episcopale C. De Episcopali audient. DD. in d. §. sentent.* Cognitor enim esse non debet, sed nudus & merus executor, qui post sententiam inter partes plenâ cognitione auditâ & discussâ lite prolatam, pro executione sententiæ aditur & requiritur, *l. Executorem C. De execut. rei iud. l. Si prætor iusserit D. De iudicijs.* Vsque adeò, ut si sic aditus vel requisitus sibi vindicet partes Iudicis seu cognitoris, circa ipsam sententiã, vel aliquid, quod executioni sententiæ repugnet, vel illam remoretur, statuit vel decernit, id sit omninò nullum, *l. si ut proponis C. De execut. rei iud.*

2 Cùm enim sententia inter litigatores lata post legitimam & plenam causæ cognitionem, & postquam illa in rem transivit judicatam, jus faciat inter partes, etiamsi iniqua sit, *l. Sive D. De liber. agnosc. DD. in l. Qui Romæ §. duo fratres. D. De verb. obligat.* sine alia seu ulteriore cognitione executioni omninò mandari debet; non etiam ad aliam cognitionem admitti, ne litium nullus sit finis, & ut lis ex lite non seratur; ne quidem prætextu falsitatis aut nullitatis, quæ evidenter ex lectione sententiæ ultrò non apparet, ultroque esse non ingerit, *l. Satis C. Ad L. Corn. de falsis, Ioach. Mynsing. cent. 3. observat. 69.* * Et summum, quod pro exe-
3 cutione sententiæ Iudex requisitus facere potest, est, ut si quid ex antè gestis per condemnatum adversus sententiam proponitur, quod illius vel nullitatem vel iniquitatem arguat seu redarguere possit, non ipse de eo cognoscere, sed cognoscendum & determinandum ad Iudicem, qui executionem mandat, vel pro executione facienda requirit, referre & remittere debeat, ut aperto liquidoque jure decisum est, *in c. De cetero De sent. & re iud. c. Super eo De crim. falsi.* Proinde huic suæ primæ promptitudini insistere debebat Magnificus Dominus Rector, & minimè postea ad petitionem dicti M. Antonij per suum decretum vicesima Septembris requisitam, permissam, & mandatam executionem suspendere, dictoque Antonio potestatem facere proponendi causas & rationes, cur dicta sententia executioni mandari non debeat: præsertim quia pro parte M. Antonij neque in specie, neque in genere adversus dictam sententiam aliquid, unde vel nullitas vel iniquitas illius redargui vel apparere posset, dictum aut propositum hactenus fuerit.

Cæterùm cùm id quod factum est infectum fieri nequeat, & ad superandam M. Antonij tergiversationem ita decretum esse verosimile sit; hoc unum restat, ut deprehensâ calumniâ, & injustitiâ eorum, quæ dictus M. Antonius ad remorandam vel impediendam executionem objecit, demonstretur eo loco ista esse, ut ulteriùs impedimentum requisitæ & decretæ executioni facere non debeant, sed huc usque in suspenso retenta executionis potestas Promotori relaxari. Duo sunt quæ M. Antonius objicit: prius, quòd ipse per sententiam Magistratus Lovaniensis proprio nomine condemnatus sit in expensis litis; qui tamen proprio nomine non egerit, sed nomine officij & in qualitate Receptoris dicto Ioanni litem intenderit; ideoque nisi in hac qualitate condemnati non potuerit; persuadens sibi ex ea causa sententiam libello non esse coformem, ideoque nullam, *l. Ve fundus D. Communi divid.* Alterum, quòd expensæ litis, quarum executio petitur, per Secretarium Magistratus fuerint taxatæ sine præcedente commissione. Verùm in neutro horum aliqua potest constitui probabilitas, sed in utroque manifesta relucet, si non calumnia, saltem cavillatio.

Nam quòd ad prius attinet, ex parte dicti An- 4
tonij nulla ratione probatum aut ostensum invenitur, quod in alia qualitate sit condemnatus in expensis litis, quàm in & ex qua ipse egit: ita ut cessante hac demonstratione & probatione, non tantùm de rectitudine, sed etiam de rititudine dictæ sententiæ, quæ in rem transivit judicatam, omninò præsumi debeat quamdiu evidenter contrarium non probatur, *c. Bonæ memoriæ 1. vers. Nos igitur De elect. c. sicut in fine De re iudic.* Neque ulla potest esse præsumptio, quòd M. Antonius in alia qualitate fuerit condemnatus in expensis, quàm in seu ex qua contra dictum Ioannem injustè egit. Qui enim in aliqua certa & præcisa qualitate in principio judicij egit aut conventus est, præsumitur in sequentibus omnibus & singulis judicij actibus & partibus in eadem qualitate egisse, convenire, & condemnari, etiamsi in singulis actionibus hujusmodi qualitas in specie seu individuo repetita seu adjecta non fuerit, *Bartol. in l. Si ita stipulatus § Chrysogonus col. penult. De verb. obligat, & in l. Qui servum De interrog. action.* Cujusque enim rei principium, tamquam pars potissima, *l. 1. De orig. iur.* maximè inspici debet, *l. Si procuratorem in princ. D. Mandati*; & præsertim circa qualitatem personæ, sub qua negotium geritur aut actus expeditur: cùm alioqui in dubio nemo facilè præsumatur à semel suscepta qualitate recedere, aut eodem actu variare, *l. Nam ad ea De condit. & demonstrat. Bald. in l. Procurator qui pro evictione D. De procurat.* Cùm igitur dictus Antonius apertè proponat & confiteatur, se coram dicto Magistratu contra præfatum Ioannem actionem instituisse in qualitate Receptoris, & per sententiam Scabinorum absoluto Ioanne se in expensis esse condemnatum; nulla potest esse præsumptio, quod in alia qualitate, quâ qua egit & processit, sit condemnatus, quamdiu non probat se in alia qualitate esse condemnatum: ita ut nimis frivola sit hæc oppositio, quæ executionem ob id
nullo modo remorari debet. † Sed etsi ex formula 5
sententiæ constaret dictum Antonium nomine proprio seu privato condemnatum esse ad has expensas, & non in ea qualitate, quâ contra Ioannem processit; nihilo magis nulla dici posset dicti Magistratus sententia. Hoc enim jure constitutum est, quòd qui sub nomine & titulo officij seu administrationis alicujus calumnioſas lites adversus alium seu alios instituunt & persequuntur; suo proprio nomine in expensis condemnari possint; ne sub prætextu nominis alieni securè alios litibus vexent, *l. Non est ignotum & ibi glos. in V. condem. C. De admin. tuto. l. Quoties §. sicut in fine D. eod. tit. l. Pollà C. De his quib. ut indig.* Vt verè dictus Antonius præfatum Ioannem vexavit, extorquendo ab

eodem provisionaliter mulctam circiter nonaginta florenorum, quam per dicti Magistratus sententiam in principali negotio latam Ioanni restituere condemnatus fuit, absoluto Ioanne ab iniqua impetitione: cui sententiæ Antonius statim acquiescendo provisionaliter solutam pecuniam restituit, & judicatum fecit: ut mirum sit cur idem non fecerit seu faciat quoad dictarum expensarum con-
6 demnationem. * Neque sanè ullo modo argui posset aliqua dictæ sententiæ nullitas, vel illius à libello difformitas, si Antonius proprio nomine condemnatus fuisset: tunc enim sententia libello dicitur non esse conformis, cùm Iudex de alia re judicat, quàm actum est; non etiam cùm aliter judicatur quam petitur, DOCT. *in d. l. ut fundus*, cum jus patitur proprio nomine condemnari ad expensas eũ qui alieno nomine calumnioſe egit, *d. l. non est ignot.* & sibi ipse imputare deberet Antonius, quòd caũniosam litem instituendo Magistratui occasionem dederit, se etiam proprio nomine condemnandi ad expensas. Sed frustrà scrupulosius de his agitur; cum manifestum sit Antonium in eadem qualitate condemnatum esse, quâ Reus absolutus est, quaque ipse contra Ioannnem egit.

Alterum quod de defectu commissionis ad taxationem faciendam proponitur, perinde frivolum est; tum quòd ad diluẽdam hanc objectionem acta commissionis quartâ hujus mensis Novembris sit exhibita, & per procuratorem Antonij in termino noviſſimè servato satis recognita; tum quòd ex literis requisitorialibus dicti Magistratus satis constet ejusdemodi taxationem ex voluntate ejusdem Magistratus esse factam per hoc quod super ea hanc requisitionem fecerit.

Cùm hęc itaque ita se habeant, officium Magnifici Domini Rectoris erit requisitam executionem semel permissam & imperatam, sublatâ suspensione, iterum permittere & suo Promotori injungere, præfatumque Antonium in expensis hujus oppositionis condemnare; non obstante frivola altercatione seu petitione proposita in termino noviſſimè apud acta servato; quæ aliò non tendunt, quàm ad longiorem dilationem & remoram petitæ & concessæ executionis, *d. l. Satu*, & in omnem eventum nihil relevare possunt.

De Appellationibus.

SVMMARIVM.

Appellatione deserta quæ sit habenda ratio expensarum.

1. *Expensas litis luit deserens appellationem.*
2. *Expensæ litis post interlocutoriam, non etiam post definitivam sententiam peti possunt.*
3. *Expensæ iure actionis quando petantur.*
4. *Expensæ litis ob interlocutoriam non semper recuperantur per definitivam.*

CONSILIVM CCIII.

IVSTA & rationi omninò consentanea est petitio condemnationis expensarum, quæ per occasionem frivolarum, rejectarum, atque etiam desertarum appellationum in hac causas factæ sunt, citra decimam nonam mensis Septembris noviſſimè præteriti in hunc usque diem, tam diu per occasionem hujusmodi appellationum retardato cursu negotij principalis: * quippe appellatione per appellantem de- 1
sertâ aut per Iudicem rejectâ, parti, adversus quam sic appellatum est, reficiendæ sunt expensæ, *c. Vt debitus c. sæpè c. Reprehensibilis*, *c. Nicolao De appel.* idque perinde per sententiam judicis, à quo appellatum est, ut illius, ad quem appellatum est, *Bald. in d. c. Sæpè per illum text. & ibi Phil. Francus vers. Tertiò quæritur.* Cum igitur per sententiam interlocutoriam venerabilis Domini Commissarij septima Octobris latam declaratum sit, priorem partis reæ appellationem fuisse nulliter, ineptè & contra juris ordinem interpositã, eaq; ex causa formaliter reiectam; & posterior appellatio, nullis petitis apostolis, *c. 1, De appellat. lib. 6. Clement. Quamdiu eod. tit.* nec ulla illius factâ prosecutione, sed per ulteriorem partis Reæ comparitionem factam nona mensis Ianuarij, manifestè sit deserta, *c. Gratum vers. in secundo De offic. & potest. iud. deleg.* nulla est dubitatio, quin expensas ea occasione factas pars Rea refundere debeat, etiam non obstante quòd supratacta interlocutoria dicta die septima Octobris condemnationem expensarum adjunctam non habeat. * Nam etsi sententi adeſ- 2
nitiva sine condemnatione expensarum lata, de expensis litis nulla amplius possit esse quæstio, *l. Terminato C. De fructib. & lit. expens.* idem tamen non obtinet in sententia interlocutoria: quia uti per hanc Iudicis officium non finitur, ut fit per sententiam definitivam, ita post latam interlocutoriam omissa condemnatio expensarum in quacunque parte litis ante sententiam definitivam per partem adversam peti & per judicem suppleri potest, *l. Terminato vers. Quæro extra & in l. si pignore D. De pig. actione.* * Et quidem longè potentiore 3
jure hujusmodi ineidentis articuli expensæ peti possunt, quàm totius causæ principalis: ob id, quòd expensæ negotij principalis seu ex sententia definitiva, non jure actionis, sed ex officio judicis debeantur, DD. *in d. l. Terminato, properandum §. sine autem alterutra C. De iudic.* ideoque illo finito nulla persecutionis illarum sit potestas; quia judex officio suo functus est, *l. Iudex postea quam De re iudic.* At vero expensæ quæ debentur ratione incidentis articuli seu interlocutoriæ sententiæ, & præsertim ex desertione appellationis, debentur victori jure actionis, & condictione ex canone, *c. Reprehensibilis De appel.* ut eleganter tradit Philippus Francus, *in c. Ex ratione in 7. membro princip. vers. sed quæritur primò, & in c. sæpè vers. Octavò queritur De appel.* Nec hac in re exaudienda est partis Reæ contradictio, per quam non tam declinare quàm differre nititur hanc condemnationem expensarum, centendendo eam esse reijciendam & reservandam usque ad pronuntiationem sententiæ definitivæ. * Cùm enim petitio illarum ex causis 4
prædictis in quacumque parte litis de jure sit fundata; Iudicis officio incumbit hujusmodi petitioni sese incontinenti accommodare; cùm aliæ & separatæ sint expensæ incidentis acticuli, aliæ principalis negotij; & justa possit esse occasio condemnandi ad expensas interlocutoriæ eum, pro quo fortè postea sententia definitiva cum condemnatione expensarum profertur; per quam nulla ratione resuperari possunt expensæ ratione incidentis

priùs

priùs solutæ, *Salicet. & alij in d. §. Sive autem alterutra, Bart. in d. l. si pignore*; tunc præsertim quando articulus incidentis negotij cum negotio principali conjunctus non est, & justitia causæ principalis injustitiam incidentis articuli purgare non potest. Nam eo casu differendæ aut ad finem causæ reijciendæ condemnationis expensarum, ratione incidentis articuli factarum, nulla est justa occasio, *Speculat. in tit. de expen. §. si autem vers. Sed numquid deficiens, Innocent. in d. c. Sæpè & ibi Francus d. quæst.* 8. potissimùm quando Iudici constat per quamcumque sequentem sententiam definitivam non posse expurgari vitium quod pars adversa incidente articulo, vel calumiando, vel tergiversando, aut ineptè procedendo semel contraxit, *Matthæus de Afflict. decis.* 42. Prout in proposito manifestissimum est eo loco esse has, de quibus quæritur, expensas, quod latà etiam contra actores sententiâ definitiva, pars Rea in illis omninò condemnari deberet, aut saltem non ab illis excusari. Ita ut juris beneficium, hoc est prompta paratáque illarum expensarum condemnatio, parti agenti neque eripi, neque denegari, neque denique in aliud tempus reijci aut differri debeat: cum de eo in re præsenti cognoscere possit Venerabilis Dominus Commissarius, & cognoscendo ob id de eo judicare debeat, *l. De quare D. De iudic.*

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Residentia Clericorum.

1. *Canonicus an simul & in canonicatu & in parochiali Ecclesia vicina residere possit. Residere quid sit.*
2. *Stare in aliquo loco quis dicatur.*
3. *Domicilium diversis locis quis habere potest.*
4. *Beneficiorum pluralitas odiosa.*
5. *Clericus non residens admoneri potest.*
6. *Residentia clericorum nimis amare exigenda non est.*

CONSILIVM CCIIII.

STATVTVM Collegiatæ Ecclesiæ S. Livini Zierixeensis his verbis conceptum est: *Statuimus & ordinamus quod quicumque Canonicorum nostrorum capitularium, qui censeri debeat residens, debet personaliter stare in oppido Zierixeensi per spacium viginti septem hebdomadarum in anno coniunctim vel divisim. &c.* Alio loco in statutis cavetur de forma visitationis chori ad lucrandum præsentias. Vnus ex Canonicis obtinens in vicino pago Ecclesiam parochialem, eique personaliter deserviens, & in pago ejusdem Ecclesiæ expensas suas emens, in oppido cubiculum habet, & quotidie saltem per viginti septem hebdomadarum spacium chorum laudabiliter secundùm alia dictorum statutorum capitula frequentavit, sæpiùs in eodem oppido edendo ac bibendo, atque etiam in conducto suo cubiculo interdum dormiendo: sed quia ordinarium domicilium in oppido non habet, Domini de Capitulo eum fructibus suæ præbendæ privaverunt: Quæritur, num id jure potuerint? Tota quæstio consistit in intellectu & interpretatione horum verborum, *Debet personaliter stare in oppido,*

1 † an videlicet illa referri debeant ad domicilium, an verò ad residentiam, hoc est deservitionem cultumque divini officij in Ecclesia? Id enim verbum *Residendi* in hoc articulo significare videtur, *c. Conquerente De Cler. non residen.* Cujus residentiæ respectu posset videri præfatus D. Canonicus in statutum non impegisse, cùm ei aliquid ad illaudabilem deserviturам obijci non possit. * Sed 2
quoniam residentiæ modus explicatur, *stando* scilicet *personaliter in oppido*, duo requiri videntur, domiciliū seu habitatio ex præscripto statuto, & deservitura ex postea subjecto statuto de modo visitandi ac frequentandi chorum: stare enim in aliquo loco ad domicilium continuamque habitationem referri videtur, *l. 1. ibi Bart. De his qui deuec. vel effud.*

Et quamvis duobus locis quis possit habere do- 3
micilium; id tamen aliter fieri non potest, quàm si utroque loco æqualis sit habitandi, & standi destinatio, *l. Labeo, l. Assumptio §. iurisprudentibus D. Ad municip.* ita quòd sola domus vel cubiculi possessio in aliquo loco domicilium non faciat, si continuè vel pro maxima parte habitandi non sit quoq; propositum, *l. Libertus §. sola domus possessio Ad municip. glos. in c. Licet canon in verb. residere De elect. Lib. 6.*

† Vt proinde in rigore juris, & attento odio, 4
quod in pluralitate beneficiorum consistit, & ex qua causatur impossibilitas residendi ac deserviendi laudabiliter in omnibus, *c. Quia nonnulli De Cler. non residen. l. Nemo ex ijs C. De assessor. c. singula & ibi glos.* 89. *distinct.* satis probabilis videatur causa dictæ privationis: nihil faciente in contrarium, quod alij quidam ex ejusdem Ecclesiæ Canonicis parochialium Ecclesiarum quoque Rectores in oppido residentes, suis hujusmodi Ecclesijs etiam deserviant, & tamen parem privationem non patiantur: nam quamvis adversus illos quæri possit, an eis debeantur fructus suarum Ecclesiarum, in quibus personaliter verè & propriè non residunt; ob id tamen objici non potest illaudabilis deservitura quoad Canonicatus; cùm in illis resideant, personaliter in oppido Z. stantes domiciliumque habentes, & statutis quoad visitationem ac numerum hebdomadarum satis facientes; ubi in casu proposito res conversa est & justitia querelæ privationis respicit fructus præbendæ; od id, quod Canonicus principaliter in oppido non stet, sed magis in sua parochia, cui in eadem residendo, ac deserviendo plenè satisfacit: ast illo casu peccatur in ipsam parochiam, non in Ecclesiam Collegiatam, cui idcirco nulla potest esse conquerendi materia, *steph. Bertrand. consil.* 101. *Quamvis non sit vol. 1. part. 1.*

Interim quia Domini de Capitulo præfatum 5
D. Canonicum sic residentem hactenus toleraverunt, patientes illum sine contradictione aut admonitione chorum frequentare, ac statutis quoad visitationem chori satisfacere, bonaque fide ipse existimavit talem residentiam sufficere, nulla Dominorum de Capitulo admonitione interveniente, existimarem prætactam privationem quoad præteriti temporis fructus nimis fore rigidam & ab æquo bono alienam; cùm canon admonitionem ante subtractionem fructuum requirat in ipso momento ac tempore absentiæ seu illaudabilis residentiæ, *c. penult. De cler. non resid.* probabilisque fuerit opinio dicti Domini Canonici existimantis se statutis satisfacere per hujusmodi deserviturам seu residentiam; * quæ nimia amarè seu rigorosè 6

exigi

exigi non debet, sed civili modo intelligenda est, *Archid. in c. Licet canon nu. 5. vers. sub residentia De elect. lib. 6.*

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Residentia in beneficio.

1. *Excipere de iure fisci tertius non potest.*
2. *Ius patronatus an ad fiscum transeat confiscatis bonis.*
3. *Beneficia simplicia an residentiam requirant.*
4. *Scholares beneficiati residere non tenentur.*

CONSILIVM CCV.

SINE magno labore eximi possunt scrupuli, quibus cõscientias suas gravare videntur Venerabiles D. Decanus & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ Culenburgensis, circa præsentationẽ & institutionem M. Henrici Cuyck in & ad capellaniam seu Vicariam S. Antonij in dicta Ecclesia collegiata fundatam per Dominum Gasparem Dominum in Culenburch novissimè vacantem ex simplici resignatione Antonij Cuyck fratis sui facta ad manus D. Florentij de Culenburch. Nam quod ad priorem quæstionem attinet, an Dominus Florentius eo tempore, quo contracto crimine læsæ Majestatis, fines ditionum Regiæ Majestatis excessit, jure patronatus uti, & utendo prætactam resignationem admittere, ac dictum M. Henricum præsentare potuerit; idemque M. Henricus ex hujusmodi præsentatione, per dictum Capitulum admitti & in prætacta Vicaria institui potuerit; dicimus quòd præfati Domini hunc scrupulum sibi facere non debeant, quamdiu alius potentiore jure munitus non comparet, neque dicto M. Henrico quæstionem aut controversiam super ista
1 Vicaria excitare: * cùm regula generalis sit, quòd de jure fisci tertius nec excipere nec movere quæstionem possit, *l. His consequenter D. Famil. erciscund. & ibi glos. in verb. non petimere*; dictoque Capitulo sufficere debeat, quòd apud præfatum D. Florentium eujusque majores jus patronatus ex fundatione fuerit, & illius vigore novissimus possessor hoc beneficium obtinuerit: quia in hujusmodi præsentationibus & institutionibus ultimus status beneficij
2 attenditur, *l. Consultationibus De iure patron.* * Deinde communior & frequentior est Doctorum, *Felin. Decius & alij in c. Quanto De iud. & in Pastoralis §. rursus De re iud. Marian. Socinus nep. cons. Requisitus a Magistro vol. 2. Latè Hieron. Gigas in tract. de crim. læsæ Maiest. Rubr. de pæn. commit. crim. læs. Maiest. quæst. 4.* opinio, quòd confiscatis bonis alicujus, jus patronatus Ecclesiasticum ad fiscum sæcularem non transeat; cùm ad fiscum vigore universalis confiscationis non transeant ea hæredes extraneos non sunt transmissibilia; quia fiscus pro extraneo hærede est, *Bart. Bal. & alij in l. 1. C. De bon. quæ lib.* Quod in proposito indubitatum videtur, ob, id quòd jus patronatus non cohæreat dominio aut Comitatui de Culenburgh, sed sit merè personale, reservatum ipsi Gaspari fundatori & ejus successoribus. Ita enim sonant verba fundationis *Zoo sullen wy ofte onse naecomelingen, &c.* hoc est, *tunc nos vel nostri successores, &c.* Ita quòd sit separatio bonorum, & juris paronatus tunc, cùm jus patronatus bonis non cohæret, & sic bonis transeuntibus ad fiscum, jus patronatus manet apud eum, qui confiscationem passus est, vel potiùs dormit, si non extinguitur, Ecclesia manente liberâ, *Decius in d. c. Quanto, & in l. 2. nu. 2. C. De in ius vocan.* dum sic merè personale est; atque inde transit ad sequentem generationem, mortuo eo, qui confiscationem passus est, quando etiam successoribus reservatum est, *Socinus d. cons. 51. Marc. Mantua cons. 5. Visis scripturis.*

Quoad alteram quæstionem, dubitatio nulla est, quin patronus sic conferre, & conferendo super promotione ad sacerdotium, & residentia personali dispensare potuerit; quia eam potestatem sibi & suis successoribus reservavit fundator; prout reservare potuit: † cùm simplex sit beneficium, quod personalem residentiam nisi ex fundatione non requirit de generali consuetudine totius mundi, *Felin. in c. Dilius De rescriptis Alex. cons. 1. nu. 3. vol. 7. Bernard. Diaz. in praxi crim. can. cap. 52.* Vnde cùm fundator ipse eam necessitatem residendi & promovendi imposuerit, reservata sibi potestate relaxandi, dubium non est, quin relaxare poterit, quia eam legem suæ liberalitati dixit, *l. Ea lege C. De condict. ob caus. dator.* cujus enim est solvere, cujus est ligare, *l. Eius est De reg. iur. l. Si puella De spons.* † De quo interposito minùs dubitandum, ob id, quòd ex legitima & legibus probata causa, sit facta hæc relaxatio & dispensatio, videlicet ob continuationem studij in Vniversitate approbata: ob quam causam relaxatur generaliter necessitas residentiæ in beneficio, etiamsi tempore institutionis is qui beneficium obtinet, juraverit residere, *c. Cum ex eo De elect. lib. 6. c. Ex parte tua De cleric. non resident. c. ult. De magistris. Fred. de Senis consil. 246. De iure communi, Oldrad. consil. 220. Supposita.* De quo hic minùs hæsitandum, quod Vniversitas Lovanienſis, in qua M. Henricus studij causa degit, specialia habeat privilegia de non promovendo ad sacros ordines, & de fructibus percipiendis in absentia propter studium. Proinde tutâ conscientiâ possunt Venerabiles DD. hanc institutionem semel per eos legitimè factam, suo loco relinquere.

3

4

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Residentia parochorum. Abbas certæ Ecclesiæ obligatus providere de Rectore, an captivum ab hoste Rectorem redimere teneatur. Abbati an rectè decimarum solutio negetur, ob non residentiâ pastoris ab eo præfecti.

1. *Parochus Ecclesiæ an in periculo residere teneatur.*
2. *Distributiones quotidianæ aliquando etiam absenti præstandæ.*
3. *Pestis causa an Parochus Ecclesiam deserere possit.*
4. *Abbas Religiosum Ecclesiæ alicui præficere obligatus excusatur ex causa impossibilitatis vel periculi.*
5. *Parochiani suo Parocho defensionem debent, alioqui excusatur à residentia Parochus.*
6. *Exceptio loci non tuti.*
7. *Decimæ absenti ex causa Parocho an rectè denegentur.*

CON-

CONSILIVM CCVI.

PRo parte Reverendi D. Abbatis Monasterij Parcensis, ordinis Præmonstratentis, duæ sequentes proponuntur quæstiones: prior, utrum Abbas aliquis, qui de Rectoribus tenetur providere varijs Ecclesijs, teneatur illis providere suo & monasterij sui periculo, ita ut etiam Pastores cogatur liberare, si capiantur; maximè cùm ex decimis Abbas vel Conventus toto decennio nihil receperit, nec intra decennium (ultra competentiam Pastori debitam) vix aliquid sit recepturus; eo quòd fabrica Ecclesiæ reparanda sit, & campana decimalis comparanda? Posterior, utrùm subditi, quando Pastores securè residere non possunt, licitè negent decimas; cùm ex decimis Ecclesiæ suo tempore reparandæ sint & campanæ comparandæ.

Ad utriusque quæstionis resolutionem hoc im-
1 primis præmittendum, * Rectorem Ecclesiæ alicujus parochialis non cogi ad residentiam in sua Ecclesia, si residendi non sit securitas; ut non est, dum sine periculo vitæ in loco subsistere non potest: in eo enim consistit corporalis necessitas, quæ excusat à residentia, *c.* 1. *De Cleric. non resid. sub fin. lib.* 6. Qui igitur ob bellum residere non potest, propter periculum vel mortis vel captivitatis, quæ sæpè morte ipsa durior est, non potest moneri aut cogi, ut resideat; & si monitus non venit ad residentiam, eo nomine Ecclesiâ privari non potest. Esset enim, ut eleganter respondit Baldus, *consil.* 357. *Iniustissima vol.* 2. hujusmodi privatio non tantùm injustissima, sed etiam nullissima; cùm non cogatur quis ire ad locum notoriè non tutum, aut de periculo suspectum, *c. Ex parte De appel.* multo minùs cum præsenti & certo periculo conjunctum; ideoque nec sub pœna privationis ad residentiam in tali corporali sive impedimento sive necessitate faciendam requiri aut moneri non possit: quia talis necessitas & impedimentum excusat, *c. Relatum c. Inter quatuor De cler. non resid.* sic quòd taliter absenti seu ex causa non residenti, solvendi sint integri fructus sui beneficij, & perinde decimæ, ut alię
2 obventiones; * imò, ut plerique volunt, etiam quotidianæ distributiones; ob id, quòd huic beneficiato imputari non possit nec debeat, cur non resideat, dum commodè sine periculo vitæ non potest, ut eleganter & ex bonis rationibus responderunt Ioannes Calderinus, *cons.* 17. *An Canonicus tit. De præben.* & Fredericus de Senis, *cons.* 246. *De iure communi vers. item Si infirmitas.* Habetur enim is pro residente, qui residere paratus est; sed ex probabili impedimento facti residere non potest, *Bald. d. cons.*
3 357. † Et quamvis plerique putent in periculo pestis fugam Parocho pro conservatione vitæ suæ non esse permissam, saltem non aliter, quam si vicarium temporalem pro se constituat, si modò aliquis inveniri possit, ne divinum officium fraudem patiatur; nihil tamen id in contrarium movere potest, ob id, quòd hoc pestis periculum non tantùm ipsi Parocho, sed etiam ipsis parochianis subditis sit commune & æquè periculosum: quod non est in hoc impedimento belli intestini; in quo qui hostilitatem exercent, rusticis passim parcunt, & clericis sacerdotibusque præsertim religiosis seu monachis nimis sunt infensi, utpote hæretici & omnis religionis hostes; quod (proh dolor) rei experientia docet: cùm alioqui tanta sit difficultas in inveniendis vicarijs, ut veris Pastoribus. Sic quod hoc impedimentum non tantùm à residentia personali excuset, verùm etiam à necessitate constituendi vicarium: satis enim est Parochum in utroque impediri, ut ex impedimento sic excusari omninò debeat, & nihilominus decimas & alios beneficij fructus percipere, *Per. de Vbaldis in tit. De canonica Episcop. & Paroch. portione in sext. c. princip. quæst.* 12. *Ioan. Bapt. Ferret. cons.* 173. *Quarta Canonica nu.* 4. *And. Barbat. cons.* 87. *Visis punctis n.* 2. 3. *vol.* 4. *Paul. Paris. cons.* 32. *Licet regulariter nu.* 19. *vol.* 2.

Quæ cùm ita se habeant, manifestum evadit, 4
quòd Abbas, ad cujus curam & sollicitudinem pertinet ex suis Monachis alicui curatæ Ecclesiæ ad curam animarum exercendam providere, possit ex hac difficultatis, imò impossibilitatis causa excusari à provisione de personali residentia sui Monachi: cùm ex aperta juris dispositione, *clem. Ne in agro §. Sane prioratus, & ibi glos. in verb. causa rationabili De statu monach.* permittatur Prælatis suos Religiosos alicui Ecclesiæ præfectos domi in suo monasterio retinere tunc cùm propter hostilitatem aut aliam rationabilem causam residentia Religioso de facto vel impossibilis est, vel nimis in certissimo & instanti periculo posita; præsertim in tali hostilitate, *c. Pastoralis 7. q.* 1. quæ cum omni immanitate, truculentia, & tyrannide exercetur in Christos domini sacerdotes, maximè Religiosos seu Monachos, cum summo illorum opprobrio, *Baldus d. cons.* 357. per abductionem in captivitatem; in qua quod levissimum & tolerabilissimum exspectare possunt, est, quòd se & vitam suam pretio exorbitante redimere possint; cui cùm ipsi Religiosi pares esse non possint, utpote quibus proprij nihil est. *c. Cum ad monasterium De statu monach. c. Reprehensibilis sub finem De appel.* redemptionis necessitas recidit ad Abbatem, si suum Religiosum salvum esse velit: cui periculo ob id Abbas meritò se subtrahere potest, retinendo domi suæ suum Religiosum.

Proinde si subditi suum Pastorem, non obstante 5
hostilitate, apud se residere velint, ad exhibitionem divini cultus & sacramentorum, ut milites suum ducem, *l. Omne delictum §. qui propositum D. De re milit.* ita hi suum Pastorem adversus hujusmodi pericula protegere & tutum servare debent: si id non possunt, quia fortè vi majori resistere nequeat, quemadmodum ipsi à resistentia excusantur, ita & hic Pastor seu Vicarius perpetuus à residentia excusari debet; & quidem sine ullo suo suique Abbatis damno aut præjudicio, quoad perceptionem decimarum, & aliorum fructuum, ex causis superiùs adductis. Quare si parochiani persistere volent in petitione personalis residentiæ, debebunt in se periculum captivitatis & redemptionis ex illa suscipere, & in eum finem sese Abbati & Religioso specialiter obligare, ac per idoneam cautionem indemnitatis prospicere: cùm alioquin in juris veritate Religiosus invitus cogi non posset se credere aut committere fragilitati cujuscumque cautionis vel etiam salvi conductus seu salva guardiæ, *c. Accedens Vt lite non contest.*

Etsi

6 Etsi enim in formali bello ex jure gentium hujusmodi salvis conductibus stari & debeat & soleat, & sic mediante eâ cautione locus non tutus possit fieri tutus, ad removendam allegationem & exceptionem loci non tuti, *Ant. de Butrio in c. Ex parte De appellat.* id tamen in hoc infestissimo intestino bello, sive potiùs rebellione, dici non potest, apud hoc genus hominum, quorum in Ecclesiasticorum ordinem conspiratum & exitiale est odium, à quo nulla cautio potest Religiosum in aperto pago & hostibus expositio residentem, cautum & securum facere, ut rectè tradidit Philippus Decius, *in d. c. Ex parte nu.* 6. 10. *Ferretus consil.* 31. *In casu proposito nu.* 22. Sic quod extrema necessitas hanc rem eò redigat, ut si subditi seu parochiani suum Pastorem apud se residere & continuò præsentem habere velint, debeant defensionem, & indemnitatem ut minimùm & Domino Abbati & ejus Religioso adversus ista præsentissima vitæ pericula promittere & præstare; & Religiosum sub confidentia hujusmodi cautionis non per coactionem, sed per preces ad residentiam inducere; quia ex juris potestate nulli cautioni, cùm nulla sufficiens inveniri possit, se invitus committere non cogitur, *in d. c. Accedens.*

7 Vnde illud etiam satis percipitur, quod alteram quæstionem contingit, subditos ob temporalem hanc absentiam, quæ ex causa tam legitima & urgente contingit, non posse Domino Abbati decimas recusare, quæ jure prædij velut debitum ex jure divino omninò debentur; quas etiamsi subtrahere & denegare possent nolenti residere, aut non curanti, ut Vicarius perpetuus resideat (nam hoc facere possunt, *Paulus de Castro consil.* 38. *Dico dictum vol.* 1.) non tamen perinde id possunt, dum sic inevitabili aut inemendabili impedimento impeditus est, ex rationibus superiùs deductis.

Quas quidem rationes quoad Dominum Abbatem intendunt etiam aliæ circumstantiæ superiùs propositæ de onere tectorum; de contributione ad reparationem Ecclesiæ, quæ jam omninò ex incendio hostium conflagravit; item de onere campanæ per hostes ablatæ, item de interretione Religiosi ex ijsdem decimis: quæ omnia non tantùm præsentem & momentaneam, sed etiam futuram & successivam habent causam; ut meritò pro illis supportandis decimæ præstari debeant: quæ pro præteritis annis, deserta omni cultura, vel nullæ vel exiguæ fuerunt, & in præsenti repetita quorundam tantùm agrorum cultura, non admodum magnæ sunt, nec multò majores aliquot annis futuræ erunt: stante semper ratione superiùs deductâ, quòd hæc sive impossibilitas, sive inextricabilis difficultas residendi, pro voluntaria aut culposa absentia reputari non possit, sed pro residentia haberi debeat, *Bald. d. consil.* 357. *Paul. Parisius d. cons.* 82. *vol.* 4.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Distributiones quotidianæ.

1. Seu *particulæ potestas.*
2. *Necessitas corporalis quæ dicatur?*
3. c. 1. De cler. non resident. lib. 6. *intellectus.*
4. *Affectatio improbatur.*
5. *Iustæ caussæ quæ distributionum in absentia percipiendarum?*
6. *Capituli cognitio est de causis distributionum in absentia percipiendarum.*
7. *Statuto fieri non debet, quod consuetudine non potest.*
8. *Consuetudo ut Canonicus ex absentia reversus triduo possit adhuc à divinis officijs abesse, irrationabilis.*
9. *Distributiones quotidianæ manuales sunt.*

CONSILIVM CCVII.

EX ordine respondendo ad quæstiones ex parte Capituli Cathedralis Audomarensis propositas, respondemus primùm ad id, quod primo loco quæritur, quo sensu accipienda sint verba Bonifacianæ constitutionis, *in c. 1. Decler. non resid. lib.* 6. per quam abolita, quæ multis locis tunc irrepserat, consuetudine, de quotidianis distributionibus dandis præsentibus seu residentibus in loco sui beneficij, etiamsi divinis officijs non interfint, permissa est earundem quotidianarum distributionum perceptio his residentibus, *quos infirmitas seu iusta & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas* ab hac interessentiæ necessitate excusat; quid scilicet contineatur appellatione *iustæ & rationabilis corporalis necessitatis?* Quæstionis causam nasci ex antecedente conjunctim adjecta mentione infirmitatis, & illi subjuncta particula *seu*: † quia hæc dubitationem facit, 1
an in proposito particula ista potestatem habeat explicandi ac declarandi, seu exponendi, ut sæpè, *Clem. 1. De vita & honest. cleric.* an verò ampliandi & augmentandi, ut interdum, præsertim in favorabilibus, *l. Si quis ita & ibi Bartol. De auro & argento leg.* Et inde dubitari contingit, an alia justa & rationabilis corporalis necessitas huic sive exceptioni, sive excusationi locum faciat, quam quæ causatur ex infirmitate; & an quævis infirmitas id mereatur, etiam illa, quæ corporalem necessitatem non habet?

Equidem infirmitas & languor beneficiati 2
sæpè esse potest sine rationabili necessitate corporali, hoc est quæ non impediat interessentiam in divinis officijs; cùm scilicet morbus aliquis est, qui sonticus non est, quique impedimento non est, quò minùs, qui eo laborat, superesse possit omnibus negotijs; ut est levis febricula, aut etiam inveterata quartana, *l. Quæsitum De re iud. l. Morbus sonticus De verb. significat.* Possit etiam è contra esse justa rationabilis corporalis necessitas, quæ ex nulla infirmitate vel adversa valetudine, sed in bona valetudine sit; ut est cùm tempestate, vi fluminis, captivitate apud hostes aut latrones, vel etiam metu & periculo hostilitatis quis venire aut adesse impeditur, *l. 2. §. si quis iudicio, l. Sed etsi quis §. illud scitendum D. Si quis cautionib.* Verius est non expositivam aut declarativam & sic restrictivam significationem in hoc articulo facere hanc particulam *seu*, sed amplificativam & augmentativam, *Did. Covarr. Variar. resolut. lib. 2. c. 5. nu.* 10. *Alex. consil.* 193. *Ex themate vol.* 2. ut non tantùm infirmitas, sed quæcumque alia justa & rationabilis corporalis necessitas faciat exceptionem & excusationem; præsertim quia ponitur inter speciem & genus; seu

inter

interea, quæ augustiùs & latiùs patent, latiùs scilicet patēte posteriore loco posito: Ideoque licet infirmitas præsertim quæ gravis est faciat rationabilem corporalem necessitatem, sola tamen non facit, cùm ex alijs quoque causis eadem necessitas cau-
3 sari possit. † Vulgò omnes qui hanc Bonifacij constitutionē interpretantur, *Archid. Ioan. And. Anchor. Gemma. Phil. Francus. in d. c.* 1. corporalem necessitatem referunt etiam ad necessitatem sumendi potionem seu medicinam, vel incidendi venam; quasi eadem sit causa occurrendi morbi ad illum avertendum, quæ est in eo curando, sicut facilius malo occurritur, quam læsæ causæ remedium adhibetur. Sed cùm hæc infirmitati magis adhæreant, verius est latiùs patere hanc rationabilem corporalem necessitatem, etiam extra causas valetudinis; ut quæcumque justa rationabilis necessitas corpus beneficiati impedit, quo minus etiamsi maximè velit, divinis interesse possit, hanc excusationem tribuat: non sic quidem, quasi quæcumque justa vel probabilis est causa absentiæ ad hanc rem sufficiat; sed quæ corporis necessitatem conjunctam habeat, hoc est quæ corpus beneficiati divinis officijs interesse non patitur; ut est captivitas, hostilitas, & aliæ similes, *d. l.* 2. *§. si non propter, d. l. Sed etsi quis §. illud.* Non enim sine mysterio hæc tria conjunguntur, *iusta, rationabilis, & corporalis*: cùm justa & rationabilis esse possit, quæ non sit corporalis; & corporalis ac necessaria, quæ non sit justa, rationabilis, aut probabilis, *Gloss. ult. in l. ult.* D. *De restitut. in integ.*

Proinde ad primam quæstionem respondendo existimamus, quòd quamvis ad hanc exceptionem justæ, rationabilis, & corporalis necessitatis rectè referri non possit id, quod valetudinis conservandæ aut reparandæ gratia fit, non tantùm per pharmacorum & medicamentorum sumptionem aut phlebotomiam, sed etiam per aëris & loci mutationem, quia necessitatem præcisam non interessendi per se non facit; ad infirmitatis tamen causam rectè referatur, & sic ad primam exceptionem dictæ constitutionis pertineat, & excusationem præbeat; modo id fiat dolo & fraude seclusis, hoc est sine affectatione, *And. Barbatia consil.* 56. *Ergo vehementer, & consil.* 57. *Mihi*
4 *videtur vol.* 1. * Nam in omnibus juris partibus affectata excusationem nullam tribuunt; quia in affectatione fraus & circumventio latet, *d. l.* 2 §. *fin.* D. *Si quis cautionib. §. item tria Instit. De excus. tutor. l. Et qui data* D. *Ex quibus caus. maiores.* Ita ut valetudo non in occasione, sed in veritate habeatur; & sic voluptatis aut recreationis causa prætexi non possit, etiamsi recreatio interdum ad valetudinem firmandam benè tendat. Vnde est quod plerique arbitrentur nudæ assertioni invaletudinem allegantis non esse credendum in re non omninò manifesta, & quam habitus & constitutio corporis in aspectu non prodit, sed insuper requirant vel medici testimonium seu judicium, *Dom. Gemin. consil.* 152. *Pro intellectu, Phil. Prob. ad d. c.* 1. *num.* 14. *De cleric. non resid. lib.* 6. vel prætexentis assertionem cum juramento.

Quæ porro de nuptijs consanguineorum, & amicorum, funeribus eorundem, primitijs sacerdotalibus, religionis ingressu, susceptione prolium in baptismo, visitatione propinquorum & similibus casibus, seu causis proponuntur, neque ad primam infirmitatis, neque ad postremam utilitatis Ecclesiæ, neque denique ad secundam corporalis necessitatis causas referri possunt. * Etsi 5
enim hujusmodi causæ sint non tantùm honestæ & probabiles; quia tamen omninò necessariæ non sunt, idoneæ & satis justæ non censentur ad hanc excusationem tribuendam. Quemadmodum & absentia, quæ studiorum causa sit, etsi jure probetur & per se honestissima sit ac probabilissima, *Gloss. fin. in d. l. fin. De in integ. restitut.* non tribuit tamen in re propolita excusationem ad percipiendum & lucrandum quotidianas distributiones, *c. Licet De præbend.* quippe voluntariæ sunt, nec conjunctam aliquam vel præcisam vel hypotheticam necessitatem habent. Verùm quidem est, quòd sine verecundia interdum prætermitti non possunt; sed, ut in proverbio est, amici fures sunt temporis: ita & hujus quoque damni causa illis asscribenda, ex qua qui officium impendunt se beneficij creditores, qui accipiunt debitores faciunt, *l. Si pignore §.* 1. D. *De furtis.* Nam & aliunde sæpè majoris necessitatis causas incurrere possunt; ut est rerum propriarum procuratio, ingentis damni in proprio patrimonio aversio, & similes: quæ licet probabilitatem habeant, necessitatem tamen nullam habent corporalem; quibus dum cedit vel obsequitur beneficiatus, lucrum distributionum contemnere seu postponere censetur. Vnde etiam est, quòd aliàs à jure inter causas justæ absentiæ non referatur, si quis funeri seu funerationi tertij alicujus interfit; sed tunc demùm, si domesticum vel familiare funus ducat, aut illi justa faciat, *l.* 2. D. *De in ius vocan. d. l. Sed etsi §. illud sciendum.* In summa majoris causæ occupatio, quæ non est vel ex valetudine, vel corporali rationabili necessitate, vel ex utilitate Ecclesiæ, non tribuit potestatem percipiendi has distributiones in absentia à divinis officijs; quia certatur de lucro captando ex corporali officio seu opera.

Per quæ satis etiam responsum videri debet ad id, quod secundo loco proponitur. Eo enim constituto, quòd posteriores illæ causæ, quæ in officijs amicorum versantur, quæque necessitatem corporis impeditivam, aut Ecclesiæ aliquam utilitatem conjunctam non habent, non pertineant ad triplicem exceptionem seu restrictionem Bonifacianæ constitutionis, *in d. cap.* 1. non debet Capitulum sollicitum esse, an de hujusmodi singulis causis cognoscere debeat: cùm nihil ad hanc rem interfit, ex veritate, an simulatione: bona fide, an fraude prætexantur; cùm nec ea quæ ex veritate aut bona fide intercedunt, excusationem justam prebere possint: sed ut per se certam habent juris definitionem, ita non possunt Capituli judicio subijci aut subjacere, sed debent secundùm iliam regulari, *c. Sapè vers. cum frequenter iuris quæstio De appel. l. Ordine* D. *Ad municipal.*

Hoc interim verum est, ad Capituli cognitionem 6
& judicium pertinere facta, quæ contineri possent sub una trium causarum, quæ in proposito

exceptionem faciunt, & adversus amissionem distributionum excusationem præbent; hoc est, an infirmitas, & quæ pro ea præcavenda vel reparanda sunt, item corporalis necessitas, & Ecclesiæ utilitas ex facti veritate consistant: nam facta & facti quæstio in cognitione & potestate Iudicis posita sunt, *d. l. Ordine.* Quamvis ea in parte possit per statutum Capituli ordinari, quòd pro exoneratione probationis, quæ sæpè in hujusmodi causis difficilis est, stari possit juramento causam aliquam exceptam allegantis, non quoad juris, sed facti quæstionem, *c. 2. in fine De probationib.* hoc est, an in facto ut allegatur vera sit: priùs tamen per Capitulum expenso seu declarato, an talis sit, quæ pro excusantis vel infirmitate, vel corporali rationabili necessitate, vel Ecclesiæ utilitate accipi debeat aut possit. Qua in parte si fortè Capitulum metuet novas distractiones, vel materiam altercationum inter confratres, poterit tempestivè per Capituli specialem declarationem provideri, & per formam statuti seu edicti perpetui aliquid certi ordinari, quæ causæ ad infirmitatem, quę ad corporalem necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ referri seu idoneæ censeri debeant, cum exclusione aliarum, quæ modò expressis majores non sunt. Vt enim per Bonifacianam constitutionem permittitur Capitulo ordinatio circa modum ipsius distributionis, *d. c. 1. vers. iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem*: ita quoque permittenda videtur circa declarationem causarum exceptarum adversus illarum abusum, aut nimiam extensionem: cujus generis statuta, & consuetudines, cùm non ad ampliandam occasionem subtractionis à divinis tendant, sed ad exactiorem observationem frequentationis illorum faciant, jure non improbantur, *Decius in cap. Cum omnes num. 2. De constitut.*

Ex qua consideratione sese ultrò offert resolutio ad tertiam quæstionem. Si enim ad has tres dumtaxat exceptas causas restricta est facultas percipiendi quotidianas distributiones in absentia, & virtute exceptionis reliquæ omnes causæ censentur exclusæ, *l. Cum prætor De iudic. DD. in l. 1. De reg. iur.* & quoad exclusas improbata quæcumque contraria consuetudo, *d. l. 1.* non tantùm præterita, sed etiam futura, *Ioan. de Imola & alij in Clem. statutum De elect. Steph. Bertrand. consil. 93. Viso casu nu. 6. vol. 2. parte 2. quod est repetitum consil. 118. vol. 6.* meritò quoque censeri debet sublata potestas contra hanc tam apertam constitutionem statuendi, & Canonicis permittendi, ut vel ullo tempore à frequentatione divini officij abesse possint, sine amissione distributionum quotidia-
7 narum: † quod enim consuetudine fieri vel introduci non potest, statuto quorumcumque inferiorum fieri quoque vel introduci nequit, *Lapus alleg. 93. in fine, Phil. Franc. in d. c. 1. vers. statuimus nu. 4. De cl. non resid. lib. 6.* † Vsque adeò ut ab
8 omnibus, *Archid. & aliis in d. cap. 1.* communiter multis modis impugnetur, & tandem etiam improbetur Ioannis Monachi veteris interpretis traditio, *in d. c. 1.* de quadam consuetudine Ecclesiæ Morinensis, quæ permittebat Canonico ex professione seu absentia domum reverso, ut triduo domi quiescere & à divinis officijs abstinere posset sine perditione distributionum: quasi scilicèt rei natura & impossibilitas huic qualicumque permissioni resistat. † Hæc enim distributio cùm ma-
9 nualis dicatur, *d. c. 1. in verb. manualia*, & exporrigenti manum dari, & exporrecta manu accipi debeat, vel in rebus ipsis, vel per tesseras; fieri non potest, ut alij quàm corporaliter præsenti, & ut dicunt, interessenti dari vel possit vel debeat, *August. Beroius quæst. 113. nu. 3. Decius consil. 280. In casu proposito.* Vnde scribit Philippus Probus, *in d. c. 1. nu. 10.* dabilem non esse casum etiam per Papam, ut, cessantibus tribus istis exceptis causis, distributiones absentibus quamvis residentibus præbeantur. Et quamvis in exceptis casibus interveniat quoque naturalis corporalis absentia, & cesset manus illa exporrectio; ex juris tamen fictione & indulgentia, eis non ut absentibus, sed ut præsentibus permittuntur, *c. Relatum c. Inter quatuor De cler. non resid.* quoniam pro præsentibus habentur ex juris repræsentatione, qui infirmi sunt, *c. 1. & seq. De clericis ægrot.* qui vi majore aut aliter corporaliter detinentur, *d. §. si quis iudicio, Bald. consil. 357. In iustissima vol. 2.* qui pro utilitate Ecclesiæ aliis rebus vacant, *cap. De cætero, c. Ad audientiam De cler. non resid.* Quæ juris fictio cùm non possit constitui in alijs causis quantumvis necessarijs, probabilibus, aut honestis, secundùm ea, quæ superiùs dicta sunt, à cessante legis ratione eundem juris effectum habere non possunt, nec statuto aliquo ut habeant quisquam efficere potest. Potest quidem Capitulum rationabiliter aliquid de absentia residentium statuere, quoad numerum dierum absentiæ, & quoad grossos, ut vocant, fructus, velut communi quàdam indulgentia; cum continuatio residentiæ ob varios incidentes casus propè sit impossibilis; sed non perinde idem potest Capitulum quoad quotidianas distributiones; tum quòd hac in parte resistentem habeat juris manifestam prohibitionem, per quam fit, ut prorsus sit nullum quidquid in contrarium attentatur; tum quod repræsentatâ residentiâ per juris fictionem facilè induci possit, sed non perinde corporalis interessentia, *l. Non dubium C. De legib. Stephan. Bertrand. d. consil. 93. Matæus Mantua consil. 135. Consideratis verbis in fine.* Atque ita antiquum statutum Capituli, seu potestas Capitulantibus ex illo olim concessa de certis diebus pro absentia ordinandis, accommodari & restringi debet ad absentiam quoad residentiam & relaxationem illius, & minimè quoad personalem interessentiam in divinis officijs.

Nec ad rem facit, quod singuli Canonici singulos etiam habeant Vicarios: nam sive illi sint perpetui, sivè temporales, suum peculiare officium habent, & sic nec suos Dominos repræsentare possunt in quotidianis distributionibus, quarum onus personale est personis adhærens, ideoque ad Vicarios non transfertur, nec per hos repræsentatur. Alioqui enim si aliud dici vel statui posset, cùm Vicarij perpetuò propter officium præsentes esse debeant, nullum foret umquam Canonicis, quantumvis etiam improbabili casu, periculum amittendi has distributiones; si eorum

præsen-

præsentia repræsentari posset per præsentiam Vicariorum. Præstat itaque Canonis constitutioni quam proximè inhærere, & extra tres illas causas necessitatem interessentiæ corporalis relinquere. Poterit tamen benè circa declarationem harum trium causarum, quàm latè, & ad quas seu quales absentias illæ patere, & quæ causæ unam ex illis constituere, aut sub una earum comprehendi debeant, aliquid certi ex æquo bono (cujus potissimum ratio haberi debet, *l. 2. §. si quis tamen si quis cautionib.*) statui: nullo autem modo ut ex aliqua alia quantumvis probabili, vel etiam necessaria causa aliquis absens etiam paucis diebus percipiat distributiones quotidianas sine læsione conscientiæ; quæ per dictam Bonifacianam constitutionem gravatur, si extra has tres causas quicquam ex hisce distributionibus percipiatur.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Distributiones quotidianæ.

1. *Distributionum quotidianarum modus quis esse debeat.*
2. *Distributiones an debeant esse æquales etiam in inæquali contributione ad illas faciendas.*
3. *Distributionem duplicem an quis accipiat.*

CONSILIVM CCVIII.

OBSCVRITAS verborum, quibus concepta est Bulla Apostolica erectionis Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis, qua parte agit de necessitate cõtinuę residentiæ, de quotidianis distributionibus, & conditione novem Canonicatuum & præbendarum graduâtis specialiter affectorum seu appropriatorum, facit, ut difficilior sit resolutio, quæ inde nunc proponuntur, quæstionum; quatenus videlicet extendatur pœna amissionis fructuum, si quis ex dictis graduatis Canonicis per duos menses ab Ecclesia abfuerit; & quæ portio ex quotidianis distributionibus his graduatis attribuenda sit; an per omnia æqualis cum alijs non sic qualificatis Canonicis; an aliqua parte major propter difformem & inæqualem contributionem, quam ad massam quotidianarum distributionum credunt facere plus quàm alij Canonici non graduati? Equidem ex dictæ Bullæ verbis novem graduati Canonici dimidium omnium proventuum suarum præbendarum; cæteri verò non graduati ex sacri œcumenici Concilij Tridentini decretis, *sess. 21. de reformat. c. 3. & sess. 22. de reformat cap. 3.* tertiam dumtaxat partem suarum præbendarum in quotidianas distributiones conferre debere intelliguntur. Vnde inæqualis ista contributionis necessitas & modus hoc facit, ut jure quæri videatur, an ne graduati ut in onere collationis & contributionis sesquialterâ parte plus cæteris præstant, ita in distributione collatorum tanto plus percipere debeant? Ex eadem symmetria, quâ ex inæqualitate collationis ad societatem plures socij inæquales lucri, quod ex societate provenit, partes referunt, *l. Si non fuerint D. Pro socio*; sicuti & in tributoria actione contingit, *l. Procuratoris §. fin. D. De tribut. act.* & in jactu navis levandæ causa, *l. 1. & 2. §. si navis vers. portio autem D. Ad leg. Rhod. de iactu.* Cujus nulla aut saltem exigua posset esse quæstio in contributionis æquali necessitate; si ex omnium & singularum præbendarum tam qualificatarum quàm non qualificatarum proventibus, altera dimidia pars quotidianis distributionibus ex æquo applicanda esset. Quam sanè æqualem per omnia, quoad quotam proventuum singularum præbendarum pro dimidia parte sine ullo discrimine inter graduatos & alios inducere & requirere videntur hæc dictæ Bullæ verba: *Ac omnes proventus singularum præbendarum in duas æquales partes dividantur, &c.* Vt nullum videatur constituendum esse discrimen inter affectas, & liberioris conditionis præbendas; ideoque unde irrepserit inæqualis ista contributionis sive potestas sive necessitas, ex posterioribus decretis Concilij Tridentini tertiam dumtaxat proventuum partem distributionibus applicantibus, non satis possit percipi: cùm per eadem decreta, *d. c. 3. sess. 23.* in usu jubeantur retineri veteres cujusque Ecclesiæ sive ordinationes sive consuetudines, divini officij frequentationis majorem necessitatem, & pœnæ non frequentantium majorem modum constituentes. Inde enim & potissimùm quòd generaliter in omnibus de novo erectis in Belgio tam Metropolitanis, quàm Cathedralibus Ecclesijs per Pij IV. hanc Bullam, distributiones quotidianæ ad semissem omnium proventuum sint extensæ, eaque ordinatio tempore præcedat (fuit namque de anno 1560. cum Concilij Tridentini decreta primùm vim obtinere cœperint in anno 1564.) illa retinenda, non ad hanc trientariam rationem trahenda videbatur: ut plerumque quæ specialem rationem seu dispositionem antecedentem habent, per sequentem generalem seu indeterminatam, nec abrogari, nec mutari in dubio censentur, *c. 1. De constit. lib. 6.* Vnde igitur id natum sit, quod in affectis in usu retenta sit semissaria illa ratio, in alijs in usum recepta trientaria, non satis percipitur: nisi fortè sit ex eo, quod dictæ Bullæ ista clausula, quæ modum contributionis pro dimidia fructuum præscribit, subijciatur & convertatur proximè præcedentibus, quæ de conditione & qualitate affectarum præbendarum specialiter disponunt; ut in connexione & velut continuatione subjectæ orationis & dispositionis de ijsdem affectis præbendis dumtaxat actum videri posset: & sic hæc verba, *singularum præbendarum*, accipienda sint de solis affectis præbendis.

Verum conditio rei propositæ, & ratio, quæ huic æquali contributioni & distributioni adijcitur, non obscurè aliam interpretationem exigere videntur: nimirum ut quemadmodum divini officij ratio distributionem requirit, unumque & idem illud sit, & omnibus ex æquo incumbat; ita uniformis esse debeat & distributionis ex diligentia æqualitas, & ad excitandam diligentiam, & coercendam negligentiam par & æqualis modus seu ratio, *c. Qui sentit De reg. iur. lib. 6. l. Secundum naturam D. eod.* Et quod hæc fuerit S. D. N. Papæ voluntas evidenter percipitur ex Bullis

erectionis Metropolitanæ Ecclesiæ Mechliniensis, & Cathedralis Buscoducensis, & fortè etiam aliarum, quarum Bullas nunc ad manum non habemus; in quibus duobus verbis additis in hac Audomarensi, in alijs fortè omissis, hæc difficultas discuti videtur. In illis enim ita scriptum legitur, *ac omnes proventus singularum præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividant, &c.* In hac verò omissis duobus verbis, *ac omnes proventus singularum præbendarum in duas æquales partes dividant, &c.* ut rectè in hac formula dubitari possit, an ne de solis affectis Bulla loquatur. Quam dubitationem non perinde admittunt addita hæc duo verba *dictæ Ecclesiæ*, indeterminato quoque suo modo complectentia seu apta ad complectendum omnes Ecclesiæ præbendas, tam non affectas, quàm affectas. Quæ quidem hic refricamus non studio reprehendendi usum, qui in hac Cathedrali Ecclesia hactenus receptus & comprobatus est; non enim facilè recedendum ab his, quæ semel ab usu certam interpretationem receperunt sive errore, sive ratione, *l. Mimmè, l. Si De interpretatione D. De legib.* sed quod hujus rei qualiscumque demonstratio, multum conferat ad resolutionem quæstionum propositarum, evidentiusque percipiendam S. D. N. Papæ ea in parte voluntatem, ac verborum & dispositionis dictæ Bullæ potestatem. Ad quam alioqui certius percipiendam minori negotio perveniri posset, si supra ea sua Sanctitas consuleretur, in cujus potestate est vel unico verbo omnem hanc difficultatem discutere, declarando quem velit seu voluerit huiusmodi ordinationis & erectionis ea in parte esse modum, *l. Ex facto vers. beneficia De vulgari & pupil.*

Nobis sanè verosimilem voluntatem suæ Sanctitatis inspicientibus, & in illam (quod utique sine reprehensione jure permittitur, *d. vers. beneficia, Castrensis consil. 340. Præmissis allegationibus vol. 1. Steph. Bertrand. cons. 261. Si placet nu. 3. vol. 7.*) inquirentibus, reique, de qua agitur, conditionem expendentibus, ad propositas quæstiones quod sequitur respondendum putamus. Et primò quidem ad illam, quâ quæritur, an quia per dictæ erectionis Bullam his affectis Canonicatibus ultra communem præbendam ratione Canonicatus cum omnibus alijs Canonicis ex alijs dictæ Cathedralis Ecclesiæ proventibus æqualiter percipienda, specialiter pro dote applicata & appropriata sunt bona & proventus duorum Canonicatuum & præbendarum quondam Ecclesiæ Morinensis suppressorum & extinctorum, æquis portionibus intet sic qualificatos Canonicos dividenda, sub necessitate faciendæ contributionis ad quotidianas distributiones, perinde pertineant, illique subjaceant dictorum duorum suppressorum Canonicatuum bona & proventus, an verò ut illa ab alijs præbendis separata peculiariter habent, ita pleno quoque jure sibi retineant, & commisso seu amissioni fructuum & proventuum totius anni ob absentiam duorum mensium subijciantur? Respondemus in manifesta luce verborum justæ dubitationi locum non esse. Cùm enim non definito determinatoque sermone de admittendis certæ alicujus præbendæ fructibus ob bimestrem absentiam, sed universali sermone, de amittendis integris præbendæ fructibus statuatur in dicta Bulla, nulla est occasio faciendi aliquam bonorum seu fructuum separationem vel distinctione, dum textus dictę Bullę illam non facit, *l. de precio De Publ. in rem act. l. si rem §. fin. De evict.* & generalis seu universalis sermonis potestas eam non patitur, *c. Solitæ De major. & obed. l. Iulianus in princ. De leg. 3.* Neque enim rectè dicerentur hi qualificati Canonici amittere integros illius anni fructus, si ea pars, quæ ex hac dote percipitur, illis reservetur, vel præcipua habeatur: integrum enim diei non potest, cujus aliqua pars vel abest vel desideratur, *c. Licet De præben. l. Sciendum De re iud.* Neque sanè ulla est ratio, cur minùs in commissum veniant hi fructus dotales, quàm communes præbendæ: cùm pro intendenda diligentia assiduitatis in frequentatione divini officij, & remuneratione majoris laboris & sollicitudinis, ea adiectio facta fuerit; ut contrariâ ratione ob negligentiam meritò quoque eadem adiectio minui seu detrahi possit & debeat. Ex qua ratione & consideratione illud quoque conficitur, quod hi dotales fructus perinde comprehendi debeant sub necessitate contributionis ad quotidianas distributiones, ut fructus communis præbendæ; propter sermonis, quo hæc res concepta est, distributivam universalitatem. Dum enim Pontifex præcepit *omnes proventus singularum præbendarum in duas æquales partes dividi*, manifestam significationem fecit, nihil inde eximendum, nihilque præcipuum retinendum; præsertim quòd ipsæ præbendæ singulæ per se hic inspiciantur, & non velut in massa seu cumulo: ita ut disparitas præbendarum nihil facere videatur ad diminuendum onus contributionis.

Ad eam quæstionem, an in hac inæquali contributionis necessitate, inæqualitas quoque distributionis fit constituenda; ut quia Canonici graduati semissem suorum proventuum conferunt ad massam contributionis, & sic dimidio plus quàm alij Canonici, in distributionibus quoque cæteris dimidio plus percipere debeant? † Nobis & verbis dictæ Bullæ, & menti ac voluntati Pontificis magis consonum esse videtur, inæqualitatem distributionis non esse constituendam, sed per omnia æqualitatem servandam; & sic non debere constitui disparitatem lucri, ex disparitate contributionis: ob id, quòd hujus lucri causa eadem sit in omnibus Canonicis perinde non graduatis, ut graduatis; assiduitas scilicet & frequentia in divino officio; ideoque in pari onere diligentiæ merito par quoque debeat esse lucri seu commodi occasio, *d. l. secundum naturam, d. c. Qui sentit.* Est enim hæc frequentatio, & quæ ob illam fit distributio, personalis; & tantundem operatur in uno, quantum in altero: ideoque unius conditio ea in parte cæteris prævalere non debet, nec in uno magis quàm in altero remunerari. 2

† Qua de causa à plerisque, *Ant. de Butrio in c. Cum olim & ibi Felin. & Guido Papæ De sent. & re iud.* improbatur duplicis distributionis percipiendæ potestas ratione alicujus officij aut dignitatis in Ecclesia: ob id, quòd distributio solummodò 3

fiat

fiat propter exercitium in divinis; quod ut non duplicatur, ita nec duplicari distributionem æquũ est, ne (ut inquit Guido Papæ, *in d. c. cum olim,*) Ecclesia gravetur ultra impensum officium in divinis. Et quamvis plus oneris his graduatis in alijs incumbat; in divino tamen officio, pro quo distributiones potissimùm introductæ, par est ipsorum conditio. Vnde licet respectu majoris illius oneris fructus duarum præbendarum Morinensium his graduatis peculiariter sint assignati; nihil tamen peculiare ipsis est attributum in distributionum participatione: quia ea in parte par est, & esse debet omnium conditio, labor, & diligentia. Vnde etiam est, quòd quamvis graduatorum præbendæ ex accessione duarum illarum Morinensium præbendarum communibus præbendis sint majores, & sic inæquales; contributionis tamen modus respectu quotæ non sit major, sed æqualis ad omnium Canonicorum æquale emolumentum in diligentia frequentationis, ut & pœna in illius negligentia; dum singulis vel ex æquo accrescat, vel ex æquo decrescat in re, quæ omnibus ex æquo communis effecta, simulatque ad massam contributionis semel redacta est: ut nulla quidem habenda sit consideratio alicujus conjunctionis in cotalibus illis fructibus, quatenus non excedunt illorum dimidium, sed alterius tantùm medietatis, quæ per contributionis necessitatem translata est & destinata ad commune corpus seu massam quotidianarum destributionum; in qua cùm par sit omnium conditio, & accrescendi & decrescendi, debet quoque idem jus esse, §. *& quidem Instit. De societ.* Cùm igitur per hanc Bullam in contributionis necessitate nihil peculiare tributum inveniatur graduatis, sed simpliciter & indeterminatè jussi sint conferre dimidiam partem omnium proventuum singularum suarum præbendarum ad distributiones quotidianas, & ad distributionum emolumenta, ad quæ omnes promiscuè vocandi sunt, qui divinis officijs in choro deservierint; nulla est ratio, cur graduatis ea in parte plus concedatur aut permittatur, quàm alijs. Quamvis interim negare nolimus, aliquo modo duram videri posse istam contributionis inæqualitatem, quam, ut diximus, dicta Bulla non constituit, imo verò illi satis aperte repugnat; ideoque quatenus in usu recepta est, istam dubitationis caussam præbet, cur in inæqualitate contributionis, æqualitas distributionis exigatur, & uno mutato cætera quoque in illius consequentiam non sint introducta, & ad eandem conformitatem mutata. Quamobrem nobis probabile fit, si super hac re Sedes Apostolica consuleretur, æqualitatem contributionis in usum revocatum aut constitutum iri; ut omnes tam non graduati quàm graduati, vel semissem singularum præbendarum conferant, secundùm tenorem dictæ Bullæ; vel ex decretis Concilij Tridentini dumtaxat trientem: quo in æqualitate contributionis quoad quotam, æqualitas sit participationis ad eandem quotam. Quæ expeditissima & compendiosissima foret via componendarum controversiarum, quæ ex hac re subortæ sunt. Cùm alioqui res eadem etiam per Episcopum componi posset, & ad majorem rationabilitatem redigi; si non ex ordinaria jurisdictione vel potestate, saltem ex authoritate Apostolica ipsi per supramentionata decreta Concilij Tridentini delegata, *d. sess. 21. cap. 3. & d. sess. 22. cap. 3.*

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Distributiones quotidianæ. An debeant esse æquales etiam in inæquali contributione ad illas instituendas. Defectus distributionum quotidianarum quomodo distribuendi inter præsentes, cùm inæqualis fuit contributio ad eas instituendas.

1. *Societatis æqualitas in collatione & distributione.*
2. *Substitutio regulatur ab institutione.*
3. *Accrescendi jus cuique est pro parte, qua est honoratus.*
4. *Symbolum idem habentia eodem iure reguntur.*
5. *Distributiones quotidianæ nomẽ ab executione habent.*
6. *Distributiones absentium quomodo præsentibus accrescant.*

CONSILIVM CCIX.

QVOD nuper consulti ab insigni Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis scripsimus, durum videri posse, quod in inæqualitate contributionis, quam ad quotidianas distributiones ex fructibus suarum præbendarum sesquialterâ proportione majorem faciunt Canonici graduati, quàm cæteri dictæ Ecclesiæ Canonici non graduati; quodque hæc inæqualitas contributionis videatur repugnare verbis & menti Bullæ erectionis dictæ Ecclesiæ, quæ indistinctè omnium prebendarum dimidios fructus huic contributioni subijcere videntur; satis nunc deprehendimus comprobatum per declarationem sacræ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, qua dicto Capitulo consulenti responderunt, *non esse amovendam clausulam in erectione prædicta appositam: ut scilicet dimidia pars fructuum in distributiones quotidianas convertatur: Ita tamen ut qui plus conferunt pro rata etiã eius quod confertur deserviendo plus lucrentur, portionesque deficientium inservientibus accrescant.*

Cæterùm ex quæstione, quæ occasione hujus interpretationis nunc iterum, paulò tamen aliter quam priùs proponitur, animadvertimus Capitulum quoad modum contributionis eodem sensu accipere, quo priùs accepit, dictæ Bullæ erectionis verba; ut conferendæ dimidiæ partis fructuum necessitas in dicta erectione præscripta non amoveatur quoad graduatos Canonicos, quorum Canonicatibus dumtaxat hujusmodi necessitatem per verba Bullæ asscriptam fuisse ab initio interpretatum est, necessitate contribuendi tantùm tertiam partem fructuum ex decreto Concilij Tridentini, *Sess. 21. c. 3. & Sess 22. c. 3.* aliorum non graduatorum Canonicatibus relictã: dum hoc nunc proponit, an Canonici graduati eandem proportionem servare debeant in participatione defectuum, quam servant in ipsis distributionibus, hoc est, an quemadmodum ipsi in distributiones conferunt dimidium, hoc est primùm æqualiter cum alijs Canonicis tertiam partem fructuum, & insuper ad constituendum

semissem per Bullam præscriptum, alterius tertiæ dimidiam, & secundùm hunc contributionis modum alijs Canonicis accipientibus unum stuferum, graduati accipiunt stuferum cum dimidio; ita quoque in defectibus seu commissis quotidianarum distributionum ex absentia cujusque à divinis officijs, si illa scilicet in unam massam postea quomodocumque distribuenda inter omnes redigantur, non graduatis pro sua portione accipientibus unum stuferum, graduati referre debeant stuferum cum dimidio: an verò in his aggregatis defectibus seu commissis æqualis esse debeat omnium conditio, ut nihilo plus referant graduati, quàm cæteri non graduati canonicatus non affectos obtinentes? Ad quam quidem quæstionem (præsuppositâ veritate & justitia dictæ interpretationis, quam Capitulum etiam nunc post prætactam Dominorum Cardinalium interpretationem facit de inæquali contributione, & quam ijdem Domini Cardinales faciunt de inæquali perceptione ex distributionibus quotidianis pro modo contributionis ad easdem) facilis & expedita nobis videtur esse responsio. Quippe eo constituto, quòd pro modo contributionis cujusque Canonici ad massam distributionis ipsa quoque distributio cuique fieri debeat; non potest ullum esse dubium, quin graduatis ex singulorum suorum sic affectorum Canonicatuum fructibus conferentibus semissem, alijs verò Canonicis conferentibus dumtaxat trientem, graduati in erogatione distributionum debeant singuli dimidio plus referre, quàm non graduati; ut sic inter æquiparata & proportionata similis ratio & mo-
1 dus servetur: † sicut fit in communione & participatione lucri, ex cujuscumque alterius negotij societate; in qua nullis lucri partibus ex conventione speciali constitutis, quamvis in æqualitate collationis pecuniæ, quam quisque ad societatis communionem contulit, hoc tacitè actum videatur, ut lucri quoque sit æqualitas, etiamsi operæ vel diligentiæ in exercenda societate sit disparitas; in dispari tamen & inæquali sortis ad societatem collatione hoc itidem tacitè actum censetur, ut eadem proportione lucrum distribui debeat, si non speciali conventione actum sit, ut omnium æquale debeat esse lucrum, *Glossa 1. in l. Si non fuerint D. Pro*
2 *socio, & in §. 1. in V. æquales Instit. De societ.* † In substitutionibus item sive hæredum sive legatariorũ, dum inæquales eorum sunt portiones in institutione, inæquales quoque ad proportionem institutionis in substitutione indeterminatè sine partium speciali assignatione facta, singuli substituti referunt, §. *& si ex disparibus Instit. De vulgar. substitut. l. Si in testamento, l. Si plures D. De vulg. & pupil.*
3 *l. 1. C. De impub. & aliis substit.* * Vt & in jure accrescendi pro ea parte cuique accrescit, qua quisque à testatore in suo speciali relicto honoratus est, *l. 1. §. sed ut manifestetur C. De caducis tollen.* relatione & symmetriâ facta ad id, quod hujus lucri & commodi causa est: ut causatum suæ causæ correspondeat, *l. Maximiliones D. De instit. & iure*, & limitata causa limitatum producat effectum, *l. Ne in agris De acquir. ver. domin.* Aliter sanè quàm si, cessante hac Illustrissimorum Dominorum Cardinalium interpretatione, non tantùm distributionis sed etiam modi distributionis sive in lucrando sive in perdendo seu amittendo causa esset in divinis frequentandis vel diligentia vel negligentia: ut in alio illo nostro responso demonstravimus.

Quæ consideratio hoc quoque efficere videtur, ut difficultatem habere non debeat quæstio de defectibus seu commissis & caducis ex negligentia frequentationis divinorum, an in illis quoque eadem prædicta symmetria observari debeat? Cùm enim hujusmodi caduca non egrediantur stationem distributionum, nec redigantur ad aliquod aliud fructuum seu obventionum prærogandarum, sive corpus sive membrum; eandem naturam & conditionem retinere debent horum caducorum emolumenta, quam ante caducitatem seu commissum in universo corpore distributionum obtinebant: ita ut perinde in illis hi graduati sesquiplo plus percipere debeant, quàm cæteri non graduati Canonici:
† quæ enim idem symbolum habent, juris quo- 4
que similitudine reguntur; juxta illud, quòd in habentibus symbolum facilis sit transitus, *l. Si unus §. pactus vers. quod & in specie De pact. l. An inutilis De acceptil. Petrus Anchar. cons. 422. Viso puncto num. 4.* Quamvis certiore ratione dici posset, nullum hujusmodi defectuum seu commissorum incidere posse separatim in considerationem; ob id, quòd ex aliquibus commissis aut defectibus eorum, qui à divinis absunt, nullum constitui debeat separatum corpus seu membrum, quod postea quandocumque alij novæ & separatæ distributioni subijci debeat: nam unica, eaque quotidianâ distributione commissa seu caduca confunduntur; imò nec esse verius constituendum est. † Cùm enim hæ 5
quotidianæ distributiones ab actu & executione nomen & effectum habeant, & præsentibus porrectâ manu, vel in specie re ipsa per singulos dies præstari, vel singuli præsentes datis tesseris seu plumbetis creditores illarum constitui debeant; quod in unum recidit, *Geminian. in c. 1. §. qui vero in fine De cler. non resid. lib. 6. Decius cons. 280. In casu proposito nu. 1. Paul. Veris. cons. 32. Licet regulariter & cons. 33. vol. 4.* cùm parem effectum quodammodò habeant solutio & solutionis promissio, *l. fin. C. Ad leg. Falcid. l. Si patronus §. 1. De donat.* singulis quoque diebus unâ distributione inter præsentes distribuitur seu assignatur quicquid omnibus, si omnes ex æquo præsentes essent, præstandum esset; & sic perinde portio absentium ut præsentium: † quo- 6
rum præsentium concursu & numero constituitur quantitas distributionum vel major vel minor. Ad exemplum hæreditatis aut rei pluribus conjunctim testamento relictæ; ad quam si plures concursu partes faciant, pro majore numero concurrentium in quantitate minores erunt partes, pro minore verò numero majores, §. *Si eadem Instit. De legat.* Nam cùm is, qui non concurrit ad has distributiones, alijs præsentibus partem non faciat, sed extra numerum participantium sit: rectè consequitur ab initio tantam cuique præsentium quantitatem deberi, quantam patitur & exigit illorum numerus; ut ex personis absentibus non tam accrescat, quàm præsentibus non decrescat, *l. unica §. ubi autem legatarij C. De caducis tollendis.*

Ita ut non satis considerabilis in re proposita sit defectuum seu caducorum aliqua aggregatio

vel

vel massa, quæ postea alteri novæ distributioni subijciatur inter omnes omninò Canonicos: quæ sanè si considerabilis esset, & reverà sic fieri deberet, nulla esset ratio, cur in ea non deberet servari idem modus, qui in prima distributionum assignatione; ob id quòd, ut diximus, stante illa Illustrissimorum Dominorum Cardinalium interpretatione in distributionibus, plus deserviendo lucrari debeant, qui plus ad massam distributionum conferunt, & distributionum nomen & jus non evadant, quæ negligentibus detrahuntur. Graduati itaque in defectibus perinde obtinebunt seseuplarium illud commodum, ut in prima distributionum assignatione facta pro numero omnium & singulorum Canonicorum, divinis præsentes interesse possunt.

Iustiorem dubitationem & perplexiorem resolutionem habet, quod quæritur de conferenda etiam per hos Graduatos ultra communem prębẽdam Ecclesię Audomarensis dimidia duarum prębendarũ suppressæ Ecclesiæ Morinensis dictis graduatis specialiter in dotem assignatarum; an illa quoq; cõmuni distributioni subijciatur, sic saltem, ut ex illa graduati sescuplum accipiant; an verò illius separata sit facienda distributio inter solos graduatos, nullâ illius parte communicatâ non graduatis; quasi scilicet graduati ad has duas præbendas soli vocati pro conjunctis in illis habeantur, & cùm de jure accrescendi aut non decrescendi quæritur, sibi invicem, nullo verò modo non graduati ipsis partem faciant? *d. §. ubi autem & §. sin vero quidam in d. l.* 1. C. *De caduc. tollen.* Quod sanè stante dictâ interpretatione probabilitatem habet; cùm non ad quotas tantùm ipsarum præbendarum respicere videatur illa interpretatio, hoc est ad dimidiam præbendarum, sed ad rem ipsam, hoc est ad quantitatem collatorum, per hæc verba, *Qui plus conferunt etiam pro rata eius quod confertur lucrentur*: ita ut, cùm ex his duabus separatis præbendis graduati etiam ad distributiones conferant; alij verò tantùm ex præbendis tam graduatis quàm ipsis communibus, ex potestate illorum verborum graduati eo respectu plus percipere debeant. Quod fiet commodissimâ ratione, si dimidia illarum duarum præbendarum convertetur ad peculiares distributiones pro solis graduatis; minùs expedita, si aliquantò plus in certa aliqua quantitate proportionabiliter ex sic collatis contributionibus Graduatis assignabitur & relinquetur, vel ex communi omnium consensu, vel secundùm decretum Concilij Tridentini, *Sess. 21. c. 3. & sess. 22. cap. 3.* ex authoritate Episcopi. Si neutrum succedere vel obtineri poterit, consultissimum fore putamus, vel suam Sanctitatem, vel iterum dictam Illustrissimorum Dominorum Cardinalium congregationem super hac difficultate consulere; per quos expeditè resolvetur, quis sit modus per Bullam erectionis huic contributioni & distributioni præscriptus, tam quoad communes, quam illas duas dotales prębendas.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Canonicorum portiones an æquales esse debeant.

1. *Destributio inter Canonicos an æqualis esse debeat.*
2. *Optio præbendarum.*

CONSILIVM CCX.

IN Bulla Apostolica erectionis Ecclesiæ Cathedralis Groeningẽsis hæc continentur verba, *Et ut idem Episcopus suam Ecclesiam personis, ut decet Cathedralem, eruditis & ad iurisdictionem inibi exercendam, cæteraq; munera obeunda idoneis debitè instructam habeat, unum apud Esens, & in eius Dominio ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium haereticorum malitiâ penitus desolatum, & profanatum: & aliud S. Mariæ in Vvitewierum, prope Dam, dicti Cistercienſis vel alterius ordinis monasteria, &c. mensæ Capituli dictæ Ecclesiæ Groeningensis seu massæ communi pro decem Canonicatuum & totidem prębendarum, ut infrà dicetur, affectorum dotibus applicamus & appropriamus:* & paulò post, *Nec non decem Canonicatus & decem prębendas huiusmodi ac omnes & singulas meliores, seu pinguiores cappellanias sive vicarias in dicta Ecclesia consistentes: quas videlicet idem Episcopus ad hoc duxerit eligendas seu deputandas: salvo tamen cuique iure suo illas conferendi, vel ad illas præsentandi, ex nunc prout ex tunc, & è contrà postquam deputatæ fuerint in totidem Canonicatus & prębendas eiusdem Ecclesiæ auctoritate & tenore præsentium perpetuò erigimus & instituimus: nec non fructus, reditus, proventus, iura obventiones, emolumenta, & alia bona vicariarum & capellaniarum in Canonicatus & prębendas erectarum, huiusmodi eorundem Canonicatuum & prębendarum massæ communi iuxta eiusdem Episcopi dispositionem, etiam perpetuo concedimus & assignamus.* Ex his verbis movetur quæstio, an decem Canonici, quorum Canonicatus & prębendæ ex decem melioribus seu pinguioribus cappellanijs seu vicarijs erecti sunt, partem faciant in bonis dictorum duorum Monasteriorum pro dotibus, uti præfertur, mensæ capitulari seu massæ communi appropriatis; ita ut omnium Canonicatuum & præbendarum una massa sit communis constituta ex bonis dictorum duorum Monasteriorum, & ex bonis decem meliorum seu pinguiorum capellaniarum seu vicariarum? † Æquum enim videtur, ut quemadmodum prębendâ carere non debet, qui in Canonicum est receptus, *c. Relatum in fin. De præben.* æqualis sit distributio inter eos, qui eundem nominationis, qualitatis, ac conditionis titulum habent, & unius Capituli ex æquo sunt fratres, *c. cum M. Ferrariensis De constit. & ibi Panor.* cùm inæqualitas discordiarum semina habeat, & invidiam excitet, *arg. l. Inter filios C. Fam. ercis. c. Cum omnes De constit. Marcus Mantua consil.* 31. *In præsenti nu.* 3.

Cæterùm tenor prædictorum verborum per se manifestus, aliam sententiam & intellectum habet. Manifestum enim est, bona dictorum Monasteriorum non simpliciter & absolutè mensæ Capitulari & massæ communi, sed restrictè & limitatè *mensa capitulari & communi massæ pro decem Canonicatuum & totidem prębendarum, ut infrà dicetur, affectorum dotibus esse applicata:* ita ut hæc communio & applicatio non possit omnibus, hoc est, viginti

Canonicatibus & præbendis dici ex æquo affecta; ut nec è diverso bona dictarum capellaniarum seu vicariarum simpliciter sunt assignata mensæ Capitulari, sed restrictè *huiusmodi eorundem canonicatuum & præbendarum massæ communi.* Sic quod in hoc Capitulo constitutæ sunt duæ massæ: prior ex bonis dictorum Monasteriorum pro noviter erectis decem Canonicatibus & præbendis; posterior ex bonis capellaniarum & vicariarum pro alijs decem Canonicatibus & præbendis transformatis ex decem melioribus seu pinguioribus cappellanijs seu vicarijs Parochialis Ecclesiæ S. Martini Groeningensis. Vnde cùm verborum nulla sit ambiguitas in eorum clara luce, dubitationi quoque aut interpretationi circa Pontificis conjecturatam mentem nullus potest superesse locus, *l. Continuus §. cum ita in fine De verb. oblig.* Neque inconveniens est, ut in eodem Capitulo, quamvis ex æquo omnes sint Canonici, inæqualis sit præbendarum distributio seu dotatio, & uni Canonicatui plures, quàm alteri, attributi & assignati fructus, *c. Si pluribus De præben. lib. 6.* & una præbenda sit aliâ melior, *c. Statuimus & ib. gloss. De maior. & obed.* * nam & in multis Ecclesijs recepta est 2
consuetudo optandi meliores præbendas, cùm vacant, derelictis tenuioribus, *c. fin. De consuet. lib. 6.* Cum alioquin in dicta Bulla non obscurè conspiciatur & deprehendatur causa, cur his primis decem pinguius provideatur: quia scilicet prima illarum Episcopo, aliæ novem tribus Theologis, tribus Canonistis, & tribus graduatis nobilibus sint affectæ, ac onere & titulo dignitatum condecoratæ; ut meritò in illis specialiter pro modo oneris, modus quoque præmij sit constitutus. Quæ consideratio per se facile potest omnem invidiam avertere, & decem alios Canonicos intra cancellos suæ masse ex bonis dictarum capellaniarum seu vicariarum conflatæ continere.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Distributiones quotidianæ an æquales esse debeant. Episcopus an ob plures Canonicatus & præbendas mensæ Episcopali applicatos plures distributiones percipere debeat.

1. *Argumentum à minore ad majus.*
2. *Distributiones quotidianæ non computari inter fructus beneficiorum.*

CONSILIVM CCXI.

AD commodiorem resolutionem quæstionis propositæ admodum expediret scire, quænam hactenus fuerit observata forma in distributionibus quotidianis, & an in ijs percipiendis persona Reverendissimi Episcopi Iprensis in quadruplici qualitate repræsentata fuerit, & quadruplicem portionem perceperit; unam ratione Canonicatus & præbendæ, cujus respectu est Capitularis; & alias tres ratione trium suppressorum Canonicatuum & præbendarũ mensæ Episcopali applicatorum, an verò in illis hactenus alijs Canonicis adæquatus fuerit; hujusmodi enim alteruter usus & modus distributionis si jam per decem annos observatus & continuatus fuit, pro interpretatione dictæ Bullæ accipiendus esset: cum ab his, quæ ex usu certam interpretationem acceperunt, non sit facilè recedendum, *l. Minimè De leg. c. 1. in verb. Iuxta Ecclesiæ cuiusl. ber ordinationem De cler. non resid. lib. 6.* Cæterùm si hæc res nullo præjudicio hujusmodi interpretationis aut observationis premitur, omniaque adhuc integra sunt, videtur nobis Reverendissimi Episcopi conditionem in quotidianis distributionibus nihilo esse majorem aut privilegiatiorem, quàm est aliorum Canonicorum, *Felinus & Guido Papæ in c. Cum olim De sent. & re iud.* ideò quòd in Bulla erectionis personæ solius Decani jus præcipuum, quod scilicet duplicem portionem in distributionibus in choro percipiat, attribuatur: id enim evidens est argumentum contrariæ voluntatis in alijs; quia quod uni specialiter attribuitur, alijs denegatum videtur, nec ad alios extendi debet, *l. Quod verò l. Ius singulare De leg. c. Quæ à iure De regul. iur. lib. 6.* ne quidem ex majoritate rationis. * ut nec à 1
minore ad majus rectè ducitur argumentum in his, quæ specialem habent concessionem, *Nicolaus Everardi Præses in loco à minori*; sed quod specialiter uni concessum invenitur, alteri negatum censetur, *c. Quod alicui gratiosè De reg. iur. lib. 6.* Potissimùm quia in eadem Bulla Domino Episcopo in suffragijs seu votis electionum, nulla comperiatur attributa prærogativa; sed expressè redactus ad æqualitatem cum alijs; excepto solo casu paritatis votorum seu suffragiorum. Quod etiam evidenter percipitur ex eo, quòd per eandem Bullam omnium præbendarum proventus præcipiantur dividi in duas æquales partes; quarum altera destinari & impendi debeat pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis officijs in choro deservierint; ex quibus si Episcopo quadruplex portio attribueretur, magna committeretur inæqualitas, si non etiam injuria fieret alijs Canonicis; præsertim quod ex altera parte non sit verosimile Dominum Episcopum velle, ut trium suppressarum mensę Episcopali unitarum prębendarum fructus ad hanc quoque distributionem pro medietate applicentur. Quemadmodum nec hoc verosimile est, in hac translatione & unione Canonicatuum & præbendarum pridem Ecclesiæ Morinensis ad novam Ecclesiam Iprensem facta, servatam esse illam priorem observationem distributionum, quæ olim in Ecclesia Morinensi esse solebat; sed in unam massam conjectis omnibus bonis, quæ ex divisione bonorum Episcopatus & Ecclesiæ Morinensis, partim Regno Franciæ, partim inferiori Germaniæ attributa sunt, unam illorum, quatenus huic Ecclesiæ Iprensi attributa sunt, factam esse massam, omniaque illa sic debere haberi, quasi unius generis & per omnia conformia, distributionum quotidianarum pristinâ illâ formâ mutatâ in hanc novam, quam præscribit hæc Bulla; ut scilicet omnium præbendarum proventus in duas partes dividantur; & altera illorum pro grosso præbendarum sit, altera pro distributionibus quotidianis.

Nec est verosimile Pontificis dismembrantis, suppriment is, & unientis illam fuisse mentem, ut præter h anc novam distributionum ordinationem, vetus quoque illa, cujus olim usus fuerat in Ec-

in Ecclesia Morinensi, proportionabiliter servaretur: nam si vetus illa separatio distributionum à grosso præbendæ retinenda esset, jam duriore loco constitueretur Episcopus; quia ipsius mensæ unita tantum sunt bona & proventus trium illarum
2 præbendarum; * quorum bonorum & proventuum appellatione nemo dicet contineri distributiones quotidianas, si hæc consensu omnium in unam massam non admittãtur: cùm quotidianæ distributiones planè manuales sint & ratione interessentiæ corporalis in divinis officijs quotidie dentur, *Cardin. Zabarella cons.* 53. *Dico quod istæ, Io. Bap. Ferret. consil.* 182. *Quod modernus*; ideoque extra corpus bonorum, proventuum, seu fructuum beneficij sint, nec in valore ipsius computentur, *Oldrad. cons.* 118. *Ex virtute, Felin. in c. Ad aures nu.* 34. *De rescript. Paul. Paris. cons.* 32. *Licet regulariter nu.* 6. *& seq. & consil.* 33. *nu.* 4. *& seq. vol.* 4. Itaque respectu dictarum trium suppressarum & mensæ Episcopali applicatarum præbendarum, nihil plus juris potest Episcopus prætendere; quia ratione illarum non est Canonicus, sed tantùm ratione hujus, quæ illi ex decem de novo erectis Canonicatibus attributa est, eo fine, ut esset Canonicus Capitularis: qui cùm sit tantùm simplex, jure plurium in distributionibus censeri non potest. Quæ ratio admodum stringit, & Episcopum plus in distributionibus prætendere posse non patitur.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Distributio fructuum inter Canonicos.

1. *Residentia fieri potest stante anno gratiæ aut domus mortuariæ.*
2. *Distributiones deficientium quibus cedant.*
3. *Accrescendi ius obtinent primò re & verbis coniuncti.*
4. *Distributio fructuum & emolumentorum quomodo fiat inter Canonicos.*
5. *Accessio non est sublato principali.*
6. *Distributiones quotidianæ præstantur absentibus in servitio Episcopi.*

CONSILIVM CCXII.

BVLLA Apostolica, per quam extrema perfectio erectioni novi Episcopatus Namurcensis imponitur, inter alia continet: quòd ut Episcopus Namurcensis Ecclesiam suam Cathedralem personis eruditis ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda, idoneis debitè instructam jugiterque decoratam habeat, Decanatum & tredecim Canonicatus & totidem præbendas, ac omnia & singula alia dignitatis officia Ecclesiæ S. Petri arcis Namurcensis, cùm primum illa per cessum vel decessum vacare contingeret, perpetuò essent suppressa & extincta: & præterea statuit & ordinavit Pontifex, quòd ex omnibus Canonicatibus & præbendis Ecclesiæ S. Albani Namurcensis *decem, quos primò per cessum vel decessum vacare contingeret, ita perpetuò affecti remanerent, quòd Episcopus Namurcensis unum & unam omnium primò vacaturos tamquam mensæ Episcopali perpetuò unitos obtineret: reliqui verò novem Canonicatus & præbendæ præ-*
dicti, tribus Magistris vel Licentiatis in Theologia, tribus Doctoribus Decretorum, seu in eo Licentiatis, ac tribus alijs nobilibus eius diœcesis etiam in iure vel Theologia graduatis, in perpetuum concedi & assignari deberent. Et quia fructus, reditus, & proventus dictæ mensæ Episcopalis Namurcensis, nec non novem prædictorum Canonicatuum & præbendarum S. Albani, sic ut præmittitur affectorum, tenuiores erant, quàm conveniebat pro commoda sustentatione unius Episcopi & virorum Doctorum ac gravium, qui munera illis injuncta obire commodè possent, eidem prædictæ mensæ Episcopali trium; præfatis verò novem Canonicatibus & præbendis graduatis, uti etiam præmittitur, affectis, reliquorum decem Canonicatuum & præbendarum suppressorum, fructus & emolumenta, per singulos novem Canonicos graduatos prædictos æquis portionibus dividenda, perpetuò applicavit & appropriavit. Inter alia quoque ordinavit, quòd quoniam impia hæreticorum studia viros doctos ab Ecclesijs suis abesse non patiuntur, si Canonici graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros præbendæ suæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. His constitutis in progressu temporis primo vacante Canonicatu in Ecclesia Namurcensi mensæ Episcopali relicto, tres alij proximè vacantes secundum præscriptum ordinem in Bulla tribus graduatis collati sunt; quorum unus tantùm residet: alij duo ideò non residunt, quòd ex consuetudine seu statuto Capituli, aliquo ex Canonicis decedente, primi anni sic vacantis Canonicatus fructus cedant domui mortuariæ decedentis; secundi verò cedant ejusdem Ecclesiæ fabricæ.

Quæritur, an propter horum duorum absentium Canonicorum, aut etiam plurium, cùm omnes affecti Canonicatus & præbendæ per occurrentes primas vacationes collati erunt, fructus suppressorum Canonicatuum pro portione eorundem absentium alijs, & quibus, hoc est, an solis graduatis, an verò toti Capitulo accrescant? Quid item statuendum sit de fructibus dictorum suppressorum Canonicatuum in diformitate vacationis eorundem, & vacationis dictorum novem affectorum; si scilicet priùs plures suppressi quàm affecti vacent; item an cùm ex graduatis aliqua ex causa in dicta Bulla comprehensa legitime abfuerunt, puta ab Episcopo vel Capitulo ad visitationem missi, ijdem sic absentes in aliorum graduatorum absentium ex non permissa causa fructibus, qui ob eandem absentiam committuntur, cum alijs graduatis participabunt? an verò sic commissi fructus ad solos personaliter præsentes seu residentes pertinebunt?

In prima quæstione dubium non est, quin commisso, & juri accrescendi locus sit; cùm Pontificiæ Bullæ verba ea in parte sint aperta, hæc scilicet, *fructus illius anni amittant & Capitulo cedant.* †
Neque quicquam ad excusationem facit, quod horum duorum Canonicorum affecti Canonicatus & præbendæ nondum liberi sint, propterea quòd durante primo biennio domus mortuaria & fabrica illorum fructus auferant: namid impedimentum

tum nullum facit residentiæ, *c. Dilectus De præben. c. Cum M. Ferrarienſis De conſtit. Panor. in c. Statuimus De maior. & obed. verſ. vel intelligitur iſte textus*; propter cujus continuationem & assiduitatem fructus percipiuntur, & è contrà propter illius omissionem bimestrem auferuntur; ita ut ex duobus impedimentis, altero propter justam excusationem sublato, videlicet propter adhuc durans primum biennium, semper maneat vis impediendi perceptionem fructuum ex altero, propter illegitimam absentiam, *l. Si non lex D. De hæred. inſtit.* Certum etenim est, fructus suppressorum Canonicatuum deberi & percipi propter adeptionem & possessionem affectorum, quibus per dictam Bullam suppressorum fructus, & bona applicata & appropriata fuerunt, tunc cùm primùm vacarunt, & graduatis collata fuerunt: sic quòd nec domui mortuariæ, neque etiam fabricæ inde aliquid accedere potuerit ratione prædicti biennij, quod respectum habet ad jus defuncti, non novi Canonici; neque inde etiam quicquid pertinere potuerit ad vetus Capitulum S. Petri, propter prædictam suppressionem & extinctionem. Relinquitur ergò quòd hi fructus ad affectorum Canonicatuum possessores pertineant; sed propter illicitam ipsorum absentiam, quia onus, propter quod hujusmodi applicatio & appropriatio facta est, non subeunt, amittuntur.

2 Cui autem sic amissi cedere debeant, & in posterum post omnium affectorum Canonicatuum & præbendarum collationem graduatis factam, cessuri sint, dubitabiliorem quæstionem habet. Sed paucis quamvis primo aspectu ex verbis dictæ Bullæ videri possit, quòd lucro omnium Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ Namurcensis cedere debeant, eo quod in Bulla dictum sit, *amittantur & Capitulo cedant*, cùm Capituli appellatione contineantur quotquot de Capitulo sunt, *c. Pro illorum in fine De præben.* quia tamen applicatio & appropriatio fructuum, qui ex suppressis Canonicatibus & præbendis percipiuntur, præcisè & limitatè facta est, non pro toto Capitulo, sed pro dictis mensa Episcopali, & novem graduatis; verius est, hujusmodi commissos seu amissos fructus cedere & accrescere ijs tantum Canonicis dicti Capituli seu Ecclesiæ, qui in eadem cum absentibus statione, & pariter qualificati sunt; ut limitata causa limitatum producat effectum, *l. Cancellaverat De his quæ in teſtam. adem. Paul. Pariſ. conſ. 116. Circa reſolutionem nu. 8. vol 1.* & quòd rectâ viâ ad Canonicos ejusdem Ecclesiæ non graduatos, nec ex affectis aliquè Canonicatum aut præbendam habentes, pervenire non potest, propter prætactam applicationem & appropriationem ex causa seu consequentia negligentiæ seu ab-
3 sentiæ non perveniat. † Quemadmodum civili ratione in jure accrescendi inter hæredes aut legatarios, quod in unius persona caducum sit, aut in causam caduci recidit, non omnibus alijs hæredibus aut legatarijs accrescit, sed ijs tantùm, qui verbis & re conjuncti sunt, eodemque modo non diverso succedunt, *l. Mævio in princ. De leg. 2. l. unica §. hoc autem & §. his ita C. De caduc. tollen. l. Hæredes De hæred. inſtit.* Cùm ergò graduati tantùm in hac applicatione & appropriatione re & verbis sint conjuncti; dicendum est, ad graduatos primùm, quamdiu aliquis eorum residet, deferendum esse hoc lucrum fructuum, quod propter absentiam alijs graduatis aufertur.

Nec ad rem facit, quòd in affectis præbendis omnes dici possint conjuncti: quia ut nihil vetat, quo minùs plures diversimodè conjuncti sint, ita cujusque conjunctionis consideratio per se habenda est; cum fieri possit, ut ex pluribus pariter respectu unius rei conjunctis, quidam specialem inter se conjunctionem habeant; quo casu specialis conjunctio generali præfertur, ut regulariter per speciem generi derogatur, *c. Generi De R. I. lib. 6. l. In toto D. eod.* Sic quòd respectu hujus specialis, generalis illa conjunctio verbalis tantùm sit; & semper potior sit censenda illa, quæ re & verbis constituitur: ut mirum non sit, si in præsenti casu dicamus in fructibus suppressorum præferendos esse graduatos, *l. Re conjuncti §. præfertur De leg. 3.* Itaque quod in Bulla dicitur, *quod Capitulo cedere debeat*, vel referendum ad fructus affectorum Canonicatuum; vel sic accipiendum, ut Capitulo quidem cedant, sed tamen distributio illorum fiat in Capitulo ijs, quibus specialiter appropriati sunt. * Vt aliàs 4
quamvis absentium fructus Ecclesiæ seu Capitulo applicentur, *c. Cum ad hoc De cler. non reſid.* distribuuntur tamen & applicantur modo & forma, quibus alij fructus inter residentes distribuuntur: ut duplicem portionem ex commissis seu amissis habeant, qui in alijs ex qualitate dignitatis vel officij certam vel majorem portionem constitutam habent; ut obventio hæc symmetriam & proportionem ad principale servet, *l. Si ita ſcriptum §. 1. l. Clemens De hæred. inſtit. l. Qui quadringenta Ad S. C. Trebell. l. Qui quadringenta in princ. Ad leg. Falcid.* Neque enim absurdum est aut inconveniens, inæqualitatem in distributione fructuum inter Canonicos constitui, propter canonicatuum aut officiorum & dignitatum inæqualia onera, *gloſ. in c. Statuimus in verb. potiorem De maior. & obedien.* quæ inæqualitas faciliùs admittitur tunc cùm præbendæ sunt distinctæ, ut est in proposito; hoc est cùm vel omnes, vel singulæ, vel aliquot ex illis certa bona deputata habent. Sanè si (quod vix umquam futurum erit) omnes graduatos abesse contingeret, propter generalem illam conjunctionem sub eodem Capitulo, etiam suppressorum Canonicatuum fructus inter Canonicos possessores Canonicatuum non affectorum distribuendi essent; cùm tunc ipsis non obstaret specialior conjunctio graduatorum, *d. §. præfertur.* Et hæc ad primi articuli resolutionem sufficere putamus.

Ad secundum articulum dicendum videtur, 5
quòd cùm ex suppressis veteri Capitulo nihil accedere possit, quia & illud extinctum est; illiusque quod non est, nulla sit accessio, *l. penult. De tut. & ration. diſtrah.* & sublato seu extincto principali locum non habeant quæ sequuntur, *l. Cum principalis De reg. iuris*; nihil item accedere possit Canonicis Cathedralis Ecclesiæ non graduatis, propter causas ad præcedentem articulum dictas: consequens & veritati magis consentaneum esse videtur, ut graduatis Canonicis, qui jam ex affectis Canonicatibus unum obtinuerunt & possident, hi fructus accedant; quia accessionis symbolum,

lum, & utile initium in illis est; ob id, quòd sine distinctione præbendarum omnes fructus Canonicatuum S. Petri præfactis novè præbendis indivisim sint appropriati; ut qua ratione diximus ad illos pertinere absentium hos, qui jure suppresorum percipiuntur, fructus, & minimè ad non graduatos Canonicos; ita quoque percipiendi jus habeant, quamdiu eorũ consortio per ulteriorem vacationem affectorum alij eis accedent, & cum illis partem facient.

6 Tertij articuli resolutio non est difficilis: cùm enim qui in servitio Episcopi aut Ecclesiæ occupati sunt, pro residentibus habeantur, omniaque emolumenta beneficiorum suorum perinde percipiant, ac si præsentes essent; exceptis quotidianis distributionibus, *c. De cætero, c. Ad audientiam c. Cum ad hoc De cler. non resid.* consequens est, quod ad participationem illorum fructuum, qui propter absentiam illegitimam alijs adijciuntur seu cedunt, admitti quoq; debeant, & tam ratione affectorum cum omnibus, quàm ratione suppresorum cum graduatis Canonicis residentibus. Neque enim debet officium, quod onus personale adfert, & sine sumptu sustineri seu perfici non potest, damnum legitimæ & necessariæ absentiæ inferre, *l. Sed si quis D. Quemad testam aper l. 1. C. Quib. ex caus. maior. & toto tit. D. Ex quib. caus. maiores &c.* Nec in contrarium urget consideratio amplioris præbendæ, quæ sic affectis propter onera adijcitur: nam oneris illius consideratio non ad compensationem absentiæ, sed ad sumptus, qui hujusmodi absentium nomine sustinendi sunt, & ad damnum quotidianarum distributionum relationem habet: ita ut absentia nullum damnum præter quotidianarum distributionum inferre debeat.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Fructus anni gratiæ & Fabricæ ex statuto.

1. 5. *Statuta ut fructus vacantis beneficij alij cedant quam successori in beneficio, an valeant.*
2. *Fructus vacantis beneficij ad quem de iure pertineant.*
3. *Constitutio nova in usum non recepta non ligat.*
4. *Constitutiones Papales an ut Imperiales in provincijs publicari debeant.*
6. *Statuta in usum non recepta non ligant*

CONSILIVM CCXIII.

QVÆSTIO est ab antiquo in utramque partem disputata, an valeant & tolerari debeant consuetudines ac statuta Ecclesiarum, per quæ vacantium beneficiorum fructus & emolumenta pro primo anno à die vacationis permittuntur hæredibus & successoribus, vel ex testamento, vel ab intestato, illius beneficiati, per cujus mortem beneficium vacat; quem annum in usu vocant annum gratiæ, & pro secundo anno fabricæ, vel saltem alteri usui Ecclesiæ attribuuntur; sic quod successor in beneficio fructibus pro toto primo biennio 1 carere debeat? † Extat ea de re elegans Joannis Andreæ disputatio, *in novella ad c. Nemo potest De reg. iur. lib. 6.* qui re in utramque partem agitata in eo perstit, hujusce modi consuetudinem ac statutum irrationabilitatem considerabilem non continere, ideoque valere, & in usu sine peccato ac reprehensione retineri posse: præsertim quòd extent adhuc aliquot decretales constitutiones, *c. Si propter in fine De rescript. lib. 6. & in c. Præsenti §. porro De off. ordin. lib. 6.* quæ ejus generis statuta & consuetudines si non expresse & dispositivè, saltem tacitè & per rerum consequentias non obscurè approbent, ijsque in dubio per quamcumque concessionem vel gratiam Papalem non derogatum censeatur, dum non expresse & specificè hujus- 2 modi derogatio facta invenitur.

Cæterùm quoniam hujusmodi statuta & consuetudines, si non manifestæ iniquitatis, saltem duritiei aliquid, respectu successoris, in beneficio continent; tum quòd hæreditariæ successionis, quæ in beneficijs Ecclesiasticis improbatur, *c. 1. De præbendis c. Ex transmissa in fin. De filijs presbyt.* aliquam speciem contineant; tum quod regulariter constitutum sit fructus beneficiorum, ac bona decedentis clerici beneficiati pertinere ad successorem in beneficio, non ad successorem ex testamento vel ab intestato, *d. c. Præsenti & ibi glos. in V. reservari c. ult. De pecul. cler. c. Cum in officijs De testam.* & absurdum videatur fructus beneficij deferri ad eos, qui beneficij possessores aut deservitores non sunt, illosque eripere ei, qui beneficio deservit, seu deservire paratus est: per extravagantẽ decretalem constitutionem Ioannis viceſimi secundi Papæ, *in extravaganti suscepti De elect.* ad moderationem aliquam redacta & restricta sunt hujusmodi decreta & consuetudines; ut per illa non omnes primi aut secundi anni fructus hæredi defuncti beneficiati aut fabricæ relinquantur, & nihil interea durante hoc anno vel biennio successori in beneficio ex fructibus illius attribuatur; sed aliqua saltem ex fructibus primi & secundi anni portio detrahatur, & successori in beneficio assignetur, secundùm distinctionem in dicta extravagante constitutione comprehensam.

Quâ tamen constitutione non obstante, nec passim in usu & observatione, præsertim in his ultramontanis Regionibus receptâ, & sic aliquo modo non usu seu desuetudine abrogatâ, *c. In istis 4. distinct. glos. in verb. frangere in fine in c. 1 De treuga & pace*; manserunt in usu & observatione vetus illa consuetudo, & in conformitate illius Capitulorum & Ecclesiarum composita statuta, de omnibus fructibus primi & secundi anni hæredi defuncti, & fabricæ sine aliqua detractione ad commodum successoris in beneficio explicandis; ut ipsa rei experientia manifestum facit, & ex plurium Doctorum responsis seu consilijs deprehendere licet, *Oldrad. consil. 112. statutum factum & cons. 140. In Ecclesia, Freder de Senis consil. 246 De iure communi, Castren. cons. 116. In quæstione nu. 3. vol. 2. Rota decis. 269. aliàs 2. sub. tit. De priveleg. in antiq.* Sed hanc sic receptam & inveteratam consuetudinem, & ejus generis statuta, atque etiam privilegia quarumcumque majorum & minorum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ aut alio quovis præsidio munita, etiam supra hominũ memoriam & longissimo ac quantocumque tempore observata, per quæ primi vel secundi anni fructus alijs certis personis attribunutur, Pius Papa

Quin-

Quintus, (insistendo decreto Concilij Tridentini, *Sess. 24. c. 14. Sub decreto de reformat.* improbante statuta & consuetudines, quibus successor in beneficio tempore admissionis & institutionis gravari solet, idemque decretum ampliando) per suam novam constitutionem, *Incip. Dudum nimis sub data pridie Calen. Iunij.* 1570. revocavit, & abolevit; & quoad annum gratiæ aut alias pias Ecclesiæ causas ita moderatus est, ut non possint excedere dimidiam partem fructuum illius anni, altera dimidia successori in beneficio attributa. Ad quam novam constitutionem oculos conijciendo, videri posset jure ampliùs non subsistere nec valere veterem illam consuetudinem in Collegiata Ecclesia S. Odæ Rodensis observari solitam, superiùs in proposito casu mentionatam; quòd scilicet hæredes testati Canonici decedentis post primas vesperas S. Ioannis Baptistę percipere possint integros fructus præbendæ defuncti, non tantùm eo anno, quo is moritur, perceptos seu percipiendos; sed fructus alterius anni immediatè subsequentis pro anno gratiæ, tertij anni fructibus demùm cedentibus fabricæ; sic ut successor in beneficio pro quarto anno primum ad fructuum perceptionem admittatur.

Sed nec valere aut subsistere aliud posterius statutum dicti Capituli novum post illam constitutionem, quod ad majorem successoris in beneficio securitatem factum dicitur, per quod velut abrogato anno mortis, pro anno gratiæ hæredi defuncti Canonici morientis post dictas primas vesperas quocumque tempore ante primam mensis Octobris tunc proximè subsequentis attribuuntur dum taxat fructus, qui in autumno illius anni percipiuntur; ut scilicet fructus anni seu autumni sequentis pertineant ad fabricam, sic successor in beneficio tertio anno perveniat ad fructuum perceptionem: si tamen Canonicus moriatur quandocumque post ultimam mensis Septembris, statuto quodammodò ad terminos veteris consuetudinis itèrum accommodato, ad hæredes defuncti pro anno mortis transmittantur fructus in præcedente autumno percepti, & præter illos quoq; pro anno gratiæ fructus anni seu autumni sequentis; quasi fructus anni mortis in vita Canonici percepti, pleniore potioreque jure defuncto Canonico acquisiti censeantur; ideoque illorum ad suos hæredes transmittendorum majus sit jus & potestas: quamvis tamen ea etiam in parte hujusmodi statutum satis adversetur dispositioni juris communis, prohibentis transmissionem etiam de fructibus in horreum beneficiati invectis & reconditis, *Doct. in c. fin. De pecul. cler. & in c. cum in officijs De testam. Bertran. cons. 21. Viso casu vers. ad secundum vol. 3. parte 1.*

Quæ si ex necessitate juris vera essent, uno eoque simplici & absoluto responso ad propositas quæstiones pro parte Venerabilis Capituli dictæ Ecclesię D. Odę respondendum esset, neque dictâ veterem consuetudinem, neque prætactum reformans posterius statutum, vim aliquam ampliùs habere; nec dictum Capitulum potestatem aliquam habere vel posterius statutum in usu & observatione retinendi, vel eo abrogato veterem consuetudinem repetendi atque iterum ad usum reducendi; propter dictam abrogantem novam Constitutionem Pij Papæ Quinti, *extat in septimo Decretal. Petri Matthæi.* † Verùm res aliter nobis 3
se habere videtur: ob id, quòd dicta Constitutio in his Vltramontanis regionibus publicata & recepta non sit; & sic, ut passim observatur in constitutionibus Imperialibus, *in Auth. Vt factæ novæ constitut. &c.* vix possit earundem regionum provinciales constringere, ligare, vel ad illius observationem obligare: cùm vim abrogationis contrariæ consuetudinis seu statuti non obtineat. * Et 4
quamvis sint, qui Papalibus novis constitutionibus plus tribuant, quàm Imperialibus, easque etiam in provincijs post duos menses obtinere existiment, si Romæ seu in Curia Romana publicatæ sint *Ioan. Andreæ super data libri sexti Decretal.* verius tamen esse videtur, & per Alexandrum de Imola multis rationibus probatur, *cons. 25. † causa & lite nu. 1. vol. 7.* solam in illis perinde ut in Imperialibus ed ctis nõ sufficere publicationẽ in Curia Romana factam; quasi id sit rationi & æquitati magis consentaneum, *Auster. in addit. ad decis. Tholos. 444. Felinus in c. 2. De constitut. nu. 7.* præsertim quando in nova constitutione nullum apponitur certum & specificum tempus, post quod, seu ex quo Papa velit omnes subditos ligari, *Bertran. cons. 156. Viso theimate nu. 4. vol. 2. parte 2. Felin. d. nu. 7. vers. Quinto limita*; & potissimum quatenus nova constitutio non est fundata super materia peccati; nec contraria consuetudo seu statutum peccati nutritivum est; prout non est dicta consuetudo seu statutũ, per quod nõ datur simoniacus vel vitiosus ingressus ad beneficium (ut est in articulo, de quo loquitur supratactum Concilij Tridentini decretum, *d. sess. 24. cap. 14.*) sed dumtaxat ad aliquod tẽpus arcetur successor à perceptione fructuũ, qui hæredi defuncti applicatur; idque sine evidenti injuria successoris, cui in effectu nihil decedit; cum ut prædecessor, ita ipse quoque moriendo fructus anni gratiæ transmittat ad suos hæredes, eaque ratione recuperet quod primo anno amisisse videbatur. Vnde etiam est, quod in dicta nova Pij constitutione non conspiciatur evidens aliqua abrogatio hujus anni gratiæ, qui hæredibus defuncti Canonici velut pro compensatione & retributione ejus, quo ipse primo anno, quo beneficium adeptus est, carere debuit, conceditur; sed tantum illius consuetudinis ac statuti, per quod primi aut alterius anni fructus beneficij applicantur, non hæredibus prædecessoris in beneficio, sed vel mensę Episcopali, vel Capitulo, vel alijs personis, in quibus nõ cadit illa ratio & consideratio recõpensationis illius, quod prędecessori in beneficio primo anno suæ possessionis pari ratione detractæ fuit. Sic quod propiùs rem expendendo satis manifestè deprehendatur dictam Pij V. constitutionem non obviare veteri consuetudini, aut novo reformanti statuto; nec impedire, quominùs alterum illorum vel retineatur vel ad usum & observationem reducatur, cum de illo casu nova constitutio non loquatur, *l. Si Servum §. non dixit De acq. hæred.*

Sed etsi dici ac sustineri posset hanc Pij constitutionem etiam pertinere ad annum gratiæ, qui hæredibus defuncti prædecessoris ex dicta consuetudine

tudine vel statuto applicatur (quod tamen non videtur) & præterea verum esset, quod plerique putant, publicationem novæ constitutionis Papalis in Romana Curia factam, sine renovatione illius in provincijs sufficere, ut statim, vel saltem post aliquos menses liget etiam Vltramontanos: nihilomagis obstabit, quo minus vel dictum novum statutum retineatur, vel vetus consuetudo ad usum revocetur: ob id, quòd eadem nova Pij constitutio per subditos harũ ultramontanarum, saltem Belgicarum regionum, numquam hactenus fuerit ad usum recepta, nec observata; & quidem non tantùm nudâ desuetudine, sed etiam contrariâ sive consuetudine sive statutariâ constitutione abrogata seu potius non admissa: cùm vix ullum sit Collegium Ecclesiasticum in his Regionibus, præsertim diœcesis Leodiẽsis, & aliarum Ecclesiarũ, quæ ex eadẽ diœcesi Leodiensi per erectionem novorum Episcopatuum ad Buscoducensem diœcesim vel aliam translatę sunt, in quo non fuerit retentus usus hujus anni gratiæ. Etsi enim lex sive canon auctoritate Papali seu Imperiali nitatur, pro canone tamẽ aut lege vix habetur, quod usus ipse non comprobarit, in materia præsertim tali, quæ præsens animarum periculum non concernit. *c. In istis distinct. 4. glos. in d. c. 1. De treuga & pace & ibi Ant. De Butrio & aly, Alex. cons. 39. Visis & consideratis vol. 3.* * Remotis
5 itaque his obstaculis ex novis constitutionibus Ioannis XXII. & Pij Quinti Pontificum, propiùs accedamus ad id, quod ex parte dicti Capituli quęritur, utrum vetus illa consuetudo, an sequens statutum prævalere debeat? Et quidem, presuppositâ veritate eorum, quæ in facto proponuntur, potior nobis videtur dicta vetus consuetudo: non quod rationabilior æquiorque sit sequente novo statuto; cum plus probabilitatis & æquitatis apparentis consistat in eodem novo statuto, eo quòd per illud minùs gravetur successor in beneficio, & citius perveniat ad perceptionem fructuum, qui illi ob officium debentur, *c. fin. sub fin. De rescript. lib. 6. c. Cum secundum De præben.* sed quod novi hujus reformantis statuti nulla sit vis ac potestas, non ex capite deficientis potestatis in ipsis statuentibus: (nam Capitula Collegiatarum Ecclesiarum, ut & aliæ quæcumque universitates, *l. 1. §. 2. De Quæd cuiusque universit. nomine &c.* possunt quæcumque licita, honesta, probabilia, & rationabilia statuta facere, præsertim circa ea, quæ concernunt non totius Ecclesiæ præcipuum statum, sed minora illius negotia, inter quæ referri debent distributio & assignatio fructuum singulorum beneficiorum, *c. Cum omnes & ibi Dect. De constit. Calderin. cons. 11. An permutatio De rer. permutat.*) sed ex eo, quod falsò dicatur fundatum super anterioribus antiquis statutis dictæ consuetudini contrarijs. Nam falsa demonstratio non facilè nocere solet, vbi demonstratio præcisa & præcipua causa statuti non est, nec illi cohæret, *l. demonstratio falsa l. Falsa demonstratio l. Cum tale §. falsam causam De cond. & demonst.* satisque ob id sit, ad sustinendum statutum, quòd sit rationabile, honestum, & utile, *c. Erit autem lex Distinct. 4.* & magis quidem, ut diximus, quàm dicta vetus consuetudo. Nec denique ex eo, quod auctoritate alicujus superioris non sit confirmatum: quod enim per se alioqui validum est, superioris non requirit confirmationem; quæ ob id si ex abundanti accedat parum confert, & omissa non nocet, *glos. in V. confirmationem in fine in c. 1. De confir. utili vel inutili.* * sed ex eo magis, quòd idem novum reformans statutum non sit debitè publicatum, & maximè quòd, uti proponitur, non sit usu receptum nec observatione comprobatum: Id enim per se sufficit ad removendum effectum dicti statuti & reformationis in illo contẽtę. Sienim effectum Papalis ac Imperialis constitutionis impedit defectus receptionis & usus illius apud subditos; multo magis impedire debẽt inferiorũ statuta ac reformationes; quia ex eo solo annihilata & vim suam amisisse, imò potius numquã habuisse dici, sed pro nullis vel extinctis haberi debent, quòd non fuerint in usum recepta, non tantùm per longum tempus, sed etiam in illorum prima nativitate seu origine, *Ant. De Butrio, Cardin. Imola & alij in d. c. 1. De treuga & pace, Alex. d. cons. 39.* sic quòd sepositâ consideratione huius novi non ritè publicati, nec ad usum recepti reformantis statuti, in usu & observatione manere debeat antecedens vetus consuetudo usu retenta & observatione confirmata, *Alex. d. cons. 39. Marian. Socinus Iunior cons. 30. Inspectis his num. 14. vol. 1.* quæ etsi aliquo modo durior videri possit successori in beneficio, irrationabilis tamen per omnia non est; habita ratione supradictæ recompensationis & potestatis utenti eodem iure quoad eiusdem successoris hæredes; & quòd uno tantùm casu differat à novo statuto, quo scilicet Canonicus moritur post mensem Septembrem, iam plenè perceptis, & fortè magna ex parte consumptis fructibus præcedentis autumni; qui ratione perceptionis faciliùs ad hæredem quàm ad successorem in beneficio transmittuntur, *l. Defuncta De vsufr.* Sic quòd in effectu annus, qui mortis dicitur, non tam gratiæ sit, quàm juris & necessitatis; ut meritò sequentis tantùm anni fructus hæredi ad gratiam ratione dictæ recompensationis referri debeant. Frustra igitur quæritur, an hoc novum reformans statutum alio novo statuto mutari & dissolvi possit? cum ex causis supradictis non subsistat nec reformatione indigeat. Et si ad novum statutum dictum Capitulum ea in parte animum adjicere volet, illud cavendum erit, ne nimis ambitiosum sit, & plus ęquo successori in beneficio noceat, *l. Ambitiosa D. De decret. ab ord. facien.* saltem non plus quàm factum est per dictam veterem consuetudinem, uno casu in apparentia, non tamen omninò in effectu, ut diximus duos annos gratiæ hæredi defuncti Canonici concedentem.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Fructus absentium cui cedant.

1. *Statutum de fructibus absenti subtrahendis*
2. *Absenti beneficiato fructus non deberi.*
3. *Fructus absentium cui applicandi.*
4. *Absentium portio in distributionibus quotidianis præsentibus accrescit.*

CON-

CONSILIVM CCXIIII.

1 CVM per statutum † de foraneo Canonico receptum sit, id quod ex fructibus suę prębendæ supereſt, ultra octo modios & viginti solidos usualis monetæ, vicario absentis assignati (cujus generis statutum tolerabile, & juri contrarium non est, *c. Omnes De constit. c. Ad audientiam De cler. non resid.*) æquum non est, ut hi octo modij & viginti solidi ipsi Canonico absenti accrescant, & sic alijs præsentibus & residentibus Canonicis per omnia adæquetur. Neque etiam quia vicarij opera propter præsentem Ecclesiæ desolationem minùs necessaria est, & quamdiu minùs necessaria erit, absenti integri fructus exhi-
2 bendi sunt: * cùm cessante statuto, ex juris communis constitutione, absenti nihil omninò de fructibus suæ prębendæ pręberi, sed illis ipse penitus privari, imò etiam ad perceptorum restitutionem cogi possit, *c. Quia nonnulli c. Relatum d. c. Ad audien-*
3 *tiam De cler. non resid.* * Quod autem sic absenti subtrahitur, & in deservituram Ecclesiæ per constitutionem vicarij non convertitur, per Capitulum in ipsius potiùs Ecclesiæ communem, quàm singulorum Canonicorum residentium utilitatem convertendum est, *c. penul. De cler. non resid. Oldrad. cons.* 140. *In Ecclesia nu.* 5. Ea autem utilitas in re præsenti maximè consistet in fabricæ Ecclesiæ, sic incendio deformatæ, reparatione, ut per eam divini officij exhibitio restaurari, & sic vicariorum opera iterum repeti possit. Vnde etiam est, quòd per Concilium Tridentinum hujusmodi non residentium fructus jubeantur converti vel in fabricam Ecclesiæ, vel in aliud opus pium, *Sess. 6. c. 1. Sess. 22. cap. 3. Sess. 23. cap. 1. vers. si quis autem De reformat.* Sed hæc quidem de grossis fructibus, &
4 qui singulis prębendis proprij sunt: † Nam quoad distributiones, & quæ in communi dividi solent cùm ad præsentes seu residentes tantùm pertineant, & in illis absentes præsentibus partem non faciant, præsentium portio propter absentes auctior esse debet; quia quod absentibus non datur, illis, non fabricæ, aut alij caulæ accrescere æquum est, *c. 1. & ibi DD. De cler. non resid. lib. 6. Vid. cons.* 208. *&* 209.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Fructus beneficij litigiosi vel vacantis.

1. *Vacare non dicitur, in cuius possessione alius est.*
2. *Litigiosa res quæ sit.*
3. *Litis appellatione quid veniat.*
4. *Possessor pacificus quis dicatur.*
5. *Possessio pacifica esse non desinit, si possessor quoscumque citari curet.*
6. *Conductio rei propriæ nulla est.*
7. *Fructus vacantis beneficy pertinent ad successorem.*
8. L. Si aliquam rem De acquir. possess. *intellectus.*

CONSILIVM CCXV.

EX casu proposito, ijsque quæ ad instructionem ejusdem pertinent, duplex oritur difficultas; prior, an beneficium, de cujus fructibus locatis agitur, vacaverit, & litigiosum fuerit, sic ut ad Episcopum seu ejus eigilliferum dispositio de fructibus ejusdem pertineat? altera, an posterior conductio seu redemptio fructuum ejusdem beneficij aliquod momentum habeat.

Pro resolutione prioris duo veniunt expendenda: primum, an tempore, quo Dominus Sigillifer locavit seu in arrendam dedit D. Gerardo de Rauwe fructus ac reditus Ecclesiæ Parochialis de Appelteren, eadem Ecclesia vacaverit, sic ut secundùm sententiam latam in Rota urbis Romanæ anno 1443. 17. mensis Decembris tempore locationis fructus dictæ Ecclesiæ pertinuerint ad dispositionẽ & liberam administrationem D. Episcopi seu ejusdem substituti? Et certum est, quòd 1
non. † Cùm enim non dicatur vacare, in cujus possessione aliquis est constitutus, *l. 2. § 1. D. De act. empti, glos. l. Cum quærebatur in V. vacuam c. Vnde vi*; sequitur, quòd cum præfatus D. Gerardus ante tempus hujusmodi contractus vigore nominationis per Sedem Apostolicam Vniversitati Lovaniensi concessæ, acceptaverit, & ejusdem realem & corporalem possessionem consecutus sit, non potuisse dici vacare, ad effectum, ut ad præfatum Dominum Episcopum potuerit pertinere fructuum ejusdem beneficij omnimoda administratio: deficiente enim causâ administrationis, hoc est vacatione beneficij, quid mirum, si & ipse effectus, hoc est ipsa administratio & dispositio cesset?

Alterum est, anne tempore prædicto saltem beneficium fuerit litigiosum, ad eum scilicet effectum, ut secundùm alteram partem ejusdem sententiæ (quâ cavetur administrationem & dispositionem eorundem fructuum pertinere ad Episcopum, donec is, cui de beneficio provisum erit, idem beneficium pacificè possederit) bono jure potuerit Dominus Sigillifer locare fructus dictæ 2
Ecclesiæ parochialis? Et verius est, quòd non: * Litigiosum enim qui dici potuit beneficium, super quo præfato D. Gerardo nulla umquam lis fuit mota, vel in petitorio vel in possessorio? Id enim non patitur natura conjugatorum; & in jure res litigiosa definitur, de cujus dominio causa movetur, aut per judiciariam conventionem, aut per preces Pontifici vel Principi oblatas, & Iudici insinuatas, ac per eum adversario supplicantis cõmunicatas, *auth. De litigios. col. 8.* seu, ut dicitur *in Clem. ult. Vt lite pendente nihil innovet.* postquàm à Iudice competente in ea citatio emanavit, & ad partem citatam pervenit. † Litis enim appella- 3
tione tantùm venit controversia judicialis, *iuxta ea quæ habentur in l. Causas C. De transact. & l. Postquam liti C. De pact.* * Et rursus cui hujusmodi lis 4
mota non est, meritò pacificus dici debet, per ea, quæ latè notat Ludovicus Gomesius, *in Comment. ad reg. cancel. de trien. posses. quæst.* 53. &, ut dicit Paulus de Leazaris, *in Clem. Gravi De rescript.* pacificus possessor dicitur, qui habet possessionem sine controversia juris vel facti judicialis vel extrajudicialis, ut eum refert & sequitur Guido Papę, *decis.* 85. *nu.* 3.

Iam autem verum est D. Gerardo in judicio nusquâ sive coram Ecclesiastico judice, sive laico factam esse controversiam super possessione; neque etiam extrajudicialiter, quia de eo non constat; nam quod dicitur quendam vigore gratiæ exspectativæ

spectativæ idem beneficium & illius possessionem acceptasse, nihil movet; quia illud nullam molestiam facti præfato D. Gerardo præstitit: ut enim factum extrajudiciale obsit, necesse est intervenire molestiam turbativam fructuum aut possessionis, *secundum Bald. in l. Ordinarij* C. *De rei vind. per l. Cum nemo* C. De *acquir. poss. & per ea quæ latissime scripsit Gomes. ad reg. de annali possessore quæst.* 45. Sed tantùm abest, ut id fecerit, qui vigore hujusmodi gratiæ acceptasse dicebatur incerto forte rumore; ut etiam generali citatione velut interdicto retinendæ possessionis, authoritate supremi Concilij emissa, & omnibus, quicumque se possessioni præfati D. Gerardi opponere vellent, vocatis, ille quisquis fuerit, nusquam apparuerit; sic ut in contumaciam illius, cæterorumque non comparentium continuatus & manutentus fuerit præfatus D. Gerardus. Quia igitur acceptatio præfati exspectantis quoad possessionem D. Gerardi de jure nullum sortita est effectum, meritò nunc quoque nullum præstare potest impedimentum, *c. Non*
5 *præstet* De *reg. iur. lib.* 6.

Illud certè satis temerè dicitur, D. Gerardum per impetrationem citationis in forma generali contra quoscumque opponere volentes à judice laico in possessorio super manutenentia, fecisse sibi controversam suam possessionem, sic ut pacificus tunc dici nequiverit: quia cùm judicium sive lis non constet sine adversario, *c. Rerus de verb. signif.* neque quisquam intelligatur sibi controversiam facere, ut nec causam possidendi mutare, *l. Qui bona §. fin.* De *acq. possess.* nullo comparente adversario; non potuit inde res fieri litigiosa, aut pacifica possessio turbari. Cui hoc adjungam, quòd ea quæ inducta sunt ad augmentum & majorem securitatem comparandam, non debeant operari diminutionem, *l. Nemo enim De reg. iur.* nec soleat nocere abundans cautela *l. Testamentum* C. *De testam. l. Non solent.* De *reg. iur.* Est autem impetrata ea citatio, & in jus vocatio, non quòd eâ egeret D. Gerardus; poterat enim possessione acceptâ sine auxilio Judicis laici contentus esse: sed ut tantò securior esset, & viam præcluderet alijs, qui fortassis post longa temporum intervalla, quæstionem super possessione moliturí erant. Non debet itaque in caput
6 illius verti, quod pro salute ejus permissum fuit, *c. Quod ob gratiam De reg. iur. lib.* 6.

Quibus sic constitutis, pro prioris quæstionis decisione, rectè infertur, locationem per D. Sigilliferum præfato D. Gerardo factam duplici inspectione destrui vel nullam esse; Priore quòd sit facta de ijs fructibus, qui neque ex consuetudine neque ex jure præfatæ sententiæ ad Dominum Episcopum pertinebant: Non ita quidem quasi eo respectu negotium fuerit omninò nullum; nihil enim prohibet rem alienam locari, aut vendi, *l. Rem alienam* De *contrab. empt.* sed quòd effectu careat, quia patientiam & defensionem Sigillifer non potuerit præstare, *l. Ex conducto D. Locati*, quodque ipsi ex locato agenti obstaret exceptio, velut evictionis apparentis in limine contractus, *l. Ex his l. Si post* C. De *evict.* Posteriore verò, quòd D. Gerardus hic rem suam propriam conduxerit; quo casu certissimum est, contractum non tantùm inefficacem, sed etiam nullum esse, *l.*

Qui rem proprium l. Ad probationum C. *De locat. & conduct.* etiam si scierut rem suam esse, *l. Sua rei D. De contrab. empt. gloss. in d. l. Qui rem, Bart. in l. Si aliquam rem D. De acquir. poss. nu.* 4. Ita ut meritò non debeat aliquam actionem ex hujusmodi contractu D. Sigillifer habere: & tanto minùs, quod stricta interpretatio hìc potiùs sit sequenda;
7 † attento quòd de jure communi hujusmodi administratio & dispositio de vacantibus & litigiosis beneficijs, non debeat pertinere ad alium, quàm successorem, *c. Præsenti De offic. ord. lib.* 6. *& in Extravag. Ioan.* XXII. *incip. Suscepti regiminis sub. tit. De elect.*
8 Occurrit tamen hic nodus difficilis ex Tertulliani Jurisconsulti responso, *in d. l. Si aliquam rem*, & ijs, quæ in ea parte scripserunt Glossa & Doctores; quòd qui sciens se rem habere & possidere, eandem ab alio conducit, intelligatur possessionem perdere, & in locatorem transferre: item quòd in casu proposito D. Gerardus respectu possessionis, quam existimabat esse apud Dominum Episcopum, fructus beneficij conduxerit; juxta illam speciem, quæ per Jurisconsultum sola decidituf, *in d. l. Si aliquam rem.* Sed paucis responderi potest, D. Gerardum per hujusmodi contractum noluisse aliquo modo juri suo derogare; id enim præsumendum non est: sed quòd veritus litem adversarij alicujus postea exorituri, voluerit sibi etiam in eum casum de hujusmodi fructibus prospicere, ut si non pleno jure suo eos habere posset, saltem titulo conductionis retinere ab eo, qui locandi in eum eventum haberet potestatem; & sic quodammodo sub canditione, quæ quatenus defecit, reliquit contractum inutilem; cùm nulla sit causa, cur aliquid deberetur. Neque videri debet respectu possessionis conductio sustineri; quia, ut ait Paulus Castrensis *in d. l. Si aliquam rem*, id tantùm obtinet, quoties in judicio possessionis futurus esset me potior, à quo conduco, *per l. Si in emptione §. rei suæ De contrab. empt.* Iam verò comparatione Gerardi & D. Episcopi factâ, non potuisset tempore locationis D. Episcopus esse potior in possessione, quia nullam adhuc habebat aut habere poterat, lite nulla iustituta, aut pacifica Gerardi possessione turbata. Et noviſſimè si quæ fuisset possessio aut jus apud D. Episcopum, id paulò post subsecuta sententia possessorij D. Gerardi eversum & annihilatum fuisset; sic ut per supervenientem causam dominij, quamvis ab initio rectè contracta fuisset locatio, prorsus debuerit annihilari; quia rei suæ locatio numquâ consistere potest, *l. Neque pignus De reg. iur.* Annihilari, inquam, non tantùm pro futuro tempore, (quod nullam habet dubitationem, propter possessionis acquisitionem supervenientem) sic ut pensionum postea cessarum nomine conductorem nil solvere oporteat, ne pro majore tempore mercedem præstet, quam conducti titulo possedit, *l. Si fundus D. Locati*: verum etiam pro præterito, quo nondum fructus ex patientia locatoris percepti erant, & pro quo ex subsecuta sententia declaratum fuit nihil juris habuisse D. Episcopum.

His ad priorem quæstionem accommodatis descendamus ad posteriorem, in qua hærendum non est. Nam eo constituto, quòd locatio prior inter

D. Sigilliferum & D. Gerardum contracta fuerit nulla; consequitur necessariò, posteriorem quoque non dico nullam fuisse, sed inefficacem: dum enim convenit, ut D. Gerardus, cedere, transferre, seu (ut est in ipso instrumento posterioris contractus) relinquere deberet D. Henrico Blyleven omnem actionem, quæ sibi ex hujusmodi arrenda competere aliquo modo potuit, censetur velut spem tantum cessisse; quæ successum nullum habens, nullum operari potest effectum, *l. Nec emptio De contrah. empt.* seu potiùs vendidisse rem, quæ non erat, atque sic nullam contraxisse obligationem, *d. l. Nec emptio*; aut saltem sub conditione, si competitura esset actio, quâ deficiente obligatio nullâ nasci potest, *l. Multum interest De hæred. vel. act. vend.* cùm nulla sit ratio, cur D. Gerardus aliquid eorum, quæ pro hujusmodi cessione addixit, præstare cogatur, qui incertum jus actionis tantùm vendidisse intelligitur, *l. Nam hoc modo De hæred. vel act. vend.* Quod si hîc quis replicare velit, D. Gerardum saltem præstare debere debitorem fuisse D. Sigilliferum, hoc est locatorem, ex eodem fundamento respondebitur, quòd cum id præstari nequeat, ut ex superioribus sit manifestum, in nullo teneri D. Gerardum.

Consentaneum itaque juri, rationi, & æquitati existimamus nihil actum videri tam quoad priorem locationem inter D. Sigilliferum & D. Gerardum initam, quam quoad posteriorem inter eundem Dominum Gerardum & D. Henricum: ita ut jure hujusmodi conventionum alter alteri nequaquam sit obligatus, sed bono jure licuerit D. Gerardo tamquam pacifico possessori omnes & singulos fructus dictæ Ecclesiæ percipere & retinere. Expendendum interim erit, an in Diœcesi Cameracensi sint privilegia vel consuetudines, quæ aliud postulent, & quorum vigore rationes suprà dictæ subverti possint: nam in alijs Diœcesibus peculiaria quædam esse circa beneficiorum vacantiũ & litigiosorũ fructus & administrationẽ, scimus.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Sequestratio fructuum beneficij.

1. *Sequestratio eripit possessionem.*
2. *Sequestratio regulariter prohibita.*
3. *Sequestratio fieri non potest, nisi citato possessore.*
4. *Supplice libello expediri non possunt, quæ decretum requirunt.*
5. *Sequestratio fieri non potest sine causæ cognitione.*
6. *Possessionis triennalis in beneficio effectus.*
7. *Possessio annalis beneficij impedit sequestrum.*
8. *Residendi in beneficio necessitas quomodo accipitur.*
9. *Beneficij privatio sine sententia Iudicis ipso iure non inducitur.*
10. *Confiscata bona quæ restituantur Reo restituto.*
11. *Restitutio adversus confiscationem ad perceptos fructus non extenditur.*
12. *Collatio beneficiorum est fructus Prælaturæ.*
13. *Promissiones de beneficijs nondum vacantibus iuri communi repugnant.*

CONSILIVM CCXVI.

QVOD justa sit petitio, quæ pro parte D. Henrici Sgreven Rectoris parochialis Ecclesiæ de Grootsundert, pro revocatione decreti seu ordinationis (per quam in amplissimo Concilio Brabantiæ ad supplicem libellum dicto Concilio, pro parte D. Lamberti Bosschuysen præsentatum, prima mensis Iulij an 1577. novissimè præteriti, ordinatum est, ut Domini Camerę computus oppidi Bredensis curent seu faciant decimas & fructus dictæ Ecclesiæ colligi & invehi, illaſque benè & fideliter asservari ad opus ius habentis) sequentibus rationibus deducitur & comprobatur. Et in primis quidem manifestum est, hoc decretum, sive hanc ordinationem nihil aliud esse, quàm sequestrationem fructuum dictæ Ecclesiæ, eamque involuntariam & judicialem: * ideò quòd tertiæ 1
personæ fructus committantur, & possessori beneficij recipiendorum seu habendorum illorum potestas eripiatur, *l. Sequester & ibi Doct. De verb. signif. Doct. in c. ult. De sequest. poss & fruct.* † à qua, ut nec 2
ab arresto, incipiendum non est: cùm regulariter sit utroque jure prohibita hujusmodi involuntaria sequestratio, *l. 1. C. De prohib. sequest. pecuniæ c. 1. De sequest. poss. & fruct.* quia sit species quædam executionis, à qua Iudex incipere prohibetur, *l. 1. C. De execut. rei ind.* quamdiu possessor per adversarium probationibus convictus & sententiâ judicis condemnatus nõ est, *d. l. 1. C. De prohibit sequest. pec.*

Cùm itaque ex instrumentis pro parte D. Henrici exhibitis evidenter constet, eum ex collatione seu præsentatione Regia in anno 1573 obtinuisse dictam parochialem Ecclesiam de Grootsundert, & in illa per Ordinarium loci 18. Ianuarij anno 1574. canonicè fuisse institutum, & vigore hujusmodi institutionis realem & actualem possessionem ejusdem Ecclesiæ obtinuisse, & ex eo die hactenus fuisse illum in pacifica & quieta tum illius, tum fructuum & emolumentorum ejusdem percipiendorum possessione; non potuit ex juris ratione, per hujusmodi ordinationem & sequestrum talis possessio illi eripi; saltem non ad solam dicti D. Lamberti supplicationem, præfato D. Hérico nec citato, nec audito. * Nam quibus casibus 3
sequestratio contra supratactam regulam fieri permittitur, numquam fieri potest, nisi citato & audito possessore; & legitima causæ cognitione adhibita, *l. De unoquoque De re iudic.* si modò possessor citatus contumaciter non compareat, *c. 2. De dolo & contum.* qualis dicti D. Henrici contumacia nulla hîc intervenit, at nec intervenire potuit, nullâ præcedente illius citatione. Vnde refert Petrus Rebuffus, *in tract. de sequest. art. 1. glos. 1. nu 12. in & 3. tomo ad const. it. Reg. & in d. l. Sequester vers. secunda conclusio*, per Senatum Parlamenti annullatam fuisse sequestrationem partibus non auditis factam, prohitumq; Secretarijs & alijs, ne literis subscriberent; nec illas concederent, per quas mandaretur sequestrũ fieri parte non auditâ; quia in hac re cognitio causę versetur.

Et sanè absurdum fuit sic ad solum libellum seu 4
supplicationem dicti D. Lamberti sequestrum decerni; cùm quæ causæ cognitionem requirunt seu desiderant, per solũ libellum expediri non possint, *l. Nec quicquam §. ubi decretum D. De off. Proconſ. & leg.* * Quod quidem sequestrum tanto 5
minùs in proposito decerni potuit, quòd de jure & titulo dicti D. Lamberti tempore hujusmodi decreti non constiterit: & ut involuntaria hæc seque-

sequestratio fieri aut decerni possit, necessum sit saltem summariè constare de titulo & jure illam petentis. *l. Cum proponas C. De bonis auth. iud. poss. l. Si à quo D. Ut in poss. legat. & c. Rebuff. d. vers. secunda conclusio.* Præsertim quòd verosimile sit D. Lambertum in suo supplice libello proposuisse de possessione, & prætexto saltem jure D. Henrici; ob quam ad sequestrationem fructuum pervenirì nō poterat nisi plumbeis pedibus, hoc est, nisi adhibitâ causæ cognitione; quæ non intelligitur adhibita, possessore non citato, & contumaciter non absente inaudito: qui si ad hoc citatus & auditus fuisset, sine negotio allegare & probare promptissime poterat de suo jure, titulo, & indubitata non anni,
6 sed plus quàm triennij possessione. † Quæ triennij continua possessio, non tantùm hoc facit ex regulis Cancellariæ Apostolicæ, ut per alium eius beneficium, ne quidem à Papa impetrari non possit, sed nec ipse possessor in proprietate, vel possessione turbari, nec quoquo modo molestari judicialiter vel extrajudicialiter, *Reg. Cancell. de triennali poss. & ibi Lud. Gomes. quæst.* 8. ergò nec per speciem
7 sequestri: † cùm alioqui ad impediendum sequestrum sufficiat sola annalis possessio, *Rebuff. d. tract de sequest. art* 1. *glos* 2. *num.* 5. Nec occurrit aliqua idonea causa, ob quam D. Henrico indubitato possessori hæc sequestratio superinduci possit; cùm ex causis, ex quibus contra supratactam regulam sequestratio involuntaria decerni jure permittente possit, subsit, non metus armorum, *l. Æquissimum De usufructu*, non dissipatio aut dilapidatio fructuum, non sententia aliqua contra ipsum in possessorio vel petitorio lata, *c. Ab eo De sequest. poss. & fruct. Clem.* 1. *eod. tit.* nec denique hoc prætexi possit, quòd dictus D. Henricus suo beneficio legitimè nō deserviat, aut in eo non resideat; ex qua causa sequestratio, seu potiùs substitutio decerni posset, *c. Pervenit.* 2. *De appellat.* cùm ea in parte non sit defectus.

8 Et quamvis D. Henrico fortè objici possit, quòd aliquo tempore per substitutum, seu vicarium dictæ Ecclesiæ deservierit, & per literas præsentationis Regiæ constet, ipsum ad hanc Ecclesiam præsentatum esse cà conditione, quòd dictæ Ecclesiæ actualiter deservire, & in eodem loco de Grootsundert personaliter residere teneretur, absque eo, quòd ibidem vicarium substituere posset, sub pœna privationis ejusdem curę, quodque in ipsius locum alius subrogaretur: nam ea conditio civiliter, non æmarè accipienda. *Card. in Clem.* 1. *in* 12. *quæst. De foro compet.* si & in quantum ibidem residere posset, & peripsum non steterit, quo minùs posset; non etiam ut cum sui corporis periculo tempore hostilitatis ibi residere & personaliter deservire teneretur, & propter hostilitatem inde recedere non posset. Quippe residentiæ necessitas ex justa causa relaxationem admittit, *c. Relatum c. inter quatuor De cler. non resid. c.* 1. *eod. tit. lib.* 6. præsertim accedente consensu & licentiâ superioris, hoc est illius, cui instituendi & destituendi potestatem habet, *Panor. in d. c. Relatum nu.* 4 *& in d. c. Inter quatuor*, Fred. *de senis cons.* 246. *De iure communi vers. item si infirmitas*; non consensu illius collatoris aut patroni præsentantis: cujusmodi excusatio non censetur ex causis per Regiam collationem seu præsentationem generaliter expressis exclusa. Absentia igitur Domini Henrici & deservitura per substitutum seu vicecuratum ad tempus, propter superioris temporis hostilitatem, approbata, eique permissa per Episcopum Antwerpiensem, ex consensu etiam parochianorum, ei fraudi esse non debet, nec nocere, quo minùs & Ecclesiam retinere, & temporis illius fructus suos facere, atque etiam in futurum, cessante præsertim dictâ absentiâ, percipere possit; cùm auctoritate aut beneficio legis, vel superioris nemo decipi debeat, *l.* 1. *in fine C. De his qui ven. ætatis impetra.* 1. *D. Quando act. de pecul. est annalis.* Nec sanè ex præterita aliqua tali causa sequestratio decerni posset; eo quòd cessante causa sequestrationis, hoc est improbabili absentia seu defectu debitæ & laudabilis deservituræ, cessare debeat potestas sequestrationem decernendi, *glos. in c. Quia diligentia in fin. De elect.* Neque etiam ex eo, quòd pœna privationis, & surrogationis alterius, dictis Regijs literis præsentatorialibus inserta fuit, censeri posset D. Henricus ipso jure privatus etiamsi dicta absentia improbabilis & sine auctoritate superioris fuisset: * nam pœna privationis beneficij cujuscumque, sive illa sit ab homine, 9
sive à lege vel canone comminata seu prolata, regulariter non inducit privationem ipso jure, nisi hoc quoque specialiter fuerit expressum; sed in pœna tali simpliciter statuta, requiritur Judicis sententia, *c. Cum non ab homine & ibi Doct. De iudic. Felin. in c. Inquisitionis nu.* 4. *De accusat. Guil. Cassador. decis.* 2. & 3. *De sequest. poss. & fruct.* antequam nihil in præjudicium indubitatæ possessionis statuendum est, tam quoad beneficij fructus, quàm illius possessionem & proprietatem.

Sed nec prætextu publicæ pacificationis nuper initæ (quā D. Lambertus urgere videtur) quicquā 01
statuendum est in præjudicium D. Henrici. Etsi præsentatio dictæ Ecclesiæ jure confiscationis ad suam Regiam Majestatem spectaverit, & per dictæ pacificationis articulum decimum, utrimque qui in alterutras partes discesserant, bona sua, prærogativas, actiones, & credita recuperare & apprehendere possent, confiscationibus omnibus abolitis: id tamen velut restrictionis & exceptionis loco adjicitur, si & quatenus illa alienata non fuerint. Sicuti generali restitutione bonorum condemnato ex crimine vel bannito factâ, non recuperantur à possessore ea, quæ stante confiscatione vel banno alienata sunt, *Bal. in l. ult. nu.* 7. *& ibi Salic. nu.* 11. *C. De sent. passu.* Ita ut virtute hujusmodi exceptionis, non videatur contineri hujus Ecclesiæ de persona D. Henrici præsentatio; sed quòd Dominus de Breda vigore dicti articuli recuperare quidem possit jus patronatus per Regiam Majestatem confiscatum, non etiam irritam facere præsentationem ad vacantem Ecclesiam stante adhuc confiscatione factam: cum confiscatis bonis in confiscationem quoque veniat jus patronatus, quod non personæ sed rebus cohæret, *Hieron. Gigas in tract. De crimi. læs. Maiest. De pœnis commit. hoc crimen quæst.* 4.

11 Vt enim in restitutione bonorum, condemnato ex crimine facta, non continentur fructus percepti, & maximè consumpti, etiam ex ijs bonis, quæ nondùm alienata sunt, *Auth. Idem est vers. sed absque ratione fructuum* C. De hæret. ita nec in hac restitutione, quæ ex capitulis pacis inducta est, ut communiore opinione receptum est, *Doct. in l. Gallus §. & quid si tantum De lib. & posth. & gidius Bosius In tract. criminali tit de restit. quæ sunt à Princ. finito bello ob pacem.* Quò etiã evidenter pertinent dicti decimi articuli hæc verba, *In sulcken staet, als die voorschreven goeden nu tegenwoordelijck zijn*, hoc est *in eo statu, quo dicta bona in præsentiarum sunt.* Ita ut ex hac pacificatione satis sit Dominum de Breda restitui ad dictum jus patronatus, non verò ad fructum seu fructus, quos stante confiscatione Regia Majestas ex hoc jure patronatus percepit; puta inter alios ad præsentationem ad hanc Ecclesiam interea
12 vacantem. † Vt enim collatio beneficiorum in fructu Prælaturarum est, *glos. in c. Cum olim De maior. & obedien. vers. ad illam*: ita quoque præsentatio ad beneficium est fructus juris patronatus, *c. Consultationibus c. Ex literis De iure patront. Cæsar Lambertinus tract. de iure patron. nono art. 8. quæst. princ. 1. partis lib. 1. nu. 12.* sic quòd restitutione hac ex articulis pacis facta, hæc Ecclesia manere debeat apud dictum D. Henricum præsentatum à possessore dicti juris patronatus, tempore vacationis & præsentationis; ideoque præsentatio per Dominum de Breda post dictam pacificationem facta de persona præfati D. Lamberti sit omnimodò nulla, propter jus alteri quæsitum, & plusquam triennalem ejus possessionem: tantoque magis nulla, quòd proponatur Dominum Bredensem dicti D. Henrici præsentationem & institutionem approbasse; & sic semel approbatam ampliùs reprobare, aut factum infectum facere non possit, *l. Pomponius post princ. De negot. gest.*

Nec obstat declaratio in literis præsentatorialibus præfati D. Lamberti contenta; quasi D. Henricus hanc approbationem & consensum surreptitiè obtinuerit: nam de aliqua surreptione non constat; nisi fortè de illa, quæ in dictis literis satis apertè significatur, quòd videlicet in anno 1566. præfato D. Lamberto datæ fuerint literæ exspectativæ ad dictam Ecclesiam, & quòd ei facta fuerit promissio illius post obitum Domini Antonij Vaillant illius possessoris tunc adhuc superstitis; quasi scilicet Dominus Bredensis illius promissionis immemor hunc consensum D. Henrico accommodaverit: quia ista subreptionem & obreptionem nullo modo operari possunt, sed magis ampliare debent causam & occasionem ac-
13 commodandi dicti consensus; * cum per aperram juris dispositionem, *c. 2. c. Ex tenore De conces. præben.* improbatæ sint tamquam improbæ & illicitæ, & contra bonos mores tendentes omnes promissiones & exspectativæ concessiones de beneficijs non vacantibus; eo quòd contineant apertum votum captandæ mortis etiam jure civili improbatum, *l. Stipulatio hoc modo De verb. oblig.* ideoque ex illis nulla consurgat obligatio, *Glos. in d. c. 2. in verb. antequam vacent.* Quod equidem obtinet non tantùm in hujusmodi promissionibus ordinariorum Collatorum; sed etiam in promissionibus patronorum, tam laicorum quam Ecclesiasticorum; & perinde Principum, ut privatorum: prout in hoc articulo extat elegans in jure textus, *c. fin. De conces. præben.* de simili promissione vacaturi beneficij olim per Comitissam Flandriæ facta, per Pontificem improbata & irritata, cum inhibitione, ne similia de cætero attentare præsumeret. Ita ut quamvis valeat promissio de præsentando aliquem cùm Ecclesia vacat, non valeat tamen ante vacationem facta, *Cæsar Lambert. d. tract. De iure patron. lib. 2. art. 15. 7. quæst. princ. 2. partis.* Vnde non potest dici obreptum vel subreptum ex omissa suggestione hujus præcedentis promissionis, quæ nulla fuit; nec movere poterat, cur minùs aut difficiliùs approbaretur, seu rata haberetur præsentatio dicti D. Henrici per Regiam Majestatem facta, *arg. c. Super literis De rescript.* à qua approbatione seu ratificatione, ob id variando recedi non potuit, *Cæsar Lambert. d. articulo. 15. num. 4.*

Cùm igitur tam evidenter pateat, nullam esse causam, cur hæc sequestratio fieri debuerit vel potuerit; aut collectio & custodia fructuum alij quàm vero dicti beneficij Rectori & plusquam triennali possessori committi; & præterea ante hanc ordinationem præfatus D. Henricus judicium manutenentiæ adversus D. Lambertum in hoc Concilio instituerit; ideoque in præjudicium illius nihil innovari aut attentari potuerit, *c. 1. & seq. Vt lite pendente &c.* manifestum esse putamus, dictam sequestrationem seu commissionem de collectione & custodia fructuum dictis Dominis Cameræ computus datam, tum veluti juris ordine prætermisso factam, *c. Conquerente De restit. spoliat.* tum velut attentatum, in primis & ante omnia revocandam, cassandam, & annullandam esse.

De Clericis non residentibus.

SVMMARIVM.

Canonici novi quæ onera ferre debeant.

1. *Onera collegij vel municipij vel Capituli prius contracta an novi collegæ aut municipes aut Canonici pro aliqua parte sustinere debeant.*
2. *Onera rei possessionem rei sequuntur.*
3. *Collegij bona singulorum non sunt.*
4. *Lucra collegij vel Capituli pertinent etiam ad novum collegam vel Canonicum.*
5. *Vsufructuarius sarta tecta præstare debet.*

CONSILIVM CCXVII.

ADversus Dominos Decanum & Capitulum Collegiatæ ac parochialis Ecclesiæ S. Petri Communitatis Bekensis in anno 1561. instituerunt litem in Cancellaria Brabantiæ Magistratus & Magistri Fabricæ dictæ Communitatis, ob impensas tam factas, quàm faciendas in ampliationem ac reparationem dictæ Ecclesiæ; in qua etiam in anno 1566. obtinuerunt: sic quod ad eas, ac præterea ad expensas litis condemnati sint præfati DD. Decanus & Capitulum. Lite hac pendente duo novi Canonici ex resignationibus permutationis causâ, Canonicatus in eadem Ecclesia obtinuerunt; & ex simili causa alius Decanatum, alius rursus aliâ viâ alium Canonicatum. Oritur con-

tentio

tentio inter novos hos supervenientes Decanum & Canonicos adversus eos, qui toto tempore litis Canonici in eadem Ecclesia fuerunt, quoad solutionem prædictarum expensarum & collationem, seu contributionem earundem: contendunt enim novi, atque etiam aliqui ex veteribus, quòd quia tempore citationis, susceptæ litis, seu facta oppositionis vel non fuerint præsentes, vel non residerint, aut Canonici nondùm facti fuerint, ad hanc contributionem non teneantur.

Quæritur itaque, num justè contendant, & an defunctorum Canonicorum hæredes, aut resignantes Canonici ad hujusmodi expensas concur-
1 rere debeant? * Dubitationem facit adversus veteres, & in suscipienda lite præsentes, quod grave, & non solùm legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium sit, pro alienis debitis alios molestari, *l.* 1. C. *ut nullus ex vican. pro alienis vican. debitis teneat lib.* 11. ideoque constitutum sit, *in l.* Providendum C. De *decurion. lib.* 10. ne novi decuriones in numerum decurionum adsciti præteritis debitis per veteres decuriones contractis onerentur. Eaque ratione tradit Speculator, *in tit.* De *censib.* §. 1. *vers. sed quid si aliquis rusticus*, si rusticus aliquis habitatum veniat in aliqua villa vel municipio, quod jam debitis erat obnoxium, quòd non teneatur conferre ad hujusmodi debitorum solutionem. Et Dynus (ut referunt Bartolus, *in l.* Incola *nu.* 4. D. *Ad municip.* Baldus, *in l.* 1. *vers. super secundo puncto* D. *Quod cujusque universit. nomine &c.* Ludovicus Romanus *Singul.* 490. *Qui noviter*, & Antonius Corsetus, *Singul. dict. Collecta* 2. *incip. Qui de novo*;) quòd noviter ingrediens collegium aliquod non teneatur contribuere ad antiqua debita collegij, sed illa agnoscere, & ferre debeant, qui vel tempore, quo contracta sunt, in collegio fuerunt, vel inde contractis debitis recesserunt, *Specul. d.* §. 1. *vers. sed quid erit si rusticus*; non etiam qui supervenerunt vel absentes fuerunt.

Sed his non obstantibus dic, quòd novi super-
2 venientes Canonici hoc onus expensarum subterfugere non possint ob id, quòd hujus oneris causa profluat non ex personali aliquo debito per priores Canonicos absolutè contracto ex contractu, vel delicto; quo casu facilè obtinere posset, quod ex Dyni auctoritate pro dubitâdi causa allatũ est: sed magis ex reali debito, hoc est ex causa bonis & rebus Capituli seu collegij cohærente; propter res scilicet & bona, hoc est propter decimas, ut expressè habet dicta condemnatoria sententia, *Petrus Antibolus in tract. de munerib.* §. 1 *de diverf. quæst. super muneribus nu.* 44. Vnde cum hoc onus inciderit, seu supervenerit propter decimas, quas dicta sententia præsupponit, (iure an iniuriâ non dico, nam & injusta sententia jus facit, *Doct. in l. Qui* Romæ §. *duo fratres* De *verb. obliga.*) consequens est, quòd quemcunque decimarum possessorem tunc cùm exactio facienda est, teneat & sequatur: onera enim rei cohærentia rem sequuntur, *tit.* C. *Sine censu vel ret. fund. compar. non posse per tot.* ita quòd non tantùm re plenè legata, sed rei solo usufructu legato, hujusmodi onera agnoscere debeat legatarius, *l. Quæro* De *usufr. legato l. si pendent.* §. *si quid* De *usufructu.* † Nã in hac contributione non spectantur singuli Canonici, sed ipsum Collegium seu Capitulum quod propter decimarum possessionem condemnatum exstitit: singuli enim de Capitulo non sunt Capitulum, nec gesta à Capitulo, seu Collegio dicuntur gesta ab aliquo de Capitulo; prout bona Collegij non censentur bona singulorum, *l. In tantum* §. *universitatis* De *rer. divis. l. Sed etsi hoc* §. *qui manumittitur* De *in ius vocan.*

Cùm ergò Capitulum, non singulares personæ sint condemnatæ, tenere debet illos ipsa condemnatio quos tunc, cùm facta fuit, invenit. Ex qua consideratione eleganter respondit Ioannes Calderinus, *cons.* 21. *In Ecclesia in fine tit. de præben.* & comprobavit Paulus Parisius, *cons* 32. *Licet regulariter nu.* 10. *vol.* 4. novum Canonicum teneri subire onus Capituli, etiam si solutio oneris facienda esset ex collatione & contributione singulorum: quia ea in parte non sunt singuli ut singuli, sed ipsum Capitulum; & singuli de capitulo ut membrum Capituli æstimantur, *c. fin. De his quæ fiunt à maior. par. capit.* * Vnde etiam in consideratione 4
lucri communis, quod ex Capitulo provenit, eadem juris symmetria vicissim servatur, ut si quæ sint obventiones Capituli, quæ non per singulos dies singulis Canonicis distribuantur, sed in fine, vel aliquo alio certo tempore anni, in ijs partem habeat novus Canonicus, etiamsi sub finem anni, vel temporis superveniat; non etiam is, qui fortè pro majore parte temporis Canonicus fuit, sed cessit vel decessit ante diem distributionis: obveniunt enim hujusmodi ipsi Capitulo, & percipiuntur à Capitulo jure Capituli, & non jure particularium Canonicorum; Capitulum autem semper idem est, tam in præteritum, quàm futurum, etiamsi Canonici vel eorum Decanus mutentur, *l. Sicut municipum in fin. Quod cujusque univers. nom.* sic quod quicumque sunt de Capitulo ad hoc lucrum admittantur. Ex qua lucri ratione, damni & oneris quoque ratio constituenda est: quia id eum plerumque sequi solet, quem sequitur commodum, *c. Qui sentit.* De *reg. iur. lib.* 6. Et sic in his omnibus habetur respectus ad corpus Capituli, non ad singulares personas de Capitulo; licet distributio eat per singulares.

Quæ in proposito casu minorem dubitationem habere debent, ob id, quod hoc debitum seu onus ex ipsa sententia magis & ex re præsenti superveniat, quam ex præcedente causa: tum quod iudicio & opinione Capituli, usque ad ipsam sententiam, Capitulum non fuerit obligatum ad huiusmodi sarta tecta; & præsertim ad ampliationem ipsius Ecclesiæ; prout etiam nulla est lex, nullus canon, qui decimarum possessores propter decimas ad ædificationem ac reparationem Ecclesiæ absolute obliget. Ita ut hoc inexspectatum & insperatũ onus velut pro casu fortuito accipiendum sit, & merito eos tenere debeat, quos in colegio invenit & occupat. † Quemadmodum & usufructuarius, si 5
usumfructum domus retinere velit, sarta tecta præstare debet, etiamsi deteriorationis, aut reparationis causam ipse non præstiterit, *l. Cum ad quem C De usufruc. legato in fine cum l. seq. D. eod. tit.* quia hæc est conditio rei, in qua non perinde inspicitur anteacti temporis ac præcessoris negligentia, sicut illius factum vel delictum, *And. Alciat. in l. Qui Romæ* §. *Callimachus nu.* 10. *De verb. oblig.* Et

1 Legato, hujusmodi onera agnoscere debeat legatarius, *l. Quæro De usufr. legato l. si pendent.* §. *si quid De usufructu.* † Nã in hac contributione non spectantur singuli Canonici, sed ipsum Collegium seu Capitu-
3

quemadmodum usufructuarius (cui beneficiati quoad beneficia comparantur, *D D. in c. Cum in officijs De testam.*) non præstat in sartis tectis, quod suo suorumque facto deterius factum non est, si usufructui renuntiet, *l. Hactenus l. sed cum fructuarius De usufructu:* ita quoque qui beneficium quoquo modo dimittit, si suo facto impensarum necessitas non imminet, necessitatem reparationis & futurarum expensarum successori in beneficio relinquit.

Ex quibus facilè intelligitur, quod in proposito casu perveniri non possit ad veterem Decanum, nec ad eos qui Canonicatus suos ante hanc condemnationem resignarunt, nec ad hæredes defunctorum; quia satis gravati fuerunt contributione expensarum in sustinenda lite. Quæ omnia minùs dubitationis ex eo habent, quòd novi Canonici hanc litem agi sciverint, & non contradixerint; ut meritò res judicata eis obesse debeat, *l. sæpè De re iudic.* quodque lis acta & defensa sit non ex mandato sit gulorum Canonicorum, sed totius Capituli. Cujus mandati consideratio facit, ut onus expensarum ad omnes recidere debeat, etiamsi in lite succubuerint, *c. cum pro causa, & ibi Panor. De procurat.* quia Capitulum, vel mandati sen el à Capitulo dati conditio non alteratur ex mutatione personarum, *d. l. sicut §. ult. in fine Quod cuiusque univers. nom. &c.* Neque dici potest hanc rem inutiliter cœptam esse, quòd novi etiam Canonici in suo cursu scienter reliquerunt, & durante processu expensas defendendæ liti submini strarunt. Paucis igitur concludo novos Canonicos cum veteribus ad æqualem contributionem vocandos esse; nisi malint ex decimis nullum fructum percipere.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Beneficij collatio.

1. *Intrusus in beneficio quis dicatur.*
2. *Collator ordinarius non confert beneficia vacantia in mensibus papalibus.*
3. *Devolutio non fit ab inferiore ad superiorem.*
4. *Intrusus non habet beneficium triennalis possessoris.*

CONSILIVM CCXVIII.

FLAGRANTIBVS inferioris Germaniæ seu Belgij Regionibus bello intestino ex rebellione subditorum, superinducto novo illarum Gubernatore externo in civitate & Ecclesia Cathedrali Brugensi vacavit Canonicatus per mortem M. Cornelij Claissenij in mense Iulio, uno ex mensibus collationi & provisioni Sedis Apostolicæ reservatis. Hunc Canonicatum Vicarius Episcopi jure ordinario contulit Sempronio, qui ex eadem collatione possessionem juris dicti Canonicatus accepit. Eundem Canonicatum Serenissimus Matthias Archidux Austriæ ad gubernationem earundem Regionum per subditos assumptus contulit Titio; qui & ex illa collatione realem possessionem Canonicatus obtinuit, & usque ad reconciliationē civitatis Brugensis pacifice continuavit. Eundem Canonicatum medio tempore à Sede Apostolica impetravit Caius, qui cum propter dicti Archiducis collationem non posset obtinere literas placiti, impetrat in vrbe alium Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Gandavensi: vacantem; sedea lege, ut dicto Canonicatui Brugensi cederet, seu renuntiaret; quod etiam fecit. Eundem Canonicatum tamquam ex dicta cessione seu libera resignatione vacantem hoc currente anno 1587. à S. D. N. Papa impetrat Octavius

Quæritur quis ex his collatarijs in hoc Canonicatum potius ius habeat, & ad vindicandum retinendumque illum meliora potiore que iure fundatus sit? † Et paucis quoniam res scrupulosam seu justam dubitationem non habet, nobis infrascriptis videtur potius jus esse apud prænominatum Octavium: ob id, quòd proponatur hunc Canonicatum vacasse in mense Pontificio seu Apostolico, ex quo necessariò consequitur illius conferendi potestatem tempore dictæ vacationis indubitatè pertinuisse ad S. D. N. Papam, & sic ab illo per dictum Caium rectè impetratum fuisse, iterumque deinde ex cessione, liberaque dimissione ejusdem Caij in Romana Curiâ factâ vacasse, & denuò rectè per eundem Dominum Papam collatum fuisse dicto octavio: ita quòd neuter horum possit dici in illum Canonicatum intrusus, quia titulum & jus consequuti fuerunt ab eo, qui conferendi providendique jus & potestatem tunc habuit, *c. Quia diversitatem & ibi Panor. De concess. præben.* ideoque præferri debeant Sempronio & Titio, quibus prorsus nihil juris cōpetit, nec cōpetere potest, ex titulis & collationibus quas quisque ipsorum prætendit, *c. Cum qui De preben. lib. 6.* eoque minùs, quòd utrque evidenter sit in hoc Canonicatu intrusus; quia titulum prætexunt ab his, qui jus conferendi non habuerunt, *d. c. Quia diversitatem, c. fin. De excess. Prælat. Ioan. Caldermus. cons. 23. de verb. signif.* Intrusus enim est in beneficio, quisquis beneficium obtinet sine auctoritate illius, ad quem spectat collatio: cùm sic viâ obliquâ per tectum, non per ostium, ad beneficium inveniatur ingressum sibi parasse, *Philip. Decius cons. 121. In causa venerabilis nu. 4. Petrus Rebuff. in praxi beneficialis parte 1. in reg. de surrog. litigan. gloss. 4. nu. 3.*

Quod autem talis sit præfatus Sempronius inde manifestum fit, quod ut Episcopus, ita & multo minùs ejus Vicarius, non possit manus suas extendere ad beneficia dispositioni Apostolicæ reservata, & si id faciat, irrita & inanis sit per horum alterum de beneficio sic vacante facta collatio, *c. 2. De præben. lib. 6. c. 1. De præben. in Extravag. communib.* etiamsi alioqui Episcopus hujusmodi beneficij sit ordinarius collator: hujusmodi enim reservatio manus ordinarij ligat, ut jure ordinariæ collationis in mensibus reservatis uti non possit. Et quamvis ordinarius beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia post mensem à die vacationis vel per se vel per suos conferre possit, si intra illum per Sedem Apostolicam non sit de ijs alicui provisum. *c. Statutum De præben. lib. 6.* idem tamen non potest de beneficijs non apud Sedem Apostolicam hoc est per mortem beneficiatorum in urbe Romana aut vicinis illi locis, *c. Præsertim De præben. lib. 6.* sed alibi, & præsertim in partibus vacantibus, ex alia quacumque reservatione ad Sedem

dem Apostolicam pertinentibus; ut est in reservatione, quę fit per alternationes mensium, ra-
3 tione mensium Apostolicorum: † Hoc enim casu ad Ordinarium nullo etiã temporis lapsu, quantumvis longo, fit conferendi beneficij devolutio; quia hæc regulariter non fit à superiore, & minimè à Papa ad quemcumque inferiorem, *c. Licet De supplen. neglig. Prælat. c. 2. De conces. præben.*

De Titio minor est dubitatio: cùm enim Regia Catholica Majestas, ut Comes Flandriæ in Ecclesia Brugensi jus patronatus vel præsentationis numquam (ut proponitur) habuerit aut prætenderit: nullo juris colore sustineri potest, nec dicti Archiducis ex nomine Regiæ Majestatis facta hujus Canonicatus collatio: cùm donatum censeri non possit, cujus donandi potestatem non habuit qui donasse dicitur, *l. si filius C. De donat. c. Quod autem in fin. De iure patronat.* Nec ea in parte juvare possunt Titium capitula pacis per Regiam *l. decernimus C. De sacros. Eccles.* Majestatem postmodum cum certis provincijs vel oppidis stabilita; per quæ dicti Archiducis collationes confirmantur: nam continent illa apertam restrictionem ad eas, quas istarum Regionum Gubernatores facere priùs consueverunt, aut potuerunt: inter quas procul dubio referri nequeunt collationes beneficiorum vel officiorum, quæ ad Regem vel Comitem Flandriæ numquam pertinuerunt. Foret enim id valde absurdum, ut plus posset vicarius, quàm Dominus principalis, *l. Qui in ius de reg. iur.*

4 Neque etiam eidem Titio suffragari potest aliquot annorum continuata hujus beneficij possessio: nam illa violenta, & absque titulo fuit, per meram intrusionem obtenta; ut meritò ei prodesse non debeat. Ad exemplum ejus, quod per regulam Cancellariæ Apostolicæ de triennali possessore beneficij non molestando receptum est, ut locum non habeat in eo, qui per intrusionem factus est beneficij possessor, *Decius d. cons. 121. nu. 4. Lud. Gomes ad reg. De triennali posses. in princ. & quæst. 47.* Atque ita omnibus ritè perpensis existimamus jus Domini Octavij esse validum, ideoque eum alijs collatarijs præferendum, & ad realem possessionem admittendum; dicto Titio tamquam injusto possessore remoto, & præfato Sempronio non admisso.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Collatio Custodiæ.

1. *Vindicatio domino datur.*
2. *Collator beneficium ad suam collationem pertinens sibi retinere non potest.*
3. *Tabellionis scriptura fidem non meretur, nisi subscriptione & adiectione nominis proprij.*
4. *Interrogatorijs per examinatorem omissis, examen nullum est, ideoq; publicatis testibus aly produci possunt.*
5. *Instrumenta qui adversario subtrahit est in periculo amittendæ causæ.*
6. *Citatio ad certum actum vel tempus facta ad alium non extenditur.*
7. *Citatio ad unum locum facta ad alium non extenditur*
8. *Libris censualibus seu registris alicuius universitatis creditur.*
9. *Institutio arguit beneficium seu officium esse Ecclesiasticum.*
10. *Consensus cuius requiratur in separatione vel erectione Ecclesiarum.*

CONSILIVM CCXIX.

VT de re parva exiguæque utilitatis in hac causa adversus Ioannem Cloots contendit; ita quoque parum, imò nihil juris etiam in exiguo persequendo habet M. Leonardus de Greve, hujus causæ Actor. † 1
Et quidem principiò dum concludit, ut Reus à Custodia Ecclesię de Rythoeven manus amoveat, juris fundamentum nullum habet: similis enim est hujusmodi conclusio vindicationi, quæ non competit nisi ei, qui dominus est, *l. In rem actio De rei vindic.* Iam verò, ut res in proposito cadat, certum est ex propositione Actoris, eandem Custodiam ad Actorem non pertinere, eò quòd ipse tantùm prætendat jus quoddam præeminentiæ, seu prærogativæ, ac velut collationis dictæ Custodiæ; ex quo vindicatio beneficij vel officij competere non potest. † Non enim potest Collator beneficium 2
ad collationem suam spectans sibi retinere, sed velit nolit cogitur alteri conferre, *c. 1. Vt Eccles. benef. sine diminut. conferantur*; alioqui eo differente ultra tempus à jure præscriptum, potestas devolvitur ad superiorem, *c. 2. c. Quia diversitatem De conces. præben.* Cui consequens est, ut in proposito casu actor Custodiam ab alio possessam sic sibi vindicare non potuerit, sed debuisse (in quantum jus conferendi ad se pertinere existimabat) eam alicui conferre, atque illi vindicandi, persequendique potestatem relinquere: ita ut cùm de jure collationis hîc non controvertat actor, sed de ipsa Custodia, quam à Reo evacuari petit, notoriè non sit fundatus. Vti etiam obtinere non potest in ea parte, quâ postea in progressu causæ aliquem annuum censum petijt ex Custodia de Rythoeven: nam in primis ad id ab initio non concluserit, & sic nec de eo sententia ferri potest ad difformitatem sententiæ, & conclusionis vitandam, *l. Vt fundus D. Communi divid. c. Licet Heli & ibi Gloss. in V. formam De Simonia*: cùm alioqui de jure alicujus census Actor nihil probaverit.

Porrò ut etiam admittamus nihil peccatum esse 3
in modo & qualitate concludendi; nihilo tamen magis fundata erit Actoris intentio: ob id, quòd non probaverit dictam Custodiam appendicem esse parochialis Ecclesiæ de Bergheyck, in quo tamen Actor præcipuum intentionis suæ fundamentum collocavit. Etsi enim duo postremi testes deposuerint de hujusmodi connexione & annexione; nullum tamen probandi effectum habent ipsorum testimonia, varijs ex causis. Tum primò, quòd in actis non extet legitimum aliquod documentum hujusmodi eorum depositionis; puta publici alicujus Notarij subscriptionis aut signo notatum seu authenticatum, vel Iudicis alicujus sigillo sigillatum: nam quod in actis reperitur tale non est, sed tantùm sub manu privata descriptum, per partem ream nusquam in ulla parte actorum recognitum vel recognosci petitum.

scrip-

3 Scripturæ autem Notarij seu tabellionis nulla fides adhibenda, nisi adiectione proprij nominis & cognominis fuerit subscripta, *in Auth. de tabellionib. col. 5. l. 2. in verb. tabellarius non subnotavit De conven. fisci debit. lib. 10. Bald. in l. 3. C. Quando fisc. vel privatus debit. glos. in l. Generali C. De tabel lib. 10. Doct. in l. Contractus C. De fide instrum.* Sed ut constaret totam illam testificationis scripturam à capite usque ad finem, scriptam fuisse manu Notarij, nihilo tamen plus probaret aut utilis esset actor: quia licet in privatis personis parem vim habeat, sive quis scripturæ subscripserit, sive totam tantum scripserit, etiamsi non subscripserit, *l. Cum antiquitas C. De testament.* in Notario tamen ac publica persona seu tabellione idem receptum non est, sed requiritur omnò eius subscriptio, *Castren. Alex. Ias. & alij in d. l. Cum antiquitas*, atque etiam ex generali ac ubique obtinente consuetudine, imò & ex juris dispositione signum, *Felin. in c. 1. & in c. Cum tabellio De fide instrum. Imol. in l. Ad testium §. si quis De testam* sic ut ob omissam hujusmodi à jure requisitam solemnitatem, instrumentum fidem
4 non faciat. * Tum secundò, quòd prædicti duo testes sint examinati non propositis per Notarium interrogatorijs, quæ pro parte Rei quinque mensibus ante erant exhibita: est enim quod inde examinatori imputetur, cur vel dolo vel negligentia secundùm interrogatoria proposita testes non fuerint examinati, *c. Per tuas De testib. c. 2. §. testes De testib. lib. 6.* Et in proposito quidem casu proficit ista omissio non tantùm ad eum finem, ut liceat Reo etiam post publicata & didicita dicta testium, petere illorum recollectionem & interrogationem super hujusmodi interrogatorijs, *Io. Andreæ in d. §. testes Alex. cons. 172. Visis & oportunè nu. 9. vol. 2.* verùm etiam ad finem nullitatis productionis & examinis eorundem, maximè propter præcedentem protestationem, quam procurator Rei in capite & initio hujusmodi interrogatoriorum fecit, si interrogatoria omitterentur; quodque non tam negligentia examinatoris, quàm facto Actoris ista omissio contigerit. Cum enim deputatus examinator non fuerit. Notarius causæ, debebat Actor curare, ut perinde interrogatoria illi traderentur, ut articuli: ita ut quamvis negligentia Notarij non inducat nullitatem, *Alex. d. nu. 9.* negligentia tamen & factum partis producentis id operari soleat, quasi per eam Reo ista
5 commoditas sit subtracta; † sicut receptum est de eo, qui cùm parti adversæ instrumenta subtraxisse reperitur, periculo amittendæ causæ subijcitur, *l. Sub prætextu 1. C. De transact.* Potissimum hic, quia ex notulis seu terminis actorum nusquam comperiatur Reum ad productionem faciendam in loco, ubi dicti duo testes examinati fuerunt, citatum fuisse, ad quem tamen necessariò citari debuisset; adeò ut ea in parte sufficere non possit citatio ad comparendum in domo Notarij causæ facta: * quia citatio ad unum locum
6 facta, ad alium non extenditur, ut nec de hora ad horam. Ideòque aureis litteris notandum dixit Bartolus, *in l. Aut qui aliter in princ. & l. fin. D. Quod vi aut clam*, quòd quando aliquis citatur ad aliquem actum certa hora vel certo tempore faciendum, & alio tempore actus expeditur, citatio resolvatur ac non valeat, & actus sine citatione præcedente factus dici debeat; * quod equidem 7
& ad locum extendendum est, ut ad unum locum facta citatio, resolvatur & pro nulla habeatur, si alio loco actus exercetur, *Felin. in c. 1. nu. 22. De iudic.* Et sic propter defectum citationis, hujusmodi duorum testium productio & examinatio conferi debet nulla, *cap. 2. & ibi Felin. nu. 3. De testib. l. si quando in fine & ibi Doct. C. De testib.* Tertiò omissis his nullitatum tendiculis, fidem non merentur isti duo testes, quòd soli adversus alios omnes numero plures ab actore productos nimis asseveranter deposuerint de hac annexione & identitate ejusdem Custodiæ: nam alij isti deposuerunt dictam Custodiam de Rythoven esse separatum officium seu beneficium; addita bona distinctione aliarum appendicum, quas tantum matricularias de Bergeyck tamquam matrici annexas esse testificantur: quibus ea in parte potiùs credi debet, quòd magno numero alijs sint potiores, *l. Ob carmen §. si testes De testib. c. In nostra eod. tit.* & probationibus per Reum factis eorum depositio satis sit consentanea. Probavit namque Reus per extracta ex publicis Regestis Archidiaconi in rescriptione beneficiorum, separatim relatam & rescriptam esse hanc Custodiam, non ut appendicem, sed seorsum & per se, sicut alia beneficia intra limites
8 dictæ Ecclesiæ de Bergeijck fundata. † Quibus Regestis fides adhiberi debet, tum quòd publica sint, scripta ab his, qui publico munere funguntur, uti de jure fides adhibetur libris censualibus Capitulorum & aliarum universitatum, *l. Census De probat. c. Ad audientiam 1. & ibi Felin. ac alij de rescrip.* tum quod Actor ipse ad rescriptiones Curati de Bergheyck sese retulerit in eo quod Ecclesia de Rythoven sit appendix Ecclesiæ de Bergheyck. Confirmantur præmissa ex diversis præsentationibus & institutionibus diversorũ, qui ad dictã Custodiã ab immemoriali tempore per continuam serie per Pastorem seu Curatum de Bergheyck præsentati & in ea instituti sunt: * Inde enim præsumptio 9
annexionis discutitur; quia institutio arguit beneficium seu officium esse Ecclesiasticum, *c. 1. De reg. iur. lib. 6.* & specialis præsentatio Curati excludit potestatem Custodis. Ita ut cùm novissimè vacanti dictæ Ecclesiæ eo modo sit provisum per præsentationem Curati, & institutionem Archidiaconi, & antecedentes provisiones & institutiones sint illi conformes, nulla prolata provisione vel institutione majoris Custodis; nunc quoque in persona Rei id sit servandum, excluso Actore, *c. Consultationibus De iure patron.* Et sanè si stante adhuc annexione appendicis Ecclesiæ de Rythoven dicta Custodia fuit separatum beneficium à Custodia de Bergheyck; nunc quoque facta separatione multò magis eodem jure censeri debet; & si tunc jus conferendi ac providendi dictæ Custodiæ penes Custodem non fuit, multò minus nunc esse debet. Detrahit enim plerumque, non adijcit separatio divisio, ac dismembratio Ecclesiarũ. Vnde frustrà disputatur de separatione Custodiarũ & ejus nullitate; frustra item de non requisito consensu Custodis de Bergheyck in dicta separatione Ecclesiæ de Rythoven à matrice Ecclesia de Bergheyck; cùm ejus non interfuerit: & in consequentiam

consequentiam separatæ Ecclesiæ, non fuerit inducta separatio Custodiæ iam antea multo tempore separatæ, seu potiùs numquam unitæ. Neque quicquam pro interesse Custodis de Bergeyck fundando facit, quod olim cum vtriusque Ecclesiæ connexio ac unio staret, Custos matricis Ecclesiæ in administratione primi & ultimi sacramenti aliquid commodi solet percipere: nam id tantùm pro opera personali præstabatur, non iure beneficij seu officij; quod inde colligitur, quod ante dictam separationem Ecclesiæ, non comparente Custode cùm Curato, nihil exigi poterat nomine Custodis; uti testes Actoris liquido deponunt. Ita ut cessante causa huius perceptionis, hoc est opera & ministerio, cessare quoque debeat emolumentum, *l. Eum qui iuravit in princ. & ibi Bart. & Tas. De iureiur.* Et quamvis operæ subeundæ occasio sic sit præcepta Custodi matricis Ecclesiæ; id tamen ad ius eius referri non potest, sed tantum ad fortuitas obventiones. * Et toto tælo errat Actor, dum in separatione vel nova erectione Ecclesiarum, etiam Custodis consensum requiri putat; id enim iure nusquam constitutum est, satisque est, si pro honore & prærogativa Ecclesiæ matrici seu illius Curato ex nova & separata Ecclesia per Episcopum aliquid reservetur, *c. Ad audientiam 1. & ibi gloss. & Panor. in fin. De Eccles. ædif. Petrus Rebuff. in praxi benef. parte 1. sub titul. De erect. in curatum.* cum alioqui Episcopus etiam citra Curati consensum, & sine ea reservatione ex justa causa separationem hanc facere possit, *Panor. in d. c. Ad audientiam nu. 16. argumento Clement. 2. De rebus Eccles. non alien.* Sed supervacuo labore de hoc disputatur, cùm, ut diximus, separatio nulla facta sit Custodiarum, quæ numquam unitæ vel conjunctę fuerunt. Eò itaque res recidit, nihil solidi esse, unde Actoris petitio sustineri aut probabilis effici possit; nihilque occurrere, cur Reus ab Actoris impetitione absolvi, & Actor Reo in omnibus expensis ambitiosæ litis condemnari non debeat.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Collatio beneficij per turnum.

1. *Collatio ad Capitulum pertinens singulorum non est.*
2. *Turnus non mutat collationis potestatem.*
3. *Exspectativa ad collationem Capituli concessa extenditur ad turnarij collationem.*
4. *Collatori Ecclesiastico variare non licet in sua collatione.*
5. *Error communis ius facit.*
6. *Error communis ubi toleretur.*
7. *Collatio vltima inspici debet.*

CONSILIVM CCXX.

FACTI species pro parte honorandi Domini Rumoldi Rayneri sacræ Theologiæ Licentiati proposita, elegantem ac subtilem habet tractationem, quoad eum articulum, num collatio parochialis Ecclesiæ beatæ Mariæ Civitatis Mechlinienſis per Venerabilem D. Antonium Couthout Archiepiscopalis Ecclesiæ Mechlinienſis Canonicum, dicto Domino Rumoldo facta, rata & valida sit? Nam quamvis altiorem indaginem habeat, num verè commissus sit error in nuncupando Dominum Antonium ad turnum conferendi; hoc tamen verum est, præsupposito etiam hujusmodi errore, nihilo magis injustam aut invalidam esse hujusmodi collationem, quam idem Dominus Antonius in designato, & ex totius Capituli consensu deputato sibi turno fecit. † Constat equidem quod cùm 1
ad Collegium seu Capitulum aliquod pertinet alicujus beneficij collatio, singulorum Canonicorũ non sit collatio, sed omniũ coniunctim; sic quòd unius collatio sine alijs non valeat, *Panor. in c. Cum Ecclesia De elect.* Sed quia facilis & proclivis est inter multos dissensio, *l. Item si unus §. principaliter De recep. arbitr.* obtinuit quòd Capitula ex statuto vel consuetudine vicarium deligant, qui vice totius Capituli conferat, *Philip. Francus in c. fin. nu. 1. De præben. lib. 6.* aut turnum constituant, quòd singuli Canonici per ordinem & singulas septimanas aut menses conferant, *d. c. fin. & ibi Francus nu. 3. in fine c. Cum in illis eod. tit. lib 6.* * quo quidem casu etiamsi vicarius vel Canonicus hebdomadarius conferat, collatio tamen non dicitur esse illius Canonici, in cujus turnum cadit vacans beneficium, sed totius Capituli; quasi turnarius seu hebdomadarius Collator vice & ex 3
mandato Capituli conferat. † Indeque est, quòd si exspectativa gratia alicui concessa sit ad collationem alicujus Capituli, vigore ejusdem acceptari possit beneficium vacans ad collationem turnarij seu hebdomadarij, quia ad turnarium pertinet non proprio nomine, sed contemplatione & vice Capituli, *d. c. fin. & ibi Domin. nu. 7. & Francus, Rota decis. 119. Nota quod ubi aliquis, aliàs est 4. sub tit De concess. præbend. in antiquis.* Sic quod hujusmodi jus hebdomadale seu turni sit variabile ad nutum Capituli; possitque etiam per alios de mandato Capituli exerceri, *Domin. d. nu. 7.* ideoq; oporteat magis inspicere mandatum, ordinationem, seu deputationem Capituli, quam ipsius hebdomadarij.

Quo constituto, dicimus errorem, qui D. Antonio hebdomadario objcitur, quasi non ipse, sed alius hebdomadarius pronuntiari debuisset, dicto M. Rumoldo nihil obesse: obid, quòd collationem habere censeatur ipsius totius Capituli, factam & explicatam per dictum D. Antonium, velut instrumentum ex speciali mandato & jussu ipsius Capituli, per dictam pronuntiationem more solito in pleno Collegio dato & facto. Ita ut verissimum sit, Capitulum semel contulisse, & nominando alium hebdomadarium, 4
non potuisse hunc utiliter alteri conferre; * quia post collationem variare Collatori & præsentatori Ecclesiastico non licet, & ne quidem ante collationem admissam vel confirmatam per Canonicam institutionem, *c. Cum autem & ibi Panor. De iure patron. Cardin. in Clem. De supplen. neglig. prælat. Ioan. Monachi in d. c. fin. nu. 6. De præben. lib. 6.* Quod tanto potentius obtinere debet; ob id, quòd nihil curandum sit, quem Capitulum ad collationes occurrentes faciendas nominaverit, sive Canonicus fuerit, sive non, *Doct. in d. c. fin.* quia debet sibi Capitulum imputare, quod in nominando & pronuntiando turnarium seu hebdomadarium erravе-

rarerit; præsertim cùm per hunc idoneo facta sit collatio, & communis omnium Capitularium opinio ea in parte jus faciat, & erroris effectum detergat *l. Barbarius D. de offic. prætorum*, potissimum quia error antiquiorem causam habere dicatur, hoc est non nunc primum in persona D. Antonij, sed calculo repetito retrorsum in antecedente undecimo mense, in quo dicitur error commissus, & ad hanc pronuntiationem seu ordinationem D. Antonij continuatus, ac nunc primùm ex occasione hujus litis, atque nimia Domini Decani hanc collationem subvertere studentis, diligentia ac scrupulositate detectus; ita quod error propriè dici non possit subesse in dicto novissimo D. Antonij turno, sed si quis fuerit, is constituendus sit in illo, in cujus persona ab hinc undecimo mense erratum fuit, qui huic collationi obesse non debet; † quia continua aliorum hebdomadariorum constitutione per tot sequentes hebdomadas 5
sine alio errore detersus omninò est; sic ut error communis omnium Capitulariorum nemine umquam contradicente jus fecerit, *Panor. in c. Consultationibus De jure patronat.* exercitâ potissimùm possessione virtute hujusmodi pronuntiationis non tantùm per eos, qui simili errore medio tempore nominati & pronuntiati hebdomadarij contulerunt, verum etiam per eundem hunc Dominum Antonium, qui ex tribus beneficijs vacantibus per obitum Domini Ægidij Leught in dicta Ecclesia vacantibus duas Capellanias ante Collationem de dicta parochiali Ecclesia justo intervallo antea fecerat; quas collationes dictum Capitulum admisit, & institutione confirmavit: sic quod admittenda quoque sit prædicta subsequens collatio de dicta parochiali Ecclesia virtute ejus- 6
dem turni facta; † non obstante dicto errore non proximo aut propinquo, sed remoto, causante (siquis fuit) non simplicem, sed communem errorem, qui in his, quæ non privato, sed publico seu alieno nomine geruntur, facilius toleratur, *Cardin. in d. Clem. vers. ad prioratus nu. 10.*

7 Atque inde est, quòd si quis ad collationem seu præsentationem alicuius, qui credebatur patronus licet erronee, institutus fuerit occurrēte vacatione novâ, si idem putativus patronus denuò contulerit, admittendus omnino & instituendus sit secundus collatarius, propter præcedentem juris conferendi possessionē, *d. c. consultationibus & ibi Panor. nu. 3. Nicol. Everardi Præses consil. 132.* Sic ut in proposito casu ex conjunctione multorum sustineri omnino debeat hæc præfati D. Antonij collatio, & ex alterius turni assignatione, post collationem facta nullatenus revocari; videlicet quia hic error, siquis sit, ab antiquo causam trahat, & per multas continuationes sit detersus & oblitteratus; quia communis sit; quia non ratione juris sui, sed nomine Capituli hanc collationem D. Antonius fecerit; quia ex hoc suo errore nullum lucrum sentiat aut sentire possit; & denique quia non tantum putativus hebdomadarius seu turnarius fuerit, verum etiam in possessione virtute ejusdem turni conferendi, *Card. d. nu. 10 Panor. in c. Consultationibus.*

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Turni consumpti in collationibus beneficiorum.

1. *Pontifex præcedenti sua provisioni derogare non censetur.*
2. *Vices alterius nemo occupare debet.*
   Nominatio collatoris manus ligat.
3. *Collatio in præjudicium provisionis Papalis est nulla.*
4. *Clausula decreti irritantis etiam ignorantes ligat.*
5. *Resignatio in favorem facta in manibus Papæ, comparatur resignationi ex causa permutationis.*
6. *Collator impeditus in turno non amittit turnum.*
7. *Collatori vacare non dicitur qui libere non vacat.*

CONSILIVM CCXXI.

CAPELLANIA quædam in fundatione, statuto, vel consuetudine pertinet ad alternativam vicissitudinariamque collationem Domini temporalis loci pro una, & Capituli pro altera vicibus, & per certa concordata Dominæ Margaretæ Comitissæ Flandriæ ante ducentos annos constitutum fuit, quòd quòties Pontifex liberè alicui confert in turno Capituli, hujusmodi collatio consumat turnum & vices Capituli. Novissima collatione occurrente turnus fuit Domini temporalis, qui de ea Capellania providit cuidam Hugoni. Hic Hugo deinde eam resignavit in manibus Papę in favorē cujusdā D. Meurchini, qui D. Meurchinus ulterius eam permutavit cum Laurentio Lotio. Inde occurrente vacatione per mortem dicti Laurentij in his partibus defuncti Capitulum contendens suas esse in conferendo vices contulit istam Capellaniam Ioanni Morellis; Dominus verò temporalis contulit eandem D. Iacobo Charlier: concurrit nominatus per Vniversitatem Lovaniensem; concurrit & alius quartus, cui Per Pontificem Capellania collata est.

Quæritur quis hic sit potior? Paucis respondetur, quartum ne colorem quidem juris alicujus habere; quia semper eum vincit vel nominatus, si vices Capituli fuerunt, * ob id, quòd nomi- 1
natus etiam nitatur gratiâ Apostolicâ, & quidem anteriore, cui non præsumitur Pontifex derogare voluisse, *c. Ex tuarum De author. & vsu pallij.* vel præsentatus per temporalem Dominum, propter jus patronatus laicale, cui etiam Papa non derogavit, nec derogare voluisse præsumitur, *c. 2. & ibi doct. De præben. lib. 6.* Is quoque qui à Capitulo collationem ordinariam habet jure destituitur.

Nam si vices conferendi fuerunt in turno Do- 2
mini temporalis, nulla est collatio Capituli; quia nemo in jus aut vices alterius manum mittere debet, *l. Vnicuique c. De prox. sacror. scrin. lib. 12. Angelus cons. 111. Ordo consuetudinis*: sin verò Capituli fuerunt vices, semper potior est nominati conditio, propterea quòd manus Capituli, ad cuius collationem nominatio facta est, per nominationem ligatæ fuerint, & nulla alteri quàm nominato acceptanti pro ea vice, conferre potuerit. * Sic quod ista collatio in præjudicium re- 3
servationis Papalis omninò fuerit nulla, *c. Si be-*

neficia

neficia c. Si postquam De præben. lib. 6. Zabarella con-
4 *sil.* 104. *Post redditum.* † potissimùm proprer vim & effectum decreti irritantis Bullæ nominationis inserti, quod etiam ignorantes afficit, *Panor. in c. Dilecto De prebend. c. Tibi qui §. quinimo De rescript. lib. 6.*

Residet ergò quæstio & controversia tantùm inter nominatum ac præsentatum per Dominum temporalem ; & totius quæstionis status in eo hæret, cuius fuerint vices tempore mortis Laurentij Lotij novissimi possessoris hujus Capellaniæ? Vt paucis, quamvis multa in utramque partẽ dici & adferri possent, defungamur, dicimus vices fuisse dicti Capituli; ob id quòd novissima libera vacatio & conferendi potestas fuerit dicti Domini temporalis, quam etiam consumpserit conferendo supramentionato Hugoni, postquam hucusque nulla occurrit vera vacatio, quâ Capitulum vices suas exercere potuerit. Nam duæ sequentes in eorum manus non inciderunt : quòd prima fuerit facta in manibus Pontificis in favorem D. Meurchini, sequens verò ex causa permu-
5 tationis. † Quæ enim in favorem alicujus ad manus Papæ sit, libera non est ; cùm eam legem sibi dixerit, ac necessitatem sibi imposuerit Papa, ut ei soli, in cujus favorem facta est resignatio, conferri debeat beneficium, & alteri conferri non possit. *Doct. in c. Ex parte 1. De offic. deleg.* Et quæ ex causa permutationis, etiam in manibus ordinarij Collatoris, occurrit vacatio, adiunctam habet necessitatem conferendi compermutanti, & minimè facultatem conferendi, cui Papa vel ordinarius vult, *Clem. 1. De rerum. permutat.* Vnde cùm nulla harum duarum vacationum pertinuerit ad Capitulum, necessariò hæc tertia pertinere debet ; ut vicissitudo servetur, & ex impedimentis illis damnum aut præjudicium juris sui non
6 patiatur dictum Capitulum; † cùm generaliter verum, sit quòd quoties Collatori incidit vel occurrit impedimentum aliquod sine sua culpa, Collatori semper maneat jus suum salvum, *c. Ne pro defectu De elect. c. Quia universitatem De concess. præb. c. Si electio De elect. lib. 6. Gloss. Pragmat. sanct. tit. de collat. §. Itẽ quod omnia in V. faciendi*; quod authoritate Rotæ Romanæ in hujusmodi alternativa seu vicissitudinaria duorum Collatorum facultate conferendi apertè, & in individuo decisum est, *Rota decis. 190. Nota quod ubi ex statuto alias 21. De præb. in antiq. Cassadorus decis. 10. nu. 3. de concess. præben.* Vt enim turnus seu vicissitudo consumatur, necesse est, quòd occasio conferendi Collatori oblata sit ; cùm quod ad manus Collatoris non vacat, conferri non possit, *c. 2. De concess. prebend.*

* nec vacare dicitur Collatori propriè, nisi cùm
7 ipsi libera conferendi est facultas. Quamobrem ex causa compermutationis ad manus Ordinarij facta resignatio propriè non juducit modum vacationis, per quem turnus consumatur: quia licet voluntaria sint omnia quoad ipsos compermutantes; nulla tamen est libertas quoad ipsum Collatorem, qui non cui ipse, sed cui velint permutantes, conferre debet, *d. clem. 1. Rota decis. 23. Fuit dubitatum utrum beneficia alias est 1. D. rer. permut. in novis.* Proinde quamvis in dictis concordatis cautum sit, quòd quoties Pontifex liberè alicui confert, transeant vices Capituli ; per neutram tamen prædictarum vacationum aut collationum vices Capituli consumptæ aut transijsse dici possunt, quia neutra fuit libera: altera ex resignatione in favorẽ; altera ex causa compermutationis: cùm utroque casu dixerimus necessariam, non voluntariam esse collationem. Nihil etiam obstante, quod Papa in collatione ex priore illa resignatione in favorem derogaverit juri Capituli : quia Capituli nullum jus fuit, in quo vices aliquas hujusmodi derogatoria verba operari possint; ob id, quod in urbe tunc illa vacatio contigerit; ex cujus generis vacatione nemo Ordinarius conferre potest, propter reservationem Papalem per suas regulas Cancellariæ factam. Et ut aliqua vis in eo constitui posset, effectum tamen non haberet ea derogatio: od id, quod proponatur procuratam esse per Dominum temporalem ad sic consumendum turnum & vices Capituli. Cùm ergo vices Domini temporalis tempore hujus vacationis, ex qua ad hanc Capellaniam contenditur, non fuerint, nihil quoque juris prætendere potest præsentatus per Dominum temporalem : & sic solus relinquitur nominatus Lovaniensis, qui in obtinenda hac Cappellania omnibus debet præferri.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Turni consumptio.

1. *Permutata beneficia compermutantibus conferenda.*
   Beneficia resignata simpliciter in favorem tertij, in manibus Papæ alij quam tertio Papa conferre non potest.
2. *Casu mixtus cui ex simplicibus accedat.*
3. *Resignatio ex causa permutationis an sit libera.*
4. *Reservata beneficia quãdo ordinarius conferre possit.*
5. *Signatura nudæ quando standum.*
6. *Beneficium Monoculare.*

CONSILIVM CCXXII.

SÆPIVS ad incudem redit causa beneficialis, quæ est inter D. & M. Ioannem de Ravenstein Opponentem, de & super Capellania de Rinneval; in qua non obstantibus, quæ in prima instantia pro assertione boni juris dicti Opponentis scripsimus, idem Opponens contrariam retulit sententiam: quæ quoniam appellatione interposita, retractabilis est, *l. 1. D. De appellat.* ad novum scribendi latiusque confutandi ea, quæ tam in prima quàm secunda hac instantia, ex adverso allata esse deprehendimus, nos incitant. Et sanè principiò adhuc in eo persistimus, Apostolicam illam provisionem, ex qua Alexander le Blancq per resignationem Hugonis Ruffoult nititur, etiamsi hæc veram vacationem beneficij momentaneam induxerit, non consumpsisse turnum seu vices ordinariæ collationis ad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Insulensis ea vice spectantis ; ideoque illas adhuc stetisse, occurrente alia proxima libera collatione ; & per consequens hujusmodi vacationem jure indulti nominationis pertinuisse ad dictum Opponentem, utpotè legitimè ad collationes dicti Capituli nominatum : idque ex ea quam prius etiam adduximus ratione, quòd vacatio ex causa simplicis

resignationis in favorem tertij in manibus Papæ facta, effectum habeat resignationis ex causa permutationis in manibus inferioris facta, quoad eum in cujus manibus facta est resignatio.

1 Nam quemadmodum cum ex causa permutationis facta est, nulli alij quàm compermutanti sive à Papa sive ab inferiore conferri potest, *c. unico De rer. permutat. lib. 6. Clem. 1. eod. tit.* ita nec in manibus Papæ simpliciter facta resignatio in favorem tertij, Papa alij quàm illi tertio conferre potest, *Guilel. Cassador. decis. 3. n. 1. De renunt. Panor. in c. Vniversorum De rerum permut. Quintil. Mandos. De signaturæ gratiæ tit. De resignationib. seu cessionib.* eo quod hujusmodi resignatio planè simplex non sit, sed causata & qualificata; quæ ob id simplicis resignationis appellatione non continetur. Qualitas enim adiecta, rei velut aliam speciem constituit, *Hyppolit de Marsil. singul. 520. Qualitas*; ideoque vel per se stare debet, vel deflectere ad naturam resignationis ex causa permutationis; quæ quamvis vacationem inducat, liberam tamen non inducit, *d. Clem. 1.* Vtrumcumque autem horum dixeris, semper in tuto manet dicti Capituli turnus: nam si dixeris simplicem non esse resignationem (quod propter prædicta fateri necesse est) non potest dici ad Capitulum pertinere ejus collatio; quia in concordia, duo tantum vacationis modi, per mortem scilicet, & per simplicem resignationem, Capitulo attribuuntur; & dum de simplici dumtaxat resignatione sic cautum est, necessario consequitur sub ea non contineri qualificatam; qualis procul dubio est, quæ sit in favorem tertij; concordiamque ea in parte non loqui; quia nullum interest inter simplicia & qualificata, *l. Fulcinius §. cum hoc & ibi Bart. Quibus ex causis in possess. eatur*: sin verò ad instar resignationis ex causa permutationis habeatur (ut vere haberi potest respectu habito ad restrictam libertatem conferentis, *d. Clem. 1. De rer. permutat.*) jam disertè eximitur hæc vacationis species per expressa dictæ concordiæ verba, quibus cavetur, quòd nulla permutatio turnum consumat; nimirum ob nullam aliam rationem, quàm quòd permutatio liberam vacationem & collationem universaliter non inducat: itaque propter rationis identitatem, idem quoque jus statui debet, *l. Illud D. Ad leg. Aquil. l. 1. §. 1. De fonte*, non diversum induci, ubi diversa ratio reddi non potest, *l. 1. §. 1. De iniusto rupto irrito facto testam.* Et si neutrum horum duorum dici potest (quod pars adversa aliquoties inculcare videtur, dum objcit concordiam hanc, ut regulariter omnes trãsactiones, stricti juris esse, ideoque verba dictæ concordiæ, quibus cavetur quod omnis permutatio locum non sit habitura stricte accipienda ut non extendantur ad resignationem in favorem, quia inter se specie multum differant) hoc saltem fatendum est, de hac specie nihil in dicta concordia cautum inveniri; quia qua ratione separata & excluſa dicitur à resignatione ex causa permutationis, eãdem separata dici debet à simplici resignatione, nec sub ea comprehensa censeri, cum non simplex sed qualificata sit, & sic per se stare debeat, ideoque vel propriam naturam sub dicta concordia non comprehensam habere, vel deflectere in alterã illarum duarum, qua cum rationis similitudine & effectus paritate magis conjungitur. * Exemplo ejus 2
quod traditur de casu mixto trahendo ad eum, de cujus natura magis participat, *Doct. in l. 2. D. De verb. obligat.* Conjungitur autem magis cum resignatione ex causa permutationis, quam cum resignatione simplici in eo (quod in proposito maximè expenditur) quia scilicet non inducit liberam vacationem, *d. clem. 1.* etiamsi libera dici possit resignatio; ut etiam libera est, quæ est ex causa permutationis. Proinde nec hoc verum est, quod ex adverso sine juris fundamento assumitur, quod simplex resignatio opponatur dumtaxat illi, quæ sit ex causa permutationis, & sic sub se contineat omnem alium vacandi modum præter permutationem; cum opponatur omni quæ simplex non est, sed qualificata: qualis perinde est, quæ sit in favorem tertij apud Pontificem, ut quæ ex causa permutationis apud quemcumque. Nec sanè dubium est, quin si transigentes tempore transactionis de hoc casu cogitassent, vel interrogati fuissent, illum perinde expresse excepturi fuissent, ut permutationem: cum perinde eo commento, ut per permutationem Ordinarij Collatoris libertas impediatur. Eâdem ratione refellitur (in quo pars adversa pedem figit) quod in provisione Alexandri dicatur hoc beneficium vacasse per liberam resignationem Hugonis; inde enim inferri non potest, quod vacaverit ex causa simplicis resignationis: quia libertas illa referenda est ad hoc ut non dicatur facta per vim coactè aut metu;

† nam & ex causa permutationis facta resigna- 3
tio libera dici potest, & in usu, praxi, stylo beneficiali, *liberæ resignationis* appellatione etiam satis continetur vacatio ex morte, *Ioan. Staphil. in signat. gratiæ tit. de variis modis vacat. §. modo pro declaratoria, Rebuff. in prax. benef. lib. 1. tit. de forma signaturæ ad verb. sive per liberam resignationem.* Id quod Bulla provisionis dicti Alexandri etiam explicat per subiecta verba, *in manibus nostris sponte factam*; quæ ut explicativa sunt dictorum verborum antecedentium *per liberam resignationem*, ita & minimè superflua aut inutilia: ut evidentissimum sit magnum discrimen esse inter simplicitatem resignationis, & inter illius libertatem: cum libertas consistat in causa, simplicitas verò in modo. Et quâ non fuerit hæc resignatio libera eo sensu, quo pars adversa eam accipit, & sic minimè simplex, deprehenditur primũ ex ipso procuratorio faciendæ hujus resignationis, atque item ex ipsa signatura, per quam Alexander hoc beneficium obtinuit; nimirum quod sit ex resignatione in ipsius favorem, & non aliàs nec alio modo facta, idque adhuc per interventum promissionis & reservationis pensionis non alicujus certæ summę pecuniarię, sed omnium fructuũ & emolumentorũ dictę Capellaniæ, ad opus ipsius Hugonis sic resignantis. Quæ sanè resignatio multo magis qualificata & restricta est, quàm quæ sit ex causa permutationis; imò & fraudibus apertis magis expolita est. Quis enim, cui aliquis sensus est, nõ videt hujusmodi resignationis modũ practicatũ esse in evidentẽ fraudem seu defraudationẽ collationis dicti Capituli, ut occurrente proxima vacatione, patrono laico hęc procuranti jus conferendi esset, & per talem resignationem Capituli turnus velut per provisio-

nem

nem Apostolicam consumeretur? quod quia summam captionem continet admitti non debet, *arg. l. Circa in fine De probat. à contrario sensu*, frivolumque & ineptum plane est dicere, resignationem in favorem pro simplici accipi, quasi rejecta conditione, quam jus improbat & pro rejecta habet. Id quidem verum est si resignatio fiat sic in manibus Ordinarij, apud quē alia fieri non potest, nisi pura & simplex; exceptâ solâ causâ seu conditione permutationis: sed si in manibus Papæ sic fiat resignatio inutilis non est nec rejcitur, sed inducit necessitatem sic providendi; ut jam aliquoties dictum est, *Doct. in c. Ex parte De off. deleg. Lud. Mandosius in tit. De resignat. & renunt. vers. in resignationibus.* Nec adversario hac in re patrocinatur, quod in provisione Alexandri, si non expressè, saltem tacitè facta sit mentio turni Capitulo competentis per hoc quod in ea adjecta sit declarativa clausula, quod pro ea vice non fuerit turnus patroni laici: nam quemadmodum si id etiam expressius dictum fuisset in resignatione ex causa permutationis, nihil noceret Capitulo (quod extra dubitationem est) ita quoq; ex simili ratione nocere non debet in resignatione qualificata in favorem tertij; quia æquiparatorum & quorum eadem est ratio, idem quoque jus esse debet, *d. l. Illud C. Ad leg. Aquil. l. 1. De leg. 1. Bart. in l. 2. in fine De leg. 2.* Nam hujusmodi Papæ provisio non tendit directè ad privandum ordinarium Collatorem suo turno, nec ad illum præveniendū; sed ad se accommodandum voluntati sic in favorem tertij resignantis; ita ut hujusmodi provisio non tam sit liberalis, quam necessaria: in necessitate enim nemo liberalis præsumitur, *l. Rem legatam De admen. leg.* Et diligenter inspiciendo ac excutiendo verba hujusmodi, apertè deprehenditur Papam declarasse, quòd pro ea vice ex hac resignatione Hugonis occurrens vacatio, nullo modo spectaverit ad Capitulum, sed tantū ad Sedem Apostolicam, per hæc verba, *nullusq; de illa præter nos hac vice disponere potuerit sive possit.* At verba concordiæ hoc apertè continent, quòd provisio seu collatio Papæ Capitulo nocebit, ejusq; turnum consumet, si hæc Capellania conferatur per impetrationem Papalem eo tempore quo erit in præsentatione & turno Capituli: non etiam simpliciter dictum est de solo turno, sed conjuncta oratione, *de turno & præsentatione Capituli*; ita quòd alterius eventus non sufficiat, sed requiratur concursus utriusque, *l. Si hæredi plures De condit. instit.* At in proposito constat nullam fuisse Capituli præsentationem; ut apertè indicant dicta Bullæ declaratoria verba, & juris ratio id exposcit, *d. c. 1. De rer. permut. lib. 6. Clem. 1. eod. tit.* Quamobrem absurdum est, quod ex adverso adducitur, per hanc Hugonis resignationem ita vacasse Capellaniam, ut præsentationi ipsius Capituli potuerit esse locus: nam id minimè verū est, & reservationis ejus, quod Capituli alioqui futurum erat, nulla hic est consideratio, sed conditionis ipsius resignationis, quæ talem modum vacationis inducit, ut quisquis rei sit eventus, ad Capitulum numquam pertinere potuerit collatio, neque jure primario, quia id noluit resignans, & sic admisit Pontifex; neque secundario ex neglecta provisione seu devolutione, quæ à superiori ad inferiorem numquam fit, *Rebuff. in Praxi benef. lib. 1. De devolut.* † Cùm alioqui in alio modo seu genere vacationis, cùm ad Ordinarium spectat jus collationis seu præsentationis, impeditum tamen aliqua Papali reservatione, fieri possit, ut Ordinarius aliquo casu adhuc conferat, si Papa in conferendo seu providendo fuerit negligens, *c. Statutum De præben. lib. 6.* quòd dici non potest in vacatione contingente ex hac causa resignationis ex permutatione, vel in favorem: alterius enim generis reservationes tantum limitantur & restringuntur ad tempus, quo elapso Ordinariorum manus ligatæ resolvuntur; hæc verò ex causa hujusmodi resignationis initio obstat, & acquisitionis seu obtinendæ vacationis occasionem præscindit; ita ut in hoc modo non sit propriè reservatio, nec ademptio, quæ non intelligitur nisi illius quod ei, cui adimitur semel datum fuit seu competit, *l. Legata inutiliter in fine, l. Legatum nulli D. De adim. leg.* sic quod ex temporis cursu ordinariæ manus nihilo fiant liberiores.

4

Atque ita fit, ut quoquò res vertatur, manifestissimum esse putemus hanc vacationem ex causa resignationis in favorem, præsertim in concursu tam multarum circumstantiarum, nec feciisse vacationem aliquam, nec locum præsentationi dicti Capituli, nec denique illius turnum tunc stantem consumpsisse.

Illud prætermittendum non est, Impetrantem non sine causa vehementius & operosius oppugnare usum supramentionatæ signaturæ, quæ continet originem provisionis dicti Alexandri, in qua Impetrans fundat originem consumptionis turni Capitularis; quasi scilicet fides ei adhibenda non sit, nec secundùm illam judicandum, sed tantum secundum expeditas Bullas. Quod sanè ita facit ut apertè confirmet, quod paulò ante attigimus, de fraudulenta & captiosa machinatione in præjudicium turni Capitularis per commentum hujusmodi resignationis in fraudem explicatis omnibus illius fraudis circumstantijs. Cæterùm quod ex regula Cancellariæ Apostolicæ, *De non indican. iuxta for. supplicat.* putat illi standum non esse, errorem continet: etsi enim secundum nudam signaturam judicandum non sit, nec illi standum pro commodo Impetrantis; contra tamen ipsam impetrationem, & ad alios juris effectus, & præsertim ad probandum illius impetrationem & præcedentem veram vacationem, utique fidem plenam facit. *Rota decis. 332. Licet Romana quæ est 27. sub tit. De rescript. in novis.* Et in proposito dubitationem tollit instrumentum præcedentis constitutionis, ad sic resignandum & consentiendum in reservationem omnium fructuum loco pensionis; quæ est vera cauponatio & nundinatio ipsius patroni Laici, & præfati Hugonis, nec non Alexandri eorum huic machinationi subservientis.

5

Noviissimè (ne hæc incautos fallat) nihil cu- 6
randum est, quod de monocularitate hujus beneficij objcitur; quasi scilicet illud sub nominatione non comprehendatur, *Rebuff. in tract. nominat. quæst. 15. num. 41.* nam ut id verum esse possit, respectu patroni Laici, ad cujus collationem Opponens nominatus non est, cujusque collationem interturbare non laborat; verum tamen non est respectu dicti Capituli, ad cujus collationes Reus nominatus est, cujusque beneficia & collationes hic intueri oportet. Habet enim dictum

ctum Capitulum plurimorum beneficiorum collationes; quod ad excludendam monocularitatem sufficit. Quamvis interim verum sit, ita concetam esse bullam nominationum, ut etiam monoculare sub ijs comprehendatur per adjectam generalitatem clausulæ, *Quodcunque & qualiacunque &c.*

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Mandatum de conferendo.

1. *Posteriora derogant prioribus.*
2. *Mandata stricte accipienda.*
3. *Mandatum de conferendo præbendam non extenditur ad mediam præbendam.*
4. *Mandatum de conferendo beneficio pertinet ad primam vacationem.*
5. *Verba cum effectu accipienda.*
6. *Turnus non consumitur per impedimentum.*
7. *Vacare alicui beneficium quando dicatur.*
8. *Clausula decreti irritantis in beneficialibus ligat etiã ignorantes.*
9. *Gratia maculata quo modo purgari debeat.*
10. *Mandato de conferendo quando gravetur ordinarius Collator.*
11. *Prioritas tẽporis in collatione beneficiorum attendenda.*
12. *Mandatum de providendo certæ personæ de proximè vacaturo an valeat.*
13. *Procurator falsus nec dominium nec beneficium acquirit alteri.*
14. *Mandatum de providendo an post collationem mandatarij effectum habeat.*
15. *Obligatio non nascitur, quando lex resistit.*
16. *Dominus procuratorem in executione mandati præverire potest.*
17. *Variatio non permittitur in collatione beneficij.*

CONSILIVM CCXXIII.

QVAMVIS Domino consulenti parum utilis futura erit resolutio illius quæstionis, an Collatoris mandatarij variatio circa collationem ter repetitam in persona Titij permittenda sit, sic ut saltem jus acquiri potuerit Titio in Canonicatu tertio loco collocato per dictum mandatarium; propter adversantem ei juris dispositionem circa articulum specialis mandati de conferendo primo vacaturo Canonicatu: ut tamen diligentiam nostram ei comprobemus, & dispicere possit, num ex facto aliquid adferri possit, quo articulus ille hic in tractatione posterior (nam alioqui re prior est) aliam faciem accipiat, non pigebit illius quæstionis discussionem suscipere; pòst totius facti veram (ut putamus) decisionem subiecturi.

1 Et in primis hoc indubitatum est, illud speciale mandatum, quod ab ordinario Collatore datum in instrumento nobis exhibito continetur; si intus non haberet aliud vitium (de quo postea dicemus) potentius futurum mandato generali, quod idem Collator priùs alteri dedit: & quidem non tantùm quia tempore posterius fuerit, & posteriora derogent prioribus, *l. Divus §. licet D. De iure codicil.* sed etiam quia strictius sit & specialius, cùm in toto jure per speciem generi derogetur, *c. Generi De iur. lib. 6.* etiamti de generali mandato nulla fiat mentio, *c. Dudum, cap. Quamvis tibi De præben. lib. 6 Decius consil. 664. Vsjo elegantiæ n. 9.* Vt proinde ea ex parte collatio, de qua quæritur, vigore hujus specialis mãdati facta collabi nõ possit.

Sed nec ex illo capite labetur, quòd hoc mandatum speciale, sit tantùm de beneficio tunc 2
proximè vacaturo; ita ut ad sequentes vacationes post primam referri non possit; quasi scilicet hujusmodi mandata strictam admodum interpretationem recipiant, *c. Cum in illis §. penult. De præben. lib. 6.* sic ut cùm injungitur provideri alicui de præbenda certi valoris, in præbenda minoris valoris mandatum non possit adimpleri; † & si de 3
integra præbenda mandatum sit datum, dimidia præbenda conferri non possit, etiamsi ille contentus sit, pro quo mandatum est, *c. Cui de non sacerdotali De præben. lib. 6.* quia vigore mandati fieri non potest, quod expressis verbis mãdato inclusum non conspicitur, *d. §. pen.* & neglectâ vel consumptâ primâ occasione, quæ sola mandato continetur, sequentis occasionis nulla est spes, *c. Si clericus De præb. lib. 6.* * Cum alioquin eo etiam non expresso 4
hujusmodi speciale mandatum non nisi ad primam vacationem referri possit; spe secundæ vel tertiæ vacationis excluså, *gloss. Clem. 1. Super verb. infra mensem, & ibi Ioan. de Imola De præben. doct. in c. Tibi qui gratiam per illum tex. De rescript. lib. 6. & ibi gloss. super V. proxime.* Nam cùm nulla aeque mandatarij, neque ejus, cui provideri mandatum est, hic versetur negligentia; neque illi, cur non contulerit, neque huic, cur non acceptaverit, quæ primo loco post dictum mandatum vacavit, imputari possit: mirum videri non debet, si ad secundam, deinde etiam ad tertiam, si in secunda vacatione idem quoque dici potest, facultatem conferendi, & mandati subsistentiam extendamus. Quemadmodum in eo casu decisum est, *cap. Et cui De præbend. lib. 6.* quo mandatum est simpliciter alicui provideri de præbenda proximè vacatura, si in primam vacationem incidat sacerdotalis præbenda, cujus ille, cui mandatum est provideri, per ætatem capax non sit: eo enim casu per primam vacationem non consumetur gratia, sed exspectanda erit secunda vacatio, vel ulterior, quæ impedimentum non habet.

Cùm ergò proxima, itemque secunda vacatio per præventiones seu exspectativas gratias Põtificis fuerit ipsi Ordinario collatori prærepta, meritò Titio tertia denegari non debuit, cui prima vacatura conferri jussa fuit; vacatura (inquã) ipsi Collatori. Ita enim ipsius mãdati verba habẽt, *Ad collationem seu provisionẽ nostram vacare cõtigerit:* quæ etiamsi adjecta non fuissent, de jure tamen subintelligenda forent: † cum verba sint cum effectu accipienda, ut aliquid operentur, *l. Hoc legatum De legat. 3. Bart. in l. Quamvis De auro & argen. legato.* Operari porrò non possent, si sub his verbis indefinitis quæcumque vacatio contineretur, quæ cederet tam collationi Pontificis, quàm ipsis Ordinarij. 5

Quemadmodum si ad Canonicos pertinet turnum 6
pertineat vacantium beneficiorum collatio, non consumetur illius turnus, qui vacans beneficium in suo mense per quamcumque gratiam Apostolicam impeditur conferre, *Rota decis. 119. Nota quod ubi aliquis, aliàs 4. De concess. præb. in antiq. Pragmat. sanctio in tit. de collat. §. item quod omnia, & ibi gloss. in V. faciendæ:* impeditus enim impedimento facti debet manere illæsus, *c. Significante De pignorib. d. Si cum ipse, & ibi Doct. De excess. stat.*

Vacare

7 Vacare namque verè ac propriè beneficium Collatori non dicitur, nisi cujus conferendi libera, & pro suo arbitrio idoneæ personæ offertur potestas, *arg. c. Decernimus* XVI. *q.* 7. *c. Quod autem De iure patron.*

Quare etiam ad rem non pertinet quod dictus mandatarius primâ vacatione occurrente, deinde etiam secundâ, contulerit Titio, & sic officio suo functus videatur, *Bart. in l.* 2. §. 1. *De opt. legata*: nam ea collatio omninò fuit nulla, quia facta contra prohibitionem Papæ comprehensam in indulto Germanico & privilegio nominationum Lovaniensium, continentibus clausulam decreti irritantis,

8 † cuius tanta est vis, ut etiam ignorantes liget, *c. Si postquam c. Dudum, De præben. lib. 6. c. Inter cetera c. Dilecto De præben.* Quòd autem vitio nullitatis laborat, neque in numero, neque in reputatione esse debet, *d. l.* 2. *De opt. leg. Iaſ. in l. Talis ſcriptura, De leg.* 1. *l. Non dubium* C. *De leg. c. Si diligenti De foro compet.* & collatio nulla collationis nomen non meretur, *arg. l. Paulus De verb. ſig. l. Quoties Qui ſatisd. cogant.* ideóque cùm nulla fuerit ex prima, & ex secunda vacatione facta collatio, consumendi mandati potestatem habere non debuit: & cum tertia vacatio post dictum mandatum prima fuerit, quæ ad collationem dicti mandatoris pertinuit, vigore illius mandati (si iustum esset) adhuc conferri potuit Titio; præsertim quia tam mandatarius, quàm Titius intellecto jure potiore, ex dicto indulto & nominatione per specialem Papæ provisionem, ab huiusmodi sic nulliter facta provisione manum abstinuerit. † Sed enim

9 tam Collatoris, quàm provisi seu acceptantis jus illęsum in sequentibus seu alijs mansit, *c. Si beneficia De præben. lib. 6.* etiamsi manum retraxerit ultro non exspectata declaratoriâ iudicis sententiâ, seu (ut aiunt) non purgata per iudicem factâ collatione, *Lud. Roman. conſ.* 329. *Præſens conſultatio, Rota deciſ.* 142. *alias est* 5. *Nota quod ubi est notorium De conceſſ. præbend. in antiquis.*

10 Non obstat autem illud, quòd dicta prima vacatio videatur fuisse Collatoris ordinarij, & quòd vigore dictorum indultorum non tam ipse Pontifex contulerit, quàm ordinarius Collator jussus sit conferre; ob id, quòd Papa scribendo aut mandando, ut alicui de proximè vacaturo beneficio provideatur, intendat gravare illum, ad quem spectat collatio beneficij tempore vacationis, *cap. Mandatum, c. Literis, c. Abbatem De reſcrip.* sic ut, si per vices ad duos aut plures pertineat collatio, consumatur illius vicissitudo, in quam incidit proxima vacatio, *Ioan. de Anania conſ.* 43. *Inſtante vicißitudine nu.* 6. quia mandati de providendo variæ sunt species ac formæ, *Lud. Gomeſ. in tract. de gratijs exſpectat.* quarum omnium non est una ratio & potestas. Nam quamvis illa forma, dum certo Collatori, pro certa persona de certo vel incerto beneficio mandatur, *c. Ex parte* 1. *De off. iud. deleg.* verè gravetur Collator, quia officium & operam suam impendere debet, *c. Mandato De præben. lib. 6.* in dictis tamen indultis diversum obtinet: quia per illa non mandatur, ut ordinarius conferat, sed nè conferat, neve pro ea vice, quæ ea gratia continetur se immiscеat; dato ob id speciali ad hoc executore, & inserta clausula decreti irritantis; quo ipso manifestissimum evadit, duas illas priores vacationes, quibus occurrentibus manus Ordinarij ligatæ fuerunt, *c. Si ſoli De conceſſ. præben. lib. 6. & ibi gloſſ. & Doct.* in numerum hic non cedere, sed quoad jus primam in hoc mandato intelligi, quæ ex facto tertia esse reperitur.

Quare si aliud non obstaret Titio, jus plenissi- 11
mum competeret in hoc tertio Canonicatu, excluso eo, qui per generalem Vicarium provisus est; tum quòd prædicti mandatarij potestas sit potior, ut diximus; tum quòd vigore mandati specialis facta collatio (ut in facto proponitur) sit etiam tempore prior, *l.* 4. C. *Qui pot. in pig.* sic ut datâ etiam paritate potestatis circa unius hujus beneficij collationem, ex prioritate tamen temporis hæc collatio potior judicari debeat, *gloſſ. & Doct. in c. Quamvis ibi De præben. lib. 6.*

Sed frustrà hæc scrupulosius investigamus, 12
ex eo, quòd mandatum hoc speciale circa certam personam de proximè vacaturo beneficio, sit ipso jure omninò nullum; utpote quod in effectu incidat in promissionem proximè vacaturi beneficij, quæ etiam nulla est, *c. penult.* §. *prohibemus De off. leg. lib. 6. c. Conſtitutus & ibi Doct. De conceſſ. præb. Panor. in c. fin. eod. tit.* ideoque soli Pontifici (cui in signum præeminentiæ & supremæ potestatis circa beneficiorum dispositionem liberior laxiorque potestas concessa, *c. Si à ſede De præb. lib. 6. Clem.* 1. *Ne litependente &c.* permissa est, *Clem. Literas De reſcript.* sic ut ne Legato quidem à latere id permittatur, *Ioan. de Imola in d. Clem. Literas n.* 3. *gloſſ. in c. Si cum De præb. lib. 6. & d.* §. *prohibemus.* Admissa autem nullitate dicti mandati, consequens quoque esse videtur, ut corruat omne jus Titij; seu quod magis est ab initio nullum fuisse credatur, ex defectu juris conferentis mandatarij, qui ex suo capite nihil habere potuit, & quod ex capite seu respectu veri domini sive Collatoris prætexuit, juris fundamento destitutum sit. * Vt ergo per falsum procuratorem dominium rei 13
cujusquam transferri non potest, *l. Traditio De acquir. rer. dom. l. Mater* C. *De rei vindic. l. Procurator tutorum* D. *De procuratorib.* ita nec jus beneficij.

Neque quicquam facit, quòd etiam nunc post collationem mandatarij vacante beneficio factam 14
videatur durare voluntas & consensus Collatoris mandantis; quia scilicet de mutatione voluntatis non constat, *l. Circa eum qui De probat.* & quòd hujusmodi voluntas ac consensus satis probetur ex dicto speciali procuratorio, etiamsi (uti diximus) de jure sit nullum: cùm etiam ex actu nullo voluntas declaretur, *l. fin. & ibi Bart. De reb. eor. & c. Bart. in l. Teſtamento De fideicom. libert.* Vacante autem beneficio, quin per speciale mandatum mandari potuerit certo alicui providere, dubium non est, *Panor. in d. cap. fin. De conceſſ. præben.* nam cùm hujusmodi mandato lex seu canon resistat, & illud prorsus improbet, nulla potest illius intelligi utilitas aut effectus sive juris sive facti.

Quemadmodum etiam cum actui seu negotio 15
contracto lex resistit, nulla nascitur facti aut juris, id est naturalis aut civilis obligatio, *l. Cum lex & ibi Bart. De fideiuſſ.* quamvis in alijs, ubi lex non resistit actui, sedactus juris adminiculo destituitur, superveniens idonea causa

multum possit, *l. Observare §. fin. De off. proconſ.*

16 Alioqui sanè ludibrio, & sine effectu esset prædicta juris constitutio de non promittendo vacaturo beneficio, aut constituendo procuratore ad præsentandum certum aliquem ad proximè vacaturum beneficium, propter durantem Collatoris aut patroni antecedentem in dicto mandato voluntatem, *l. 2. in fine C. Communia de legatis.* Et hac ratione pluribusque aliis rectè consuluit Guilielmus Cassadorus Rotæ Romanæ auditor insignis, *decis. 5. de iure patron.* contra responsum quoddam Philippi Decij, *conſ. 172. In causa venerabilis*, in quo levioribus quibusdam ex causis respondit vitium, quod in hujusmodi procuratorio speciali ante vacationem latet, purgari post vacationem, si contraria patroni voluntas non interveniat; quod Decij responsum improbatum etiam est per Carolum Molinæum exactum censorem Decij, *in addit. ad d. conſ. 172.*

17 Non tamen repugno, quin post vacationem novo Collatoris consensu potuerit jus Titij confirmari seu potiùs de novo dari; sed ita, ut hujusmodi novus consensus probetur interveniſſe ante generalis Vicarij ad conferendum collationem: nam si Dominum prævenit, & potestate sibi concessa usus est, Domino præjudicare potuit; cùm per eum Dominus contuliſſe videatur, *d. l. Traditio l. 1. §. deieciſſe D. De vi & vi arm.* semel autem collato beneficio, variandi potestas adempta est; quia collatario jus per collationem saltem quoad conferentem acquiritur, *c. Quam ſit verſ. alioqui De elect. lib. 6.* cùm in Ecclesiasticis personis variatio & illusio omnino improbetur, *Clem. 1. De renuntiat.* Neque hoc casu scrupulosè inquirendum est, sciverit generalis Vicarius, an non sciverit datum esse hoc speciale mandatum; cùm, ut deduximus, illud semper fuerit nullum, quod ideo non potuit ei ullum impedimentum adferre, *c. Non præſtat De reg. iur. lib. 6.* Eò itaque deducimur tandem, ut quamvis cætera omnia in propositam facti speciem incidentia jus Titij non infringant, ex solo tamen defectu potestatis mandatarij vires assumere nequeat titulus dicti Titij in Canonicatu, de quo quæritur; nisi extrinsecus aliquid adieratur, quo hoc vitium diluatur.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Nova provisio.

1. *Ius superveniens an in iudicium cœptum deduci poſſit.*
2. *Beneficium ſæculare regularis clericus obtinere non poteſt.*
3. *Provisio nova quorum narrationem requirat.*
4. *Provisio nova cum veteri gratia coniungitur.*
5. *Appellans non probata probat.*

CONSILIVM CCXXIV.

CONTVRBARE non debet D. Iudicem inter D. Iohannem Laet appellantem, & Fratrem Ioannem vander Eycken appellatum, † quod vulgo traditur, *in c. Abbate*

1 *De ſent. & re iud. lib. 6.* eum, qui rem certa causa expressa petit, si causam non probet succumbere, etiamsi aliam causam postea proferat & probet: præsertim ex causa non antiquiore, sed post petitionem ac conclusionem propositam superveniente; quasi quod post judicium acceptum accessit, in idem judicium venire non possit, sed alia interpellatione opus sit, *l. Non poteſt videri De iud.* *

2 Nam cùm in hac causa constat de defectu juris partis Opponentis, ex causis in prima instantia deductis, & potissimum quòd regularis monachus existens, sæcularis beneficij, per clericum sæcularem obtineri ac regi solitum, incapax sit, *cap Quod Dei timorem. De ſtatu monach.* dictusque Opponens pro absolutione obtinenda sola allegatione possessionis usus non fuerit (quam alioqui verè non habuit Archidiacono fructus occupante) sed jus ac titulum suum deduxerit, & in eo defecerit; sic quod beneficium neque Actori, neque Reo adjudicari potuerit, *Rota decis. 160. Reus & poſſeſſor alias eſt 4. De ſent. & re iudic in novis*, sed declarari debuerit neutri jus competere; exitum litis non initium spectare hic oportet, satisque esse debet quandocumque ante sententiam de jure ejus, qui novam provisionem obtinuit, constare. Nova enim hæc provisio allegati tituli, ex quo specialiter actum est, vitia ac defectus expurgat; & ex voluntate Pontificis non tam accumulatur, quàm adglutinatur, & velut ferruminatione priori titulo coalescit; ita ut propriè non possit dici novus titulus accedere & ex novo titulo seu nova causa agi, sed ex veteri nunc confirmato & expurgato. Vnde est, quod traditur primam gratiam, in qua est defectus, & cui adglutinatur nova provisio, esse novæ provisionis immediatam causam: sic quòd nova provisio per se non stet, sed impetretur ac concedatur ratione primæ gratiæ; atque adeò non tam sit simpliciter provisio, quam qualificata in consequentiam prioris ac præcedentis gratiæ, *Lud. Gomeſ. ad reg. Cancell. de ſurrogan. quæſt. 19. nu. 5.* sic ut præcedens gratia novæ provisionis necessarium sit antecedens, *Gomeſ. loco ſup. cit.* † Qua de causa necessarium est in im- 3
petratione novæ provisionis, quod requisita primæ gratiæ narrentur, & factum ipsum, quamvis carens adminiculo juris, verificetur, *Aegid. Bellamera deciſ. 116. si petens in fine* * Nam etsi illud 4
propter aliquem defectum velut mortuum sit; afflatu tamen novæ provisionis confovetur & animam recipit. Ideòque prima gratia ac nova provisio pro uno reputantur; cum nova provisio veniat ad perficiendam priorem gratiam, *Lud. Roman. conſ. 433. Quoad primum n. 8. Paul. Pariſ. conſ. 118. Circa materiam nu. 35. vol. 4.* Vt proinde non possit hîc propriè dici ex alia causa conclusum, aliam verò probatam esse. De quo minùs dubitandum, quòd Papa mandarit non tantum Abbati S. Gertudis ejusdem provisionis Executori, verum etiam cuicumque Judici, ad quē causa ex appellatione deduceretur, ut Appellantem in possessionē beneficij inductum manuteneāt, ac retineant: idque litis pendentis mentione facta, ex qua voluntas & mens Pontificis colligitur, quod Appellantem obtinere voluerit si Opponenti, quod manifestum est jus non competeret. Quod etiam Iudex primæ instantiæ satis aperte indicavit se facturum fuisse, si de nova provisione tunc obtenta, plena extitisset probatio per plumba-

plumbatam bullam: qua nunc expedita ex defectu probationis consurgens impedimentum cessare debet; † appellatorij enim iudicij natura est, ut non probata prius probari patiatur, *l. Per hanc C. De temp. appellat.*

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Prioritas in beneficio.

1. *Aliud est facere, aliud promissio de faciendo.*
2. *Promissio de beneficio conferendo quid operetur.*
3. *Qui prior est in possessione beneficij, non est potior eo qui prior titulum adeptus est.*
4. *Patronus ecclesiasticus in præsentando variare non potest.*

CONSILIVM CCXXV.

DIFFICVLTATEM nullam habet beneficialis causa, quæ coram Venerabili D. Officiali Namurcensi acta est inter Dominum Guilielmum Boxij impetrantem, & Henricum Paludanum Reum, de & super Capellania ad Altare S. Ioannis Baptistæ in Parochiali Ecclesia montis S. Andreæ: nam cùm uterque juris sui, quod quisque prætendit, eundem habeat auctorem, Pastorem scilicet Parochialis Ecclesiæ; & uterque ex eodem vacationis modo agat, ex morte videlicet Antonij Bourume novissimi dicti Altaris Rectoris, restat hoc solum in quæstione, uter ex tempore in obtenta collatione seu provisione sit prior & sic etiam potior: hoc enim ut & in alijs ferè rebus ita obtinet in beneficialibus, ut qui tempore prior est jure quoque sit potior, *c. Duobus c. Tibi qui. De rescrip. lib. 6.* Contendit autem Opponens se esse priorem; quòd tamen nullo instrumento aut documento probat, sed testimonio duorum testium id astruere conatur. Cæterum neuter horum est, qui dicat, Dominum Pastorem Henrico de Palude contulisse; sed hoc tantùm dicunt, quod Dominus Pastor dixerit, quod hoc beneficium numquam poneret extra manum suam, nisi providisset D. Henrico pro eo supplicanti; & alter illorum Pastorem dixisse, quòd postquam certior factus esset de morte D. Antonij, non conferret alij quàm dicto Opponenti, donec locutus esset avunculo suo. Quod sanè adhuc longè minus est, quàm quod Opponens suum jus articulando allegavit, quòd D. Pastor addixisset coram testibus fide dignis, ubi de morte D. Antonij ipsi constaret ac certus esset, se nemini alteri de dicto beneficio quam Opponenti provisurum. Plurimum enim interest inter simplex dictum (de quo testis deponere videtur) & inter promissum: hoc enim, non item illud, in debitum cadit, *l. Secundum §. dictum De Ædil. edicto.* Sed etsi ita ut Opponens proposuit testes prædicti testificati essent, D. Pastorem formaliter promisisse, quòd Opponenti de hoc beneficio provideret, nihilo justior esset causa seu titulus Opponentis: quippe magna est differentia inter promissionem de providendo seu conferendo vel præsentando; & inter collationem, provisionem, ac præsentationem. † Vt generaliter aliud est aliquid dare vel facere, aliud promissio de eo dando & faciendo: & in specie aliud vendere, aliud promissio de vendendo, aliud tradere, aliud promissio de tradendo: & in proposito aliud conferre, præsentare ac providere; aliud promissio vel addictio de aliquo horum faciendo: prout hæc & his similia admodum multa coacervavit Andreas Tiraquellus, *de Retract. conv. ad fin. tit. nu. 14. cum seq. usque ad 52.* Nam ex facto vel datione statim jus acquiritur circa id, quod fit aut datur, non etiam ex horum promissione, quæ personalem tantùm obligationem parit, ad hoc, ut qui promisit faciat aut det, & interea in re nihil juris acquiritur. † Ita ut in subjecto casu pro proviso haberi non debeat, cui tantùm facta est promissio de providendo, *Tiraquel. d. loco nu. 45. per l. Qui se dicit De iudic.* cùm talis promissio nihil juris constituat in re vel ad rem; sed ad summum inducat dumtaxat obligationem ad interesse aduersus eum, qui in casibus, quibus potest de futuro beneficium vacaturum vel vacans promitti, hujusmodi promissionem non facit nec adimplet; & ita quidem hoc casu, qui promisit dare seu conferre beneficium, non possit præcisè cogi ad factum, hoc est ad conferendum seu providendum, sed tantùm ad interesse, quanti scilicet ejus, cui promissio facta est interest, quod promissio non habeat effectum: ut eleganter dixit Panormitanus, *in c. Accedens nu. 4. De conceff. præben.* Vnde promissio ista non ligat manus promittentis, quin si velit possit alteri beneficium vacans conferre, saltem quamdiu illud non contulit ei, cui promisit. Indeque est quod dum is, qui ordinariâ potestatem conferendi habet, ex mandato superioris tenetur alicui cõferre aliquod beneficium, & mandato non est inserta clausula irritans, si in contrarium faciat, valeat alteri contra mandatum facta collatio, *c. si soli De conceff. præben lib. 6. c. Dilectus 3. De præben* Et hoc est quod scribit Ioannes Monachi, *in c. Detestanda nu. 2. De conceff. præben. lib. 6.* quod quamvis hujusmodi promissio teneat & in debitum cadat; non tamen per hoc affectum sit ipsum beneficium, quin si alij conferatur teneat ipsa collatio. † Et quamvis communiter tradatur, quod in beneficijs non habeat locum regula juris civilis, quod re duobus venditâ vel promissâ potior sit, cui primùm tradita est, seu qui prior ad rei possessionem pervenit, non is, cui prius promittitur, *l. Quoties C. De rei vindicat.* ita quod in beneficijs prior in possessione, non præferatur illi, qui anterior est in collatione seu præsentatione vel promissione, *Laf. in d. l. Quoties nu. 12.* id tamen dicto Opponenti accommodari non potest, qui nullam umquam habuit collationem, provisionem, vel præsentationem, per quas jus in re seu ad rem acquiritur; sed tantùm ad summum nudam verbalem promissionem, quæ rem non afficit, nec ad illam aliquid juris tribuit. Et sic dictus Opponens ex hac prætensa promissione nihil aliud potest prætendere, quàm ut Dominus Pastor ei vel interesse non servatæ fidei promissionis præstet, *Panor. in d. c. Accedens nu. 4.* vel aliàs cùm occasio sese offeret de beneficio sibi provideat, *d. c. Accedens, glos. ult. in d. cap. Dilectus*: nam adversus Impetrantem, aut ad hoc controversum beneficium nihil omninò juris, nullamque actionem habet. † Ita, ut cum Dominus

minus Impetrans à Domino Pastore prior obtinuerit literas præsentationis, & super illis literas proclamatorias, & per hoc ipsi sit acquisitum irrevocabile jus ad hoc beneficium etiam ante institutionem; Pastori variare non licuerit, cùm patronus sit Ecclesiasticus, ut expresso jure constitutum est, *in c. Cum autem & c. Pastoralis De iure patron.* apertè deprehenditur Impetrantem in præsentatione esse priorem, imò solum: comparatio enim prioris & posterioris ex simili facto alterius desumitur, *l. Qui duos post princ. De reb. dubijs*; quia scilicet non invenitur dictum Opponentem habere aliquam collationem, provisionem, vel præsentationem: imò ne hoc quidem, quòd sit beneficij capax, quia de ejus clericatura nihil omninò constat, sine qua beneficium Ecclesiasticum obtineri non potest, *c. Cum adeo De rescript. c. Ex literis De transact.* Proinde ex solo hoc capite obtinere debet Impetrans, quòd solus habeat præsentationem à vero Collatore; & promissio, quam Opponens prætendit, titulum non præbeat: ideoque ad nudam ejus, quam prætendit promissionem, non possit accommodari aliqua Canonica institutio. Cùm alioqui si res postularet multa possent proferri pro demonstratione, quod hujusmodi asserta promissio obligationem nullam contineat: sed non decrevimus superfluæ deductioni insistere; cum extra omnem dubitationem sit causa Domini Impetrantis.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Valoris expressio.

1. *Titulus coloratus requiritur in possessorio iudicio beneficij.*
2. *Valoris falsa expressio vitiat.*
3. *Regula Cancellariæ de valore exprimendo pertinet etiam ad collationes, quas faciunt Legati sedu Apostolicæ.*
4. *Consuetudo contra Sedem Apostolicam non valet.*
5. *Quæcumque beneficia Regni Franciæ impetrantur sub valore 24. ducatorum.*
6. *Regulæ Cancellariæ ubique locum habent.*

CONSILIVM CCXXVI.

IVRIS effectum habere non potest provisio de præbenda sive vicaria animarum Ecclesiæ S. Petri Traiectensis per Reverendissimum Dominum Hieronymum Bononiensem Sedis Apostolicæ Legatum facta Arnoldo Loetz; & nè quidem tantum tribuere, ut ad colorati tituli acquisitionem ei prodesse possit: * quia cùm omnis possessio beneficij Ecclesiastici sine præcedente probabili seu colorato titulo sit ipso jure nulla, *c. Beneficium De reg. iur. lib. 6.* & ad obtinendum in judicio possessorio non prosit, consequens est, ut dicamus in causa retinendæ possessionis seu manutenentiæ, quæ inter dictum M. Arnoldum & Theodoricum Velsdingen in Concilio provinciali Traiectensi indecisa pendet, provisionem Apostolicam nihil omninò facere ad victoriam dicto M. Arnoldo parandam. * Idque unica & judubitabili ratione; quod scilicet ad suggestionem Arnoldi, expresso dicti beneficij falso & longè minor. quàm revera est valore, viginti quatuor scilicet ducatorum, facta sit dicta provisio. Veri enim valoris suppressio, & falsi expressio facit, ut gratia impetrationis, seu provisionis sit ipso jure nulla, *glos. in Clem. De præben. Felin. c. Ad aures in 2. conclus. & ibi d. Decius in 3. conclus. De rescript. Rota decis. 336. alias 47. Nota secundum opinionem De rescript. in antiq. Steph. Bertrand. consil. 111. Etiamsi verum esset vol. 1. parte 1.* Quemadmodum etiam specialibus & perpetuis singulorum Pontificum regulis Cancellariæ, in altera assumptionis cujusque editis sæpe cavetur & ordinatur, ut falsi valoris expressione interveniente, omnes gratiæ super beneficijs sint ipso jure nullæ, *Lud Gomes ad reg. cancell. tit. de valore exprim. in princ.* Quod dubitationem non habet, cùm Bullæ non sit inserta clausula, *pro expressis habentes*, vel beneficium motu proprio non confertur, *Rebuff. in praxi benef. tit. declaratio novæ provisionis in verb. eorumque fructuum*; quorum neutrum in provisione prætacta deprehenditur.

† Quæ quidem regula etsi tantùm videatur pertinere ad gratias Apostolicas, hoc est Papales; ex ratione tamen perinde pertinet ad eas, quę per Sedis Apostolicæ Legatos factæ sunt, ut multis & elegantibus rationibus deduxit, & in Rotæ Auditorio pronuntiatum fuisse scripsit Lud. Gomesius, regularum Cancellariæ Apostolicæ exactissimus Interpres, *ad d. reg. de valore exprimen. quæst. 2.* 3

Neque ad rem facit, quòd Pragmatici quidam existiment sub taxa viginti quatuor ducatorum impetrari posse quæcumque & cujuscunque valoris beneficia: nam id nullo jure cautum invenitur; sed ex adverso, ut diximus, verus valor exprimendus est, quia falsò expressus vitio nullitatis gratiã ipsam afficit: & è diverso aliud vel contrarium consuetudine receptum esse nec allegaverit nec probaverit præfatus Arnoldus, ideoque nullus illius usus in hac causa esse possit, *c. 1. De consuet. lib. 6. l. In bello §. facta De capt. & postlim. rever.*

Cum alioqui & de eo dubitari posset, num ejus generis consuetudo recipienda esset, quæ Romanę Ecclesiæ gravamen inferret adversus Pontificum regulas toties renovatas; cum vix sit ut triginta vel quadraginta, & ne quidem centum annorum spatium (quod requiritur in præscriptione adversus Romanam Ecclesiam, *in Auth. Ut Romana Eccl. cent. annor. gaud. præscrip.*) ac hujusmodi consuetudinem stabiliendam sufficere videatur, *c. 1. De consuetud.* † Causa erroris, cur scilicet id plerique existiment sub expressione valoris viginti quatuor ducatorum quæcumque beneficia impetrari posse est, quòd in Regno Franciæ id receptum sit consuetudine seu potiùs authoritate Regis, paulò liberiùs in quibusdam adversus Pontificias constitutiones agentis, & annatarum solutionem in Regno suo prohibentis; sic ut expressio viginti quatuor ducatorum formalis tantum sit pro observatione styli signaturæ Apostolicæ retenta, *Petrus Rebuffus in praxi benefic. tit. Tertia pars signat. in verb. Nec non verus valor.* At cum in Episcopatu isto Traiectensi nihil tale sit receptum, sed in beneficialibus causis dispositio juris communis & auctoritas Sedis Apostolicæ observetur; † & regulę Cancellarię ubique locum habeant, nisi ubi via facti excluduntur, *Late Lud. Comes. ad proœmium regul. Cancell. quæst. 2.* dicendum est, expressionem 4 5 6

nem viginti quatuor ducatorum in proposito non sustinere titulum dicti Magistri Arnedi: cùm verus & communis valor duplo major sit, & vitium nullitatis contrabatur per falli valoris expressionem. Quod enim nullum est, nullum juris vel facti effectum habere potest.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Beneficij valor quomodo constituatur.

1. *Æstimatio rei cuiusque quomodo facienda.*
2. *Valor beneficij taxandus ex decima Papali.*
3. 5. *Valor beneficij quomodo constituatur.*
4. *Fructus intelligitur deductis expensis.*
6. *Anniversaria an computentur in valore beneficij.*
7. *Taxa beneficij pars gratiæ est.*

CONSILIVM CCXXVII.

NON exigua est dubitatio in eo, quod pro parte M. Antonij Morel proponitur adversus M. Ioannem Six, quâ ratione ineunda sit æstimatio & valor fructuum ac proventuum parochialis Ecclesiæ S. Stephani in oppido Insulensi, quam M. Antonius dicit excedere summam sexaginta ducatorum de camera, (quæ secundùm nostram monetam non pertingunt ad viginti tres libras grossorum monetæ Flandriæ) ex eo, quòd hæc Ecclesia aliquando obtenta fuerit sub pensione viginti quatuor librarum Flandriæ: ita ut inde colligi possit, quòd circiter quinquaginta libras communibus annis valeat; cùm pensio medietatem excedere communiter non possit, *Gigas de pensionib. quæst.* 35. Ex eo item, quòd fructus & proventus ejusdem Ecclesiæ pluribus annis locati, seu in arrendam dati fuerint pro quinquaginta consimilibus libris * Æstimandæ enim rei modus est ex antecedentibus locationibus & pensionibus, quæ ex ejus usu per plures annos præstitæ sunt, *in Auth. De non alienan. aut permutan. §. quia vero in fine coll.* 2. * Quemadmodum iniri solet æstimatio valoris & taxa beneficij ex decima Papali, quæ de fructibus beneficij percipi solet, *Oldrad. cons.* 118. *Ex virtute n.* 6. *Ioan. Staphil. in tract. De liter. gratiæ tit. de forma exspectat. forma* 3. *nu.* 13. *Rota decis.* 277. *alias* 42. *Nota quod ubi Papa De rescript. in antiq.*

Contrà dictus M. Ioannes non excedere dicit, ob id, quòd corpus hujus beneficij exiguum sit, & in portatis; hoc est in fructibus deductis omnibus expensis & oneribus, prædictos sexaginta ducatos annuè non habeat. * Quam rationem æstimandi beneficia plerique approbant, *Oldrad. cons.* 118. *Rota decis.* 134. *alias Quando impetratur De præb. in novis*: ut valor beneficij non constituatur ex utilitate, quæ residendo & beneficio deserviendo percipi potest, sed quæ in absentia percipitur, *Rebuff. in tract. nominat. quæst.* 9. *nu.* 25. ita ut nec quotidianæ distributiones, *Rota decis.* 766. *Quæritur an quotidianæ, aliàs est* 39. *De præbend. in antiq. Staphil. loco suprà cit. Boerius decis.* 340. nec mortuaria seu anniversaria, *Ioan. Andr. in addit. ad Specul. de concess. præben. sub fin. ad rubr.* valorem augeant; sunt enim hæc incerta, & nō ex corpore beneficij, sed propter operam personalem præstantur, & cessante præsentiâ atque operâ auferuntur. Contendens præterea in constituendo hoc valore onera beneficij esse deducenda: * cùm enim in fructibus non sit nisi quod deductis expensis supereat, *l. Subsignatum §.* 1. *l. Venisse De verb. signif.* ita ut beneficij seu potius fructuum beneficij valorem diminuant onera & expensæ, non tantùm quæ fructuum colligendorum percipiendorum que causâ fiunt, *Felin. in c. Ad nostram nu.* 5. *De iureiur. Franc. Aret. in l. Non amplius in princ. De leg.* 1. verum etiam quæ perceptis fructibus decidunt, vel ex illis seu propter illos præstantur: ut gabellæ, *Franc. Aret. in d. l. Non amplius in princ.* reditus seu pensiones, quibus fructus gravati sunt, *Decius cons.* 156. *statutum, Gigas de pension. quæst.* 87. item aliæ expensæ necessariæ pro alendo clerico, vel alijs, si necessitas postulet, qui beneficiato inserviant, *Guliel. Cassad. decis.* 19. *de præben.* Quinimò contendit M. Ioannes deducenda quoque esse alia onera, quæ dictæ Ecclesiæ incumbunt, ratione officij; ut id deducatur, quod vicario daturus esset eo nomine, si absens per eum deservire beneficio: deducenda item omnia, quæ residendo familiæ sustinendæ in esculentis & poculentis, in mercedibus famulorum & famularum expendere debet: sic ut valorem ipsius beneficij ad nihilū ferè deducat.

Verùm ut probabiliter id sustinet de quotidianis distributionibus, de anniversarijs & oblationibus atque oneribus rei cohærentibus, & quibus ipsi fructus proximè gravati sunt; ita multum & plusquam improbabiliter deductionem hanc latiùs facit ad onus ipsius officij, ad quod beneficium adstringitur, & propter quod fructus primariè percipiuntur; multoque improbabilius ad onera, quæ sustinet in se suaque familia exhibenda ac sustinenda. Fructus enim beneficij secundariò ad hoc dantur, ut qui deservit altari ex illis vivat; ita ut sit conjunctio inter ipsum beneficium, fructus, & hæc onera: & officium sit velut causa efficiens ex qua, onera verò causa finalis, ob quam percipiantur. Alioqui avaritiæ & thesaurisationi Ecclesiasticorum (quæ improbantur, *Matthæi c.* 6. *c. Habebat* XXII. *q.* 2.) nimium subserviretur, si pro fructu & valore beneficij tantùm reputaretur quod ita percipitur, ut statim reponi ac recondi, non exponi possit.

Sed nec illud permittendum est, ut ex fructibus pro imminuendo valore beneficij deducatur quod vicario beneficiatus absens pro officio præstare deberet: cùm enim per se ipse deservire debeat, vicarij opera & merces deducenda non est, *c. Extirpandæ §. qui vero De præben. Cassador. d. decis.* 19. Quod cùm verum sit, consequens quoque est, æstimationem operæ & officij, ad quod ratione hujus Ecclesiæ Pastor obstrictus est, nihil facere ad diminutionem valoris. Et quod de clerici expensis deducendis dictum est, *Cassador. d. decis.* 9. non ad famulos domesticos referendum, sed ad clericum in officio ipso necessarium, qui Missam vel officium facienti assistit & respondet; quem in dicta Ecclesia Pastor specialiter constituere non debet, cùm custodem seu matricularium habeat specialiter salariatum, qui hoc onus sustineret: multò minus ad famulas, quas neque singulas, neque multas sine reprehensione habere potest, *toto tit. De cohabit. Cleric. & mulier.*

De

6 De anniversarijs & mortuarijs quod dictum est, sanè accipiendum, non de fixis & stabilibus; veluti quæ vel inter vivos, vel testamento perpetuò constituta ac relicta sunt, sed de occurrentibus, quæ ex funeribus accipiuntur. Etsi enim in hac distinctione vacillare videatur Ioannes Andreæ, *in addit. ad Specul. tit. De conceſſ. præben. ad Rubr. in fine*, melioribus tamen rationibus ea distinctio sustinetur: præsertim ubi anniversarie non in distributione plutium, sed in solida perceptione Curati seu Pastoris consistunt, *Petrus de Anchar. in Clem. 1. nu. 42. De conceſſ. præben.* Cùm enim quicquid ad certitudinem seu ad summam certam in perceptione emolumentorum ac fructuum reduci potest ex venditione vel ex locatione fructuum, pro corpore & portatis beneficij reputetur, ut bona ratione existimat Ancharanus, *d. n.* 42. nulla est dubitatio, quin certa, fixa, ac stabilia anniversaria testamento, vel donatione relicta ac constituta, corpus fructuum beneficij constituant. Quemadmodum & in usu nominationis Facultatis Artium Vniversitatis Lovaniensis (ex qua jus sui auctoris astruit M. Ioannes) constitutum est per Carolum Quintum Imperatorem, ut quicquid ad certudinem reduci potest, pro valore beneficij reputetur; multo ergò magis quod sic per se certum, & incommutabile est.

Cùm igitur certa anniversaria hujus Ecclesiæ longè excedant viginti libras grossorum; non potest fieri, ut sub limitata gratia dictæ nominationis cadat hoc de quo nunc controvertitur be-
7 neficium. * Taxa enim pars gratiæ est, quam acceptans beneficium virtute gratiæ excedere non debet, *c. Cui de non ſacerdotali, c. Quamvis 1. De præben. lib. 6.* Proinde externa hæc onera, quæ non diminutionem, sed consumptionem fructuum, quam ipse beneficiatus facit, continent, huc non pertinent, sed alia rationabilia quæ percipiendorum fructuum causa fiunt, *Bald. in l. 1. nu. 11. C. De fruct. & lit. expen. Castren. Alex. Ias. & alij in d. l. Non amplius*. Non etiâ onera ipsius officij, pro quibus fructus dantur, & in quibus beneficiatus pro alimentario seu usurario vel usufructuario habetur, *Doct. in c. Cum in officijs De teſtam.* multò minus ipsa fructuum consumptio; hoc est familiæ intertentio. Quamobrem omnibus benè perpensis, nulla ratione nobis fundatus videtur M. Ioannes ad retinendum hujusmodi beneficium virtute gratiæ sic limitatæ non includentis beneficium tanti valoris quanti est hæc parochialis Ecclesia, de qua controvertitur.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Beneficium perpetuum.

1. *Beneficij impetratio ſuppreſſa mentione prius obtenti eſt nulla, niſi ſit temporaneum tantam & manuale.*
2. *Vicaria an ſit perpetuum beneficium.*
3. *Beneficium perpetuum conferri non poteſt cum facultate amovendi.*
4. *Beneficio duobus collato potior eſt cui primum facta eſt collatio.*
5. *Papa an alicui beneficium auferre poſſit.*

CONSILIVM CCXXVIII.

VACANTE Canonicatu & præbenda in Ecclesia Cathedrali Brugensi per mortem Antonij Thyrij novissimi illiorum possessoris mense Octobri anno 1586, est per S. D. N. Sixtum Papam quintum VI. Calendas Septembris expeditis Bullis provisum Domino Tossano Raymundano Hos eosdem Canonicatum & præbendam sub nudo verbo Papæ, sine ulla signatura, 19. dicti mensis Septembris contulit idem S. D. Papa cuidam Ioanni Morelle in Romana Curia familiari Cardinalis Salviati; hoc, ut præexit, titulo & colore, quod impetratio dicti Domini Tossani ipso jure esset nulla & inefficax ob id, quia idem Tossanus impetrando hos Canonicatum & præbendam suppresserit & subtricuerit, quod tempore hujusmodi impetrationis habuerit & possederit magnam Vicariam Nostræ Dominæ Tornaci.

Quæritur, an dicti Domini Ioannis impetratio sit potior, & antecedens dicti D. Tossani impetratio nulla? † Certum est, relatum Apostolicum seu bullam impetratam à Sede Apostolica 1
nulla facta mentione beneficij seu beneficiorum, quæ impetrans tempore impetrationis habuit ipso jure non valere, *c. Ad aures c. Cum adeo De reſcript.* etiamsi modicum & parvi valoris sit beneficium, *c. si motu proprio De præb. lib. 6. gloſ. in d. c. Cum adeo in verb. de præbenda*; non tantum dignitas *d. c. Ad aures*, verum etiam omnino simplex: idque non solum si ad impetrationem seu supplicationem Papa contulerit, verum etiamsi motu proprio id fecerit, *d. c. Si motu proprio*. Sed ut hoc obtineat, necesse est quòd beneficium, quod subtricitum & suppressum est, sit verum, spirituale, & perpetuum beneficium, & minimè temporale aut manuale: nam qui hoc obtinet ad nutum superioris amoveri potest, quod ob id in titulum non possidetur; cujus generis est inter alia Vicaria non perpetua ad aliquod officium in Ecclesia vel canendi, vel aliud officium divinum celebrādi sub certo aliquo præstimonio. * Etsi enim Vicarij quidam sint per- 2
petui, & Vicariæ quædam perpetuæ: beneficij tamen Ecclesiastici appellatione etsi contineatur Vicaria perpetua, non continetur tamen Vicaria temporalis, *Clem. 1. De off. vicary*. Ideoque quæ de beneficijs passim in jure statuta sunt, rectè accommodari possunt vicarijs perpetuis, non etiam temporalibus. Et inter cætera quod huc proximè pertinet, quamvis impetratio beneficij à Papa obtenta per eum, qui vicariam perpetuam tunc habebat, non facta illius in impetratione mentione, sit ipso jure nulla: non est tamen nulla suppressio seu subticentia vicatiæ temporalis, *Felin. in c. Poſtulaſtis nu. 1. verſ. Scias autem De reſcript.* quia qui vices alterius subit temporaliter, facile inde moveri potest, *C. Pervenit. 2. De appel.* non enim tam suo, quam alieno jure possidet.

Cùm igitur dicta Vicaria nostræ Dominæ sit simplex, non qualificata nec intitulata, sed magis temporalis à nutu & voluntate Dominorum dictæ Ecclesiæ Tornacensis dependens, non potest dicto Tossano aliquo modo fraudi esse vel præjudicare, quod in impetrando hoc Canonicatu non narraverit se esse talem in dicta Ecclesia vicarium;

cum ex

cum ex hujusmodi vicariatu propriè beneficiatus dici non potuerit. Temporalem verò esse hanc vicariam satis manifestè deprehenditur ex formula juramenti, quod hic vicarius in assumendo hoc vicariatu præstare solet, in qua non obscurè significatur, quod ad nutum Dominorum amoveri possit, his verbis, *si forte vobis aliquando videar amovendus.* Nam amovibilitas in beneficio, illius perpetuitati repugnat; cum perpetuus vicarius qui vicariam in titulum habet, non possit ex sola voluntate patroni aut superioris removeri, *d. c. Adhæc de off. vicarij*; saltem non sine justa & Canonibus probata causa authoritate Iudicis, quia jus in re habet, *d. c. Adhæc & ibi glos. in verb. remonere, Ant. de Butrio cons. 3.* * Et sane si hæc vicaria esset perpetuum beneficiũ, & pro perpetuo reputari posset: non posset conferri retenta facultate vicarium amovendi, aut eogendi eundem ad renuntiationem: repugnant enim hæc naturæ perpetuorum beneficiorum, & collationi seu provisioni illorum adiecta, diminutionem in beneficio faciunt: iure autem permissum non est quod Ecclesiastica beneficia cum diminutione conferantur, *c. 1. Vt Eccles. benefic. sine dimin. conser.* Atque ita cum dictæ Tossani impetrationi nihil noceat prætacta suppressio & subticentia, consequens est provisionem Tossani nullo alio vitio laborantem potiorem esse, vel ex eo solo quia tempore prior est, *c. Tibi c. Duobus De rescript. lib. 6.* etiamsi dictus Ioannes suæ collationis literas prior præsentasset, & ad possessionem perveniisset. *d. c. Tibi.* Neque enim potuit per posteriorem Ioannis impetrationem, nulla facta mentione antecedentis collationis & provisionis dicto Tossano factæ, eidem Tossino acquisitum jus auferri, *l. 2. §. si quis à principe D. Ne quid in loco publico, c. 2. De decimis. lib. 6.* * Et quamvis in rebus profanis eadem re duobus diversis temporibus donata, potior sit non is cui priori res donata seu donationis causa promissa tradita est, *l. Quoties C. De rei vendic.* in rebus tamen spiritualibus seu beneficijs, in quibus exuberantius bona fides exhiberi debet, & inconstantia seu variatio in personis Ecclesiasticis magis improbatur, semper potior est cui beneficium prius donatum est, non cui posteriori, licet is prior ad possessionem pervenerit, *Iason in d. l. Quoties nu. 12. d. c. Tibi d. cap. Duobus*, si modo collatio priori facta jure facta sit, *c. Illud, c. Suggestum De iure patron.* * Et quamvis Papa propter plenitudinem potestatis in beneficijs, *Clem. 1. in fin. Vt lite pendente &c.* de absoluta non ordinaria potestate possit alicui collatum beneficium auferre & alij conferre, *c. Dudum sub fin. De sepult. Ias. d. nu. 12.* hoc tamen in dubio facere velle non præsumitur, *l. Ex facto in princ. & ibi Ioan. de Imola De vulg. & pupil. Innoc. in c. Dudum De decimis*, & numquam nisi cum hoc apertè exprimit. Cum ergò nihil tale sit in posteriore dicti Ioannis collatione; nihil omnino illi tribuendum est, propter ius prius & potius, quod constitit in antecedente impetratione dicti Tossani; qui ob id sine difficultate ad possessionem admittendus est, si nondum fortè admissus sit, & admissus in possessione retinendus; non obstante posteriori surreptitia & obreptitia impetratione dicti Ioannis.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Vicaria perpetua.

1. *Vicaria maioris altaris in Ecclesia Tornacensi an sint perpetua beneficia*
   Res quælibet dignoscitur ex sua denominatione.
2. *Beneficium quodlibet censetur perpetuum non temporale.*
   Ad perpetui beneficij subsistentiam requisita.
3. *Potestas amovendi Capellanos perpetuos non probat Cappellanias temporales.*
4. *Promissio de recedendo à beneficio, non probat illud esse manuale vel temporale.*

CONSILIVM CCXXIX.

VIsis & diligenter examinatis his, quæ super manualitate & perpetuitate Vicariarum majoris altaris in Cathedrali Ecclesia Tornacensi hinc inde adducuntur, probabilius & verius nobis esse videtur, has Vicarias esse & semper fuisse non manualia sed perpetua formaliter spiritualizata beneficia; utpotè habentia omnia symbola & notas perpetui Ecclesiastici beneficij; ut non possint censeri vel nuda officia, vel temporales seu mercenariæ vicariæ. † Quò primùm pertrahit harum Vicariarum in Bulla Vrbani VI. Papæ denominatio & appellatio, qua diserte verbis appellantur *perpetuæ Vicariæ*; ita ut ex ipsa denominatione illis inhæreat perpetuitas, *cap. fin. De off. Vicarij*; quippe natura & conditio cuiusq; rei ex illius denominatione deprehenditur; id enim quidque censetur, quod nomen illius exprimit & designat. *c. Illud De præscript. l. Labeo vers. id Tubero De supel. leg.* & in natura, qualitate, ac conditione rei id esse censetur, quod est in denominationis potestate, *Io. Calder. cons. 27. An impetrans De præben.* potissimùm in his, quæ naturaliter & communiter rei cuique insunt, & quibus nomen rei per omnia congruit, *DD. in l. Si uno D. Locati*, nec ulla necessitas est à propria denominationis significatione ad improbriam deflectere, *d. l. si uno, l. si forte De castrensi pecul. Oldrad. cons. 139. Ad habendam.*

Cùm igitur in natura & conditione cujusque beneficij Ecclesiastici communiter sit, ut sit perpetuum, & in dubio perpetuum præsumatur, *Steph. Bertrand. cons. 253. Existimo quod vol. 6. Celsus Hugo cons. 38. In diœcesi Gerundensi per c. Ad hæc De off. Vicarij*; perpetuitas non temporalitas aut manualitas his Vicarijs attribuenda est; concurrentibus, præsertim alijs omnibus, quæ ad veri perfectique Ecclesiastici beneficij naturam & subsistentiam requiruntur; ut est habilitas ex parte conferentis; & ejus, cui confertur ex Ecclesiastica conditione idonea qualitas beneficio inhærens, quæ præcipua est ut in titulum conferatur, *gloss. 1. in fin. Clem. De decimis, Dominicus Gemin. in c. Si pauper in fine vers. istud dubium De præb. lib 6.* ut sit perpetua, *c. Veniens De filijs presbyt. c. Sanctorum. 70. dist. Oldrad. cons. 146. In Ecclesia Calagurritana*; & denique Canonica institutio, per quam quis in hanc perpetuitatem velut investitur. Sunt enim hæc signa, & velut symbola veri Ecclesiastici spiritualizati & perpetui beneficij, *Ioan. de Selva tract. de benef. p. 1. q. 1. Dec. ad Rubr.*

Rubr. De rescript. sub fin. Quæ sanè omnia ad has Vicarias & earum conditionem concurrere videntur: habent enim in successu temporum à diversis pijs fundatoribus speciales suas ad unum idemque ecclesiasticum officium fundationes, & donationes, ut ex catalogo harum fundationum apertè constat: harum quoque Vicariarum formalis collatio, & ad collationem Canonica institutio, *cap. 1. De R. I. lib. 6.* & ex authorizabili potestate corporalis institutio, & in sede beneficij collatio, *c. Adhæc De off. Archidiac.* Id quod satis probatur ex diversis dictarum Vicariarum per successum temporum factis per Decanum & Capitulum collationibus, provisionibus, & institutionibus: quæ sic sunt omnes conceptæ, ut nullâ ratione possint intelligi factæ de manualibus aut temporalibus beneficijs, expressâ semper expressimque adiecta formali perpetuitatis appellatione & denominatione, quæ non patitur has Vicarias alio jure censeri, quàm denominatio demonstrat, *d. l. Labeo vers. id tubero.* Quam perpetuitatem & inhærentem perpetui beneficij Ecclesiastici qualitatem coadiuvant quoque alia, quæ his Vicarijs cum majoribus Canonicis, & in dicta Ecclesia beneficiatis ex æquo, aut saltem cum parvo discrimine sunt communia, in fructuū & emolumentorum perceptione, beneficiorum collatione, aliorumque communione & participatione; ad quam non vocantur, qui in eadem Ecclesia parvi vocantur Vicarij; sed hac nota ab his majoribus separantur, ut illi manuales & amovibiles seu temporales dicuntur, hi vero perpetui.

3 Quam quidem perpetuitatis naturam & conditionem nihil omnino immutat vel imminuit Innocentij Papæ Septimi Bulla, per quam Canonicis hujus Ecclesiæ indulgetur, ut hos Vicarios instituant, libertate etiam eosdem amovendi concessa: non indiscreta & nullis finibus constricta libertas, & quæ sola sit voluntatis per hujusmodi verba dictis Canonicis concessa non est; sed cum restrictione & limitatione, ut id fieri possit, *communi Capituli assensu secundum antiquam rationabilem dictæ Ecclesiæ consuetudinē.* quæ verba in limitationem & restrictionem faciunt, & ad limites illius effectum rei propositæ restringunt, *l. Cancellaverat De his quæ in testam. delen.* ut non nisi regulata libertas, restricta ad laudabilem consuetudinem, concessa videri debeat; ita ut hujusmodi verba non importent liberam & absolutam voluntatem, sed solum arbitrium boni viri, & sic certum & moderatum, *l. Titan §. sorori, l. fideicommissa in princ. De fideic. libert. Bart. & alij in l. Si sic in princ. De legat. 1.* meritis scilicet Vicariorum id exigentibus. Vt regulariter omnes, quantumvis perpetui Vicarij suo loco amoveri & expelli possunt, si aliquid committant, propter quod suâ Vicariâ mulctari & puniri valeant, *d. c. Adhæc Decoss. Vicary*: perpetuitatem enim Beneficij non mutat aut alterat hæc accidentaria ex justa causa amovendi potestas; cùm accidentaria regulariter rei naturam, conditionem, & substantiam non immutent. Nam ut perpetuum sit & censeatur beneficium, satis est, quod in voluntate & potestate beneficiati sit, ut quamdiu vivit, possit esse perpetuus Rector. Perpetuum enim pro re subiecta variè accipitur; & in hoc juris articulo de perpetuitate beneficij ad differentiam manualis, perpetuus censetur, qui sine præfinitione temporis in beneficio institutus est, sufficitque ob id, quòd ex destinatione sit perpetuus, & perpetuus manere possit, *c. 1. De capel. monach. lib. 6. gl. in V. perpetuum in c. fin. De rescript. lib. 6. Bald. in l. Ex facto sub fin. De hæred. instit. Decius cons. 472. Testator legavit nu. 21.* Vnde in casu hujus concessæ amotionis, non tam voluntas amoventium, quàm factum ejus, qui amovetur, in consideratione habetur: cùm in vera & propria manualitate & amovibilitate nulla fit consideratio voluntatis, seu facti ipsius beneficiati, sed ipsius superioris, qui sic suo nutu ex solo voluntatis motu constitutum in officio vel beneficio amovere & inde avocare potest, *c. Cum ad monasterium §. tales c. 2. §. priores De stat. monach. Clem. 1. De suppl. neglig. Prał.* quali quâ manu constituti sunt, eâdem amoveri possint, & velut ad beneplacitum superioris habeantur, *Card. in d. Clem. 1. §. præmissa nu. 7. Bened. Capra tractat. regular. reg. 73. nu. 4.* Cùm ergò in Innocentij ista Bulla amotionis libertas non in voluntate Capituli, sed in laudabili consuetudine ponatur; perpetuitati harum Vicariarum inde nihil detrahitur. Nam & hoc in omnium etiam perpetuorum beneficiorum conditione & natura est, ut ex rationabili causa eorum possessores ab eis removeri seu amoveri possint: ut expresso jure cautum est, *in d. c. 1. De capel. monach. lib. 6.*

Ex qua etiam consideratione non alteratur harum Vicariarum natura ex formula juramenti, 4
quod ab his Vicarijs cùm instituuntur exigitur: quo jurejurando promittunt suæ Vicariæ cedere & renuntiare, si Decano & Capitulo amovendi videbuntur: nam ex sensu juris, *d. c. 1. De capel. monach.* id quoque accipiendum est de amotione ex justa & rationabili causa; quæ amotioni facultas perpetuitati beneficij non derogat, nec facit illud absolute manuale esse; cùm nec Papa præsumatur in dubio id velle, *Ioan. Calder. cons. 26. An in reservationibus. De præben.* & in potestate Capituli non sit beneficij substantialem & ordinariam naturam alienare; præsertim illorum collatione atque institutione: nam quâ parte alteratio beneficij conditionem strictiorem facit, illi detrahit, illudque diminuit, quod jus non patitur, constituta regula *ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, c. 1. Vt Eccles. benef. sine dimin. confer.*

Omnibus itaque exactè expensis manifestè deprehenditur has Vicarias esse & censeri perpetua & minimè manualia beneficia, & in omnibus juris partibus ut perpetua regulanda esse, & nullâ ratione confundenda, aut permiscenda cum manualibus beneficijs.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Capellania requirens residentiam.

1. *Beneficiorum qualitas ex tempore & usu mutatur.*
   In beneficijs status ultimus inspiciendus.

CONSILIVM CCXXX.

SI ad primam originem ac fundationem Capellaniarum, quas Illustris memoriæ Regina Machtildis Comitissa Flandriæ in anno 1215. mense

mense Novembri fundavit, respiciatur, nulla dubitatio est, quin qualificatæ conditionis sit Cadellania, de quaagitur & difficultas movetur; obligata videl. ad cōtinuam residentiam & celebrationem Missarum in Cappella seu oratorio d. Æ Comitissæ, ejus palatio contiguo. Cæterùm decursu temporum status hujus Cappellaniæ multis modis mutatus est, & quidem in eum, in quo nunc pro præsenti conspicitur. Equidem prior illius status stare non potuit post sublatam dictam Capellam seu oratorium, hac Capellania translata ad aliam in cœmeterio Ecclesiæ Insulensis sitam, sic egrediendo terminos primæ fundationis, & quodammodò propositum ipsius fundatricis; quam & illius successores in successu temporis aliò unà & suam residentiam seu palatium transtulisse verisimile est. Deinde ad præsentem statum dictæ Capellaniæ respiciendo is invenitur talis, ut hoc beneficium pro puro & simplici minimèque qualificato beneficio in libera illius conditione obtineri, haberi, & possideri possit, sine necessitate perpetuæ residentiæ, & sine periculo amittendi beneficij.

In beneficijs enim & eorum statu decernendo, inspiciendus est ultimus illorū status; qualis is fuerit tunc, cùm de beneficio, & illius qualitate quæstio incidit, *Bald. in l. si mater* C. *Ne De statu defunct. Doct. in c. Cum de beneficio De præben. lib.* 6. Vnde est quod Ecclesia, quæ origine est curata, si multo tempore sine cura possessa sit, non pro curato, sed pro simplici habeatur, *Pet. Anchar cons.* 162. *In quæstione Ecclesiæ* Et ad hoc ut Ecclesia dicatur esse vel non esse juris patronatus, inspiciendum & considerandum est, quo jure illa novissimè collata & obtenta fuerit, *c. Consultationibus De iure patron. Decius cons.* 126. *In causa Dominis Francisci.* Ita etiam facilè sursum deorsum revolvuntur beneficia Ecclesiastica, nec semper eandem stationem retinent; sed sæpè mutantur vel usu, vel statuto, vel consuetudine, *c. Cum accessissent in fine De constit. Celsus Hugo cons.* 91. *Duo sunt nu.* 7. Cum igitur nobis proponatur hanc Capellaniam, aliamque cum illa simul fundatam à sua prima fundatione exorbitare, & neque eodem loco consistere, neque eodem modo quo fundata est obtineri & regi, & per se sit simplex minimèque curatum aut dignitatis beneficium; non potest censeri restrictum ad necessariam continuamque residentiam, sed illius munus etiam in absentia sustineri & impleri posse per vicarium seu substitutum: cum in priore Capella, quæ jam sublata est, id fieri non possit; & ad alteram cum necessitate continuę residentię translata non inveniatur. In cujus conformitatem facit, quòd proponitur juramentum continuæ residentiæ ab his Capellanis semper exigi non solere, & sæpissimè, ut minus necessarium, omitti; Idéque magis beneficio afficiendi, quam constringendi Capellani gratia: ad effectū scilicet percipiendi distributiones in choro, non semper & ordinariè, sed certis dumtaxat diebus & horis: ita ut hæc residentia reputari non possit pro plena residere volentis residentia. Vt enim quoad quid residentia in beneficio videatur necessaria; qualiscumque tamen actus residentiæ ad illam constituendam non sufficit: quia beneficium quod residentiam personæ requirit, totam personam requirit & occupat. Vnde est, quòd cùm pluribus locis quis residere non possit; quia naturaliter fieri nequeat, ut quis pluribus locis ex æquo consistat, *cap. Quia nonnulli De Cler. non resid. l.* 3. *§ ex contrario D. De acq. poss.* non intelligatur posse obtinere beneficia plura ex æquo personalem residentiam requirentia. Inspiciendo itaque ad præsentem hujus Capellaniæ statum, existimamus eum qui nos consulit S. D. N. Papæ non obrepsisse per hoc, quòd in impetratione Canonicatus & præbendæ Insulensis narraverit hanc Capellaniam sine cura esse, & personalem residentiam non requirere: utrumque enim verum est, & ob id impetrationem dicti Canonicatus nulla ratione facit subreptitiam vel obreptitiam; ut tamen faceret, si alterum horum in rei veritate aliter sese haberet, *c. Postulasti De rescriptis.* Atque ita arbitramur etiam ulterius nullum periculum consulenti imminere ex primæva dictæ Capellaniæ origine, quæ in successu temporis ad eam formam, qua nunc conspicitur, transformata est.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM

Beneficiorum incompatibilitas.

1. *Terminus appellanti à iudice præfixus operatur desertionem appellationis.*
2. *Restitutio adversus desertionem an rustico detur,*
3. *Ecclesia iure minoris fungitur.*
4. *Minor ex ignorantia vel negligentia restituitur adversus desertionem iudicij vel appellationis vel huius omissionem.*
5. *Beneficium Ecclesiasticum quomodo constituatur. Legatum certarum Missarum hebdomadatim celebrandarum non est beneficium Ecclesiasticum Exlegato certarum Missarum hebdomadatim celebrandarum, si nihil aliud sit dispositum Fructus relicti cum onere pertinent ad pastorem loci.*
6. *Institutionis vox plura significat.*
7. *Institutio Canonica ad Episcopum pertinet.*
8. *Beneficia manualia quæ?*
9. *Beneficia manualia gratijs expectativis non subyciuntur.*
10. *Beneficia simplicia non requirunt residentiam.*
11. *Consuetudo in qualitate beneficij attendenda.*
12. *Beneficio qui deservire non potest illud habere non debet.*
13. *Spolij privilegium an habeat qui beneficio deservit vel qui manuale tantum beneficium habet.*

CONSILIVM CCXXXI.

DE duobus præcipuè est quæstio in causa appellationis, quàm à sententia per Dominum Officialem Mechlinienſem lata interposuerunt magistri Fabricæ & mensæ sancti Spiritus Parochialis Ecclesiæ de Esschenis, adversus D. Ioannem Dorloge originalem Actorem nunc appellatum; primum de appellationis desertione alterum de appellationis injustitia. De desertione major futura erat disceptatio, si in rescripto delegatorio, ex quo Rever. D. Abbas jurisdictionem in hac causa habet, non esset inserta clausula permissæ facultatis, *non tantum fatalia appellationis, si lapsa non essent,*

Tr rogandi & de novo concedendi; *sed etiam si lapsa non essent adversus lapsum huiusmodi ac quemcumq; terminum à iure seu ab homine statutum, seu quamcunque aliam desertionem in integrum restituendi*: hac enim clausula omissa periculum desertionis imminere posset; ob id, quòd dictus Dominus Officialis respondendo de apostolis præfixerit Appellantibus terminum quatuor mensium ad hujusmodi appellationem prosequendam, & ipsum de diligentijs interim factis certiorandum; quorum neutrum interea factum esse constat, cùm sententia fuerit lata & dati apostoli die 16. Ianuarij anno 1573. rescriptum verò impetratum 8. Septembris, & sic quatuor ferè mensibus post præ-
1 stitutos dictos quatuor menses; * quorum lapsus operatur regulariter appellationis interpositæ desertionem, *Panor. in c. Personas De appell. Lud. Rom. singul. 163. Hoc nesciunt Legistæ*: cùm terminus ab homine præfixus perinde stringat, ut præfixus à jure, *c. Cum sit Romana, c. Reprehensibilis De appell.*

Cæterùm dictæ clausulæ potestas, & illius usus, hoc est petitio restitutionis in integrum, adversus hujusmodi termini lapsum, formaliter in hac causa proposita, periculum desertionis seu illius effectum prorsus tollit; ita ut officio Domini Iudicis incumbat, saltem in pronuntiatione sententiæ definitivæ, initium facere à declaratione restitutionis in integrum, adversus hujusmodi termini lapsum, non à jure communi statutum (nam is tempore impetrati rescripti adhuc durabat, nondum elapso anno à pronuntiata sententia, *Auth. Ei qui appellat C. De temp. appellat.*) sed ab homine, hoc est dicto Officiali de apo-
2 stolis respondente præfixum. † Et cùm restitutio in integrum sine justa causa non detur, præsertim majoribus, *l. Etsi sine §. fin. De minorib.* non deest in proposito causæ hujusmodi petitionis justitia: non tantùm ex allegatis impedimentis, quæ supervenerunt, sed etiam ex eo, quod evidenter constet, Reos nunc Appellantes homines esse rusticos, quibus faciliùs succurritur, præsertim in juris ignorantia, *gloss. in l. 1. C. De iuris & facti ignor.* ut est in proposito, in quo prætexitur, quòd Appellantes ignoraverint se cadere jure suo, per
3 lapsum hujusmodi temporis. † Deinde cum hæc causa non contingat ipsos Appellantes proprio nomine, sed nomine administrationis, idque non profanarum seu sæcularium personarum aut negotiorum, sed Ecclesiæ, sic ut non tam appellantium, quàm ipsius Ecclesiæ sit hæc causa, quæ jure minoris fungitur, *gloss. in l. Liberos & ibi Salyc. C. De excus. tutor. Nicol. Euerard. Præses in loco à pupillo ad Ecclesiam*; facilè ad instar minoris in integrum restitui debet, ubicumque vel ignorantia vel negligentia aliqua læsa
4 est. † Minorem autè adversus remodicium, hoc est desertionem judicij, & item adversus desertionem appellationis, in integrum restitui posse manifestum est, *d. l. Etsi sine §. fin. De minorib. l. Properandum §. ult. C. De iud.* cùm possit etiam restitui ad appellandum, si intra tempora non provocaverit, nullâ aliâ justâ causâ allatâ, *d. l. Etsi sine §. item si non provocaverit*: quia negligentia propria vel administrationis ei nocere non debet, cùm culpa tantùm sit, non dolus aut delictum, in quo cessat restitutionis remedium, *l. Si ex causa §. nunc videndum De minorib.* Remotâ desertione, aperienda & detegenda est appellationis justitia, quæ consistit in justitia defensionis Reorum, & injustitia petitionis partis agentis. Cujus quæstionis status in eo consistit, an justè præfato Actori denegata sit continuatio celebrandarum Missarum, pertinentium ad Cantuarium dictæ Ecclesiæ de Esschenis? Quod ut apertiùs demonstretur, in primis inquirendum, an officium, beneficium, aut quid aliud sit dictum Cantuarium? † Et sanè non potest dici formale bene- §
ficium Ecclesiasticum, quia non constat de illius erectione & spiritualizatione per Episcopum aut alium Ecclesiasticum Prælatum potestatem habentem facta. Quippe illius originem ipse Actor constituit in testamento quondam Domicellæ Elizabethæ vanden Heetvelde, quæ ut nullam habuit potestatem creandi seu erigendi beneficium Ecclesiasticum, quod in titulum obtineri aut haberi posset; ita quoque nec id voluit: sed hoc tantùm pia sua dispositione ordinavit, ut in Ecclesia de Esschenis singulis septimanis tres Missæ celebrarentur per aliquem sacerdotem ad hoc assumendum. Quæ dispositio pro fundatione beneficij Ecclesiastici accipi non potest, sed tantùm pro legato pio, *Rebuff. in tract. nominat. quæst. 15. nu. 17.* quod cum beneficio Ecclesiastico non convertitur. Beneficium enim ut sit Ecclesiasticum & pro titulo Ecclesiastici beneficij conferri & haberi possit, spiritualizari debet, hoc est per Episcopum seu ordinarium diœcesanum loci in titulum Ecclesiastici beneficij creari & erigi, *c. Regenda c. Noverint x. quæst. 1.* Nec sufficit ad hoc dotantis aut bonam in eo causam relinquentis voluntas seu dispositio; cùm erectio & creatio beneficiorum sit meri imperij in Ecclesiastica jurisdictione & superioritate, *Panorm. & alij in c. Quod sedes De off. iud. ordin.* & res planè Ecclesiastica & spiritualis, cujus potestatem, tractationem, aut executionem laicus habere non potest, *c. Decernimus De iud. cap. Cum laicis De reb. Eccles. non alien.* Vt in simili facti specie eleganter respondit Cardinalis Zabarella, *consil. 82. Quadam domina condidit testamentum*, & eum sequutus Felinus, *consil. 41. Vicarius Episcopi.* Imò quod magis est nec altaria ex devotione parochianorum in Ecclesia aliqua constructa & dotata, pro beneficijs Ecclesiasticis accipi aut reputari debent, quamdiu per Episcopum non sunt spiritualizata, hoc est approbata & in titulum Ecclesiastici beneficij erecta, *Calderinus cons. 20 Quidam ædificavit sub tit. De iur. patron. Rebuff. in praxi benef. lib. 1. tit. quid sit & quot mod. dic. benef.* nam hujusmodi pia legata seu dispositiones, ante approbationem Episcopi, stant in suo nomine, & nihil aliud sunt quàm legata & donationes, non beneficia Ecclesiastica, *Rebuff. d. quæst. 15. nu. 17. & in praxi benef. lib. 1. tit. Quare inst. sint benef.* Et sanè tantùm abest, ut ex hujusmodi legato seu dispositione constituatur beneficium Ecclesiasticum; ut nulla facta declaratione per testatorem, per quem velit hujusmodi Missas celebrari, celebrandi

& fructus

& fructus ad hoc relictos percipiendi facultas pertinat ad Pastorem seu Rectorem ipsius Ecclesiæ, *Felin. d. cons. 41. n. 3.* quod evidens indicium est, ex hujusmodi legato seu fundatione non resultare beneficium Ecclesiasticum, quod in titulum conferri vel haberi possit: nam sic alioqui Pastor haberet sub eodem tecto duo beneficia; quod juris ratio non patitur, *c. Literas De concess. præben. glos. & Doct. in clem. Gratiæ De rescript.* Nec ideò quia testatrix cavit, ne Pastor seu Curatus illius Ecclesiæ de Esschenis ad celebrationem harum Missarum præsentaretur, magis erit separatum beneficium: quia cùm permiserit, imò (ut videtur) voluerit semper præsentari ad illam Cappellanum Ecclesiæ, si acceptare velit, evidens argumentum est, quòd noluerit hoc esse unum formale beneficium per se, sed tantùm accessionem emolumenti ad aliquam ex Capellanijs ejusdem dictæ Ecclesiæ.

Neque rursus ad constituendum titulatum bene- 6
ficium hoc quicquam facit, quòd testatrix non tantùm de præsentatione presbyteri, sed de illius etiam institutione disposuerit; institutio autem propriè sit in Ecclesiasticis beneficijs, *extra De instit. per tot. c. 1. De R. I. lib. 6.* nam *institutionis* verbum polysemum est, & in jure pro re subjecta variam significationem habet, *Cardin. Zabarella in c. Auctoritate De instit.* Propriam quidem & peculiarem, quæ juris & tituli magis, quàm possessionis translationem continet, totaque ob id juris non facti est, *c. Cum ex iniuncto De haret. c. 1. De R. I. lib. 6. & ibi Doct. gloss. 2. in d. cap. Auctoritate*, & in laicam personam non cadit, quia spiritualis est: impropriam verò, quæ inductionem in possessionem realem indicat, & facti magis quam juris est. Impropria itaque censenda est institutio, cujus potestatem in dicto testamento Rectoribus Fabricæ, & Provisoribus mensæ sancti Spiritus permisit testatrix, cùm sint personæ laicæ & sic institutionis propriè dictæ omnimodò incapaces, *d. c. Decernimus c. Adrian. & sequen. 63. distinct. cap. Si quis deinceps XVI. q. 7. Card. Zabarell. in c. Præterea I. in 2. quæst. De iure patron.* ideoque accipienda pro reali in possessionem inductione, quæ facti est, & in laicum etiam cadit.

Deinde quod dicti testamenti verba ad institu- 7
tionem Canonicam referri non possint, ex eo etiam deprehenditur, quòd institutionem Canonicam dicta testatrix ne quidem alicui Ecclesiasticæ personæ dare potuerit; quia illa debet esse in dispositione Episcopi seu superioris, quam tollere aut immutare non potest testator in suo testamento, donatione, vel fundatione, *l. Nemo De leg. 1. Imola in c. Cum dilectus De consuet. Cardin. d. consil. 82. Bartol. in l. Quoties De administ. tut.* Et præterea ex illo, quòd dictis Provisoribus & Rectoribus non tantùm institutionem, sed & præsentationem testamento suo reliquerit. Iam verò manifestum est, in eodem homine, nisi per accidens, & ex consideratione diversæ qualitatis, non cadere jus præsentationis & institutionis propriè dictæ, *Rebuff. in praxi benef. lib. 1. tit. De forma vicariatus nu. 149.* quia non tantùm nomine, sed & re distinguuntur præsentatio & institutio; sicut diversa sunt officia præsentantis & instituentis, ideoque non rectè unus idemque utroque officio fungatur, *l. Ille à quo §. tempestivum Ad S. C. Trebell. Rebuff. d. nu 149.*

Relinquitur ergò hanc fundationem seu legatum pro beneficio Ecclesiastico accipi non posse, sed tantùm ministerium seu officium aliquod esse, quod ut originem, ita quoque omnem suam formam & substantiam habet ex dicto testamento; ideoque hujus generis beneficia cum diminutione dicuntur simplicia servitoria; ut dicere Missam, vel juvare presbyterum curatum in canendo Missam; quæ Ecclesiastica quidem sunt, tunc cùm sunt spiritualizata, sed antè non, *c. Significatum De præb. Ioan. Staphil. in tract. De lit. gratiæ tit. De qualit. & statu benef. nn. 3. Card. Zabarel. cons. 57. Ad primum nu. 2. &. 5.* Quo respectu factum etiam est, quod hæc qualiscumque dispositio non Capellania, sed in usu Cantuarium vocatum sit, quod officij & operæ magis est quàm beneficij. Quibus omnibus consequens est, hanc fundationem, seu potiùs jus obtinendæ administrationis & officij ex ea perpetuum non esse, nec jure perpetui beneficij censeri; cùm beneficia omnia sæcularia de sua natura sint perpetua, *Cardin. d. n. 2. & 5.*

Vnde ulteriùs infertur, hoc beneficium 8
largo modo acceptum manuale tantùm beneficium esse, aut saltem manualium beneficiorum naturam imitari, quorum natura est, ut vel ad nutum conferentis seu superioris, vel certo modo sint revocabilia, occurrente saltem legitima causa, *c. Satis perversum 56. distinct. c. Veniens De fil. presb. Card. d. cons. 57. Nicol. de Milis in repertorio dict. Beneficia manualia*; quia scilicet ut destituuntur auctoritate & spiritualizatione Episcopi, ita quoque fragilia & instabilia sunt, ideò quòd de hujusmodi manualibus idem statui non possit, quod jure communi statuitur in veris beneficijs natura sua perpetuis. † Neque enim mandata 9
de providendo de aliquo beneficio, item reservationes beneficiales ac nominationes ad beneficia, extendunt effectum suum ad hujusmodi manualia beneficia, *Calderin. consil. 26. De præben. Rebuff. d. nu 17. Saphil. in tract. De lit. gratiæ tit. De formu exspectativarum nu. 29. Quintil. Mandos. ad regul. cancell. De reser. q. 10. in princ.* & qui horum aliquod sub titulo beneficij impetrat, non expressa qualitate manualitatis, vitiosè impetrat, *Cassador. decis. 4. De præben.* Quæ ideò latius deduximus ad eximendam opinionem, quam Actor assumit, quasi hoc, de cujus restitutione contendit, sive officium sive beneficium sit perpetuum, & ad exemplum perpetuorū beneficiorū propter defectum residētiæ in dicta Ecclesia ab eodem deturbari aut amoveri non possit, sub prætextu quòd simplicia beneficia residentiam non requirant, sed possint regi, ac illorum fundationi satis fieri ab eo, qui alio loco residet, vel etiam per alium: † 10
cùm simplicia beneficia non tam ex jure, quàm ex generali ferè totius orbis consuetudine, regulariter non requirant personalem residentiam, & in ijs permittatur deservitura per vicarium, *Ant. De Butrio in Clement. Gratiæ De rescript. staphil. in tract. De literis gra. tit. De qualit. & statu benef. nu. 8.* Cùm ergò hoc sive officium sive beneficium non habeat perpetuitatem, sed amovibilitatem ad nutum

ex dispositione juris communis, quia ab Episcopo creatum aut confirmatum non sit, ideoque jure Cappellaniæ non possit censeri, *Bonif. De Vital, in Clem. ult. De decimis*; videndum est, an hanc qualitatem habeat vel ex sua prima origine, hoc est, ex dicto testamento, vel ex usu seu consuetudine.

Quod ad testamentum aut primam fundationem attinet, manifestè ex dicti testamenti verbis percipitur, testatricem voluisse, ut Cappellanus Ecclesiæ ad hujusmodi celebrationem assumeretur; item quòd qui sic assumptus est, ipse has Missas celebrare debeat, hoc est in propria persona & non per alium, emphasis enim est in verbo, *ipse*. Quò respicit, quod noluerit hoc munus deferri Pastori loci, sed Cappellano; nimirum propter
11 residentiam & adjutorium in Ecclesia. † Et quamquam verba testamenti non tam apertè hanc personalem residentiam, & in casum defectus illius amovibilitatem seu privationem exprimant; insequentis tamen temporis usus & consuetudo id evidenter expressit & induxit: qui usus & consuetudo in statu & qualitate beneficiorum constituenda seu superinducenda plurimùm valet: nam sic fieri potest, ut quod origine manuale fuit officium, contrario usu & præscriptâ consuetudine efficiatur perpetuum; & è contra quod origine perpetuum fuit, sic effici possit manuale, *c. Cum de beneficio De præben. lib. 6. Ant. de Butrio in c. Protecta in fine De confirmat utili vel inut. Nicolaus Milis in repertorio dict. Religiosus non potest consentire.* Iam verò manifestum est, hanc fundationem sic semper fuisse acceptam, ut personalem residentiam requirat; & ob id ex usu Cantuarium sit nuncupatum, & in hanc usque diem Cantarij nomine appelletur, à canendi necessitate pro adjutorio Curati, quo destitueretur, si per residentem non occuparetur hæc fundatio. Nihil enim vetat beneficio aut officio alicui in successu temporis majus aliquod onus imponi, quàm continet prima fundatio, ut expresso jure decisum est, *in d. c. Significatum De præben.* præsertim quando sic superadditum onus tendit ad divini officij, seu cultus augmentum, *Gl. 1. in d. c. Significatum*, nec planè recedit à prima fundatoris voluntate, ut contingit in proposito: cur enim testatrix noluit hanc Missarum celebrationem deferri ipsi Curato nisi ut ex hac occasione numerus presbyterorum in Ecclesia augeretur, & sic expeditiùs in ea caneretur? Quod autem talis status fuerit & conditio hujus fundationis ultra hominum memoriam, demonstrat, testium in hac causa productorum testimonia; qui nominatis aliquot, qui hujus Cantuarij deservitores fuerunt, testificantur ita servatum fuisse, ut qui id obtinerent residerent non tantùm ex nuda facti contingentia sed etiam per exercitium juris privationis & mutationis, occurrente defectu residentiæ, seu migrationis ex loco de Esschenis. Quinimò ex depositionibus testium hoc quoque constat, quòd hujus causæ Actor ad hoc officium pervenerit per privationem D. Ioannis Meldaert, postquam ex loco de Esschenis migrasset: imò quod amplius est, continent etiam dicta testimonia, quòd in alijs præcedentibus deservitoribus Actor pati noluerit, quòd hæc deservitura seu Cantuarium ejs relinqueretur, postquam aliò migrarent seu migrare vellent. Ita ut quod jus sive æquum (ut revera æquum est) sive iniquum in alijs statuit, hac in re, hoc est potestatem privandi propter migrationem, adversus se quoque admittere debeat, *l. 1. D. Quod quisque iuris &c.* Eoque pertinent aliorum testimonia, quæ continent hoc Cantuarium sicut alijs præcedentibus, ita & dicto Actori datum esse sub conditione personalis residentiæ & adjutorij in canendo; & quod alijs sub eadem conditione collatum fuerit. Ex quo rectè infertur præsumptio, quod vel expressè ita quoque Actori facta sit illius concessio, vel saltem tacitè: officia enim ut præsumuntur conferri sub solito salario & consueto, ita quoque sub solito & consueto onere etiamsi nihil dicatur, *glos. Bald. & alij in l. Excepto C. De locato & conducto.*

Quia igitur ea est hujus Cantuarij natura, status, 12
& conditio, ut assiduitatem, hoc est residentiam & personale officium omninò requirat, quod alio loco residens exhibere non potest, nec admittat alterius substitutionem, ut est de hac re rotundus de jure textus, *in d.c. Significatum & ibi glos. in V. delegare, eleganter Ant. de Butrio cons. 3. quod duplicatur cons 51. incip. Seposita formalitate*; jure & meritò denegatur dicto Actori facultas celebrationis Missarum, qui translatâ residentiâ ad alium locum, cætera incumbentia præstare nec offert nec potest, etiamsi exiguo loci intervallo inde migraverit: cum occupatâ seu obtentâ administratione Curæ vicini loci, non possit tunc cùm canendum est huic Cantuario deservire; ideoque alterâ omninò carere debeat, ne cùm in utrumque festinat neutrum bene peragat, *l. ult. C. De assessor.*

Quæ consideratio facit, ut quamvis Actor in 13
hac causa, velut ex spolio ad restitutionem & redintegrationem concluserit, nihilo magis fundatus sit: nam cùm hæc, de qua diximus, hujus Cantuarij conditio & qualitas sit, ut velut tacitam privationem ex causa migrationis superinducat, hoc facit, ut spolium hic intelligi non possit: ut nec spolij remedium habet, qui ultrò renuntiavit, seu abrenuntiavit beneficio, *c. 2. c. Accepta De restit. spoliat.* Vt communiter receptum est, quod nullo remedio succurratur his, qui manualia tantùm beneficia simpliciter ad nutum vel in casum certum removibilia habent, *Pet. Rebuff. in tract. De pacif. possess. nu. 272.* cùm etiam hujus generis beneficia non nisi largo modo beneficia dicantur, nec sit eorum verè aliqua vacatio propter removibilitatis facultatem, *Clem. fin. De rescrip. Felin d. cons. 41. in fine.*

Proinde existimo per Dominum Officialem primæ instantiæ Iudicem malè esse judicatum, & ab eo justè appellatum, illiusque sententiam retractandam, ac judicandum, Actorem in perita restitutione fundatum non esse, eundemque Actorem condemnandum in expensis, non tantùm hujus, sed etiam primæ instantiæ; ex quo sententia illa venit retractanda ex eisdem actis, sine ulla alia nova allegatione aut probatione, *Bart. in l. Generaliter §. 1. nu. 8. C. De reb. cred. ex sententia Ioan. Andreæ in c. Ignorantia De reg. iur. lib. 6. Innoc. in c. Ecclesiarum litibus De dolo & contum. Felin. cons. 23. Visa petitione nu. 13. Alex. consil. 172. Visis & oportune in princ. vol. 1.*

De

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM

Beneficiorum incompatibilitas.

1 4 { *Beneficiorum Curatorum accumulatio prohibita. Cap.* Execrabilis De præben in Extravag. *c.* Ioannis XXII. *intellectus.*

2. *Cap.* Super eo De præbend. lib. 6. *intellectus.*

3. *Vnionis effectus.*

CONSILIVM CCXXXII

MANIFESTA est Ioannis vicesimi secundi Papæ pluralitatem Ecclesiasticarum dignitatum, aliorumque beneficiorum curam animarum annexam habentium execrans & detestans constitutio, *c. Execrabilis De præben & dignit. in Extravag. Ioan. XXII.* * per quam ampliata Concilij Lateranensis sub Alexandro Papa tertio con- 1
stitutione, *c. De multa De præben. & dignit.* de non accumulandis pluribus dignitatibus & alijs Ecclesiasticis beneficijs curam animarum annexam habentibus, hæc pœna adversus accumulantes statuta, ut adeptione posterioris ipso jure vacet prius; & si utrumque de facto retinere tentaverit, posteriore quoque privetur: ulteriùs constitutum est, ut contraveniens non tantùm incurrat amissionem utriusque talis beneficij, dum utrumque seu plura de facto simul retinere tentat, sed præterea inhabilis fiat non tantùm ad sacros ordines suscipiendos, sed etiam ad habendum quodcumque beneficium Ecclesiasticum. Iam verò ex facto proponitur, quòd in Ecclesia Collegiata S. Germani Thenensis principalis dignitas est Decanatus, & præterea duæ Plebaniæ seu Curæ parochiales; quæ singulæ annexos habent Canonicatum & præbendam in eadem Ecclesia; quarum Plebaniarum alteram ab hic septem circiter annis obtinuit D. Henricus Capricornu; qui & paulò post in eadem Ecclesia Decanatum obtinuit, illumque cum dicta Plebania totis sex annis retinuit, & in utriusque possessione de facto permansit.

Quæritur, an ne per hanc utriusque tam diutinam retentionem Decanatum ipso jure amiserit? Si ad dictæ execrantis constitutionis verba respiciatur, nulla videtur esse dubitatio, quin cùm dictus Decanatus sit dignitas, & quidem cum evidente cura animarum, & prætacta Plebania notoriè curata, propter sacramentorum exhibitionem illi in parochia incumbentem, dictus D. Henricus per acceptionem & retentionem utriusque utrumque amiserit, & præterea inhabilis factus sit ad obtinendum quodcumque etiam simplex beneficium Ecclesiasticum. † Interim tamen in tam 2
aperta juris decisione præfatus D. Henricus persuadet sibi neque amissionis neque inhabilitatis periculum sibi imminere, ex constitutione Bonifacij Papæ Octavi, *in c. Super eo De præben. lib. 6.* quâ statuitur, quòd qui in Ecclesia personatum seu dignitatem habet, possit sine contraventione adversus supratactum Concilium generale, *d. cap. De multa*, in eadem Ecclesia præbendam, cui parochialis Ecclesia annexa est, sine ulla etiam dispensatione obtinere: quasi scilicet annexio parochialis curæ ad præbendam non faciat ipsam præbendam seu Canonicatum curatum, sed relinquat eum in statu simplicis beneficij ex potiore denominatione. Vt regulaliter accessio seu accessorium sequatur naturam principalis, etiamsi principali minus sit, quod accedit, *§. si tamen alienam Instit. De re divis. c. Accessorium De reg. iur. lib. 6. Pet. Anchar. in d. c. Super eo nu. 2.*

* eaque plerumque sit vis unionis & annexionis, ut unitum & annexum velut extinguatur, & in naturam ejus, cui unitur, transformetur. 3

Verum vana nec juri consentanea est hæc persuasio; ob id quod, dicta Bonifacij constitutio ex decreto supradicti Concilij Lateranensis accipienda sit, non de illa Ecclesia parochiali, quæ per ipsum præbendatum Canonicum principaliter regenda est, sive in eadem sive in alia Ecclesia, sed de illa, quæ tantùm à Canonicatu seu præbenda dependet; curæ ipsius exercitio relicto Vicario perpetuo, in annexæ Ecclesia parochiali, per Episcopum seu uniendi seu incorporandi potestatem habentem instituto: ut fieri solet, dum ob exiguitatem redituum præbendæ Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ illi unitur seu annectitur Ecclesia parochialis, aut aliud quodvis beneficium vel dignitatis vel Curatum, *c. Exposuisti De præben.* Eo enim casu cura animarum saltem in foro pœnitentiali magis residet apud perpetuum Vicarium, quàm apud Canonicum, cujus præbendæ non tam Ecclesia parochialis, quàm illius fructus & reditus annexi censentur, ut ex sententia Glossæ, *in d. cap Super eo in V. annexæ*, tradidit Ioannes Monachi, *in d. c. Super eo in prine. & ibi Geminian. nu. 4. gl. 2.* Vt non mirum sit, si natura Canonicatus maneat in suo priore statu, nec propter talem accessionem Ecclesiæ parochialis ipsa præbenda efficiatur curata. Vnde est, quod si unitæ & annexæ Ecclesiæ Canonicus præbendatus personaliter per se aut saltem per vicarium temporalem deservire debeat, locus esse non possit Bonifacianæ constitutioni. Quod ipsum satis quoque decidit per dictam Ioannis vicesimi secundi execrantem constitutionem, *in d. c. Execrabilis §. quantum autem ad modificationem*, quod scilicet Ecclesiastica beneficia dicantur curam animarum habere, quæ parochias habent, in quibus est cura animarum, non per vicarios perpetuos, sed per Rectores & ministros beneficiorum illorum temporales vicarios exercenda; quasi quæ per vicarium temporalem regitur, censeatur regi per principalem, qui in Ecclesia curata intitulatus est, *Cardin. Zabarella consil. 30. In hac dubia quæstione in prine.* Cum igitur hic curatus Canonicatus non sit in alia aliqua Ecclesia (de qua potissimùm loquitur Bonifaciana constitutio) sed in eadem, in qua quoque est prædictus Decanatus, & qui eundem Canonicatum habet, per se aut saltem per vicarium temporalem curam parochialem tam in foro pœnitentiali, quàm contentioso exercere debeat; manifestum est, hunc curatum Canonicatum cum dicto Decanatu omnimodò incompatibilem esse; ideoque ex retentione utriusque præfatum D. Henricum indubitatè incurrisse pœnas dictæ execrantis constitutionis. Et ita quidem, ut etiamsi docere posset aliquando visum fuisse, ut unus idemque in dicta Ecclesia eodem tempore habuerit & retinuerit cum Decanatu alteram ex dictis plebanijs seu curatis præbendis & 4

dignitatibus, nihil id ipsi prodesse posset: quia tam potens est & Concilij Lateranensis, & dictę execrátis constitutionis prohibitio incompatibilium, ut nulla quantumvis inveterata consuetudo possit illam avertere vel mitigare sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Cum alioqui planè absurdum foret, in eadem Ecclesia, in qua tam exiguus est Canonicorum numerus, unum eundemque & Decanum & Pastorem seu Plebanum esse, sic ex accumulatione duorum principalium diminuto eorum numero; ut eleganter respondit Freder. de Senis, *cons.* 205. *Ad aures*. Illud quoque non parum huic dicti D. Henrici conatui resistit, quod non constet has duas Plebanias ipsi Canonicatui seu prębendæ accessoriè annexas esse; quod omninò requirit Bonifaciana constitutio, *d. c. Super eo*; sed potiùs Canonicatus, seu prębendas venire in accessionem harum plebaniarum, aut saltem ita hæc duo consistere, quod neutrum sit alteri accessorium, sed utrumque per se consistat; & in dubio non censeatur in accessionem venire, quod per se majus & magis ex sua natura principale est, *glos. in Clem. Per litteras in V. Ecclesias De præben. per. Anchar. in d. c. Super eo nu.* 2. *& cons.* 114. PRO *impetrante*; ut proculdubio est Plebania, seu curatum beneficium in comparatione Canonicatus seu prębendæ, *DD. in d. c. Super eo.* De quo minus in proposito dubitandum est, quod horum Canonicatuum & prębendarum Rectores seu possessores, etiamsi verè sint in dicta Ecclesia Canonici, principalem tamen denominationem non habeant à Canonicatu, sed potiùs à Plebania seu Pastoratu; quia in usu magis Plebani seu Curati & Pastores vocantur, quam Canonici: ex qua denominatione, & illius possessione, principale non accessorium constituendum est, *d. glossa in V. Ecclesias, Steph. Bertran. cons.* 86. *Viso casu nu.* 12. *vol.* 8. Cujus probabilitas augetur ex eo, quòd hæ Plebaniæ originem vetustiorem in dicta Ecclesia habeant: Canonicatuum autem in eadem Ecclesia erectio, & parochialis Ecclesiæ in Collegiatam transformatio, vix centesimum vicesimum annum excedat: ut constat ex literis Apostolicis hujusmodi erectionis & transformationis, quas diligenter excutere consultum est, ad hoc potissimum demonstrandum, quòd hæ Plebaniæ accessorię non dependeant à Canonicatu seu prębenda. Atque ita existimo D. Henricum, qui tot annis hanc Plebaniam cum Decanatu contra iuris prohibitionem obtinuit, pro Decano habendum non esse, nec haberi posse sine rehabilitatione & dispensatione Apostolica.

De prębendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Beneficiorum incompatibilitas.

1. 4. 5. *Concil. Trident.* cap. 2. sess. 22. De reform. & cap. 17. sess. 24. De reform. *intellectus, & de super Cardinalium resolutiones. Canonicatus an sit incompatibilis.*

2. *Canonicatus in Cathedrali quando olim fuerit incompatibilis.*

3. *Constitutio quædam Pij Quinti Papæ de anno* 1568.

CONSILIVM CCXXXIII.

SI usquam in beneficialibus decretis sacri Oecumenici Concilij Tridentini est obscuritas, & percipiendi veri sensus & intellectus difficultas, est certè illa vel maxima in eo articulo, qui ex fine tertij capitis, *De reformatione sess.* 22. & ex decimo septimo capite *sess.* 24. exoritur; * ut planè & absolutè dici nõ possit, an Canonicatus non tantum Cathedralis, sed etiam collegiatæ Ecclesię post dicti Concilij reformationem sit incompatibilis seù incompatibilitate, quam execratur & detestatur Ioannis XXII. Papæ constitutio, *c. Execrabilis in Extravag. Ioan. XXII. tit. de prębend.* incompatibilitatem constituens plurium beneficiorum, dignitatem vel curam animarum habentium; ut nemo sine dispensatione legitima illorum similium vel dissimilium plura obtinere & retinere possit; sed qui unum obtinet adeptione alterius prius ipso jure amittat. In Canonico Cathedralis Ecclesiæ justior est dubitatio; ob id, quòd omni tali Canonicatui cohærere & inhærere videatur dignitas, & qui talem Canonicatum habet, in dignitate constitutus videatur; illique ob id, ut alijs dignitate Ecclesiastica prædito, causæ per literas seu rescripta Sedis Apostolicę vel Legatorũ eiusdẽ committi possint, *c. Statutum in princ. De rescrip lib.* 6. Quò oculos defectendo videri posset, quòd Venerabilis D. Iacobus Franco Canonicus prębendatus Ecclesiæ Ruremundensis, accepta plena & pacifica possessione Parochialis Ecclesiæ Weertensis sub diœcesi Ruremundensi, in illa etiam residens, exciderit omni jure Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ Ruremundensis, & ipso iure illo sit privatus, *d. c. Execrabilis §. quæ vero deinceps, vers. alioquin ex tunc*; ut meritò illi videri posset à Capitulo Ruremundensi priùs denegata, & postea cum magna limitatione ad triennium concessa gratia absentiæ à dicto Canonicatu, propter residentiam in parochiali Ecclesia Weertensi, cum periculo amittendi omnes fructus Canonicatus durante hoc triennio; sed sine periculo amittendi ipsius Canonicatus; cum potestas ei data sit finito triennio revertendi ad residentiam in Canonicatu. † Cæterùm conditio & qualitas huius, de quo quęritur, Canonicatus aliud postulat: nam ex eo solo, quòd sit in Cathedrali Ecclesia, dignitatem incompatibilem annexam non habet. Vt enim Cathedralis Canonicatus tali dignitate prædito dici possit, hoc præterea requiritur, ut Canonicatui annexa sit cura animarum, iurisdictio, aut administratio: quod non obscurè percipitur ex verbis supradicti tertij capitis, *d. sess.* 22. quo in pluralitate beneficiorum plus permittitur Canonicis Cathedralibus, quibus iurisdictio, administratio, vel officium non competit, si in diœcesi parochiales habentes Ecclesiam, in ea, non in Cathedrali Ecclesia resideant. Vnde etiam est, quod sub generali appellatione *dignitatis* ex sententia Glossæ, Philippi Franci, & aliorum, non contineatur simplex Canonicatus Cathedralis, sed ut diversæ & distinctæ species coniungantur, in Bonifacij Octavi constitutione, *d. c. Statutum* §. 1. de his quibus per Papã aut eius legatos causæ cõmitti possint & debeant. Indeque etiam est, quod Guilielmus de Monte Lauduno in interpretatione supradictæ execrantis constitutionis, *d. c. Execrabilis in glos. ad verb. quæ alias vers. in contrarium patet, & verb. sunt alia simplicia*, apertè tradat, quod simplex Canonica etiam in Ca-

in Cathedrali Ecclesia, non cadat nec contineatur sub incompatibilitate prohibita, ac pœna dictæ constitutionis: ita ut habens talem Canonicatum possit Ecclesiam acceptare, & nihilominus sine periculo vacationis retinere. Ex quibus concludendum videtur, quòd præfatus Dominus Iacobus periculum & pœnam incompatibilitatis neque ex constitutione Ioannis XXII. *in d. c. Execrabilis*, neque ex decretis Concilij Tridentini metuere debeat, sed utrumque beneficium retinere possit; ita tamen ut in parochiali resideat, *Card. Zabarella consil.* 3. Neque enim abrogata est Ioannis XXII. constitutio per Concilium Tridentinum, sed potiùs confirmata cum pinguiore provisione, quoad residentiam in parochiali Ecclesia, ad quam qui parochialem Ecclesiam cum alijs Canonicatibus & beneficijs ex dispensatione legitima obtinent, sic obstringuntur, ut in altero beneficio residere possint, & residendo in parochiali alterum retinere, atque omnia illius emolumenta percipere, distributionibus quotidianis, & eis, quæ absentibus ex iusta causa præstari non solent, dumtaxat exceptis. Quod ipsum etsi per decreta dicti Concilij non tam aperte inveniatur decisum, ex interpretatione tamen Congregationis Illustrissimorum Dominorũ Cardinalium ad interpretationem difficultatum, quæ ex decretis dicti Concilij suboriuntur constitutorum, apertissimè resolutum deprehenditur, his verbis: *Ultimus Canonicatum & parochialem quocumque in loco sit, in parochiali tenetur residere: neque ob hoc privandus est Canonicatu, sed solum perdit distributiones, & quod absentes iusta de causa non percipient.* Circumferuntur passim plures aliæ dictæ Congregationis decisiones, quarum quædam minus, quædam plus parochialem obtinentibus, & in ea residentibus permittuntur quoad incompatibilitatem & retentionem alterius simplicis beneficij: sed tam variè, ut difficile sit earum verum intellectum percipere, & ad concordiam consonantiamque reducere.

3 Extat & Pij V. Papæ constitutio, *incipiens & extat in summa constitutionum Petri Matthæi*, sub data anni 1568. VIII. Idus Iulij, per quam residentibus in parochiali permittitur retentio non tantum simplicis Canonicatus, sed etiam dignitatis atque alterius cuiuscumque beneficij, cum perceptione omnium & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum eiusdem; exceptis quotidianis distributionibus, & alijs, quæ ex iusta causa absentes percipere non solent: sed ea constitutio temporalis tantùm est, de illis, qui tempore promulgationis illius ex dispensatione Apostolica antecedente huiusmodi incõpatibilia beneficia obtinebant; non etiã de illis, qui post d. tã dictæ constitutionis obtenturi essent; in quibus dubium non est incompatibilitatis effectum ex veteribus canonibus, *c. De multa De præben. c. Quia nonnulli de cler. non resid.* atque adeò etiam ex constitutione Ioannis XXII. *d. c. Execrabilis*, adhuc perdurare: ut simplicis quidem beneficij adeptio & retentio permittatur parochialem habenti, non etiam alterius similis vel dissimilis, curati aut dignitatis, ex cuius accessione parochialis priùs obtenta ipso jure omninò vacat, *d. c. Execrabilis §. quo vero deinceps.* Ita quòd hæc Pij Quinti constitutio sit conformata ad dictam Ioannis XXII. constitutionem, & ex illius sensu accipienda, *l. Sed & posteriores D. De legib.* & ob id quatenus dicti Ioannis XXII. constitutioni expressè non est derogatum, eatenus illi standum sit, *l. Præcipimus in fine C. De appel. Raphael Fulgos. cons. 156. Visis nu. 5.*

Quia igitur in proposito agitur de Canonicatu 4
simplici & de parochiali acquisitis diu post istam Pianam constitutionem, nihil commodi ex illa prætendere potest D. Iacobus: potissimum quia inter decisiones dictæ Congregationis circumferatur & alia his verbis: *Concilium prohibet, ut habens Canonicatum possit acquirere parochialem, & è contrà: sed non cogit, ut dimittat alterum duorum tam acquisitorum.* Eodem loco videtur esse, quæ sub his verbis circumfertur eiusdem prædictæ Congregationis decisio: *Parochiales sunt incompatibiles cum beneficijs, quibus sunt assignatæ distributiones quotidianæ, quas à divinis absentes amittunt; & qui obtinent duo vel plura beneficia cum dispensatione, ante Concilium Tridentinum obtenta, requirentia personalem residentiam, debent residere in quo est maior necessitas, nec propterea possunt alterutro privari: amittunt interim distributiones quotidianas beneficij, cui non inserviunt.* Cui similis est & hæc, quæ de Canonicatu & alio beneficio ex dispensatione obtento sub hoc verborum tenore in manibus versatur: *Canonici debent in propria Ecclesia residere & personaliter deservire: qui tamen aliquod beneficium ex dispensatione obtinent, quod maiorem vel æqualem causam residendi habet, non debent privari nec aliâ pœna affici, nisi privatione distributionum.* Per duas alias decisiones eiusdem Congregationis paulò post indulgetur *Canonicu in eadem civitate Ecclesiam parochialem obtinentibus, & quidem illis, quorum parochialis non longè abest à Collegiata, ut possint diebus ferialibus collegiatam frequentare, & in ea divinis inservire; ita tamen, ut nihil ex servitio parochiali debito derelinquant; illis verò qui in eadem civitate, vel quocumque alio loco præter Canonicatum parochialem habent, possint utrumque beneficium obtinere, sed debeant in parochiali residere; & nihilominus possint Canonicatus deservire & percipere omnes fructus; & si deservire nequeant, amittant tantùm distributiones illorum dierum, quibus non interfuerunt, nec alio damno afficiantur possunt.* Quid porrò sit de alia quadam decisione, quam subintellexisse se scripsit Navarrus, *consil. 34. De præben. vacare beneficium simplex illius, qui postea legitimè obtinuit Ecclesiam parochialem*, adhuc satis incertum est, & nisi in lucem prodierit, observandi necessitatem non injecit. Quamquam in una Verdunensi in anno 1589. coram R. P. D. Pamphilo decisum dicatur, *quod si possidens Canonicatum post Concilium Tridentinum assequutus sit parochialem, ipso iure vacet Canonicatus primo loco obtentus.*

In hac itaque decretorum, constitutionum, & decisionum varietate, imò etiam ex primo aspectu, ut videtur, contrarietate, difficile est veritatem, veramque resolutionem ad propositas per D. Iacobum quæstiones invenire: ob id, quod prima constitutio non pertineat ad beneficia acquisita post datam illius; & privilegium indultum obtinentibus Canonicatum in eadem civitate, in locis coniunctis seu vicinis atque etiam remotioribus; non videtur accommodari posse parochiali in alia civitate, seu loco etiam remotiori bus,

bus, non videtur accommodari posse parochiali in alia civitate, seu loco etiam in eadem diœcesi sito, hoc est in proposito in oppido Weertensi; ideoque nobis probabilius videatur hunc casum propositum, & ex illo motas quæstiones decidendas esse ex anteriore constitutione Ioannis XXII. cui, ut superiùs diximus, non subjacent simplices Canonicatus etiam in Cathedrali Ecclesia, nec dignitatem, nec jurisdictionem aut administrationem habentes, *Navarrus d. cons.* 34. *De præben.* Quò etiam referri posse videtur supratactæ congregationis illa interpretatio ac decisio, quæ incipit, *Obtinens Canonicatum & præbendam &c.* ut Domino Iacobo liceat, imò debeat sine periculo amittendi Canonicatus, residere in parochiali Weertensi, sed benè cum periculo amittendi distributiones quotidianas, eaque omnia, quæ justa de causa absentes non percipierent. De quo minor in proposito debet esse dubitatio, quod (uti proponitur) D. Iacobus absentiam petierit, etiam cum amissione omnium fructuum. Sic quod Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ruremundensis illam ei honestè aut probabiliter denegare non possit, aut illum ad spatium triennij sic concludere, ut non liceat ante finem triennij ad Canonicatum residentiamque in illo redire, derelictâ parochiali Weertensi.

ADDITIO

Post redditum hoc consilium supervenerunt aliæ aliquot decisiones Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium sacri Concilij Tridentini Interpretum; quæ cùm ad illustrationem responsi istius faciant, & sub signatura ac sigillo Illust. Hieronymi Cardinalis Matthæi dicantur emissæ, hîc subijciuntur. *

5 *An duo Canonicatus de iure in vim sacri Concilij Tridentini decretorum sint incompatibiles?* Congregatio respondit esse incompatibiles, *arg. cap.* 4. *sess.* 7. *de reformat. & c.* 17. *sess.* 24. *de reformat.*

An per assecutionem secundi Canonicatus ipso iure vacet primus? Congregatio censuit post adeptam pacificam possessionem secundi, primum ipso jure vacare, *d. c.* 4. *sess.* 7. *c. De multa De præben.*

An is, qui duos Canonicatus simul absque dispensatione Apostolica per triennium & ultra detinet, utroque ipso iure excidat in vim dictorum decretorum Concilij Tridentini? Congregatio judicavit, si duos hujusmodi Canonicatus simul retinere perrexerit, utroque esse ipso jure privatum ex decreto Concilij Tridentini, *d. sess.* 7. *c.* 4. *& d. sess.* 24. *c.* 17.

An utriusque Canonicatus possessionem tueri & defendere valeat possessor ex regula de triennali? Congregatio respondit utrique non posse, *arg. eorum quæ tradidit Lud. Gomes. ad reg. de triennali quæst.* 10.

De Præbendis & dignitatibus

SVMMARIVM

1 Incompatibilitas ex forma gratiæ
3 *Collatio præbendæ à papa factacum decreto dimittendi beneficium prius obtentum.*
Cap. Si tibi concesso De præbend. lib. 6. *intellectus.*
2. 9. *Possessio beneficij pacifica quæ sit.*
4. *Incompatibilitas beneficiorum qualem vacationem inducat.*
5. *Conditio ad unguem adimplenda.*
6. *Partes sunt aliquem quid obtinere, & per eum stare quo minus.*
7. *Possessio beneficij an ex nuda signatura acquiratur.*
8. *Annus gratiæ cui debeatur*

CONSILIVM CCXXXIV.

SANCTISSIMVS Dominus noster Sixtus Papa Quintus, per suam signaturam Emanueli Trognæsio Canonico Cathedralis Ecclesiæ Antwerpiensis in urbe Romana ob hæreticorum impressionem profugo, & à dicto suo Canonicatu absenti, & sic ex eo nihil percipienti, ut commodè vivere posset, mense Majo anni 1585. contulit Canonicatum & præbendam collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Leodiensis, sub conditione & addito decreto, quòd ipse Emanuel infra duos menses à die habitæ per eum dictorum Canonicatus & præbendæ S. Martini possessionis, aut per eum staret, quo minùs assequeretur, Canonicatum & præbendam Antwerpiensem in manibus suæ Sanctitatis, & non aliàs dimittere teneretur; alioqui ambo Canonicatus eo ipso vacarent. Hac collatione obtenta Emanuel per dictam nudam signaturam, nullis alijs literis desuper expeditis, Capitulo S. Martini intimavit: quâ intimatione factâ toto sesqui-anno Emanuel tacuit, nec literas suæ collationis in forma expediri curaverit, neque ullam diligentiam adipiscendæ possessionis apud Capitulum fecit; cùm tamen illa interea semper vacua fuerit, nullo in dictos Canonicatum & præbendam intruso. Quo intellecto Iacobus Peranus dictos Canonicatum & præbendam S. Martini tamquam per defectum dimissionis Canonicatus & præbendæ Antwerpiensis in manibus suæ Sanctitatis vacantes, sibi per Sedem Apostolicam conferri obtinuit, literasque desuper expediri fecit, ac possessionem earundem adeptus est. Emanuel huic se opponit, contendens se non fuisse obligatum ad dimittendum Canonicatum Antwerpiensem, ex eo, quod non potuerit pervenire ad perceptionem fructuum præbendæ S. Martini, ex ea causa, quòd per Sedem Apostolicam dicto Capitulo specialiter reservati fuerint certorum ex tunc proximè vacaturorum Cononicatuum fructus pro quatuor annis, ad solvenda dictæ Ecclesiæ debita; ex dispositione & ratione juris communis, *cap. Si tibi concesso de præb. lib.* 6. intelligendo conditionem seu decretum de plena & utili possessione, cum emolumento omnium fructuum, qualem se assequi non potuisse dicit durante facta reservatione fructuum; ob quam etiam existimat se obligatum non fuisse ad faciendum aliquas diligentias adipiscendæ possessionis, & ne quidem expeditionis litterarum; neque præsumendum esse eam fuisse Pontificis voluntatem, quòd voluerit Emanuelem à se abdicare Canonicatum Antwerpiensem, ex quo fructus percipiebat seu percipere poterat, quamdiu in ea conditione non esset Canonicatus S. Martini, ut inde liberè fructus quoque percipere posset. Quæritur, an præfati Emanuelis hæc adversus Iacobum oppositio & contradictio sit in jure fundata? † Decisa videtur hæc quæstio ex traditione Ioannis Mo-

† nachi,

nachi, *in c. Si tibi conceſſo De præben. lib. 6.* quam ſequuntur & probant Ioannes Andreæ, Petrus Ancharan. & Philippus Francus, *in d. c. Si tibi conceſſo*, quòd collatio Canonicatus & præbendæ in certa Eccleſia à Papa facta ei, qui in alia Eccleſia alium Canonicatum obtinet, ſub conditione, modo, ſeu diſpoſitione, quòd acquiſitâ poſſeſſione ſecundo loco ſic collati Canonicatus, priùs obtentus ipſo jure vacet, non cenſeatur prior vacare, niſi ex pleniſſima poſſeſſionis acquiſitione; hoc eſt illa, per quam ſic proviſus poſſit ſtatim conſequi fructus hujus Canonicatus vel omninò omnes, vel majorem partem illorum; ex ratione Bonifacianæ conſtitutionis, *in d. c. Si tibi conceſſo*, quâ conſtitutum eſt, per adeptionem poſterioris incompatibilis beneficij non induci vacationem prioris, quod cum poſteriore obineri & retineri non poteſt, *c. De multa De præben. c. Execrabilis De præben. in Extravag. Ioannis XXII.* ſi & quamdiu ex aliquo impedimento ex poſteriore fructus percipi non poſſunt.

2 Cum enim fructuum perceptio ſit præcipuus actus apprehenſæ poſſeſſionis, *l. Quamvis* §. 1. *De acquir poſſeſſ.* & is demùm verè rem poſſidere intelligatur, qui nactus eſt eam poſſeſſionem, quæ producat præſentem acquiſitionem fructuum, *Archidiac. & alij in d. c. Si tibi conceſſo, Franc. Aret. in Rubr. D. De acquir. poſſ. nu. 4.* fit, ut non videatur vel intelligatur poſſeſſionem beneficij adeptus, qui fructus illius percipere non poteſt, *Pet. Anchar. conſ. 328. Circa iſtam perceptionem, Lud. Rom. conſ. 335. Circa primum nu. 4. Ioan. Staphil. De liter. gratiæ tit. De qualit. & ſtatu benef. §. ult. nu. 12. Decius conſ. 312 Licet hactenus.* Vſque adeò, ut non ſufficiat aliqualis fructuum perceptio, ſi modò non eſt de majore ſeu potiore parte fructuum; ideoque ſola poteſtas percipiendi quotidianas diſtributiones, funeralia, aliaque accidentaria, non facit, ut pacificam poſſeſſionem beneficij, qualem hic deſideramus, habere dicatur, *gl. in V. pacificam in c. Commiſſa De elect. lib. 6. Dominic. Gemin. conſ. 78. Formantur iſta nu. 5. in fine*; etiamſi alioqui pacifica poſſeſſio beneficij quoad alia cenſeatur, quæ ſine lite habetur, vel quæ per ſe vacua eſt, *Paul. Caſtr. conſ. 265. In primo vol. 2.* Ita ut in rei veritate ex adeptione poſterioris Canonicatus ipſo jure inducta non fuerit vacatio prioris, propter acceſſionem incõpatibilis ad aliud incompatibile, *d. cap. De multa*; vel etiam poſterioris, propter conditionem huic poſteriori collationi adjectam non impletam; cùm adeptæ poſſeſſionis effectus ſuſpendatur per impedimentum circa perceptionem fructuum, *Ioan. And. in d. cap. Si tibi conceſſo & ibi Phil. Franc. nu. 2.* ne ſi plena vacatio conſtituatur in alterutro, beneficiatus in opprobrium Eccleſiæ mendicare cogatur quod jus abominatur, *c. Cum ſecundum De præben. Anchar. in d. c. Si tibi conceſſo.*

Quia igitur durante anno, quem vocant gratiæ; item illo, qui paſſim ex ſtatuto fabricæ deputatur; item illis, quorum fructus pro ſolvendis debitis Eccleſiæ reſervati ſunt, Emanuel non potuit pervenire ad perceptionem fructuum præbendæ Canonicatus S. Martini; non videtur inducta vacatio, nec utriuſque nec alterutrius horum duorum Canonicatuum: ita ut præmatura videatur impetratio, quam Iacobus obtinuit de Canonicatu S. Martini tamquam ex defectu impletæ conditionis, ſub qua Emanueli collatus erat, ipſo jure vacante; præſertim quia in poteſtate Emanuelis non fuerit, ullo modo efficere, ut durantibus illis annis perveniret ad fructuum realem perceptionem. Perſtringunt ſanè iſtæ rationes Iacobum, & fortiter aſſerere ac ſuſtinere videntur jus præfati Emanuelis, ut præmatura videatur Iacobi impetratio facta durante tempore, quo Emanuel ne quidem adhibitâ omni poſſibili diligentiâ potuiſſet pervenire ad plenam poſſeſſionem Canonicatus & præbendæ S. Martini; ideoque nec hoc dici poſſe videatur, quod per eum ſteterit, quo minùs pervenerit ad illius realem poſſeſſionem: nec ex altera parte eveniſſe conditionem vacationis utriuſque Canonicatus, tam Antuerpienſis, quam S. Martini.

Cæterum propius advertendo ad terminos pro- 3
poſiti caſus, manifeſtè deprehenditur, illos longiùs recedere à deciſione tam dictæ Bonifacianæ conſtitutionis, *d. c. Si tibi conceſſo*, quàm traditionis, quam ex ea faciunt Ioannes Monachus & qui eum in eo ſequuntur: quippe forma, quam Papa huic ſuæ collationi ſpecialiter, & ultra terminos juris præſcripſit, & pœna, quam illam ad unguem non obſervanti infligit, arctiore, & periculoſiore loco conſtituit dictum Emanuelem. † Ius com- 4
mune neceſſitatem reſignandi non imponit ſecundum beneficium incompatibile acquirenti, imò illius facultatem non permittit; ſed ipſo jure per aſſecutionem poſterioris inducitur prioris vacatio, non ad commodum Papæ ſemper, ſed etiam ad cujuſcumq; ordinarij Collatoris, ad quem prioris beneficij collatio pertinet, *d. cap. De multa.* In hac præſcripta abdicationis, de qua quæritur, forma, neceſſitas reſignationis in conditione ponitur; & quidem non ad manus ordinarij Collatoris, ſed ipſius Papæ: in qua præſcripta forma ex omiſſa reſignatione prioris intra præſcriptos duos menſes, inducitur tam poſterioris quàm prioris vacatio; cùm in communi juris diſpoſitione, ex eo accumulata incompatibilium acceptatione, inducatur dumtaxat prioris, non etiam poſterioris vacatio, *d. c. De multa*; præterquam in execrata ſeu execrabili accumulatione, in qua utriuſq; non adeptio, ſed de facto retentio inducit utriuſque vacationem, *d. Extravag. Execrabilis.*

Cùm itaque Papa providerit Emanueli ſub conditione faciendæ intra duos menſes à die habitæ poſſeſſionis, reſignationis ſeu dimiſſionis Canonicatus Antuerpienſis ad manus ipſius Papæ, addito decreto vacationis utriuſque Canonicatus, ſi id non faceret, ad unguem conditioni & præſcripto parendum fuit. * Vt regulariter & generali- 5
ter in quocumque actu addita ſeu præſcripta conditio ad corticem verborum præciſè & ad unguem & in ſpecifica forma, ut ajunt, obſervanda eſt, *l. Mævius l. Qui heredi* §. *fin. De condit. & demonſt.* adeò ut quamvis aliàs ex æquipollentium ratione alterum pro altero ſubſtitui vel fieri poſſit, *l. Si mater C. De inſtit. & ſubſtit.* non poſſit tamen quando ſic per modum conditionis aut formæ quid præſcriptum eſt, *Nicol. Everard. Præſes in loco ab æquipollentibus.* Debebat itaque Emanuel hanc reſignationem facere ad manus Papæ, & non faciendo ex dicto

decreto

decreto incidit in pœnam vacationis, si non utriusque, saltem dicti posterioris Canonicatus, quasi hunc planè non assecutus, propter defectum dictæ resignationis. Quod enim sic sub conditione conceditur, non pertinet ad eum, cui conceditur, ante conditionis eventum, *l. Si ita scriptum sit §. 1. De leg. 2. l. si quis fundum in fine De contrah. emp.*

6 Et quamvis hanc resignationem seu dimissionem facere Emanuel non tenebatur, nisi intra duos menses à die habitæ possessionis Canonicatus S. Martini; hoc tamen additum quoque est, ut si per eum staret, quo minùs possessionem assequeretur, in eodem vacationis periculo esset: ut regulariter eodem loco sunt, aliquem quid obtinere, & per eum stare, quo minùs obtineat, *c. Licet Episcopus De præben lib. 6. c. Commissa vers. annus De elect. lib. 6. l. In iure civili De reg. iur. l. si cui §. tam diu D. Ex quib. caus. maiores &c.* Iam verò res ipsa demonstrat, per dictum Emanuelem stetisse, quo minùs possessionem dicti Canonicatus S. Martini habuerit, qui ad adipiscendam possessionem nihil omninò egit, & ne quidem illius præparamenta, eaque quæ non obstante dicta fructuum temporali reservatione sine ullius vel personæ vel facti impedimento facere poterat, sine quibus nullus progressus ad obtinendam possessionem quamcumque fieri poterat; hoc est, quòd nec procuraverit expeditionem Bullarum super hac provisione, sine quibus nec Capitulum S. Martini, nec quemquam alium compellere poterat ad tradendum sibi possessionem hujus Canonicatus, vel ad aperiendum viam ad illam, *per regulam cancell. De non iudican. iux. for. supplicat.*

7 Et dato quòd ex nuda signatura, literis etiam non expeditis, possessio beneficij peti, acquiri, & apprehendi posset, ut plerique putant, *Lud. Gomes. ad d. regul. Cancell. De non ind &c. q. 5. Iacobus Puteus decis. 229 lib. 2. Carol. Ruinus cons. 63. Videndum est vol. 6.* evidenter nihilominus apparet de impedimento, quod Emanuel sibi ipsi præbuit, per hoc, quòd ne quidem ex dicta nuda signatura, seu signata supplicatione hujusmodi Apostolicæ provisionis, se ad possessionem admitti petierit, aliasque diligentias ad possessionis adeptionem fecerit, cùm facere potuerit, & se potuisse manifestaverit per hoc, quòd signatam suam supplicationem Capitulo S. Martini intimaverit. Nam quâ opera hanc intimationem fecit, eâdem quoque & possessionem eodem tempore petere & adipisci poterat; quod cùm non fecerit, deprehenditur per eum stetisse, quo minùs fecerit, *c. Cum dilecti vers. sed contra De dolo & contumacia*: ita ut inde manifestè deprehendatur Emanuelem noluisse habere possessionem, & ob id ex eo tempore, quo cœpit nolle adipisci, dicti duo præscripti menses illi currere debuerint. Et quamvis statim ad plenam fructuum perceptionem pervenire non potuerit, propter dictam reservationem; hoc tamen facere debuit, quod in eo erat, acceptare scilicet possessionem, qualem sine impedimento consequi poterat, saltem ad declarationem voluntatis, quod hunc posteriorem Canonicatum sibi habere vellet, faciendo ea, quæ sine ullo impedimento licebat, & sic eo facto in suspenso retinere effectum vacationis præbendæ Antwerpiensis, saltem tantisper dum futurus esset in plena possessione posterioris hujus Canonicatus, cum percipiendi fructus potestate. Ita ut in proposito rectiùs queri posset non tam de vacatione Antwerpiensis quàm de non acquisitione S. Martini Leodiensis. † Cum alioqui Emanuel apprehendendo 8
possessionem hujus Canonicatus S. Martini (uti secuudùm præmissa poterat) fructuum quoque emolumentum satis per repræsentationem statim in primo anno acquirere poterat, per hoc quòd per eam possessionis adeptionem lucraturus erat annum gratiæ, qui ex statuto & consuetudine Capituli cujusque Canonici morientis domui mortuariæ debetur; qui non debetur nisi possessionem adepto & in residentia morienti, *c. Suscepti De elect. in Extravag. Ioannis XXII. A gid. Bellamera decis.* 465. Ita ut in effectu novus præbendatus habeat fructus primi anni, per hoc quòd ad hæredes suos seu suam domum mortuariam transmittat jus & beneficium anni gratiæ in compensationem carentiæ fructuum primi anni, *l. Qui actionem De reg. iuru.* * Proinde cùm hoc respectu potuerit conse- 9
qui plenam possessionem cum perceptione fructuum, & non sit consecutus, quia noluit, per eum stetisse dici debet: cùm ad hoc, ut per adeptionem possessionis inducatur vacatio prioris in terminis juris communis, & in proposito ex præscripta hac forma, sufficiat aliquo tempore, imò aliquibus diebus stetisse quempiam in pacifica possessione, etiamsi postea superveniat impedimentum in perceptione fructuum, *gl. in V. pacificam in d. c. Commissa, Gemin. d cons. 78. n. 1. in fine.*

Quæ proclivius in proposito dicî & sustineri posse videntur, quòd post obtentam hanc provisionem Canonicatus S. Martini, per reductionem civitatis Antwerpiensis ad obedientiam Regiæ Catholicæ Majestatis, Emanueli iterum fuerit aperta via ad pacificam possessionem Canonicatus Antwerpiensis, & ad illam quoque ipse se contulerit, & sic in effectu cessaverit causa hujus posterioris provisionis manifestè fundatæ in dicto Emanuelis exilio & impedimento pacificæ plenæque possessionis Canonicatus Antwerpiensis; ad quem redeundo apertam fecit significationem se velle recedere à posteriore & succedanea hac provisione, & priori adhærere; saltem apertè demonstravit, quod per eum stetit, quo minùs posterioris hujus Canonicatus possessionem, qualem poterat, adipisci noluerit: ideoque si non utriusque, saltem posterioris inducta & Iacobo impetrandi illam via aperta fuerit: meritoque ob id idem Iacobus suæ provisioni tamquam validæ & efficaci insistere & præfatum Emanuelem ab hoc Canonicatu S. Martini arcere studeat.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Incompatibilitas sub eodem tecto.

1. *Beneficia duo nemo sub eodem tecto habere potest.*
2. *Episcopus non dispensat super duobus beneficijs conformibus sub eodem tecto.*
3. *Beneficio secundo sub eodem tecto impetrato vacat prius ipso iure.*
4. *Renuntiare censetur liti super priore beneficio pendenti, qui sub eodem tecto aliud acquirit.*

CON-

CONSILIVM CCXXXV.

LITE in judicio possessorio coram Iudice sæculari super Canonicatu & præbenda collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Insulensis pendente inter D. Lucam N. Actorem & D. Iacobum du Bay Sacræ Theologiæ Licentiatum Reum, propter apparentiora jura Rei, eidem Reo adjudicata est fiduciaria possessio, quam Recredentiam vocant; eâque lite in pleno possessorio adhuc indecisa pendente idem præfatus D. Lucas Actor impetravit & obtinuit, adeoque etiam pacificè nunc possidet, in eadem Ecclesia alium Canonicatum & præbendam, & nihilominus perseverat in prosecutione ejusdem causæ possessoriæ super priore illo Canonicatu & præbēda: quæritur, anne sine ulla ulteriore disquisitione ex hoc solo dicto D. Iacobo Recredentiario adjudicari debeat plenum possessorium, nullâ adhibitâ ulteriore disquisitione juris vel possessionis, quod vel quam dictus Actor prætendit ad illum priorem Canonicatum & præbendam?

Respondeo neminem posse in eadem Ecclesia & sub eodem, ut aiunt, tecto habere & retinere duo, quamvis simplicia beneficia conformia, hoc est duos Canonicatus & præbendas, aut Capellanias, *c. Literas* DE *conces. præben. & ibi Innoc. & Ioan. And. Clem. fin. De præben.* * quorum accumulatio est usque adeò prohibita, ut ex multorum sententia Episcopo non sit permissum super ea ullo modo dispensare, *Ioan. Staphil. in tract. de liter. gratiæ tit.* DE *forma exspectativarum* §. *secunda forma nu.* 5. unde Cardinalis Zabarella, *cons.* 3. *Circa elucidationem, Rebuff. in praxi benef. tit. de dispensat. ætat. ad V. incompatibilia nu.* 4. in enumeratione generum incompatibilitatis beneficiorum refert accumulationem duorum Canonicatuum ejusdem Ecclesiæ. † Cujus prohibitionis & incompatibilitatis effectus primus & præcipuus est, quòd per assecutionem posterioris conformis beneficij sub eodem tecto, ipso jure vacet, quod priùs obtentum fuit, *d. c. Literas d. Clem. fin. c.* 1. DE *consuet. lib.* 6. *Frederi.* DE *Senis cons.* 120. *Quæsitum est in fine*: sequentis enim acceptatio, secutâ præsertim illius pacificâ possessione, continet tacitam renuntiationem prioris, *c.* DE *multa* DE *præben. c. Gratiæ* DE *restript. lib.* 6 etiamsi secundi adeptio fiat cum protestatione, quòd non intendat à priore recedere, quia vitiosa est hujusmodi protestatio, ut inquit Antonius de Butrio, *in c. In nostra nu.* 24. DE *rescript.* † idque etiamsi super priore conformi & incompatibili beneficio lis pendeat. Nam hæc tacita ex juris dispositione inducta renuntiatio non tantùm ipsius beneficij renuntiati titulum respicit, sed etiam litem & causam; ut illi quoque renuntiasse censeatur qui posterius conforme incompatibile obtinet, *Innoc. Ioan. Andr. & alij in d. c. In nostra, Nicol.* DE *Milis in suo repertorio in verb. Renuntiare non intelligitur*; præsertim si super possessione prioris dumtaxat lis & causa pendet, & maximè ubi adversario recredentia adjudicata est. Nam ut expressa ita quoque tacita hæc renuntiatio possessionem prioris, si quæ sit, tollit; quasi per posterioris incompatibilis acceptationem illa quoque abdicata sit. Vsque adeò ut agenti etiam remedio recuperandæ possessionis, quod interdicto retinendæ longè favorabilius est, possit objici hæc voluntaria renuntiatio, *c. Solicitè. De restit. spoliat. Rebuffus ad constitut. Regias tit. De causis benef. poss. artic.* 11. *gl.* 1. *nu.* 20. Ex quibus satis deprehenditur, hanc litem & causam possessoriam super dictis Canonicatu & præbenda pendentem dictâ tacitâ præfati Domini Lucæ Actoris renuntiatione esse extinctam; nihilque superesse, quàm ut Domino Iacobo fiduciaria possessio in absolutam & plenam adjudicationem convertatur & adjudicetur, dictusque Dominus Lucas ei in expensis litis condemnetur.

De Præbendis & dignitatibus

SVMMARIVM

Petitorium ex Apostolica & ordinaria provisione.

1. *Papa in collationibus beneficiorum ordinarium prævenire potest, non tamen iuri quæsito derogat.*
2. *Privilegiorum revocatio generalis non continet ea, quæ specialiter aliquibus personis ob specialem causam sunt concessa.*
3. *Privationis pœna, extra iuris dispositionem, per Iudicem apponi non potest.*
4. *Clausula generalis quomodo complectatur singulas species.*
5. *Clausula derogatoriarum derogatoria eiusque vis.*
6. *Papa aut Princeps non censetur in dubio revocasse privilegia.*
7. *Privilegia geminata difficiliùs revocantur.*

CONSILIVM CCXXXVI.

VNICVS tantum est difficultatis articulus in causa beneficiali, quæ coram Reverendo Domino Abbate S. Gertrudis Lovanienſis Conservatore privilegiorum Almæ Vniversitatis, Studij generalis oppidi Lovanienſis, nunc definienda pendet inter Ferdinandum Peters Actorem, & Augustinum de Boys Opponentem (quamvis uterque Actoris & Rei partes sustineat, ut fit in beneficialibus, *Rota decis.* 15. *Si in causa, aliàs est* 1. *sub tit.* DE *re iudic. in novis*) de & super Cappellania ad altare SS. Petri & Pauli in Metropolitana Ecclesia Cameracensi; hic videlicet, num per regulas Cancellariæ, seu constitutionem, quam Pius Quintus Papa post assumptionem suam ad Papatum edidit, revocatum sit privilegium seu indultum, quo Fel. recor. Sixtus Papa Quartus in anno 1483. dictæ Ecclesiæ concessit, ut beneficia ad ordinariam collationem pertinentia, valorem duarum marcarum argenti non excedentia, conferre possint in alternatis mensibus, Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri, & Decembri; quod per Leonem Decimum Papam in anno 1517. sic ampliatum est, ut beneficia hujusmodi non excedentia valorem 25. ducatorum possent conferre quibuscumque mensibus; excedentia verò in dictis alternatis mensibus tantùm: cujus utriusque indulti confirmationem fecit etiam Clemens Papa Septimus anno 1515. & per signaturam Pius Quartus anno Pontificatus sui tertio. Id enim si dici non potest, dubitatio nulla est, quin Ferdinandus, ut tempore, ita quoque jure potior sit in obtinendo & retinendo hoc beneficio: ideò quòd constet ex Rei propria confessione, quòd ordinaria collatio hujus perti-

pertineat ad Præpositum, Decanum & Capitulum Cameracense, à quibus etiam Actor dicti beneficij collationem & provisionem obtinuit; quam sequuta est Actoris acceptatio, & in possessionem legitima inductio; concurrente ejusdem Actoris idonea qualitate per probationem clericaturæ; quam Reus tandem post negationem illius semel atque iterum factam, etiam confessus est: ita quod ab Ordinario & tic potestatem habente eo modo collatum Actori beneficium non potuerit postea (est enim bulla provisionis Papalis, qua Reus nititur posterioris datæ, videlicet Idibus Maij 1568. cum Actoris provisio sit de 17. Aprilis antecedentis) per Papam reo conferri: * prævenire
1 enim potest Papa quemcunque Ordinarium, *Clem. 1. Vt lite penden. in fine*, *Staphil. in tract. De liter. grat. in præludio, nu.* 8. sed tamen collatum ab Ordinario beneficium, alteri non aufert, nec auferre velle præsumitur; quia ejus cõcessiones subintellectam semper habent hanc clausulam, *si modò alteri non sit prius ius in beneficio quæsitum Reg. Cancell. Apostolicæ De iure quæsito non tollen.* cùm generaliter numquam præsumatur Papa aut Princeps per quamcumque gratiam alteri quæsitum jus tollere velle, *c. super eo De offic. iud. deleg. l. 2. §. si quis à Principe D. Nequid in loco publico Bald. in l. Nec avus C. De emanc. liber.* Quod eo minorem dubitationem habet, quòd per dicta privilegia seu indulta Pontificia in beneficijs non excedentibus valorem viginti quatuor ducatorum (quale procul dubio est hoc controversum, cùm sub eo minore valore Reus idem beneficium impetraverit, *constat ex bulla in verb. viginti quatuor ducatorum auri decamera, ut asseris, non excedunt*; & sic impetrando, & narando id confessus fuerit) permissa sit dictæ Ecclesiæ Cameracensi potestas conferendi in omnibus mensibus, & in excedentibus taxam in alternatis mensibus tantùm; in quorum unum, Aprilem scilicet, incidit hujus beneficij vacatio.

Quod autem his privilegijs derogatum non sit per dictam novam Pij Quinti constitutionem, continentem temporalem ad quinquennium reservationem octo mensium, Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Augusti, Octobris & Novembris, & revocationem omnium privilegiorũ in contrarium
2 facientium, multis rationibus deducitur. † Et in primis quidem ex eo, quòd generalis revocatio seu derogatio privilegiorum non censeatur derogare privilegio specialiter aliquibus personis, ob certum aliquem favorem, & præsertim ob prægnantem & urgentem aliquam causam concesso: cùm illi non censeatur derogari nisi per specificam derogationem, *gl. singularis in l. Decurionibus C. De silentiar. lib. 12. Barbatia ad cap. Quoniam frequenter §. in alijs nu.* 5. *Vt lite non contestata &c.* quia privare aliquem jure suo pœna sit, *gl. Si quis maior in V. actio-*
3 *ne C. De transact.* * Sed ubi lex vel constitutio non apponit pœnam privationis, judex minister justitiæ eam apponere, vel interpretatione, aut extensione inducere non debet, *gl. in c. fin. in verb. ex vi De iure patron. Lud. Rom. cons.* 325.

Nec urget in contrarium, quòd clausula generalis singula (quantum ad comprehensa sub ipsa) complectatur ac si specialiter enumerata essent, *l. si chorus in princ. De legat.* quia id verum non est quoad ea, quæ specialem notam habent, *c. Quia periculosum De sent. excom. in 6. glos. in c. 2. in verb. diligitatum De præben. lib. 6* & adversus clausulæ generalis potestatem obfirmata sunt quale est hoc dictæ Ecclesiæ indultum & privilegium, quod in primis habet clausulam derogatoriam volũtatis ad futura; cujus generis privilegium non continetur sub generali revocatione, nisi adsit aliqua alia clausula, quæ si non individuam, saltem specialem mentionem faciat de tali clausula derogatoria, *Paulus de Castro cons.* 3. *Quoniam additione & cons.* 278. *passus ille vol. 1. Decius cons.* 10. *Viso puncto nu.* 5. *& omnũ eleg. Crauetta cons.* 126. *inter alia privilegia vol. 1. & Paul. Paris. Ajmo cons.* 42. *Quantũ ad alternationẽ n.* 18. *vol. 4.* Ita ut generalia verba ad hoc nõ sufficiãt etiamsi ageretur de revocatione, quæ fieret per modum legis perpetuæ, multò minùs quæ fit per regulas Cancellariæ, quæ perpetuitatem non habent, ut in hoc articulo eleganter respondit Petrus de Ancharano, *consil.* 297. *Efficacibus*, *Paul. Paris. cons.* 5. *Vnio istius nu.* 91. *& seqq. vol.* 4.

Et quamvis in derogatoria clausula hujus novæ 5
constitutionis addantur quoque hæc verba, *etiam cum clausulis derogatoriarũ derogatorijs*, tam latè tamen non patet eorum potestas, ut derogationem in bullis Sixti, Leonis, & Clementis positæ cuicquam detrahant: nam talis derogatio derogationis aut revocationis, quę in futurũ per hujusmodi verba concessa videtur, restricta, & limitatata est ad certam formã, non tantùm hanc, quòd horum indultorum tenor in sequente derogatione exprimi, & inferi de verbo ad verbum debeat, & aliter derogari non possit, etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ & quascumque alias constitutiones (ut habet bulla Sixtina) quo casu plerique generalem & indeterminatam clausulam derogatoriam derogatoriarum existimant non habere effectum aliquem adversus antecedentem derogatoriam sic clausulatam *Paul. paris. d. consil. 42. nu. 16. & seqq.* sed præterea in dictis bullis addita & præscripta est ulteriùs alia forma sub qua sola posset fieri illorum revocatio vel derogatio; tunc scilicet, *cùm Romanus Pontifex per suas literas illarum seriem continentes, dictis præposito Decano &c. significandum duxerit suæ mentis esse pro ea vice dumtaxat concessioni huiusmodi derogare velle.* Quæ verba benè notanda & observanda sunt; quia continent punctum & decisionem hujus controversiæ: per illa enim Pontifex apertè declaravit quòd quamvis revocandi derogandique dictis privilegijs potestatem à se non projecerit vel abdicaverit; in futurum tamen sua voluntas non foret per quascumque generales & fortes derogationes velle derogare dictis indultis. Ita ut ea verba removeant voluntatem, mentem, & intentionem ab actu derogationis sequentis, quoad sic clausulata privilegia. *Doct. in l. Si in principio De leg. 3. Card. Zabarella cons. 52. In præmisso dubio n. 4.* quæ ob id nisi per repetitas individuales (inquit Cardinalis Zabarella) hujusmodi circumstantias numquam censebuntur revocata vel saltem ea in parte dubiam (nam certò dici non potest quoad tacitam derogationem) faciunt Pianæ constitutionis derogatoriam etiam derogatoriarũ clausulam, non servata hac præscripta forma. * In dubio autem nun- 6
quam censetur Papa, vel Princeps revocasse voluisse concessa privilegia, *Freder de Senis consil.* 253. *Casus tali est*,

talis est; quæ decet esse perpetua, c. Decet De reg. iur. lib. 6. præsertim illa, quæ ob remunerationem aut recompensam conceduntur, Franc. Aret. in cap. Novit & ibi Felin. De iud. Franc. Ripa in l. Si umquam nu. 14. C. De revoc. donat. Lud. Rom. consil. 436. Quod indubitatum n. 21. ut conspicitur in hoc dictæ Ecclesiæ privilegio; potissimùm etiam quia hîc concurrat favor publicæ utilitatis & pauperum ad eos alendos; qui favor etiam per se requirit specialem expressionem revocationis, Lud. 7 Rom. d. cons. 436. nu. 10.

Nec sanè debent ista in proposito habere ullam difficultatem, propter hujusmodi privilegij non simplicem & unicam, sed triplicatam etiam postea cum renovatione concessionis confirmationem Leonis, Clementis, & Pij Quarti: hujusmodi enim geminata, & multo magis ter geminata privilegia, difficiliùs semper revocantur; & numquam nisi specificè demonstrata, Felin. in c. Si cautio n. 39. De fide instrum. Dec. d. cons. 10. nu. 5. Paris. d. cons. 42. v. 17. vol. 4. sub revocatione vel derogatione sequente continentur; ut hæc & similia ad propositum facientia, eleganter deduxit Ludovicus Romanus, d. consil. 436. Sic quod supervacuum foret plura addere, præsertim post latiorem deductionem alterius consultationis, quæ copiosè omnes incidentes articulos hujus causæ tractat.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM

Petitorium ex Apostolica & ordinaria provisione.

1. *Actore non probante absolvitur Reus etiam in beneficialibus.*
2. *Exceptio de non iure actoris quando in beneficialibus permissa.*
3. 4. *Devolutio vacationis ad quem fiat.*
5. *Devoluto iure qui confert ante devolutionem nihil agit.*
6. *Papa in conferendis beneficijs concurrit cum quolibet Ordinario.*
   Publicatio collationis à Papa facta infra trimestre facienda ex Concordatu Germanicæ nationi.
   Eius publicationis omissio an reddat Papæ collationem nullam?
7. *Signaturam nudam sequi non potest iudex in iudicando.*
8. *Resignatio beneficij tollit ius & possessionem illius.*
9. 12. *Permutans lite pendente causa cadit & condemnatur in expensis.*
10. *Permutatione non sortiente effectum, quomodo cum permutantes revertantur ad sua beneficia.*
11. *Fraus in permutationibus beneficiorum quomodo probetur.*
13. *Instantia super beneficio transit ad successorem.*
14. *Error non probatus num inducat causam restitutionis.*
15. *Clericus an creari & beneficium habere possit, qui non fuit lector, exorcista, vel ostiarius.*
16. *Suspensio ipso iure non incurritur in promotione per saltum.*
    Minores ordines an necessarij & an eorum omissio inducat suspensionem.
17. Circiter *dictio incertitudinem significat.*
18. *Mandatum speciale ad impetrandum beneficium non requiritur.*
19. *Collusio ipso iure non inducit privationem.*
20. *Marca argenti quanti valeat.*

CONSILIVM CCXXXVII.

REI & possessoris partes cùm in hac beneficiali causa super personatu parochialis & Collegiatæ Ecclesiæ Leeuwensis sustineat Dominus Ioannes Franchon Reus adversus Dominum Ioannem Molinæum I. V. Doctorem hujus causæ Actorem, certior est Rei spes de obtinenda victoria causæ; præsertim quia per sententiam in possessorio judicio inter has easdem partes latam, idem Reus sit manutentus. † Nam vulgaris illa juris regula, quòd 1
Actore non probante Reus etiamsi nihil præstiterit absolvi debeat, c. fin. §. penult. De iureiur. c. 1. Vt ecclesiastica beneficia &c. locum etiam habet in causa beneficiali, c. Cum Ecclesia De causa possess. & propriet. Ioan. Franc. Purpuratus in l. Qui accusare nu. 17. C. De eden. potissimum quando constat de non jure Rei possessoris. † De quo non jure 2
Actoris, Reus possessor obiectionem facere potest ad finem absolutionis & manendi in possessione; licet non ad finem obtinendæ adjudicationis, Rota decis. 160. Reus & possessor in novis quæ est 4. sub tit. De re iudic. Felin. in cap. Olim nu. 10. De rescript. Cujus possessionis consideratio tam potens est, ut si Actor in effectu absolvi, hoc est in possessione relinqui, sed non adjudicari ei beneficium debeat, Rota decis. 15. Si in causa, quæ est 1. sub tit. De re iudic. in novis. Cùm ergò hæc causa eo loco sit, quòd non tantùm non docuerit, aut probaverit de suo jure Actor, sed ex adverso evidentissimè constet jus nullum ei umquam competisse ad hoc controversum beneficium, & si umquam competijt ab illo pendente hac lite exciderit; & præterea constet de bono jure Rei in & ad idem beneficium: nihil dubitandum est, quin utroque modo Dominus Ioannes Franchon hic obtinere debeat tam in petita absolutione ab impetitione Actoris, propter solam consideration-em, quod idem D. Ioannes sit Reus & possessor, quàm in petita adjudicatione beneficij propter bonum & plenum jus, quod in eodem habet.

Et primò quidem quoad absolutionem, quæ sola Reo posset sufficere, rejectâ sollicitudine & cura obtinendæ adjudicationis, cujus effectum satis supplet sententia possessionis adjudicatoria, hoc manifestum est, Actorem tituli sui originem constituere in collatione Illustrissimi ac Reverendiss. D. Episcopi Leodiensis, in collatione scil. & provisione ab eo obtenta non probato, quòd ad illum pertineat ordinaria hujus beneficij collatio seu provisio, imò etiam præsumptio, quòd non pertineat: quippe prætendit Actor jure devoluto ad dictum Dominum Episcopum tamquam Diœcesis Leodiensis Ordinarium pro ea vice pertinuisse hujus beneficij collationem: * devolutio autem fit ab eo, qui jus confe- 3
rendi priore loco habet, c. 2. c. Ex parte c. Postulasti De concess. præben. & non nisi incidente ac commissâ negligentia inferioris Colla-

toris; si scilicet intra tempora juris vacans beneficium non conferat inferior: ita ut gradatim ea devolutio fieri debeat, nec quisquam præteriri, *Rebuff. in praxi benef. p. 1. tit. De devol. nu. 7.* Cùm igitur Ordinarij hujus beneficij Collatores sint Abbas Vlierbacensis ac Decanus & Capitulum S. Dionysij Leodiensis, alternatim seu per vices, prout Actor in hac causa satis fatetur; & eâ confessione cessante per permutationem & resignationem, quam Actor hac lite pendente in alium quendam D. Ioannem Morum fecit (de qua inferiùs dicetur) facto comprobavit, utendo scilicet jure Abbatis, quod proinde contra se in hac causa admittere debet, *l. 1. D. Quod quisque iuris &c.* consequens est, quòd non potuerit ad Episcopum fieri beneficij devolutio, propter notoriam exemptionem, tàm secundariarum Ecclesiarum, quàm Abbatiarum Diœcesis Leodiensis, quæ facit, ut idem Episcopus non sit horum Ordinariorũ Collatorũ superior, sed immediatè Papa, ad quem etiam immediatè juxta Concilium Lateranense, occurrente negligentiâ inferioris exempti, fieri debet ab exemptis devolutio, *clem. 1. De supplen. neglig. Prælat.* Sed etsi inferiores hi Ordinarij Collatores immediatè subessent dicto Domino Episcopo, adhuc nullus potuisset fieri locus devolutioni ad eundem Episcopum: nam decretum Lateranensis Concilij Ordinarijs beneficiorum Collatoribus, si Ecclesiastici seu Clerici sint (ut procul dubio sunt Abbas Vlierbacensis & dicti Decanus ac Capitulum S. Dionysij Leodiensis) permittit sex menses liberos ad conferenda beneficia ad eorum collationem, præsentationem seu dispositionem vacantia, *d. c. 2. cap. Quia diversitatem in fine De conces. præben. d. clem. 1.* quo durante nulla potest inferioris Ordinarij Collatoris argui negligentia: quia permissum intra certum tempus, quàlibet parte illius temporis etiam in extremo die fieri potest, *c. Oblatæ De appel. l. 3. §. minorem De minor. l. In usucapionibus D. De usucap.* Quia igitur Actor proponit Dominum Danielem Vranx novissimum hujus personatus possessorem mortuum esse nona mensis Ianuarij anno 1559. novo stylo Brabantiæ, qui stylo Leodiensi est sexagesimus: indubitatum est, Reverendissimum D. Episcopum Leodiensem non potuisse duodecimâ mensis Iunij tunc proximè sequentis jure devoluto hoc beneficium Actori conferre, *Doct. in d. c. 2. Felin. & alij in c. Cum ex officij De præscript.* prout ex literis collationis per Actorem exhibitis contulisse de facto invenitur, incepto tantùm sexto mense liberæ collationi dicti Abbatis Ordinarij Collatoris ex Lateranensi Concilio relicto. * De quo minus 4
dubitandum, ob id, quod nequidem ad collationem dicti Abbatis pertinuerit hujus beneficij ex morte præfati Domini Danielis vacatio; propterea quòd mensis Ianuarius & alij quinque alternativi menses ex observatione ac Concordatis cum Sede Apostolica per totam Diœcesin Leodiensem pertineant ad Sedem Apostolicam, & minimè ad Ordinarium Collatorem; cui reliqui sex alternati menses per eadem concordata relinquuntur. Atque ita rursus impeditur Episcopi collatio, etiamsi ipse vel primus & immediatus, vel mediatus hujus beneficij Collator Ordinarius esset, *c Ad Romani in Extravag. communibus tit. De præben.*

Nec quicquam in contrarium facit, quòd Actor proponit per Concordata nationis Germaniæ, licere Ordinario Collatori conferre beneficium, quod in alternatis mensibus Ianuario, Martio, Maio, Iulio, Septembri & Novembri, Sedi Apostolicæ per dicta concordata reservatis vacat, dum non apparet quòd intra tres menses à die notitiæ vacationis in loco beneficij, alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit, & quod tunc Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo disponere liberè possit; ideoque ad Ordinarium in vacatione hujus beneficij recurri rectè potuerit, eo quod intra trimestre de aliqua provisione Apostolica super hoc beneficio in oppido Leeuwensi non apparuerit. Nam potestas ista conferendi permittitur non simpliciter Ordinario, hoc est Episcopo Diœcesano, sed Ordinario Collatori, ad quem beneficij, de quo quæstio incidit, dispositio pertinet (qui in proposito est non Episcopus Leodiensis, sed Abbas Vlierbacensis, ut actor fatetur) à quo, ut dictum est, nec devolvi potuit facultas supplendi negligentiam illius seu conferendi potestas ad Episcopum, nec devoluta fuit tempore quo Actori hoc beneficium jure devoluto collatum est; quia sicut diximus tempore assertæ hujus collationis sex menses, illi à jure concessi, lapsi non erant, *d. c. 2. d. Clem. 1. De supplen. neglig. Prælat.*

* Qui enim jure devoluto conferre potest, 5
si ante tempus devolutionis conferat, non valet illius collatio; nimirum quia antea nullam conferendi potestatem habet, *Nic. Boerius decis. 70.* Nec prodest Actori, quod Abbatem compellaverit, ut ei post tertium mensem conferret: quia jam prius alteri, quamvis nulliter contulerat, nec Actori alioqui invitus cõferre, nec potestate sua uti cogebatur pro lubito Actoris, quàm diu semestre ejus durabat. Cum alioqui & hoc verum sit, Papam de hoc beneficio non tantùm intra semestre, sed etiam intra primum mensem, quinto scilicet Idus, hoc est nona die Februarij, ejusdem anni Reo providesse: ideoque prætactæ assertæ dispositioni dictorum Concordatorum de trimestri locum esse non posse: supplenda quippe non est negligentia ejus, qui diligens invenitur.

Quibus nihil obstat (quod & Actor nihil in- 6
tentatum relinquens objcit) quod in loco beneficij, hoc est in oppido Leeuwensi intra tres menses non apparuerit nec publicata fuerit Rei ista Apostolica provisio, sed primùm in mense Iunio, post collationem illam Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis; quasi culpæ illius hoc quoque adscribendum sit, quod citius scilicet intra tres menses non publicaverit: quia in eo prorsus labitur Actor. Neque enim ea est illorum verborum in dictis Concordatis sententia, quasi provisio Apostolica facta intra trimestre vacationis occurrentis in aliquo reservatorum mensium sit vel efficiatur nulla, aut resolvatur, si intra idem trimestre non publicetur; neque etiam hæc, quòd lapso trimestri non liceat

liceat Papæ de sic vacante beneficio disponere, si Ordinarius post lapsum trimestre de eo non disposuerit; sed illa, quòd qualiscumque provisio intra trimestre, & post trimestre facta, quâ Pontifex Ordinarium antevertit, effectum habere debeat, etiamsi intra trimestre in loco beneficij non appareat: quia per Concordata hujusmodi non excluditur Pontifex omninò, & absolutè per lapsum trimestris, sed constituitur in jure communi, ut in potestate conferendi seu providendi, accumulativè concurrat cum quolibet Ordinario, & hunc etiam prævenire possit, præventus tamen non possit ipse providere vel conferre, *c. Si eo tempore & ibi Ioan. Monach. De elect. lib. 6. c. Dudum* De *præben. in 6. Ioan. Staphil. in tract.* De *luer. grat. in præludio n.* 8. & in eo melior est conditio Papæ, quàm Ordinariorum, quod in mensibus Sedi Apostolicæ reservatis Ordinarius omninò excludatur, *Clem. 1. §. fin. De conces. præben.* in mensibus verò Ordinariorum, quocumque casu Ordinarius vel jure ordinario vel devoluto aut aliter competente conferre potest, concurrat cum eo Pontifex, sic ut etiam Ordinarium prævenire possit, *Rebuff. d. tit.* De *Devolut. nu.* 48. & 4. Vnde in simili videmus Ordinarijs Collatoribus jure concessum esse, *c. Licet, c. Statutũ* De *præben. lib. 6.* ut cùm beneficia apud Sedem Apostolicam vacant, quæ specialiter reservata sunt Sedi Apostolicæ (nisi alia specialis reservatio quoque concurrat, *Phil. Franc. in d. c. Satutum nu. 6.*) si per Pontificem intra mensem à die notæ vacationis non conferantur, possint quidem per Ordinarios Collatores conferri post mensem, sed tamen idem possit quoque Papa, si præveniat Ordinarium. Quamobrem si post lapsum trimestre Papa possit prævenire Ordinarium in casu horum Concordatorum, etiamsi in loco beneficij non innotescat ejus provisio; multò magis effectum habebit durante trimestri facta, quamvis non in loco beneficij publicata: quia dicta verba Concordatorum loquuntur tantùm de conferendi potestate, non de excludendo Pontifice, aut ejus collationibus intra trimestre factis vel post illud faciẽdis, si per Ordinarium non præveniatur. Atque hæc facultas, quæ sic per Concordata conceditur Ordinario, quoad effectum in dubio stat, & ex eventu demùm detegitur ac resolvitur, si non prodeat aliquis, qui per præventionem Papæ, Ordinarij collationem inefficacem reddat.

Ex quibus omnibus plusquam manifestum fit jus, quod Actor prætendit ex Episcopi Leodiensis collatione, ne colorẽ quidẽ juris habere, sed prorsus esse nullum, nedum inefficax; quia pro non dato & non collato habetur, quod ab illo datur aut cõfertur, qui de jure dare aut conferre non potest, *c. Quod autem in fine* De *iure patron. l. Si filius tuus* C. De *donat.* Quod quidem præsentiens Actor confugit ad novam provisionem Apostolicam impetrata gratia & collatione hujus beneficij, *si neutri seu alteri* horum litigantium jus non competeret: verum ut conditionalis est hæc nova gratia, pendens à conditione, si Reo jus non competat, ita ut deficiente ea nullum jus exinde ea prætexere possit Actor. Quod autem deficiat, liquebit mox ex his, quæ
7 inferius de bono jure Rei deducentur. † Deinde ut verum esset, Reo non competere jus in hoc beneficio, non posset tamen propter illam gratiam Actori adjudicari hoc beneficium adversus Reum possessorem: ob id, quòd Actor de tali gratia secundùm formam juris non docuerit, saltem non aliter quàm per exhibitam nudam signaturam, quam Reus negavit, declarando quòd illi stare nolit, & quod notoria sit regula Cancellariæ Apostolicæ, De *non iudicando secundum formam supplicationis, sed literarum expeditarum. Lud. Gomes. ad reg. Cancell. De non iud. iuxta &c. q.* 1. quæ etiam locum habet in revalidatorijs gratijs: ita ut Domino Iudici clausæ sint manus judicandi pro Actore secundùm hujusmodi signaturam, etiam constito de illius veritate, de defectu juris Rei, *Lud. Gomes. ad d. regul. q.* 7. Nec prodesse debet Actori metuenti istam regulam oblatio de procuranda expeditione bullarum seu litterarem Apostolicarum super hujusmodi signatura: nam offerre probationem, probatio non est: tantoque minùs quod absoluta non sit Actoris oblatio, sed conditionalis, si Domino Iudici videbitur; in cujus potestate non est ea quæ facti sunt supplere, *l. 1. C. Vt quæ desunt advoc. &c.* aut à prædicta regula, quæ jus certum non arbitrarium constituit recedere, nec illius officium est partem instruere: ita ut quod reipsa ante conclusionem in causa probatum non invenit, pro probato habere non possit, nec in consideratione in definienda causa habere.

Quibus omnibus hoc quoque accedit, & ad absolutionem Rei plurimum facit, quòd Actor lite
8 hac pendente omne jus, si quod priùs habuit, amiserit per propriam & voluntariam renuntiationem, quam per resignationem ex causa permutationis cum Ioanne Moro fecit, accepto ab hoc Ioanne beneficio de pertica, hoc est conductitio, fructibus carente, imò nomen beneficij non habente: nam per renuntiationem & resignationem amittitur nedum jus in beneficio, sed etiam illius possessio, si hæc erat apud renuntiantem seu resignantem, *c. Solicitè c. Audita De restit. spoliat. c. Admonet, & c. Quod in dubys De renuntiat.* etiam ante admissionem superioris, *Rota decis.* 352. *Si opponatur, quæ est* 4. *sub. tit.* De *renuntiat. in novis*: quantum enim ad resignantem attinet sola renuntiatio sufficit, etiamsi fiat ex causa permutationis, *Rota decis.* 67. *Nota quod resignans quæ est* 2. *sub tit. De renunt. in antiq.* Vnde cum renuntiantibus juri suo non detur regressus, *l. Quæritur* §. *si venditor* De *edil. edicto*, non potest Actor litem ad hujus beneficij adjudicationem ex prætenso jure, quod sibi competere existimavit, cœptam, ulteriùs adversus Reum prosequi, *Bernard. Resignet. in decis. Rotæ* 2. De *rer. permutatione*, † Vsque adeò, ut
9 detectâ fraude ejus, qui sic permutando lite pendente alienat, in expensis litis condemnari debeat, *Rebuff. in praxi benef. p.* 3. *tit. De surrogationib. nu.* 34. † Et quamvis permutatione
10 effectum non sortiente quilibet reverti possit ad suum beneficium, *gloss. Anchar. & Demin. in c.* 1. *De rer. permut. lib* 6. *Rota decis.* 23. *aliàs* 1. *&* 63. *aliàs* 3. De *rer permut. & decis.* 293 *&* 863. *eod. tit. in antiq. Marian. Socin. cons.* 168. *Imprimis determinanda*

vol. 2. Phil. Probus ad Ioannem Monach. in c. 1. De rer. permut. lib. 6. Ioan. Selva De benefic. p. 1. q. 24. id tamen propria auctoritate fieri non debet, sed opus est vel nova collatione, ut frequentiori opinione Doctorum receptum est; quia per resignationem, etiam ex causa permutationis, inducitur vera vacatio utriusque beneficij compermutati; & permutatione expedita (ut hic factum esse constat per instrumenta) neuter permutantium habet jus in pristino suo beneficio, *Bisguet decis. Rotæ 3. utrum permutationes De rer. permutat.* vel, ut plerique volunt, *Io. Staph. in tract. de lit. grat. tit. de variis modis vac. §. 1. nu. 14.* opus est auctoritate superioris in hujusmodi regressu seu reversione. Et quamvis sint, licet pauciores, non contemnendæ auctoritatis viri, *Io. And. in d. c. 1. nu. 8. Dec. in c. Cum venerabilis nu. 18. De except. Nicol. Boer qui alios recensent decis. 97.* qui putent propria auctoritate regressum hunc permitti; non permittitur tamen tunc cùm permutatio fraudulenta est: nam æquitatis illam considerationem, quâ suam sententiam sustinent, dicunt non obtinere, ubi fraudulenta est machinatio; est enim quod sic renuntianti imputetur, cur temere & fraudulenter renuntiaverit, *Ioan. Imola in Clem. 1. De rer. permut. Dominicus cons. 45. Descendendo per ordinem nu. 13. & in c. Nemo deinceps nu. 11. De elect. lib. 6.* cùm æquitas illa sic evanescat, & in indignationem juris convertatur, dum culpâ vel fraude interpositâ permutatio effectum non sortitur, *Phil. Franc. in d. c. 1.* ut meritò sua auctoritate ad resignatum beneficium reverti non possit talis permutans. Et hoc est, quòd Ioannes Andreæ hujus sententiæ auctor dicit, *in d. cap. 1. n. 5.* tunc permutantes propriâ auctoritate reverti posse, cùm nulla eorum culpa in permutatione, propter quam permutatio effectum sortiri nequit, argui possit.

Cùm igitur culpa Actoris & illius fraus & collusio nimis apertè deprehendatur in hac permutatione; effectus factæ renuntiationis per-
11 durare debet, etiamsi permutatio effectum non sortiatur, saltem non alium, quàm quòd de jure & de facto Actor per eam exciderit omni jure, si quod in beneficio habuit. † Fraudem autem demonstrare non est difficile per eos gradus, quibus in hujusmodi articulis juris Interpretes & Iureconsulti fraudem detegi tradunt, *Freder. de Senis in tract. De permut. benef. quæst. ult. Rota decis. 361. Nota præsumitur, quæ est 2. sub tit. De præsumpt. in antiq. Aymo Cravet. cons. 82. vol. 1. nu. 4.* Primùm ex inæquali compermutatorum beneficiorum valore; imò etiam dispari conditione: vix enim est beneficium, saltem non nisi nomine tenus altare Beatæ Mariæ in Capella Clericorum Lovanij; licet illud & illius generis alia aliquot ad manum habere soleant mancipes & arrendatores seu Collectatores Episcopi & Archidiaconi ad tales & ejus farinæ permutationes expediendas; quæ unâ & eâdem horâ, quâ conferunt, plerumque recuperant, eademque ad similem finem alijs subministrant. Vnde vulgò equos conductitios, alij beneficia de vento, alij de pertica, alij alio non minùs ridiculo nomine appellant: quæ ob id explodi satius foret, quàm in republica ad hujusmodi fraudes conficiendas tolerari, *Io. Papon in arrestis Regni Franciæ lib. 2. tit. De permutation de benefice, arrest. 2.* Secundò detegitur & demonstratur fraus ex familiaritate inter Actorem, & dictum Ioannem G. quem ille velut pro alumno & filio habet, cum erudiendo ac docendo; ut nulla sit dubitatio, quin tacito intellectu negotium hoc per collusionem tractaverit. † Tertiò 12
fraudem arguit, quòd lite pendente & iam contracto quodammodò vitio litigiosi, hoc fecerit; nam cessio & permutatio quæ fit de litigioso beneficio pœnis legitimis subiacet, & damno litis inter alia cedentem afficit, *l. ult. C. De litigios. Rebuff. d. parte 3. nu. 34. sub tit. De surrogat.* Neque ea in parte excusabit Actorem erroris aliqua allegatio, quòd falso rumore putaverit Reum fuisse mortuum, & sic litem finitam: nam erroris prætextu non magis id ei facere licuit, quàm viventis beneficium acceptare: quo ipso fit, ut qui sic temerè acceptat, illo beneficio indignus sit, nec illud obtinere possit dum verè vacat, *cap. 1. & ibi Panor. nu. 3. De conces. præben. Ancharan. consil. 397. Apparet ex narratis.* Cùm alioqui allegatum errorem non probaverit: & ad sumendum excusationes ab errore, oportuisset probare communem famam, & probabilitatem, cur id sibi persuaserit, *Oldradus cons. 364. Infrascriptæ nu. 7.*

Nec Actori prodesse potest allegatio surrogationis in jus dicti Rei: nam illa non diminuit, sed auget potiùs vitium Actoris, qui sic non tantùm suum jus, quod priùs prætendit, & in hanc litem deduxit, per viam permutationis in alium transferre voluerit; sed præterea viventis jus sub commento surrogationis occupare, *d. c. 1.* & in alium transferre præsumpserit. Quamvis tamen aliter, quàm ex nuda Actoris allegatione (quæ in ejus præjudicium converti potest) de hujusmodi surrogatione non constet; † & ea deficiente 13
debebat Actor scire, quòd mortuo uno collitigantium super beneficio, lis & litis instantia non pereat vel extinguatur, sed perduret, & ad successorem in jure transferatur, *Rota decis. 3. Nota quod successor, quæ est 1. sub tit. Vt lite pendente in antiq.* Ad quæ omnia si Actor respexisset, & non tam præcipiti, cæcâ, & inconsultâ festinatione hac in re usus fuisset, necessum ipsi non fuisset confugere ad petitionem restitutionis in integrum, adversus istam permutationem & omnia inde sequuta; prout tandem inclinante hac causa ad exitum eò confugit; sed frustra & sine spe obtinendi; † ætatem enim cùm habeat, ætatis be- 14
neficio ei succurri nequit: neque etiam prætextu alicujus causæ, hoc est prædicti erroris, quia illum non probavit: in conditione enim cõcedente restitutionis maiori si qua sit iusta causa, hoc positum est, si allegatam iustam causam probet, *c. Ex literis De in integr. restitut.* Cùm alioqui restitutio ista per Iudicem delegatum, si hoc ei specialiter commissum non sit, concedi non possit; sed recursus vel ad Papam, vel ad ordinarium superiorem haberi eo casu debeat, *cap. Causa De in integ. restitut.*

Ex his omnibus deprehenditur Actorem Andabatarum more clausis oculis, vel in tenebris pugnare & quocumque se convertat ubique impingere

impingere, & exitum non invenire, in asserendo jure, quod ad hoc beneficium prætendit adversus Reum justum illius, Prætore etiam authore, possessorem: ita ut nihil necesse sit ulteriùs de jure & titulo Rei docere; cum, ut prædiximus, satis sit Actori nihil juris esse aut competere. Interim quo certior & illustrior sit Rei victoria, quoniam de ejus quoque jure in causa disputatio suscepta, & admissa est, deducemus, sed minùs operosè ac obiter, justitiam tituli ac juris, quo Reus hoc beneficium obtinuit & retinet.

Et in primis de conditione ac qualitate Rei idonea ad obtinendum hoc beneficium satis doctum est, per exhibitionem instrumentorum tam clericatus, quàm aliorum superiorum ordinum usque ad presbyterium inclusivè. Non destitit tamen Actor hanc quoque Rei qualitatem oppugnare, objiciendo quòd sit per saltum promotus; ob id, quòd non constet eum creatum fuisse Lectorem aut Exorcistam, & quod sit creatus presbyter ante congruam ætatem.

Sed in neutra objectione est aliquis effectus in- 15
habilitatis, cùm nullo jure inveniatur, quod necessariò quis creari debeat Lector aut Exorcista ad assumendum clericatum vel obtinendum beneficium; non magis quam Hostiarius, Psalmista, seu Cantor: sunt enim isti ordines minores Ecclesiæ seu clericorum officia minimè necessaria ad beneficium obtinendum, *c. Exorcista cum tribus seqq. 23. distinct.* licet clericus sine illis ad majores pergere aut promoveri non debeat: Quò fit ut ex concessione vel collatione majorum, præsumantur isti minores legitimè collati, qui & plerumque mox post primam tonsuram conferuntur *Innoc. & Ant. de Butrio in c. 1. De cler. pereg. Felin cons. 2. nu. 29. & 32. Pet. Rebuff. in pract. benef. De forma. liter. tonsur. nu. 28.* † Quinimò existimavit Panormitanus ex 16
sententia quorundam, quos allegat, *in c. 1. nu. 4. De cler per saltum promot.* minores istos ordines planè non esse necessarios, saltem non sic, ut ipso jure ex illorum omissione incurratur suspensio: quamvis propterea per sententiam ad suspensionem possit procedi, *Archidiac. in c. Solicitudo 52. distinct. Henric. Bobick. tit. De cler. per salt. promot. De tempor. ordinan.* ita ut nec irregularitas inde ob omissionem præsertim ex imprudentia vel ignorantia commissam quoad hujusmodi minores ordines incurratur ideoque non prohibeatur pervenire ad dignitatem sic per saltum promotus, multo minùs beneficiorum propterea incapax sit, *Archidiac. in d. c. Solicitudo, Summa Angelica in dict. Irregularitas vers. 36.* Minus certè idoneam qualitatem Rei turbat objectio de præmaturè suscepto sacerdotio, quod ex scrupulosa supputatione annorum colligit Actor; ex eo quod Reus in sua personali responsione in hac causa facta asseruerit annorum triginta quatuor aut triginta quinque, & quod circiter duodecim annis fuerit ordinatus presbyter: ita ut numero anorum retrò computato, videatur esse factus sacerdos ætatis suæ anno vicesimo quarto nondum impleto; cum nemo possit antè ad sacerdotium promoveri, *Clem. ult. De ætate & qualit. ordinan. conc. Trid. sess. 23. c. 12. de reformat.* Nam ex literis sacerdotij per Reum exhibitis constat, illud susceptum esse 17. Decembris 1558. à quo tempore usque ad prædictam diem quartam Maij anno 1568. lapsi sunt tantùm novem anni & quinque ferè menses: ita ut apertè constet Reum in præciso numero annorum errasse, & errorem per exhibitionem literarum sacerdotij correctum ac emendatum esse. * Cùm alioqui Reus ad certum & præ- 17
cisum numerum duodecim annorum sese non restrinxerit, utendo dictione *circiter*, quæ incertitudinem significat, nec sermonem pronuntiantis constringit, *Angel. cons. 127. Visis petitione*: & in labilitate ac fragilitate memoriæ hominum per lapsum decem annorum temporis certa dinumeratio facillimè effluat: & præterea omnes annos à quinquagesimo octavo ad sexagesimum octavum, utrimque inclusivè enumerando, invenientur anni partim cœpti, partim integri & completi undecim, & ita circiter duodecim. Sed scrupulosè in hujusmodi angustijs perstendum non est, in comperta & manifesta veritate, & in re, quæ non nocet: Nam cùm non alleget nec probet Actor Reū indebito tẽpore ante maturā ætatẽ celebrasse, & sic irregularitatem incurrisse, non potest hujusmodi anticipatio nocere; cum illius vitium per supervenientem ætatem purgetur, *d. Clem. ult. De ætate & qual. ord.*

Qualificatâ persona Rei nihil occurrit, quod ex conditione beneficij hujus Reo obstet, quo minus illud acquirere potuerit; cùm sit sæculare beneficium, cujus sæcularis clericus ad obtinendum & regendum capax est: ut Reus proposuit, & Actor absolutè confessus est: in quâ qualitate & nihilo majore aut qualificatiore Actor quoque contendit illud obtinere.

Ex persona quoque authoris seu conferentis nulla est dubitatio: nam superiùs deduximus hoc beneficium vacasse in mense Pontificio; de cujus Pontificis potestate, cùm sit dominus omnium beneficiorum, dubitandum non est, *Clem. 1. in fine Ut lite pendente &c.* ita ut omnia hic prorsus idonea & congruentia concurrant, quæ ad sæcularis beneficij adeptionem requiruntur. Objicit tamen Actor quædam, per quæ hanc Pontificiam concessionem, ut canis Æsopicus in præsepi, laborat Reo inutilem facere: inter quæ primum illud est, quòd non Reus, sed Dominus Ioannes Brictius ignorante Reo, seu sub nomine Rei, ad suam non Rei utilitatem beneficium impetraverit; ac Reus sic tacitam fidem accommodando nomen suum in eo usurpare patiatur; quòdque idem Dominus Brictius sit hujus præcedentis litis possessoriæ sollicitator, beneficij director, & fructuum inde perceptorum dispensator; congestis adhuc quibusdam alijs minutis, per quas conatur contractam fiduciam & collusionem probare quarum quasdam putat se probasse ex confessione Rei. Sed hæc omnia ad enervationem tituli & juris, quo Reus nititur, nihil facunt. † 18
Cùm enim Actor alleget Reum esse nepotem dicti Domini Ioannis Brictij, quid vetat, si eo etiam ignorante hoc beneficium pro eo impetrare potuerit. Etsi enim ad lites & ad impetrandum rescriptum ad lites requiratur speciale mandatum *c. Nonnulli De rescript.* ad impetrandum tamen beneficium

pro alio non requiritur speciale mandatum, *gloss. in d. c. Nonnulli*; præsertim si impetrans est conjuncta persona, *Rota decis. 2. Purificatio gratiæ quæ est 9. sub tit. De conces. præb. in novis Phil. Franc. in c. Si motu proprio nu. 2. De præb. lib. 6.* Prout etiam conjuncta persona sine mandato amici seu conjuncti causam in judicio tam possessorio quàm petitorio agere potest, *l. Sed & hæl. Pomponius §. ult. De procur. l. 1. c. Si per vim vel alio modo &c.* Satis itaque in proposito est, acceptionem Rei de sic impetrato hoc beneficio sequutam esse, & per ejus specialiter constitutum procuratorem obtentam primùm fulminationem bullæ Apostolicæ, deinde possessionem ejusdem beneficij: quia talis ratihabitio & procuratoris constitutio ad acceptandum & possessionem apprehendendum, omnia purgant, quæ de defectu mandati dici possent, *Rota decis. 200 Ad recipiendum, quæ est 21. sub. tit. De procur. in novis.* Sanè directio dicti D. Brictij, & fructuum receptio, nihil ad collusionem detegendam faciunt: cùm enim asserat constanter ad se pertinere hunc personatum, & Actor dicat, & ex rei evidentia constet, Dominum Ioannem ejus avunculum, lites omnes quas Actor sine colore juris ei primùm Bruxellis, nunc hîc per annos ferè undecim intendit & producit sustinere, cur non quoque permittente Reo fructus percipiat ad erogationem harum expensarum
19 faciendam? † Cum alioqui collusio ipso jure non inducat amissionem beneficij, sed tantùm præbeat causam privationis, *c. Audivimus De collus. deteg.* ad quam per sententiam pervenire oportet.

Objicit quoque Actor Reo surreptionem & obreptionem bullæ; ex eo primùm, quòd valorem viginti quatuor ducatorum in ea expressum non verificaverit: quasi taxa beneficij in gratia comprehensa, pars gratiæ sit; præsertim cùm ex assertione impetrantis in bulla ponitur. Sed non animaduertit Actor, quòd sub eadem taxa idem beneficium ipse sibi impetrare conatus fuerit apud Sedem per gratiam, *si neuter*, cujus signatura in hac causa exhibita est, per quam inter cætera laborat Reo eripere hoc beneficium; in qua signatura taxa seu valor hujus beneficij per Actorem exprimitur ad quatuor marcas argenti puri, quæ taxa cum taxa
20 viginti quatuor ducatorũ cõvenit; † marca enim argenti puri valet ducatos sex, *Lud. Gomes. ad reg. Cancell. De valor. exprimen.* Ita ut per hanc Actoris assertionem & narrationem in suo supplice libello Papæ exhibito, quia pro confessione est, *l. Cum precum C. De lib. causa*, verificetur narratio Rei: & Actor ad agnoscendam veritatem narrationis Rei constringatur, ut eodem jure eum uti pati debeat, *l. 1. D. Quod quisque iuris &c.*

Objicit præterea Actor Reo, quòd ipsius gratia intra tres menses non sit publicata: sed cùm jus ad hoc nusquam constringat Reum, qui non ex resignatione, sed ex morte vacante beneficio, suam gratiam obtinuit, curandum id non est, *Lud. Gomes. De publ. resig. q. 9. n. 7. & 8. & quæst. 11.* Alia quæ objicit tam facilia sunt, ut non mereantur aliquam solutionem. Concludimus igitur in hac causa judicandum esse pro tenore conclusionis, quam Reus proposuit.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Petitorium ex concursu pro Prioratu inter clericum sæcularem & regularem.

1. *Instrumento utens illius contenta probare videtur.*
2. *Beneficium dependens à monasterio censetur in illius potestate esse.*
3. *Clericatura est necessaria ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum.*
4. *Beneficia sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferenda.*
5. *Pontifex beneficia regularia sæcularibus conferre potest, eosque ad illa habilitare.*
6. *Clausula in rescriptis*, de pluribus beneficijs simul & successive obtinendis vel admittendis, *quem effectum habeat.*
7. *Resignatio ex causa permutationis non dat liberam collationem.*
8. 9. *Possessor beneficij an debeat probare titulum sui auctoris.*
10. *Testimonia in possessoria causa faciunt fidem in petitoria beneficiali.*
11. *Pater non præsumitur ignorare conditionem filij nec Prælatus monachi sui.*
12. *Monachus suo Prælato magis quàm filius patri subiectus est.*
13. *Enuntiativa pronuntiatio an vim probationis habeat.*
14. *Enuntiativa verba per modum causæ prolata disponunt.*
15. *Possessio beneficij sine titulo nulla est.*
16. *Sententia in possessorio non præiudicat causæ proprietatis.*
16. *Placitum Principis non requisitum in ordinariorum collationibus.*
17. *Beneficium à manu laica accipi non potest.*
18. *Quæsito iuri non præsumi derogatum.*
19. *Regula de triennali possessore tuetur possessorem.*
20. *Possessio auctoris an prosit in regula de triennali possessore.*
21. *Renuntiationis voluntariæ exceptio potentissima.*
22. *Renuntiatio de litigioso beneficio coram quo fieri possit.*
23. *Renuntiatio beneficij ad opus litigantis facile procedit.*
24. *Confessio nocet confitenti & causam ab eo habenti.*
25. *Papæ assertioni standum.*
26. *Mandatum posterius revocat prius etiam non facta mentione prioris.*

CONSILIVM CCXXXVIII.

IN beneficiali causa, quæ nunc subjacet calculo ferendæ sententiæ per Reverendum Dominum Abbatem S. Gertrudis Lovanienſis ex speciali rescripto delegatum Iudicem, inter Reverendum Dominum Lambertum Ora Protonotarium Apostolicum Impetrantem seu actorem, & Fratrem Gerardum Bourgesium Reum Opponentem, de & super Prioratu Vallis Monachorum ordinis Sancti Benedicti, de solius Actoris jure ferè quæritur, cùm ex parte Rei nulla extet contraria conclusio aut petitio, ut ei adjudicetur hic Prioratus, sed nuda tantum tituli sui allegatio, & aliquot instrumentorum pro illius probatione exhibitio; non tam ad deductionem & probationem,

bationem juris sui, quàm ad demonstrationem deficientis, (ut putat) juris in Actore: fiducia nimirum possessionis, quæ ei per sententiam Concilij Mechlinien sis adjudicata est; virtute cujus se tutum existimat, quamdiu Actor de potiore titulo & jure non docet, *c. ult. in fine* De iureiur. Proinde in titulum & jus Actoris inquirendum est; quo probato necessum erit secundùm conclusionem Actoris in hac causa propositam judicare. Procedendo itaque per eos gradus, quibus titulus, & jus in quocumque beneficio acquiri & deduci solet, in primis hoc manifestum esse dicimus, etiamsi Reus non sit verius id aliquoties in hac causa negare, quod hujus Prioratus ordinaria collatio & omnimoda dispositio, vacationis tempore occurrente spectet & pertineat ad D. Abbatē S. Audoëni Rotomagensis ordinis S. Benedicti. Nam deprehenditur id in primis ex asserta bulla Apostolica Julij Papæ tertij, quâ Reus in hac causa pro sua defensione, & tacitè pro affectione juris sui utitur; in qua disertis verbis ex assertione Rei dicitur, quòd hic Prioratus non sit Conventualis, & quod à monasterio S. Audoëni Rotomagensis dependeat.

Qui enim utitur instrumento in judicio, in sui præjudicium intelligitur confiteri omnia instrumenti contenta, *Innoc. in c. Cum venerabilis & ibi Felin. nu.* 22. *De except.* & narratio seu assertio supplicantis pro confessione in sui præjudicium habetur, *l. Cum precum. C.* De *liberali causa*: præsertim quia Reus hujusmodi assertionem positivè quoque in
2 hac causa articulaverit. † Iam verò quod ab altero Monasterio dependet, censetur esse in potestate ejusdem Monasterij seu Prælati quoad jus collationis seu provisionis, *c. Cum singula & ibi Phil. Franc.* De *præbend. lib.* 6. Quemadmodum cùm annexum est Monasterio, in potestate est retentionis; quia annexa pro uno habentur, *c. super eo De præben lib.* 6. *Ioan. Monach. in d. c. Cum singula in V. annexi, Petrus Anchar. cons.* 114. Pro impetrante, *Tapia alleg.* 36. *Vtrum absque dispensatione.* Ideoque est quod sic à Monasterio dependens beneficium sine dispensatione Apostolica non possit per Prælatū illius Monasterij conferri Monacho alterius Monasterij, sed tantùm sui, *c. Cum* De *beneficio* De *præben. lib.* 6. *Rebuff. in praxi benef. à tit. de transit. mona. nu.* 16. quod evidens argumentum est, dependentiam efficere quoque potestatem conferendi. Quò etiam pertinet quod in eadem bulla, quâ Reus utitur, inserta sit clausula translationis à Monasterio Gemblacensi, cujus Monachus conventualis tempore hujusmodi impetrationis dictus Reus erat, ad Monasterium S. Audoëni. Convincitur quoque id per instrumentum processus fulminati super dicta bulla; per quem executio hujusmodi bullæ dirigitur ad Abbatem Sancti Audoëni Rotomagensis tamquam ordinarium collatorem dicti Prioratus. Quare calumniosa est Rei responsio, quâ negat collationem hujus Prioratus pertinere ad Abbatem S. Audoëni Rotomagensis, asserendo illum pertinere ad Romanum Pontificem; cùm ex tenore dictæ bullæ, quâ Reus utitur, constet Pontificem contuliss hoc beneficium non jure alicujus ordinariæ collationis, sed specialis reservationis; nimirum propter resignationem factam (uti asseritur) in curia Romana, *c. Licet De præben. li.* 6. Quod evidens indicium est, Pontificem ordinariam collationem seu provisionem hujus beneficij sibi non arrogasse, *Ioan. Selva in tract.* De *benefic. parte* 2. *quæst.* 1. *nu.* 13. Quibus accedit propria confessio Fratris Ioannis Bourgeois (à quo Reus causam sui tituli se habere dicit) quam fecit in supplicatione, quam anno 1550. quarta Julij porrexit in Concilio, Mechlinien si: quâ confessus fuit Abbatem S. Audoëni esse protectorem & collatorem hujus beneficij. Cum itaque Actor auctoritatem sui tituli referat ad Abbatem S. Audoëni, prolato publico, authentico & per Reum recognito instrumento factæ sibi per dictum Abbatem collationis & provisionis de hoc Prioratu, nihil dubitandum est, quin non possit Actori objici defectus potestatis ipsius conferentis & providentis.

Proximum est ut demonstretur, Impetrantem in
3 ea conditione & qualitate fuisse & esse, cui hoc beneficium conferri potuerit. In quo articulo manifestum in primis est Actorem tunc pluribusque annis antè, fuisse clericum tonsuratum Leodiensis diœcesis. Nam exhibitas de hujusmodi clericatura seu tonsura literas Reus apertè recognovit; & vltra hoc Reus positivè allegat Actorem esse clericum sæcularem: quæ prima in genere est requisita qualitas ad obtinendum quodcumque Ecclesiasticum beneficium, *c. Cum ad De rescr. c. Exliteris* De *transl. c.* 2. De *institut.*

Cæterum hac in parte est quod probabiliter admodum Reus Actori objicit, ex conditione & qualitate ipsius beneficij, quod dicit esse regulare, utpote dependens à monasterio S. Audoëni ordinis S. Benedicti solitum conferri Monachis seu Religiosis ejusdem ordinis; * Regulariter autem
4 quæcumque beneficia sæcularia clericis sæcularibus, & regularia monachis religionem professis conferri solent & debent, tam ex dispositione priorum Canonum, *c. Cum* De *beneficio De præben. lib.* 6. *c. Cum causam De elect.* quàm ex definitione sacri Oecumenici Concilij Tridentini, *sess.* 14. De *reformat. cap.* 10. *ac sess.* 25. *cap.* 11. non converso ordine sæcularia Religiosis, & regularia sæcularibus clericis. Verùm adversus istam objectionem est Actor munitus ex dispensatione Apostolica: nam Clemens Papa septimus, V. Kalendas Novembris anno Pontificatus sui septimo hoc est anno 1532. ex potestate Apostolica concessit & indulsit dicto Actori, ut duo incompatibilia beneficia & eorum alterum etiam regulare, conferri solitum regularibus ordinis S. Benedicti, aut alterius cujusvis ordinis, obtinere posset: de & super qua concessione & indulto Paulus tertius anno 1534. III. Nonas Novembris concessit suas bullatas literas, in forma *rationi congruit* expeditas, quas Reus quoque recognovit. Ita ut ex hac parte inhabilitas aut incapacitas personæ Actoris redargui non possit. *
5 Dubium enim non est, quin Pontifex prædictam juris communis, & Conciliaris etiam decreti dispositionem, dispensando ex auctoritate & potestate Apostolica, relaxare possit, sæcularemque clericum habilitare ae beneficium regularibus seu monachis conferri solitum, *in d. c. Cum De beneficio in fine*: non tantùm ex provisione Apostolica, verùm etiam ex collatione Ordinarij, ad quem regularis beneficij collatio pertinet; quia dispensatio eum

capacem facit *Rebuff. in praxi benef. tit. De dispensatione ætatis nu. 6. & 7.*

Quod animaduertens Reus, tacitâ confessione hujusmodi dispensationis, objecit ulteriùs Actori dictæ dispensationis resolutionem, per hoc, quod (ut asserit) Actor post datam dictæ dispensationis successivè acceptaverit & retinuerit plura alia incompatibilia beneficia; quorum quinque nominatim exprimit, existimans per priorum duorum incompatibilium assecutionem, effectum dictæ dispensationis resolutum fuisse: quasi sermo simpliciter prolatus de primo intelligatur, & primo actu perficiatur, consumatur, & finiatur, *l. Boves §. hoc sermone De verb. signific.* etiam in hac Papali liberalitate, *c. Non potest §. 10. De præben. lib. 6.* Sed sine negotio resolvitur hæc objectio per formalem negationem Actoris, & deficientem Rei de allegata hujusmodi beneficiorum pluralitate probationem. Allegare etenim & objicere non sufficit, nisi quoque id quod objicitur, quatenus in facto consistit, probetur, *l. Qui accusare C. De eden.*
6 *l. Si in emptione De contrah. emp.* † Et si probatum esset Actorem successivè plura, quàm duo incompatibilia beneficia ante acquisitionem hujus Prioratus obtinuisse; per hoc tamen non induceretur dicti Prioratus amissio; ob id, quòd dictæ dispensationis bulla contineat ampliativâ illâ clausulâ, his verbis: *Illaq; simul & successivè simpliciter vel ex causa permutationis, quoties tibi placeret dimittere & cedere, ac loco dimissi vel dimissorum aliud vel alia* &c. Quæ clausula præservativa est, efficitque ne prima acceptatione duorum incompatibilium, effectus prætactæ dispensationis resolvatur, *Rebuff. praxi benef. tit. De dispensatione ætat. ad verb. illaque simul, dimittere cum seq.* sic ut successiva plurium, quam duorum acceptatio Actori non noceat, nisi quoque probetur simultanea eorundem eodem seu uno aliquo tempore retentio. Relinquitur ergò quòd ex qualitate & conditione vel personæ ipsius Actoris, vel hujus de quo quæritur beneficij nullum sit impedimentum aut defectus, quo minus Actor illud obtinere, & in præsenti etiam retinere possit.

7 Quoniam verò Actor causam collationis constituit in collatione Abbatis S. Audoëni non merè liberali sed necessaria, quæ liberalitatem non habet, *l. Regem legatam in fine De alimen. legatis*, hoc est ex causa permutationis; ex qua facta in manibus Ordinarij Collatoris beneficij resignatio liberam conferendi potestatem, cui volet, Collatori non tribuit, sed illum constringit, ut conferat illud ei qui cum resignante compermutat, *c. 1. De rer. permut. lib. 6. & Clem. 1. eod. tit.* inspiciendum est, an ea ex parte aliquid sit quòd Actori scrupulum facere possit.

8 Objicit Reus Actori hujusmodi permutationem fuisse nullam; ob id, quòd Frater Guilielmus Marnier, qui hunc Prioratum ex causa permutationis ad opus Actoris resignavit, tempore illo nõ erat dicti Prioratus verus Rector aut possessor; ideòque permutationem tamquam de re aliena factam esse nullam: cùm generaliter verum sit quòd ex causa permutationis alienare nemo, vel in alium transferre possit, quod ipse non habeat, *l. si filius tuus C. De don. l. Nemo plus D. De reg. iuris.* Sed faciliè quoque rejicitur hæc objectio per hoc quòd qui ex permutatione alterius beneficium consequutus est, si ei agenti objiciatur exceptio deficientis juris in persona auctoris, hoc est compermutantis, intentionem suam satis fundet & probet, si probet auctorem suum loco domini seu veri Rectoris & possessoris beneficij habitum fuisse, ut expresso jure definitum est, *in c. Cum venerabilis in verb. vel cum domino vel eo qui habebatur loco domini De exception.* Ita ut non sit necesse probare verũ dominium illius; cum dominij probatio sit difficilis; & perinde ad obtinendum in vindicatione cujusque rei sufficiat probatio quasi dominij, hoc est quod sit bonæ fidei possessor ex justa causa, ut ipsius dominij, adversus eum, qui ipse suum dominium probare non potest, *l. ult. D. De Public. in rem act. §. Alia Inst. De action.* † Quinimò in materia beneficiali specialiter receptum est, ut is, qui agit ad beneficium, quod dicit suum esse ex causa permutationis, non teneatur probare quod suus auctor, hoc est ex permutationis causa resignans, jus in re seu in beneficio habuerit; sed sufficit probare illũ habitũ & reputatum fuisse pro tali, & fuisse in beneficij possessione: quod in auditorio Rotæ Romanæ decisum, *decis. 10. tit. De rer. permutat. alias 404. incip. Nota agenti & petenti in antiq. & decis. 4. tit. De rer. permut. alias 104. incip. Agenti & petenti in novis*, comprobat & sequitur Panormitanus. Iam verò per Actorem plenissimè probatum est, D. Guilielmum Marnier auctorem Actoris tempore hujusmodi permutationis & resignationis fuisse habitum & reputatum pro Priore hujus Prioratus, eumq; aliquot annis fuisse tunc in reali possessione illius, usque ad tempus, quo dicta permutatio concepta fuit in anno 1548. Deponunt namque id ad unum ferè omnes testes viginti quinque per Actorem in causa possessoria producti: quorum depositiones seu testimonia per Concilium Mechlinienſe clausa ad hanc petitoriam causam transmissa, & in actis hujus causæ exhibita sunt: adversus quæ Reus nihil objecit, quo minùs illa fidem probationis faciant. etiam in hac causa petitoria, licet in ea dicti testes neque producti, neque per Reverendum D. hujus causæ Iudicem, vel ex ipius commissione examinati sint. * Est enim receptum, quòd testimonia dicta in possessoria causa 10
fidem faciant & plenè probent etiam in causa petitoria inter easdem partes de eadem re contendentes licet ad alium finem, *Felin. & alij in c. Causam quæ in c. Veniens 2. De testib.* ut eleganter decidit Guido Papæ *decis. 136. Si acta*; quem indicasse quoad hoc sufficit.

Vltra quæ testimonia eadem reputatio & possessio probatur per diversa instrumenta in hac etiam petitoria causa pro maxima parte originaliter exhibita. Et primò per ipsas dictæ collationis Actori per Abbatem S. Audoëni factæ literas: inde quippe constat, quòd ipse Abbas Collator hujus beneficij dictum Guilielmum pro Rectore & possessore hujus Prioratus habuerit & reputaverit; potissimum quod idem F. Guilielmus fuerit professus religiosus dicti Monasterij S. Audoëni, & sic præfati Abbatis obedientarius uti Reus apertè in hac causa confessus est, quod non tantum dictus D. Guilielmus sed etiam F. Ionathas de la Mote immediatus ejusdem D. Guilielmi in dicto Prioratu

præcesso

præcessor, fuerint Religiosi dicti monasterij: prout etiam eiusdem Monasterij Religiosus fuit F. Robertus Crochet immediatus prædecessor dicti F. Ionathæ. Quæ res habet maiorem probabilitatem, quàm illud, quod Reus proponit de jure & possessione F. Ioannis Bourgeois, ex cujus resignatione dicit se obtinuisse hunc Prioratum, nulla alia allata probatione vel iuris vel possessionis aut repræsentationis huiusmodi sui auctoris, quem constat fuisse Religiosum non monasterij S. Audoëni sed Walciodorensis. Nam in literis, quas de asserta licentia sui superioris Abbatis Gemblacensis pro facultate obtinendi hunc
11 Prioratum se impetrasse dicit Reus, id apertè declaratur. † Quæ quidem dicti Abbatis assertio pro plena reputatione, quod D. Guilielmus Prior fuerit, haberi debet: quemadmodum filius talis esse præsumitur, qualis pater eum reputavit, *l. penult. in fine D. De curat. furios. Paul. Paris. cons.* 88. *Viso processu nu.* 5. *vol.* 3. cùm ob tantam coniunctionem non præsumatur ignorare conditionem filij sui, *l. Octavi in fine D. Vnde cognati.* Quod in eo, qui naturaliter pater est, sic constitutum, rectè transfertur & extenditur ad patrem spiritualem, hoc est ad Monachi cujuscumque superiorem seu Prælatum; ut à carnali matrimonio ad spirituale rectè ducitur argumentum, *c. Quoniam*
12 *frequenter §. porrò Vt lite non contest. c. fin. De translat. Episcop.* † potissimùm quia arctiùs subiectus sit Monachus suo Prælato, quàm filius patri; cùm Monachus sine licentia sui Abbatis à Monasterio recedere nequeat, nec cuicumque beneficio aut officio præfici nisi à suo Prælato mittatur, *c. Non est de regula, c. Cum ad Monasterium vers. alicui De statu monach.*

Probatur quoque hæc de dicto D. Guilielmo reputatio, & vera actualisque hujus Prioratus possessio, non tantùm duorum aut trium, sed circiter decem annorum ex diversis per Actorem exhibitis instrumentis. Nam primò literæ per Concilium Lutzemburgense scriptæ ad Abbatem de Dorval, ad querelam Ioannis de Marion coloni præfati D. Guilielmi, apertam significationem faciunt, quod tunc idem Dominus Guilielmus fuerit Prior hujus Prioratus; quas literas Reus recognovit. Cui quoque consonat supplex libellus per dictum Ioannem Marion Concilio Lutzemburgensi adversus præfatum Dominum Guilielmum tamquam Priorem dicti Prioratus exhibitus. Secundò comprobatur per instrumentum appellationis, quæ nomine dicti D. Guilielmi tamquam Prioris dicti Prioratus aliorumque Dominorum ejusdem Ordinis interposita fuit à sententia seu decreto quorundam Decanorum, qui ipsos indebitis subsidijs gravaverant. Tertiò exhibuit cum prædictis instrumentis Actor etiam aliquot apochas seu quitantias, non tantùm receptorum per præfatum D. Guilielmum de bonis dicti Prioratus, sed etiam solutorum: item instrumentum Vicariatus, per quod idem D. Guilielmus constituit hujus causæ Actorem suum Receptorem, negotiorum gestorem, & Vicarium in dicto Prioratu: item instrumentum locationis certorum bonorum dicti Prioratus per D. Guilielmum factæ & per Abbatem dicti Monasterij S. Audoëni confirmatæ, in quo tam multorum concursu dubitandum non est de hac reputatione, quam in proposito sufficere diximus. Nihil in contrarium urgente, quòd Reus velut uno penicillo abstergendo omnia supradicta instrumenta dicat in illis non dispositivè, sed enuntiativè tantùm contineri, quod dictus F. Guilielmus talis fuerit, & id non sufficere ad probationem tituli: quia, ut paulò ante dictum, non est hoc casu necessaria veri tituli seu juris ex causa permutationis resignantis talis fuerit, *supradict. Rotæ decis.* quæ reputationis probatio iam abundantissimè confecta
13 est. * Deinde enuntiativa dictæ qualitatis assertio, vim & effectum perfectæ probationis continet, propterea quod instrumenta prædicta sint non de rebus aut negorijs extraneis (quo casu impertinentis qualitatis assumptio, per enuntiativam orationem concludentem & necessariam probationem non conficeret) sed de rebus & negotijs ad dictum Prioratum pertinentibus & ratione illius occurrentibus, & quæ D. Guilielmus citra jus & nomen dicti Prioratus facere utiliter & cum effectu non potuisset, *arg. l. Proherede §. Papinianus in fine D. De acquir. hæred.* ut est locare bona Prioratus, ratione illorum in jus vocare, exactionibus subijci propter Prioratum: ita ut huiusmodi qualitatis enuntiativa assertio pro dispositiva accipi debeat; quia dirigitur in actum, qui dictam qualitatem requirit, *Bald. in l. Si voluntate. C. De fideicom. libert.* & sic adiecta enuntiatio hujusmodi qualitatis est & accipi debet pro causa ejus, quod agitur. † Eo autem casu, quando verba enun-
14 tiativa proferuntur per modum causæ disponunt, *Bald. in l. Emptor §. ancillam De rei vind. Ias. in l. Ex his verbis nu.* 2. *vers. Nonò limita C. De testam. militis*; quia dispositivus actus quibus hæc enuntiatio adijcitur, deficiente eâ qualitate, fieri non potuisset, saltem non cum effectu: ita ut quamvis interdum nuda demonstratio tantùm sit in adiectione qualitatis, quæ etiamsi falsa sit, actum vitiare non solet, *l. Falsa demonstratio De cond. & demonstrat.* quando scilicet qualitas remota & extranea est ab actu: pro demonstratione tamen non est, cùm causam actus continet; quia tunc ratio & causa agendi (quæ consistit in hujusmodi qualitate) cohæret actui, nec sine illa actus subsistere cum effectu potest, *l. Cum tale §. falsam De cond. & demonst.* Atque ita indubitatis rationibus perimitur exceptio seu obiectio, quam Reus captando verba facit ex consideratione enuntiativæ orationis, cui vim & effectum dispositionis frustra detrahere laborat.

De possessione Actoris scrupulosiùs hîc inqui-
15 rendum non est, cùm in hac causa, non de illa, sed de titulo & iure quæratur, qui sine possessione stare potest, *l. Naturaliter §. nihil commune De acquir. poss.* & acquirendæ possessionis causam tribuit: cùm è diverso adversarij possessio, sine iure & titulo vero atque effectuali stare non possit, ut præiudicium faciat proprietario, *l.* 1. *§. huius autem D. Vti possidetis.* Interim tamen quatenus momentum aliquod ex possessione, jure, & titulo quem Actor in hoc Prioratu sibi asserit, accedere posset; dicimus ea in parte dubitationem quoque nullam esse. Nam de prima possessionis acquisitione,

quam

quam Actor in propria persona paulò minus bimestri post supra mentionati Abbatis ex resignatione D. Guilielmi provisionem obtinuit, evidenter constat per instrumentum publicum ea de re confectum. Et ut ea in parte foret probationis aliqua imperfectio, de apprehensa tamen & exercita multipliciter & per plures annos hujus Prioratus per Actorem possessione abundè constat per exhibita pro parte Actoris instrumenta loquentia de his, quæ Actor in qualitate Prioris hujus Prioratus egit; solvendo inprimis debita per D. Guilielmum Marnier suum auctorem, & prædecessorem ratione bonorum dicti Prioratus contracta: ut regulariter successor in beneficio tenetur solvere debita sui prædecessoris pro utilitate ac conservatione bonorum eiusdem beneficij contracta, *c. 1. De solut. cap. Quod quibusdam De fideiussor. & utrobique Doct.* Idem convincitur ex literis Concilij Mechlinienſis, quas F. Ioannes Bourgeois (quem Reus auctorem suum prætexit) adversus Actorem tamquam possessorem impetravit; ob id, quòd sine placito Principis in hujusmodi possessione esset: in quibus sanè literis apertè continetur dicti F. Ioannis Bourgeois confessio, quòd Actor hujus Prioratus possessionem ceperit & duobus annis possederit. Probatur idem per literas manutenentiæ Concilij Lutzemburgensis, adversus Actorem tamquam possessorem dicti Prioratus ratione certarum decimarum ad eundem Prioratum pertinentium impetratas, itemque per exemplum scripturæ, quam Actor in eo iudicio & in ea qualitate pro sua defensione exhibuit. Probatur etiam hæc possessio per instrumentum renuntiationis, & literas Congedij seu licentiæ impetratas, pro obtinenda facultate faciendæ huiusmodi renuntiationis. Et noivssimè per literas Reginæ Mariæ ad Actorem scriptas pro facienda contributione ad subsidium Concilij Tridentini ratione dicti Prioratus: quæ licet non contineant proprium nomen Actoris; quod tamen ad ipsum tamquam talem scriptæ fuerint demonstrant subsequutæ quitantiæ Actori tamquam Priori idem subsidium solventi datæ. Sic quod de possessione dicti Prioratus semel acquisita & pluribus annis per Actorem exercita dubitare non oporteat.

16 Quid ergo est, quòd in judicio possessorio Reus Actore potior iudicatus sit? Supervacanea sanè & inutilis est hujus rei investigatio: cùm sententia in possessorio lata, non pariat exceptionem rei iudicatæ in petitorio; quia in illo possessio, in hoc versatur proprietas, *l. Et an eadem §. ult. De except. rei iud.* quæ cum illa commune nihil habet, *d. §. nihil commune.* Et quantum coniecturâ assequi possumus, causa, cur in eo iudicio succubuerit Actor vel hæc fuit, quòd Actor seu potiùs ejus auctor à sua possessione per bellicam calamitatem exciderit, derelicto scilicet Prioratu metu hostili; quo modo possessio facilè amitti solet, salvâ manente proprietate, *l. Idem est §. si quis autem D. De vi & vi arm. l. 3. §. si quis nuntiet l. sed etsi nolit De acq. poss.* vel hæc, quòd Actor placito Principis munitus non fuerit; quamvis hæc causa ad jus relata momenti parum habere videatur. Etsi enim sive usurpatione, sive ex privilegio irrepserit hujusmodi placitorum usus; is tamen tantùm est adversus Papales seu Romanæ Curiæ literas, & minimè adversus collationes & provisiones Ordinariorum; qualis est collatio, quâ Actor nititur: id enim deprehenditur apertè ex duabus constitutionibus, tum Maximiliani Imperatoris, tum ejus filij Philippi Archiducis Austriæ, Ducis Braban. &c. de anno 1487. quæ alioqui per se iuri adversantur, & libertatem ecclesiasticam, auctoritatemque Apostolicam tam generaliter acceptæ plus æquo diminuunt. † 17
Quid enim id aliud est quam à manu laica seu sæculari beneficium accipere, quod jura prohibent, *c. Ecclesia Sanctæ Mariæ De constit. c. Cum terra, c. Quod sicut, c. Quisquis De elect.* Ideoque per Iudices ecclesiasticos in suis iudicijs in consideratione haberi non debent. Sed his insistendum non est, cùm indubitatum sit, sententiam possessoriam nullum omninò præjudicium facere causæ proprietatis.

Cùm ergò ex parte Actoris omnia constent, & nihil desiderari amplius possit; hoc reliquum est, ut dispiciamus, num potentiore aliquo jure Actorem superet Reus ex allegato per eum titulo? Profert quidem Reus bullam Apostolicam, per quam asserit sibi Pontificiâ auctoritate provisum esse ex resignatione F. Ioannis Bourgeois in Curia Romana, & desuper fulminato processu ejusdem Prioratus possessionem accepisse contendit: quæ ad assertionem tituli, quem Reus prætendit, prima facie sufficere facilè videri possent. † Sed quoniam omnis sive Papæ sive Imperatoris concessio hanc in se habet conditionem, 18
si alteri priùs jus quæsitum non sit, *l. 2. §. merito Ne quid in loco publ. c. Super eo De off. & potest. iud. deleg. 6. Quamvis in fin. De rescript. lib. 6.* cùm non præsumantur alteri quæsito juri derogare velle; & ea conditio in dicta Bulla disertis verbis, ac formaliter sit inserta his verbis, *dummodo per resignationem huiusmodi, & non litigiosus, eius dispositio ad nos hac vice pertineat, vel si alias vacet, aut litigiosus existat tempore datæ præsentium non sit in eo aliqui specialiter ius quæsitum &c.* parum momenti habet hæc Papalis, quam Reus prætendit, provisio: ob id inprimis, quòd evidenter ex superius deductis constet eo tempore alteri jus quæsitum fuisse in eodem Prioratu, ex resignatione D. Guilielmi & collatione Ordinarij collatoris, toto triennio antè, quo triennio elapso Reus hunc titulum primùm per surreptionem obtinuit. * Ita ut Actori 19
suffragari debeat Regula Cancellariæ Apostolicæ *de triennali possessore*; quæ non patitur triennalem pacificum possessorem per quamcumque sequentem impetrationem molestari, *Lud. Gomez. ad reg. Cancell. de trien. possess.* * Præsertim quod hac in re antecedens aliorum plurium antecedentium annorum pacifica possessio D. Guilielmi, quem sine titulo auctorem habet Actor, suffragari eidem Actori & accessionem temporis facere debeat, *l. De accessionibus D. De diversi. & temp. præscrip.* aut saltem sequentem triennalem successoris firmiorem reddere, ut plerique existimant, *Lud. Gomez. ad reg. cancell. de trien. possess. quæst. 13.*

Secundò non nocet hæc Papalis provisio Actori, ideo quòd Reus non docuerit, nec aliunde constet, quòd F. Ioannes Bourgeois jus aut titulum

in seu ad

in seu ad hunc Prioratum habuerit, aut in illius possessione unquam fuerit, aut pro Priore dicti Prioratus reputatus fuerit. Nam quamvis, ut superiùs deductum est, non sit necesse cessionarium seu resignatarium docere, quòd cedens seu resignans jus & proprietatem in beneficio habuerit; probare tamen debet, quòd cedens & resignans pro tali reputatus, & in hujusmodi beneficij possessione fuerit, *d. cap. Cum venerabilis De except. & ibi Panorm. decisiones Rotæ supra citat.* quale nihil Reus ne quidem allegavit, multo minus probavit: ita ut ex resignatione D. Ioannis Bourgeois, non potuerit constitui modus aliquis vacationis, sub cujus conditione, hoc est, *si vacet*, provisio Reo facta est.

Tertiò subest & concurrit hîc aliud, quod omnino prosternit, & penitus subvertit assertum jus & titulum Rei; hoc scilicet, quòd præfatus F. Ioannes Bourgeois decem diebus ante provisionem per D. Papam Reo factam omni juri & actioni, quod in & ad dictum Prioratum habebat, necnon liti & causæ occasione dicti Prioratus in præjudicium Actoris subortis, cesserit & renuntiaverit, cum aperta confessione & recognitione, quòd assertum jus suum seu actio, quam ad dictum Prioratum habere prætendebat, nullo modo esset perfectum. Probatur etenim hoc per bina instrumenta hac de re confecta, quæ posteaquam Reus periculum ex illis metuens agnoscere noluit, Actor testibus probavit illa esse confecta, subscripta, & subsignata manu Guilielmi de Soye
21 Notarij publici. * Iam verò excipiente Reo de cessione & resignatione dicti F. Ioannis Bourgeois, rectè per replicationem retorquetur objectio antecedentis voluntariæ resignationis; quæ ut ipsi F. Ioanni Bourgeois, *cap. super hoc De renuntiat.* ita quoque dicto Reo ejus successori, & causam ab eo prætendenti, rectè objici potest, *l. In omnibus §. non debeo, l. Quod ipsis De reg. iur.* præsertim quia plenissima sit renuntiatio non tantùm quoad litem, sed etiam quoad causam, jus & actionem, *Rota decis. 1. de renuntiat. alias 158. in novis.* Nec inutilem vel inefficacem facit hanc renuntiationem, quòd non sit facta coram superiore,
22 sed coram Notario & testibus: † nam etsi verum sit, quòd renuntiatio de beneficio, quod sine lite aut controversia possidetur, vel habetur, facta coram laico aut non superiore, quoad ipsum sit nulla, & minimè quoad ipsum renuntiantem, cui in omnem eventum nocere debet ipsa sic facta renuntiatio, *c. Quod in dubijs & ibi Doct. c. Admonet De renuntiat.* renuntiatio tamen facta de beneficio seu potiùs de lite, causa, jure & actione beneficij, quod in controversia est, & potissimùm in cujus possessione est adversarius (ut hic contingit) tenet quoad omnes, etiamsi sit facta coram laico, seu alio quocumque, qui super beneficio, vel quoad collationem, vel quoad institutionem, auctoritatem vel potestatem aliquam habet. Quam distinctionem inter renuntiationes traditam à Ioanne Andrea, *in c. Constitutus in fine De appell.* probant Antonius de Butrio, Panormitanus & alij, *in d. cap. Quod in dubijs, gl. pragm. sanct. tit. de sublat. Clem. literis in verb. renuntiasse*, sic ut litigioso beneficio facilius renuntietur, quàm ei, quod pacificè obtinetur. * Potissimùm ad 23
opus & utilitatem collitigantis, jus anterius seu probabiliter potentius prætendentis, & omnium maximè, quando jus renuntiantis probabiliter est dubium & incertum; quanto magis cum notoriè constat eum jus non habere, *Rebuff. in praxi benef. de resig. expres. nu.* 12. ut accidit in proposito, propter apertam & manifestam confessionem dicti F. Ioannis Bourgeois instrumento renuntiationis insertam, quòd jus, quod ipse F. Ioannes prætendebat, nullo modo erat perfectum. † Cui 24
confessioni contra confitentem causamque ab eo habentem, standum est, *l. Generaliter in fine C. De non num. pecun. cap. Ex ore De his quæ fiunt à maiore parte cap.* etiam in beneficialibus, si non ad hoc, ut per illam jus aut actio totaliter acquiratur ei, cui fit hæc confessio, *gloss. in c. Duobus in verb. non apparet De rescrip. in* 6. saltem ad hoc, ut jus & titulus adversarij ex eo corroboretur & coadiuvetur, *Dominic. Gemin. in c.* 1. *De eo qui mitt. in poss. lib.* 6. *decis. Tholosana* 473. & ei paretur exceptio adversus confitentem aut causam ab eo habentem; potissimùm quando confessio hujusmodi velut pro causa objecta est renuntiationi litigiosi beneficij, nec ex adverso demonstratur vel confessionis falsitas, vel error; ut contingit in proposito, in quo Reus nihil docuit de jure vel titulo præfati F. Ioannis Bourgeois; imò nec de mandato illius, qui in Romana Curia resignationem nomine F. Ioannis fecisse in opistographio Bullæ scribitur, videlicet Guilielmi Hulst. † Nam 25
etsi stetur verbis Papæ in literis suis asserenti resignationem beneficij coram se factam esse per alicujus procuratorem, *Clem.* 1. *De probat.* per hoc tamen probatum non debet censeri hujusmodi procuratoris mandatum, sed extrinsecus probandum est legitimè, *Rebuff. in praxi benef. tit. Requisita in literis collationum*: quia assertio mandati non est de facto ipsius Papæ, *gloss. alt. d. Clem. Literis & ibi Bonif. Vital. nu.* 31. *Pragm. sanctio de sublat. Clem. literis.* De quo quidem mandato si constaret, nullus prorsus esset illius effectus; ob id, quod ante præstitum vigore illius consensum in Romana Curia, idem F. Ioannes sic ut præmittitur liti, juri, actioni, & causæ ad utilitatem Actoris renuntiaverit, & ad renovandam hujusmodi renuntiationem in Romana Curia aut alibi, ubi opus vel utile foret, procuratores constituerit; * per quam constitutionem seu 26
mandatum revocatum censeri debet prius, si quod dicto Guilielmo Hulst datum fuisset, de quo tamen non constat: nam per posterius mandatum revocatur prius, *c. Non inviste De procurat.* Et licet expressa revocatio sic dati mandati non noceat, quo minùs sequens resignatio effectum habeat, si re integrâ mandatario seu procuratori non sit facta intimatio revocati mandati, *Clem.* 1. *De renuntiat.* quoad ipsum mandantem & constituentem: nocet tamen quoad eum, qui ex actu revocatorio jus acquirit, antequam constitutus procurator executionem mandati facit; quia per hunc actum revocatorium, qui constituitur in sequenti reali renuntiatione, enervatur antecedens procuratoris constitutio, ad renuntiandum seu resignandum; quia tempore renuntiationis,

tiationis, quæ fit ex antecedente mandato, non invenitur constituens jus in re habere, *Felin. in c. Ex parte Decani nu. 16. limitat. 2. De rescript.* Et sic in proposito potior est realis renuntiatio, quam F. Ioannes Bourgeois de hoc litigioso Prioratu fecit, quàm sequens resignatio ad opus Rei facta virtute alicujus prioris mandati, si tale aliquod fuisset, prout non, quia de eo non constat aut apparet, *l. Si in emptione De contrah. empt.* Concludimus ergo hunc Prioratum cum fructibus Actori adiudicandum esse secundùm conclusionem pro ipsius parte in hac causa propositam.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Petitorium in concursu ex Apostolica & turnaria provisione. Pij II. indultum, datum Episcopo Leodiensi & ejus Dioecesis ordinarijs collatoribus, ut nulla beneficia ejus dioecesis duas saltem marcas argenti non valentia sub exspectativis gratijs comprehendantur.

1. *Pontifex non planè adimit sibi potestatem, quam alteri concedit.*
2. *Prohibitio exspectativæ gratiæ non extenditur ad collationem ordinariam.*
3. *Cap.* Statutum De præbend. lib. 6. *intellectus.*
4. *Manus papalis appositio impedit Ordinarij collationem.*
5. *Valor beneficij quomodo constituendus.*
6. *Simoniacum quando sit pro redimenda lite expensas solvere.*

CONSILIVM CCXXXIX.

PIvs Secundus Pontifex in anno Domini 1448. Episcopo Leodiensi, alijsque Civitatis & Diœcesis Leodiensis Prælatis, ac quibuscumque alijs Ordinarijs quorumcumque beneficiorum Collatoribus, inter alia concessit & voluit, quòd nulli Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, officia, aut alia beneficia ecclesiastica Civitatis & Diœcesis Leodiensis, cujuscumque qualitatis fuerint, quæ saltem duas marcas argenti secundùm communem æstimationem non valent annuatim; sub quibuscumque exspectativis gratijs quibuscumque personis per Sedem Apostolicam vel ejus Legatos, sub quavis verborum forma concessis quomodolibet comprehendantur; nec possint prætextu gratiarum hujusmodi acceptationes & provisiones per quemquam fieri de ijsdem, sed Ordinarij seu illi ad quos illorum spectat collatio, provisio, seu quævis alia dispositio, liberè de illis disponere valeant; etiam in quocumque mense vacaverint. Quibus Collatoribus antea tam per Eugenium Quartum, quàm per Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Apostolica inita concessum fuit, ut cujuscumque qualitatis & valoris beneficia in sex alternatis mensibus, videlicet Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Octobri, & Decembri liberè conferre possent, nec valerent aliter super sic vacantibus beneficijs per Papam factæ provisiones alijs sex mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, in quibus vacantia beneficia conferre non possent dicti Ordinarij Collatores. Ex facto accidit, quòd in mense Ianuario anno 1573. per mortem D. Petri Baneldi vacaverit in Ecclesia Buscoducensi (quæ olim Leodiensi Diœcesi fuit subdita) Capellania in honorem nominis Iesu fundata, cujus reditus annui valorem viginti quatuor florenorum regionum Belgicarum non excedunt: de qua Dominus Iudocus de Clermont sibi in mense Aprili sequente provideri fecit per mandatum Apostolicum directum Reverendissimo Episcopo Leodiensi, qui ad executionem hujusmodi mandati procedendo, adhibitis omnibus requisitis dicto Domino Iudoco providit mense Septembri ejusdem anni 1573. Qui verò in dicto mense Ianuario in turno fuerat conferendi beneficia ad Capitulum Ecclesiæ Buscoducensis pertinentia (inter quæ est hæc Capellania) prima mensis Iulij contulit eandem Antonio de Lanckvelt.

Quæritur inde, quis in obtinendo & retinendo hoc beneficio sit potior? Et paucis, omissa multorum argumentorum collatione dicimus, Pontificiam collationem seu provisionem, quam D. Iudocus obtinuit, priorem esse: ideò quod vacaverit in mense Ianuario, qui alternorum mensium Sedi Apostolicæ per dictã Concordata Nationis Germaniæ Ordinarijs Collatoribus per totum Imperium, & per specialem bullam dicti Eugenij Quarti Ordinarijs Collatoribus Diœcesis Leodiensis concessum, reservatorum primus est; & sic in eo hoc vacans beneficium per alium, quàm per Sedem Apostolicam conferri non potuerit, & facta per dictum turnarium collatio censeri debeat ipso jure nulla & irrita, *cap. 2. c. Si beneficia c. Si Apostolicæ De præben. lib. 6.*

Nec quicquam facit dictæ Pianæ Bullæ restrictio: nam per illam Pontifex non præcipit sibi potestatem conferendi, providendi, seu mandandi, ut provideatur in sibi reservatis mensibus, sed tantùm restringit & limitat incidentem illam reservationem, ut per exspectativas seu præventivas gratias Ordinarius Collatorin reservatis mensibus impediri non possit, quoad beneficia tantilli valoris; non etiam hoc disponitur, ut Pontifex per simplicem provisionem seu collationem, aut mandatum de providendo seu conferendo non possit disponere, non dico de vacaturis sed vacantibus in illis alternatis mensibus beneficijs. * Neque enim cùm Pontifex 1
alicui seu aliquibus concedit facultatem conferendi beneficia, sibi illam omninò adimit saltem, ut illum seu illos prævenire possit in vacante beneficio, *c. Dudum De præben. lib. 6.* † Neque 2
etiam prohibitis exspectativis & præventivis gratijs quoad vacatura, censetur quoque prohibita præventio per ordinariam viam; cum omnium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio in manu Pontificis sit, *Clem. 1. Vt lite pend. &c.* † Atque 3
hinc est quod Gregorij Decimi constitutonem, *in c. Statutum De præben. lib 6.* limitans & restringens Clementis Quarti statutum, *in d. c. 2. De præben. lib. 6.* quo reservavit Sedi Apostolicæ beneficia vacantia in Curia, ut scilicet reservatio non duret nisi uno mense à die vacantis in Curia beneficij, & quòd eo mense lapso Ordinarij Collatores

latores illa conferre valeant, sic interpretetur Glossa, *in d. c. Statutum in verb. per seipsos vers. Papa enim*, ut post mensem illum Papa etiam conferre possit, si velit, quamdiu res integra est, hoc est quamdiu Ordinarij intra tempus à jure præfixum non contulerunt; & sic restrictio ad mensem non hoc operatur, quasi post mensem omnimodò excludatur Pontifex, ut conferre non possit, sed hoc tantùm (inquit Petrus Ancharanus, *in d. c. Statutum in princ.*) ut post hunc mensem manus Ordinariorum ulteriùs non censeantur ligatæ: quâ restrictione non interveniente, perpetuò mansissent ligatæ. Ita ut Turnarius sibi imputare debeat, cur hoc beneficium, si minus est duabus marcis argenti, statim non contulerit & Pontificem prævenire passus sit; non per exspectativam & præventivam in futuram gratiam, sed per præsentem provisionem, seu per mandatum de providendo, quod provisioni adæquatur; cujus generis gratia seu bulla Piana non continetur.

Nec in consideratione habendum, quod Dominus Antonius ex collatione hujusmodi Turnarij prior fuerit in possessione: * nam cùm ea 4
collatio sit notoriè nulla, tamquam ab eo facta, qui conferendi jus tunc non habuit, *l. Si filius tuus C. De donat.* propter appositionem manus Pontificiæ ad hoc beneficium (eo enim ipso, quòd Papa vel per nudam supplicationem, vel per nudam signaturam apponit manum ad aliquod beneficium, in quo alteri jus acquisitum nondum est, censetur alij cuicumque ademisse potestatem super eo, etiamsi provisio Papæ esset aliquo modo nulliter, vel vitiosè facta, *cap. Vt nostrum c. Vt debitus De appell. c. Inter dilectos & ibi Panor. De excess. Prælat. Paul. Paris. consil. 47. Videtur nu. 39. vol. 4. Aeneas Valconibus in tract. De reservat. in præludio & quæst. 4. 16. effect.*) consequens est, quòd virtute illius apprehensa seu acquisita possessio sit ipso jure nulla; quia in beneficialibus possessio sine titulo esse nequit, *c. 2. Vt lite pend. lib. 6.* & reservatio seu appositio manus inficit & vitiat nedum titulum sed etiam possessionem beneficij aliter obtenti, *c. Si eo tempore De elect. lib. 6. d. c. Vt nostrum*, Rota *dec. 16. Si contra agentem, aliàs est 3. De restitut. spoliat. in novis.*

Proinde nec curandum, quod Domino Iudoco primùm provisum sit per Episcopum in mense Septembri; quia Episcopi provisio, cùm sit executio mandati de providendo, ad tempus mandati trahi debet: prout etiam communiter verba Bullæ de providendo de certo vacante beneficio sic accipi debent, ut ex eo die incipiat jus acquirere, qui hujusmodi mandatum obtinet, non tunc primùm, cum facto examine & disquisitione personæ Episcopus mandatum exequitur; sicut verba bullæ apertæ demonstrant. Et in omnem eventum dicta appositio manus Pontificiæ ante collationem Turnarij, rationem prioritatis tollit propter nullitatem hujusmodi collationis per Turnarium factæ; ut paulo antè dictum est.

Quamvis etiam aliquo modo dubitari posset, 5
num hoc beneficium excedat taxam in Piana bulla præscriptam? Nam duæ marcæ argenti (non dico puri, quia bulla id non habet) conficiunt tantùm decem ducatos de Camera, qui non pertingunt ad summam viginti quatuor florenorum, *Lud. Gomez. ad reg. Cancell. Apost. de valore exprim. q. 9. nu. 6.* & pro valore beneficij id reputatur, quod beneficio proprium est, & non in manualibus seu quotidianis distributionibus, sed in grosso seu certo corpore sive fundorum sive reddituum consistit; oneribus non ipsius officij, quod beneficio incumbit, & propter quod datur beneficium, sed exterius deductis, *Gomez. ad d. regul. quæst. 12.* Interim propter modicum excessum, & variationem temporum in eo non multùm insistimus. * Proinde consulimus Antonio, ut 6
propter hoc beneficium litem periculosam non sustineat; sed vel ultrò desistat, vel cum adversario paciscatur, quoad expensas quidem factas liberiùs, quas Dominus Iudocus pro redimenda vexatione sine vitio simoniæ, refundere poterit, maximè ex auctoritate Iudicis, quia eo modo nihil juris acquirit: sed quoad ulteriorem aliquam compositionem non video quomodo id sine simoniaca labe fieri posset nisi accedente Pontificis auctoritate, ut eleganter tradit Panormitanus, *in c. Cum prudem De pactis nu. 8.*

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

In indulto Nominationis Facultatis Artium in Vniversitate Lovanienſi quo sensu accipienda calusula: *vitâ & Prælaturâ durante.*
Biennium, post quod posterior nominatus ad collationes Prælati, habentis jus omni mense conferendi, acceptare potest ex placito Caroli V. quando decurrere incipiat.

1. Prælati *appellatione venit* Prælatura.
2. *Prælati successor tenetur ad ea, quæ præcessor præstare tenebatur.*
   Gratia exspectativa vel nominatio directa ad Prælatum transit in successorem.
3. *Abbati legatum an ad successorem in Abbatia pertineat.*
4. *Vsus ut legum ita quoque privilegiorum optimus interpres.*
   Verborum Vita Prælatura & administratione eorum durante *sensus.*
5. *Prælatura vacante beneficiorum collatio non devolvitur ad Capitulum.*
6. *Capitulum sede vacante conferre debet beneficia, quibus Prælatus debebat.*

CONSILIVM CCXL.

BVLLA Leonis Decimi Papæ permittit Decano & alijs deputatis Facultatis Artium in Vniversitate Lovanienſi singulis Prælatis & personis Ecclesiasticis in terris temporalis dominij Regiæ Catholicæ Majestatis in inferioribus Belgij regionibus, dispositionem qualemcumque beneficiorum Ecclesiasticorum habentibus, *bis seu duabus distinctis vicibus, vitâ & Prælaturâ & administratione eorum durante nominare unum ex Magistris in Artibus.* In permissione usû Bullæ illius Carolus Quintus Imperator modificando executionem restrinxis-

restrinxit illam ad unicam dumtaxat acceptationem *durante vitâ aut Prælaturâ Collatoris*; præterquam si ad Collatorem jus conferendi beneficia seu de illis disponendi in omnibus mensibus pertineat, ut eo casu nominatus durante vita sive Prælatura Collatoris intra decennium semel acceptare possit unum beneficium; quo decennio finito possit vel idem vel alius ex alia seu nova nominatione nominatus adhuc aliud beneficium pro secunda vice acceptare, & sic idem Collator singulis decennijs semel in suis collationibus gravari.

Quæritur, quando primum decennium decurrere incipiat, ut inde possit fieri denumeratio secundi; an à die, quo Prælatura per mortem prædecessoris vacat; an ex quo Successor ad vacantem promotus est; an verò oporteat ab acceptatione prioris nominati decennium esse lapsum, antequam secundo loco nominatus acceptare possit? Verius nobis infrascriptis videtur primum decennium initium capere ex eo tempore, quo nominatio virtute dictæ bullæ fieri potest; hoc est, à die vacantis Prælaturæ. Cùm enim ex eo tempore juris interpretatione incipiat Prælatura sequentis Prælati & quandocumque postea sive electus, sive aliter constitutus novus Prælatus iam inde à morte præcedentis Prælati censeatur esse & fuisse Prælatus, ut tunc aperta est via & potestas nominandi ad Prælatum seu Collatorem, ita quoque ratio postulat, ut ex eo tempore hoc decennium decurrere incipiat. Quod autem vacante Prælatura nominatio fieri possit, quæ & ipsam Prælaturam, & successorem Prælatum seu Collatorem constringat, inde convincitur, quòd dicta
1 bulla permittat nominationem fieri Prælatis † Appellatione autem & nomine *Prælati* seu alterius in dignitate constituti, non tam persona venit & continetur, quàm ipsa dignitas, Prælatura, seu Ecclesia, cui Prælatus præest, *c. Scire* VII. *q.* 1. *Specul. De instrum. edit.* §. *nunc aliqua vers. Quod erit in Prælato.* † Vnde est, quod cedente
2 aut decedente aliquod Prælato successor ejus facere debeat quod suo præcessori seu prædecessori incumbebat; quia id Prælaturæ magis, quàm personæ onus fuit. Quemadmodum gratia exspectativa alicui concessa ad Abbatem alicujus monasteri, si ante vacationem acceptandi beneficij Abbas Abbatiam cum alio permutet, non extinguitur gratia, sed illius executio & affectus dirigitur in eum, qui ex permutatione successit. Quod est exemplum Cyni ab Alberico comprobatum, *in l.* 1. *C. Si communia res pign. data sit*: ipsa enim Ecclesia magis, quàm Prælatus, censetur gravata, *c. Literis De rescript.* sic ut nec morte, nec alia mutatione personæ Prælati, vis gratiæ aut nominationis exspiret, sed transeat in successorem, *Gloss. pragmat. sanct. tit. De collat.* §. *statuit autem.* Quod si ita in nominatione facta in vita alicujus Prælati, ut illa sine alia repetitione aut renovatione obstringat sequentem successorem, ut manifestè, & indubitatè est non tantùm ex evidente ratione juris, sed etiam ex verbis Bullæ nominationis, potissimùm in illius ampliatione & extensione, quam fecit Adrianus Sextus Papa; censetur enim nominatio facta ipsi dignitati, quæ non moritur neque extinguitur, *c. Quoniam Abbas De off. delegat. c. Si gratiosè De rescript. lib.* 6. quanto magis id dicendum est in nominatione facta Prælatura, ut illâ constringatur futurus successor? Quod re quoque in contrarium versâ, cùm de commodo aliquo agitur, observatur; † ut si vacante Ab- 3
batia Abbati aliquid sit legatum, expresso nomine dignitatis, quamvis, qui post diem cedentis legati Abbas primùm efficitur, primo aspectu non videatur hujus legati esse capax, qui nec tempore, quo legatum scriptum est, neque tempore, quo testator moritur, & dies legati cedit propter defectum requisitæ qualitatis capax est, *l. Si cognatis De rebus dubijs, cap. Si eo tempore De re rescript. lib.* 6. quia tamen Abbati relictum est, & sic in effectu dignitati magis, quàm certæ personæ, utile erit legatum, & per successorem exigi poterit, ut rectè respondit Ludovicus Romanus, *cons.* 259. *In casu proposito*: Quod si est in commodo, contraria quoque ratione in onere, & incommodo statui debet. † Quam in- 4
terpretationem confirmat usus dictarum Nominationum, qui ab initio obtentæ hujus Bullæ, talis semper fuit, & adhuc quotidie ita practicatur; ut statim vacante aliquâ dignitate ijsdem Nominationibus via aperiatur: sic ut hæc interpretatio sic semel usu constituto & continua observatione retenta prævalere debeat, *l. Mimmè D. De legib.* Est enim ut legum, & Canonum, ita quoque hujusmodi Papalium indultorũ optima interpres ipsa consuetudo & usus retro preteriti tẽporis, *l. Si de interpretatione D. eod tit.*

Nec in contrarium urget, quod in dicta Bulla non simpliciter & indeterminatè dicatur de nominatione Prælatis seu Collatoribus facienda, sed cum hac adjectione, & velut restrictione, *vitâ prælaturâ, & administratione eorum durante.* Nam hæc adjectio non hoc importat, ut non possit nominatio fieri vacante Prælatura, aut futuro Prælato; sed per illam tantùm restringitur numerus nominationum; ut Prælatus vigore nominationis vitâ, & prælaturâ suâ durante non possit gravari, nisi bis; non etiam ut non possit gravari, antequam ad Prælaturam ejusque administrationem pervenerit. Vt hic sit sensus, dignitatem non posse sic gravari, ut illius Prælatus in vita sua, & durante sua Prælatura amplius quàm bis gravetur; sed gravari possit quandocumque, sive per nominationem factam in vita defuncti Prælati; sive vacante Prælatura, perinde ut tunc cùm illam adeptus erit. Respiciunt igitur hæc verba vices nominationum, non nominandi facultatem; ut illæ vita & Prælatura durante non sint nisi duæ quandocumque utiliter factæ: ut perinde Prælato ad numerum cedant quæ ante, ut quæ post acquisitam dignitatem sunt factæ binæ nominationes. Cùm igitur manifestum sit vacante Prælatura nominationem fieri posse, quâ successor constringatur, & nominatum quandocumque post nominationem acceptare posse vacans beneficium, dubitatio nulla est, quin ex eo tempore, quo ad futurum Prælatum nominari potuit, primum decennium

decurrere

decurrere incipiat, eoque lapso ex fine prioris sine offensione limitationis, & restrictionis, quam Carolus Quintus Imperator extra, & præter tenorem Bullæ Apostolicæ iniecit, ad aliquod sublevamen gravaminis Prælatorum seu Collatorum, fieri possit secunda beneficij acceptatio, virtute etiam nominationis ante, durante adhuc primo decennio, factæ. Neque enim dicta Caroli Quinti restrictio prohibet nominationem secundam fieri priore decennio adhuc durante; sed tantùm secundam acceptationem, quæ alioqui virtute dictæ Bullæ etiam durante illo decennio, imò statim in initio assumptionis novi Prælati, fieri posset, ex verbis & mente dictæ Bullæ Apostolicæ.

Neque hac in re alterius dinumerationis ratio aliqua haberi debet, ex eo quòd mortuo Prælato, hoc est in casu qui nobis proponitur, Episcopo, ad Capitulum devolvitur omnium beneficiorum vacante Prælatura vacantium collatio: † nam præsuppositio id verum esse, ex aliqua 5 fortè obtinente præscripta consuetudine (contra terminos juris communis, quibus constitutum est, quòd etiamsi ab Episcopo vel Prælato ad Capitulum devolvatur administratio Prælaturæ vacantis, *c. penult. & ult. De suppl. negl. Prælat.* non tamen devoluatur etiam potestas conferendi beneficia interea vacantia; quia debet illorum collatio reservari futuro Prælato, *c. Illa Ne sede vacante &c.* prout quicunque alij vacantis Prælaturæ fructus, inter quos proculdubio numeratur beneficiorũ collatio, *c. Cũ vos De off. ord. gl. in c. Cum olim De maior. & obed. c. Quia sepè De elect. lib. 6.*) stante tamen ea consuetudine, quod potestas quoque collationis ad Capitulum devolvatur, non potest illa per omnia esse libera, nec censeri ex persona seu capite ipsius Capituli, sed ex persona & capite 6 futuri Prælati, seu vacantis Prælaturæ: † ideoque quibus vel ex fundatione, vel alia conditione ipsius beneficij id conferendum foret per Prælatum, si Prælatura non vacaret, debet quoque iisdem per ipsum Capitulum conferri *Clem. 1. De suppl. negl. Prælat. Abbas antiq. & alij in c. Possessiones De rebus eccles. non alien. Steph. Bertran. cons. 83. Super isto articulo nu. 18. vol 2 p. 1.* Et id quidem ad exonerationem futuri Prælati magis, quàm ad exercitium propriæ liberalitatis, *Panor. in d. c. Cum olim & in c. Eam te De rescrip. alij in d. c. Illa Rebuff. in tract. nominat. quæst. 8. nu. 11. & latius in praxi benefic. lib. 1. tit. de devolut. nu. 58. & seqq.*

Quod cum ita sit, consequens est ab initio vacantis Prælaturæ tempus successori ea in parte cedere; ad cuius commodum, hoc est exonerationem necessarias collationes (qualis est hæc ex istis nominationibus) Capitulum facere tenetur. Ita ut rectè concludatur, & inferri possit decennium hoc initium capere à die vacantis Prælaturæ à quâ statim nominatio, secundum ea quæ diximus, fieri potest, & nominatus primo loco vacantem, etiamsi adhuc vacet ipsa Prælaturâ, potest acceptare, quantumvis dici posset ad Capitulum collationis potestas devoluta cùm potestate etiam conferendi; quia non potest hæc esse liberior apud Capitulum, quàm esset futura apud successorem in Prælatura; hoc est cum onere conferendi necessarijs personis, inter quas numerantur hi nominati, *l. Qui in ius De reg. iuris, Bertrand. d. consil. 83. & cons. 166. Viso processu vol. 6.*

De Præbendis & dignitatibus

SVMMARIVM

In indulto nominationum facultatis artium in Vniversitate Lovaniensi quæ censeantur beneficia reservata.

Quæ beneficia dicantur generali reservatione reservata.

1. *Beneficia reservata quæ dicantur.*
2. *Beneficia reservata non contineri sub generali dispositione.*
3. *Papa in collationibus beneficiorum concurrit cum omnibus Ordinarijs.*

CONSILIVM CCXLI.

DVBITATIO, quæ assumitur & proponitur super intellectu & usu Bullæ Leonis Decimi Papæ, quâ Facultati Artium in Vniversitate Lovaniensi concessit indultum Magistros in Artibus promotos seu graduatos nominandi quibuscumque Collatoribus Ecclesiasticorum beneficiorum, in inferioribus Catholicæ suæ Majestatis ditionibus consistentium; quonam sensu accipiendum sit, quod in eadem Bulla specialiter seu formaliter excipiantur beneficia, *generali reservatione non reservata, aut ex generali reservatione affecta*, olim justa & probabilis esse potuit; nunc perinde non potest nec debet: quippe cùm ex simili præcedente indulto nominandi per felicis rec. Sixtum Quartum Papam ipsi toti Vniversitati Lovaniensi concesso, quænam beneficia dicerenturgeneraliter vel etiam specialiter reservata, & generali reservatione affecta, in dubium revocatum fuisset, idem S. D. N. in hac sua Bulla disertis verbis significat, se eam decidere, declarando ea dumtaxat per reservationem excepta censeri beneficia, quæ dispositioni Apostolicæ, generali reservatione in corpore juris clausâ reservata sunt: ita ut nominatus vigore hujus indulti acceptare possit quodcumque beneficium dispositioni Apostolicæ reservatione generali in corpore juris clausâ non reservatum. Quæ dicti dubij sic facta & aliquoties in eadem Bulla repetita & inculcata interpretatio, discussio, & decisio verbis etiam evidentioribus ampliatur & confirmatur in Bulla Clementis Septimi sub forma, *Rationi congruit*, super confirmatione & ampliatione dicti Leonis indulti per Adrianum Sextum facta. Quod ipsum quoque fecit S. D. N. Gregorius Decimus tertius in sua, quam super hoc eodem indulto, confirmatione & ampliatione, fecit. Ita ut cum vivæ hujus vocis ac voluntatis Pontificiæ (quæ pro lege esse debet, *in Auth. De consulib. in fine collat. 4.*) extet decisio & definitio, nulla amplius superesse possit vel in specie probabilis dubitatio, nulla juris quæstio, *l. Ancilla. in fine C. De furtis*, quid appellatione beneficij dispositioni Apostolicæ generali reservatione reservati seu affecti contineatur seu contineri censeatur.

1 Proinde manifestissimum, est hac exceptione antùm contineri illa beneficia, quæ per aliquam uris scripti constitutionem corpori juris incluam specialiter vel generaliter dispositioni Sedis Apostolicæ reservata sunt; ut specialiter quædam sic reservata inveniuntur. Vt imprimis ex constitutione Clementis Tertij, *c.2. de præben. lib. 6.* Gregorij Decimi, *c. Statutum eod. tit. in 6.* Bonifacij Octavi, *in c. Præsenti eod. tit.* Benedicti Duodecimi, *c. Ad regimen De prab. & dig. in Extravag. communib.* Ioannis Vicesimisecundi, *c. Ex debito in Extravag. communib. De elect.* Pauli Secúdi *c. Execrabilu De præben. in Extravag. communib.* beneficia in Curia Romana vacantia, & præsertim Curialium seu aliorum eorum familiarium. Item ex constitutione Ioannis Vicesimi secundi beneficia vacantia per adeptionem, & retentionem plurium curatorum beneficiorum, & ex aliorum constitutionibus alia quædam, quæ diligenter describit Æneas à Falconibus *in tract. De reservat. benef. quæst. 2. princ.*

2 † Cujus generis beneficia ut specialem notam habent mirum non est sic peculiariter affici & reservari, propter Pontificiæ potestatis & auctoritatis præeminentiam & prærogativam; ut etiam in dubio non censeantur comprehendi sub quocumque indulto de beneficiorum dispositione agente, *Rebuff. ad concordata tit. De reservat. in princ. & in tract. nominat. q. 15. & in praxi benef. lib. 1. tit. de reservat. & tit. forma signaturæ in verb specialiter vel generaliter* Absurdum itaque est putare aut existimare, quod vigore hujus indulti nominationis non possit acceptari beneficium quoquo modo pertinens ad dispositionem Sedis Apostolicæ: nam ita ad corticem verborum rem captando, prorsus inutile & sine ullo effectu esset hoc indultum tam sollicitè, tantoque conatu per intercessionem Majorum suæ Catholicæ Majestatis impetratum; * cum nullum omninò sit beneficium Ecclesiasticum, cujus dispositio ad Papam non pertineat, *c. 2. De præbend. lib. 6. c. Omnes 32. dist. Clem. 2. Vt lite pend.* adeò ut Papa in beneficiorum collationibus Ordinarius Ordinariorum dicatur, & cum omnibus Ordinarijs Collatoribus concurrendo illos prævenire & disponendo de beneficio quocumque, illos excludere possit, *c. Cuncta per mundum 1x. q. 3. c. Dudum De præb. lib. 6. c. Quia tibi ibi Panorm. De concess. prab. Rebuff. in praxi benef. lib. 1. tit. De devolut. n. 47.* Sed hic modus dispositionis generalis non est de jure istius specialis reservationis seu affectionis corpori juris inclusæ, *Aeneas de Falcon. in d. q. 2. prin. n. 14.* quæ in dictis Bullis nominationis sola excipitur.

Vnde vis & operatio specificæ istius exceptionis, quæ est regulam in casibus non exceptis confirmare & ampliare, *l. Nam quod liquido De penul. leg.* hoc manifestè facit & postulat, ut quæcumque alia sive generalis, sive specialis potestas Pontificia sub illa exceptione non contineatur, sed maneat sub regula, seu generalitate indulti, & sic acceptari etiam possint beneficia spectantia ad dispositionem Sedis Apostolicæ. Id quod evidentioribus expressioribusque verbis exprimitur in dicta Bulla Clementina, his verbis, *Acceptare valeant beneficia etiam Apostolicæ dispositioni quomodolibet, praterquam reservatione generali in corpore iuris clausa, reservata.* Et quod non censeri debeant in hoc indulto exclusa beneficia, quorum disponendi potestatem qualemcunque habet Papa, manifestè ex illo etiam deprehenditur, quòd ipsa etiam Bulla Leonina, necdum in Clementina, & Gregoriana, apertè & diserte dicatur quòd nominati acceptare possint beneficia quovis mense, non tantùm ordinario, sed etiam Apostolico vacantia: quo ipso manifestissimè significatur etiam ad dispositionem Apostolicam pertinentia beneficia vigore hujus indulti nominationis acceptari posse: nam in Apostolico mense vacans beneficium ad alium, quam ad Papam pertinere non potest, *c. statutum De præben. lib. 6.* In tam evidente itaque & verborum, & rei serie, dubitari non convenit, an vigore hujus indulti acceptari possint beneficia ad dispositionem Sedis Apostolicæ pertinentia, si modò non sint reservata reservatione generali in corpore juris clausa; qualia dici non possunt, quæ ad ordinariam Papæ dispositionem pertinent, quæ si ulla alia, vel maximè subjacere debent huic indulto, in quo Papa sibi extra dictam causam generalis reservationis in corpore juris causæ, parcere noluit. Equidem licet nominationes ordinarijs Collatoribus diriguntur; inde tamen non restringitur nominati potestas, ut non possit acceptare beneficium, quod non ipsi, sed Papæ vacat: satis enim est illum ordinarium illius esse Collatorem ad cognoscendum stationem, ex qua nominatus acceptare possit, & illum ad alterius collationem non evagari. Sic quod nullus sit certior, nullus frequentior usus hujus indulti, quàm in acceptandis beneficijs vacantibus in mensibus Papalibus; si modò non sint illa generali reservatione in corpore juris clausâ reservata. Et proferri possent infinita exempla rerum similiter semper iudicatarum in Parlamento Mechlinienfi, Cancellaria Brabantiæ, & alijs Concilijs Provincialibus, quibus secundùm nominatos, & pro eorum nominatione iudicatum hactenus semper fuit super beneficijs in mense Pontificio & ex vacatione Papali acceptatis: uti nobis ea dere minimè dubia hæc quæstio videatur.

De præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Ex indulto nominationis Facultatis Artium facta prior acceptatio potior est posteriore provisione Apostolica.

1. *Petenti non profuturum concedi non debet.*
2. *Provisio apostolica tempore prior, iure est potior.*
3. *Vsus deficiens non arguit iuris defectum.*
4. *Nominationi non subijci beneficia post nominationem creata.*

CONSILIVM CCXLII.

OPPOSITIO, quam Dominus & Magister Ioannes Ravenstein fecit adversus petitionem seu postula-

seu postulationem literarũ Placiti suæ Regiæ Majestatis, pro parte Domini Ioannis de Wilde, in amplissimo Secretiore suæ Maiestatis Concilio propositam, super collatione Papali Canonicatus, & præbendæ Ecclesiæ Gandavensis, ex morte Domini Arnoldi de Bruxellis novissimè
1 vacantium, bono jure omninò nititur. * Quod enim supplicanti prodesse non potest, sed alteri negotium facessere potest, concedendum non est, *l. 1. §. idem aiunt D. De aqua plu. arcen.* ut regulariter quæ impertinentia & irrelevantia sunt, admittenda non sunt, *l. Si duo patroni De iureiur. l. Ad probationem C. De probat.* Curenim quod negando sopiri potest & debet negotium vel Principali auctoritate, vel ex Iudicis iurisdictione, potius & prius compendiosiore viâ non negabitur, quàm concessum in disceptationem & discussionem admittetur, *l. Æquissimum De usufructu?* Cum itaque in ea conditione satis manifestè sit dicta Papalis collatio, quòd ex illa Ioannis de Wilde neque in petitorio, neque in possessorio adversus Domini Ioannis ex indulto nominationis acceptationem umquam obtinere poterit; nulla est ratio, cur concedi debeant petitæ literæ Placiti, ad illius collationis Papalis quemcumque usum & exercitium. Vsum enim illius esse non posse demonstrat in hac Papali provisione tam formaliter inserta hæc conditio, *dummodò eorum* (Canonicatus scilicet & præbendæ) *dispositio ad nos hac vice pertineat*: ita ut deficiente hac conditione manifestissimum esse debeat, hujus provisionis nullas esse vires, nullumque posse esse effectum, *l. Si*
2 *ita sit scriptum §. 1. De leg. 2.* † Defecisse autem seu potiùs existere non potuisse dictam conditionem atque ita in ipso concessionis momento Papalem hanc provisionem fuisse nullam, *l. Cum ad præsens D. Si cert. pet.* inde liquidò apparet, quòd tempore hujus provisionis dicti Canonicatus & præbenda non vacabant; ut pote per dictum Dominum Ioannem Ravenstein ex alia Papali provisione, hoc est, ex dicto nominationis indulto, præoccupati in mense Novembri; sic & pluſquam uno integro mense ante provisionem Domini Ioannis de Wilde: ut non potuerit dici ea vice, seu eo tempore, quo dicto de Wilde provisum fuit, ad S. D. N. Papam pertinuisse dicti Canonicatus dispositio, quæ nulla est, nullaque esse potest nisi vacantis beneficij, *c. 1. & 2. De concess. præben.* Et in duobus per Sedem Apostolicam provisis, is ut prior, ita etiam potior habetur, qui in obtinenda provisione tempore prior est, *c. Ii qui De præben. lib. 6. c. Qui prior De reg. iur. lib. 6.* Neque sanè ulla dubitatio est, quin si pro parte dicti Ioannis de Wilde suæ Sanctitati fuisset suggestum aut narratum de priore acceptatione, & provisione D. Ioannis Ravenstein, ex suæ sanctaque Sedis Apostolicæ præcedente indulto, dictus de Wilde hanc posteriorem gratiam seu provisionem non fuisset obtenturus: ut nullâ ratione ei permittendus sit usus prætensæ hujusmodi provisionis non nisi obreptitiè impetratæ, adversus indultum præcedens ad intercessionem suæ Majestatis ejusque progenitorum impetratum.

Et quod pro parte D. Ioannis de Wilde dicto nominationis indulto objicitur, quod nominationes Lovanienses hactenus locum non habuerint, nec effectum sortitæ sint, ex manifesta contraria rei veritate convincitur in tam evidenti, notorio, & frequenti dictarum nominationum usu, in quo ut conservandæ & ampliandæ, ita afflictæ Vniversitatis reparandæ unicum & principale est præsidium. Et si Dominus Ioannes de Wilde hunc non usum, sic non in genere universaliter, sed particulariter de Ecclesia Gandavensi accipit; quasi in ea effectum hactenus sortitæ non fuerint (etiamsi id præsupponeretur verum esse, quod tamen non creditur, & diligentiâ inquisitionis adhibitâ facilè probari posset perinde in illa, ut in alijs illius usum & effectum fuisse) inde tamen adstrui non poterit usum illarum esse
3 non posse: † nam ex nudo non usu necessariò non potest inferri deficiens usus, seu utendi potestas, aut usus deficiens effectus, *l. De quibus in fine & ibi DD. De legib.* quæ enim facultatis sunt, ut necessitatem usus non habent, ita in neglecto aut dilato usu ex solo temporis cursu non amittuntur nec pereunt, *l. Ariani. C. De hæret.*

Quod ne quidem ex eo quod Ioannes de Wilde
4 replicando ulterius objicit, de nova erectione dictæ Ecclesiæ Gandavensis post concessionem dicti indulti nominationis, dici potest. Etsi enim hoc verum esset, & admitti posset, quod sub indulto nominationis non comprehendatur, nec sub eo cadat beneficium post datam indulti nominationis primùm creatum, quod ante nullum erat, Rebuff. *in tract. nominat. quæst. 15. num. 32.* ut nec sub mandato de providendo tale novum beneficium comprehensum censetur, *Clem. fin. De rescrip. & ibi Gloss. & ita decis. 545. Quidam patronus, quæ est 11. sub tit. De iure patron. in antiq. Gemmian. cons. 69. Circa primum:* id tamen non potest ad rem propositam, hoc est ad dicti Domini Ioannis Ravenstein hanc nominationem aut acceptatum ipsius Canonicatum adaptari; ideò quòd Ecclesia Gandensis, & in ea hic Canonicatus, non sit creata post hanc Domini Ioannis nominationem, sed fuerit multis annis ante illam, quod per se notissimum est; ita ut tempore hujus nominationis ut Ecclesia Gandavensis, ita quoque hic Canonicatus in sua perfectione steterint, illiusque ob id ordinariam collationem Episcopus Gandensis pro tempore habuerit; & sic in eo quoque verificari & effectum sortiri potuerint dicti indulti nominationis verba, per quæ graduati nominari possunt si non habituris, saltem in præsenti tempore nominationis habentibus qualemcumque beneficiorum dispositionem; ut quibus dicti indulti verba conveniunt, conveniat quoque illius dispositio, *l. 4. §. toties De damno infecto.* Quamvis igitur Ecclesia Gandensis, & in ea Canonicatus diu post impetratum, & Facultati Artium concessum à S. D. N. Papa nominationis indultum, ex transformatione aliarum Ecclesiarum sint erecti: non facit tamen id impedimentum, quò minus tam generale privilegium, etiam ad postea erecta, seu translata beneficia extendi & effectus suos operari possit; fatisque ob id sit, quod tempore nominationis

(quam non facit ipsum indultum, sed facere Nominatoribus permittit) is, ad quem fit nominatio, habuerit beneficij, de quo agitur, qualemcumque dispositionem.

Advocatus, qui pro Domino Ioanne de Wilde confecit Replicam, obiectionem istam videtur desumpsisse ex Petro Rebuffo, *d. quæst. 15. nu. 32.* sed non satis bona fide. Non enim hoc ille tradidit, quod beneficia post concessionem indulti seu privilegij nominationis creata non comprehendantur sub indulto, ut in dicta Replica assumitur; quia id verum aut juri consentaneum non est; sed hoc dumtaxat, quòd beneficia creata post datam seu factam nominationem, non debeantur nec acceptari possint ex ipsa nominatione: quod rei propositæ accòmodari non potest. Et ne ex ancipiti, aut distorta aliqua dictorum verborum interpretatione hæc illius traditio ad ipsum indultum seu gratiam nominandi trahi possit, seipsum declarando, & apertiùs interpretando subiecit postea idem Rebuffus (quod dictus Advocatus vel non legit vel dissimulat) quòd beneficium de novo creatum deberi possit illi, qui post creationem beneficij nominatus fuerit. Qui est casus nostri Domini Ioannis Ravenstein nominati in anno octuagesimo sexto, & sic multis annis post dictam erectionem Episcopatus Gandavensis. Diligens itaque, & accurata verborum tam dicti indulti in permisso illius usu interpretatio, quàm præfati Rebuffi in hoc juris articulo explicatio, evidenter demonstrant hoc nominationis indultum extendi posse, & locum obtinere in quibuscumque beneficijs ante diem factæ nominationis auctoritate superioris creatis; etiamsi ipso nominationis indulto fortè posteriora inveniantur; ut scilicet inspiciatur data nominationis, ex qua nominatus primùm incœpit jus habere, & per quam is, ad quem fit nominatio, differtè gravatur nominato conferre aliquod beneficium, cujus qualemcumque dispositionem in præsenti tunc habuit, vel etiam habiturus est. Quæ est & Clementinæ constitutionis, *d. Clemen. sin.* nova interpretatio, & ad illam accommodatum in satis simili juris articulo Geminiani responsum, *d. cons. 69. nu. 2.* Cum igitur hæc tam manifesta sint, existimamus Amplissimorum Dominorum officium in eo versari, ut offensionis lapidem removendo dicto D. Ioanni de Wilde potiùs denegent petitas literas Placiti, quam nihil in exitu profuturas, & dicto D. Ioanni Ravenstein molestiam, non periculum causæ parituras, concedant.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM

Petitorium ex indulto nominationis Facultati Artium datum in Vniversitate Lovanien. & collatione ordinaria per surrogationem.

1. *Beneficiato cui de competente beneficio provisum est, ex delegata potestate de alio beneficio provideri non potest.*
2. 5. c. Is cui De præben. lib. 6. *intellectus.*
3. *Collator ordinarius an sua an delegata potestate censeatur conferre nominato.*
4. *Collator ordinarius non prohibetur conferre habenti beneficium sufficiens.*
6. *Interpretationem certam quæ habent mutari non debent.*
7. *Incompatibilitas non impedit incompatibilium acquisitionem, sed retentionem.*
8. *Residentiæ necessitas ob bella & alias impossibilitates relaxatur.*

CONSILIVM CCXLIII.

DIFFICVLTAS, quæ coram Reverendo Domino Auditore in Curia Romana ex parte Matthiæ Christiani suppositi seu surrogati adversarij movetur M. Godefrido Chiney V. I. Licentiato, super Canonicatu & præbenda collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Tongrensis, quam idem M. Godefridus, vigore indulti nominandi à Leone Decimo Papa Facultatj Artium in Vniversitate studij generalis Oppidi Lovanien. concessi, acceptavit & obtinuit, * ex Bonifacij Papæ Octavi constitutione, *in c. Is cui De præben. lib. 6.* decretisque sacri œcumenici Concilij Tridentini, *Sess. 24. cap. 17. de reformat. & sess. 6. cap. 4. de reformat.* iustam aliquam probabilitatem habere non videtur; nunc præsertim post declarationem interpretationemque per Congregationem Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, dubijs & difficultatibus ex decretis dicti Concilij Tridentini emergentibus dissolvendis per Sedem Apostolicam præpositorum, factam, de qua infra dicetur. Difficultas, quæ post longa hujus litis certamina tandem velut in illius exitu per Dominum Auditorem injicitur, desumpta est ex eo decreto Concilij Tridentini, *d. Sess. 24. cap. 17.* quo non obscurè cavetur, quod uni eidemque non possint conferri duo beneficia personalem residentiam ex æquo requirentia, permissa dumtaxat potestate habenti unum beneficium, quod personalem residentiam requirit, conferendi alterius, sed quod omninò simplex sit, & personalem residentiam non requirat. Quod per dictam Congregationem dispositivo sensu apertiùs expressum dicitur, facta declaratione, *quod omnes Canonici in propria Ecclesia residere, & personaliter deservire debeant, c. Quia nonnulli De cler. non resid.* eaque ratione nunc effectum sit, ut duo Canonicatus reputentur incompatibiles; ut olim dumtaxat plures dignitates, pluraque curata beneficia, *c. De multa De præben.* Quo constituto, in consequentiam illius hoc quoque constitutum videtur, quòd adeptio unius Canonicatus faciat possessoré illius ad alterum Canonicatum adipiscendum omninò incapacem & inhabilem: eâque ex causa dicto M. Godefrido de Canonicatu Tongrensi ex prædicto indulto nominandi factam collationem seu provisionem fuisse vitiosam, propter antecedentem adeptionem Canonicatus in collegiata Ecclesia de Hilvarenbeeck, per dictum M. Godefridum antea ex alio nominandi iudulto dictæ Vniversitati per Pel. rec. Sixtum Papam Quartum concesso, acceptati & obtenti. Idque ob id magis quòd per obiectam Bonifacij Octavi constitutionem, *in d. c. Is qui*, sancitum sit, eum, cui concessum est, ut auctoritate Apostolica possit uni personæ

persónæ idoneæ in sua vel alia Ecclesia providere, non posse alicui aliud beneficium sufficiens obtinenti providere. Ad cujus constitutionis terminos Adversarius dicta nominandi indulta pertrahere conatur; ut scilicet vigore illorum Executoribus dictorum indultorum non sit permissum nominatis beneficium vel ex eodem, vel alio indulto, aut alia ex causa habentibus, conferre aliud cum illo priore incompatibile: idque non tantùm quoad retentionem, sed etiam adeptionem posterioris incompatibilis beneficij; quasi ex vitio, incapacitate, & inhabilitate ipsius nominati, & restrictiore potestate ipsius Executoris seu Collatoris, cui per dicta indulta mandatum est nominatis acceptata beneficia conferre, & de illis providere, discrimine in hoc articulo constituto, *Gemin. in d. c. Is cui nu.* 11. inter ordinarium Collatorem, & eum, cui ex mandato Apostolico seu Apostolica delegatione alicui providere permittitur vel mandatur; ut ordinarius possit saltem ad effectum adeptionis, *c. Ordinary §. in conferendis De offic. ordin. lib. 6.* non verò retentionis, *c. De multa De præben.* incompatibile beneficium conferre habenti aliud incompatibile; delegatus verò ne quidem ad effectum adeptionis seu assecutionis: & sic in delegati collatione seu provisione consistat omnimoda nullitas collationis seu provisionis secundi seu posterioris beneficij, permanente sola potestate retinendi primi; in ordinaria verò provisione nulla sit secundo loco collati beneficij nullitas, sed provisionis sequentis hic effectus, ut per posteriorem provisionem & adeptionem inducatur prioris obtenti vacatio, ademptâ potestate illius retinendi, *d. c. De multa, c. Execrabilis & ibi gloss. in ver. recipere in Extravag. communib. De præben.*

2 Cæterùm ut hæc in aspectu aliquid momenti habere videantur; in recessu tamen manifestam cavillationem retinere deprehenditur: quippe quòd attinet ad Bonifacianam constitutionem, nulla est justa occasio illam ad casum propositæ litis applicandi; in qua non quæritur tàm de jure & potestate Collatoris seu Executoris, quàm ipsius nominati, qui beneficium acceptavit; cui per dictam constitutionem adempta non est potestas consequendi alterius beneficij, etiam cum priore incompatibilis; quam dictorum indultorum nominandi verba disertis & formalibus verbis nominato permittunt. Nam præter ea, quæ & doctè & acutè per Dominos Advocatos Consistoriales pro defensione dicti Godefridi contra has objectiones in medium adducta sunt (à quorum repetitione brevitatis studio abstinemus) hoc in animadversione diligenter habendum, in Bonifaciana constitutione, *d. c. Is cui*, ex hypothesi strictiorem esse Collatoris potestatem, ex formula de potestatis beneficio providendi personæ idoneæ gratiosè & velut extra ordinem concessæ illi, cui cessante hac gratia jus conferendi beneficij non fuisset; ut minùm non sit si strictiore interpretatione accipiatur. † At vero indultum
3 nominandi non tam gratiam facit Collatori, ut possit conferre beneficium ad ipsius collationem non pertinens, quàm ut conferre debeat, cujus conferendi potestatem suo jure habet, eâdem potestate ad certam personam nominati astrictâ: excitato quodammodò officio ordinarij Collatoris magis quàm illi mandato. Quemadmodum usu venit in mandata jurisdictione Ordinario; quæ non tam est delegato, quàm officij Ordinarij excitatio, *c. Licet c. Grave De offic. ordinar.* Ita ut in concursu delegatæ & ordinariæ potestatis potius in collationibus beneficiorum assumatur seu assumpta intelligatur qualitas ordinariæ, quàm mandatæ sive delegatæ potestatis seu jurisdictionis, *c. Cum aliquibus De rescrip. lib. 6. Marian. Socin. cons.* 260. *In causa Navatensi nu.* 4. *vol.* 2. Verum quidem est, Ordinarium ex hoc indulto constringi, ut conferat illi, cui alioqui cessante indulto non teneretur conferre; & quod sic non tam sit concessio quam præceptum, ideoque delegata potius, quàm ordinaria potestas subesse videatur, *Gloss. in d. c. Cum aliquibus in V. concedimus, Panorm. in d. c. Licet nu.* 3. negari tamen nequit, quin dum delegata seu Apostolica concurrit cum ordinaria, in earum concursu ordinariæ magis quam accidentariæ consideratio habeatur, *l. Qui habet De tutelis*: præsertim in casu nostro, quo id, quod favorabile est arripiendum & sequendum potius, quàm quod vel odiosum vel pœnale: ideoque licet in merè & absolutè delegato, propter ambitionis vitium, strictior potestas constituta sit ex Bonifaciana constitutione, *d. c. Is cui*; non debet tamen idem constitui in eo, qui etiam per se ordinariæ potestatis adminiculo fulcitur, & sic mixtam causam habet; quia sub conditione de simplici casu solius delegati loquente comprehendi non debet, *c. Statutum De elect. lib. 6. Felin. d. c. Grave De off. ord. Panor. in c. Bonæ memoriæ De*
4 *postul. Prælat.* † Proinde ut Ordinarius habenti beneficium etiam sufficiens non prohibetur aliud conferre, etiam nullâ factâ mentione prius habiti beneficij, *Clement.* 2. *De offic. ord.* ita quoque cùm ex mandato Apostolico confert beneficia, ad suam ordinariam collationem pertinentia, inutiliter aut nulliter contulisse dici non debet, saltem non respectu suæ ordinariæ collationis, *Socinus d. cons.* 260. *nu.* 4.

Et ut in usu horum indultorum Ordinariæ potestatis consideratio propter concursum delegatæ seponatur; totaque hæc Ordinarij ad nominationem facta collatio censeatur ex Apostolica & delegata potestate procedere, nihilo-magis constricta censeri debet hujus Collatoris potestas quoad hoc, quin possit utiliter conferre nominato aliud etiam incompatibile beneficium prius
5 obtinenti: † ob id, quod in dicta Bonifaciana constitutione formula mandati restrictiorem potestatem Collatori faciat; quia scilicet illi mandatum est, ut uni idoneæ personæ de beneficio provideat; ex intentione autem mandantis (quam intueri semper oportet, *c. præterea requisiti De appellat.*) idonea persona in casu eius constitutionis (licet aliàs aliter quis idoneus reputetur, *c. Super inordinata De præben.*) non habeatur, cui de sufficienti beneficio aliunde seu priùs provisum fuit, *Oldrad. cons.* 233. *Credo de iure nu.* 3. Sic quod duplex in hujusmodi mandato conspiciatur & deprehendatur causa, cur strictiùs accipi debeat; tum ex parte mandatarij, cui gratia illa

fit, quæ priùs ei non competebat; tùm ex parte Personæ, cui ex illa provideri debet, sub certa scilicet qualitate idoneitatis: ita ut requiratur concursus utriusque, & maximè quoad eum, cui providetur, ut sit idoneus ex sufficientia provisionis, nec omninò inidoneus ex illius antecedente sufficientia: quippe mandati fines strictè accipiendi & observandi sunt, *c. Cum dilecta De rescrip. c. Bonæ 2. De postul. Prælat.* & qui mandat idoneæ personæ provideri, non censetur idem permisisse quoad inidoneam, *c. Si pauper De præb. lib. 6. l. Cum prætor De indic.* At in his indultis Nominationum idoneitas personæ nominati non definitur nec restringitur ex sufficientia vel insufficientia beneficij, sed ex alijs qualitatibus; promotionis scilicet & insufficientiæ bonorum ad certam definitamque quantitatem dictis indultis præscriptam. Quæ quidem qualitates cùm in præfato M. Godefrido tempore acceptationis concurrerint, hoc est Magister in artibus in Facultate Artium in Vniversitate Lovanienſi promotus fuerit, & eo tempore in bonis octuaginta ducatos annuos non habuerit (usque ad quam summam nominati insufficientia, & capacitatis idoneitas per dicta indulta definita & circumscripta est) nihil occurrit, unde vel acceptatio nominati, vel Collatoris gravati seu Executoris provisio de hac præbenda Tongrensi dici possit nulla aut aliquo vitio laborare.

Quinimò ad terminos dictæ Bonifacianæ constitutionis reducendo dicta Nominationum indulta, præsupponendo quòd delegatâ omnino potestate conferre habeant, quibus nominationes diriguntur, & quòd teneantur conferre constitutis in tali idoneitate, qualem requirit Bonifaciana constitutio; hoc est, ut habentibus sufficiens beneficium non possit providere, sed illis tantùm, quibus de beneficio sufficienter provisum non est; nihil adhuc occurrit, unde hæc M. Godefridi acceptatio aut illi facta provisio de nullitate vel vitio redargui possit; ob id, quòd non proponatur nec probari possit, quòd dictus M. Godefridus ad sufficientiam beneficiorum secundùm terminos & fines dictorum indultorum pervenerit; sed in vera insufficientia constiterit, quæ secundùm terminos dictæ Bonifacianæ constitutionis idonea causa est, cur etiam ex delegata potestate illi ex hoc mãdato de hoc Tongrẽsi Canonicatu providerit. Quo sensu apertè hanc Bonifacij constitutionem accipit & restringit ordinaria Glossa, *in d. c. Is cui in verb. sufficiens*; quam in eo sequuntur omnes, *Anchar. in d. c. Is cui nu. 21 Philip. Franc. ibi nu. 3. Paul. Paris. cons. 40. Quamvis Ioannes nu. 13. vol. 4.* & auctoritate decisionis Rotæ Romanæ satis confirmatur, *Decis. 445. Si legatus Apostolicus, alias est 26. in novis sub tit. de præben.*

Quod in proposito proclivius dici potest, quòd hæc indulta non recipiant gratiam aut favorem ipsius Collatoris, quem hæc res potiùs gravat; sed ipsorum nominatorum, quibus usque ad præfinitam sufficientiam, hoc est sexaginta ducatorum acceptandi quæcumque beneficia potestas permittitur per gratiam non odiosam aut restringibilem, sed summè favorabilem & latiore interpretatione dignam, ob favorem studiorum & commodorum, quæ ex illis respublica accipit ac remunerationem illorum, *Auth. Habita C. Ne filius pro patre & c Bartol. in l. 1. Soluto matrim. Paul. Paris. cons. 140. Inspectis indultis. vol. 4.*

De qua interpretatione dubitandum non est, ex veterato usu & observatione dictorum indultorum, ex quibus nominati hactenus ita consueverunt acceptare & obtinere etiam Canonicatus; non obstante alicujus alterius Canonicatus antecedente acceptatione, quamdiu ad præfinitam sufficientiam non pervenerunt. A quâ veteri interpretatione & observatione recedendum non est, *l. Minimè l. Si De interpretatione De legib. c. Cum dilectus De consuetud. Panor. in c. Dilectus De concess. præbend.* etiamsi vel judicio rationis, vel ex verborum tenore deprehendi & demonstrari posset, eam non planè rectam esse vel à verò aberrare, *Steph. Bertran. cons. 299. Ad faciliorem nu. 12. vol 8.* 6

Nec ab eâdem observatione recedendum propter superveniens decretum Concilij Tridentini, ex quo duo Canonicatus facti dicuntur incompatibiles, † *sess. 7. can. 4. & d. sess. 24. cap. 17.* † *vide suprà consil. 233.* nam incompatibilitas beneficij non est causa, cur habenti tale alterum conferri non possit; cùm etiam jure veteri, quo dignitatum & curatorum accumulatio cum majore odio & præcisius prohibetur, *d. c. De multa, d. Extravag. Execrabilis*, incompatibilitas nullum faciat impedimentum in acquisitione, sed dumtaxat in retentione; ut post acquisitum incompatibile aliud eiusdem aut diversi generis incompatibile, acquiri quidem possit, sed ita ut acquisito posteriore, prius ipso jure vacet, non etiam impediatur posterioris acquisitio. In proposito igitur non hoc potest constitui quasi M. Godefridus non potuerit hunc Tongrensem Canonicatum acquirere, quia tempore acceptationis habuerit Hilvarenbekensem; sed hoc dumtaxat ad summum, quia Tongrensẽ postea acceptavit, Hilvarenbekensẽ vacasse.

Ex quibus comprehendi potest, erroneam esse traditionem eorum, *Pet. Rebuff. ad concordata Franciæ De collat. §. volumus ad verb. tempore vacationis, vers. & per istum text. in verb. non possit*, qui non rectè intellectâ Bonifacianâ constitutione existimaverunt, nominatũ vigore suæ nominationis petere aut acceptare non posse beneficium, quod cum eo, quod tempore acceptationis obtinebat, incompatibile est: cum id in potentiore incompatibilitate, quæ causatur ex pluribus dignitatibus aut curatis beneficijs, constitui nequeat; in quibus priùs obtentum non obstat acquisitioni posterioris, licet posterioris acquisitio inducat prioris vacationem. Quæ etiam causa est, quòd Pet. Rebuffus postea deprehenso errore, in altera seu posteriore suorum commentariorum ad concordata Franciæ editione, ingenuè confessus sit, & priori suæ editioni hoc addiderit, hodie illud (quod scilicet prioris incompatibilis adeptio obstet acquisitioni posterioris) non servari. Rectiùs interim & magis ingenuè facturus fuisset, si id non hodiernæ observationi & velut contrariæ consuetudini, sed veritati juris, priorem suum errorem agnoscendo, asseripsisset: cùm manifestum sit neminem ex prioris cujuscumque beneficij acquisitione inhabilem fieri ad posterius quantumvis incompatibile ex sola beneficij

beneficij incompatibilitate, *d. cap. De multa*; *d. Extravag. Execrabilis*. Et ne quidem in dicta Bonifaciana constitutione, *d. c. Is cui*, in qua non ipsius beneficij qualitas, quæ incompatibilitatem in suo genere facit, inhabilitatem inducit, sed beneficij sufficientia, quæ ex forma gratiæ facit, ut illius possessor ad obtinendum aliud etiam simplex non sit ampliùs idoneus, quamdiu id possidet, & non priùs dimittit aut ad acquisitionem & retentionem dispensationem obtinet. Quæ sanè sufficientia præfato M. Godefrido obstitisse, si dici potuisset, quòd Canonicatus Hilvarenbekensis secundùm terminos indulti nominandi fuisset sufficiens: quòd cùm dici non possit, consequitur hunc Tongrensẽ postea acceptari, & dictũ Hilvarenbekensem retinere potuisse. † Potissimùm quia tempore acceptationis Tongrensis inutilis ei fuerit Hilvarenbekensis; ut qui per intestina bella in ea residere non potuerit, nec fructus inde percipere. Quid enim interest quis non possit residere, an possit quidem, sed non teneatur? Vnde quâ ratione in vera & præcisiore illa incompatibilitate, quæ causatur ex dignitate vel cura, quæ beneficijs incumbit, vitium incomparibilitatis nullũ operatur effectum, nisi ex die acquisitæ pacificæ possessionis & facultatis percipiendorum fructuum, *d. Extravag. Execrabilis* §. *qui verò*, *& ibi gloss. in V. possessionem & in V. habuerant*; eadem & multo minùs operari debet in illa, quæ ex sola residentiæ necessitate causatur: ut ex dicto decreto Conciliari nunc est in pluribus canonicatibus, qui per se alioqui simplicia & non qualificata beneficia censeri consueverunt, sic saltem ut remissa residentiæ necessitate ex causa hostilitatis, belli, vel alia simili impossibilitate, *c. Relatum c. Inter quatuor. De cler. non resid. c. 1. eod. tit. lib. 6. Calder. cons.* 17. *An canonicus expulsus De præbend. Bald. cons.* 357. *Inustissima vol.* 2. ex consideratione requisitæ residentiæ non possit constitui incompatibilitas, aut incompatibilitatis, de qua hic quæritur, effectus.

His itaque & alijs pluribus per præfatos doctissimos Consistoriales Advocatos latiùs deductis attentis, existimamus, dubium, quod præfato M. Godefrido ex dicta Bonifaciana constitutione, & decreto Conciliari movetur, ad inducendam ipsius inidoneitatem, nullius esse momenti; saltem non ad impediendum effectum acquisitionis hujus Canonicatus Tongrensis, de qua nunc tantùm est quæstio; non etiam de retentione utriusque, de qua quamdiu posterior hic Tongrensis pacificè non habetur, quæstio nulla esse potest.

De Præbendis

SVMMARIVM

Petitorium ex indulto nominationis Facultatis Artium in Academia Lovanienſi contra ordinariè & Apostolicè provisum.

1. *Personæ conditio in omnibus quæstionibus priore loco discutienda.*
2. *Clericatura necessaria pro obtinendo beneficio.*
3. *Patria potestas præsumitur.*
4. *Filius familias nihil habere intelligitur.*
5. *Literis sigillatis credendum.*
6. *Beneficium monoculum acceptari non potest vigore nominationis.*
7. *Relatio conformatur relato.*
8. *Nominationis vigore acceptari potest beneficium vacans tempore nominationis.*
9. *Ex actuum duorum conjunctione si nequeat cognosci utrum prius utrum posterius actum sit id censetur prius quod prius erat agendum.*
10. *Instrumentum exhibens eius contenta fateri censetur.*
11. *Valor beneficij quomodo instituendus.*
12. *Principis sæcularis dispositio circa res Ecclesiasticas quomodo valeat.*
13. *Collatio obtenta ab eo qui ius non habet non valet.*
14. *Collatio de beneficio non vacante non valet.*
15. *Conditio in præsens tempus nulla est.*

CONSILIVM CCXLIV.

ELEGANTEM & variam inspectionem habet causa beneficialis, quæ indecisa pendet coram Reverendo Domino Conservatore privilegiorum Almæ Vniversitatis Louanienſis de & super jure actitulo Capellaniæ ad altare beati Vincentij in parochiali Ecclesia S. Petri in suburbijs Oppidi Huensis Leodiensis diœcesis, inter Magistrum Lambertum Rotarij vigore nominationis venerandæ Facultatis Artium in eadem Vniversitate ad collationem Rectoris dictæ parochialis Ecclesiæ nominatum, Impetrantem, & Nicolaum de Wies Reum seu Opponentem. Difficultas sanè etsi non sit omnino nulla; tam magna tamen non est, quin facilis sit illius extricatio, dum accurate separantur causæ & jura utriusque partis, Impetrantis, & Opponentis: permixta enim eorum tractatio obscuritatem parit. Separantes itaque jura Impetrantis à juribus Opponentis videamus quid in singulis sit.

Et cum de conditione personæ prima ubique fit quæstio, *l. Si quæramus De testam. l. Quidam De iure codicil.* nihil in Impetrantis persona desiderari putamus ad capacitatem hujus beneficij.* Nam prima qualitas, sine qua nullius beneficij in universum posset esse capax, *c. Cum adeò De rescr. c. Ex literis De transact. Frederic. De Senu consil.* 290. *Quia in præsenti n.* 8. hoc est clericatus seu tonsuræ clericalis, evidenter probata est literis tonsuræ quas Opponens ipse recognovit. Secunda Impetrantis conditio quam requirit gratia Apostolica Facultati Artium concessa, magisterium scilicet seu promotio in Artibus, ex Opponentis confessione manifestissimè etiam probata est. Tertia quòd Impetrans nõ habeat in bonis octuaginta aut quadraginta florenos auri de Camera annuatim, eo ipso satis probatum intelligitur, quod à parte adversa contrarium positivè non inveniatur obiectum aut probatum; potissimùm quod à negativa assertione dependeat, cujus per rerum naturam nulla solet esse probatio, *c. Bonæ & ibi gloss. in verb. per rerum naturam De elect.* † Cùm alioquin etiam constet ex propria Opponentis allegatione, patrem Impetrantis vivere, in cujus potestate esse præsumitur, non probatâ emancipatione; propter confessionem Opponentis eundem Impetrantem natum esse ex legitimo matrimonio, *l. si filius D. De probat. l. Si emancipati C. De collat. Phil. Corneus consil.* 204. *Quamquam videatur nu.* 7. *vol.* 3. filius enim in potestate sui patris constitutus nihil habere præsumitur, quia omnia patri acquirit, *l. Placet De acq. hæred.*

1

2

3

De

De personis nominantibus illarumque potestate nihil operæpretium est hîc deducere, cùm literæ nominationis per Notarium Facultatis signatæ, & sigillo Facultatis sigillatæ apertè ac plenè probent eorum consensum, & auctoritatem, quorum in gratia Apostolica fit mentio. † Quibus 5 literis quia in forma publica & authentica sunt expeditæ, earumque subscriptionem ac sigillum Opponens agnovit, & ex adverso nihil objecit quod officere illis possit, omninò standum & credendum est, *l. Optimam* C. *De contrab. & commit. stipul. Bald. in l. Interest.* C. *De solut.*

Constitutâ itaque capacitate ex persona nominati & potestate nominantium; videamus quid sit illud, quod Opponens huic juri seu titulo Impetrantis objecit. Et sanè plura in actis inveniuntur; quorum quædam respiciunt Collatorem, ad cujus collationes facta est ista nominatio; quædam beneficium ipsum, vigore dictæ nominationis acceptatum; pleraque formam.

Objcit Opponens primò, quòd vigore nominationis Facultati Artium concessæ nulla potuerit fieri nominatio ad Rectorem Parochialis Ecclesiæ S. Petri in suburbijs oppidi Huensis, ob id, quod ipsius collationi subjecta sint tantùm quinque beneficia, quod etiam testibus satis probasse videtur; & ex ipso tenore privilegij nominandi constet graduatos in Artibus nominari non posse ad collationes eorum, qui non habent conferre ultra sex beneficia, juxta bullam Sixti Quarti toti Vniversitati Lovanienſi concessam; quæ sic restricta est, ut tantùm pertineat ad collatores habentes conferre ultra sex beneficia. Sed errore labitur Advocatus Opponentis: nam Leonina bulla Facultati Artium concessa apertè facit potestatem nominandi Magistros seu graduatos *in verbis, positis, per eandem Facultatem seu personas illius prædictas*; non vigore bullæ Sixtinæ, ex quâ nominandi potestas ipsi Rectori dictæ Vniversitatis, ex judicio & assensu quinque Decanorum concessa est, sed vigore suæ, hoc est virtute ejusdem bullæ Leoninæ, quæ indistinctè pertinet ad omnes omnino collatores qualiumcumque beneficiorum vel officiorum Ecclesiasticorum dispositionem habentes, *in verb. habentibus dispositionem etiam qualemcumque beneficiorum*: ita ut, cùm pluralis numerus duobus sit contentus, *l. Vbi numerus De testib.* & Opponens fateatur ad Rectorem dictæ Ecclesiæ S. Petri pertinere collationem seu dispositionem quinque beneficiorum, nihil de eo ambigendum sit: † cùm satis sit Impetranti beneficium vigo- 6 re suę nominationis acceptatum non esse *μονόφθαλμον*, seu, ut aiunt, monoculum, *Dom. Gemman. consl.* 36. *Felin. in c.* 1. *nu.* 9. *& in cap. In nostra nu.* 24. *De rescrip.* † Adhæc cum relatio ad bullam Sixti- 7 nam non fiat in ista Leonina quoad valorem in eadem Sixtina expressum, *in verb. acceptare beneficia, valoris in dictis literis prædecess. express.* jure relationis nihilo plus debet inesse referenti, *l. Esse toto De hæred. instit.* quia non est intelligenda illa relatio de beneficijs seu numero illorum, de quibus Sixtina loquitur; sedtantùm de va ore, qui in Sixtina exprimitur. Sed sunt ista Consultissimo Domino Assessori plusquam nota & expedita ex longo & assiduo usu nominationum Facultatis Artium: ut proinde supervacuum fuerit longiore demonstratione ijsdem hic immorari.

Circa beneficium ipsum, an scilicet nominationi de persona Impetrantis factæ, sit subiectum, duplex est Opponentis impugnatio: prior quòd beneficium tempore nominationis seu ante nominationem vacaverit; mortuo scilicet ultimo illius possessore mensis Septembris die tertia ante prandium; cùm nominatio demùm facta sit eodem die post prandium: altera, quòd valor hujus beneficij excedat taxam bullâ Sixtinâ præscriptam. Sed nec ea ex parte jus Impetrantis fluctuare putamus. Nam quod ad priorem obiectionem attinet, dubium non est, quin nominationes etiam locum habeant in beneficijs, eo tempore, quo fit nominatio, vacantibus. Et est hoc generale in omnibus exspectativis, & alijs gratijs ad vacatura beneficia tendentibus, ut contineantur etiam illa, quæ actu vacant tunc cùm fit nominatio seu gratia ad collatorem ejusdem vacantis beneficij, *Gloss. in Clem. unica in V. notitia De conces. præb. Imola, Castr. Alex. Ias. in l. Titius* §. *Lucius De liber. & posth. Rebuff. in tract. nomination. quæst.* 15. *nu.* 33. Verum enim est, quod vacat tempore nominationis, vacare etiam post eam, quamdiu non est alicui de eo legitimè provisum, *l. Verbum erit, l. Verbum oportebit De verb. signif. Alex. cons.* 95. *Requisitus nu.* 6. *vol.* 7.

Nec quicquam facit quod Opponentis Advo- 8 catus adijcit, placito Principis inter alia ordinatum esse, ut vigore dictarum nominationum non liceat acceptare beneficium, quod tempore nominationis vacat: nam primò non potui id invenire in dicto Placito expressim cautum: nisi fortè ex eo id elicere velit, quòd eodem Placito mandetur insinuari nominationem: quo tamen ipso non hoc elicitur, non posse unico actu illam insinuari, & insinuando acceptari; seu potiùs acceptando insinuari, dum occasio rei natæ id fert, & patitur: * cùm eo casu ex conjunctione duo- 9 rum actuum & eorundem celeritate seu celeri absolutione, *l.* 3. §. *sed si debitorem De donat inter vir. & uxorem*, si non possit satis deprehendi utrum prius, utrum posterius actum gestum fuerit, id prius censeatur actum quod prius erat agendum, *l. Cum in testamento* §. *hæc verba De hæred. inst. & ibi Bald. Angel. & alij* quisque enim censetur eo modo actum gerere, quo oportet. Ita ut hujusmodi insinuandi necessitas per Imperatorem imperata ad futuras vacationes tantùm referri debeat, non ad eas, quæ extant tempore nominationis aut intra mensem ad insinuandum præfixum incident, *l. Quoties De reb. dub.* Alioqui enim aliud dicendo, eveniret, ut non possit acceptari beneficium vacans post nominationem primo mensi, cujus ultimus dies integer adhuc est ad insinuandum. Deinde concesso, hanc fuisse voluntatem Imperatoris, nihilo tamè magis arctabit Impetrantem, quòd ex ipso Placito evidenter constet Imperatorem tantùm voluisse hujusmodi capitula Placiti, seu Concordatorum, locum habere in beneficijs in patrimonialibus suis ditionibus existentibus; non etiam in istis, quæ sunt extra ipsius patrimonium, sub Imperio vel alijs regnis: & ut maximè aliud voluisset, vix tamen ex notorio de-

fectu

fectu jurisdictionis potuisset, *c. Quod in dubijs & ibi gloss. De renuntiat.* Quod autem Princeps sic non intenderit extra suas patrimoniales ditiones extendere suam modificationem, apertè colligitur ex primo dicti Placiti seu concordatorum articulo; in quo dispositi vè cautum est, nè extraneus vigore nominationis occupet beneficium situm in hac sua patria inferiore. Cujus suæ inferioris patriæ mentio sæpiùs in ijsdem concordatis reperita fuit ac tandem in fine illorum adjectum, quòd sub ista modificatione demùm voluerit in his suis inferioribus ditionibus dictam Leoninam bullam locum habere. Sed ne laboremus in ea ipsa parte, quâ de insinuatione facienda agitur, expresè dictum est in dicta bulla Leonina de nominatione insinuanda Collatoribus, *in hac sua inferiore patria residentibus*: sic ut prorsus frivola & impertinens sit hujusmodi allegatio Opponentis, qui confitetur præfatam Ecclesiam sitam esse sub Imperio Nationis Germaniæ.

Quod ad posteriorem objectionem de excessu valoris beneficij, quæ sola inter omnes aliquem colorem habere videtur, existimamus satis momenti in ea non esse. Primùm quia ipse Opponens pro obtinendo posteriore suo titulo Pontifici narraverit fructus hujus beneficij non excedere quatuor marcas argenti puri; quæ summa minor
10 est valore in literis Sixtinis comprehenso. * Cum itaque ea instrumenta, in quibus id narravit, ipse Opponens in hac causa exhibuerit, credendus est contenta eorumdem esse confessus, *Bald. in l. Alia C. De his quib. ut indig. & in l. Cum precum C. De liber. causa.* † Deinde licet omnes fere Opponen-
11 tis testes deposuerint fructus dicti beneficij longè excedere taxam Sixtinam; id tamen ex callidi-tate & fraude Opponentis factum putatur: quia in articulo ad id concepto articulaverit de triginta florenis aureis, qui à simplicibus Rhenensibus sesquialtera proportione distant; cùm simplex Rhenensis sit tantùm viginti stuferorum, florenus verò aureus Rhenensis sit in usu hodierno triginta duorum stuferorum. Quâ quidem consideratione etsi videretur primâ facie beneficij contentiosi fructus dictam taxam triginta florenorum aureorum excedere: id tamen tam exiguum foret, ut in considerationem venire vix posset. Constituto enim pretio speltæ ad triginta stuferos in singulos modios, sicut videntur deponere aliquot testes Opponentis, & quòd ex proprijs Opponentis testimonijs constet dictum beneficium non habere nisi quadraginta tres modios cum quinque vasis speltæ, & ex ijs unum modium annuè pendendum Hospitali, valor speltæ detracto illo modio erit sexaginta trium florenorum octo decim stuferorum & unius blancæ: à quibus detractis quindecim florenis pro celebratione trium Missarum, quibus dictum beneficium gravatum est, restabunt pro valore beneficij quadraginta octo floreni octo decim stuferi cum blanca. Iam verò æstimatio tringinta florenorum aureorum secundùm suprascriptam æstimationem ascendit ad quadraginta octo florenos ut proinde absurdum & plusquam rigidum esset, ob tenuissimum excessum octodecim stuferorum & unius blancæ, Impetrantem excludi: cùm hæc excurrens summula, & longè amplior, Impetrante Lovanij residente, uti secundùm dictæ gratiæ tenorem potest, *l. Si oleum § fin. cum l. seq. & ibid. not. De dolo, Aymo Crovet. cons. 46. De stilo. nu.* 12 & 13. in Receptorem ac nuntios consumi & expendi debeat.

Neque audiendus Opponens, si florenorum Rhenensium aureorum extrinsecum valorem talem non semper fuisse contendat: nam eâdem ratione recutietur in eum, quod etiam frequentissimè contingat speltæ valorem longè infra intrinsecum etiam floreni aurei Rhenensis valorem esse ut constat ex Registris per testes Actoris exhibitis; ex quibus videre licet etiam intra proximos decem annos modium speltæ valuisse tantùm duobus florenis Huensibus, qui duo floreni Huenses non constituunt unum florenum Brabantiæ, cùm duo floreni, & duo cum dimidio stuferi monetæ Huensis constituant tantùm unum florenum Brabantiæ, qui plusquam tertia parte minor est floreno Rhenensi aureo. Et quamvis citra annum quinquagesimum novissimè præteritum causantibus gravissimis & diuturnis bellis, frumentorum pretium præter exemplum excreverit, & pecunia (ut fieri solet in mercium caritate & raritate, *Aristot. lib. 6. Ethic.*) viluerit; tamen ex catalogo exhibito per primum Impetrantis testem, ex fide dignis Registris extracto, constat plusquam triginta continuis annis retropræteritis pretium modij speltæ non pertigisse ad florenum Rhenensem aureum: imò frequentiùs tertiâ ferè parte minus fuisse; quemadmodum & nunc ex rei evidentia videmus post maximam caritatem sic eviluisse pretium, ut ad florenum aureum Rhenensem non pertingat modius speltæ. Sic ut cum in hac re definienda commune & usitatum pretium sequi oporteat, *l. Pretia l. In lege Falcidia D. Ad leg. Falcid. l. Ideò in arbitrium. De eo quod certo loco, l. si servum Ad leg. Aquil.* commune autem & usitatum sit, quod frequentius evenit, seu evenire potest, *Nic. Everard. Præses in loco à communiter accident.* dubitatio nulla sit quin quadraginta duo modi & quinque vasa taxam Sixtinam non excedant; præsertim quod ex confessione Opponentis constet diversos modios esse hypotecatos super domibus, & vineis; quorum æstimatio communiter minor est illis, qui super agris & pratis sunt assignati; ut constat ex testimonijs Impetrantis, & extracto proclamationum Leodij super æstimatione hujusmodi modiorum factarum.

Quibus omnibus si addatur, quod Impetrans allegavit, & per testes probavit, absentiæ nomine Capitulo decimum modium solvi; fiet, ut ex quadraginta duobus modijs, detractis quatuor vel paulo ampliùs, nullâ ratione, secundùm testimonia Impetrantis, restantes modij possint pertingere ad valorem bullæ Sixtinæ. Relinquitur ergo, neque ex capite collatoris, neque ex conditione beneficij, quæ est circa valorem, quicquam esse quod satis sit ad excludendam hanc Impetrantis nominationem.

Postremò quoad formam objicit Opponens, post nominationem non esse servatam formam seu solemnitatem insinuationis faciendæ tum Collatori de facta nominatione, tum Notario Facultatis Artium de facta acceptatione vigore ejus-

re ejusdem nominationis infra mensem à die acceptationis. Sed in eo iterum hærendum non est: ob id, quòd vigore bullæ Leoninæ neutra insinuatio seu intimatio sit necessaria: imò apertissimis verbis in eâdem cautum sit, *in clausula incip. & quod ipse sic nominatus per dictam Facultatem*, ne cogatur nominatus hujusmodi suam nominationem insinuare Collatoribus, aut post acceptationem eosdem requirere, aut acceptationem insinuare; factâ aperta distinctione hujus gratiæ ab alijs exspectativis, quas sic oportet insinuare: ac proinde frustrà objicit Advocatus similitudinem aliarum gratiarum exspectativarum, cùm eam tam sollicitè & apertè in dicta bulla Pontifex sustulerit.

12 Nec obstat quòd in dicto placito seu concordatis illa necessitas sic per Pontificem sublata, rursus videatur imposita: quia, ut diximus superiùs, præterquam quòd dici posset Principis sæcularis statutum circa ea, quæ concernunt res Ecclesiasticas seu jurisdictionem ecclesiasticam non valere, etiamsi in utilitatem Ecclesiarum redundaret, *c. Quæ in Ecclesiarum & ibi gloss. 1. Panor. & Felin. De constit. l. Decernimus C. De Episc. & cler. Bal. in l. Cunctos populos C. De Summa trinitate & fide catholi.* propter notorium defectum potestatis, *cap. Benè quidem 96. distinct. Panor. in c. Per venerabilem Qui fil. sint legit. Fred. de Senis cons. 96. Apparet quædam*: debent ista concordata restringi tantummodò ad illa beneficia, quæ sunt in patrimonio Principis sæcularis statuentis; & sic locum habere non possunt quoad beneficium hoc controversum, quod ipsum per se extra fines patrimonij statuentis situm est, ejusque Collator itidem extra eosdem fines residens.

Sic itaque remotis omnibus, existimamus nihil esse quod jus Impetrantis convellere aut expugnare possit. Quâ tamen demonstratione nondùm contenti paucis etiam libet in jus, quod Opponens prætexit, inquirere, an videlicet id aliquâ ratione firmum sit. Attulit Opponens duplicem titulum; alterum ex collatione Ordinarij; alterum ex provisione Apostolica: sed uterque æquè infirmus. Collatio enim Ordinarij ex defectu potestatis Collatoris collabitur: cùm enim hoc beneficium sit sub Imperio Germanico seu Concordatis nationis Germanicæ, uti Opponens ipse confessus est; & secundùm ea Concordata alterni tantùm menses ad Ordinarios, relinqui ad Pontificem pertineant, ut notorium est; & inter alternos menses Apostolicos hic mensis September referri debeat, quod etiam Opponens confitetur: non potuit Ordinarius Collator hoc beneficium, quod isto mense Septembri vacavit, utiliter conferre, quia iuxta eadem Concordata dispositioni Apostolicæ reservatum fuit.

13 * Cùm itaque paria sint non obtinere collationem, & obtinere, sed abeo, qui concedendi facultatem non habet, *C. De reb. alien. non alien.* non potuit Opponenti aliquid juris ex dicta ordinaria collatione adijci, aut Impetranti impedimentum præstari, *c. Non præstat. De reg. iur. lib. 6.* quò minus vigore suæ nominationis, etiam post illam de facto tentatam Ordinarij collationem, acceptare potuerit hoc beneficium, quando illud tunc adhuc vacare reperit, nec alicui collatum esse legitimè ab eo, cui conferendi potestas fuit. In pari causa & eodem planè loco est provisio Apostolica, ad quam Opponens ex diffidentia Ordinariæ collationis confugit. Nam etiamsi illa nulla non sit ex defectu potestatis providentis; † est tamen nulla ex eo, quòd sit facta de 14
beneficio tunc non vacante; cujus generis impetrationes seu provisiones sunt omninò prohibitæ, & ipso jure nullæ, *c. 2. & 3. De conces. præb. lib. 6. c. 1. De conces. præb.* cùm jus in re aliena dari nequeat, *l. 2. De pig. act. l. 2. C. Si res aliena pig. data fuerit.* Non vacasse autem tempore datæ dictæ provisionis Apostolicæ beneficium hoc, constat per Impetrantis acceptationem & possessionis assecutionem vigore dictæ suæ nominationis, quæ prætactam Apostolicam provisionem præcessit viginti plus minùs diebus: sic ut idem Impetrans & tempore sit prior, & jure potior; propter prægnantissimas antelationū clausulas dictæ bullæ Leoninæ insertas. In quo sanè subsistendum non est, quòd dicta Opponentis provisio sit facta sub hac conditione, *Si tempore datæ illius in dicto beneficio alicui specialiter ius non sit quæsitum*: † 15
ex eo enim quia in præsens tempus conditio concepta fuit, & tunc non extabat, ab initio fuit hujusmodi provisio nulla, *l. Cum ad præsens D. Si cert. pet. l. Si ita stipulatus fuero hanc summam De verb. oblig.* Et hæc quidem tam manifesta sunt, ut non sit operæpretium confugere ad alia, quæ ex capite surreptionis & obreptionis dictæ provisionis per impetrantem in hac causa sunt allegata. Concludimus itaque partes domini Iudicis esse, ut secundùm Impetrantem tam quoad beneficij adiudicationem, quàm expensas pronuntiet.

De Præbendis

SVMMARIVM

Petitorium ex indulto nominationis Facultatis Artium in Academia Lovaniensi de facienda Collatoribus insinuatione.

1. *Insinuatio an in nominationibus post acceptationem sit necessaria.*
2. *Verbum* possit *quando necessitatem importet.*
3. *Publicatio nominationis acceptionis & provisionis an fieri debeat?*
4. *Regulæ Cancellariæ quam auctoritatem habeant.*
5. *Regulæ Cancellariæ allegandæ & probandæ.*
6. *Publicatio in quibus beneficijs requiratur.*

CONSILIVM CCXLV.

IN responso, quod nuper dedimus *sup. consil. 244.* pro M. Lamberto Rotarij super lite de Cappellania ad altare Beati Vincentij in parochiali Ecclesia S. Petri in suburbijs oppidi Huensis, inter cætera excusavimus dictum M. Lambertum, quòd suam nominationem Ordinario Collatori ante acceptationem non insinuaverit, & post acceptationem Ordinarium Collatorem non requisiverit, aut acceptationem apud Notarium Facultatis Artium non insinuârit: ideo scilicet, quòd à duobus prioribus haberet eum bulla Leonina, *in clauſ. incip. & quod ipse sic nominatus per dictam Faultatem Artium seu personas illius prædictam nominationem suam non tenetur insinuare &c.* atque ad posterius eadem bulla

ipsum

ipsum non obstringat. * Cæterùm quia Advocatus partis adversæ inter cæteros defectus, quos dicti M. Lamberti juri objecit, allegat (sed tam obscurè, ut vix percipi possit quid velit) quòd M. Lambertus non intimârit jura sua & omnia inde secuta, ad instar illorum, qui habent gratias exspectativas; ne quid ex ea parte sit, quod Reverendum Dominum Judicem seu ejus Assessorem vel perturbet vel remoretur, libuit paucis inquirere quantum momenti id in hac causa habere possit. In Bulla Leonina continetur hæc clausula: *Sed quod vigore dictæ nominationis de persona sua factæ à dictis Executoribus in eisdem literis deputatis, seu Decano Ecclesiæ Sancti Petri Lovaniensis, pro tempore existenti, quibus ac dicto Decano & cuilibet eorum id committimus & mandamus, de beneficio vacante sibi providere facere plenariè auctoritate Apostolica absque ulteriore requisitione ipsorum Collatorum prædictorum, ac ex post suam acceptationem ad instar exspectantium Apostolicorum, & prout in gratijs exspectativis observatur insinuare, & se in corporalem possessionem poni & induci facere possit.* Ex quibus verbis, si non est vana conjectura nostra, verosimile est Advocatum eam allegationem desumpsisse. Sed nihil movere debet ea particula: Primò, quòd ijs verbis insinuandi necessitas post acceptationem præcisè non imponatur, sed facultas tantummodò insinuandi permittatur. * Vtitur enim Pontifex in dicta clausula verbo *Possit*; quod quamvis post positum negationi plerumque præcisam necessitatem importet, *Pet. Ancharan. cons. 95. In quæstione nu. 1. quod est etiam Bald. consil. 234. vol. 3.* solum tamen per se positum in rescriptis, legibus, vel contractibus non importat parem necessitatem, sed facultatem tantùm, *Bart. Bald. & alij, ac præsertim Jas. in l. Gallus in princ. De liber. & posth.* sic ut insinuatio permissa potestati nominati, juris necessitati eundem nominatum non subijciat, *l. sæpè D. De offic. præsid. l. Non quicquid De ird. c.* & per consequens omissa vel prætermissa in totum non nuceat, *l. Testamentum C. De testam. Bart. in l. Divus nu. 5 De testit. in integ.* Secundò, quòd præsuppositâ etiam insinuandi necessitate, nihil hic imputari possit M. Lamberto, qui suam acceptationem (de qua sola loquitur dicta clausula) plusquam insinuavit Rectori dictæ Ecclesiæ (quam Opponens Capellaniæ controversæ Ordinarium Collatorem allegat, & confitetur) ex eo videlicet, quòd actum captæ possessionis seu introductionis in realem & actualem possessionem, post dictam acceptationem factam, idem M. Lambertus intervenient Subexecutore exercuerit in præsentia præfati Rectoris; qui ideo etiam dictæ captæ possessionis testis rogatus, & instrumento desuper confecto inscriptus fuit; quique per M. Lambertum requisitus fuit, quatenus vigore suæ nominationis, provisionis, & acceptationis eum in possessionem realem induceret; prout etiam suam operam in eradenda possessione præstitit, templum aperiendo, ac ornamenta, quibus actus possessorius commodius explicari posset, subministrando: sic ut, cùm insinuatio ad certiorationem pertineat, *Alber. in diction. suo in V Insinuare*, neque insinuationi certa forma præscripta sit, neque etiam decretum annullativum in casum omissæ insinuationis adiectum in dicta Bulla; abundè insinuatum dici debeat, quod sic insinuatum est, ut de re gesta certus redditus sit is, cui fieri debebat insinuatio, *c. Eum qui certus De reg. iuris lib. 6. l. 1. in fine. De actio. empti, Capel. Tholos. decis.* 407. cùm etiam eo casu, quo scilicet requisitus est Collator, nullâ insinuatione opus sit; alterutro enim satisfacit nominatus, ut ex tenore Bullæ Leoninæ constat.

Cùm itaque defectum insinuationis tantùm objiciat Opponens, & ex dicta Bulla alia non requiratur quàm acceptationis factæ, non etiam jurium seu instrumentorum, vel aliorum inde secutorum; dici nequit M. Lambertus in defectu aliquo fuisse, qui insinuationi hujusmodi satisfecit; & sic nihil est, quod effectum nominationis in obtinenda & retinenda dicta Capellania impedire queat. Cæterùm quia dictus Advocatus non objicit simpliciter defectum insinuationis, sed quòd M. Lambertus non insinuaverit jura sua, videndum, an ea objectio latentem aliquam energiam habeat. Et sanè cum ea non possint referri ad insinuationem Nominationis faciendam Collatori ante acceptationem, ob id, quòd bulla Leonina (ut diximus) eam necessitatem apertè submoverit, *in claus. Et quod ipse nominatus per dictam Facultatem nominationem suam non teneatur insinuare*, facto discrimine inter has nominationes, & cæteras gratias exspectativas, quas ante acceptationem insinuari necessum est, neque etiam ad insinuationem factæ acceptationis, tum quòd, ut diximus, ea in parte M. Lambertus nihil prætermiserit, tum quòd de ea insinuatione loqui non videatur dictus Advocatus, dum proponit de insinuatione jurium & omnium inde secutorum: non video quò referentur nisi ad publicationem nominationis, provisionis, & acceptationis, quæ longè distat à simplici insinuatione; † cùm hujusmodi publicatio ex Panormitani, *consil. 99. Illud in præsentiarum parte* 1. Dominici Gemin. *consil. 75. In causa M. Ioannis*, & Ludovici Romani *consil. 477. Quoad primam*, sententia solemnitatem requirat, fercque fieri & absolvi non possit, nisi inter sacrorum seu Missarum solemnia. Sed cùm de hac publicatione facienda non loquatur bulla Leonina, & hujusmodi publicationis forma neque juri communi, neque per Regulas Cancellariæ præscribatur, non est quod inde submoveri possit M. Lambertus. † Nam quamvis talis regulæ Eugenij Papæ Quarti meminerit Panormitanus, *d. consil. 99* & secundùm eam tam exactam publicationis formam exigat in specie ibi per eum proposita: non potest tamen nunc illa censeri alicujus momenti vel necessariò observanda post mortem ejusdem Eugenij, quia Regularum, quæ à singulis Pontificibus edantur, perpetuus non est usus, sed durant dumtaxat quoad vivit is, qui illas edidit, illoque mortuo cessat earum usus. Vnde videmus, quòd in procœmio omnium pæne Regularum Cancellariæ Apostolicæ, quæ per singulos Pontifices successivè editæ sunt, passim inseratur hæc aut similis in effectu clausula, *etiam quas ex tunc suo tempore*

quas etiam ex tunc suo tempore duraturas voluit observari. Sic ut, quamvis aliarum constitutionum Apostolicarum quibus hujusmodi clausula non adijcitur, perpetuus sit: usus; harum tamen Regularum temporaneus tantùm sit, ut eleganter respondit Dom. Geminianus, *consil.* 93. *Videtur primò nu.* 4. *Lud. Gomes. ad proœm. Regul. Cancel. quæst.* 2. *nu.* 2. *&* 12. Et sic, cùm generali aliqua constitutione, quæ vim sanctionis perpetuæ habeat, de hac formali publicatione cautũ non sit, & modernus Pontifex Paulus quartus, Iulius item secundus & Paulus tertius, itemque alij plurimi Pontifices eam Regulam omiserint, propositâ tantùm Regulâ de publicatione facienda in beneficijs resignatis, qui non est casus noster, & in alia ratione fundatur, *Lud. Gomes. & Petr. Rebuff. ad eandem regul. De publican. resignat.* † denique cùm per Opponentem Regula aliqua talis nec allegetur nec probetur, uti oporteret, si eâ se juvare vellet, *Felin. in c.* 1. *nu.* 12. *sub fin. De sent. & reiud.* de scrupulositate formalis hujusmodi publicationis disputandum hîc latius non est.

Sed etsi vel à jure communi vel simili regula constitutum esset, parem publicationem requiri in gratijs exspectativis, ut in beneficijs resignatis; nihilo magis periclitaretur causa dicti M. Lamberti: * nam in isto puncto communiter recepta est hæc distinctio, ut quamvis solemnior illa publicatio requiratur in dignitatibus habentibus jurisdictionem spiritualem vel temporalem, item in parochialibus Ecclesijs, quæ administrationem, & populum habent; quia scilicet interest omnium, qui de illa jurisdictione vel populo sunt, scire quem habeant Prælatum aut Rectorem; in simplicibus tamen beneficijs nullam curam vel jurisdictionem habentibus (qualis est hæc Cappellania) sufficiat nominationem seu gratiam publicari coram honestis personis & Notario; ut in hoc casu per M. Lambertum inter cætera factum est. Quam distinctionem pro dissidentium conciliatione eleganter tradidit Ludovicus Gomesius, *ad Reg. de public. resig. quæst.* 9. *nu.* 7. *&* 8 Quæ tanto magis hic recipienda, quòd coram ipso Ordinario Collatore hæc omnia fuerint per M. Lambertum facta, cujus Collatoris intuitu & favore ne per ignorantiam fraudetur, regula dici potest potissimùm prodita: quemadmodum in alia de publicatione facienda de beneficijs resignatis traditum est, *Gomes. ad princ. d. reg. & ibid. etiam Pet. Rebuffus.* Adde quod cùm post illam possessionis corporalis & realis acquisitionem præfatus M. Lambertus pro juris sui, quod sic obtinuerat, continuatione, & prosecutione, statim sine longiore, mora septima Octobris eodem anno citari procurauerit Opponentem, eo quòd falso titulo ordinariæ collationis ipsum impediebat, cur minus juris sui sic acquisiti plenum usum haberet, videri possit abundè satisfeciisse Regulæ de publicanda gratia, si quæ extaret; hoc enim discrimen constituunt plerique, *ad reg. De public. resig.* inter momentaneam possessionem, cujus scilicet acquisitionem nihil amplius sequutum est, & in cujus consequentiam realiter & palam nihil amplius actum, ut illa scilicet non sufficiat nisi sic solemniter publicata; & inter non momentaneam, in cujus scilicet consequentiam publicè & palàm multa sint insecuta, per quæ in publicam notitiam abierit novi possessoris adventus & possessio; ut scilicet hæc publicationi formali æquipolleat. Quæ distinctio comprobatur ex his, quæ Ludovicus Gomes. in dictæ Regulæ explicatione latius examinat, *De public. facien. quæst.* 11. Proinde nihil video, quod ex obscuris illis Advocati verbis, aut defectu alicuius publicationis præfato M. Lamberto, seu bono illius juri obstare possit.

De Præbendis.

SVMMARIVM

Possessorium ex concursu Pontificiæ & Turnariæ provisionis.

1. 17. *Papa est omnium beneficiorum Dominus.*
2. *Placiti Principis literæ sequentes in beneficialibus purgant acceptationem præcedentem sine illa factam.*
3. *Demonstratio falsa non vitiat etiam in beneficijs.*
4. 8. *Diœcesis falsa expressio quando noceat in literis Apostolicis.*
5. *Narratio falsa quando non noceat.*
6. *Vtile per inutile non vitiatur in re reiterabili.*
7. *Modus non facit actum conditionalem.*
9. *Civitatis appellatio prodiœcesi est.*
10. *Taxa beneficij falsa an gratiam vitiet.*
11. 18. *Possessio beneficij sine titulo non acquititur.*
12. *Devolutio collationis non fit nisi ad superiorem.*
13. *Collatio beneficiorum vacante Prælatura non pertinet ad Capitulum.*
14. *Collator inferior à Papa non potest alternativè exprimere plures vacandi modos.*
15. *Devolutio quando fiat ad illum, qui habet instituere.*
16. *Devolutio quando & quare fiat ab Episcopo ad suum Capitulum.*

CONSILIVM CCXLVI.

IN causa possessoria seu manutenentiæ, quæ in Amplissimo Concilio Brabantiæ instituta est ex parte Eximij viri ac Domini Engelberti Boonen sacræ Theologiæ Doctoris Impetrantis, contra Dominum Henricum Gallinaceum, de & super Canonicatu S. Servatij Trajectensis per obitum quondam Domini Arnoldi Lotij vacante, longè apparentius evidentiusque jus ad stabiliendam retinendamque eorumdem Canonicatus & præbendæ possessionem habet præfatus Impetrans; quem ob id etiam per amplissimi Concilij sententiam in hujusmodi possessione adversus dictum Dominum Henricum Opponentem retinendum manutenendumque esse arbitramur: etenim in Ecclesiastici beneficij possessoria causa ei, & in adipiscendo adjudicanda, & in retinendo confirmanda est possessio, qui apparentiora jura habet, *Doct. in l. ult. C. De edicto D. Hadr. tollen.* Et quamvis initium hujus demonstrationis sieri posset à deductione notorij defectus juris in præfato D. Henrico; quia possessio in beneficijs Ecclesiasticis mixtę naturæ est, sic quòd absque titulo induci

aut

aut concludi non possit, *Rota decis. 4. aliàs est 1. De restitut. spoliator. in novis*; tamen quo clarior expeditiorque sit causæ decisio pro præfato D. Impetrante, tractatione conversa, jus & titulum, quo idem Impetrans hujus Canonicatus & præbendæ possessionem per legitimam & consuetam installationem adeptus est, *Innoc. in c. In literis nu. 7. De restit. spoliat. Ioan. Bapt. Ferret. cons 4. Tangendo nu. 10.* ob oculos ponemus & stabiliemus.

1 Et quidem cùm Impetrans nitatur provisione Apostolica, de qua constat per exhibitum Bullam & processum desuper fulminatum: nihil ambigendum est de providentis & conferentis potestate; cùm omnis Pontificia provisio seu collatio fundatam habeat intentionem; quòd Pontifex omnium beneficiorum Ecclesiasticorum indubitatus sit dominus & dispensator, & ad eum illorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine pertineat, *clem. 1. in fine Vt lite pend. c. 2. De præben. lib 6.* Vt proinde illud tantùm hac in re despiciendum sit, num exiterit conditio, sub qua velut sub exceptione facta est hæc provisio his verbis, *Dummodo data præsentium non sit in eis alicui specialiter ius quæsitum*. de quo postea dicetur in demonstratione, quòd præfato Opponenti in seu ad hos Canonicatum & præbendam nullum umquam jus competierit. Vt nec dubitandum est de facultate seu potestate utendi hujusmodi Apostolica Bulla, propter literas Placiti suæ Regiæ Majestatis dicto Impetranti concessas: ante quas licet procurator Impetrantis in ipsius absentia nimis festinando vigore ejusdem Bullæ, dictorum Canonicatus & præbendæ possessionem semel acceptaverit per ignorantiam, quòd hujusmodi Placitum requireretur, non potest tamen dici Impetrantis possessio inde aliquod vitium contraxisse, propter subsequentem earundem literarum Placiti impetrationem, & repetitam possessionis acceptationem; expurgato eo vitio, quod ob omissam impetrationem Placiti videri fortè potuit contractum per præcisam restitutionem in integrum adversus hujusmodi amissionem & præcipitantiorem dicti procuratoris acceptationem: nam de facultate ac potestate hujusmodi restitutionis dubitare non oportet, *l. Disputare C. De crim. sacril. Philip. Decius cons. 602. & cons. 603.* * Cum
2 alioqui quoad Principem auctorem dictæ constitutionis prohibentis usum bullarum Apostolicarum continentium provisionem de beneficijs Ecclesiasticis, nihil interfit Placitum præcedat, an sequatur usum Bullarum, præsertim quando etiam de priore usu in impetrando Placitum facta est mentio. Continet enim hic subsequens consensus sic sub expressa mentione prioris usus impetratus expurgationem omissionis seu contraventionis; non aliter quàm ad sustinendum testamentum de novo feudo conditum, sufficit subsequens domini consensus: quia de domini, non alterius interesse agitur, *Andr. De Isernia in c. 1. De alien. Feudi pat. Franc. Curtius in tract. De feud. parte 4. nu. 127. Paulus Paris. cons. 2. Decisum & discretum nu. 9. vol. 1. Ant. Capycius. decis. 115.* De quo in proposito non potest esse dubium; ob id, quod omissio Placiti ad usum gratiæ Apostolicæ nihil juris alij tribuere possit; sed tantùm nocere hic utenti, & offerdere Principem, seu jus acquirere ejus fisco, de cujus jure tertius excipere non potest, *l. His consequenter, & ibi Bar. D. Fam. ercis. Ita* quòd & hic ea in parte nullus sit defectus, qui impedimentum facere potuerit, quò minus ut per Bullam & provisionem Pontificiam Impetranti jus plenum acquisitum fuit in hoc Canonicatu; ità quoque illius possessionem petere & obtinere potuerit, & sic sibi confirmare & stabilire plenissimum jus in hoc beneficio, concurrentibus ijs qualitatibus, quæ ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium eum idoneum faciunt; clericaturâ scilicet seu primâ tonsura, ætate sufficiente, atque idoneitate requisita, de quibus per exhibita instrumenta constat, ac partim tenor ipsius bullæ demonstrat. Atque ita manifestum est quod in hoc quem Impetrans prætendit titulo, nihil omninò desideretur: ideoque non tantùm coloratum (qui in possessoriis causis beneficiorum Ecclesiasticorum sufficere debet, *Rota decis. 439. aliàs 21. si agenti De restit spol. in novis, Phil. Franc. in c. fin. De restit spol. lib. 6. Rebuff. ad const. Reg. tit. De caus. benef. possess. art. 1. gloss. 1. nu. 4.* auctoritate scilicet superioris, hoc est, Pontificis, quem diximus omnium Ecclesiasticorum beneficiorum dispositionem habere, acquisitum) sed etiam plenum & justum habeat titulum, qui non tantùm ad possessionem retinendam, verùm etiam ad plenissimam in petitorio securitatem obtinendam ei sufficere potest.

Interim ut nihil ferè est, quod non distortâ impetratione aut depravato intellectu possit convelli & in disceptationem trahi, objiciuntur quædam adversus hunc dicti Impetrantis titulum, & acquisitam ex illo possessionem, per quæ Opponens existimat utrumque posse enervari seu subverti. Et primum quidem illud, quòd in Bulla Impetrantis narratum sit, quod Ecclesia S. Servatij Traiectensis sit Ruremondensis diœcesis; cùm in rei veritate sit Leodiensis diœcesis, quasi scilicet hæc falsa expressio titulum & jus, nedum possessionem Impetrantis illiciat & inutilem reddat in hoc beneficio. † Cæterùm juris ratio subvertit hanc objectionem: 3
nam & in literis gratiæ Papalibus servatur juris regula, *l. Falsa demonstratio De cond. & demonst. l. Quintus §. si vero De aur. & arg. leg.* quòd falsa seu erronea demonstratio, si constet de corpore, hoc est de ipso beneficio, non vitiet, neque noceat; ita ut sufficiat constare, de quo beneficio Papa senserit, vel quod in expressa diœcesi tale, quale in literis exprimitur, nullum sit: ut in hoc juris articulo eleganter docuit Felinus, *in c. Significante De rescript.* & eum secutus Petrus Rebuffus, *in praxi benef. lib. 1. tit. forma Signaturæ ad verb. eiusdem diœcesi.* Iam verò tam individualis facta est beneficij, de quo hic agitur, in dictis Bullis Papalibus demonstratio, ut de illius corpore dubitari non possit; tum propter expressionem Ecclesiæ, in qua illud est, Sancti scilicet Seruatij Traiectensis, quæ nulla est in diœcesi Ruremundensi; tum propter specificationem novissimi illius possessoris, per cujus mortem hoc beneficium vacavit, videlicet Arnoldi

Lotij, quem etiam ex propria partis Opponentis confessione constat fuisse Canonicum præbendatũ in dicta Ecclesia S. Servatij Traiectensis, nec è contrà apparet, quod idem Arnoldus id habuerit
4 vel obtinuerit in diœcesi Ruremundẽsi † Sic quod per errorem adiecta mentio falsæ diœcesis, meritò nocere non debeat: potissimùm quia hoc quoque per errorem non sit in Bulla abiectum, quòd Impetrans etiam sit clericus diœcesis Ruremundensis: nam eo casu expressio falsæ diœcesis ex persona Impetrantis, facilius vitiaret; ideo quod hujusmodi expressio soleat movere Pontificem ad facilius concedendum; & unicuique in propria potius quàm aliena diœcesi de beneficio providendum. Quod dici non potest eâ expressione non factâ, *Lud. Rom. cons.* 327. *Istæ sunt rationes in fin.* quia respectu illius non
5 censetur Pontifex providere; † & regulariter falsitas, quæ non movet Papam aut Principem ad concedendum, non vitiat gratiam, *Rota decis.* 350. *alias* 70. *De rescr. in antiquis Ægidius Bellame decis.* 4. *Cassad. decis.* 11. *n.* 15. *de præben.* nec illa, quæ dolosa non est & sine malitia fit, *Innoc. in cap. Cum nostris nu.* 3. *De conces. præb. Cassad. decis.* 10. *de præben. nu.* 2. sed per errorem, qui dolo caret, *l. si per actorem* De *iurisd. om. iudic.* Quem errorem quoque satis contitetur, & ejus de hac re confessio per Impetrantem acceptata est.

Proinde nihil Impetranti obstare potest, quod Opponens huic objectioni adjicit, quòd Impetrantis admissio ad possessionem hujus beneficij habeat hanc conditionem, quòd Impetrans intra sex menses docere debeat de sua clericatura, & curare, ut error in expressione diœcesis Ruremundensis emendaretur. Nam in instrumento acquisitæ & apprehensæ possessionis, quod Impetrans exhibuit, nulla conspicitur hujusmodi conditio vel modus; ut etiam Opponens ex eodem instrumento id non objecit, sed ex præcedente illa præcipitantiùs per procuratorem, nondum impetratis literis Placiti, facta possessionis acceptatione, quam Impetrans non approbavit, nec ratam habuit; nec ex eo possessionis acquisitionem seu exercitium prætexit, * ita ut illius in propo-
6 sito nulla haberi debeat ratio: nam utile per inutile vitiari non debet in re præsertim reiterabili, ut est possessionis acquisitio, *l.* 1. §. *sed si mihi & ibi* Doct. *De verb. oblig.* Cùm alioqui si id quoque insertum esset posteriori acceptationi & admissioni, non faceret conditionalem huiusmodi admissionem, sed modalem tantùm, quasi sub modo illo facta admissione; † qui
7 modus adjectus regulariter non vitiat actum, si modus non sequatur aut impleatur, *l.* 1 *&* 2. C. De *his quæ sub modo legat.* Vnde est quod si in dispensatione adjiciatur, dummodò hoc vel illud intra annum vel biennium fiat, non erit dispensatio conditionalis, sed modus tantùm illius. *glos. & Doct. in c. Non potest* De *præben lib.* 6. & quod proximè huc pertinet tradit Baldus, *in c. Dudum* 2. *nu.* 27. *De elect. per l. Quero inter locatorem* D Locati *& l. Qui sub prætextu* C. De *sacros. Eccles.* quod si quis in civem fuerit receptus, dummodò solvat collectas, si non solvat nihilominus erit civis, quamvis cogi possit, ut solvat, vel privari commodis civitatis quousque solvendo moram purgaverit. Atque ita in proposito, si Impetrans sic admissus ad possessionem sub modo exhibendi literas clericaturæ, & corrigendi errorem in diœcesi commissum intra semestre, non vitiaretur aut retrò annullaretur acquisita possessio; sed hoc tantùm operaretur, quòd Domini de Capitulo dictæ Ecclesiæ ei denegare possent commoda possessionis, & illa in suspenso retinere, donec utrumque illud fecerit. Ita ut ex hac allegatione Opponentis nihil commodi aut utilitatis adjici possit; satisque sit, vel nunc constare de dicta Impetrantis clericatura diu ante hanc provisionem Apostolicam obtenta; & quòd per juris deductionem constet hujusmodi prætactum errorem in expressione falsæ diœcesis beneficij controversi non nocere; neque speciali aliqua emandatione indigere.

Nec obstat, quod Opponens objicit in bulla Impetrantis exprimi quoque falsam ipsius Impetrantis diœcesin; quasi fuerit clericus Mechlinienſis diœcesis, cum ex literis tonsuræ per eum exhibitis constet eum esse diœcesis Cameracensis † Falsam autem sive errore sive dolo ex- 8
pressionem in propria diœcesi beneficium impetrantis faciliùs nocere & vitiare gratiam, *c.* 2. 70. *distinct. Felin. in d. c. Significante nu.* 2. Nam in dicta Bulla non est expressum, Impetrantem esse Mechlinienſis diœcesis, sed tantùm ex civitate Mechlinienſi oriundum; quo non id continetur, quòd sit Mechlinienſis diœcesis; ut etiam civitatis appellatione diœcesis regulariter non continetur, *Felin. & alij in c. Rodolphus De rescrip. Card. Zabarella in Clem.* 2. §. *sanè De elect.* sed quòd ex illa originem & genus ducat, *c.* 1. *De usur. lib.* 6. ex qua parte Opponens non arguit dictam Bullam subreptionis & obreptionis: sic quòd ex mentione civitatis Mechlinienſis nulla subreptio aut obreptio constitui possit. † Idque 9
multò minùs Opponentis interpretationem sequendo, qui pro civitate Mechlinienſi intelligit diœcesin Mechlinienſem, ut aliquo casu civitatis appellatione diœcesis etiam contineri potest, *Felin. in d. c. Rodulphus*: nam ea interpretatione constitutâ, verum erit, Impetrantem esse de diœcesi Mechlinienſi, etiamsi à Cameracensi Archiepiscopo seu ejus Suffraganeo clericus creatus sit; ob id, quòd ex Cameracensis diœcesis parte erecta sit diœcesis Mechlinienſis, in qua parte Impetrans domicilio retinetur seu residet. Ita ut non malè dicatur clericus Mechlinienſis, qui dismembratâ parte diœcesis Cameracensis (cujus respectu creatus fuit clericus Cameracensis) quæ nunc Mechlinensis diœcesis effecta est, domicilium & residentiam habet: ut surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur, *l.* 1. §. *hæc autem actio & ibi Bart.* D. *Si quis testam. liber esse iuss. fuer.* & gaudeat privilegijs & prærogativis illius, *c. Vnicuique l. In sacris* 3. *De proxim. sacror. scrin. lib.* 1.

Objicit deinde Opponens adversus Impetrantis 10
provisionem, quòd sit facta sub falsa narratione minoris taxæ valoris hujus controversi beneficij quàm id verè est; hoc est sub taxa viginti quatuor ducatorum, dicens præbendas dictæ Ecclesiæ im-

fæ impetrari solitas sub taxa sexaginta ducatorũ; & quòd ex narratione seu expressione falsæ taxæ gratia Apostolica vitietur, *Clem. 1. & ibi glos. de præb. Doct. in c. Ad aures De rescrip.* quasi taxa sit pars gratiæ, *c. Cui de non sacerdotali c. Quamvis De præb. lib. 6.* Sed nec ea ex parte periclitatur possessio dicti Impetrantis, quamdiu Opponens, qui de maiore taxa vel valore sexaginta ducatorum objecit, non probat tantum excessum; cùm ejus sit probare excessum, qui illum objecit, *l. Cum De lege D. De probat.* Cùm alioqui hic articulus causam petitorij magis respiciat, & altiorem latioremque indaginem & investigationem requirat; cujus generis quæstiones in possessorijs judicijs præsertim beneficiorum Ecclesiasticorum ad petitorium rejici debent, *l. 3. §. ibidem D. Ad exhiben Bart. & alij in l. fin. C. Qui legit. pers. standi in ind. hab. l. Momentaneæ C. Unde vi*; & præterea ex longo usu in Amplissimo Concilio notorium sit (quod per Impetrantem allegatum esse sufficit, etiamsi aliter probatum non sit, *l. Si verò §. 1 Qui satisd. cogant.*) quòd taxa seu valor præbendarum Ecclesiæ S. Servatij Trajectensis viginti quatuor ducatis sit minor, potissimâ fructuum parte consistente in distributionibus quotidianis, ex quibus taxa seu valor beneficij non constituitur, *Oldrad. cons. 118. Ex virtute, c. Licet De præb. c. 1. De cler. non resid. Didac. Covarr. Variar. resol. lib. 3. cap. 13.* Unde in hoc Concilio tã frequenter judicatũ est pro possessione eorum, qui ex Nominatione tum Universitatis Lovaniensis tum Facultatis Artium in eadem Universitate dictæ Ecclesiæ Canonicatus & præbendas obtinuerunt (cùm Nominationis dictæ Universitatis taxa sit dumtaxat triginta aureorum Germanicorum, qui sunt infra viginti quatuor ducatos) ut in causa D. Pauli Spinæ, qui nunc ejusdem Ecclesiæ Decanus est; in causis D. Simonis Plugers, D. Ioannis Laet, D. Engelberti Wamesij, D. Lamberti Plasjoul, atque adeo etiam in causa suprædicti D. Arnoldi Lotij, ex cujus morte utraque pars in hac causa jus suum meritur. Quæ exempla etsi in actis causæ non sint allegata, credimus tamen adhuc hærere in recenti Amplissimorum Dominorum Consiliariorum memoria; sic quod ex parte falsæ taxæ hic nullum Impetranti possit immineré periculum.

His objectionibus addit Opponens, quod in adipiscendo, & titulo & possessione hujus beneficij sit prior; quia titulum & possessionem hujus beneficij adeptus sit prima mensis Julij anno 1574. cùm provisio Impetrantis Idibus Augusti, & possessionis acquisitio die undecima Novembris eodem anno 1574. ideoque jure potior censeri debeat, *c. Duobus De rescript. lib. 6. l. 4. C. Qui pot. in pig. hab.* * Sed hæc objectio nullius est momenti: cùm enim, ut diximus, in beneficialibus possessio acquiri, confirmari, & stabiliri debeat ex ipso titulo, & sine illo non acquiratur, *c. In litera De restit. spoliat. c. 1. De eo qui mittit. in poss. c. 1. De reg. jur. lib. 6.* (aliter quàm in rebus profanis, quarum possessio sine titulo præcedente acquiri potest, *l. 3. §. ex contrario De acq. poss.*) nullus autem sit dicti Opponentis, quem præcexit, titulus, ut jam mox dicemus; consequens est, ex prioritate sic acquisiti tituli, & inde apprehensæ possessionis jus aliquod potius constitui non posse: cùm non possit comparatio aliqua esse ejus, quod non est, ad id, quod verè est, *l. penult. De tut. & ration. distrah. l. Qui duos De rebus dub.*

Quamobrem nec illud momenti aliquid habet, quod Opponens insuper objecit, Impetrantis provisionem continere aliam obreptionem per falsam suggestionem; quod tempore datæ hujusmodi provisionis alicui de his Canonicatu & præbenda ordinaria auctoritate provisum minimè extiterit; & præterea hanc formalem conditionem, *si in eis alicui specialiter ius non sit quæsitum.* Nam cùm Opponens falsitatem hujusmodi suggestionis, & defectum prætactæ conditionis constituat dumtaxat in suo asserto titulo & jure, quod ex collatione Turnarij dicti Capituli obtinuit; id autem, ut diximus, & iam nunc deducemus, nullum sit: manet dictæ suggestionis veritas, & prætactæ conditionis existentia, ac elucescit tituli, quo Impetrans nititur, omnimoda puritas & perfectio; cui accommodata possessionis acquisitio efficit, ut in hac possessoria causa nihil Impetranti ex sua parte ad obtinendam sententiam adiudicatoriam desit. Reliquum igitur est, ut demonstretur nec ordinarium Collatorem dictorum Canonicatus & præbendæ illos contulisse, nec ordinaria auctoritate alicui de illis provisum extitisse, nec tempore dictæ provisionis Papalis alicui in ijs specialiter jus quæsitum fuisse; cujus demonstratio difficultatem non habet. Nam ex propria Opponentis allegatione constat ordinarium horum Canonicatus & præbendæ Collatorem esse Reverendum dominum Præpositum dictæ Ecclesiæ S. Servatij Trajectensis: at verò de aliqua illius de his Canonicatu & præbenda collatione aut provisione nihil pro parte Opponentis proponitur, nec aliàs probatur; unde manifestum est auctoritate ordinariâ nulli provisum nec alicui inde jus quæsitum esse * Quinimo stabilitur inde dicta Impetrantis provisio Papalis, quatenus fundata est in negligentia dicti D. Præpositi; quod is intra sex menses à die vacationis de his Canonicatu & præbenda non disposuerit, nec alicui de illis providerit: ex hujusmodi enim negligentia devoluta est ad sedem Apostolicam conferendi dictorum Canonicatus & præbendæ potestas, *c. 1. De jure patron. c. Nulli c. Quia diversitatem De concess. præb.* ideo quòd idem D. Præpositus alium superiorem non habeat quàm summum Pontificem, propter notoriam illius & totius dicti Capituli exemtionem ab ordinaria jurisdictione; & ab exemptis immediatè ad Sedem Apostolicam fiat devolutio, *c. Licet c. Sicut De supplen. neglig. Prælat. & Clem 1. eod. tit.*

Nec ferendum est, quod Opponens asserit devolutionem ex negligentia D. Præpositi fieri ad Capitulum; ideoque sibi rectè collatum esse hunc Canonicatum à Turnario Canonico ejusdem Capituli: nam devolutio regulariter non fit nisi ab inferiore ad superiorem; non à superiore ad inferiorem aut parem, *c. Postulastis De concess. præb. Lud. Rom. cons. 6. In casu proposita nu. 6.* Cum itaque Præpositura sit prima;

eaque superior dignitas in Ecclesia S. Servatij; non potest ex negligentia Prepositi ad Capitulum, quod Præpositurâ inferius est, fieri devolutio.

Neque ad rem facit, quod Opponens asserit, vacante Præpositurâ potestatem Præpositi devolvi ad Capitulum, & ab annis triginta per Capitulum statutum esse, quod beneficia ad collationem Præposituræ pertinentia, quæ continget vacare vacante Præpositura, conferantur per Canonicum Turnarium: nam imprimis hujusmodi statutum si quod esset nimis foret ambitiosum, & speciem haberet attentati, factum scilicet in præiudicium Præposituræ vacantis; quod de jure non est permissum, *c. 1. Ne sede vacante &c. Gloss. in c. 1. verb. eccles. De reb. eccles. non alien. lib. 6. Henningius Goeden consil. 51. Incipien.* 13 *Casus Ecclesiæ*; cùm * in jure nusquam cautum sit, quòd vacante Prælatura potestas conferendi beneficia devolvatur ad Capitulum; quamvis bene fieri possit, ut Capitulum vice Episcopi interea fungatur quoad necessariam administrationem & custodiam tam in spiritualibus quàm temporalibus, *c. penult. & ult. De supplen. neglig. Prælat. c. Quia sæpè De elect. lib. 6. c. ult. De offic. Iud. ordin. lib. 6. Freder de Senis consil. 17.* quo respectu Capitulum interea non tam est Prælatus, quàm Prælaturæ tantùm vices sustinet, & sic non suum, sed Prælaturæ officium gerere censetur, ideoque omnes occurentes vacationes futuro Prælato conservare debet, sicuti & cæteros fructus universos, qui vacante Prælaturâ non cedunt Capitulo, sed successori conservandi sunt quoque collationes beneficiorum interim vacantium, *d. c. Quia sæpè De elect. lib. 6. Clem penult. eod. tit.* Et hoc est quod Honorius tertius Pontifex apertè rescripsit, *in c. Illa Ne sede vacante, gl. & Doct. in c. Sicut nostris De iureiur. Fred. De Senis consil. 264.* nusquam in jure cautum inveniri, quòd Capitulum vacante sede fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum: nec in illo eodem casu dici potest potestas conferendi præbendas ad Capitulum per superioris negligentiam devoluta; cùm non fuerit ibi superior, qui eas potuisset de jure vel de facto conferre. Adhæc quamvis Capitulum vacante prælatura debeat ijs conferre beneficia, quibus vel ex mandato Apostolico, vel ex alia causa ipse Prælatus, si adhuc viveret, teneretur necessariò conferre, *c. Cum vos De offic. ord. Panor. in c. Cum olim De maior & obedient.* inde tamen non sequitur, quòd cessante ea obligatione & necessitate, Capitulum quoque gratiosè alia cuique conferre possit. Nam hujusmodi necessaria collatio prodest futuro successori, qui sic ab ea obligatione & necessitate quodammodò liberatur, *c. Eam te De rescript. Panor. & alij in d. cap. Illa, Rebuffus in tract. nominat. quæst. 8. nu. 11. & latiùs in praxi benef. lib. 1. tit. De devolut. nu. 58. cum seq. usque* 86. Ita ut hujusmodi allegatum statutum per se omninò sit nullum. Quod si de jure sustineri posset, nihilo magis Opponenti in hac causa prodesset; in qua non agitur de devolutione ex vacatione Præposituræ, sed devolutione ex negligentia Præpositi; ubi dictum statutum specialiter & restrictè loquitur dumtaxat de causa vacationis Præpositurę; sic quod Opponens in allegatione hujusmodi statuti non satis bona fide allegat statutum loqui tam de negligentia Præpositi, quam de vacatione Præpositurę; ad quam negligentiam non potest fieri extensio ex statuto, quod de sola vacatione loquitur: quia statuta, præsertim quatenus à jure exorbitant, strictam dumtaxat, & ad corticem verborum restrictam interpretationem recipiunt, nec extensionem ad similes casus admittunt, *Bald. in l. 3. C. De legib. l. De quibus 2. eod. Bart. in l. Omnes populi in 6. quæst. Desuper. & iure.*

Facit ad confirmationem, quòd omnia ferè exempla collationum à Capitulo vigore hujusmodi asserti statuti factarum, loquantur peculiariter vel de beneficijs collatis tempore vacantis Præpositurę, ob Præpositi carentiam, factâ expressâ mentione hujusmodi vacationis & carentiæ; vel nullâ Præpositi factâ mentione, ut concludenter inde inferri posset, quod ad collationem Præpositi vacaverint. Neque enim de jure devoluto præcisè loquuntur, sed passim alternativè hoc modo, *Iure devoluto, vel aliàs*: quod licet Opponens interpretetur ob diuturnam vacationem, id tamen nimia incertitudo, quæ in alternativa oratione latet, præcisè non infert, cùm certò non constet, quo modo ad Capitulum spectaverit potestas conferendi: sic quòd asserta ista exempla magis sint pro exemplis vitiosarum, quam utilium collationum.

Equidem licet Pontifici permissum sit hujus- 14
modi incertum modum vacationis exprimere, per hanc clausulam, *sive præmisso, sive alio quovis modo*, Lapus allegat. 89. nu. 2. Marian. Socin. cons. 32. Ex his nu. 12. vol. 1. Rebuff. in praxi benef. tit. De forma signaturæ ad verb. sive præmisso sive alio. Idem tamen non est permissum inferioribus à Papa: ita quòd in ea ambiguitate potiùs præsumendum sit devolutiones istas contigisse ex diuturna vacatione Præpositurę, ex qua Capitulum sibi jus collationis usurpavit, quàm ex aliqua Præpositi negligentia, *c. Susceptum De rescript. lib. 6. Ioan. Crotus cons. 92. incip. Regula Cancellariæ.* Quamobrem cùm ab Opponente nullum proferatur idoneum exemplum, ex quo probari possit Capitulum seu Canonicos dictæ Ecclesiæ, umquam fuisse in usu conferendi beneficia, ad collationem Præpositi spectantia, ob negligentiam ejusdem Præpositi; consequitur, quòd nec occurrente casu negligentiæ dicti Præpositi in vacatione hujus contentiosi beneficij, per Canonicũ Turnarium rectè id usurpari potuerit.

Nec ad stabiliendum hoc jus devolutionis ad 15
Capitulum seu Turnarios Canonicos quicquam facit, quòd Opponens diffidentiâ illius (quia regulariter à Prælato ad Capitulum non fiat ex causa negligentiæ vel vacationis Prælaturæ devolutio) allegat quòd, quamvis Præpositi sit collatio Canonicatuum dictæ Ecclesiæ, ad Capitulum tamen pertineat institutio & admissio ad hujusmodi Canonicatus, quodque ob id jure admissionis inferiori competente, etiam ad hujusmodi inferiorem fiat devolutio à superiore. Nam etsi plerique hoc admittant, *glos. in v. dispositionem in Clem. 1. De suppl. neglig. Prælat. & ibi Phil. franc.* id tamen accipiendum est de vera & Canonica institutione, quæ ad inferioris præsentationes

accom-

accomodatur, & pro confirmatione est, & ex qua jus in beneficio acquiritur, *c. Authoritate De instit. Decius in c. 1. De reg. iur. lib. 6. Ioan Monach. ad c. 1. De inst. lib. 6.* non etiam de illa institutione, quæ tota facti est, quam inductionem in possessionem seu admissionem & installationem vocant; quia hæc tantùm est executio canonicæ institutionis, *Panor. in d. c. Authoritate nu. 4. Ioan. Monach. in d. c. 1. De instit lib. 6.* ideoque corporalis dicitur, *c. Adhæc vers. in quadam De off. Archidiac. Panor. in c. Cum venissent nu. 11. De instit.* Quò respicit, quòd Præpositus Canonicatus dictæ Ecclesiæ conferat & conferendo instituat, seu plenum jus tribuat, non verò præsentet Capitulo.

16 Et quamvis ex negligentia Episcopi ad Capitulum suum Cathedrale possit pertinere jus conferendi & negligentiam supplendi, *c. Post electionem c. Postulastis De conceff. præben.* id tamen singulari ratione fit, ut eleganter tradit Panormitanus *in c. 2. nu. 8. De conceff. præben.* non intuitu superioritatis, sed propter communionem, quæ est inter Episcopum & suum Capitulum. Vnde cùm nulla sit communio saltem non æqualis inter Præpositum & Capitulum; imò Præpositus nullum habeat jus animarum in Decanum & Canonicos, & præpositura ipsa omnimodò sit separata à capitulo; non potest idē constitui in supplenda negligentia Præpositi, quod speciali jure receptum est in supplenda negligentia Episcopi. Atque ita satis convincitur ex negligentia Præpositi jus conferendi non fuisse devolutum ad Capitulum seu ipsius Turnarium.

Quod ipsum dicendum quoque est, quoad aliud genus devolutionis, quod Opponens præterxit ex Concordatis Nationis Germanicę, perquę dicit ordinarijs Collatoribus permitti provisionē beneficiorum ad collationē Pontificiam pertinentium, si intra tres menses à die vacationis de Pontificia collatione in partibus non constiterit: nam præterquam quòd Concordata illa restricta sint intra fines Germanici Imperij, cui Ducatus Brabantiæ putatur non subesse; illud genus devolutionis accipiendum esset dumtaxat de beneficijs, quæ rectà viâ Pontifici vacaverunt in mensibus sibi reservatis; non etiam de vacantibus in mensibus Ordinariorum, & quorum collatio ad Papam non pertinet, nisi ex negligentia per lapsum dimidij anni: frustrà enim quæritur de negligentia Papæ, quamdiu ad illum non pertinet beneficij collatio. Igitur suo casu & in proprijs terminis accipienda sunt hujusmodi Concordata: ut etiam accipitur Clementis & Bonifacij Octavi constitutio, *c. Licet c. Statutum De præben. lib. 6.* de facultate conferendi beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia Ordinarijs Collatoribus permissa, si Pontifex intra mensem de illis non providerit.

17 Quinimò præsuppositio etiam jure devolutionis ad dictum Capitulum ex negligentia Præpositi, potior nihilominus adhuc erit causa dicti Impetrantis, vel hoc respectu, quòd provisio Impetrantis præcisè non fundetur in devolutione ex Concilio Lateranensi, propter negligentiam Ordinarij non conferentis *c. 2. De conceff. præben.* sed in eo, quòd tunc alicui de his Canonicatu & præbenda, auctoritate ordinaria provisum minimè extiterit: ita ut Pontifex magis censeatur contulisse jure præventionis, quàm devolutionis; quia cum omni Ordinario concurrit, quamdiu Ordinarius jure suo usus non est, *c. Dudum De præben. lib. 6. d. cap. Quia diversitatem, Rebuff. d. tit. de devolut. nu. 46. cum seq.* Cùm igitur ex his evidenter constet, quòd Capitulum seu Capituli ordinarius jure devoluto ex negligentia Præpositi non potuerit conferre; consequitur collationem Turnarij, quam Opponens prætexit, omnimodò esse nullam, ex defectu auctoritatis & potestatis; cùm maior nullitas non sit quàm quæ ex defectu potestatis cau- 18
satur: † ita quod ex hujusmodi nulla collatione neque titulus neque colorata possessio constitui nec prætexi possit, *Panor. in c. Cum nostris nu. 23. De conceff. præben.* nec inde aliquod judicium possessorium causari, *Guid. Papæ decis. 71. & 85. Doct. in c. Ex literis De restit. spoliat. Lud. Rom. cons. 483. Dubitatur primò, Steph. Bertran. cons. 173. Ex processu nu. 9. vol. 8.* imò etiam non citatus, nec auditus possessione turbari possit, qui talem incolorantiam prætexit, *Rota decis. 257. alias est 7. Si quis dicat De confess. in novis*; ideoque etiam in his beneficialibus agenti interdicto recuperandæ possessionis rectè objiciatur spoliato notorius defectus tituli, *Innoc. in c. cum Eccles. De caus. poss & propriet.*

Proinde sic stabilitis & confirmatis titulo, jure, ac possessione Impetrantis, & ex adverso expugnatis & enervatis omnibus, quæ pro parte Opponentis vel allegantur vel objiciuntur; existimamus in hac possessoria causa secundùm conclusionem Impetrantis iudicandum esse.

De Præbendis

SVMMARIVM

Possessorium inter duos ex ordinaria provisione concurrentes.

1. *Beneficiorum Ecclesiasticorum possessio sine titulo colorato non acquiritur vel retinetur.*
2. *Possessio præcessoris coniungenda cum possessione successoris.*
3. *Collationis & præsentationis faciendæ tempora ex Concordatis Germanicæ nationis.*
4. 10. 25. *Collatio beneficij differt à præsentatione & admissione ad illud.*
5. *Præsentatio per patronū quomodo idoneè fieri debeat.*
6. *Enuntiativa in antiquis disponunt, & quando pro dispositivis habeantur.*
7. *Disponendi facultas de beneficijs quæ importet.*
8. *Principis quomodo intelligantur esse omnia.*
9. *Papæ potestas absoluta est in beneficialibus.* / *Placitum Principis super executione litterarū Apostolicarum.*
11. Seu *particula quam vim habeat.*
12. *Collatio, præsentatio, institutio in beneficio quomodo inter se differant.*
13. *Beneficium Ecclesiasticum sine clericatura haberi nequit.*
14. 16. *Clericatura quomodo probetur.*
15. *Clericatura non est ordo, sed qualitas habilitans ad ordines.*
17. 19. *Clericatura quasi possessio quantum prosit.*

18. *Testis conditio tempore testificationis inspicienda.*
20. *Reservatio Pontificia ligat manus Ordinarij.*
21. *Reservatio Papalis cum clausula decreti irritantis inficit petitorium & possessorium.*
22. *Resignatio coram Notario facta an inducat beneficij vacationem.*
23. *Devolutio fit ab inferiore ad superiorem.*
24. *Devolutio impropria.*
26. *Regula* de publicandis resignationibus *ubi locum habeat.*
27. 30. *Institutio in beneficijs duplex est.*
28. *Inductio in possessionem beneficij quid iuris tribuat.*
29. *Laicus potest etiam inducere in possessionem beneficij Ecclesiastici.*
Etiam per laicum procuratorem potest possessio beneficij acquiri.
Per laicum procuratorem potest fieri beneficij resignatio & permutatio.
31. *Operæ non debentur nisi indictæ.*
32. *Personatus est dignitas.*
33. *Possidere prohibitus interdum propossessore est.*
34. *Traditio rei in præsentia & conspectu facta operatur realem traditionem.*
35. *Possessio iuris in beneficijs Ecclesiasticis.*

CONSILIVM CCXLVII.

IN hac possessoria causa super Canonicatu & præbenda S. Ioannis Euangelistæ in collegiata Ecclesia S. Germani Oppidi Thenensis, inter D. Godefridum Hombeecke Impetrantem, ac D. Ioannem Pamele Opponentem, potiore iure niti videtur dictus Impetrans in contentione, utrius possessio, in qua uterque se respectivè manuteneri petit, justiore seu coloratiore titulo sustineatur. Etsi enim in alijs rebus etiam incorporalibus cùm vel de retinenda vel recuperanda earũ possessione agitur, de titulo possessionis quæri non soleat, *c. 1. & c. In literis De restit. spoliat.* sed de sola ipsa possessione, quæ cũ titulo seu proprietate rei nihil ferè commune habet, *l. Naturaliter §. nihil commune De acq. possess.* in beneficijs tamen Ecclesiasticis possessio sine allegatione & probatione tituli saltem in aspectu colorati, ut non acquiritur, ita nec retinetur vel recuperatur, nec pro ea judicatur, *gloss. & Doct. in Clem. 1. Decaus. possess. & propr. & in d. c. In literis De restit. spoliat.* Rebuff. *tit. De caus. benefic. poss. artic. 1. gl. 1. ad constit. Reg. tomo. 3.*

Ex parte Opponentis adversus Impetrantem id maximè urgetur, quod ut titulus, quo Opponens nititur, ita quoque possessio tempore, ex longiore etiam intervallo ampliùs quàm duorum annorum, sit prior; & ex consequenti, uti putat, potior: ob id, quod Opponentis collatio & subsequens in possessionem introductio sit de data 27. & 28. Novembris 1579. collatio verò Impetrantis proponatur demum de tertiâ Februarij anno 1582.

Speciosa sanè allegatio, sed supra modum captiosa. 2 Neque enim Impetrans jus suum metitur præcisè & restrictè ex sua solius propria collatione, sed etiam ex duorum suorum immediatè præcedentium prædecessorum jure & possessione: quibus comparatus Opponens apertè deprehenditur temporis prioritatem in ejus persona & jure nullam esse; sed ex adverso esse in persona & jure Impetrantis, qui sui tituli & possessionis jus coniungendo cum titulis & possessione suorum prædecessorum (ut hoc jure permittitur, *l. De accessionibus* D. *De diverss. & temp. præscript. l. Possessio testatoris* D. *De usucap.*) tempore Opponentem in effectu antecedit. Vt id autem demonstretur, hoc imprimis manifestum & ex confessione etiam partis Opponentis extra omnem dubitationem est, quod Canonicatus & præbendæ, de quibus in hac lite controversia est, ordinaria collatio, provisio, & omnimoda dispositio (ut Impetrans sustinet) seu (ut Opponens existimat) præsentatio spectet & pertineat ad Decanum & Capitulum S. Ioannis Leodiensis, *vide sup. consil. 30. De supplem. negl. Prælat.* De præsentatione extat geminata Opponentis confessio: de pleniore jure non tantùm præsentationis sed etiam collationis, vacatione occurrente, constat ex instrumento concordiæ olim in anno 1459. inter Decanum & Capit. S. Ioannis (apud quos tunc erat jus alterius personatus in dicta Ecclesia S. Germani) & alterum ejusdem Ecclesiæ investitum initæ, per Sedem Apostolicam approbatæ: per quam concordiam inter alia specificata beneficia, quæ collationi & præsentationi dictorum Dominorum Decani & Capituli S. Ioannis reservantur, nominatim continetur præbenda S. Ioannis Euangelistæ; quæ est hæc eadem, de qua in hac causa quæritur. Vt id etiam Opponens non obscurè confitetur, & literæ prætensæ collationis, in quibus idem Opponens fundamentum juris sui ponit, apertissimè indicant. Deinde hoc quoque in confesso est, quòd quondam D. Hector Lanyns hujus Canonicatus & præbendæ fuerit rector & possessor; quodque is 23. Novembris 1578. mortem obierit, & per illam hic Canonicatus vacaverit: hunc enim specialem vacandi modum etiam continent literæ collationis, cui Opponens innititur.

Quibus sic constitutis dispiciendum est, ad quem dictorum sic vacantium ex præfati D. Hectoris morte Canonicatus & præbendæ collatio seu provisio pertinuerit? Hoc perinde Opponens, ut Impetrans confitentur, & positivè allegant, quòd cùm in mense Apostolico, hoc est Novembri, hæc vacatio contigerit, ex specialî reservatione Pontificia, & Concordatis Nationis Germanicæ ad summum Pontificem pertinuerit, non purè & absolutè, sed conditionaliter, si Pontifex quoque intra tres menses proximos à die notæ vacationis in loco beneficij potestate collationis & provisionis usus fuerit: quasi per hanc reservationem manus ordinarij Collatoris ad finem horum trium mensium dumtaxat ligatæ fuerint, ut ijs durantibus Pontificem prævenire non possit, *c. Licet De præben. lib. 6. Nicol. Everar. Præses cons. 237. Casus, Titius,* sed tunc dumtaxat, cum constiterit, quòd in loco beneficij nemo cum aliqua Pontificia collatione seu provisione intra dictos tres menses apparuit. Ita enim formalibus verbis disponitur in dictis Concordatis; de quorum validitate & effectu licet alias disputari soleat, nulla tamen in proposito potest esse quæstio; ex quo non tantùm Impetrans, qui illorum copiam typis impressam exhibuit,

hibuit, sed etiam Opponens se fundavit in potestate & usu dictorum Concordatorum.

3 Quia igitur Pontifex sua potestate usus non est, intra illos tres menses, nec intra eosdem aliquis in loco hujus beneficij cum aliqua collatione seu provisione Apostolica apparuit, dissolutum fuit vinculum, quo constringebantur manus Ordinarij collatoris durante illo trimestri, & Ordinario aperta via utendi suâ ordinariâ collatione, *arg. c. Statutum De præben. lib. 6.* Ordinarius autem nullus alius est secundùm prædicta, quam dicti Decanus & Capitulum S. Ioannis Leodiensis; cui ad faciendum hanc collationem à die, non vacationis hujus beneficij, sed cessantis impedimenti, quod ordinariæ potestati iniectum erat per reservationem dictorum Concordatorum, hoc est, à fine trimestris, qui erat 29. Februarij anno 1579. cœpit decurrere tempus sex mensium, qui ex juris communis dispositione præscripti sunt omnibus, qui ordinariam habent potestatem conferendi beneficia vel præsentandi ad illa, *cap. 2. De conceff. præben. c. 1. §. fin. De iure patron. lib. 6.* ut id Opponens aperte quoque & ingenuè fatetur. Intra quos sex menses nondum lapso quadrimestri 21. Iunij anno 1579. per dictos Decanum & Capitulum S. Ioannis Antonio de Houthem ritè & legitimè facta est hujus beneficij collatio; ut per exhibitas hujusmodi collationis literas evidenter constat. Ita ut de bono jure & titulo dicti Antoni van Houthem, ex cujus persona Impetrans deductionem sui juris facit, liquidissimè constet.

Adversus quod aliud quod Opponens objiciat non habet, quàm quod Decanus & Capitulo S. Ioannis non competat jus collationis, sed dumtaxat præsentationis, & quòd hujusmodi præsentatio non sit facta Capitulo Thenensi intra semestre à lapsu dictorum trium Apostolicorum mensium: nam qui solius patronatus Ecclesiastici seu præsentationis jus habet, debet intra semestre tempus eam præsentationem facere, *d. c. 1. §. fin. De iure patron. lib. 6.* non tantùm per traditionem literarum præsentatorialium ad manus illius, quem præsentat, sed præterea per realem præsentationem earundem literarum ad manus illius, ad quem pertinet jus canonicæ institutionis, *Cæsar Lambertinus de iure patron. lib. 2. p. 1. art. 16. quarta quæst. princ. & p. 4. art. 2. quarta quæst. princ.* † In eo enim differt

4 absoluta collatio seu provisio de beneficio à præsentatione ad illud, quòd etsi sola collatio Collatoris, & acceptatio collatarij perficiatur, & effectum suum consequatur, si fiat intra semestre, etiamsi intra illud non fiat collationis confirmatio, aut ad possessionem corporalem admissio, *d. cap. 2. De conceff. præben.* (quia scilicet collatio per se habet vim electionis, præsentationis, confirmationis & institutionis, quæ unico actu collationis expediuntur, *Panor. in cap. Causam quæ nu 6. in fine De elect.*)

5 * Nuda tamen literarum præsentatorialium expeditio, quæ nihil aliud adhuc est quàm præsentandi electio seu delectus, non sufficit, nisi durante semestri patronis ecclesiasticis concessio, superiori seu illi, cui debet præsentatio fieri, realiter & actualiter vel persona præsentati, vel vox aut literæ præsentantis præsententur: quia patronus per actum solus præsentationis non satisfacit juri & constitutioni, *Card. Zabarell. in Clem. 1. in verb. præsentatos num 1. vers. opponi in eo De excess. prælat. Rota dec. 211. non sufficit alias 3 de iure patron. in novis. Cæsar Lambert. locis supra citat.* Cæterùm satis ponderis non habet hæc objectio; ob id, quòd, ut paulò ante diximus, ad Decanum & Capitulum S. Ioannis spectet & pertineat non nudum jus patronatus seu præsentationis, sed perfectæ, plenæ, & absolutæ collationis ac provisionis; ut apertissimè constat ex tenore supradictæ concordiæ, in qua primùm in parte narrativa hoc assumitur, quòd à tempore memoriam hominum excedente per alternatas vices ad Decanum cum Capitulo S. Ioannis & Investitum seu Personam alterius personatus dictæ Ecclesiæ S. Germani Thenensis spectaverit omnium beneficiorum in dicta concordia specificatorum (inter quæ nominatim recensetur hic Canonicatus & præbenda S. Ioannis Evangelistæ) collatio, provisio & quævis alia dispositio, præsentationis aut juris patronatus nullâ factâ mentione. † Quibus verbis narrativis seu enuntiativis in hoc antiquo instrumento, quod iam excedit 6 spatium centum & viginti annorum, & sic indubitatè privilegia antiquitatis habet, *Aymo Cravetta de antiq. temp. cap. 1. Molin. ad consuetu. Paris. §. 5. nu 63.* omnimodò tamquam dispositivis standum est; ob id potissimùm, quòd sine assertiva, non obiter aut propter aliud, sed principaliter propter se, & per modum causæ emissa, & in eodem instrumento semel atque iterum repetita & geminata, non tantùm de re præterita, sed etiam præsenti, hoc est, de hoc jure, quod & olim & tunc de præsenti, competebat dictis Decano & Capitulo; ex quorum concursu nemo dubitat, quin verba narrativa seu enuntiativa pro dispositivis accipiantur, *Bart. in l. Si socer §. Lucius D. Soluto matrim. Bald in l. Cum aliquis nu. 4. vers. item quod dicit glossa C. De iure delib. Iud. Rom. cons. 65. Viso themate nu. 1. Alexan. cons. 190. Plura narrata nu. 26. 28. & 29. vol. 6.* Deinde in parte formaliter dispositiva dictæ concordiæ hoc expressè convenit, quòd Decanus & Capitulum S. Ioannis Leodiensis in perpetuum disponere teneantur de beneficijs tam Canonicalibus, quàm alijs ibidem specificatis. * Quod verbum *disponendi* ad pleni juris collationem referendum est, 7 non ad nudam præsentationem, quæ propriè dispositio non est, & per quam jus aliquod in re non constituitur, sed dumtaxat ad rem: ut etiam est in electione, postulatione, & præsentatione, quæ superioris confirmationem & institutionem ad acquirendum jus in re omninò requirunt, *c. Auaritiæ De elect. lib. 6. Steph. Bertran. cons. 2. Viso processu nu. 7. vol. 3. p. 1.* Unde est, quòd electio, postulatio, & præsentatio ad inferiores & subditos referantur; collatio verò, provisio, & dispositio ad Prælatos, qui potestatis habent plenitudinem, quique quo jure delectu in personis conferendo faciunt, eodē confirmant & instituunt, *glos. V. inelectiones in c. Vt circa De elect. lib. 6. c. 1. De instit. lib. 6.* Quam concordiam

autho-

auctoritate Pij Papæ Secundi ijsdem verbis sine ulla verborum mutatione confirmatam, & instrumento publico per Prælatum in dignitate constitutum fulminatam, & ab hinc annis pluribus quàm centum & viginti publicatam auctoritate quoque & literis Sixti Papę Quarti, etiam quoad prædictam collationem & provisionem approbatam, & plenissimo jure dictæ Ecclesiæ S. Ioannis incorporatam, non recte convellit & mordet hujus causæ Opponens; quasi id non fuerit in potestate Sedis Apostolicæ, nec fieri potuerit sine speciali Ducis Brabantiæ, quem collegiatæ Ecclesiæ Thenensis fundatorem esse dicit, consensu. Cum enim de hujusmodi fundatione nihil constet, nec verosimilis sit, ex eo, quòd Dux Brabantiæ jus patronatus nullum habeat in dicta Ecclesia; ut benè habet Lovanij & Bruxellis & in incorporationibus seu unionibus alterius consensus non requiratur, quam illius, cujus probabiliter interest, non etiam illius, cujus per remotas & longas rerum circumstantias aliquo modo videri posset interesse, *c. Sicut unire De excess. Prælat. Clem. Nè in agro §. ad hæc De statu monach. Rebuff. in praxi. benef. tit. de union ad verb. vocatis quorum interest*, non est quòd attendi debeat talis
8 Opponentis allegatio. † Spectant quidem ad Principem, qui superiorem non agnoscit, omnia, quæ in suo Principatu sunt, non jure proprietatis, sed superioritatis & jurisdictionis, ad finem subiectionis, protectionis & defensionis, *l. Benè à Zenone & ibi gloss. in V. omnia C. De quadrien. præscript.* eoque respectu Imperator mundi dominus est. *l. Deprecatio ff. Ad leg. Rhod. de iactu*; & inferior Princeps sui Principatus, *Bald. cons. 359. Quemadmodum Imperator vol. 3. nu. 3.* sed non singularum rerum vel jurium, quæ quoquo modo ad subditos vel ad Ecclesiam pertinent, *Oldrad. consil. 224. Istæ sunt allegationes nu. 9. Matth. de Afflict. decis. 267.* * in quibus summum jus
9 amplissimamque potestatem habet ipse summus Pontifex, ad quem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex potestatis suæ plenitudine noscitur pertinere, *Clem. 1. in fine Ut lite pend.* & super omnes ordinariæ potestatis obtinet principatum, *c. Antiqua De privileg.* ita ut ei omnia beneficia & dignitates totius mundi illorumq; bona sint, ut inquit Baldus, *in l. Rescripta nu. 7. vers. item omnia beneficia mundi C. De precib. Imp. offer.* obedientia & manualia.

Nec ad rem facit, quod ulteriùs Opponens objecit, quod sine literis Placiti Ducis Brabantiæ hæc incorporatio & unio impetrata seu executioni mandata sit: nam ut potestas Pontificis absoluta est, nec dependet à voluntate aut consensu Principis sæcularis, in his, quæ Ecclesiasticæ jurisdictionis ac potestatis sunt, *c. Ecclesia S. Mariæ De constit. Auth. statuimus C. de Episc. & cler.* ita nec Placiti hujus, ad substantiam & subsistentiam dispositionis Apostolicæ, interventus & auctoritas ex juris communis ratione requiritur. Allegavit quidem Opponens edictis seu ordinationibus Maximiliani primi Imperatoris, & Philippi Archiducis Austriæ ipsius filij pridem constitutum fuisse, *in anno* 1484. *& in anno* 1497. ad coërcendum abusus quosdam, ne quis si præcedentibus literis Placiti Principalis possit in hac inferiore Germania executioni mandare literas seu Bullas Apostolicas super gratijs, provisionibus & dispositionibus de dignitatibus & beneficijs Ecclesiasticis (quod quoque constat in alijs provincijs per alios Principes factum esse propter similes abusus, quos subinde præter voluntatem Pontificis in executionibus Papalium literarum irrepere contingit, *Bald. cons. 450. Casus talis vol. 1. Angel. cons. 23. Nulla persona*) inde tamen non potest impugnari hæc unio & incorporatio, multo minùs dictæ concordiæ approbatio: cùm hæc sit de anno 1459. & illa de anno 1479. & sic diu ante ordinationem Maximiliani, quæ est de anno 1484. & Philippi Archiducis, quæ est de anno 1497. diu post mortem Pij secundi & Sixti quarti, ut apertè declaratur in dicta Maximiliani ordinatione; & sic utraque longè posterioris datæ, quæ ob id aliquem effectum retroagere nequeant; cùm novæ constitutiones futuris rebus formam dent, & ad facta præterita non extendantur, nisi id quoque in ijs inventatur expressè cautum, *l. Leges & constitutiones C. De legib. l. Iubemus C. De testam. Bald. cons. 407. quæst. 1. nu. 14. vol. 1. Angel. cons. 382. Statuto communis.* Quod in his ordinationibus, inducentibus necessitatem impetrandi literas Placiti, non tantùm cautum non est, sed expressè satis remissum, per hoc, quod in illis cautum sit de futuro dumtaxat tempore; ne scilicet in posterum sine literis Placiti ad executionem literarum Apostolicarum procedatur. Ex quo etiam est, quod Bulla ejusdem prædicti Sixti quarti, quâ Vniversitati Lovaniensi concessa est facultas nominandi ad beneficia, in libero semper fuerit usu, sine adminiculo literarum Placiti, quarum tamen necessitas superinducta est quoad aliam bullam nominandi per Leonem decimum Papam, & ejus successores, diu post datam dictarum ordinationum concessam Facultati Artium in eadem Vniversitate: ut in hoc amplissimo Concilio ex diuturnitate & frequenti usu notissimum est. Ita quod inoffenso pede ad effectum perducta fuerit prædicti Sixti quarti unio & incorporatio, quæ ex causis prædictis post tam multos annos convelli aliquo modo non debet, vel ex postea introducto usu literarum Placiti, vel ex alijs causis, quas Opponens ulteriùs addacit de collusione, de forma non observata, de fraude, de surreptione & obreptione, de inuidiosa translatione ad ditionem Leodiensem (in cujus Diœcesi tunc & tempore hujus unionis & incorporationis erat Ecclesia Thenensis) hæc enim omnia ulteriùs proponuntur post decursum amplius quàm centum & viginti annorum: ex quo omnia præsumi debent solemniter, ritè ac debito modo & ex justa causa facta, *latè Aymo Cravetta de antiq. temp. p. 3. c. 1.* tam quoad extrinsecas, quàm intrinsecas solemnitates. * Nec in contrarium urget, quod in instrumento concordiæ etiam præsentationis fiat mentio, illam attribuendo illis, qui 10
concordiam hanc tunc inibant; ita quod cùm per illam attribuatur facultas conferendi, seu per viam præsentationis disponendi, velut per interpretationem reservata ipsis sit dumtaxat facultas

præsen-

præsentandi, non absolutè conferendi vel disponendi: nam subiecta mentio præsentationis per patrculam, *seu*, non interpretativè sed ampliativè accipienda est, quia vim ampliandi habet, & magis coniungendi quàm disiungendi, *l. Si quis ita scr. De auro & argen. legato*: præsertim quia nusquam fiat mentio juris patronatus, in quo proprium est præsentare dumtaxat, non etiam conferre, *Panor. in cap. Post electionem nu. 10. De concess. præben.* ita ut, si patronus utendo jure patronatus in literis suis utatur verbo conferendi, donandi, vel concedendi, nihil agere censeatur, *c.*

12 *Quod autem* De *iure patron.* † Pro re igitur subiecta, verbum *præsentandi* in eo, cui conferendi sey providendi potestas non attribuitur, strictiùs accipitur, prout præsentatio à collatione & provisione separatur: at in eo, cui conferendi & providendi potestas est, adiectio *præsentationis* ad ampliationem refertur, ut qui eam sic habet, non nudum jus præsentationis (quod jus aliquod spirituale non tribuit, sed dumtaxat jus ad rem, *Panor. in c. Auctoritate* De *instit.*) verùm etiam vigore potestatis conferendi habere censeatur præsentationem, non ad aliquod jus Canonicum ab eo, cui præsentatio hæc fit, obtinendum; id enim iam ante præsentationem per collationem acquisitum fuit, & amplius ab eo, cui præsentatio fit, acquiri nō potest, *Ægidius Bellamera cons.* 1. *Factum est tale col.* 6. *vers.* 3. *hoc probatur*, sed ad adipiscendum corporalem possessionem, *d. c. Post electionem*, D. D. *in c. Cum satis*, *c. Adhæc De off. Archid.* quæ in facto, non in jure consistit, *Rota decis.* 441. *alias* 16. *sub tit. De concess. præben. in novis.* Alioqui etiam collatio fieri potest sine præsentatione alicujus, *Panor. in c. Post electionem nu.* 10. *Decius cons.* 224. *In casu proposito num.* 4. & cùm à collatore alicui fit, jus tribuitur, cujus executio quoad admissionem in Capitulo & ad stallum in choro exhibetur ab eo, cui præsentatio fit, *Gloss. in d. c. Post electionem in V. ordinationem*, *Cæsar Lambert. De iure patron. lib.* 2. *parte* 3. *art.* 1. *undecima quæst. princ. nu.* 4. *Gemman. consil.* 84. *Quia istud dubium nu.* 10. Quod autem verbum *præsentationis* pro re subiecta accipi debeat, apertè deprehenditur, non tantùm per exempla aliquot collationum, cum præsentatione hac per D. D. Decanum & Capitulum S. Ioannis factarum, pro parte Impetrante exhibita; verum etiam per plurima extracta ex libro institutionum & admissionum Capituli S. Germani, quæ ex parte Opponentis sunt exhibita; quæ non de Canonica institutione dicti Capituli Thenensis loquuntur (quâ opus est in præsentationibus strictè & specificè acceptis ex jure patronatus, non item in collationibus & provisionibus ordinariorum Collatorum, *Panor. in d. c. Post electionem nu.* 10.) sed de admissione & institutione, quæ facti est, & ad installationem ac corporalem possessionem tradendam & acquirendam refertur, *Rota d. decis.* 16. Prout etiam inter illa extracta sunt quædam, quæ coniunctim faciunt formalem mentionem provisionis & præsentationis Capituli S. Ioannis; & quòd ad talem præsentationem Decanus & Capitulum S. Germani admiserint & instituerint: cujus tamen generis institutio non est illa, sine quâ beneficium Ecclesiasticum, aut ejus possessio non potest obtineri, *c. Beneficium De reg. iur. lib.* 6. sed per quam ad possessionem beneficij expeditiùs pervenitur tunc & postquam Canonica institutio obtenta est, sive per viam collationis, concessionis, & provisionis absolutè; sive per viam confirmationis post electionem; sive per modum præsentationis, accedente approbatione superioris, qui juris spiritualis concedendi facultatem habet. Ita ut pro re subiecta *institutio* aliter atque aliter accipiatur, *Doct. in d. c. Beneficium*; modò pro auctorizatione, ut est ad præsentationem patroni, qui jus spirituale conferre non habet; modò pro re obsequiali, in eo, cui superior executionem facti mandat, sive mōnendo & requirendo, sive exhortando, *latè Cæsar Lambert. lib.* 2. *de iure patron. p.* 1. *art.* 1. *& aliis seqq. usque ad* 12. *quæst. princ.* quod satis per Advocatum causæ in scriptura Memoriæ deductum latiùs non prosequimur.

Constituto igitur eo, quòd ad Capitulum S. Ioannis pertineat ordinaria collatio & auctorizabilis illa spiritualizans institutio Canonicatus & præbendæ, de quibus in hac causa est quæstio, manifestum fit, quòd Impetrans hujus causæ jus suæ possessionis fundando in titulo, quem obtinuit ab eo, qui conferendi potestatem habuit, nedum coloratam, sed etiam benè qualificatam adeptus fuerit possessionem; quæ illi sufficere debet, ad fundandum hoc judicium possessorium, *Guido Papæ decis.* 85. Ad quod fundamentum subvertendum pro parte Opponentis multa objiciuntur, tum ex persona & inidonea qualitate non tantùm Impetrantis, sed etiam auctorum seu prædecessorum ipsius; tum ex defectu potestatis Collatorum; tum denique ex vitio formæ in adeptione possessionis hujus Canonicatus & præbendæ commisso.

Ex persona Impetrantis hoc profert Opponens, quòd non constet de tonsura & clericatura 13
Impetrantis, ex quo defectu omnimoda consurgeret obtinendi beneficij Ecclesiastici inhabilitas & incapacitas, tam quoad possessionem, quàm quoad proprietatem: beneficij enim Ecclesiastici capax non est, qui clericus non est; cum in laicum non cadat jus spirituale, quale in se continet beneficium Ecclesiasticum, *c.* 2. *De instit. c. causam De præscript. c. Ex literis De transact.* Vnde est, quòd qui de beneficio agit, omninò etiam ultrò non objiciente adversario (ut plerique putant) probare debeat se clericum esse, alioqui in iudicio obtinere nequit, *Gemintan. cons.* 91 *Præmitto quod possessori.*

Et quidem hujus rei probatio quibusdam admodum præcisa & coangustata est: nam sunt qui 14
existimant clericaturam aliter quàm per literas Episcopi ordinantis probari non posse, *per ea quæ scribit Nic Boerius decis.* 171. *nu.* 11. 15. & 32. alij per testes qui ē probari posse, sed non alios quàm quibus præsentibus, videntibus, & intelligentibus tonsura clericalis ei, de quo quæritur, collata sit, *Ægidius Bellamera cons.* 1. *Factum est tale*, *post princ. vers. circa secundum*, *Alex. cons.* 107. *Videretur circa vol.* 7. Hoc sanè verum est, Impetrantem neque literis sigillatis Episcopi, neque testibus, qui collationi clericalis tonsuræ interfuerunt, probasse

basse hanc clericaturæ qualitatem; ut nec ex adverso de sua persona fecit Opponens, qui non minùs quàm Impetrans confiteri debuit se literas suæ tonsuræ non habere, sed illas periisse in direptione oppidi Thenensis (quæ anno 1578. in horum temporum, hostilitate contigit) ita ut si qua in parte in hac re est defectus, in eodem luto hæreat uterque & quod pro evertendo & excusando hoc defectu Opponens in medium adducit, debeat perinde suffragari Impetranti; quo enim quisque jure adversus alium utitur, idem adversus se statuere debet, D. *Quod quisque iuris per tot.* Sed deficiente utrimque directa hac probatione, in comparatione eorum, quæ utrimque adducuntur potentior est præsumptiva probatio, quam Impetrans fecit: in primis per hoc, quòd Impetrans exhibuit originales Episcopales literas, per quas constat Impetranti collatos esse omnes minores ordines, Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolyti, seu Acoluthi; ad quos nemo promoveri vel ordinari potest, nisi præcedente clericatura, † quæ
15 licet ordo non sit, nec in ordine aliquis gradus, est tamen dispositiva qualitas ad Ecclesiasticos ordines habilitans & necessariò præcedens, *c. De eo De temp. ordinand. Magist. Sentent. 4. distinct. 24. c. 1. & ibi Richardus*: ita ut inde ex ratione consequentium & antecedentium rectè præsumi possit, quod hos minores ordines præcesserit clericalis tonsura. * Verum quidem est de facto fieri
16 posse, ut omissis præcedentibus per surreptionem & obreptionem ad succedanea seu sequentia perventatur; ut sit in eo, qui per saltum promovetur, *c. 1. De cler. per salt. promotis, c. fin. De cler. peregrin.* sed tamen illius præsumptio in dubio non est assumenda, præsertim in concursu aliarum circumstantiarum, ex quibus avertitur hujuscemodi præsumptio; quales non paucæ pro Impetrante concurrunt. Inter quas potentissima est attestatio D. Gerardi de S. Trudone, & D. Gerardi Vrisen; qui certificant se vidisse & legisse literas tonsuræ dicti Impetrantis: quod testimonium validum & efficax est in probandis etiam his, quæ non nisi instrumentis desuper confectis subsistere possunt, *l. contractus C. De fide instrum. l. Si qua per calumniam C. De Episc. & cler. l. 1. C. De mand. princ.* multo magis in his, quæ ad sui substantiam & validitatem, scripturam seu instrumentum non requirunt, *l. Sicut l. Si solemnibus C. De fide instrum.* Inter quæ certum est collationem clericalis tonsuræ esse, quæ ob id perinde testibus ut literis sigillatis Episcopi probari potest, *Boerius d. decis. 171. nu. 13.* In quibus etiam non est omninò necessarium probare amissionem instrumenti, *Bart. Castren. & alij in d. l. 1. Salicet. & alij in d. l. Sicut C. De fide instrum.* perinde ut in his, quæ non nisi instrumento confecto nec stare nec subsistere possunt; quo tamen amisso etiam duo dumtaxat testes sufficiunt ad probationem instrmentum extitisse, etiamsi ad actus solemnitatem plures testes requirantur, si id se vidisse & legisse deponant. Vt est in testamento inscriptis, septem testibus adhibitis confecto, amisso, & alijs similibus, quæ scripto ab initio confici necesse est, *l. publicati C. De testam. gloss. in l. 2. in V. nocere C. De bon. poss. secun. tabul. & in l. Cum instrumenti C. De fide instrum. Iaf. cons. 42. Præsenti dubitatione vol. 1.* † Quorum duorum testium attestationes adiuvantur per hoc, quòd Impetrans abhinc plusquam viginti annis fuerit in possessione seu quasi clericaturæ, & ut talis beneficia semper possederit, & ut possessor Ecclesiastici beneficij ad minores inferiores ordines promotus fuerit; ut constat ex prædictis originalibus literis de collatis hujusmodi inferioribus ordinibus. Et supramentionati duo testes testificantur, quòd Impetrantem pro clerico beneficiato & possessorum ad maiores etiam ordines promoto, semper tenuerint & reputaverint, ejusque primitijs Missarum post susceptum ordinem Presbyteratus cum pluribus alijs interfuerint: hujusmodi enim quasi possessio, & vulgaris seu communis reputatio, etsi sola in re recenti non prosit, prodest tamen etiam sine probatione tituli, hoc est acceptæ clericalis tonsuræ imò sufficiens est in etiam longiore decursu temporis decem vel viginti vel pauciorum annorum; quod in auditorio Rotæ Romanæ decisum, *decis. 264. alias 13. de caus. poss. & propriet. & decis. 312. alias 12. de probat. & decis. 864. alias 7. de test. am. in antiq.* communiter approbatur, *Paulus Castren. cons. 202. In causa confinium vol. 1. Iaf. in l. Barbarius Philippus nu. 47. De off. prætoru.* Et quidem bona & concludente ratione, quòd non sit verosimile, aliquem in hujusmodi possessione tam tituli quam beneficij, præsertim habitus & tonsuræ continuatione per tot annos tolerari à superioribus sine veritate requisitæ clericaturæ & aliorum requisitorum ordinum; cùm ad eorum officium pertineat, per statuta tempora semper inquirere de conditione & qualitate eorum, qui pro talibus se gerunt & ut tales in aliqua Ecclesia ascripti sunt, seu beneficium possident, *Castren. d. cons. 202.* Vt mirum non sit, si possessio beneficij & reputatio communis coniuncta cum tollerantia superioris, reservet possessorem à probatione hujuscemodi qualitatis, *Ægid. Bellamera decis. 76. & 114.* præsertim quæ sine alicuius tertij iniuria acquiri solet; ideoque, ut plerique putant, per unum etiam testem probari possit, *Hippol. de Marsil. in l. 1. §. eodem Cornelio nu. 4. De quæstion. Boerius d. decis. 171. nn. 24.* Cum igitur Impetrans in Ecclesia S. Germani ab hinc plusquam viginti annis in habitu clericali residerit, in ea Cappellaniam obtinuerit, & adhuc ut Opponens fatetur, obtineat, eaque continuè fecerit, quæ sine jure & titulo clericaturæ facere non posset; non debet nec potest in hac causa ad demonstrandum ejus idoneam qualitatem, aut eum onerandum præcisa seu exactiore probatione idoneæ qualitatis, urgeri.

17 In quo articulo Impetranti etiam obesse non debet, quòd Opponens inter alia objecit, quòd per Decanum & Capitulum S. Germani Thenensis ei inhibitum sit, ne amplius in ipsorum Ecclesia Missas celebret, vel officia sacerdotalia exerceat, donec de collatis sibi ordinibus doceat: nam hoc in verbali processu per Opponentem nusquam allegatum fuit; ideoque in scriptura Memoriæ ut reiectitium ab Impetrantis procuratore per notam crucis ad articulum id continentem meritò notatum fuit. Et sanè si prius id allegatum

allegatum fuisset, potuisset hujusmodi obiectio sine difficultate refutari: quo tamen opus esse non videtur, ob id, quòd de hujusmodi inhibitione nullum prolatum sit instrumentum, aut aliqua testium certificatio; & in omnem eventũ extra allegata & acta seriùs id nunc allegatur in scriptura Memoriæ, quæ prius non allegatis in facto consistentibus ex stilo Curiæ infarciri non debet. Cùm alioqui hujusmodi allegatio planè improbabilis sit, ob id, quòd ex attestatione, eulogio, ac literis D. Decani dictæ Ecclesiæ per Impetrantem exhibitis evidenter constet, Impetrantem esse Cappellanum & subditum dictæ Ecclesiæ, honestæ vitæ sacerdotem; ut non sit verosimile, quòd idem Decanus vel antè vel pòst ipsi talem inhibitionem fecerit.

Et hactenus quidem satis de idonea Impetrantis ad obtinendum & retinendum hunc litigiosum Canonicatum qualitate. In auctoribus porrò seu prædecessoribus Impetrantis, qui post mortem D. Hectoris Lamyns hoc beneficium successivè obtinuerunt, satis quoque probata invenitur idonea qualitas; videlicet in persona D. Antonij van Houthem, cui collatus fuit hic Canonicatus ex vacatione per mortem dicti D. Hectoris; & in persona D. Germani van Mulck immediati Impetrantis præcessoris, qui eundem Canonicatum paulò post iterum ex libera resignatione præfati Antonij van Houthem vacantem obtinuit. Quod nullam dubitationem habet quoad personam dicti Antonij, ob exhibitam copiam authenticam originalium literarum signatarum de clericali tonsura ei collata. Et quoad personam D. Germani van Mulck, etiamsi hujusmodi originales literæ non proferantur, res quoque difficultatem non habet, ex eo, quòd per certificationem notarialem ex parte Impetrantis exhibitam, satis constet hujuscemodi literas in hostili direptione oppidi Thenensis periisse. Vt & Opponens suas in eadem direptione periisse simpliciter sine ulla vel præstatione vel oblatione juramenti super hoc casu amissionis allegavit; quem tamen casum dictus Germanus in prætacto renuntiationis instrumẽto affirmavit, cui ea in parte sine alia probatione credi debet, *Bart. in l. Emancipatione in fin. C. De fine instrum.* præsertim in tanta notorietate dicti casus seu infortunij hostilis direptionis, in quâ verosimillimum est dictum D. Germanum perinde, ut Opponentem, literas suas amisisse. Quâ amissione probatâ meritò in proposito sufficere debet attestatio duorum testium, quæ ulteriùs in dicta certificatione continetur de possessione hujus clericaturæ, & de communi reputatione, quòd idem Germanus fuerit clericus & sacerdos; addito etiam eo, quòd illum viderint Missas continuè celebrantem: quam possessionem & communem reputationem paulò antè diximus sufficere ad probationem clericaturæ. Accedente etiam eo, quòd ex instrumentis per Opponentem exhibitis, ex ejusdem Opponentis allegatione evidentissimè constet, dictum Germanum fuisse possessorem diversorum beneficiorum Ecclesiasticorum; idque ex diversis collationibus Decani & Capituli Thenensis, qui si non habuissent hunc D. Germanum pro clerico tonsurato, & sic capace dictorum beneficiorum, collaturi ei non erant aliquod Ecclesiasticum beneficium.

Proinde parum momenti habet quod dictæ certificationi obijci posset (quod per Opponentem tamen minimè obiectum est) quod unus testium in dicta certificatione nominatorum sit ipse D. Godefridus hujus causæ Impetrans, & sic in re sua & in causa propria inidoneus testis, *l. Omnibus C. De testibus l. Nullus D. eod.* ex quo alius testis sit omni exceptione maior, & unius testimonium hac in re sufficiat, *Boerius d. decis. 171. nu. 24.* ut superiùs diximus, accedente præsertim beneficij Ecclesiastici possessione. Cùm alioqui etiam dicti Impetrantis hoc testimonium idoneum & efficax judicari debeat, ob id, quòd illud dederit non tantùm ante hanc litem institutam, sed etiam ante obtentum ex collatione Decani & Capituli S. Ioannis Leodiensis hunc litigiosum Canonicatum, quem tempore dicti testimonij præfatus Dominus Germanus obtinebat ex resignatione Antonij van Houthem, & ad Impetrantem primùm pervenit in anno 1582. tertia Februarij: inde enim constat quod Impetrans in sua causa non dixerit testimonium. * Equidem in approbanda vel improbanda qualitate & conditione 18
testis, inspiciendum est tempus, quo testimonium dixit, non illud, quod vel antecessit vel sequutum est, *l. Ad testium §. conditionem & ibi gl. & Doct. De testam. l. 3. §. causæ vers. finge enim testes & ibi gloss. in verb. non eandem D. De Carbon. edicto.* Ita ut per hæc sufficienter constet perinde de dicti D. Germani, ut Antonij idonea qualitate ad obtinendum hunc Canonicatum. Prout etiam Opponentis de inidonea eorum qualitate nulla extat formalis & dispositiva objectio. † Cùm alioquin ei, qui in causa beneficiali jus suum ex capite suorum auctorum 19
seu prædecessorum metiri & asserere debet, quoad habilitatem personæ ex illius conditione, quòd fuerit legitimus & clericus, sufficiat qualis, & minus exacta probatio, *Ægidius Bellamera decis. 112.* & ut habet decisio Rotæ Romanæ, *decis. 136. aliàs 2. de filijs presbyteror. in novis*, reputatio seu quasi possessio hujusmodi qualitatum per solum triennium. Etsi enim surrogatus seu succedens in jus alterius teneatur justificare jus illius, in cujus locum succedit, *l. Qui in alterius De regul. iur.* præsertim quâ parte illud formaliter seu specialiter in dubium revocatur & oppugnatur à parte adversa, obiter tamen id fieri sufficit: ob id, quòd super titulo auctoris principaliter non sit pronuntiandũ, ideoque sufficere meritò debeat, præsertim in possessorio judicio, quòd possessor putativus beneficij litigiosi fuerit pro idoneo & qualificato reputatus: cùm enim in custodia successoris non sint instrumenta seu documenta tituli prædecessoris, absurdum esset casum periculi seu amissionis eorundem ad successorem referre, *Lud. Rom. cons. 463. l. In re præsenti, Bellamera decis. 112. & 645.* Ex personis itaque Impetrantis vel suorum auctorum seu prædecessorum quoad habilitatem & capacitatem cùm nihil sit, quod titulum, quem Impetrans prætendit discolorare aut inficere possit, progrediamur ad ea, quæ Opponens ex defectu potestatis Collatorum, hoc est Dominorũ Decani & Capituli S. Ioannis Evangelistæ Leodiensis

Impetranti obijcit.

Ex defectu poteſtatis ſimplicis præſentationis nihil obijcitur, nam illam Opponens concedit & agnoſcit, ut ſuperiùs dictum eſt: neque etiam ex amiſſa poteſtate hac per lapſum temporis à jure ad præſentationem faciendam præſcripti; nam, ut ſuperiùs diximus, literæ, quas Antonius van Houthem à dictis Decano & Capitulo ex morte D. Hectoris obtinuit, demonſtrant nullam in ea parte fuiſſe negligentiam, ob quam poteſtas ipſius competens poſſit dici amiſſa, ex eo, quod D. Hector Lamyns, ex cujus morte tam Opponens quàm Impetrans ex capite dicti Antonij jus ad hunc Canonicatum prætendunt, obierit 23. Novemb. 1588. & ſic in menſe Apoſtolico; propter quam vacationem ex ſupramentionatis Concordatis nationis Germanicæ, poteſtas aliquo modo diſponendi de hoc ſic vacante Canonicatu præfatis D. Decano & Capitulo S. Ioannis adempta, ſeu ſaltem ſuſpenſa fuit ad tres proximè & immediatè ſequentes menſes † nam reſervatio Pontificia ad certum & limitatum tempus ligat manus Ordinarij Collatoris, *c. Statutum De præben. lib. 6.* ut eo durante nullum omninò ſit, quicquid Ordinarius in contrarium facit; præſertim propter clauſulam decreti irritantis eiſdem Concordatis formalibus verbis inſertam: † cujus poteſtas in annullando id, quod in contrarium agitur, non tantùm petitorium, ſed etiam poſſeſſorium in beneficialibus cauſis ſic inficit ipſo jure, ut ex ſic vitiata & infecta cauſa poſſidenti non detur interdictum poſſeſſorium, *c. 1. & 2. Vt lite pendente lib. 6. Clem. 1. §. ſecus de conceſſ. præben. Rota deciſ. 475 alias 10. De cauſ. poſſ. & propriet. in antiq.* Quo impedimento ex reſervatione temporali per lapſum præfiniti temporis ſublato, injectum hoc vinculum tollitur, & ſolutis manibus Ordinarij ac reſoluto effectu decreti irritantis, ad ſuam ordinariam naturam redit poteſtas de beneficio diſponendi, *Geminian. conſ. 93. Videtur primo nu. 13. & 14. Card. Zabarella conſ. 117. Super præmiſſis nu. 2. verſ. item etiam præſupposito*: ſic quòd durante hoc trimeſtri nulla poſſit argui negligentia vel mora ordinarij; neque hoc trimeſtre illi imputari in ſemeſtri, quod etiam nudo Patrono Eccleſiaſtico ad faciendam præſentationem datur, *c. 1. §. verum De jure patron. lib. 6.* eò quòd toto illo trimeſtri Ordinariorum poteſtas impediatur per dictam reſervationem, *c. Quia diverſitatem De conceſſ. præben. Gemin. in d. c. Statutum nu. 6. verſ. an iſte menſis.* Vnde in propoſito caſu hoc ſemeſtre, quoad hunc, de quo quæritur, Canonicatum, cœpit primùm decurrere ex fine dicti trimeſtris, hoc eſt à 23. Februarij perduraturum ad commodum dictorum Decani & Capituli S. Ioannis uſque ad 23. menſis Auguſti; quo adhuc durante videlicet 21. Iunij iidem Decanus & Capitulum in perſona dicti Antonij de hoc Canonicatu diſpoſuerunt, ut conſtat ex ſigillatis literis dicti Capituli. Similis diligentia & exacta temporis obſervatio facta eſt in diſpoſitione ſeu proviſione de hoc eodem Canonicatu paulò poſt iterum vacante ex libera & ſimplici reſignatione, per dictum Antonium ad manus dictorum Dominorum Decani & Capituli S. Ioannis per Dominum Henricum Danielis facta, vigore procuratorij per eundem Antonium ſpecialiter ad hoc dati, per hoc, quòd de eodem Canonicatu ſic vacante providerint D. Germano van Mulck 6. menſis Febr. anno 1580. hoc eſt ante lapſum quarti menſis, etiam à data dicti procuratorij ad reſignandum dati; imò ſtatim ab ipſa formali & effectuali reſignatione ad manus ſuperioris; cujus & acceptatæ reſignationis eadem prætacta die ſexta Februarij per eundem D. Henricum factæ datam, non dati procuratorij ad reſignandum aut reſignationis realis factæ coram Notario & teſtibus inſpicere oportet, ad hoc ut vera beneficij ex ea contingat vacatio, *c. fin. De renunt. gl. 1. in c. Ad aures De his quæ vi metuſve cauſ. fiunt Panor. in c. Quod Dei timorem nu. 4. De ſtatu monach.* * Et licet ſint, qui putent veram vacationem induci per reſignationem factam coram Notario & teſtibus etiam ante illam ſuperiori intimatam vel per illum admiſſam, *Doct. in c. Quod in dubijs De renunt. Guid. Papæ conſil. 172. Frater Hugo*: in præjudicium tamen ſuperioris, ut illam ſuperior invitus admittere debeat, vel illi de reſignato beneficio diſponendi tempus currere incipiat, talis reſignatio ante acceptationem ſeu admiſſionem nullum habet effectum, *gloſ. in d. cap. Quod in dubijs. verſ. verum eſt & ibi Doct.* Idem eſt dicendum de proviſione per eoſdem D. Decanum & Capitulum S. Ioannis Impetranti hujus cauſæ facta ex tertia ejuſdem hujus beneficij vacatione, quæ deinde contigit ex morte præfati Domini Germani 28. Iulij anno 1581. qui menſis Iulius cùm fuerit Apoſtolicus non potuit propter reſervationem ex dictis Concordatis Nationis Germanicæ per eoſdem D. Decanum & Capitulum cuiquam de beneficio provideri toto proximè ſequente trimeſtri; uti ſuperiùs diximus in & ſuper proviſione Antonij van Houthem: quod trimeſtre primum lapſum eſt 28. Octobris proximè ſequentis. Vnde manifeſtum fit, quod proviſio Impetrantis, quæ eſt de data tertiæ Februarij anno 1582. ſit facta diu ante finem totius illius fatalis ſemeſtris temporis, quod totum Ordinarijs Collatoribus debetur, *d. cap. 1. §. verum.*

Defectus igitur poteſtatis ex temporis aliquo lapſu, aut dictorū Decani & Capituli ſancti Ioannis negligentia vel mora, nullus ad diſcolorandum Impetrantis titulum hic conſtitui poteſt; etiamſi ad dictos Decanum & Capitulum pertineret dumtaxat jus nudæ præſentationis, uti Opponens prætendit.

Neque etiam ex ea conſideratione quòd in literis proviſionis dicti Impetrantis, & formaliùs in proviſione præfati Antonij expreſſius ſit modus vacandi immediatus, non ex morte D. Hectoris, neque ex obitu D. Germani; ſed ex jure devoluto, propter negligentiam S. D. N. Papæ non conferentis eoſdem Canonicatum & præbendam à die mortis intra tres menſes. Ex quo ſanè vacationis modo dicti Collatores conferre non potuiſſe videntur, ob id quòd à ſuperiore ad inferiorē, & minimè à Papa fiat aliqua devolutio: cum hæc flumina imitetur ſæpe decur-

devo-

rendo, numquam verò ad fontem recurrendo ejusque natura (ut ait Baldus, *cons.* 159. *Si is ad quem vol.* 1. *Aegid. Bellamera decis.* 426.) sit potestatis devolvendæ ut ad superiorem deferatur, & semel devolutæ non revertatur. Cùm igitur jure devoluto neutro casu dictis Decano & Capitulo vacaverit hoc beneficium, sed una vacatio contigerit ex resignatione, altera ex morte: sequi videtur quòd non potuerint de illo providere ex modo seu causa devolutionis, *c. Ex parte De concess. præben.* ita quòd hic voluntatis & potestatis sit repugnantia, hoc est quòd quo modo providere potuerunt, ex jure videlicet ordinariæ collationis ex causa resignationis vel mortis, non voluerint exprimendo falsum modum; & quo contulerunt ex causa devolutæ potestatis non potuerint, & sic ut videtur sine effectu, *c. Cum super & ibi gl. De off. judic. deleg. l. Multum Cod. si quis alteri, vel sibi &c.*

24 Cæterùm hæc consideratio momenti satis non habet ad invalidandum dictas duas provisiones, quæ non sunt factæ simpliciter & determinatè jure devoluto, devolutionis modo restricto ad illam speciem, quæ ex Lateranensis Concilij decreto constituta est ob negligentiam Collatoris, quæ non fit à superiore ad inferiorem, *c. Nulla c. Quia diversitatem De concess. præben.* sed quæ restricta est ad illum casum seu reservationis relaxationem, quæ ob diutinam, hoc est trium mensium vacationem exurgit ex concordatis Nationis Germanicæ; ut disertis verbis continetur in literis dictarum provisionum, quæ species naturaliter, propriè, & strictè accipiendo verbum *devolutionis*, etsi non sit propriè devolutio; latiore tamen vocis significatione, impropriè & in apparentia, non etiam quoad effectum, species quædam devolutionis esse videtur: ob id, quòd vinculum quidem per reservationem ex Concordatis Germanicæ Nationis manibus Ordinarii injectum resolutum sit; minimè tamen in Ordinarium Collatorem extrinsecus & privativè translata potestas, quæ apud summum Pontificem durante reservatione fuit; nam hæc nihilominus penes Pontificem manet. Atque ita pro re subjecta, hoc est pro tenore dictorum Concordatorum verbum *devolutionis* impropriè accipiendum est, pro relaxatione reservationis: impropriari enim debent verba ut naturæ actus, de quo agitur, deserviant, *l. Insulam De præscript. verb. l. Cum manu fusa De contrah. empt.* & conveniant materiæ de qua agitur, & ne actus reddatur inutilis, *l. Titia* 1. §. *Lucius De leg.* 2. ut redderetur retentâ verbi scrupulosa proprietate, *l. Scævola Trebellian.* Nec sanè mirum aut omninò absurdum, si hanc reservationis relaxationem dicti Domini pro devolutione aliqua usurpaverint; cùm & Baldus, exactissimus juris Interpres, hanc speciem pro devolutione & quidem speciali, contra juris regulas accipiat & interpretetur, *d. cons.* 159. *vol.* 1. & Antonius de Butrio, *in d. c. Statutum nu.* 4. devolutionem appellet, ex ea nimirum consideratione, quòd finito reservationis Papalis vinculo res redeat & revertatur ad suam naturam, *gloss. in c. Statutum in V. numerandum vers. item per hanc redatur*, hoc est ad potestatem ordinariæ collationis; in quâ Ordinarius his tribus mensibus ex jure communi haberet jus collationis, si non obstaret hæc reservatio. Et longè probabilius potuerunt D. Decanus & Capitulum S. Ioannis sic exprimere hunc vacationis modum in his duabus suis provisionibus, quàm D. Henricus Decanus & Turnarius in sua collatione usurpare modum vacationis ex jure ad ipsos devoluto, juxta dictum decretum Concilij Lateranensis, quasi ex negligentia Pontificis, non ex ordinaria eorum potestate.

Sed neque hoc rectè Impetranti objicitur, quod effectus dictæ potestatis & ex ea factæ provisionis resolutus sit, per hoc, quòd neque dictus Antonius, neque dictus Germanus, neque denique Impetrans hujus causæ intra semestre, quo dictis Decano & Capitulo S. Ioannis à jure permissum erat suam præsentationem facere, sese aut literas suæ provisionis Decano & Capitulo S. Germani præsentaverint, quod superiùs diximus in præsentatione, quæ fit ex jure patronatus, omninò necessarium esse; nec sufficere, quòd intra illud literæ præsentationis præsentato tradantur, si non quoque intra idem tempus literæ hujusmodi præsententur ei, ad quem seu quos pertinet Canonica institutio in hujusmodi jure patronatus beneficio, *Cæsar Lambert. loco supra citato.* Nam imprimis removetur ea objectio per negationem, & contrarij probationem; quòd scilicet literæ provisionis dictorum trium Collatariorum debito tempore & legitimè non sint præsentatæ. Quod enim spectat ad provisionem Antonij, constat illam præfato D. Henrico, dictæ Ecclesiæ S. Germani Thenensis Decano, & quoad collationem beneficiorum tunc turnario, præsentatam & insinuatam fuisse altera die ab obtenta dicta provisione, eâdem iterum deinde repetita in præsentia Vicedecani per oblationem eorum quæ pro jure admissionis exsolvenda erant. Constat itidem de præsentatione & insinuatione literarum provisionis dicti D. Germani debito tempore durante adhuc semestri præfato D. Henrico Decano decimo die post datam ejusdem provisionis facta. Et novissimè de simili præsentatione atque insinuatione literarum provisionis ex parte Impetrantis dictis Decano & Capitulo etiam debito tempore facta manifestè quoque constat per notariale instrumentum: ita quòd ex ea parte non possit constitui inefficacia sic per dictos D. Decanum & Capitulum S. Ioannis successivè his tribus personis factarum provisionum. †

25 Imò verò si ex ea parte aliquis defectus esset, nihil obesse posset Impetranti; ex eo, quòd superiùs deductum sit, quod etiam per se verissimum est, dictis D. Decano & Capitulo S. Ioannis ad hunc Canonicatum aliaque plura beneficia in Ecclesia S. Germani Thenensis non competere nudum jus præsentationis ex nudo jure patronatus; sed plenum jus ordinarie collationis, provisionis & dispositionis: cui etsi perinde à jure præscriptum sit tempus sex mensium ad illam faciendam, ut patrono quoad nudam præsentationem cum periculo devolutionis ad superiorem, si interea non fiat collatio seu provisio, *d. l. Nulla §. cum vero De concess. præben.* in eo tamen differt collatio & provisio à

visio à patronali præsentatione, quòd collationem verbo aut literis ante finem dicti semestris esse factam à Collatore sufficiat; etiamsi collationis literæ, aut persona Collatoris vel superiori, vel in loco beneficij non præsententur aut insinuentur ad effectum obtinendi jus & canonicum titulum, atque etiam institutionem canonicam: quia necessitas præsentationis illarum post collationem debito tempore factam, collationibus non est à jure præscripta: ut nec petitioni admissionis ad realem & actualem possessionem, ad effectum con-
26 sequendi jus irrevocabile in beneficio: † præterquam ad evitandum periculum, quod ex regula Cancellariæ Apostolicæ *De publicandis resignationib.* inductum est; ut si resignans non obstante resignatione in possessione beneficij resignati maneat, & sic decedat, beneficium censeatur vacasse non ex resignatione, sed ex morte, si resignatarius resignationem intra sex menses, si in Curia Romana facta sit, vel intra unum mensem, si extra Curiam, non publicaverit, & ex collatione ex ea causa facta ad resignatum beneficium admissus fuerit, *Gomes. ad Reg. Cancel. De public. resig. Rebuff. in praxi benef. tit. de public. resig.* Cujus Regulæ periculum nullum est in collatione obtenta ex modo vacationis per obitum, *Rebuff ad d. reg. glos. 2. vers. tertio*; sed hoc tantùm, quòd collatarius non offerendo se ad possessionem beneficij non faciat lucrum fructuum, *c. Cum ad hoc. De cler. non resid. Panor. in c. Conquerente nu. 4. eod. tit.* & per superiorem cogi possit ad residentiã sub pœna privationis beneficij, *c. Ex parte c. Ex tua & ibi &. & Panor. De cler. non resid.* De quo hîc non queritur, sed de eo tantùm, an hi tres collatarij successivè & per ordinem ex collatione & provisione dictorum Collatorum tale jus acquisierint, ut non fuerit opus aliâ præsentatione, ad effectum obtinendæ Canonicæ institutionis, per quam cogi potuerint Decanus & Capitulum Thenense eos admittendi ad possessionem cum assignatione loci & stalli: ad quam admissionẽ & assignationẽ faciendã ut dicto Capitulo Thenesi nullus à jure præscriptus est terminus, *Panor. in c. 2. nu. 12. De conces. præben.* ita nec Collatarijs ad eam petendam. Satis enim est intra præscriptum à jure tempus obtentam esse collationem Ordinarij Ecclesiastici, quæ secum, ut diximus, trahit institutionem & effectum possessionis juris, nec aliâ ulteriùs indiget alicujus operâ vel gratiâ, nisi ad actum corporalis possessionis, in quo tantùm consistit executio facti,
Rota decis. 441. *Fuit dubitatum, alias 16. De conces.*
27 *præben. in novis.* planè diversa ab institutione, † sive sit illa authorizabilis ad specialem præsentationem patroni, sive illa quæ potestate juris comprehenditur in ipsa collatione, *c. Cum Bartoldus in princ. & ibi Panor. nu. 3. De sent. & re iud. Cæsar Lambert. De iure patron. lib. 2. p. 3. art. 1 undecima quæst. princ. Oldrad. cons. 136. Quod ex productis nu. 10.* Super quo latiùs insistendum non est, ex quo præterea satis constat, quòd singuli istorum trium Collatariorum durante adhuc semestri dictis Collatoribus competente, non tantùm obtinuerint ab ipsis collationem, verùm etiam realem & actualem possessionem, prout constat ex instrumentis traditarum hujusmodi possessionum

Idem satis agnovit Opponens, dum earumdem possessionum acquisitiones ex inutili & nullitatis vitio infectã formâ oppugnat, de quo nunc dicendum. Hoc enim sibi persuadet Opponens, quasi possessionis realis & actualis hujus Canonicatus traditio non possit per alium fieri, quàm per dictos Decanum & Capitulum Ecclesiæ S. Germani, à quibus constat Impetrantem suam non obtinuisse; ideoque pro nulla reputari debeat, quam obtinuit à M. Ioanne de Putte Notario, præsertim ho- 28
mine laico & conjugato * Sed nec ea in parte aliquo modo periclitatur causa Impetrantis: nam inprimis hoc manifestum est, realem, corporalem, & actualem possessionem beneficij ecclesiastici post obtentam Canonicam institutionem, sive illa sit ex vi collationis per Ordinarium Collatorem factæ, sive ex investitura ad præsentationem Patroni, acquiri posse non tantùm ministerio Archidiaconi, *c. Adhæc De off. Archid.* aut alterius, qui in Ecclesia, in quâ beneficium situm est, in dignitate vel officio est, *c. Post electionem De concess. præb in verb. per cuius manum*, sed etiam alterius cujuscumque, cui id Collator, vel investiens mandaverit, aut à quo Collatarius seu impetrans id requisiverit. Quod de consuetudine generali ità observari scribit Petrus Rebuff. *in praxi benef. p.*
1. tit. de requisitis in literis collationum nu. 25. † qui 29
hoc insuper tradit, *d parte 1. tit. de miss. in poss. nu.* 23. per tabellionem seu Notarium publicum expediri ista posse & possessionem tradi, non tantùm clericum sed etiam laicum: hæc enim actualis seu corporalis possessio cum res spiritualis non sit, sed quid temporale, *gloss. in c. Literas in verb. rebus spiritualibus vers. & nota De iuram. calum. Archidiac. in cap. 1. vers. in civilibus De rest. spoliat.* facilè cadit in executionem & ministerium perinde laicæ ut ecclesiasticæ personæ. Prout etiam ex ea consideratione cognitio judicij possessorij super beneficio ecclesiastico spectare potest ad laicum judicem, *Guido Papæ decis. 1. & cons. 149. Potest dici*, ad quem alioqui de spiritualibus causis nulla pertinere potest jurisdictio, *c. Decernimus De iudic.* Et quod huc propiùs pertinet, etiam per laicum procuratorem potest clerico beneficij Ecclesiastici possessio acquiri, & alius pro clerico absente investiri, *c. Accedens De præben.* idque perinde laicus ut clericus: quia hujusmodi possessionis acquisitio facti est. Imò non tantùm ipsius beneficij possessio sic per laicum pro clerico acquiri potest; verùm etiam ipsius beneficij ex collatione Collatoris, vel præsentatione Patroni acceptatio fieri: in quo tamen plus juris quàm facti est, *Ioan. Calder. consil. 1. de præben.* Non enim ad effectum acquisitionis consideratur persona procuratoris, qui non tam agere, quàm pati, hoc est mandatum ad quod obligatur exequi, censetur: ideoque clericus ipse, cuius nomine acceptatio fit, agere, hoc est acceptare intelligitur per suum procuratorem tamquam instrumentum, à quo velut per canalem, ut inquit Panormit, *in d. c. Accedens nu. 6.* effectus acceptationis derivatur; & sic in tali actu nec authorizat, nec sibi aliquid acquirit laicus, sed illi, cujus nomine agit seu res geritur. Quo etiam fit, ut per laicũ procuratorem possit fieri beneficij resignatio & permutatio,

Rota de-

Rota decis. 104. aliàs 8. *De procur. in antiq. in fine.* nec mirum, cùm etiam per excommunicatum ista explicari possint, *Rota decis.* 290. *aliàs* 21. *De procur. in novo, per c. Pro illorum & ibi glos. in verb. in canonicum De præben.*

Et sanè ea in parte magna est differentia inter possessionem corporalem beneficij, quæ est facti, & sequitur acquisitionem beneficij ex præcedente Collatoris provisione; & illam, quæ plurimum juris habet, quæ scilicet à superiore authorizante ad alterius præsentationem tradi solet, & ob id vim collationis habet, *Dominic. Geminian. in c. Cum in ecclesijs nu.* 8. *De præben. lib.* 6. ideoque per laicum, qui juris ecclesiastici tractationem aut executionem nullam habet, explicari aut dari non potest; cùm illam quilibet etiam excommunicatus explicare possit, *Geminian. d. nu.* 8.

Non potest igitur vitiosa aut nulla dici traditio possessionis seu inductio in illam, quam M. Ioannes vanden Putte super hoc Canonicatu explicuit; primùm in persona D. Germani; deinde illo mortuo in persona hujus impetrantis etiamsi constaret aut præsumeretur illum esse hominem laicum, *Phil. Dec. cons.* 125. *In causa spoliationis nu.* 6. *Steph. Bertran. cons.* 207. *Derelictù nu.* 7. *vol.* 2. *p.* 1. Quo juris adminiculo & consideratione non est opus quoad traditionem & acquisitionem hujus possessionis, quam facti esse diximus, quoad personam Antonij van Houthem, ob id, quòd illa sit facta & explicata per D. Franconem Baken Notarium publicum, adversus cujus qualitatem Opponens nihil obiecit, nec factam ab illo in possessionem inductionem ex ea consideratione impugnavit: ut nec poterat, cùm is fuerit etiam Capituli Thenensis Notarius. Impugnavit quidem illam & conjunctim quoque practactas inductiones in hanc possessionem in personis D. Germani & impetrantis hujus causæ, ex eo, quòd hujusmodi possessionis traditio, & in illam inductio spectet & pertineat ad Decanum & Capitulum Thenense, & ob id ab alio seu alterius ministerio illam nec petere nec obtinere potuerint; quod non tantùm per extracta diversarum admissionum ex libris Capitularibus, sed etiam ex ipsis literis collationis & provisionis prafato Antonio van Houthem factæ, ita se habere asseruit; eo quòd in illis contineatur, quòd collatio, provisio, & quævis alia dispositio ad Dominos Decanum & Capitulum S. Ioannis; ad Decanum verò & Capitulum S. Germani Thenensis admissio & inductio pleno jure pertinere dignoscatur; & ex ea causa dictæ collationis literæ ad eosdem Decanum & Capitulum S. Germani, & non ad alium pro obtinenda admissione sint directæ, ad effectum scilicet, ut Antonius per eos in corporalem, realem, & actualem possessionem ejusdem Canonicatus poneretur & induceretur: sic quod Antonius petendo & obtinendo hanc inductionem à Francone van Baken ab alio accepisse videatur, quàm à quo debebat; & sic, uti apparet, vitiosè, ob id, quòd perinde in possessione beneficij acquirenda, ut in obtinendo jure in & ad beneficiū, juris vel consuetudinis forma sit observanda, *Innoc. in c. In literis nu.* 7. *De rest. spoliat. Panor. & alij in c.* 2. *De consuet. in fine.*

Haberet quidem ea consideratio aliquid momenti, si ad dictum Capitulum S. Germani aliquo modo pertineret receptio & admissio juris alicujus collativa, ut est in illa authorizabili institutione, quæ fit ad nudam præsentationem patroni; in hac enim plus momenti est, quam in ea institutione & admissione obsequiali, quæ merè facta est, & obtenti juris ex collatione Collatoris executiva, in qua hujusmodi formalitatis observatio non requiritur, ideoque illa authorizabilis non posset expediri nisi Capitulariter præsentibus, aut saltem ad hoc vocatis Decano & Canonicis; hæc verò obsequialis etiam extra Capitulariter, & per unum ex Canonicis alijs non vocatis: ut ex facto consultus respondit Ioannes Baptista Ferretus, *consil.* 14 *Tangendo & cons.* 16 *Reverendus Dominus nu.* 7. Iam verò superiùs diximus, & iterum hic inculcamus, ad Capitulum Thenense non pertinere jus Canonicæ authoritabilis institutionis, neque nudam esse dictorum Dominorum Decani & Capituli S. Ioannis Leodiensis ad hoc & similia alia beneficia in Ecclesia S. Germani præsentationem, sed plenam & undequaque perfectam de ijsdem beneficijs provisionem & collationem, trahentem secum Canonicam institutionem, ex qua illis sine ullo ministerio aut adminiculo Capituli S. Germani plenum perfectumque jus Collatarijs acquiritur; ejusdemque Capituli S. Germani nullas esse partes nisi officiales seu obsequiales ad executionem factæ ex requisitione Collatorum. 30

Vnde non potest dictum Capitulum S. Germanijus aliquod, nisi ex voluntate Collatorum requirentiū, sibi usurpare, quasi Collatores ad hunc actum alium requirere nequeant. Nam & ei, cui jure conventionis, vel ex lege, operæ officiales seu obsequiales debentur, necesse non est illas indicere aut poscere, nec ad eas obligato illas præstare; nisi cùm & postquam petitæ vel indictæ sunt, *l. Interdum post pr. vers. item si operæ, De verb. obligat. l.* 8. *Qui hac* §. *iudicium, in fine l. Cum patronus in pr. & ibi glos. n.* 4. *poposcerit De oper. libert.* Quippe hæc Collatorum requisitio est non ex jure subiectionis quoad ipsos, neque ex jure superioritatis quoad Decanum & Capitulum S. Germani requisitos; sed conversa ratione ac consideratione ex jure superioritatis & præeminentiæ, quam Collatores in dictos Decanū & Capitulum Thenense habent ratione inuestituræ & Personatus in dicta Ecclesia S. Germani, quæ in eadem olim erat prima dignitas, Capitulo S. Ioannis ex Apostolica authoritate postea ab hinc plus quàm centum & viginti annis unita & incorporata. 31

† Quemadmodum pro dignitate reputatur & habetur plerumque Personatus, qui in Ecclesia etiam sine administratione aliquam præminentiam habet, *c. De multa De præben. Archid. ac. in c.* 1. *De consuet. lib.* 6. 32

Quæ etiam causa est, cur bono jure postea in collationibus, præfatis Germano, & hujus causæ, Impetranti factis mandatum & requisitio de inducendo ipsos in realem & actualem possessionem non sit directa ad solos prædictos Decanum & Capitulum S. Germani, sed etiam

ad quoscumque alios desuper pro parte dictorum Collatariorum requirendos. Prout etiam in communi usu fit, cùm ex provisione Pontificia, vacante aliquo Canonicatu in mense Apostoliço, quispiam inducendus est in possessionem illius; quia fieri id potest per quemcumque Notarium ad hoc requisitum.

33 Sed anxiùs in hoc puncto laborandum non est, cùm ex actis constet, dictos Decanum & Capitulum Thenense (quod tunc duobus aut tribus dumtaxat personis constabat) vigore literarum collationis Antonio factæ requisitos fuisse pro obtinenda hac admissione, & in possessionem realem inductione; sed id ei per ipsos denegatum fuisse ex ea causa, quòd jure devoluto eundem Canonicatum eodem die mane contulissent alij: inde enim patet, quòd per ipsos steterit, quò minùs Antonius ad requisitionem Collatorum inductus fuerit in hujusmodi possessionem, & sic meritò ad alium confugere potuerit, aut potiùs confugere necesse non habuerit, qui exinde pro vero possessore haberi debuerit; per vulgatam Iuris Canonici & civilis regulam, quòd cùm non stat per eum, cujus non interest conditionem aut alium actum impleri, sed per eum, in vel ex cujus persona implementum seu actus fieri debet, seu cujus interest non impleri seu fieri, haberi debeat pro impleta, *c. Cum non stat De reg. iur. lib. 6. l. In iure civili De reg. iur. l. Iure civili De condit. & demonstr.* Atque ita cùm Antonius suo officio non defuerit, requirendo hanc admissionem, & in possessionē inductionē, illiq́ue id ex parte Decani & Capituli Thenensis ad instantiam Opponentis recusatum sit ad ipsorum proprium commodum, pro stabilienda collatione, quam tunc se jure devoluto (licet in omnem eventum intempestivè, utpotè adhuc durante semestri præfatis Collatoribus Ordinarijs competente) fecisse dicebant, vel postea facere intendebant; non debet nec potest defectus ex forma hac in obtinenda reali possessione, dicto Antonio & eius successoribus nocere. Cùm alioqui is, qui auctoritate vel Iudicis vel superioris jubetur in possessionē ire, seu ad illam admitti, pro possessore vero & legitimo habeatur, si alius & præsertim is, qui ex officio ad admissionem obligatus est, eum impediat ingredi, *l. Cum unus §. fin. cum l. seq. ff De bon. auth. iud. possid.* ut ex facto consultus in simili respondit Marcus Antonius Natta, *cons.* 307. *Requisitus nu.* 4.

Cùm igitur non tantùm dictus Antonius, sed etiam Germanus, atquē item huius causæ Impetrans non priùs ad alterius operam vel officium recurrerint, quàm ex parte Decani & Capituli Thenensis admissionem & inductionem obtinere non potuerunt; debet pro legitima & sufficienti reputari inductio, quam à præfatis Francone Baken, & M. Ioanne vanden Putte Notarijs publicis respectivè obtinuerunt. Iusta enim & ex forma satis solemnis censeri debet acquisitio possessionis corporalis, quam ministerio dictorum Notariorum isti Collatarij sic obtinuerunt per traditionem & assignationem illius in ipsa Ecclesia S. Germani, etiam per publicationem lite-
34 rarum suæ provisionis ad valvas Ecclesiæ. † Nam ut ad acquirendā possessionem cujuscumque rei profanæ, præsertim immobilis, sufficit, si is, qui possessionem tradit vel tradendæ illius potestatem habet, in præsentia & aspectu rei illam ei, cui traditio facienda est, assignet aut in possessionē ire aut rem apprehendere jubeat, ad effectum consequendæ realis traditionis, & effectualis rei possessionis, *l. 1. §. si iusserim, l. Quod meo §. si venditorem D. De aquir. poss. Specul. in tit. de empt. & vendit. §. 1. vers. sed quid si in instrumento*; † ita 35 quoque pro assignanda & acquirenda beneficij ecclesiastici possessione, sufficit etiam nudo verbo introductionem & assignationem fieri in Ecclesia, in qua est beneficium, vel ad illius portas, imò in ipsius etiam cœmeterio, si Ecclesia clausa est, *Rota decis.* 153. *alias* 5. *De caus. poss. & propriet. in antiq. Lud. Rom. cons.* 482. *In casu præmisso nu.* 2. *& 3. latè Guido Papæ cons.* 71. *Pro decisione.* Vt dubitare non oporteat, quin legitima, id est naturalis & civilis sit possessio, quæ primùm dicto Antonio van Houthem in ecclesia, in qua est hic Canonicatus; deinde Domino Germano van Mulck per deductionem illius ad chorum; & novissimè Impetranti hujus causæ in ipso dictæ Ecclesiæ choro, cum assignatione stalli in eodem, & loci in Capitulo, tradita & assigata est.

Proinde cum per præmissa constet de idonea & capaci qualitate Impetrantis, atque etiam eorū, à quibus juris sui & possessionis adminiculum & accessionem trahit; constet item de potestate præfatorum Dominorum Decani & Capituli S. Ioannis Leodiensis, hunc, de quo controvertitur, Canonicatum pleno jure & cum effectu canonicæ institutionis conferendi, non verò ex nudo jure patronatus præsentandi dumtaxat ad illum; item quòd dictis Decano & Capitulo S. Germani nihil juris, præter nudam facti executionem, ad tradendum corporalem eiusdem Canonicatus possessionem, competat; & quòd propter difficultates & impedimenta per eos ad usurpationē amplioris juris iniecta, ministerio aliorum hæc eadem corporalis possessio Impetranti acquiri potuerit, & realiter acquisita fuerit: manifestissimum evadit, Impetrantem hujus Canonicatus verum & iustum fuisse & esse possessorem, ex titulo nedum colorato, sed etiam vero & sufficiente, ad quocumque genere interdicti possessorij ex ea experiendum, si res postularet; & præsertim retinendæ possessionis seu manutenentiæ adversus causæ Opponentem; cui ad contradicendum, & multo minùs ad interdictum duplicandum, uti temerè fecit, nihil juris competit vel competere potest. Vt interea hic non refricemus defectus personæ, quos idem Opponens patitur, & nos separatim aliis duobus responsis plenius deduximus, *Vide sup. cons.* 30. *de supplen. negli. prælat. & cons.* 34. *de filijs presbyter.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium triangulare ex nominatione Regia & duplici collatione duorum Collatorum ordinariorum.

1. *Causa beneficialis possessoria decidi debet pro eo, qui habet apparentiora iura.*

2. *Bene-*

2 *Beneficia regularia acceptari non possunt per gratias exspectativas.*

3. *Ex nominatione uni directa non potest acceptari beneficium, cuius conferendi ius alteri commune est.*

4. *Regula de idiomate quoad curata beneficia reddit provisiones nullas.*

5. *Status novissimus in beneficijs quomodo attendatur.*

CONSILIVM CCXLIIX.

IN triangulari causâ beneficiali possessoria inter Dominum Gasparem de Pape Impetrantem ex una, D. Guilielmum à fine Opponentem ex secunda, & D. Matthæum Heynsberch etiam Opponentem ex tertia partibus, de & super Parochialibus Ecclesijs de Bakel & Dorne, non admodum anceps esse videtur decisio litis, † ob id, quòd possessorium iudicium beneficij ecclesiastici decidendum sit pro eo, pro quo apparentiora jura proferuntur, *Doct. in l. fin. C. De edicto D. Hadr. toll. Rebuff. ad constitut. Reg. de caus. benef. poss. art. 1. glos. 1. vol. 3.* & qui causam allegatæ possessionis iustioribus clarioribusque titulis instruit, *glos. Clem. unicæ in fine De caus. poss. & propriet.* Et sanè quamvis nemo horum trium litigantium sit, qui probabilem titulum non habeat; potior tamen nobis videtur is, quo Dominus Matthæus nititur, ex collatione Domini Abbatis Epternacensis, cui ex erectione & fundatione collationem & præsentationem earundem Ecclesiarum reservatam esse D. Matthæus apertissimis, liquidissimis, & ex antiquitate venerandis instrumentis docuit; ita quòd de illo nullus possit esse scrupulus. 1

Ex adverso verò qui pro parte Domini Guilielmi ex præsentatione Reverendi D. Commendatoris Provincialis de Iuncis profertur titulus, nihil solidi habet, unde auctoris, hoc est præsentatoris jus & potestas iustificari possit: ita ut vel resoluto vel deficiente jure auctoris seu Collatoris, resolutum esse & cessare quoque debeat jus collatarij, *l. vetо §. prædium De leg. 2. c. ult. Ne Prælati vices suas &c.* Profert quidem & allegat D. Guilielmus, D. Gasparem Moers novissimum dicti beneficij possessorem ex præsentatione D. Commendatoris obtinuisse; sed in illius probatione aliqua est difficultas, ob id, quòd constet eundem Dominum Gasparem istas Ecclesias obtinuisse magis ex cessione ac dimissione D. Godefridi Erp, cui per gratiam Apostolicam de eis provisum erat, quàm ex præsentatione D. Commendatoris: demonstrat etenim id pensionis magnitudo, videlicet centum florenorum, quæ eo nomine D. Godefrido assignata fuit; quam verosimile est non pro redemptione litis, sed pro redemptione beneficij assignatam fuisse. Ita ut commentum sit & quæsitus titulus, qui de præsentatione Commendatoris proponitur; cujus aliqua alia præsentatio antecedens non profertur, prolata ex adverso probatione, quod ante D. Godefridum Erp, à quo D. Gaspar Moers obtinuerat, Dominus Guilielmus Enckevoirt has Ecclesias possederit non ex præsentatione Domini Commendatoris, sed ex collatione ac provisione Apostolica. * 2

Per quam probationem detegitur improbabilitas ejus, quod D. Guilielmus allegat has Ecclesias incorporatas esse Ordini Teutonicorum, & non sæculares sed regulares esse affectas Fratribus dicti Ordinis; cùm certi juris sit per provisiones, seu gratias Apostolicas acceptari non posse regularia, vel regularibus affecta beneficia, *c. Cum de beneficio De præbend. lib. 6. Felin. in c. In nostra De rescrip. Ioannes de Selva tract. de benef. p. 3. quæst. 58.*

Ex quo illud etiam consequitur, & sine ullo negotio convincitur, præfatum quoque D. Gasparem Impetrantem ex sua parte nullum, & ne coloratum quidem titulum prætendere posse. Quamvis enim justam & bonam habere videatur à Regia Catholica Maiestate nominationem, eâ tamen malè usus est, acceptando videlicet beneficium vel regulare, vel quod ad collationem illius, ad quem ejus nominatio directa fuit, hoc est D. Commendatoris, minimè pertinuit; nam ex defectu juris conferendi in Collatore, hoc beneficiū non cecidit nec cadere potuit in nominationem vel gratiam Domini Gasparis: † cùm uni alicui 3 directâ nominatione non possit virtute illius acceptari beneficium, quod nominatus Collator in sua potestate non habet; at nec illud, in quo jus conferendi cum alio commune habet, *c. Cum in illis §. fin. De præben. lib. 6. Rota decis. 271. nota glossam, aliàs est 66. De rescript. in antiq.* Vt proinde D. Gaspar planè aberraverit, & aberrando in periculum hujus causæ sese adduxerit, acceptando hoc beneficium, & pro eodem litigando vigore inutilis seu invalidi tituli. † Eoque magis, 4 quod etiam dicatur linguæ vernaculæ planè imperitus, & sic inhabilis sit ad hoc beneficium curatum, quod munus prædicandi annexum habet, secundùm regulam Cancellariæ Apostolicæ, quæ quascumque provisiones ex quibuscumque gratijs exspectativis quoad parochiales Ecclesias vult esse irritas & nullius momenti ob imperitiam idiomatis, *Lud. Gomes. ad reg. Cancell. de idiomate.* Cui regulæ derogari præsentis temporis calamitas & infelicitas nullâ ratione patitur; præsertim in hoc D. Gaspare, qui præter canendi artem nihil habet, adeoque etiam linguæ Latinæ prorsus imperitus dicitur.

Nec adversatur D. Matthæo, quod tradi solet, 5 novissimum statum in collationibus beneficiorum spectandum & servandum esse, saltem in adipiscenda & concedenda possessione beneficij Ecclesiastici etiã juris patronatus, *d. cap. Cum de beneficio Bald. in l. si mater C. Ne de statu defunct. &c.* & quod qui novissimè præsentavit vel contulit, sit in quasi possessione conferendi, sic ut ab eo præsentatus præferri debeat illi, qui se dicit à vero patrono, licet novissimè non contulerit, præsentatum, *c. Consultationibus De iurepatron. Decius cons. 153. In effectu nu. 4. & cons. 126. In causa domini nu. 2.* Nam paulò antè diximus liquidò non constare de præsentatione D. Commendatoris de persona Domini Gasparis Moers facta; sed ex adverso magis quòd illam obtinuerit ex dimissione Domini Godefridi van Erp; cui ut etiam ejus immediato prædecessori D. Guilielmo Enckevoirt per exspectativam gratiam de his Ecclesijs provisum fuerat: ita quòd in Domino Commendatore non possit constitui aliqua quasi possessio conferendi; quâ sublatâ concidat necessum est utriusque tam D. Guilielmi, quàm D.

Gaſparis titulus. Neque verò quòd dicitur de quaſi poſſeſſione conferendi conſervanda & attendenda ex ultimo ſtatu collationis ſeu beneficij, *d. c. Conſultationibus*, planè judaicè & ad literam tam ſtrictè accipi debet aut poteſt, quin veritas proprietatis juris patronatus ſeu collationis præferri debeat tali quaſi poſſeſſioni, quoties de illa conſtat. Tunc ergò ſtatur & inſtituitur demùm ultimæ poſſeſſioni ſeu ſtatui, quando non apparet de proprietate juris patronatus, *Rebuf. in d. c. Conſultationibus nu.* 9. ut eleganter conſulendo reſpondit Philippus Decius, *d. conſil.* 126. *In cauſa Domini Franciſci nu.* 3. *in fine.* Quod enim ultimæ poſſeſſioni ſtetur, in cauſa eſt, quòd ex præſenti ſeu ultima poſſeſſione præſumatur in præteritum eadem fuiſſe poſſeſſionis perſeveratio & continuatio; quæ præſumptio compertæ veritati meritò cedere debet. Vnde etiam eſt, quod in hoc puncto Ludovicus Romanus, *conſil.* 70. *Viſis themate nu.* 13. requirat ut minimum duos actus ſeu duas continuas præcedentes præſentationes, quæ factæ fuerint de beneficio, de cujus ultimo ſtatu quæritur: cujuſmodi præſentationes ex parte D. Guilielmi aut Gaſparis non ſtant; cùm conſtet immediatum prædeceſſorem D. Gaſparis Moers non obtinuiſſe ex præſentatione D. Commendatoris: & ſic non tantùm non eſt præſumptio ex præcedente poſſeſſione, ſed aperta probatio in contrarium tam veri juris patronatus, quàm contrariæ poſſeſſionis Domini Abbatis Epternacenſis, ad quem D. Gaſpar Payen nominatus non eſt. Cui Domino Abbati nocere non debet, quòd duabus noviſſimis vicibus non contulerit: id enim evenit non ex jure alterius cujuſcumque Collatoris, ſed quòd vel in menſe Pontificio vacaverint iſtæ Eccleſiæ, vel quòd id contigerit per præventiones ſeu mandatum S. D. N. Papæ, per quas non poteſt dici turbata poſſeſſio Ordinarij Patroni, *Decius d. conſ.* 126. *nu.* 4. *& ibi in addit.* præſertim Eccleſiaſtici (ut eſt dictus Abbas) cùm Pontifex cum quolibet inferiore Ordinario facilè concurrat; & mandando alicui provideri non tollat poſſeſſionem, ſed illius exercitium ad certam perſonam conſtringat. Ita ut quoquò res vertatur nihil occurrat, quòd D. Matthæo in obtinenda victoria obeſſe, vel dictis D. Guilielmo & Gaſpari ad eam obtinendam prodeſſe poſſit. Quod latiore deductione non proſequimur, cùm cauſa verſetur in manibus viri doctiſſimi; cujus cenſuræ & judicio iſta noſtra lubenter ſubijcimus.

De Præbendis.

SVMMARIVM

Poſſeſſorium inter proviſos, alterum apoſtolicè, alterum ordinariè.

1. *Poſſeſſorium judicium in beneficialibus dependet à juſtitia tituli.*
2. *Poſſeſſio beneficij quomodo acquiratur.*
3. *Beneficium in Romana Curia vacare cenſetur, quando reſignatio ibi fit, etiamſi mandatum alibi datum ſit.*
4. *Beneficia in Romana Curia vacantia pertinent ad diſpoſitionem ſolius Papæ.*
5. *Collatoris Ordinarij manus clauduntur beneficio reſervationi Pontificiæ affecto.*
6. *Reſervatio Papalis inficit omnem diſpoſitionem Ordinarij.*
7. *Spoliatus beneficio ab Ordinario collato contra reſervationem Pontificiam non reſtituitur.*
8. *In poſſeſſorio beneficij probari debet beneficium collatum eſſe ab habente poteſtatem.*
9. *Pacta ſunt, nullum præferre titulum & præferre inutilem.*
10. *Beneficia juris patronatus laicalis ſub reſervatione Pontificia non continentur.*
11. *Vnio beneficium unum extinguit & ſupprimit.*
12. 16. *Derogatio expreſſa excuſat ſurrepitionem, & ſuſpendit unionem.*
13. *Beneficia omnia quoad Papam ſunt mannalia.*
14. *Iura patronatus laicorum non facile derogatur per gratiam Pontificiam.*
15. *Iura patronatus clericorum facilius derogatur.*
17. *Vnio plena quæ ſit.*
18. *Vnio beneficij viventis eſt conditionalis.*
19. *Vnioni derogant collationes quæ poſtea fiunt.*
20. *Vnionem præſumi facit longa poſſeſſio.*
21. *Vniti beneficij permutatio non valet.*
22. *Status ultimus in beneficiorum collationibus inſpiciendus. Vnita beneficia nominationibus non ſolent eſſe obnoxia.*

CONSILIVM CCXLIX.

IN cauſa judicij poſſeſſorij ſeu manutenentiæ pendentis in Ampliſſimo Concilio Brabantiæ inter Chriſtianum van Ermegen Impetrantem, & Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ utriuſque ſexus S. Gertrudis Nivellenſis, eique adjunctum Dominum Ioannem du Mont Opponentem, ſuper poſſeſſione Capellaniæ beatæ Mariæ dictæ Dandaville in prætacta collegiata Eccleſia, pleniſſimè utrimque diſputatum eſt, non tantùm de poſſeſſione, ſed etiam de jure utriuſque partis; ita ut ad petitam cauſam amplior deductio nec deſiderari nec adferri poſſet. Et quoniam utriuſque partis allegationibus ac probationibus diſcuſſis, potior nobis videtur cauſa dicti Chriſtiani Impetrantis, infirmior verò & injuſtior adverſæ partis turbatio ac poſſeſſio, longiorem illam utriuſque partis in ſcripturis Advocatorum factam deductionem contrahentes, reſectis & omiſſis his, ex quibus cauſæ definitio non pendet, ea dumtaxat ad memoriam Clariſſimorum Dominorum revocabimus, quibus juſtitia acquiſitæ & hoc judicio juſtificatæ poſſeſſionis in dicta Capellania ex parte Impetrantis innitur: & rurſus injuſtitia factæ per partem adverſam turbationis & oppoſitionis, quæ Impetranti occaſionem confugiendi ad interdictum præbuit, detegitur.

Et primò quidem quia poſſeſſio beneficij Eccleſiaſtici aliquantulum variat à poſſeſſionibus rerum profanarum, in quibus à juſtitia cauſæ ſeu tituli non dependet poſſeſſionis ſubſtantia, *l. 3. §. fin. De acquir. poſſ. l. 2. §. ſeparata Pro emptore*; & poſſeſſio beneficij Eccleſiaſtici ſine titulo in genere juſto ac ſufficiente obtineri, *c. 1. De reg. jur. lib. 6. c. In literis De reſtit. ſpoliat. c. 1. De eo qui mitt. in poſſ.* vel juſtificari non poteſt, *Rota deciſ. 157. Si quis dicat, alias eſt 7. tit. de probat. in novis, Phil. Francus in c. fin. De reſtit. ſpol. lib. 6.* de poſſeſſione & juſtitia ejuſdem in perſona Impetrantis tractabimus. I

Primùm

Primùm ergò docuit Impetrans, *per Bullam Pauli nam de data* 1558. 4. *Idus Septemb.* sibi ex gratia & auctoritate Apostolica seu literis desuper expeditis provisum esse de hoc contentioso beneficio, vacante ex libera resignatione Domini Hieronymi de Hugardis novissimi & immediati præcessoris: sic quòd titulum habeat ab eo, qui conferendi potestatem indubitatè habet: nam Papa omnium beneficiorum liberam habet dispositionem, *c.* 2 *De præbend lib* 6 *Clem.* 1. *Vt lite pendente & c* Docuit quoque ex tonsura clericali hujusmodi simplicis beneficij se capacem esse, *c. Cum adeo De rescript. c Ex literis De transact.* & utendæ gratiæ Apostolicæ facultatem per literas Placiti Regiæ
2 Majestatis sibi permissam esse: † ac deinde vigore earundem literarum ad executionem processum fuisse per Reverendum Dominum Abbatem S. Gertrudis Lovaniensis ad Executorem in Bulla Apostolica deputatū, qui Impetranti possessionem juris tradidit, mandata ulteriore traditione realis & actualis possessionis, quam Quintinus Macquet Notarius publicus virtute clausulæ. *Cæterum &c.* in personam D. Stephani Alardi specialiter ad hoc per Impetrantem constituti procuratoris fecit, per traditionem illiorum, quæ ad incorporalis hujusmodi juris possessionem acquirendam de jure sufficiunt, *Imol. in d. c. In literis num.* 1. *&* 7. *Pet. Anchar. in c. sine possessione nu.* 11. *De reg. jur. lib.* 6. factâ etiam debita dictæ Bullæ ac processus fulminati publicatione; factâ quoque Dominis de prædicto Capitulo omnium præmissorum insinuatione; adjectâ requisitione de ulteriore ac reali admissione. Sic quod Impetrans non tantùm coloratam, sed veram ac justam possessionem habeat; quæ ad hoc interdictum ei sufficere debeat, adversus eos, qui nullo potiore titulo aut possessione impedimentum in pacifico usu ejusdem beneficij ei faciunt.

Cujus quidem turbationis & oppositionis injustitia ex eo apparet, quòd neque dicto Capitulo quoad jus prætensæ unionis; neque Domino Ioanni du Mont virtute assertæ collationis seu provisionis Capitularis (quæ provisionem Impetranti ampliùs quàm sesquianno secuta est, imò pendente hac lite primùm fabricata) licuerit Impetranti ullum obstaculum facere: dato etiam & concesso, quòd dicti Domini de Capitulo ordinariam contentiosi beneficij collationem ac provisionem habeant: id quod ita deducitur. Certum est ex tenore prætactæ Bul-
3 læ, † hoc beneficium vacasse apud Sedem & in Curia Romana: quotiescumque enim beneficij renuntiatio seu resignatio fit in Romana Curia, ibi quoque censetur beneficium vacare, etiamsi renuntians alio loco domicilium habeat, aut constitutio procuratoris ad faciendam renuntiationem alibi facta sit, *glos. V. collato in clem.* 1. *Vt lite pend. Archidiac. in c.* 2. *De præben. lib.* 6. *Steph. Bertan. consil.* 139. *Dudum anno num.* 1. *vol.* 7. *Paul. Paris. consil.* 10. *Bonum ius in princ. vol.* 4.

4 Iam verò omnia beneficia, quæcumque in Romana Curia per decessum vel cessum seu spontaneam resignationem vacant, sunt reservata & affecta speciali dispositioni atque provisioni Apostolicæ; ita ut inferior, quisquis ille sit, ad quem cessante hujusmodi vacationis genere & ex ea proveniente affectione collatio vel dispositio beneficij pertineret, ea vice non possit de hujusmodi beneficio ullo modo providere.

* Clausæ enim sunt manus illius, propter 5
prædictam affectionem & reservationem, quæ munita est per clausulam decreti irritantis, *d. cap* 2. *De præben. lib* 6. Ita quòd ab Ordinario contra dictam reservationem & provisionem Apostolicam intra mensem à die vacationis factâ, *d. c.* 2 *& c. Statutum De præb. lib.* 6. facta collatio vel provisio sit nullius momenti. ** Nam dicta 6
reservatio inficit nedum titulum, sed etiam possessionem illius, cui contra præmissam reservationem provisum extitit, *c. Si eo tempore De elect. lib.* 6. *Rota decis.* 14. *alias est* 2. *Fuit dubitatum, & decis.* 16 *alias* 3. *Si contra agentem. De rest. spoliat. in novis, & decis.* 475. *alias* 10. *Nota si agenti De causa possess. & proprietat. in novis.* * Usque adeò, ut contra 7
hanc reservationem per Ordinarium provisus, & in possessionem inductus, si spolietur, non obtineat in interdicto recuperandæ possessionis; quia exceptio reservationis Papalis inficit proprietatem ac possessionem, *Panorm. in d. c In literis. nu.* 28. *Rota d. decis.* 16. *Lapus alleg.* 24. Proinde quia ex renuntiatione D. Hieronymi de Hugardis in Romana curia facta, Impetranti statim post renuntiationem ex gratia Apostolica provisum extitit, non potuerunt prætati DD. Opponentes, contra notoriā hanc in corpore juris clausam reservationem jure suo confugiendi, si quod habuerunt, uti, & utendo dicto D. Ioanni conferre ac providere; præsertim post habitam notitiam de dicta renuntiatione & provisione, quam eos habuisse constat ex prætacta insinuatione, postquam pluribus mensibus eundem Dominum Ioannem adversarium Impetranti excitantes, eam provisionem fecerunt, quā idem Dominus Ioannes in hac causa utitur. Sic quòd idem D. Ioannes, cùm non doceat de justo aliquo titulo obtento ad eo, qui auctoritatem conferendi habuit, pro justo contradictore hîc haberi non debeat: † debet enim in pos- 8
sessorio probari beneficium collatum esse per habentem auctoritatem ac potestatem conferendi & instituendi, *Rota decis.* 65. *alias est* 5. *Nota quod ubi quis De restit. spol. in antiq.* quod in proposito casu dicere non potest D. Ioannes, quia Domini de prætacto Capitulo pro illa saltem vice jus conferendi aut providendi non habuerunt, nec tempore hujusmodi collationis ac provisionis vacavit hoc contentiosum beneficium, adeoque conferri non potuerit. *c.* 1. *&* 3 *De conceff. præben.* † nihil- 9
que interest nullum proferat D. Ioannes titulum (quo casu certissimū est in possessorioeum obtinere non posse, *Rota d. decis.* 257.) an eum proferat, qui invalidus & inutilis sit, *l. Quoties Qui satisdare cogan.* Et hoc est quod expressè ait Lapus, *alleg.* 16. *An valet collatio*, eum non habere coloratam possessionem, qui habet ab Ordinario, cujus manus per aliquam reservationem sunt ligatæ.

Quamobrem in eo non consistunt Opponentes, sed viteriùs progressi objiciunt vnionem, quâ hoc atque item alia novem similis conditionis beneficia per Sixtum Pontificem mense Capitulari dicuns

dicunt esse unita & incorporata: sic quòd neque sub generali illa reservatione contineri, neque per provisionem papæ jus unionis tolli posse videatur, *Rota decis.* 370. *Nota quod ubi beneficium De rebus eccl. non alien. in antiq.* * Quemadmodum nec beneficia juris patronatus laicalis, in Curia Romana vacanti sub illa reservatione continentur, *Cassador. decis.* 1. *sub tit. de dilat. nu.* 3. *Didac. Covar. Practic. quæst c,* 36. *nu.* 4. ita ut rotâ inversâ non videatur vacasse hoc, de quo hîc contenditur beneficium, *Freder. de Senis consil.* 200. *Quod permutatio nu.* 2. imò nec esse beneficium sub titulo Beatæ Mariæ Dandawille, quod virtute Papalis provisionis acceptari potuerit. † Vnio enim quia annexam incorporationem habet, supprimit & extinguit vnitum beneficium, facitque ut nomen beneficij amittat, solumque in consideratione habeatur id, cui unitur & annectitur: sic quòd unitum beneficium mensæ numquam vacare censeatur, neque ut vacans conferri aut acceptari possit, *Rota d. decis.* 270. *Ioan. Calder. cons. ult. de rebus eccles. non alien. Paulus Par s. consil.* 30. *In causa vertente nu.* 10. *vol.* 4. Quâ inducia Opponentes apertè allegarunt hoc beneficium non esse beneficium, sed tantùm Capellaniam vicarialem incorporatam. Cæterum facilè infringi potest hæc Opponentium allegatio. Et principiò dum negant beneficium esse hanc Capellaniam suo contrario facto convincuntur ob id, quòd ut & tamquam tale apud eos habeatur ac possideatur, & ipsimet dicto Ioanni contulerint, id nulla ratione facturi, si verè unitum fuisset. Nam, ut dictum est, unio extinguit & supprimit unitum beneficium, nec patitur idem ampliùs vacare vel conferri. Ita quòd inde certius dici possit, collationem & provisionem Domini Ioannis prorsus esse nullam, quasi factam de beneficio respectu Capituli minimè vacante. & provisionem Impetrantis per omnia esse validam, non obstante etiam verâ (si quæ hîc esset) unione; ob id, quòd in literis dictæ provisionis Apostolicæ hujusmodi unioni sit derogatum, illaque sit quo ad provisionem istam suspensa ad vitam dicti Impetrantis; uti verba bullæ apertè continent, *in clausula, non obstantibus &c.*

† Quæ expressa derogatio & suspensio à surreptionis & obreptionis vitio excusat Apostolicam provisionem; quâ non interveniente periclitari forte potuisset, in præjudicium unionis facta, *Rota decis.* 19. *alias est* 4. *Nota quod reservatio De rebus eccles. non alien in antiq.* † Cùm enim quo ad Papam omnia beneficia sint manualia, *Bald. in l. Rescripta C. De precibus Imper. offer.* illiusque in ijs summa & libera sit potestas, *cap* 2. *De præbend. lib.* 6. *c. Cuncta per mundum* 2. *q.* 3. *Alex. cons.* 74. *Viso puncto in fine vol.* 4. possitque etiam beneficia, Religiosis alicuius monasterij affecta, alijs conferre, quæ tamen per Abbatem alijs conferri non possent, *Innoc. Imol. Panor. in c. Nisi essent De præben. Card. Zabarell. in Clem.* 1. §. *præmissa De supplen. neglig. prælat.* nihil mirum, si collatio & provisio Papalis in præiudicium vnionis non perpetuò abolendæ, sed ad vitam provisi dumtaxat eâ vice (ut habent verba Bullæ) suspendendę valeat: uti consulendo latè atque eleganter respondit Philippus Corneus, *cons.* 67. *Circa secundam quæstionem vol.* 3. & à Petro Rebusso beneficiario practico traditum est, *in praxi benef. tit. de unione revoc. nu.* 33. Quæ sola consideratio sufficere posset ad tollendas hujus quæstionis decisionem. † Neque movet, quòd ita non derogetur juri patronatus laicorum, beneficio in Curia vacante: nam laicis ut ad fundationes provocentur, multa contra regulas juris sunt concessa, *Lud. Gomes. in reg. de trien. poss. q.* 31. *nu.* 19. & inter cætera quòd sub generalibus reservationibus Papalibus non comprehendantur beneficia, quę sunt de jure patronatus laicorum; neque illis ita facilè ex ordinaria potestate Papa derogat, *c. Cum dilectus De jure patron. Io. Monach. & alij in d. c.* 2. *De præben. Lib.* 6. *Didac. Covar. d. num.* 4.

* Ideoque etiam fit, quòd non eadem sit ratio juris patronatus clericorum seu ecclesiasticorum, quia eo non obstante eorum beneficia hujusmodi reservationibus subijciuntur, *Doct. in d. cap. Cum dilectus*: maius enim in his imperium sibi vindicat Pontifex. Atque ita quicquid juris habent præfati Opponentes ex dicta unione, id merè & per omnia tam ex personis quàm ex materia ecclesiasticum est, & quidem à sanctissimo Domino Papa, cujus ut est unionem inducere, ita quoque ei arbitrarium esse debet eandé aliquatenus suspendere; * & sic propter prædictam derogationem atque suspensionem effectus vnionis, si quis fuit, sublatus est quoad hanc provisionem, *Ioan. Andrea ad Speculat. tit. de præbendis in* 1. *addit. Rota d. decis.* 370. *Caccialupus in tract. de union. in* 9. *articulo Marian. Socin. nepos cons.* 93. *Conclusio firmata in prima vol.* 2.

Sed ne dictæ unioni aliquid tribuere videamur, hoc certiore ratione ex rei veritate dicimus, totum commentum & prætextum unionis, cui soli innituntur Opponentes in re proposita nihil esse curandum: nam unio per Sixtum facta, per subsequentem Innocentij revocationem (quæ omnibus Pontificibus in usu est, *Nic. Boer. decis.* 346. *Sed quæritur*) effectum suum ad hoc beneficium non extendit. † Vt enim ex unione beneficium supprimatur & extinguatur, atque eum eo cui unitur identitatem faciat ac confundatur, non est satis Bullam Apostolicam impetrasse, sed oportet virtute ejusdem Bullæ suppressionem & extinctionem realem sequi per incorporationem ipsius beneficij & bonorum seu redituum ejusdem, *Boerius. d. decis.* 346. *Guido Papæ consil.* 134. *Circa processum nu.* 5.

* Vnde omnis unio, quæ fit ex beneficio viventis vacaturo, non vacante tempore concessionis, est quodammodo conditionalis, ac saltem suspensa in casum futuræ vacationis & apprehendendæ illius possessionis: sic quod illius effectus suspendatur donec verè fiat suppressio atque extinctio, ac virtute unionis apprehensa possessione incorporatio & appropriatio, *Rota decis.* 19. *alias est* 4. *nota quod reservatio. de reb. eccle. non alien. in antiq. Card. Zabarell. in cle. fin. q.* 9. *de reb. eccle. non alienan. Rebuff. in d. tit. de unio. revocand. num.* 33. & sic non prius dicitur unio fortita effectum, quàm plenissime executioni mandata fuerit, *Guido Papæ d. consil.* 134. *nu.* 5. Vnde etiam est quod liberior sit potestas conferendi beneficij sola tantum concessione Papali uniti, plena executione nondum sequuta *Corneus d. cons.* 67.

Quis

Quia igitur ex omnibus allegationibus Opponentium aut ex conclusionibus seu collationibus quas Domini de Capitulo citra datam impetratæ unionis fecerunt, nusquam constat ante prædictam revocationem Innocentij Dominos de Capitulo apprehendisse hujus hîc contentiosi beneficij possessionem, imò nec interea vacasse, proferantque tantum documentum de illius vacatione contingente anno 1508. nec doceant se illius possessionem jure unionis ante vel post specialiter apprehendisse & suæ mensæ incorporasse: consequens est quod virtute revocationis per Innocentium aliosque sequentes Pontifices factæ, *Boerius d. decis.* 346. sublata fuerit dicta unio, aut saltem minimè ad effectum & extremam perfectionem perducta; sic quod vacatione potissimum in Romana curia contingente, per Pontificem conferri potuerit hoc
19 beneficium, etiam sine expressa & individuali derogatione dictæ unionis.

Quam quidem impetratæ pro parte Opponente unionis imperfectionem arguit & illud, quod hoc beneficium, ut verum & proprium separatumque, nullique alij annexum, jam sæpius sit collatum non tantum ex vacatione per mortem aut liberam resignationem, sed etiam per permutationem contingente: quæ collatio, ut dixi, unioni repugnat & ad perfectionem
20 consummationemque perductam non fuisse arguit. * Vt è diverso ex possessione longiore, quâ unitum beneficium cum principali semper possessum & obtentum ac retentum fuit absque
21 eodemque, nulla separatione interveniente, præsumitur unionis legitima constitutio, *Oldrad. cons.* 296. *De iure nomini.* * Quam imperfectionem potissimùm arguit permutatio per dictum Capitulum in hoc beneficio admissa: nam uniti beneficij etiam ante consummatum effectum unionis facta permutatio non valet, *Rota decis.*
22 168. *alias* 2. *de reb. eccl. non alien. in antiq. Freder. de Senis d. cons.* 200. *nu* 2.

His omnibus hoc addimus, quod in beneficiorum Ecclesiasticorum collationibus & provisionibus ultimus illorum status semper attendi debeat, ac hoc, ut percipiatur, an beneficia sint liberæ collationis, an verò non, *c. Cum de beneficio & ibi not. de præb. lib.* 6. *Bald. in l. Si mater, & ibi gloss. C. Ne de statu defunct. Rolandus à Valle cons.* 47. *Visis uribus nu.* 39. *vol.* 1. ita ut si quis novissimè beneficium possedit, ex libera collatione illud obtinuit, liberæ conditionis in præteritum censeri debeat, & tamquam tale conferri iterum possit.

Atque ita cùm liquidò constet D. Hieronymum ex libera resignatione, illiusque antecessores ex permutatione obtinuisse; nihil dubitandum, quin & S. D. N. Papa ea forma ac statu attentis, vacans hoc beneficium in Curia Romana conferre potuerit. Cùm etiam præterea sit quod sibi imputet Opponentes, quòd Apostolicâ concessione neglectâ, intra fines unionis non constituerint, & formam in concessione unionis præscriptam non observaverint, sed se sic indignos concessione ac privilegio unionis fecerint; atque se potiùs in priore possessione veræ unionis (si quæ fuerint) turbaverint, imò expulerint, quàm quòd in hujusmodi jure aliquam turbationem ab Impetrante passi sint. Possent plura adferri argumenta, quæ dissolutionem hujus unionis, aut potiùs inutilitatem ex illius imperfectione arguerent: veluti fructuum separata administratio, releviorum usus, aliorum consimilium beneficiorum resignationes ac per-23
mutationes. † atque item (quod evidentem habet rationem) de subiectione horum beneficiorum nominationibus Apostolicis studiorũ causa Vniversitati Lovanienſi concessis, probata per sententiam hujus Amplissimi Concilij in causa D. Iacobi Laurentij; quod nulla ratione permittendum esset, si hæc beneficia verè essent unita, *c. cum in Eccles. c. Cui de non sacerdotali De præben. lib.* 6.

Sed sunt hæc & pleraque alia per D. Advocatum feliciter tractata, neque longiore refricatione indigent, cùm in præmissis subvertendi tituli & juris, quo Opponentes ferociunt, satis evidentes ac potentes sint rationes, quæ vitio nullitatis ac injustitiæ planè inficiunt tàm possessionem, quàm titulum Opponentium coniunctim & divisim: nulla in contrarium militante ratione, quâ titulus & possessio Impetrantis simili morbo laborare dici possit. Ita ut Amplissimorum Dominorum meliori judicio semper salvo, existimemus sententiam in hac causa secundùm conclusionem Impetrantis per omnia ferendam.

De Præbendis.

SVMMARIVM

Possessorium post resignationem alterius collitigantium.

Collitigatore, lite beneficiali pendente moriente, aut matrimonium contrahente, an jus ejus transmittatur in collitigantem vel ei adjudicanda sit possessio beneficij contentiosi.

1. 3. *Collitigante mortuo collitiganti superstiti nullum ius acquiritur.*
2. *Regula* de surrogandis collitigantibus.
4. *Attentari non debet pendente tempore deliberandi ad appellandum.*
5. *Appellatione à sententia possessorij intra tempora non interpositâ is, cui possessio adiudicata est, pacificus redditur, si petitorium non sit intentatum.*
6. *Appellandi tempus quando currat si procurator tempore latæ sententiæ fuit præsens.*
7. *Restitutio in integrum non tollit ea quæ ante restitutionem legitime facta fuerunt.*

CONSILIVM CCL.

LIs mota fuit coram Audientia patriæ & Comitatus Hannoniæ super manutenentia seu possessorio Cappellaniæ sanctæ Catharinæ in parochiali Ecclesia de Hourbes inter D. Ioannem de Werchyn Actorem seu Impetrantem, & M. Petrum Cardon Reum Opponentem: in qua lite, post recredentiam seu fiduciariam possessionem dicto M. Petro Cardon adjudicatam, lite contestata & terminis probandi constitutis, dictus Dominus Ioannes probationes suas non fecit, ideoque ipso ab illis per decretum secluso, obtento congedio (ut vocant) adjudicatum est dicto M. Petro plenum possessorium. A qua sententia seclusionis & adjudicationis

bonis pro parte dicti Domini Ioannis non est appellatum intra septem dies & noctes; qui terminus appellandi per leges Comitatus Hannoniæ constitutus est. Lapso termino hoc appellandi præfatus M. Petrus Cardon certò sibi persuadens, quòd lis super possessorio finita & terminata, & sic in pacifica possessione constitutus esset, dictam Cappellaniam via Canonicæ permutationis circiter uno mense post dictum terminum appellandi intra septem dies & noctes, resignavit & transtulit in M. Carolum Pepin: quo sic in possessione dicti beneficij legitimè constituto, post sex aut circiter septimanas præfatus M. Ioannes Werchyn, sub prætextu, quòd dicta sententia ad ejus notitiam non pervenisset, tertio die à prima notitia ab ista sententia appellavit ad curiam Montensem: circa quod tempus prætactus M. Petrus Cardon contraxit matrimonium, ob quod dictus M. Ioannes Werchyn petit sibi adjudicari plenum possessorium, ex ea causa, quasi tam de jure quàm ex stilo omnium curiarum uno ex collitigantibus in possessorio beneficij Ecclesiastici lite pendente vel moriente, vel matrimonium contrahente, omne illius jus transferatur in collitigantem; cui ob id sine ulteriore processu plenum possessorium adjudicari debeat. Contra quam dicti D. Ioannis petitionem præfatus M. Carolus Pepin se opponit; cujus oppositione non obstante, per varias & diversas allegationes dictus Dominus Ioannes in integrum est restitutus & illi iterum concessus terminus unius mensis ad probandum; quod tamen nec intra tres quidem menses fecit: quibus lapsis idem Magister Ioannes nihilominus petijt sibi adjudicari plenum possessorium, propter contractum matrimonium præfati M. Petri Cardon.

Quæritur, an vitium litigiosi præfato M. Petro Cardon post obtentam sententiam ademerit facultatem resignandi dictam Cappellaniam, an ex eadem resignatione dicto D. Ioanni aliquid juris sit acquisitum per contractum matrimonij præfati M. Petri, ex quo possit contendere ad adjudicationem pleni possessorij contra dictum M. Carolum.

Respondemus in primis nobis verosimile non esse, quod proponitur de jure collitigatoris lite pendente morientis, an matrimonium contrahentis transmittendo in collitigatorem, vel ex ea transmissione collitiganti adjudicandam esse possessionem beneficij contentiosi: † nam ex juris communis dispositione id non est. Etsi enim constitutum sit, *in c. 1. & 2. Vt lite pendente lib. 6. Clem. 1. §. si vero eodem tit.* quòd altero ex electis collitigantibus mortuo ad electionem seu collationem beneficij tamquam ex capite morientis vacantis procedi non possit, nisi sententiâ contra superstitem collatorem latâ; nullo tamen jure cautum invenitur, quòd ex morte collitigatoris aliquid accedat superstiti collitigatori: † & ne quidem ex regula Cancellariæ, quæ est *de collitigatoribus Iurrogandis.* Hæc enim ex morte, vel ex contractu matrimonij, vel ex ingressu Religionis, aut alio casu contingente vacatione in persona unius collitigatoris, non transfert eo ipso aliquod jus sive proprietatis sive possessionis in superstitem collitigantem; sed vult quòd intra mensem à die hujusmodi casus alij provideri non possit, & impetrationes interea factæ sint nullius momenti, ad eum finem, ut facilius superstes collitigator defuncto suo collitigatori surrogari & inde litium finis esse possit, *Lud. Gomes ad reg. Cancell. de surrog. collit.* Vnde cùm D. Ioannes Werchyn beneficio illius regulæ usus non sit, hoc est hactenus surrogationem peculiariter non impetraverit, non est, quòd dici possit ex persona præfati Petri Cardon aliquid juris acquisiviisse aut prætendere posse.

Nec scimus aliquam in contrarium extare practicam; præterquam quòd in Concilio Brabantiæ servari sciamus, ut altero collitigantium super possessorio beneficij lite pendente resignante, quasi illius possessione cum jure extincta, indubitatas vires obtineat possessio alterius collitigatoris; cui ob id in judicio possessorio solet possessio adjudicari, *c. Accepta & ibi D D. De restitut. spoliat. Decis. Tholos.* 492. iuxta illud, quòd agenti possessorio in beneficialibus obstet exceptio renuntiationis *Andreas Barbat. cons.* 47. *Cardo huius nu.* 3. *vol.* 2. Sed idem in alio vacationis modo seu casu obtinere aut practicari non videmus: imò scimus in multis casibus ad possessorium judicium admissos esse, qui in jus collitigatoris morientis aut aliter deficientis ex nova peculiari provisione successerunt, quasi pro suo interesse ad litem admitti debeant, *d. c. 2. Vt lite pend. lib. 6.*

Interim quòd ad propositum casum attinet, non in eo videtur nobis versari cardo negotij, quasi ex eo, quòd beneficium in possessorio judicio litigiosum alteri sine periculo transferendæ possessionis in adversarium, seu illi eam reliquendæ ex stilo Curiarum resignari non possit, præfatus D. Ioannes Werchyn meliore loco sit in hoc possessorio judicio constitutus quàm præfatus M. Carolus Pepin; per hoc, quòd M. Petrus Cardon beneficium suum resignaverit, & præterea etiam matrimonium contraxerit intra illud tempus, quo præfatus D. Ioannes Werchyn ad beneficium appellationis adhuc pervenire potuit; * quodque ut interposita & pendente appellatione nihil attentare aut innovare licet, *toto tit. D. Nihil novari appellat. interposita, Celsus Hugo cons.* 89. *Duplici capite nu.* 2. ita nec liceat pendente tempore deliberationis, hoc est quo appellatio interponi potest, etiamsi nondum interposita sit, *l. Appellatione C. De appellat.* Nam ut id verissimum est, ita ad casum præsentem planè impertinens. † Neque enim hic agitur de resignatione facta intra illos septem consuetudinarios dies & noctes, qui, ut ex jure communi decem dies, *Authen. Hodie C. eod. tit.* ad appellandum & appellationem interponendam concessi sunt, sed de ea quæ ex intervallo unius mensis & amplius postea facta est, tunc cum sententia possessorij translata in rem judicatam, & M. Petrus esset quietus, pacificus, & indubitatus hujus beneficij possessor. Transit enim sententia in rem judicatam, si intra statutum tempus ab ea non est appellatum, *l. Si pecuniam C. De re iud.* ideoque post illud tempus non potuit dici istud beneficium vitio litigiosi infectum neque respectu proprietatis (quo propriè efficitur litigiosum,

sum, *Gloss. in V. Litigantibus in c. 1. Vt lite pend. lib. 6. Cassadorus decis. 4. Vt lite. pendente*) quia nullum petitorium judicium adversus dictum M. Petrum institutum aut inchoatum fuit; neque respectu possessionis, propter litem super illa institutam, per sententiam finitam, *Lud. Roma. cons. 499. nu. 5.* Ita ut in tam plena possessione constitutus idem M. Petrus potuerit, ut retinere, ita quoque dimittere & in alium transferre hoc suum beneficium.

6 Neque dicto D. Ioanni Werchyn patrocinari potest, quòd tempus ad appellandum præscriptum tam ex statuto vel consuetudine, quàm ex jure communi non à momento latæ sententiæ sed ex die notitiæ incipiat currere, *l. Ab eo & ibi Gloss. & Doct. C. Quomodo & quando index &c.* & quòd à à die notitiæ intra triduum appellaverit. Nam cùm proponatur dictum D. Ioannem Werchyn habuisse procuratorem, tempore latæ sententiæ præsentem, ratio aut consideratio scientiæ seu notitiæ vel ignorantiæ non habetur; sed currit tempus appellandi statim à momento pronuntiatæ sententia, nec auditur si postea appellare velit. satis enim est, quòd procuratorem reliquerit, & is causæ adfuerit; cui imputare debet quòd non tempestivè appellaverit, ut expresso jure cautum est, *l. 1. in fine D. Quando apellandum sit Doct. in d. l. Ab eo, And. Tyraquellus de retractu §. 35. Gloss. 4 nu. 1.* Quo casu si procurator solvendo non est, per restitutionem in integrum, non ipso jure, domino succurri potest, *Alexand. cons. 95. Visis processibus nu. 7. vol. 2.*

Neque rursus eidem D. Ioanni Werchyn prodesse potest ad iterum superinducendum vitium litigiosi, saltem quoad possessionem, quòd obtinuerit restitutionem in integrum ad prosequendam hanc appellationem. Nam præsuppositâ hujusmodi restitutionis justitiâ, nihilomagis in periculo vitij litigiosi fuisset hoc beneficium eo tempore, quo M. Petrus illud M. Carolo resignavit, quia certum est eo tempore litem nullam & tempora appellationis lapsa fuisse & sic M. Petro liberam potestatem resignandi, *arg. d. c. 2. Vt lite*

7 *pendente lib. 6.* † Neque vero ex eo, quòd M. Carolus postea restitutus fuerit ad appellandum omnia, quæ per partem adversam medio tempore acta fuerunt, pro nullis sunt habenda aut rescindenda: nam quæ ante restitutionem integri jure permittente facta sunt, suo loco manent nec rescinduntur: satisque est si indemnitati illius qui restituitur succurratur, *l. Si ex causa judicati D. De minoribus.* Vt in proposito satis succurritur M. Carolo, quòd per decretum restitutionis ad prosecutionem appellationis & illius cognitionem iterum admittatur, etiamsi simul id quod M. Petrus medio tempore licitè fecit non rescindatur: quia ex restitutione non debet quis lucrum consequi, sed sufficit, quòd damnum reparet seu evitet, *l. 1. C. De reputat. quæ fiunt. &c.* Proinde resignatio per M. Petrum post rem judicatam ante petitam restitutionem facta, effectum suum sortietur perinde ac si nulla lis fuisset; & ad defensionem in hoc possessorio judicio admittendus erit M. Carolus in locum M. Petri legitimè surrogatus, *arg. c. fin. Vt lite pendente lib. 6.* cui nihil officiet contractus matrimonij, qui factus fuit eo tempore quo M. Petrus per resignationem desierat esse dominus seu possessor hujus beneficij; potissimum si ejusdem M. Petri nulla redargui poterit fraus, dolus, aut collusio.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium ex indulto Nominationis facultatis Artium in Vniversitate Lovaniensi & resignatione ex causa permutationis.

1. *Appellari posse à sententia recredentiæ seu fiduciariæ possessionis.*
2. *Recredentia sola decerni non debet, ubi constat de pleno possessorio.*
3. *Iuris dejectûs adversario recte objici in beneficialibus*
4. 6. 8. *Renuntiatio beneficij inducit turn & possessionis amissionem*
5. *Protocollo an standum potiùs quàm formali instrumento, dum contraria continent.*
7. *Permutantes beneficia quomodo ad dimissa beneficia revertantur, si permutatio effectum non habeat.*
9. *Litigiosi vitium in beneficijs an faciat in super possessione illorum.*
10. *Beneficia collitigantium, si alter eorum moriatur, an per tertium occupari possint.*
11. *Intrusus est qui post suam renuntiationem sine novo titulo possessionem abdicati beneficij occupat.*

CONSILIVM CCLI

BOno jure est appellatum pro parte Domini Bartholomæi Petri, à sententia fiduciariæ possessionis seu Recredentiæ per D. Gubernatorem Insulensem lata, per quam prælato jure, quod in possessorio judicio Helias des Plancques originalis Actor, ad Canonicatum & præbendam Collegiatæ Ecclesiæ sancti Petri Insulensis & illorum possessionem prætendit, idem Heliæ potiùs quàm dicto Bartholomæo Opponenti dictam recredentiam adjudicavit. Idque duplici ex causa, tum quòd Opponens in eo sit gravatus, quòd cum causa sic instructa fuerit, ut etiam secundùm Opponentem super pleno possessorio judicari debuerit, super sola recredentia jus dictum sit: tum quòd in calculo ferendæ sententiæ super recredentia jus ipsius Domini Bartholomei Opponentis longè clarius atque etiam potentius sit. 1

Nam quòd ad prioris gravaminis articulum attinet, hoc manifestum est, quòd etsi super recredentia seu fiduciaria possessione lata sententia, non obstante appellatione, executioni mandari possit, quia tantùm est momentaneæ possessionis, *l. 1. C. Si de moment. poss. appel. fuer.* appellatio tamen ad effectum devolutionis causæ ad superiorem & ad facultatem sententiæ illius, si justitia appellationis hoc postulat, retractandæ, jure & ex consuetudine ac praxi forensi permittitur, *Rebuff. ad constit. Reg. tit. de sent. execut. in præfat. num. 28. & art. 1. glos. 14. & in tract. de mater. poss. art. 13. gl. 1. nu. 25.* Appellandi autem à sententia recredentiæ justa

causa non in eo tantùm consistit, si ei, cujus jura apparentiora non sunt, adjudicata sit recredentia, quæ ex juris & æquitatis ratione ei potiùs, cujus jura apparentiora, liquidiora, ac clariora sunt, adiudicari debet, *Rebuff. in d. tract. de sent. execut. gl. 7. nu. 2.* † verùm etiam ex eo, quòd, cùm causa sic instructa esset, ut non super recredentia tantùm, sed etiam super pleno possessorio secundùm intentionem appellantis judicari debuerit, & potuerit, super sola recredentia jus dictum est. Non enim facienda sunt duo capita possessorij, quando in uno utriusque decisio fieri potest: ne quod per pauciora fieri & expediri potest, in plura & varia diffundatur capita, *l. Dominus in fine & ibi Bart. De condict. indeb.* Ita quod appellatione etiam à tota recredentia uni adiudicata, interpositâ, non tantùm recredentiæ, sed pleni etiam possessorij cognitio devolvatur ad superiorem; & superior unico judicio tam super recredentia, quàm super possessorio cognoscere & judicare possit, *Rebuff. ad constit. reg. tit. de caus. poss. benef. art. 1. gloss. 1 parte 3.* Proinde cùm causa hæc possessoria sic instructa fuerit in prima instantia, quod in illa potuerit ferri sententia manutenentiæ in pleno possessorio; rectè appellatum dici debet pro parte Opponentis, vel ob hoc solum, quod plena pro eo non sit lata sententia manutenentiæ: sic quod Dominus Gubernator de ulteriore seu pleniore judicio possessorio cognoscere ampliùs non possit; totaque hæc causa possessoria devoluta sit ad provinciale hoc Concilium Gandense; cujus officium ob id erit nunc & recredentiæ & pleni possessorij judicium unicâ sententiâ terminare.

Quod autem longè apparentius, clarius, & liquidius sit jus præfati Domini Bartholomæi Opponentis ex sequentibus probatur. Et primò quidem ex penitus deficiente titulo ac jure dicti 3 Actoris. † Etsi enim aliàs in alijs causis quisque ex suo jure, quod sibi adest, non ex defectu juris sui adversarij agere & causam suam metiri debeat, *l. 1. §. 1. Si pars hæred. pet. l. Vt si frus Si usus fr. petat. l. Loci corpus §. competit. Si servit vindic.* in causis tamen beneficialibus etiam possessorijs utique licet præsertim Reo seu Opponenti jus suum stabilire ex defectu juris partis adversæ; cùm hujusmodi sive exceptio sive objectio, sit exclusiva partis agentis, *DD. in c. Mandatum De rescript. Gemin. cons. 91. Præmuto quod possessori, Lud. Rom. cons. 347. Quoad articulũ:* quia cùm judiciũ possessoriũ justificari debeat ex justis causis acquirendi beneficij, *Rota decis. 7. Nota quòd ubi agitur de restit. spoliat. in antiq. Decius in l. ult. C. De edicto D. Hadriani tollen.* consequens est defectum tituli & causæ in adversario prodesse ad obtinendam sententiam possessorij adjudicatoriam.

Porrò Dominum Heliam nihil juris, nullum 4 titulum habere, nec tempore impetrati interdicti habuisse in hoc contentioso Canonicatu, inde patet, quòd etsi aliquando justo titulo illum obtinuerit & possederit; ab illo tamen exciderit per propriam renuntiationem seu resignationem; quæ id efficit, ut jure & possessione illius ceciderit, nec ad illum regressum aliquem retinuerit: renuntiantibus enim juri suo non datur regressus, *l. Quæritur §. si venditor D. De adil. edicto, cap. Eos VII. q. 1.* ita ut nec prætextu spolij audiri debeat, cui objici potest spontanea vel abjuratio vel renuntiatio beneficij, *c. Accepta De restit. spoliat.* Sic quod in hac causa, sive illa sit interdicti retinendæ, sive restituendæ vel redintegrandæ possessionis, Actori potentissimè obstet dicta renuntiatio seu resignatio, quam ex illius mandato & speciali procuratorio fecit Dominus Matthæus Lobet. Ex qua resignatione eundem Canonicatum obtinuit, & totis decem annis ante hanc litem institutam pacificè possedit Dominus Guilielmus de Prez in hac possessoria causa primus dicti D. Heliæ adversarius; ut proinde neque juris neque possessionis prætextus ullus in Actore constitui possit. De mandato per Actorem dicto D. Matthæo dato, nulla est dubitatio: cùm de illo constet per publicum & clarum notariale instrumentum. Sed in eo movetur contentio, quod Actor asserat D. Matthæum non fecisse hanc renuntationem seu resignationem, sed Dominum Ioannem Baillet, de cujus mandato non constat; cujus renuntiatio seu resignatio ob id Actori nocere non debeat, cùm nemini per alterum sine ipsius facto jus suum auferri debeat, *l. Id quod nostrum De reg. jur.* * Causam contentionis subministrat, quod in re- 5 gistro Capituli inveniatur scriptum, quod D. Ioannes Baillet fecerit hanc resignationem. Cæterùm cùm de hac resignatione extet publicum & formale instrumentum sigillo Capituli sigillatum, in quo continetur, resignationem esse factam per D. Matthæum, illi potiùs quàm dicto registro standum est. Etsi enim aliàs registro, archetypo, protocollo, seu imbreviaturæ Notarij multum authoritatis tribuatur, *§. sed etsi instrumenta in Authen. de instrum. caut. & fid. Card. Zabarel. cons. 77. Redemptoris nostri nu. 7. Felin. in c. Cum P. tabellio de fide instrum.* supervacua tamen est disputatio de registro, cum ad manum est exemplar, seu authenticum & formale de actu, de quo quæritur, instrumentum in publicam formam redactum, & omnibus suis numeris absolutum, *l. 2. C. De fide instrum. l. ult. D. Quemad testam. aper.* Verum quidem est, in discordia seu repugnantia formalis instrumenti cum protocollo, cæteris paribus magis stari protocollo, quòd illud contineat rei originem & fontem, *Felin. in d. c. Cum P. tabellio:* sed cùm aliundè de veritate instrumenti formalis constare potest, præsumitur potiùs in protocollo seu registro error, & præfertur fides instrumenti formaliter absoluti.

Iam verò in proposito plura concurrunt, quæ non tantùm verosimilitudinem, sed ipsam veritatem factæ non per D. Ioannem Baillet, sed per D. Matthæum Lobet resignationis omninò adstruunt. Et imprimis quidem antecedens Actoris mandatum, quod D. Matthæo, non Ioanni Baillet datum est: actus enim sequens præsumitur factus ad executionem præcedentis dispositionis, *l. 3. verum quæri poterit D. De manumiss. l. Qui in aliena §. si is qui putabat D. De acquir. hæred.* Nec præsumendum est, quòd D. Ioannes Baillet voluerit facere resignationem sine mandato; & multo minùs quod Domini de Capitulo Insulensi non prolato instrumento procuratorij voluissent

issent resignationem admittere. Secundò, non nudum notariale instrumentum hic profertur de facta & admissa hac resignatione, sed præterea etiam sigillo dicti Capituli signatum: ita ut, si quæ posset esse dubitandi causa in subscriptione Notarij, propter discordans registrum, illa omninò discutiatur per appositionem sigilli dicti Capituli, asserentis hanc resignationem esse factam per D. Matthæum Lobet: sic quod instrumentum formale, quod Notarij subscriptionem habet, & præterea sigillum Capituli, omnimodò in veritatis assertione præferri debeat protocollo seu registro originali; cùm literæ sigillatæ Episcoporum & Capitulorum plenissimam fidem faciant, *c. 2. De fide instrum. gl. & Doct. in cap. Post cessionem* De *probat.* Tertiò, quod non tantùm factæ & admissæ resignationis ac hujus Canonicatus sic resignati prafato D. Guilielmo colliati instrumentum contineat hanc resignationem esse factam per Dominum Matthæum: sed idem quoque contineat sequens instrumentum notariale de acquisita & apprehensa possessione hujus Canonicatus. Quorum duorum instrumentorum conformis geminatio omnem dubitationem discutit; & ut in alijs plerisque, *l. Ballista D. Ad S. C. Trebellian.* hoc efficit, ut non præsumatur errorem in his instrumentis esse admissum, *Lud. Roman. in l. Si verò §. de viro* D. *Soluto matrim.* Quartò evidentissimè veritatem sic factæ per D. Matthæum resignationis, ultra dicta duo instrumenta, probat D. Heliæ propria confessio, quam fecit in libello supplice, quem diu ante hanc litem porrexit Capitulo Insulensi adversus D. Matthæum suum avunculum ad cogendum eum, ut possessionem & fructus beneficij, quos ex resignatione D. Guilielmi des Prez ex causa permutationis cum hoc Canonicatu acceperat, evacuaret & restitueret: in quo supplice libello inter alia apertè narrat se dicto D. Matthæo dedisse mandatum ad resignandum, & D. Matthæum ex hoc mandato resignasse ad opus præfati D. Guilielmi des Prez. Quæ narratio pro confessione est, & vim confessionis habet, *l. cum precum C. De liber. causa.* Quintò præsumptionem hujus veritatis adauget, tam longa dicti D. Guilielmi ex hac resignatione obtenta & retenta possessio. Sextò, convincitur dictorum instrumentorum veritas & detegitur dicti registri error ex propria Notarij confessione per illius literas facta, quibus se in registro describendo errasse confessus est. Qui sanè Notarij error non debet compertæ veritati præjudicium facere, nec Domino Guilielmo seu Opponenti hujus causæ in ejus locum succedenti nocere, *l. Errore C. De testam. l. Si librarius De reg. iur.* Relinquitur ergo ex registro dicti Capituli non posse expugnari hæc duplicata duo instrumenta factæ per D. Matthæum resignationis.

Quæ etiam causa est, cur Actor non confidens huic allegationi ex dicto registro, prætactum instrumentum dati mandati seu procuratorij ad resignandum, velut insimulatione falsi oppugnare tentaverit, asserendo se tempore dati hujusmodi mandati alibi extra patriam in Gallijs fuisse. Sed adversus publicum notariale instrumentum præsumitur improba hæc allegatio *l. Optimam C. De contrahen. stipulat.* nisi evidentissimis probationibus probata fuerit, & magis (ut inquit Iustinianus) per alia instrumenta quàm testimonia. Instrumenta autem hac de re nulla prolata sunt; & quid contineatur in testimonijs Actoris, quia publicata non sunt, nec publicari ex consuetudine solent, quamvis certò dicere non possumus, nihil tamen contineri præsumimus: ob hoc, quòd Actor ipse in supramentionato supplice libello contra D. Matthæum exhibito, apertè & rotundo ore confessus sit, se eidem D. Matthæo dedisse mandatum seu procuratorium ad resignandum; ita quod contra tam apertam confessionem ei credendum non sit, *l. Generaliter in fine C. De non. num. pecun.* & sic verosimile fiat aliud probatum non esse.

Stat ergo mandatum seu procuratorium Actoris ad resignandum; stat quoque & effectum sortita est renuntiatio seu resignatio vigore illius facta: unde consurgit amissio non tantùm Canonicatus, sed etiam possessionis illius. Cum enim possessio in beneficijs non stet per se sine adminiculo tituli saltem colorati, *Rota decis. 7. alias est 2. De restit. spoliat. in antiq. Phil. Franc. in c. fin. De rest. spoliat. lib. 6. Rebuff. ad const. reg. tit. de caus. benef. poss. art. 1. gloss. 1. nu. 4. Lud. Gomes. ad regulam de public. resign. q. 3. nu. 3.* fit, ut per spontaneam abdicationem, renuntiationem, seu resignationem tituli in ipso quoque momento subintret abdicatio & amissio possessionis, Doct. *in d. c. Accepta De rest. spol. decis. Tholos.* 492. Cujus deinde renuntiationis & abdicationis effectum nihil impedit, si fortè dictus Helias non pervenerit ad possessionem compermutatæ Cappellaniæ S. Petri de Halewyne: nam si id verum est, præfato D. Guilielmo imputari non potest, qui quod in se fuit fecit, hoc est illud ad manus dicti Capituli ad opus Actoris resignavit, & resignati possessionem dimisit, virtute cujus D. Matthæus etiam nomine procuratorio ad possessionem illius pervenit & fructus percepit, vti constat ex supradicto supplice libello adversus D. Matthæum exhibito. Cum alioqui præsuppolito etiam, quòd D. Helias ad illius possessionem non pervenisset nihil id ei prodesse posset ad hanc possessoriam causam. 7

Quamvis enim in compermutatione beneficiorum, factâ permutatione, qui suum dimisit posset ad illud reverti, si ad compermutati beneficij possessionem sine sua culpa non potest pervenire, *c. unico De rer. permut. lib. 6.* id tamen non potest facere propria authoritate: nec semel sic abdicatus titulus, & cum titulo abdicata possessio ad abdicantem seu renuntiantem ipso jure revertitur, sed opus est novâ collatione aut saltem authoritate superioris vel declaratoriâ sententiâ judicis, ut communiore & frequentiore opinione, adversus paucos quosdam, *Ioan. Andreæ in d. c. unico. Fred. de Senis in tract. de permutat. q. 8. & quos refert Buer. decis. 97. ac Rebuff. in praxi benef. lib. 3. sub regul. de republic. resig. gl. 18. nu. 30.* receptum est, *Gloss. in c. Cum universorum in fine De rer. permut. Rota decis. 23. alias est 1. & 63. alias est 3. de rer. permutat. in novu, Panor. in c. Cũ venerabilis n. 23.* De *excep. Marian. Socin cons. 168. (imprimis determinãdo v. 2.*

& qui ab his latissimè referuntur. Ita ut nihil curandum sit, quod Petrus Rebuffus, *d. nu.* 30. *& tit. de permut. nu.* 12. de consuetudine & stylo Regni Franciæ & rebus in eo judicatis ndfert: nam dum consuetudinem prætexit, non obscurè agnoscit, juris communis resolutionem in contrarium esse; idque non obtinere, nisi ubi talis consuetudo vigeta, ut vigere Insulis nec allegatum nec probatum est. * Cujus communis juris ratio consistit in vacatione, quæ vera, plena & perfecta inducitur per resignationem, tam quoad titulum, quàm possessionem, *Ioan. Staphil. in tract. de literu gratiæ tit. de modo & forma impetran. §. quinto pro complemento nu.* 4. Quod latiùs demonstrare vel persequi non est necessarium; cùm in hoc non consistat ipse Actor. Ex quo consequitur, quod cum idem Actor sic exciderit possessione beneficij sui, non possit in hac causa intentare aliquod interdictum, sive retinendæ, sive recuperandæ possessionis: cùm nulla sit turbatio, nulla spoliatio, aut dejectio illius, qui non possidet; præsertim post tam longum temporis intervallum decem annorum, quibus Dominus Guilielmus hunc Canonicatum quietè & pacificè possedit: quo tam longo tempore etiam possessio, sine alio actu, velut ex tacita possessionis abdicatione, amitti solet, *l. Clam possidere §. fin. De acquir. possess.* Cum alioqui etiam ex regulis Cancellariæ Apostolicæ, qui triennio tantùm possedit pacificè, molestari non debeat, *Reg. de trienn. poss.* Ad quod si diligenter animadversum fuisset, proculdubio partes Rei hujus causæ iudicari debebant longè potiores, quam præfati Impetrantis, tam in recredentia quàm pleno possessorio.

Sic demonstrato defectu juris tam proprietatis, quàm possessionis in Actore (quod solum sufficere posset ad removendum Actorem) paucis inquiramus in jus Opponentis; pro quo constituendo primùm in jus D. Gulielmi des Prez inquirendum est; post deinde in titulum, quem D. Bartholomæus prætexit: neque enim stare potest jus D. Bartholomæi, si jus D. Guilielmi, ex cujus morte Canonicatum vacantem obtinuisse se prætendit, non subsistit. In asserendo jure D. Guilielmi laborandum non est: si enim valida est resignatio per D. Matthæum facta, & ex illa præfato D. Guilielmo facta collatio & possessionis acquisitio, (ut undequaque hæc valida esse jam deduximus) dubitandum non est, quin ex illius morte verè quoque vacaverit idem Canonicatus; & tamquam vacans vel conferri, vel ab habente gratiam Apostolicam acceptari potuerit.

Restat ergo ut de jure D. Bartholomæi quæratur, quod est Nominationis ex indulto Apostolico Facultati Artium in Universitate Lovaniensi concesso. Cui Actor duo in effectu objcit: primùm, quod D. Bartholomæus in bonis ultra octuaginta ducatos annuos habeat; sed illi insistendum non est, cùm id nullo modo probetur. † Alterum, quod hoc beneficium tempore acceptationis litigiosum fuerit, ideoque per Opponentem acceptari non potuerit; saltem non sine surrogatione speciali, & quod in surrogatione semper præferri debeat collitigans, ex regula Cancellariæ Apostolicæ, *De surrogandis collitig.*

Cæterùm hæc objectio facilè removetur. Et imprimis quidem ex eo, quod hic Canonicatus numquam fuerit inter Actorem & Dominum Guilielmum litigiosus; sed dumtaxat illius possessio: idque adhuc non coram judice Ecclesiastico, qui de jure & proprietate beneficij Ecclesiastici solus judicare habet, *c. Decernimus De ind.* sed coram judice sæculari. Vt autem beneficiũ litigiosũ efficiatur, & vitio litigiosi afficiatur, & sic subjiciatur dictæ regulæ, *de surrogandis collitigantibus*, hoc omninò requiritur, ut lis sit super titulo & proprietate beneficij; non super sola possessione: ut multis rationibus id comprobat Lud. Gomesius, Regularum Cancellariæ Apostolicæ diligens Interpres, *in d. reg. de triennali possess. quæst.* 53. quem in eo sequuntur quotquot in praxi Ecclesiastica versati sunt, *Cassador. decis.* 4. *Vt lite pend. Natta consil.* 2. *Guido Papæ singul.* 810. *Gloss. in c.* 1. *in verb. litigiosæ De confirm. utili vel inutili*, *Paul. Paris. consil.* 94. *Beneficium litigiosum vol.* 4. Quibus solus Petrus Rebuffus repugnare videtur, existimans etiam in usu hujus regulæ beneficium litigiosum censeri illud, de cujus possessione tantùm est lis. Cæterùm unius hominis opinio jus non convellit, nec subvertit plurimorũ aliorum contrà sentientium sententias. Cum alioqui verbis, quibus Rebuffus utitur, benè perpensis, non tam hoc definire videatur, an sic beneficium litigiosum efficiatur, quàm an litis super possessione motæ mentionem facere debeat, qui ex morte unius collitigantium illud impetrat: non etiam ad illum effectum, ut impetratio fieri possit propter vitium litigiosi. Quem juris articulum quia exactissimè excussit & resolvit Advocatus causæ, latiùs non prosequimur: pro indubitato habentes, quod beneficium non efficiatur litigiosum per litem super sola illius possessione motam, ad effectum impedendæ impetrationis vel acceptationis ex dicta regula *de surrogandis collitigantibus.*

Cujus quidem regulæ usus tanto minus hîc adduci potest, quod non constet Actorem obtinuisse aliquam surrogationem virtute dictæ regulæ: quia non constat, nec quidem pro parte Actoris allegatum est, quod se curaverit in jus D. Guilielmi des Prez surrogari; ideoque illius beneficio gaudere non debeat. † Præterea dicta regula loquitur de impetratione per tertium facienda intra mensem à morte collitigantis, & minimè de impetratione antecedente ex gratia sive præventiva sive exspectativa, qualis est nominatio dicti Opponentis. Ita ut, cum verba regulæ non conueniant huic acceptationi, quam hujus causæ Opponens fecit, & illius dispositio possit vel debeat illi accommodari. Vnde est quod scribit Petrus Rebuffus, *in tract. Nomination. quæst.* 15. *nu.* 44. in usu observari, quod collitigantium beneficia per nominatos acceptari possint, ex morte alterius collitigantis. Deinde prætacta regula de collitigantibus surrogandis continet expressam exceptionẽ & limitationẽ his verbis: *Dummodo collitigans superstes in beneficio intrusus non sit.* Quo casu impetrari potest ex morte & jure

jure collitigantis, etiam intra mensem, nulla factâ mentione litis pendentis super beneficio in petitorio. * Iam verò indubitatum est, cum, qui beneficio, cui semel per resignationem etiam ex causa permutationis renuntiavit, quoquo modo ingerit, aut possessionem illius sua authoritate vel ingreditur, vel retinet, vel continuat, pro intruso haberi, *c. Cum dilecti. De purgat. canon. Paul. Pariſ. conſ. 143. Quod terminus nu. 18. vol. 4.* nisi novam collationem aut Iudicis declarationem obtinuerit; cum, ut antè dictum est, per resignationem resignans amittat jus, titulum, & possessionem tam naturalem quàm civilem in resignato beneficio, *Rota deciſ. 399. alias est 7. nota quod beneficia De rer. permut. in antiq. & deciſ. 67. alias 2. nota quod reſignans De renunt. in novis.*

In concursu itaque tam multarum prægnantium circumstantiarum, & præsertim quod Impetrans nullam possessionem in hoc Canonicatu post dictam resignationem habuerit, nec de spolio antecedentis possessionis (quæ per spontaneam resignationem amissa & resoluta fuit) conqueri possit; & indubitata fuerit possessio D. Guilielmi, illamq; e Opponens ex suo justo titulo continuaverit, & ad hanc litem admissus sit; existimamus Amplissimorum Dominorum officium esse, ut retractatâ sententiâ recredentiæ plenum possessorium Opponenti, cum condemnatione Actoris in expensis, adjudicent.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium ex indulto nominationis Vniversitatis Lovanienſis & ordinaria collatione.

1. *Nominationes ex causa ſtudij favorabiles & extendendæ.*
2. *Beneficia qualificata non possunt haberi niſi à qualificatis.*
3. 5. 10. *Clausulæ* decreti irritantis *potestas.*
4. 6. *Titulum non præbet acceptatio beneficij notoriè nulla.*
7. *Spoliato obijci potest defectus tituli notorius.*
8. *Clausulæ*, nisi de verbo ad verbum, *quæ sit vis.*
9. *Clausularum revocatoriarum coacervatio & potestas.*
11. *Nominationes an extendantur ad beneficia iuris patronatus.*
12. *Indigno scienter conferens privatur eâ vice iure conferendi.*

CONSILIVM CCLII.

PERPLEXA satis est causa possessoria, quę in Concilio Flandriæ pendet, inter M. Laurentium Pontanum Impetrantem & M. Remigium Drutium Opponentem, super Canonicatu & præbenda Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Brugensis, quæ novissimè per mortem M. Ioannis Perret vacavit. Difficultatem faciunt duæ Bullæ Sixti Papæ quarti, ex quarum compositione & coniunctione exoritur dubitatio, utrâ earum præponderet; eò quod utraque clausulis admodum prægnantibus, & potissimùm derogatorijs instructa sit. Nam Impetrans nititur Bulla Sixtina, qua Vniversitati Lovanienſi concessum est ad quorumvis Collatorum in patrimonio Principis Belgij collationem, unum ex promotis in Vniversitate Lovanienſi nominare: Opponens verò se fundat ex ejusdem Sixti indulto, quo per suppressionem cujusdam Cappellaniæ erecto hoc Canonicatu concessit Præposito dictæ Ecclesiæ illius collationem cum privilegio, ne per quamcumque gratiam Apostolicam exspectativam impediri possit ejus collatio.

Nam quamvis Nominationes hujusmodi studiorum causa concessæ latissimè pateant; quia non jure privilegij, sed gratiæ censeantur, ac propter favorem studiorum extendendæ magis quam restringenda sint, *c. Si ſuper gratia De offic. delegat. lib. 6. Iaſ. in l. Falſo C De diverſ. reſcr. & pragmat. ſanct.* † tam latè tamen patere non videntur, ut comprehendant etiam beneficia alijs reservata, aut quæ alijs qualitatibus ex fundatione, consuetudine, aut statuto sunt affecta; debentur enim hæc illis, quibus reservata sunt, aut qui illam qualitatem habent, *c. Cum in Eccleſia De præben. lib. 6* puta si sacerdotalis ex fundatione, aut ordinatione sit Canonicatus, non poterit per nominatum sic minimè qualificatum acceptari, *cap. Cui de non ſacerdotali De præb. lib. 6.* Quod in proposito potissimùm obtinere videtur; tum quòd indultum dicti Præpositi quinque mensibus Bullâ nominationis sit posterius, *l. Divus §. licet De iure codicill. l. Pacta noviſſima C. De pact.* * tum propter clausulam derogatoriam, quæ nominatim etiam derogare videtur Nominationibus Vniversitatum & studiorum; tum denique propter clausulam *decreti irritantis*, quæ alterius gratiæ vim & potestatem resolvit, aut saltem quoad hunc Canonicatum suspendit. Decreti enim irritantis ea potestas est, ut quicquid fit in contrarium, sit nullum, afficiatque etiam ignorantes, *Rota deciſ. 16. alias est 3. ſi contra De reſtit. ſpoliat in novis, Marian. Socinus conſ. 67. Eadem die nu. 9. vol. 3.* adò ut ne coloratum quidem titulum pro sustinenda possessione in contrarium acquiri patiatur: † quia acceptatio beneficij notoriè nulla, possidendi nullum colorem tribuit, *Lud. Rom. conſil. 483. Dubitatur primò nu. 14.*

Cæterum re pressiùs perpensâ, potiore jure niti nobis videtur gratia Nominationis, quæ generaliter & indistinctè omnium Collatorum manus constringit, donec nominato fuerit provisum; sic ut adversus Pontificiam hujusmodi affectionem & ligationem intra tempus in indulto nominationis præscriptum ab Ordinario facta collatio, cum illi parere debeat, sit nulla, *c. ſi beneficia, cap. ſi poſtquam De præb. lib. 6. Cardin. Zabarell. conſ. 104. Poſt redditum*: præsertim propter vim *decreti irritantis*, quod itidem eidem indulto insertum est. † Illius enim potestas, ut diximus eò pertingit, ut nullo juris admiculo fulciatur Ordinarij collatio tempore præscripto in contrarium facta, *Rota deciſ. 257. alias est 7. ſi quis De probat. in novis*; † hic quòd tituli ex ordinaria collatione, etiamsi acceptatione nominati anterior sit, prorsus sit incoloratus

& ex eo in possessorio judicio obtineri nulla ratione possit, *Petr. Rebuff. ad constit. Regias de caus. benef. possess. art. 1. gloss. unica*; sed Opponenti ob-
7 stet notorius defectus tituli: † qui defectus etiam in interdicto recuperandæ possessionis spoliato potest objici, *Ioan. de Imola in cap. Cum Ecclesia Sutrina De caus. poss. & propr.*

Nec ad rem facit subsequens reservatio seu privilegium Præposito concessum: nam cùm illa generalis sit, extendi non debet ad ea, quæ specialem rationem habent; hoc est ad ea, quæ pro communi Reipub. utilitate disposita & concessa sunt: qualis est hæc nominatio, ut Ecclesia literatis hominibus, quibus admodum indiget, ornetur, *c. cum ex eo De elect. lib. 6. & ibi Ioan. Monoth.* & studia amplientur, propositis hujusmodi præmijs. † Quæ etiam causa est, cur
8 Pontifex in dicta Bulla nominationum tam præcisas derogationum ad omnia præterita & futura inseri voluerit clausulas; *ut contra eam nulli possit utiliter provideri per literas Apostolicas non facientes plenam ac expressam & de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, non obstante qualibet Sedis Apostolicæ indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat.* Hæc enim clausula tam prægnans est, ut quia in posteriori atque contrario indulto dicti Præpositi, nominatim non est facta mentio istius prioris Bullæ aut Vniversitatis Lovanienſis, nil videri possit derogatum gratiæ nominandi. Quemadmodum in simili tradit Cynus, *in l. unica C. Quando imp. inter pupill. & viduas, & c.* si Monialibus aliquibus concessum sit, ne teneantur ad collectas, quòd etiam non teneantur ad collectas Cardinalium, etiamsi in privilegio Cardinalium sit clausula derogatoria aliarum in contrarium facientium; adiectis etiam his verbis, *etiamsi de ipso fieri deberet mentio specialis*: quia in concessionibus generalibus non veniunt ea, quæ Papa verosimiliter concessurus non erat, *cap. ult. De off. vicarij lib 6.* † Vnde traditum
9 est, quod velut ad trutinam verba privilegiorum eorumque proprietates expendenda sint; & in proposito coacervatio illa clausularum, & præcisa denegatio derogandi eò tendit, ut priori gratiæ stetur, quamdiu ei in ea forma, quâ concedens voluit, derogatum non est: ut in similibus terminis consulendo eleganter deduxit Cardinalis Zabarella, *consil 136 Redemptoris.*

10 Quamobrem nihil etiam operatur clausula *decreti irritantis* indulto Præpositi inserta: quia ejus effectus ad hanc gratiam antecedentem non pertingit, cui Pontifex derogari noluit, nisi certa formâ verborum, *Cardin d. consil. 136. nu. 8.* Nam etsi Papa manus sibi non liget per quæcumque indulta, *c. Dudum c. Quamvis De præben. lib. 6.* adiectio tamen hujusmodi clausulæ facit, ut Papa non præsumatur in dubio voluisse à priore voluntate recedere, nisi eum modum recedendi, quem sibi præscripsit, servet, *c. Cum ordinem De rescrip. Innoc. in c. Significantibus De off. deleg.*

11 Pariformiter impedimentum non facit, quod in ipsa fundatione & erectione hujus Canonicatus sit reservata collatio soli Præposito: nam licet per Pontificia indulta, etiam quibus prægnantissimæ derogatoriæ & derogatoriarum derogatoriæ clausulæ insertæ sunt, non censeatur derogatum ordinationi & juri fundationis; ideoque virtute Nominationum acceptati non possint beneficia, quæ pertinent ad ius patronatus alicujus, *c. 2. De præben. lib. 6. c. Cum dilectus De iure patron.* id tamen generaliter verum non est, sed obtinet tantùm in fundationibus, ordinationibus, & jure patronatus laicorum, non etiam Ecclesiasticorum, *d. cap. 2. Doct. in d. c. Cum dilectus*; qualis est ista fundatio, erectio, ac reservatio facta clerico sacerdoti in dicta Cappellania suppressa, & quoad jus conferendi in favorem ipsius Præpositi etiam Ecclesiasticæ personæ, *not. in c. Dilectus De offic. legat. Steph. Bertan. cons.* 104. *Legatus de latere vol.* 8. maius enim imperium in hos sibi vindicat Pontifex. Vnde generaliter traditum est, Nominationes Vniversitatum rectè dirigi patronis Ecclesiasticis, *Petr. Rebuff. in tract. Nominat. quæst.* 8. *nu.* 21. *& 22.*

Sed nec obstat, quod dicitur de affectione & speciali conditione hujus Canonicatus; quasi debeatur uni ex ijs, qui in dicta Ecclesia in minoribus priùs deserviverunt; uti videtur ex Bulla Martini, quæ multis annis antecedens Cappellanias dictæ Ecclesiæ sacerdotibus servitoribus Ecclesiæ affecit; sic ut in locum unius Cappellaniæ per ejus suppressionem surrogatus hic Canonicatus, ejus naturam in eo saltem retinuisse videatur, *Nicol. Everardi Præses in loco à vi surrog.* Nam sive id verè dici possit, sive non, potior semper est causa Impetrantis; tum quòd ipse sit sacerdos, & sic magis qualificatus quàm Opponens, qui clericus tantùm existens, aspirare non potest ad præbendam sacerdotalem, *d. c. Cui de non sacerdotali, Felin. in c. Cum accessisset nu.* 17. *De constit.* tum quòd ea consideratio ad hanc Præpositi collationem accommodari non possit;
† ob id, quod ab eâ formâ recedendo jure 12
suo saltem hac vice exciderit, conferendo scienter suo consanguineo notoriè indigno, hoc est sic non qualificato, ut requirit beneficij conditio, *c. Cum in cunctis §. fin. De elect. c. Cum singulæ §. prohibemus De præben. lib. 6. c. Postulastis c. Apostolicæ De cler. excommun.* ita ut vel ex hoc solo non possit ex dicta collatione prætexere coloratum titulum. Quem cùm ex dicta nominatione coloratissimum, imò iustum habeat Impetrans, meritò obtinere debet in hac possessoria causa.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium ex indulto nominationis Vniversitatis Lovanienſis.

Nominatus an acceptare possit beneficium, quod nominationis factæ tempore jam vacabat.

1. *Verba futuri temporis etiam ad præsens & præteritum pertinere.*
2. *Vacaturum etiam dicitur quod iam vacat.*
3. *Mandatum de vacaturo beneficio extenditur ad id quod etiam prius vacavit.*
4. *Gratia de vacaturo beneficio est odiosa, secus de vacante.*

CON-

CONSILIVM CCLIII.

INDVLTO facultatis nominandi per Fel. Rec. Sixtum Quartum Papam Vniversitati Studij generalis oppidi Lovanienſis conceſſo inter alia continetur, *quod vigore illius nominatis Collatores ad quorũ collationes facta eſt nominatio, teneantur illis providere de beneficio, quod poſt nominationem huiuſmodi ipſis factam quovis menſe perpetuis futuris temporibus vacare contingeret, & ipſe nominatus infra unius menſis ſpatiũ poſtquã ſibi de huiuſmodi vacatione conſtat, duxerit illud acceptandũ.* Quæ verba Advocatus D. Matthæi Mollet hujus cauſæ poſſeſſoriæ Impetrantis adverſus M. Simonem Simonis Opponentem ad corticem literæ ſic accipit, quaſi dicto M. Simoni per Rectorem & Deputatos dictæ Vniverſitatis, Decano & Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ D. Piati Seclinienſis duodecima menſis Ianuarij hoc currente anno 1587. nominato, non licuerit acceptare Cappellaniam ad Altare S. Michaelis in dicta Eccleſia Seclinienſi, quæ antea cœperat vacare octava ejuſdem menſis Ianuarij ex morte D. Heliæ des Plancques, & ſic ante non poſt diem nominationis dicti nominati: ita quod ſub hac ejus gratia & nominatione non videatur comprehenſa ſaltem pro iſta vice ſeu ex iſta vacatione hæc Cappellania, quam non contigit vacare poſt nominationem: quaſi cum verba indulti non conveniant niſi vacaturis, adaptari non poſſint de præterito vacantibus, *l. 4. §. toties & ibi Bart. De damno infecto* Sed nimis evidenter captioſa & abſurda eſt talis dicti indulti interpretatio, quæ vacationem poſt nominationem contingentem ſic ad futurum tempus reſtringit, ut illius initium nullum poſſit eſſe ante nominationem. Neque enim iſta verba indulti initium ipſius vacationis reſpiciunt, ſed quodcumque aliud tempus, quo beneficium vacare reperitur, ſive ex novo initio id contingat, ſive ex perdurante continuatione præcedentis vacationis, hoc eſt ſive beneficium vacare cœperit, 1 ſive vacare perrexerit poſt nominationem.* Quod in propoſito juſtam non poteſt habere dubitationem, quòd hæc verba, *Vacare contingeret*, non omnimodò futuri temporis præciſam habeant ſignificationem, ſed mixtam, hoc eſt perinde præſentis ut futuri extenſivam, cum temporis aliquo tractu & ſpatio tam antecedente quàm ſequente, ſi modò perdurante, *l. 2. in fine D. Ex quibus cauſ. in poſſ. eatur l. 1. D. Vnde legitimi.* Iuxta illud, quod vulgò apud Grammaticos traditur, verba temporis ſubjunctivi, & præſentis optativi habere ſignificationem non tantùm futuri, ſed etiam præſentis temporis, *Bart. in l. Quintus 2. §. item ſcribit De auro & arg. legato, Car. Ruinus conſil. 89. Super his quæ propoũntur nu. 16. vol. 1.* Item quod ſi futurum non pertinet ad præteritum finitum, recidat ad poteſtatem temporis præſentis, *l. Verbum erit De verb. ſignif. l. ſi ſtipulatus §. cum ſtipulamur & ibi DD. De verb. obligat. l. Noviſſima D. Iud. ſolvi.* Nec ſanè mirum in propoſito caſu, in quo caſus ſeu contingentia vacationis in conſideratione tantùm habetur, & perinde verificatur in præſente tempore nominationis, ut in ſequente poſt nominationem, ſi modò hoc tempore perduret caſus ſeu vacatio. Quinimò quod amplius eſt, ſi præciſioribus verbis & magis præcisè tempus futurum ſignificantibus conceptum fuiſſet dictum indultum de beneficijs vacaturis poſt nominationem, adhuc poſſet nominatio effectum conſequi in beneficio vacante ante nominationem, ſi modò adhuc vacaverit tempore acceptationis. * Quæ enim in præſenti vacant in poſterum adhuc vacare rectè dici poſſunt, quamdiu in tali vacatione perſeverant, & à Collatore facultatem conferendi habente collata non ſunt: nam, ut inquit Gloſſa, *in clem. 1. in V. notitia De conceſſ. præb.* quod vacans re peritur, rectè dici poteſt quod adhuc vacabit; aliudque eſt dicere *vacabit*, aliud *vacare inchoabit*. Ex quo illud quoque eſt, quod tradidit Cynus, *in l. cum uxori C. Quando dies legat. vel fideicom. cedat*, dum Papa confert primam vacaturam, vigore illius collationis acceptari poſſe beneficium etiam tempore hujuſmodi collationis vacans. Quod concordi opinione ſequuntur & comprobant Angelus, I. Imola, Caſtren. Iaſon, & plerique alij, *in l. Titius §. Lucius De liber. & poſthumis.* † Et ex eâdem ratione reſponderunt Alexander *conſ. 146. In cauſa & lite vol. 5. nu. 5 conſil. 95.* Requiſitus *ſuper diſpenſatione nu. 8. vol. 7.* & Decius, *conſil. 233. Viſo tenore nu. 4.* quod mandatum Papæ de providendo alicui de vacaturo beneficio, poſſit explicari & executioni mandari per Executorem ſeu Commiſſarium in beneficio, quod vacavit ante hujuſmodi mandatum, ſi modò adhuc vacabat tempore hujuſmodi mandati, & potiſſimùm executionis ejuſdem. Rectè enim futurum prædicatur de præterito in actu reiterabili & perdurante, *Angel. & Paul. & Caſtro in d. §. Lucius*: qualis eſt beneficij vacatio, quæ quamdiu durat, per ſingula temporum momenta fieri & reiterari intelligitur, *Ioan. de Imola in cap. Conſtitutus & ibi Felin. nu. 22. De reſcript.* Et ſanè proclivius in gratijs exſpectativis, quæ faciliùs explicari & executioni mandari poſſunt in vacantibus quàm in vacaturis beneficijs † quia de vacaturis beneficijs proviſio odioſa eſt, *c. Nulla De conceſſ. præbend.* & ſoli Pontifici permittitur; at gratia de vacante favorabilis, ut rectè in hoc articulo tradit Gloſſa, & Gloſſam ex Archidiacono ſequutus Dominicus Germinianus, *in cap. Si poſtquam in verb. poſtmodum De præb. lib. 6.* Quod & in ſpecie in his gratijs ſeu indultis Nominationum graduatis conceſſis probat & ſequitur Petrus Rebuffus, *in tract. De nominat. quæſt. 15. nu. 33. & ad Concordata Franciæ de collat. tit. De collat. §. præfatiq; ad verb. ante vacationem*, ex auctoritate Gloſſæ Pragmaticæ ſanctionis, *ſub tit. de collat. §. ſtatuit ad V. inane*, hac ſolâ ratione, quòd beneficium dicatur vacare, & vacaturum, quouſque legitimè ſit alicui collatum. Proinde non admodum bona fide Advocatus Impetrantis in contrarium adducit ejuſdem Petri Rebuffi contrariam auctoritatem, *ex Commentarijs ad Bullam Leonis x. in forma mandati Apoſtolici ad verb. poſt menſem*: nam etſi eo loco, unde illa adducitur, hoc primum tradat in dicta Bulla nominationũ mentionem beneficij vacaturi poſt menſẽ reſtringi ad illius inchoationẽ, propter verba Bullæ ſic concepta; paulò poſt tamen dicit ceſſantibus hujuſmodi præciſis verbis, vacaturi beneficij appellatione contineri, & proinde acceptari etiam poſſe quod vacavit ſeu vacat tempore conceſſæ gratiæ & acceptationis, ex authoritate

supradictarum Glossarum, *in d. cap. Si postquam & in d. Clem. 1.* Vt proinde nulla ratione nobis fiat verosimile, quod Advocatus scribit de sententia cujusdam Matthiæ Paci, *in tract de mand. Apostolicis p. 4. vers. Sexto attenditur tempus*, quem hactenus videre numquam nobis contingit: nec aliud eum sentire arbitramur, quàm quod idem Rebuffus loco iam designato tradidit, cùm dicat illum ita sentire post præfatum Rebuffum; & non sit verosimile hunc aliter uno, quàm alio loco sentire. Minus certè bona fide hac in re idem Advocatus ad authoritatem vocat Andream Alciatum, *in l. Verbum oportebit De verb. significa.* quasi is scripserit, verbum futuri temporis ad præsens, aut ad præteritum non referri: cùm in contrarium apertè tradiderit, vi sermonis, verbo futuræ significationis contineri præsens, adeoque etiam præteritum, tunc cùm dispositio tractam futuri temporis habet, & res, de qua agitur, ad futurum durat, quod responso I. C. Pauli omnimodò consonat, *in d. l. Verbum oportebit.* Quod ergò in dicto indulto dicitur de beneficijs, *quæ perpetuis futuris temporibus vacare contigerint*, indubitatè ad vacantia tempore nominationis, perinde ut ad ea, quæ post vacare primùm incipiunt inferri & accommodari debet: & ita iam sæpiùs in superioribus tribunalibus iudicatum esse facile comprobari posset, si necessum foret. Et sic dicti indulti verba hactenus semper acceptata & practicata sunt, velut certâ & indubitatâ interpretatione; à qua recedere non oportet, etiamsi aliquid absurditatis contineret, *l. Minimè D. De legib. Steph. Bertran. consil.* 299. *Adfaciliorem nu.* 12. *vel* 8. quod in proposito dici non potest: ut plurimum mirandum sit quod Impetrans ex tam fragili fundamento jus Opponentis subvertere conetur. Proinde partes Magnificorum Dominorum Iudicum esse putamus, ut in hac causa judicent secundùm conclusionem pro parte dicti Opponentis propositam.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium triangulare inter nominatum ex indulto Vniversitatis Lovanienſis, apostolicè provisum, & ordinariam collationem habentem.

Nominationũ indultum an sit per Concil. Trid. revocatum?

1. *Vniversitates studiorum favorabiles.*
2. *Nominato sufficit adesse requisitas qualitates tempore nominationis.*
3. *Promoveri potest in una Vniversitate, qui in alia studuit.*
4. *Nominatus acceptatione sequutâ potest quandocumque Vniversitatem deserere.*
5. *Studium quomodo accipiatur.*
6. *Divitias qui allegat probare debet.*
7. *Paupertas præsumitur.*
8. *Divitiæ patris an sint filij.* / *Nominatus acceptare potest etiam beneficium quod tempore nominationis facta vacabat.*
9. *Nominationis insinuatio an in scriptis fieri debeat.*
10. *Insinuatio nominationis cui facienda.*
11. *Forma non curatur ubi effectus habetur.*
12. *Notario de facta citatione an credatur.*
13. *Vacaturum quomodo dicatur beneficium.*
14. *Separatorum diversa ratio.*

CONSILIVM CCLIIII.

IN tricipite processu beneficiali, qui in causa possessoria turbatæ & retinendæ possessionis peractus est in auditorio sæculari Gubernantiæ Insulensis, inter Dominos Matthæum Mollet apostolicè provisum Impetrantem, ex una; D. Michaelem Mathieu ex ordinaria collatione, ex secunda; & M. Simonem Simonis ex nominationis Academiæ Lovaniensis indulto, ex tertia partibus, Opponentes, de & super possessione Capellæ S. Michaelis Seclinensis; videtur nobis præfati M. Simonis causa potior: eoque propensiùs, quod jam antea illi adversus dictum D. Michaelem adjudicata fuerit recredentia seu fiduciaria possessio; quæ solet ei ex litigatoribus adjudicari, qui apparentiora jura prætendit, *Feir. Rebuff. in tract. de sentent. execut. gloss. 7. nu.* 2. Et sanè diligenter in titulum & jus dicti M. Simonis inquirendo, eo loco ejus causam esse putamus, ut secundùm eum adiudicatoria sententia plenæ, non tantùm fiduciariæ seu provisionalis possessionis, per amplissimos hujus auditorij Iudices ferri debeat. Ad quod demonstrandum & deducendum plurimùm dicto M. Simoni confert ea consideratio, quod, si ipsius nominatio ritè facta est, nihilque sit quod illi intrinsecus objici possit, alijs duobus omninò debeat & in adipiscenda & retinenda hujus Capellaniæ possessione esse potior. Neque enim potuit ordinarius Collator vigore ordinariæ collationis dicto Domino Michaeli hanc Capellaniam conferre, si per dictam nominationem ordinarij Collatoris manus pro ea vice fuerunt ligatæ, *c. Si postquam, De præben. lib. 6. Panor. in c. Dilecti De præben.* Neque etiam potuit dictus D. Matthæus Romæ illam impetrare, si ante impetrationem ex dicto nominationis indulto dicto M. Simoni de ea priùs fuit legitimè provisum, *c. Cum qui, c. Hi qui De præb. lib. 6.* sic quod illis duobus ex hac nominatione impedimentum; huic verò nominato per illorum provisiones nullum fieri potuerit. Quæ causa est, cur tanto molimine illi duo, & quidem instantius diligentiusque præfatus D. Matthæus *vide* ẽ *cons.* 253. nihil non in medium protulerint, quo hanc M. Simonis nominationem convellant & expugnent in quo versatur totus hujus causæ status.

Ad subversionem hujus Nominationis dicti adversarij, & præcipuè dictus D. Michael, ipsum Nominationis indultum primùm ex conditione personæ expugnant, ut D. Simonem illius incapacem faciant: deinde istam Capellaniam sub hac Nominatione comprehensam non fuisse autumant; denique ejusdem nominationis executionem non ritè factam esse allegant: quæ singula ordine discutienda sunt, & pro dicto D. Simone resolvenda.

Et in primis quidem dicto Nominationis indulto objicitur (quamvis admodum obiter & uti videtur timidè & frigidè) quod Vniversi-

tatibus

tatibus ſtudiorum generalium conceſſa nominandi indulta per decreta ſacri Concilij Tridentini, *c. 19. ſeſſ. 24. de reformat.* ſint abſolutè & generaliter revocata. Sed vana eſt iſta allegatio, non tantùm ex eo, quod diu poſt abſolutum & concluſum Concilium Tridentinum (quod contigit in anno 1564.) Fel. Rec. Gregorius decimus tertius Papa Vniverſitati Lovanienſi per Sixtum quartum ſuum prædeceſſorem in anno 1483. conceſſum nominandi indultum in anno 1572. approbaverit & confirmaverit, ſed etiam de novo quatenus opus fuit conceſſerit, omniaque & ſingula in eo contenta denùò indulſerit, illiſque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjecerit; ut evidenter conſtat ex inſtrumento proceſſus ſuper hujuſmodi Apoſtolicæ approbationis indulto fulminati. Ita ut ex hac tam evidente ſummi Pontificis approbatione manifeſtiſſimè deprehendatur, per dictum Conciliare decretum, quo omnes exſpectativæ gratiæ etiam Vniverſitatibus conceſſæ ad vacatura beneficia revocantur, non pertinere ad hoc Vniverſitati Lovanienſi conceſſum, quamvis etiam tendat
1 ad vacatura beneficia * Nec ſanè mirum, ob id; quod derogatio in genere Vniverſitatibus facta, non debeat extendi ad Vniverſitates ſtudiorum generalium, quæ cæteris vel Laicorum vel Eccleſiaſticorum Vniverſitatibus & corporibus propter ſtudiorum favorem, & inde conſurgentem Reipublicæ utilitatem, ſunt favorabiliores, ita quoque privilegiatiores, *Conc. Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 9. verſ. & quia in favorem ſtudiorum generalium*; ut non cenſeantur contineri in quacumque generali revocatione ſeu derogatione, & non niſi per ſpecialem & velut in indulto factam earum mentionem, *Lud. Roman. conſil. 436. Quod indultum nu. 10 Paul. Pariſ. conſ. 240. Inſpectis nu. 10. vol. 4. Phil. Dec. conſ. 10. Viſo puncto in 6.* Quod latius adducere aut demonſtrare in re tam apertâ non eſt neceſſarium præſertim quia dictum Nominationis indultum ſemper in uſu fuerit, & ſecundùm illud etiam in hoc hujus Gubernantiæ Auditorio ſæpiùs, & non ita pridem fuerint judicatum. Prout etiam ſecundum illud adhinc circiter biennio judicatum fuit in ſupremo concilio Mechlinienſi ſuper Canonicatu in Eccleſia Mechlinienſi ex eodem nominationis indulto acceptato: in qua lite ſimiliter magno molimine fuit obiecta dicta Concilij Tridentini revocatio, *d. cap. 19. ſeſſ. 24.* Cujus cogitationem etiam avertere debent literæ Placiti Regiæ Catholicæ Maieſtatis ſupra dicta Gregorij decimi tertij approbatoria & confirmatoria Bulla. Proinde adverſarij meritò preſſe tali obiectioni non inſiſtunt.

Progrediuntur itaque ad alia, & ex conditione prætati M. Simonis effectum hunc nominationi detrahunt; idque ex his cauſis, quòd M. Simon Lovanij non ſtuduerit, nec graduatus ſit; quod in Vniverſitate Lovanienſi alicui Facultati ſeu particulari ſtudio ſe non applicuerit; quod paulò poſt obtentam nominationem Lovanio deceſſerit, & Tornaci ſuam reſidentiam conſtituerit, & in ea adhuc perſeveret; denique quod Nominationis hujus incapax fuerit, propter ſuas patriſque ſui divitias. Sed nullum ex illis eſt, quod ſolidè bono juri M. Simonis quicquam detrahere poſſit. Nam quod objicitur de defectu ſtudij & gradus ſeu promotionis in Vniverſitate Lovanienſi (cujus Vniverſitatis, non alterius alicujus ſtudioſis promotis hoc Sixti nominationis indultum attributum & appropriatum eſt) diſſolvitur per literas promotionis pro parte M. Simonis exhibitas; ex quibus conſtat M. Simonem ante diem factæ de eo hujus nominationis per actum birridationis promotum eſſe ad Doctoratum in Artibus: qui gradus promotionis ad obtinendam hanc nominationē abundè ſufficit. Cum etiam inferiorum ordinum ſeu graduum promotio ſufficiat, ſive is ſit Licentiaturæ ſive Baccalaureatus in quacumque etiam ſtudij ſeu ſcientiæ facultate. Hæc enim ſunt Bullæ Sixtinæ ea de re verba: *Vnum clericum ex ſtudentibus ſeu graduatis dictæ Vniverſitatis & in illa reſidentibus.* * Cum itaque tempore hujus nominationis dictus M. Simonis fuerit clericus (quod probant literæ exhibitæ clericalis tonſuræ) & Lovanij tunc reſederit ac ſtuduerit (quod atteſtantur ipſæ nominationis literæ, & alioqui teſtimonijs amplius probari poſſet) & ante diem nominationis creatus fuerit Lovani Doctor in Artibus, & in Vniverſitate Lovanienſi ante diem acceptationis poſt ſuam nominationem octo ferè menſibus continuò in ſtudio reſederit; manifeſtum eſt, ei adfuiſſe omnes requiſitas ex dicta Bulla qualitates, quas tempore factæ nominationis nominatum habere ſufficiat, *cap. Si eo tempore De reſcr. lib. 6.* etiamſi diu ante illas non habuerit, vel quaſdam ex his etiam poſt factam nominationem & acceptationem habere deſinat. Neque enim requirit Bulla antiquum promotionis titulum, neque diuturnum antecedens ſtudium, neque perſeverantem poſtea reſidentiam: ſed ſufficit hæc tria concurrere in momento temporis, quo nominatio fit, & ex nominatione beneficium acceptatur. Vt enim qualitas adiuncta verbo debet ineſſe tempore verbi, *l. In delictis §. ſi damnum D. De noxal. action. l. Ex facto & ibi Bartol. De vulg. & pupill.* ita ſufficit tempore verbi adeſſe, etiam ſi adeſſe poſtea deſierit, *l. Si quis haredem C. De inſtitut. & ſubſtit. Iaſon in l. Sciendum §. fin. Qui ſatisd. cog.* Proinde hac in parte dicto M. Simoni fraudi eſſe non debet, quod Duaci priùs ſtuduerit, & ibi ad Licentiam in Artibus promotus fuerit: quia uſus hujus nominationis non requirit neceſſariò, quod ſtudij totius curſus Lovanij ſit peractus; ut nec ad promotionis alicujus gradum in aliqua approbata ſtudiorum Vniverſitate obtinendum requiritur antecedens promovendi continuum ſtudium in eadem; cum
3 hæc neceſſariò non cohæreant nec concurſum requirant; * & nihil vetet, eum, qui in una Vniverſitate ſtuduit, in alia promoveri; & promotum ad unum inferiorem gradum in unâ, in aliâ ad majorem promoveri, *Panor. in c. 2. nu. 12. De renunc.* Vſque adeo ut qui uno loco ad minorem gradum promotus iuret ſe majorem alibi non petiturum, obtentâ relaxatione iuramenti poſſit ibi promoveri, *Bald. in c. Debitores nu. 6. De iureiur. Franc. Marcus deciſ. 503. nu. 6. p. 2.*

In pro-

In proposito itaque sufficere debet dicto M. Simoni, quod in Vniversitate Lovaniensi gradum Magisterij seu Doctoratus in Artibus obtinuerit ab his, qui promovendi potestatem habuerunt; & perinde etiam, quod eo tempore cursu in studio Facultatis Artium feliciter & plenè peracto transitum fecerit ad studium sacræ Theologiæ; ut pro ejus parte allegatum facillimè probari posset.

4 Nec quicquam mutat, quod proponitur de recessu M. Simonis & translata residentia ad civitatem Tornacensem: nam dicta Bulla non constringit nominatum, ut post nominationem & acceptationem in studio perseveret, si modò, ut diximus, tempore nominationis, & acceptationis sit in Vniversitate Lovaniensi residens, graduatus, & studens, cùm antecedentis studij & promotionis, præsentisque residentiæ remuneratio sit ipsa nominatio, quam semel meritum esse nominatum sufficere debet, ut velut pro præmio peracti, & non semper pro subsidio ulterius peragendi studij, discedens Lovanio beneficium ex nominationis indulto referat. Ita ut hoc indultum attribuatur & istis, qui studia sua peregerunt, & illis (ut disertè habent verba dictæ Bullæ) qui studium inceperunt, si modo ad gradū aliquem perduxerunt; ut satis sit effectum aliquem studij consecutum esse. † Vnde est, quod 5 studij consideratio non consistat in diuturnitate temporis; sed in exacta animi intentione & applicatione, si bene & laudabiliter illud non tantum absolvatur, sed etiam inchoetur, *Gloss. in verb. superetur in l. Vn cuique C. De prox. sacror. scrinior. lib. 12. Iaſ. consil. 149. Circa primum nu. 1. & 2. vol. 4.* Cum igitur post nominationem & illius effectum, discedendi sit potestas, fraudi esse non debet sic sequutus M. Simonis discessus: quod enim jure permittente sit, extra omnem pœnam esse debet, *l. Gracchus C. Ad leg. Iul. de adult.* Et in proposito tantò magis, quòd duo isti adversarij si non discessus longioris, tamen absentiæ à studijs causam & culpam præstiterint, per hanc scilicet litem ipsi super hac Cappellania ex nominationis indulto acceptata intentatam, quam M. Simon temerè indefensam derelinquere non debuit, *l. Illud post princ. De petit. hæred.* Quod cùm per adversarios steterit, & adhuc stet, cur M. Simon Lovanium, (à quo animo non revertendi non discessit) ad studia non revertatur, illaque non continuet, illorum respectu pro reverso, præsente, & continuò studente haberi debet. *l. In iure civili De reg. iur. l. Iure civili De cond. & demonst.*

6 Quod autem M. Simoni ad incapacitatem hujus nominationis objicitur, quod sit dives, & in beneficijs & alijs bonis habeat ultra octuaginta ducatos annuos (debebat dicere quadraginta florenos auri de Camera, quæ est taxa in Bulla Sixtina nominando præscripta) nihil concludit: nam cùm adversarij se fundent in asserta allegatione divitiarum, requiritur ea in parte illarum probatio, *l. fin. §. licentia C. De iure deliber. gl. ult l. Cum de lege D. de probat.* & minimè ex parte M. Simonis paupertatis probatio: * cum hæc ha- 7 beat implicitam divitiarum negationem; cujus per rerum naturam nulla est probatio, *l. Actor C. De probat. l. 2. D. eod.* præsumptione etiam juris pro paupertate (in qua quisque nascitur) potius quàm pro divitijs stante, *Imola in l. Cum ex causa De re iud. Iaſon in d. §. licentia.* attenta præsertim juniore seu minore dicti M. Simonis ætate; & præsumptione juris, quod adhuc sit in patris potestate, *l. Si filius D. De probat.* & sic nihil proprium habeat, *Gloss. 1. in l. 2. C. Qui ætat. vel profess. se excus. lib. 12.* quia quod acquirit patri acquirit *l. Cum oportet. C. De bon. quæ lib.*

Et quod ad has divitias asserendas M. Simoni 8 objicitur de divite suo patre nihil concludit: nam ut maximè verum esse possit, eum habere patrem divitem; ob id tamen non rectè dicitur dives filius, sive in potestate sit propter rationem prætactam, sive emancipatus, qui vivo patre nequidem juris fictione ad bona patris ullum jus habet, *l. In suis De lib. & posth. l. 1. § si impuberi De collat. bon.* Vnde scribit Iason, *in d. l. Sciendum in princ. nu. 25. D. Qui satisd. cog.* communem Doctorum conclusionem stare, quod divitiæ patris non faciant, ut filius ob hoc solum dives reputetur. Quod latissimè à Doctoribus traditum, *in d. l. Sciendum, And. Barbat. cons. 10. Anima iuerso nu. 6 vol. 2.* latius persequi hic necesse non est.

Quod insuper huic divitiarum allegationi adjicitur, quod M. Simon non juraverit se in bonis non habere octuaginta Ducatos, momenti etiam nihil habet: nam diligenter inspiciendo & excutiendo verba dictæ Bullæ Sixtinæ, nullum invenitur verbum de necessitate præstandi hujusmodi juramenti, sed hoc tantùm, quod nominari possint, qui ultra quadraginta florenos auri de Camera annuatim non habent. Est id quidem necessarium in usu Bullæ Leonis decimi non Vniversitati Lovaniensi, sed Facultati Artium in eadem Vniversitate & in illa promotis concessæ; non ex ipsa Bulla aut illius præscripto, sed ex restrictione & ordinatione Principis sæcularis, in literis Placiti super eadem Bulla Leonina expeditis comprehensa; quod nulla ratione, & ne quidē ex majoritate rationis extendendū est ad alteram Bullam Sixtinam, de quâ dictæ Placiti literæ non loquuntur. Equidem huic Sixtinæ eadem vel similis restrictio injecta non est, nec literæ Placiti desuper datæ eam continent; ut inferius latiùs in alio hujus consultationis articulo mox deducetur. Nihil igitur in proposito est, quod satis idoneum sit ad sustinendum, quod præfatus M. Simon sit hujus indulti nominandi ex Bulla Sixtina incapax, vel ex alia causa inhabilis aut indoneus.

Transeamus itaque ad id, quod M. Simoni objicitur, hanc controversam Cappellaniam non fuisse pro ista vice comprehensam sub dicto nominationis indulto: ex eo primùm capite, quòd hæc nominatio sit facta ad beneficia vacatura post diem factæ nominationis: ita enim sonant Sixtinæ Bullæ hæc verba: *Beneficium quod post nominationem huiusmodi ipsis factam & præsentatam perpetuis futuris temporibus vacare contigerit.* Nam licet hujus Capellaniæ vacatio contigerit post istam nominationem, ut aliquo respectu ex eo die Cappellania vacatura rectè dici potuerit; quia tamen vacavit ante præsentationem nominationis Decano & Capitu-

Capitulo Seclinienſi ordinario Collatori illius factam, perſuadent ſibi adverſarij, quòd hęc Cappellania pro iſta ſaltem vice non potuerit cadere ſub hac nominatione. Sed ex errore & facti & juris proficiſcitur hæc allegatio. Facti quidem ideo, quòd non tantùm poſt diem nominationis in menſe Majo factæ, verum etiam poſt diem præſentationis ſeu inſinuationis illius in menſe Novembri factæ, ex morte D. Heliæ des Planques noviſſimi hujus Capellaniæ Rectoris (quæ in ſequente menſe Ianuario accidit) ejuſdem Capellaniæ vacatio contigerit: & ſic verum per omnia ſit, hanc nominationem & præſentationem non vacanti ſed vacaturo beneficio accommodatam fuiſſe. Verum quidem eſt ex parte præfati M. Simonis duodecima menſis Ianuarij, & ſic quarto die poſt mortem præfati Heliæ jam tunc verè vacante dicta Capellania, eandem nominationem præſentatam ſeu inſinuatam fuiſſe Decano & Capitulo Seclinienſi, ſed eam præceſſerat & alia in dicto menſe Novembri vivente adhuc dicto Helia: ita ut hæc ſecunda præſentatio fuerit loco requiſitionis, quam nominatus ex Bulla Sixtina poſt nominationis ſuæ inſinuationem ex ſupervenientę vacatione de facta acceptatione vacantis beneficij facere tenetur apud Collatorem, ad quem nominatio facta eſt; ut eo recuſante ad Executorem refugium habeat nominatus. Quod ſatis agnoſcens præfatus D. Michael, animadvertens hanc priorem præſentationem menſe Novembri factam huic ejus allegationi repugnare, ad negationis præſidium confugit, negando illam tunc fuiſſe factam: quod etiam confidentius facit ex eo, quòd de hac priore inſinuatione non
9 fuerit factum inſtrumentum publicum. † Sed cum inſinuatio ſeu præſentatio hæc ex dicta Bulla aut ex juris communis ratione ad ſui ſubſiſtentiam non requirat, quòd in ſcriptis ſeu per inſtrumenta fieri debeat, ſed factam eſſe quoquo modo conſtare per teſtimonia, vel partis adverſæ confeſſionem ſufficiat, *l. Cùm res C. De probat. l. Non idcirco C. De contrah. empt. l. Si res geſta D. De fide inſtrument.* ad aſſerendam factæ hujus inſinuationis fidem ſufficere videtur inſtrumentum notariale per Petrum Copyn Notarium confectum de juratа D. Gerardi Pangaert, & Gerardi de la Valatte ſtatione de ſic facta hac inſinuatione, *Steph. Bertran. conſ. 166. Ex proceſſu nu. 9. verſ. niſi fortè quis vol. 8.* Quorum teſtium teſtimonia ſic recepta ſi fortè ad plenam probationem non ſufficere videbuntur, *l. 3. §. idem Divus D. De teſtib.* poterunt ijdem, & præterea alij, adeoque etiam qui ex Canonicis adhuc ſuperſtites ſunt, recoli & examinari ſuper eadem inſinuatione. Quamvis id neceſſarium non ſit, ob id, quòd adverſarij, ſatis confiteantur illam factam eſſe; & non tam negent factam eſſe, quàm dicant non ſatis ſolemniter factam: cùm tamen prædicta Bulla formam certam nullam præſcribat, ſed nudâ præſentatione ſit contenta: nimirum ad ſuperinducendam Collatori ſcientiam & notitiam factæ nominationis, ut illâ habitâ intelligat ſibi ex illa nominatione manus eſſe clauſas & ligatas; & durante menſe à die notæ vacationis vacans nominationi ſubjectum beneficium nulli conferat. Sic quod ſufficere debeat, Collatorem de nominatione undecumque certioratum eſſe; & ſemel certioratum amplius certiorari non debere, *c. Eum qui certus De reg. iuris lib. 6.*

Nec huic præſentationi quicquam detrahit, quòd ſoli Decano, non etiam Capitulo videatur 10
facta: nam cùm Decanus Capituli caput ſit, & Capitulum ſine Decano beneficium ad Collationem Decani & Capituli pertinens conferre non poſſit; ſufficit ſoli etiam Decano facta inſinuatio, ex elegante doctrina Gloſſæ, *in c. Si capitulo in V. factam verſ. ſi autem aliqui verſ. ſed quid ſi De conceſſ. præben. lib. 6. Petr. Rebuff. in tract. nominat. quæſt. 14. nu. 80.* Quod maximè obtinet, quando etiam per Decanum ſtetit, quo minùs Capitulum fuerit convocatum, & inſinuare volenti ad illud non patuerit acceſſus; ut in hac inſinuatione contigiſſe dicta atteſtatio oſtendit: hujuſmodi enim Decani recuſatio & impedimentum pro actu, qui geri debebat, legitimo & pleno complemento habetur, *d. l. In iure civ. li. c. Quoniam frequenter §. porro Vt lite non conteſt. Gl. in d. V. factam in princ. Rebuff. loco cit. nu. 82.* Præſuppoſito quoque quod de hac priore inſinuatione & præſentatione non conſtaret, aut aliquo modo defectuoſa eſſet; ſemper manet vis, utilitas, & effectus in ſequente ſecunda, quam adverſarij non negant, ſed ſatis confitentur plenè factam eſſe duodecima dicti menſis Ianuarij. Ita ut defectus debitæ inſinuationis ſeu præſentationis adverſus M. Simonem prætexi non poſſit.

Sed nec ex eo, quod D. Gerardo Pangaert objicitur, ipſum duplici officio in his duabus inſinuationibus faciendis functum fuiſſe; procuratoris ſcilicet & Notarij: inſinuando ut Procurator M. Simonis, & atteſtando de hoc actu tamquam Notarius; & ſic in effectu de actu proprio, de quo nemo ſibi ipſi teſtimonium dicit, *l. Nullus D. De teſtib.* * Cùm enim de veritate utriuſque inſinuationis, ſaltem de facto ſatis conſtet; fruſtrà quæ- 11
ritur, quæ ſeu qualis fides dicto D. Gerardo atteſtanti ſit attribuenda. Fruſtrà etiam, in qua qualitate id fecerit, quia effectum rei ſufficit conſtitui, qui cùm habetur, de forma & modo illius fruſtrà quæritur, *l. Mulier D. Ad S. C. Trebell. l. 3. C. De mſtit. & ſubſtit.* Vnde eſt, quòd ubi ad ſubſiſtentiam rei requiritur citatio partis, nihil noceat imperfectio vel vitium citationis, ſi citationis effectus adſit; hoc eſt præſentia citandi, *Lanfranc. De Oriano in c. Quoniam contra falſam nu. 4. De probat.*

† Cùm alioqui in teſtificatione alicujus actus, 12
unde nec ſcritur nec metitur Notario, & de quo teſtifficatur, non contingit illius commodum vel incommodum, illius etiam ſolius teſtificationi ſtandum ſit; quaſi id ſit magis ex neceſſitate & fide officij publici, quàm ex nudo teſtimonio, *Innocent. in d. c. Quoniam contra falſam, Ioan. de Imola in l. Sciendum n. 35. De verb. oblig. Steph. Bertran. conſil. 252. Circa proceſſum nu. 12. vol. 7.* Quæ quidem poſterior ſeu ſecunda inſinuatio, cùm ſit perfecta & extra omnem dubitationem, ſufficere debet, etiamſi prior dici poſſet omninò eſſe inutilis. Etſi enim ſufficiat una inſinuatio, nec ſit neceſſe illam denuò fieri: repeti tamen & ſæpiùs fieri nil vetat, vel ad ſuperabundantiam, vel ad neceſſitatem, ſi

priùs

prius cum aliquo vitio facta fuerit, *Rebuff. d. quæst. 14. nu. 116.*

Cui quidem posteriori præsentationi seu insinuationi non rectè objicitur, quòd seriùs sit facta, postquam scilicet per Decanum & Capitulum sive eodem die, sive pridie præfato D. Michaeli collata fuit hæc Capellania: ob id, quòd hæc Decani & Capituli qualiscumque collatio sit & censeri debeat nulla, eò quod Capellania vacaverit in mense Ianuario, qui notariè Apostolicus & Sedi Apostolicæ reservatus est: prout ex prærogativa Sedis Apostolicæ primus anni mensis illi reservatus, non Ordinario permissus censetur, *c. Si à sede De præben. lib. 6.* Nam quod adversarij prætendunt Decano & Capitulo Seclinienſi omnes menses permitti, nec probatur nec præsumitur: & cùm Sedi Apostolicæ vel mensis, vel certus vacationis casus reservatus est, Ordinarij manus sunt ligatæ & clausæ: quæ nisi lapso præfinito tempore non relaxantur, *c. statutum De præben. lib. 6.* Quod in proposito dici non potest de hac collatione per Decanum & Capitulum D. Michaeli facta tam celeriter & præcipitanter, ut etiam ante lapsum quartæ diei ab illius vacatione ex morte D. Heliæ facta fuerit. Tempestivè igitur satis facta dici debet hæc secunda insinuatio, vacante adhuc dicta Cappellania, si non de facto, saltem de jure.

Cui tunc sic vacanti Cappellaniæ rectè etiam & utiliter accommodari potuit hæc secunda insinuatio seu præsentatio, non obstante illâ ex adverso factâ objectione, quod nominatio effectum habere non possit, nisi de beneficio vacaturo post nominationem & præsentationem: nam in hujusmodi objectione versatur; (ut diximus) juris si non imperitia, saltem manifestus error, si eo sensu hæc Bullæ Sixtinæ verba accipiantur, ut vigore illius dicatur acceptari non posse beneficium, quod vacare cœpit ante præsentationem sive insinuationem: quia juris veritas est, quòd sub indulto hujusmodi nominationis cadant & comprehendantur beneficia non tantùm quæ cœperunt vacare post præsentationem seu insinuationem; verùm etiam illa, quæ cœperunt vacare non tantùm ante præsentationem, verùm etiam ante nominationem. † Ita quod perinde ad vacans, ut
13 ad vacaturum extendere se possit nominatio, multo magis præsentatio; si modò tempore nominationis aut præsentationis beneficium adhuc à nemine potestatem habente collatum fuerit, idque ex unica, eaque simplici & evidente ratione, quod id quod in præsenti vacat, respectu sequentis seu futuri temporis pro vacaturo habeatur, *Gloss. in Clem. 1. in V. notitia De conceſſ. præben. & in 6. Si postquam in V. postmodum; & in V. vacaturam De præben. lib. 6.* Quem juris articulum quia latissimè tractavimus & inconvincibilibus rationibus (ut nobis persuademus) decidimus per antecedentem nostram consultationem, *vide s. cons. 253.* adversus præfatum D. Matthæum in hac eadem causa exhibitam, postquam recredentia etiam M. Simoni est adjudicata, latiùs prosequi supersedemus, nè actum agamus. Indubitatissimum itaque est hanc Capellaniam tempore dictæ præsentationis & acceptionis fuisse sub hac nominatione comprehensam, ideoque etiam illius vigore rectè acceptatam.

Superest ut discutiatur, quod ad subversionem nominationis adversarij proferunt adversus illius usum, & executionem, quam contendunt non ritè factam, ex eo, quod forma per Carolum Quintum Imperatorem in literis Placiti seu potiùs concordatis cum dicta Facultate Artium super usu Nominationum præscripta, per M. Simonem in prosecutione hujus suæ nominationis non fuerit observata. Idque in duobus, quorum prius in eo constituunt (quod superiùs quoque obiter discussum est) quòd M. Simon ante admissionem ad hanc nominationem non præstiterit juramentum, se in bonis temporalibus aut beneficijs non habere octuaginta Ducatos de Camera annuos alterum in eo, quòd hæc nominatio M. Simonis intra mensem à die factæ nominationis non sit Collatoribus insinuata: quæ duo inter alia pro forma in dictis Placiti literis præscripta aiunt exactè fuisse observanda, & non observata subversionem atque inutilitatem nominationis operari; ut regulariter vitium formæ rei substantiam vitiat, *c. Cum dilecta, De rescriptu, Rebuff. in tract. de nomnat. quæst. ult. nu. 19.* Sed adversus hanc objectionem non ritè observatæ formæ ex his duabus sic specialiter expressis causis illud Horatianum retorqueri potest, *De arte poëtica in princ.*

Humano capiti cervicem Pictor equinam.

Dum enim id faciunt adversarij, excedunt limites dictarum literarum Placiti seu concordatorum leges, illasque applicant & accommodant alteri rei seu corpori, quàm cui conveniunt. Quippe, ut & superiùs obiter diximus, huiusmodi Placiti literæ seu concordata nullam faciunt mentionem huius Bullæ Sixtinæ, neque alicujus indulti Vniversitati Lovanienſi à Sede Apostolica concessi; sed restrictè, limitatè, & specialiter dumtaxat accommodata sunt & meminerunt indulti nominationis à Leone decimo, Adriano sexto, & Clemente septimo Facultati Artium in Vniversitate Lovanienſi concessi; in cujus usu & exercitio visum fuit Carolo Quinto Imperatori contra tenorem ipsius indulti illam formam, *præstandi juramenti, & faciendæ insinuationis*, præscribere, ut minor esset abusuum occasio in frequentiore usu Bullæ Leoninæ quæ duplicem concedit nominationem, ubi Sixtina dumtaxat simplicem seu unicam. Quę quidē disparitas inter duo ista indulta hoc facilè operatur, ut non concludat nec locū habere possit argumentū quod adversarii vel à fortiore seu majore ad minus, vel à minore ad maius, vel à ratione legis larga aut generali ad extensionem ex dicto Carolino Placito ducere conantur; quasi duo ista quoad præstandum juramentū & faciendā insinuationem intra mensem observari debeant non minùs in usu, & executione indulti Sixtini, licet angustius sit & tam latè non pateat, quam in usu Bullæ Leoninæ dictæ Facultati Artium concessæ

* quia cùm duo ista indulta per se & inter se
14 planè sint diversa & omninò separata, non potest de uno ad alterum rectè duci argumentum, *l. Papinianus exuls De minorib. l. Si maritus C. De donat. inter vir. & ux. l. Naturaliter §. nihil commune & ibi Gloss. De acquir. poss. l. Mutus §. cum quæritur De procur.*

nè qui-

nè quidem ex similitudine rationis: sed ex adverso concludentiùs infertur, id, quod de uno separatorũ aut etiam similium expresse & formaliter constitutum est, de altero negatum videri, *l. Cum præter D. De iudic.* præsertim dum agitur de pœna aliqua privationis inducenda.

Neque insuper ad rem facit, quod posterior Bulla Gregorij decimitertij Papæ utrũque indultũ unico contextu confirmarit, & quatenus opus fuerit, de novo concesserit; quia in quantum nihil immutavit, censetur unumquodque in suis terminis antiquis reliquisse, *l. Iubemus in fine C. De appellat.* juxta illud vulgare, quod relatum semper insit referenti, *l. Asse toto De hæred. instit.* Vnde & Placitum Principis sæcularis, quod super hac confirmatoria Bulla Gregoriana supervenit, censeri itidem debet nihil in ista Sixtina Bulla immutasse vel restrinxisse, cùm specialiter non contineat neque præscribat, quod nominandus ex Bulla Sixtina debeat vel istud juramentum præstare, vel insinuationem aliam facere quàm Bulla præscribit; sed rem totam relinquit in terminis prioris placiti Carolini, quod restringit & circumscribit dumtaxat usum Bullæ Leoninæ, & minimè Bullæ Sixtinæ. Ex quibus omnibus satis deprehenditur jus M. Simonis in tuto collocatum esse, illudque non tantùm apparentius, sed etiam certius esse eo, quod vel D. Mathæus ex alia Apostolica provisione, vel D. Michael ex ordinaria collatione ad hanc Cappellaniam prætexerunt: cum illius provisionem prævenerit hæc ex nominationis indulto acceptatio, *c. Si tibi clericus in fine De præben. lib. 6.* hujus verò collationi resistat defectus potestatis, quæ in mense Apostolico ordinario collatori nulla est, *c. Si capitulo De conces. præben. lib. 6.* Sic quod nobis omninò videatur in hoc possessorio judicio, non tantùm per recredentiam, sed plenissimè etiam & absolutè judicandum secundùm conclusionem pro parte dicti Simonis propositam.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium inter nominatum ex indulto Facultatis Artium in Academia Lovaniensi, & ordinariam collationem habentem à Turnario.

Nominationum indultum an sit per Concil. Trident. revocatum?

Nominati an acceptare possint beneficia vacantia in mensibus relictis Ordinarijs per Concil. Trident.

1. *Nominationum indulta sunt ad instar exspectativarum gratiarum.*
2. *Relationis potestas.*
3. 6. 9. *Concordatis Nationis Germaniæ an Pontifex derogare possit.*
4. *Specialis concessio derogat antecedenti generali.*
5. 7. *Concordata Nationis Germaniæ tribuunt ius ad rem, non in re.*
8. *Nominandi indulta ob favorem publicum favorabilia & quid mereantur.*
10. 12. *Concordata Nationis Germaniæ an in Ducatu Brabantiæ observanda.*
11. *Dispositio qualibet regulatur secundum suam causã.*
13. *Patronis laicis non facilè præiudicat Pontifex.*
14. *Patronatus Clericorum Papa facilius derogat.*
15. *Præsentationis, non collationis laicus capax.*
16. *Vsus fructus pluribus alternatis vicibus concessus numerum facit.*
17. *Monocularia beneficia sub exspectativis non contineri.*
18. *Turnarius collator non suo sed Capituli iure confert.*
19. *Vniversalis locutionis potestas.*
20. *Clausulæ* decreti irritantis *potestas.*

CONSILIVM CCLV.

STATVS causæ possessoriæ beneficialis, quę acta & peracta est in Amplissimo Concilio Brabantiæ inter D. Petrum Esch Impetrantem, & D. ac M. Icannem Willems sacræ Theologiæ Licentiatum Opponentem, de & super turbata ac retinenda possessione Canonicatus & præbendæ in Cathedrali Ecclesia Buscoducensi, qui novissimè vacaverunt ex morte D. Guilielmi Peregrini in fine mensis Octobris in anno octuagesimo quarto; non tam consistit in assertione juris, quod Impetrans ex ordinaria dicti Canonicatus collatione, quàm in oppugnatione juris, quod Opponens ex privilegio seu indulto nominationis Facultati Artium in Vniversitate Lovaniensi per Sedem Apostolicam concesso prætendit; satis expresse confitendo, infirmum adeoque sine effectu esse titulum, quem ex dicta ordinaria collatione prætendit, si Opponentis contraria intentio fundata in nomipationis indulto jure subsistit, aut aliqua ex causa subverti non potest. In quo conatu Advocatus Impetrantis omnes rimas pertentando, nihil ferè prætermisit, quod vel in genere vel in specie ad subversionem dicti indulti aliquo modo spectare aut in medium adferri poterat, licet pleraque non sine magna absurditate.

Inter ea autem ut primum locum obtinet, ita alijs absurdius improbabiliusque est, quod dicto nominationis indulto primùm objicitur, quod per Concilium Tridentinum sit revocatum, qua parte decrevit, *sess. 24. de reformat. c. 9. mandata de providendo, & gratias, quæ exspectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam collegijs, aut Vniversitatibus, etiam sub nomine indulti concedi nec hactenus concessis cuiquam uti licere.* Nam improbabilitatem hujus objectionis detegit primum aliud posterius ejusdem Concilij Tridentini decretum, *Sess. 25. c. 9. vers. & qua in favorem De reformat.* quod peculiarem causam constituit Vniversitatum studiorum generalium. Deinde Gregorij Decimi tertij Pontificis dicti indulti nominandi revocatio, & confirmatio; quæ totis septem annis dicto decreto Concilij Tridentini posterior est, illique ob id censeri debet vel derogasse, *l. Non est novum & ibi Gloss. D. De legib. l. Derogatur D. De verb. significat.* vel saltem justam interpretationem dedisse. Neque enim verosimile est, hanc sequentem confirmationem Gregorium fecisse aut facere voluisse, si prætacti decreti Conciliaris ea fuisset vel intentio vel potestas, quod etiam indulto harum Nominationũ derogare, & futuræ illarũ renovationi obsistere voluisset. Tantoque minus debet nunc post talem renovationẽ & confirmationem in quæstionẽ vocari dicti indulti vigor & potestas; quod illius usũ & exercitiũ permiserit quoque & comprobaverit per literas sui placiti Regia Catholica Majestas: potissimũ in hoc possessorio judicio,

dicio, in quo de his quæ altiorem indaginem requirunt, quæri non solet tunc, cùm ex instrumẽtis & titulis in aspectu claris & liquidis nullo vitio visibili laborantibus de intentione partium constare potest, *arg. l. ult.* C. *De edicto* D. *Adriani tollen.* Et mirum sanè, quâ fronte Advocatus Impetrantis hanc quæstionem refricare audeat, post tot sententias non tantùm ante, sed etiam post publicata decreta Concilij Tridentini in hoc Amplissimo Concilio secundùm indulta nominandi tam dictę Vniversitati Lovanienſi per Sixtum Quartum, quàm per Leonem Papam Decimum & alios Facultati Artium in eadem Vniversitate concessa latas: sic quod in tam manifesta Amplissimi Concilij scientia de perdurantibus adhuc hujusmodi nominationum privilegijs, per speciosas in prima apparentia hujusmodi allegationes de illarũ revocatione, obreperdi etiã his, qui forte in Concilio adhuc novitij sunt, nulla possit esse Impetrãti spes aut probabilitas, neque Opponẽti metus vel periculũ.

Quod ipsum satis præsentiens idem Impetrans, in ista revocatorum indultorum nominandi allegatione utpote fragili non consistit; sed ulterius prædictam Gregorij Decimi tertij confirmationem agnoscendo in genere, sed in specie convellendo, effectum illius restringere laborat, quasi accipi seu intelligi debeat de facultate nominandi ad vacantia tantùm, non etiam ad vacatura beneficia. Sed non minus hæc, quàm superior ista absurda est allegatio, cum eam confutet expressus tam Clementis Septimi quam ipsius Gregorij Decimi tertij repetitus verborum tenor in indultis Sixti Quarti, & Leonis Decimi his verbis insertus: *Quod post nominationem huiusmodi ipsis Prælatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, & personis de se factam, perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, ipseque nominatus infra unius mensis spatium, postquam sibi de huiusmodi beneficij vacatione constiterit, duxerit acceptandum.* Quæ procul dubio etiam fuit dictorum Pontificum indubitata mens, & voluntas; sine quâ alioqui inutile plerumque & illusorium redderetur nominationis hoc indultum, si illius usus in raticulo niomnationis ad vacantia tantùm beneficia esset restrictus; propter Ordinariorum Collatorum præventiones, qui mox ut vacarent beneficia, jure suo in conferendo utentes illa conferrent, ut nominationes has eluderent. Vnde etiam est, quod per clausulam *decreti irritantis* in horum indultorum concessione & confirmatorijs literis insertam, manus Ordinariorum ligari dicantur ex die factæ nominationis, *cap. Si eo tempore De elect. lib. 6. c. penult. De præben. lib. 6. Clem. 1. De conces. præben. cap. Si postquam De præben. lib. 6.* ut non possint de postea vacaturis beneficijs ad ipsorum ordinariam collationem spectantibus intra mensis spatium cuiquam providere. † Est enim hoc genus indulti seu provisionis de numero gratiarum exspectativarum, quæ nedum non ad vacantia, sed etiam vel maximè ad vacatura solent concedi: ideoque & insinuari & publicari jubent, ad instar aliarũ gratiarũ exspectativarũ: ut habent expresse dictarum litterarum verba. Nescio an Advocato Impetrantis imposuerint in executoria Bulla Leonis Decimi posita, & in literis cõfirmationis Gregorij Decimi tertij repetita hæc verba, *De beneficio seu officio vacante sibi provideri facere*; quæ non ad nominationem ipsam seu actũ nominandi referri debent, sed ad acceptationem, quam vigore nominationis etiam ad futura facti, fieri contingeret; ut quamvis nominatio ad vacatura, acceptatio tamen non nisi de vacante rectè fieri posset, ut expresso jure decisum est, *c. Ne captandæ De conces. præben. lib. 6.* Quâ in parte Opponens non aberravit acceptando hunc, de quo agitur, Canonicatum quarto die post illius vacationem: quo eodem die tamquam vacans Impetranti quoque per Turnarium Canonicum (licet inutiliter & nullo jure) collatus fuit.

Vana igitur & hac in parte est Impetrantis adversus dictam Gregorij Decimi tertij confirmationem impugnatio. Vnde transitum facit ad aliam, ex præsidio Concordatorum per Sedem Apostolicam Nationi Germanicæ concessorum, per quæ sibi persuadet restrictiorem esse dictorum indultorum nominandi usum, ut non possint vigore illorum acceptari beneficia in mensibus Ordinariorum Collatorum vacantia, in illis locis, ubi hujusmodi Concordata locum habent, propter eorumdem Concordatorum expressa verba derogantia *quibuscumque reservationibus Apostolicis seu gratijs exspectativis quoad beneficia in alternatis huiusmodi Ordinariorum Collatorum mensibus vacantia*: quibus Concordatis Nationis Germanicæ per dicta nominandi indulta derogatum non esse, at nec derogari potuisse existimat idem Impetrans. Verum & hac in parte sibi contrariantem habet notorium dictorum indultorum nominandi usum, & secundum illa in hoc Amplissimo Concilio latas sententias pro nominatis super beneficijs vacantibus perinde in mensibus Ordinariorum ut in Apostolicis acceptatis. Nec mirum: quippe primum illud indultum Sixti quarti (quo nominandi facultas dictæ Vniversitati Lovanienſi concessa fuit) continet expressam, formalem, & individualem dictorum Concordatorum *Nationis Alemaniæ* seu Germaniæ atque adiectis ei provincijs & diœcesibus, eorumque Episcopis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, Collegijs & personis concessorum, derogationem. * Quæ derogatio tametsi paribus seu ijsdem formalibus verbis facta individuali expressione Concordatorum Nominationis Alimaniæ non conspiciatur repetita in sequente Bulla Leonis; neque in confirmatorijs literis Clementis septimi, & Gregorij Decimi tertij: virtualiter tamen & per implicativam relationem, seu extensionem in ijsdem continetur, & non obscurè deprehenditur: primùm per hoc, quod in Bulla Leonina hæc verba contineantur: *Literas & facultates Sixti prædecessoris nostri cum inhibitionis decreti deputationis, Executorum, ac omnibus & singulis aliis in eis contentis clausulis ad hoc extendimus & ampliamus.* Deinde per hoc, quòd paulò pòst in extremo illius fine subijciantur alia eodẽ & quidem apertius tendentia hæc verba: *specialiter & expresse derogamus omnibus illis, quæ idem Sixtus prædecessor in dictis suis literis voluit non obstare.* Cui similis est & respondet tertiò clausula, quæ literis confirmatorijs Adriani Sexti & Cle-

& Clementis Septimi inserta est his verbis: *Nec non omnibus illis, quæ Sixtus & Leo prædecessores nostri in dictis eorum literis voluerunt non obstare.* Quò etiam tendit quartò clausula literis renovatoriis & confirmatoriis Gregorij decimitertij inserta sub hoc verborum tenore: *Nec non singularum literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradicta privilegia quemadmodum per prafatos prædecessores nostros concessa & confirmata fuerunt, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, cautelis, decretis, derogationibus, præservationibus, ac prout illa concernunt omnia & singula in eis contenta & prout iacent dictaauthoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, eamque suos effectus sortiri volumus, & quatenus opus sit de novo concedimus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ea omnia valida & efficacia esse suosque plenarios & integros effectus sortiri, & ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter, ac ita ut contra illa quovis quæsito colore vel ingenio venire nequaquam possint, ut præfertur, ad illorum observantiam teneri, & ad id etiam sub Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis cogi & compelli posse declaramus.* Cum enim virtus relationis in eo consistat, quòd relatum censeatur inesse referenti cum omnibus suis qualitatibus & conditionibus *l. Asse toto & ibi Bart. De hæred. instit. Domin. Geminian. cons.* 6. *In casu prædicto*; perinde haberi debent hæ priorum literarum Apostolicarum in sequentibus factæ relationes ac si expressè & velut in individuo in ijs contineretur Concordatorum Alemaniæ derogatio tam formaliter expressa in prima Bulla Sixti quarti. Sic quod de voluntate dictorum Pontificum nulla possit esse dubitatio; quin scilicet per dictas suas Bullas voluerint successivè derogare, & reipsa etiam derogaverint prædictis Concordatis Nationis Germaniæ.

De potestate porrò quin summi Pontifices
3 sic potuerint dictis Concordatis ob bonum publicum & favorem studiorum derogare, justa non videtur occasio dubitandi, tametsi nonnulli velint de ea dubitare & controvertere. Nam imprimis postulat eam summa & absoluta potestas, quæ in Pontifice residet de rebus, & præsertim beneficijs atque officijs Ecclesiasticis disponendi: sic ut in his plenariæ dispositionis habeat facultatem, *Clement. ult. in fine Vt lite pend. c.* 2. *De præben. lib.* 6. Deinde probat eam factum proprium Sixti quarti Papæ, quo in indulto nominandi Academiæ Lovanienſi concesso expressim ijsdem Concordatis derogavit, *in verb. & nationi Alemaniæ.* Tum & tertiò elicitur illa ex communi stylo, quo passim derogare solent Pontifices ijsdem Concordatis in facultatibus nominandi, quas novo Imperatori concedunt ad beneficia Ecclesiastica, quæ vulgò Preces Imperiales dicuntur: quâ derogatione non uterentur, nisi scirent ei locum esse & acceptari posse beneficia etiam in alternativis Ordinariorum Collatorum mensibus. Denique & quartò probat eam duplex ratio juris communis, prior
4 quidem, quod Papa numquam ita à se soleat abdicare & alteri concedere potestatem, quin maiorem semper retineat, *c. Dudum De præben. lib.* 6. † altera verò quod per secundam seu sequentem specialem concessionem plerumque tollatur prima antecedens generalis, *c.* 1. *De rescript.* etiamsi in specie derogante nulla mentio facta sit de genere, *c. dudum vers. nec attendentes De præben. lib.* 6. præsertim quando prima generalis concessio idem continet quod jus commune, *Hostiens. Ioan. Andr. & alij in d. c.* 1. ut contingit in hoc antecedente Concordatorum Nationis Germanicæ Apostolico indulto, quatenus per illud videri potest Ordinarijs Collatoribus non tam de novo concessum, quam ab antiquo competens restitutum seu potius relictum jus conferendi Ecclesiastica beneficia, *c. Statutum De præb. lib* 6. *& ibi glos. in V. numerandum vers. item per hanc redatur ad ius commune, Guitel Cassad. decis.* 1. *vu.* 2. *de pactis.* † Quod minorem 5
habet dubitationem ex eo, quòd per dicta Concordata nihil juris in re, sed dumtaxat ad rem quæsitum sit, ut eleganter & latè respondit Philip. Decius, *cons.* 147. *Pro tenui facultate num.* 4.

† Si igitur sic per sequens speciale privilegi- 6
um etiam tacitè censetur derogatum antecedenti generali; nulla potest esse dubitatio, quin multò magis per Papam expressè illi derogari potuerit per quæcumque verba derogatoria etiam generaliter, licet non specialiter & in individuo prolata ab eo, qui derogandi facultatem habuit: ut æquè eleganter distinguendo tradidit Phil. Francus, *in cap.* 1. *De excess. Prælatã lib.* 6. *Fred. de Senis cons.* 47. *Habita super casu, Alexand. cons.* 243. *Perspectis tam verbis vol.* 6. *Cassad. decis.* 4. *de privileg.* Et sane fuisse summis Pontificibus eam voluntatem ac potestatem probatur adhuc aliunde ex duobus: primò, ex declaratione illa Gregorij decimitertij Papæ, quam in anno 1576. emisit, tempus trimestre in prætactis Concordatis Germanicæ Nationis præscriptum providendi de beneficijs in mensibus Sedis Apostolicæ reservatis vacantibus, extendendo ad sex menses ipsa Natione Germanica inconsulta, *extat Bulla in summa constitutionum Petri Matthæi quem septimum decretalium inscripsit.* Secundò, ex literis Principalis Placiti seu concordatorum, quæ super usu privilegij nominationum Facultatis Artium emanarunt, quatenus permittunt collatores semel gravari, nisi jus habeant in omnibus mensibus conferendi; tunc enim patitur eos nedum semel sed singulis decem annis gravari, *in clausula, que un nomme en vertu desdites Bulles &c.* quod evidens est argumentum in usu alternativarum collationum Ordinarios etiam in suis mensibus per acceptationem nominati gravari posse. Neque hanc derogandi potestatem impedit ea consideratio, quam nonnulli movent, quasi ista cum dicta Natione Alemaniæ per Sedem Apostolicam inita Concordata vim pacti & contractus habeant tam ex conditione pacisscentium, quàm natura & voce *concordiæ*; ideoque arctiùs etiam ipsum Pontificem obligent, ut invitâ alterâ parte cum qua contraxit, non possit ab ijs, recedere aut ea revocare; ut generaliter Papa & Princeps legibus contractus soluti non sunt, sed obstricti manent, *c.* 1. *& ibi Dec. De probat. l. Digna vox C. De legib. Domin. Geminian. d. cons.* 56. *nu.* 1. *Alex. cons.* 1. *n.* 11. *vol.* 2.

Idque in proposito tanto magis, quod dictis

Concordatis etiam adjectæ inveniantur fortissimæ clausulæ derogatoriæ ad sequentia quæcumque privilegia vel concordata; quibus peculiariter cautum est, quòd revocari non possint nisi de consensu dictæ Nationis; ut in simili de Concordatis inter sedem Apostolicam & Regem Franciæ sub dicto Leone decimo initis latè tractavit & decidit Petrus Rebuffus, *ad Concord. in præfat. ad rubr. de collat. vers. insuper quæro, & in tract. de nominat. q. ult. nu.* 21. Nam diligenter expendendo verba dictorum Concordatorum apertè deprehenditur, Pontifici non esse præscissam omnem potestatem revocandi hujusmodi concordata, aut illis derogandi; sed præscriptus in effectu dumtaxat est modus & forma, quibus illorum revocatio vel derogatio fieri possit. Sic quòd aliquatenus retentâ revocationis seu derogationis potestate, facilis & proclivis sit progressus ad ipsas ex emergente peculiari causa & certa ac indubitata voluntate revocare aut derogare volentis, ut paulò antè ex Philippi Franci traditione, *in d. c.* 1. *De excess. Prælat. lib.* 6. *Alex. d. cons.* 243. diximus. Vt est in proposito, in quo dictis Concordatis ex causa studij generalis non est dumtaxat derogatum tacitè per posteriorem seu sequentem concessionem dictorum indultorum nominandi (quod regulariter in derogatione privilegiorum sufficeret, *c.* 1. *De rescript. c. Dudum vers. nos igitur attendentes De præben. lib.* 6.) sed formaliter, expressè, & in individuo: quæ derogatio ob id debet effectum sortiri, *Philip. Decius cons.* 10. *Viso puncto, & cons.* 373. *Viso consilio nu.* 9.

7 De quo iterum minus hîc dubitandũ ex suprætacta consideratione, quod dicta Concordata non tribuant jus in re, sed ad rem tantùm; & sic contineant non jus quæsitum, sed quærendum de futuro: cui Princeps, *Decius d. cons.* 147. *nu.* 4. *Doct. in c. Super eo De off. deleg.* imò etiam privatus facilius derogare potest, *l. Quoteis C. De rei vindic. Bart. & alij in l. Qui Romæ §. Flavius De verbor. oblig.* Cujus derogationis potestas & probabilitas in hac re inde etiam major sit & certior, quòd per illam non abrogentur vel prorsus tollantur dicta Concordata (quod aliquando minùs in nutu seu potestate Papæ esse videri potest) sed impediantur tantùm semel aut bis in vita Ordinarij cujusque Collatoris; & quoad collationes Collegiorum, Conventuum, Capitulorum & similium coporum in vicennio vel decennio semel dumtaxat sit &
8 permittatur nominationis usus; * quod equidem intolerabile aut durum videri non debet, potissimùm propter favorem, quem merentur hujusmodi nominandi indulta, concessa ad promotionem studiorum, studiosorumque, in quibus evidens & publica consistit utilitas, *Auth. Habita C. Ne fil. pro patre, Paulus Paris. cons.* 140. *Inspectis indultis vol.* 4. *Bart. in l.* 1. *C. De stud. liber. urb. Romæ. lib.* 10. ob quam Papæ & Principi etiam à pactis & contractibus præsertim cum suis subditis initis aliquantulum recedere, illisque derogare facilè permittitur, *Doct. in c. In nostra De iniur. Marian. Soncin. cons.* 4. *Super quæstione nu.* 10. *vol.* 3. *Alex. consil.* 16. *In causa & lite nu.* 30. *vol.* 5. *& cons.* 101. *Visis instrumentis nu.* 7. *vol.* 1. eòque magis & facilius, quod hæc indulta nominandi non sint concessa principaliter certis personis, sed toti Vniversitati studiorum, *cap. fin. De rescrip lib.* 6.

Quæ tam formalis, & per individualem ex- 9
pressionem facta dictorum Concordatorum derogatio, extra omnem dubitationem alio quoque respectu posita censeri debet, per hoc, quod ut ipsum indultum Sixti Quarti ad instantiam Maximiliani Imperatoris & Philippi Archiducis Austriæ ejus filij; ita sequentia Leonis Decimi, & Adriani Sexti ad intercessionem Caroli quinti Imperatoris, & novissimè confirmatio Gregorij Decimi tertij per Regiam Catholicam Maiestatem sunt à sede Apostolica postulata & impetrata; ideoque ut propter authoritatem & præeminentiam impetrantium majorem habent firmitatem, ut difficilius revocari possint, & in generali revocatione non censeantur contineri, *c. Ne aliqui, De privileg. lib.* 6. *c. fin. De off. & potest. iud deleg. lib.* 6. *Eleganter Paulus Paris. cons.* 141. *Ad solutionem nu.* 21. *vol.* 4. ita quoque in illis dictorum Concordatorum aliorumque obstantium expressa & comprehensa derogatio seu revocatio, favorabilior reputari debet, & majoris ponderis ad infringendam vel saltem aliquatenus minuendam vim, & effectum dictorum præcedentium Concordatorum. Et quidem eo magis, quòd dicta Concordata sint facta cum Frederico secundo Imperatore dicti Maximiliani Patre, & Caroli quinti Proavo, ad ipsius Nationis Germanicæ utilitatem: cui utilitati liberum fuit postea ipsius Frederici hæredibus & successoribus in Imperio & hæreditate tacitè vel expressè renuntiare, & consequenter per novum & peculiarem consensum à dictis Concordatis recedere, vel de illis aliquid retinere, aut pati illis saltem ex aliqua parte ad ipsorum intercessionem & petitionem per summum Pontificem detrahi & derogari, *l. fin. C. De pact. D D. in d. c. in nostra, Socin. d. nu.* 1. & sic illa constringi per nominandi indulta ob commune bonum & publicam utilitatem; quæ proculdubio ea in parte præponderat causæ, ob quam per sedem Apostolicam dictæ Nationi Alemaniæ ista Concordata gratiosè concessa fuerint. Vt in simili tradit Petrus Rebuffus, *in tract. nominat. quæst. ult. nu.* 21. de Concordatis inter sedem Apostolicam & Franciscum Regem Franciæ suo & Regni sui nominibus super Collationibus beneficiorum initis; dicens illa revocari, ijsque ex commni voluntate Papæ & Regis derogari posse. Sic quod in proposito propter concurrentem dictorum Imperatorum spontaneum consensum & petitionem, & Papæ concessionem, nulla justa sit dubitatio, quin ut derogari potuit, ita quoque per tam expressa verba dictorum indultorum derogatum sit dictis Concordatis; † in istis maximè partibus seu regionibus, quæ eorundem Imperatorum temporali hæreditariaque superioritati magis, quam Imperio Alemanicæ seu Germanicæ Nationis subiectæ sunt (ut notoriè est Ducatus Brabantiæ, & quæ illi inclusa est, Civitas Buscoducensis) in quibus dictorum Concordatorum usus perinde non est nec usurpari potest; eo quod jam pridem non tantùm extra fines, sed etiam penè extra omnè Imperij Germanici

manici & Nationis Alemanicæ superioritatē & jurisdictionem (quod palam & notorium) esse cœperint, illisque ob id nunc dictorum Concordatorum verba, & per consequens illorum dispositio, accommodari non debeant nec possint, *l. q. §. toties & ibi Bart. De damno infecto l. Quod constitutum De inlit. testam.* quantumvis indicia seu vestigia eorum aliqua videantur esse ex usu & observatione alternativorum mensium, quibus in nonnullis Ecclesijs dicti Ducatus Brabantiæ etiamnum gaudent & uruntur Ordinarij Collatores in collationibus beneficiorum ecclesiasticorum. Cum igitur Civitas Buscoducensis, prout & totus Ducatus Brabantiæ, notoriè nunc sit extra fines Nationis Alemanicæ seu Germanicæ, nec in ijs cognoscatur amplius aliqua dicti Imperij superioritas vel subjectio (idque si non ab omni æuo, saltem tolerantia & dissimulatione ejusdem Imperij, vel ex comitijs Imperialibus, ut plerique asserunt) nulla est concludens ratio per quam dicta Concordata Alemanicæ Nationi concessa collatoribus beneficiorum in illis sitorum accommodari debeant.

Quod evidenter etiam deprehenditur ex propria Impetrantis allegatione & confessione, quâ pro se opposuit, in ipsa civitate Buscoducensi ex defectu superioritatis & subjectionis locum non esse Imperialibus precibus, per quas summus Pontifex solet novo Imperatori Nationis Alemanicæ concedere facultatem nominandi ad beneficia Ecclesiastica unam personam singulis Collatoribus beneficiorum per totam Alemaniam seu Germaniam, quatenus sub Imperio sunt, *Philippus Franc. & alij in c. Is cui De præben. lib. 6.* Id enim evidens est indicium & argumentum, civitatem Buscoducensem, & in ea residentes beneficiorum Collatores nec dictæ Nationi Alemaniæ seu Germaniæ, nec illius Imperio subjectos esse; ideoque nec Imperij privilegio frui, nec ex illis onus, aut gravamen pati posse: quia intra suos fines tam activè, quàm passivè convenit concludit omnia vel singularibus personis seu certo hominum generi, vel certæ Vniversitati, Regno, seu Nationi concessa privilegia; quæ etiam non admittunt ex paritate vel majoritate rationis ad alios quoscumque aliquam extensionem: ut enim non juvant, ita nec obstringunt, nisi hos, pro quibus fuerunt concessa, *l. 2. vers. nec generalia C. De legib. l. 1. De consult. Princ. in fin. c. Sanè c. Ex ore De privileg.* Quæcumque interim censeri possit dictorum Concordatorum conditio & potestas, hoc verum & extra omnem dubitationem manet, vel quod illis derogatum sit per indulta hæc nominandi, vel quod ad Collatores Buscoducenses transferri seu extendi non debeant, etiamsi olim Diœcesi Leodiensi aliquando subjecti fuerint, & Diœcesi Leodiensi olim concessa privilegia illis salva maneant, etiam post dismembrationem ab illa per erectionem novi Episcopatus Buscoducensis & translationem ad eandem, *c. Ad Apostolatus De conces. præben. in extravag. Ioan. 22. Oldrad. consil. 267. Quod Domino Episcopo in princ.* Neque verò Diœcesi Leodiensi concessa sunt dicta Concordata, sed Imperio & Nationi Alemaniæ seu Germaniæ: unde quâ parte Diœcesis Leodiensis non subjicitur dicto Imperio aut Nationi, puta quatenus ante hanc dismembrationem eadem Diœcesis complectebatur loca temporali jurisdictioni Ducatus Brabantiæ subjecta; eâdem seu eatenus dicta Concordata, ut nec olim antè, ita multò minùs post istam dismembrationem locum aut vires aliquas habere possunt.

Quâ iterum in parte Impetranti nihil suffragari possunt Maximiliani, & Caroli V. Imperatorum duo diplomata; quibus specialiter mandata fuit exacta observatio dictorum Concordatorum per Diœcesim respectivè Cameracensem & Leodiensem etiam adversus nominationum indulta. Nam ex ipso tenore verborum dictorum diplomatum satis apertè constare videtur, hujusmodi mandata Imperialia restricta esse ad partem eam dictarum Diœcesium, quæ Germanico Imperio subiecta est; & minimè ad alia loca Diœcesibus quidem prædictis, sed non temporali jurisdictioni sacri Imperij subiecta. Id enim non obscurè postulare videntur hæc verba, *Necnon alijs quibuscumque etiam Principibus sacri Imperij subditis in dicta Diœcesi constitutis.* Item hæc, *in gravissimum nostrum, sacri Imperij, & Nationis Germanicæ præiudicium.* Et denique illud, quod præfati Imperatores declarârint se ea mandata facere *pro debito Imperialis officij*; cujus ut nulla necessitas, ita quoque nulla voluntas neque potestas fuit in regionibus dicto sacro Imperio minimè subjectis: ut proinde quod ab ipsis tamquam Imperatoribus mandatum fuit Imperiali authoritate, extendi non debeat ad eos, qui eidem potestati & authoritati subditi non fuerunt; propter peculiarem & restrictiorem qualitatem, quam assumpserunt & usi fuerunt in mandando prætactam Concordatorum observationem, *arg. c. Cum capella De privileg. Nicol. Everar. Præses in loco de tamquam seu de respectivis.* Ex qua eâdem consideratione commodè quoque avertitur declaratio Julij Tertij Papæ, quam Impetrans allegavit quidem, sed non satis probavit. Nam etsi per eam (ut obtenditur) declaretur sub dictis Concordatis comprehendi Civitatem & Diœcesim Leodiensem: latius tamen non extenditur nec patere potest, quam ipsamet Concordata & illorum tenor patet; hoc est, non ultra, quam in illis patet superioritas Imperij & Nationis Germaniæ seu Alemaniæ; quod cum dici non possit de regionibus & locis positis extra dicti Imperij & Nationis superioritatem; consequens est nec per istam Julij Tertij, multò minùs per Clementis Septimi antecedentem declarationem, Civitatem Buscoducensem, & in ea constitutos Ecclesiasticorum beneficiorum Collatores tamquam dicto Imperio, aut Nationi minimè subditos, comprehensos esse sub dictis Concordatis, utpotè destitutos qualitate in ijsdem Concordatis tam formaliter requisitâ, *d. l. 4. §. toties De damno infecto:*

* quælibet enim dispositio regulatur secundùm suam causam, quæ illam vel ampliat vel restringit, *l. Adigere §. quamvis De iure patron. l. Cancellaverat De his quæ in testam. delent. l. Cum quæritur De excep. rei iudic.* ut limitata causa limitatum producit effectū, *l. In agris De acq. ver. dom. d. l. Cancellaverat;* & talia debent esse subjecta, qualia sunt

ac permittunt prædicata, *Gloss. ad verb. nequiviſſent in c. Inter dilectos De fide inſtrum. & gl. fin. in c.* 12 *nudum De decimis.* † Quamvis interim de literis originalibus aſſertarum hujuſmodi declarationum vel extracto illarum authentico, quæ à Clemente Septimo & Iulio Tertio Pontificibus emanaſſe dicuntur, hactenus nil apparuerit; idcoque ex defectu iuſtæ & ſufficientis probationis nihil momenti habere debeant, nec in conſiderationem venire. Quippe quæ de ijs per Impetrantem exhibita ſunt exempla, vel nudæ ſunt copiæ, vel non rectè ſecundùm juris formam exemplata; hoc eſt ex præcedente mandato competentis Iudicis, parte adverſa ad exemplationem ſeu authenticationem faciendam, prout juris diſpoſitio requirit, *cap. ult. De fide inſtrum. Odofred. in l. 2. nu. 2. D. De fide inſtrum. Decius conſ. 36. Pro tenui facultate Car. Molin. ad conſuet. Pariſ. §. 5. nu. 33. cum ſeq.* vocatâ.

Quæ cum ita ſeſe habeant, parum momenti pro Impetrante conſtituendum in extractis ex Regiſtris Actorum Capitularium Eccleſiæ Buſcoducenſis per Impetrantem exhibitis; quatenus per illa demonſtrare nititur, dictorum Concordatorum uſum in eadem Eccleſia à multis retropræteritis annis viguiſſe, & obſervatum fuiſſe. Nam dicta extracta nihil aliud concludenter convincunt, quàm quod Decanus & Capitulum Eccleſiæ Buſcoducenſis, quantum potuerunt, conati ſemper fuerint Nominationes Vniverſitatis Lovanienſis & Facultatis Artium in eadem, quoties illæ eis inſinuatæ fuerunt, ſic reſtringere, ut effectum non ſortirentur, niſi in beneficijs vacantibus in menſibus Apoſtolicis, prætextu dictorum Concordatorum. Sed eorum iſta contradictione & proteſtationibus in contrarium factis non obſtantibus, qui per quatuor aut quinque noviſſimè retropræterita decennia ſecundùm dictarum Nominationum Bullas ad ipſorum Collationem nominati fuerunt, ſine diſcrimine inter menſes Apoſtolicos, & ordinarios accepraverunt beneficia etiam in menſibus Ordinariorum vacantia; quos deinde etiam ijdem Decanus & Capitulum, non obſtante Turnarij Ordinarij collatione, ad poſſeſſionem admiſerunt & receperunt. Quemadmodum uſu venit in nominationibus Magiſtri Arnoldi Geneck in anno 1543. item in nominatione M. Petri Brachelij de anno 1553. item in nominatione M. Balthazaris Bont de anno 1563. item M. Ioannis Metzij de anno 1573. & noviſſimè in nominatione hujus cauſæ Opponentis factæ anno 1583. Et quamvis non conſtet M. Balthazarem Bont acceptaſſe in menſe ordinario; imò præſuppoſito etiam, quòd acceptaverit beneficium vacans in menſe Apoſtolico, non poteſt tamen dici id contigiſſe ex defectu juris & poteſtatis, ſed ex contingentia facti, offerente ſe ſcilicet vacatione in menſe Apoſtolico; in quo etiam ex Impetrantis propria confeſſione dictarum nominationum uſus indubitatus eſt. Cùm alioqui dicto M. Balthazari ea in parte obſtiterit propria renuntiatio, & promiſſio, quòd non acceptaret in menſe ordinario; quòd utique ad ſe ſolum, non etiam ad dictum indultum nominandi, aut alios nominandos quoquo modo conſtringendos referri debet; quiſque enim ſuo privilegio & juri renuntiare poteſt, *l. Si quis in conſcribendo C. De pact. l. Quæritur §. ſi venditor De edil. edicto*, non etiam ſuo facto alterius conditionem deteriorem facere, *l. Non debet alteri De reg. iur. l. De pupillo §. ſi plurium De novi oper. nuntiat.* Sic quod pro parte Impetrantis nullo modo ſit probatus pacificus uſus, aut quaſi poſſeſſio dictorum Concordatorum, ſed ex adverſo in hoc Ampliſſimo Concilio antiquiſſimum ſit multiſque Arreſtis comprobatum, dictarum nominationum uſum & frequentem & indubitatum fuiſſe, etiam in menſibus Ordinariorum, quoad beneficia potiſſimùm ſita ſub patrimonio Regiæ Catholicæ Maieſtatis in Diœceſi Leodienſi; ut eſt in oppidis Traiectenſi ad Moſam, Thenenſi, Nivellenſi, dominio de Rutten, & pleriſque alijs: ut nulla ſit cauſa, cur Eccleſia Buſcoducenſis ea in parte debeat eſſe tantò melioris conditionis.

Hoc itaque præſidio ex dictis concordatis tamquam debili & infirmo deſtitutus Impetrans, ex ipſo Nominationis indulto Opponentis jus & titulum ſubvertere nititur. Ex eo primùm, quòd per literas Placiti tam Caroli Quinti Imperatoris, quàm Regiæ Catholicæ Maieſtatis uſus dictarum Nominationum ſit reſtrictus; ut ex illo acceptari non poſſint beneficia, quæ ſunt de jure patronatus ſuæ Maieſtatis, aut ſuorum vaſallorum. Sed nimis frigida, imò frivola eſt & hæc allegatio. Convincitur enim & ſubvertitur ex ipſis dicti Placiti verbis, quibus diſertè excipiuntur beneficia & officia pertinentia ad Nominationem & jus Patronatus Regiæ Maieſtatis, vel alicujus ipſius vaſallorum aut ſubditorum ſæcularium ſeu laicorum: eâque in parte ſunt ipſæ literæ Placiti planè conformes ſupradictis indultis tam Sixti Quarti, quàm Leonis Decimi, Adriani Sexti, & Gregorij Decimitertij, permittentibus facultatem nominandi ſingulis Prælatis, Capitulis, Conventibus, Collegijs, & Perſonis Eccleſiaſticis utriuſque ſexus ſæcularibus, & regularibus: ter quæ ſatis deprehenditur permiſſum non eſſe, ut nominatio fiat laicis perſonis, vel jus Patronatus laicum habentibus, *l. Cum prætor D. De indic. l. Maxitus C. De procurat.* † Quod ipſum alioqui 13
non minus dici poſſet, etiamſi tam formaliter, & reſtrictè non fuiſſet facta mentio perſonarum Eccleſiaſticarum; eò id, quod Papa non cenſeatur in dubio velle præiudicare juri patronatus laicorum, niſi utendo ſuprema & abſolutiore poteſtate id exprimat, *Gloss. & DD in cap. Cum dilectus De iure patron. Lapus alleg.* 105. *Beneficia vacantia, Aegid. Bellamera deciſ.* 652. † qualis expreſſio 14
non eſt neceſſaria, ut cenſeatur derogatum juri patronatus, competenti clericis ſeu Eccleſiaſticis perſonis, *Stephanus Bertran. conſ.* 193. *Venerabilis vir nu. 1. vol. 7.* ſuper quibus ut major eſt Pontifici poteſtas, ita quoque in gravando illos, proclivior voluntas; ideoque niſi illorum beneficia patronata ſpecialiter excipiantur, cenſentur in dubio etiam contineri ſub gratijs Papalibus; ſub quibus ex adverſo non intelliguntur comprehendi beneficia

ficia iuris patronatus laici, nisi specialiter exprimantur; ideoque gratiæ exspectativæ censentur continere tacitam conditionem, si beneficia non sint iuris patronatus laici, *Philip. Decius cons. 126. In causa Domini Francisci nu. 4. Rebuff. in tract. nominat. quæst. 15. nu. 2. & seq.* perinde ex privilegio, præscriptione, vel consuetudine, ut ex fundatione aut dotatione, *Guliel. Cassador. decis. 4. de iure patron.* etiamsi intentissimis, & latissimè patentibus verbis literæ exspectativæ dirigantur ad quoscumque seu ad cuiuscumque dispositionem, imò etiamsi ad cuiuscumque præsentationem, *Felin. in tract. quando literæ Apostolicæ no. pat. eccles. late Cæsar Lambert. in tract. de iure patron. lib. 2. p. 3. quæst. 9. art. 3. & quinque seq.* Etsi enim præsentatio propria sit patroni maximè laici, quia tamen perinde ad ecclesiasticum ut laicum pertinere potest, ad ecclesiastici, non etiam laici præsentationem indeterminata huiusmodi pronuntiatio restringenda erit, *Felin. d. tract. nu. 3.* Cæterùm hæc clara juris dispositio dicto Impetranti nihil prodest; ob id, quòd Capitulũ Buscoducense, eiusque Turnarij Canonici ad Canonicatus & beneficia in eorum Ecclesia habeant plenum ius collationis, & dispositionis ordinariæ; & minimè restrictum ius præsentationis ex aliquo iure patronatus. Id quod apertissimè deprehenditur ex literis Apostolicis Ioannis vicesimi secundi, qui Ecclesiam Buscoducensem ex parochiali in Collegiatam erigendo, expressè voluit & ordinavit, quòd Canonicatus & præbendæ, quos primò in eadem Ecclesia vacare contingeret, collatio & provisio pro prima vice pertineret ad Decanum & Capitulum; quodque ad alios Canonicatum & præbendam ex tunc immediatè vacantes Dux Brabantiæ pro tempore existens personam idoneam dictis Decano & Capitulo præsentare valeret; & quod sic de alijs postea vacantibus Canonicatibus & præbendis vicibus alternatis fieri deberet. Ita quòd inde manifestè appareat quoad Decanum & Capitulum, prædictos Canonicatus & præbendas esse in statu liberæ collationis (ut inquit Decius *d. cons. 126. in princ.*) & minimè in statu iuris patronatus. Prout etiam per extracta, quæ Impetrans exhibuit, constat, dictos Decanum & Capitulum non tantùm cum Capitulariter, sed etiam cum per suum Turnarium iure suo in provisionibus horum beneficiorum usi fuerunt, id feciſſe jure ordinariæ collationis & provisionis, & minimè ex aliquo jure patronatus vel per modum aut formam præsentationis. Neque verò ex eo quod sic in ista transformatione Duci Brabantiæ formale laicum jus patronatus, seu præsentationis alternatis vicibus attributum & reservatum est, idem quoque censeri debet attributum Decano, & Capitulo: nam ratione subjecti ut jus variat, ita quoque pro cujusque qualitate & capacitate aliud Decano & Capitulo, aliud Duci Brabantiæ concessum videri debet. ‡ Et Decano quidem cum suo Capitulo jus liberæ collationis cum plenitudine juris canonici, quia illius capaces sunt: Duci verò strictius jus patronatus ad effectum solius præsentationis; cujus, non etiam liberæ & plenæ collationis seu dispositionis, capax est laicus, *c. Præterea c. Illud c. Cum laici De iure patron.* c. *Si per ordinationem 63. distinct.* Verum quidem est jus patronatus, quod laicis & clericis communiter & conjunctim competit, quoad effectum derogationis censeri magis laicum, quàm Ecclesiasticum, *Rochus De Curte in tract. De iure patron. in verb. ius q. 7. & seq. Cravett cons. 63. Primum dubium nu. 6. cons. 68. Proponitur nu. 4. vol. 1. Cæsar Lambert. d. lib. 2. p. 3. q. 9. art. 9* sed id rei propositæ applicari non potest: ob id, quod non conjunctim neque communiter Duci & Capitulo sit reservata seu attributa potestas conferendi, aut disponendi, sed disjunctim & per alternatas vices: ita ut non una, sed plures sint reservationes pluribus personis disjunctim ascriptæ seu attributæ. * Ad exemplum penè usus fructus, qui pluribus personis alternis annis vel legatur vel constituitur; qui non unus idemque, sed numero plures sunt usus fructus, *l. Cum usus fructus alternis annis D. De usufructu leg.* & invicem non communicantur, seu in cujusque persona singuli per se considerantur, *l. Quoties duobus D. De usufructu*; ut nec inter illos juri accrescendi locus sit, quia nulla ratione conjuncti, sed omninò separati sunt, *Gloss. in d. l. Quoties in verb. alternis.* Per se igitur stat jus patronatus Ducis, nec communionem ullam habet cum jure collationis Decani & Capituli. Et quidem eo discrimine, quod per quamcumque reservativã seu exspectativam gratiam Papalem non censeatur derogatum juri patronatus; censeatur verò derogatum juri collationis, quod Decanus & Capitulum, non ex fundatione aut dotatione, sed ex mera liberalitate Pontificia habent; ideoque facilius illi etiam per Legatum Pontificis derogari possit, etiam tacite & per rerum consequentias, *Alex. cons. 74. Viso puncto nu. 27. vol. 4. Decius cons. 117. Pro tenui nu. 3. Rochus de iure patron. q. 7. Cravet d. consil. 63. & 68.* De qua derogatione & derogandi voluntate in proposito nulla superesse potest dubitatio; ex eo, quòd per dicta indulta specialiter graventur etiam hi Ecclesiastici, quibus beneficiorum Ecclesiasticorum sola etiam præsentatio competit, quæ propriè pertinent ad actum patroni, non ad canonicè instituentem, nec ad illum, qui beneficium cum plenitudine juris confert, *cap. Ea noscitur & ibi Panor. in 2. notab. De his quæ fiunt à Prælatis.*

Nihil itaque Impetranti in hoc articulo suffragari potest, quod tam operosè allegavit, & multis exemplis prolatis amplificavit de dictorum Decani & Capituli actuali possessione, seu quasi conferendi beneficia in mensibus ordinarijs alternatis: nam illam agnoscit quoque Opponens, & pro fundamento suæ nominationis, quo in hac causa nititur, assumit; quòd scilicet propter tam altè patentem eorum potestatem conferendi tam multa beneficia iure ordinariæ collationis, meritò per sedis Apostolicæ hæc nominationis indulta gravari possint singulis decennijs semel; sive respectus habeatur ad indultum Sixti Quarti, ex quo nominatio fieri potest ad eos, qui plura quam sex beneficia conferre habent; sive ad Indultum Leonis Decimi, quo per nominationes gravari possunt, *qui beneficiorum vel officiorum Ecclesiasticorum dispositionem qualemcunque habent.*

Per quæ verba de habentibus dispositionem etiam

etiam qualemcumque beneficiorum vel officiorum, removetur alia Impetrantis impugnatio, quam noviſſimo loco facit aduerſus hanc Opponentis nominationem, quod ſcilicet illa fieri non potuerit in præjudicium Turnarij, ad quem putat unici hujus Canonicatus controverſi diſpoſitionem, ſeu collationem dumtaxat pertinuiſſe, ideoque ſub nominatione Impetrantis illum comprehenſum non fuiſſe; ut generaliter traditur, monocularia beneficia non cadere ſub generalibus, & indeterminatis gratijs exſpectativis, *Gl. in verb. in certa in Clem. 1. De præbend. Dom. Gemm. conſ. 36. Quod collatio facta, Steph. Bertran. conſil. 194. Conceſſum eſt vol. 3. parte*

182. * Probabilius magiſque coloratè objici poterat, ideò hunc Canonicatum cadere non potuiſſe ſub dicta Opponentis nominatione, quòd illa fuerit directa non Domino Petro Deſpinia Canonico Turnario, ex cujus collatione Impetrans jus ſuum prætendit; ſed Decano & Capitulo Buſcoducenſi, ad quos hujus litigioſi Canonicatus collatio non pertinuit, ſed ad præfatum Turnarium, qui per dictam nominationem Opponentis in ſpecie gravatus non eſt; qui licet ſub prætacto Capitulo ſit, Turni tamen conſideratio facere videtur, ut ſuo ſpeciali, non generali Capituli jure cenſeri debeat, ideoque vigore nominationis, Decano & Capitulo coniunctim directæ, acceptari non potuerit beneficium, quod non invenitur pertinere ad coniunctam Decani & Capituli, ſed dicti Turnarij ſolius, collationem, *cap. ult. De præben. lib. 6. Rota deciſ. 111 aliàs eſt 4. de conceſſ. præben. in antiq. Bald. conſ. 242. Factum tale vol. 3.* Sed utrumque æquè improbabiliter & ſine ullo juris colore, duabus ex cauſis: Prior eſt, quòd in hoc articulo quòad eos, quibus nominationes fieri poſſunt, indultum Nominationis ex Bulla Leonina Facultati Artium conceſſa (de quo hic agitur) latiùs pateat quàm indultum ex Bulla Sixtina Vniverſitati conceſſum: quippe comprehendit omnes omninò Collatores qualemcumque beneficiorum diſpoſitionem habentes; & ſic perinde eos, qui unum, aut alterum dumtaxat, ut qui plura beneficia conferre habent.

19 † Id enim importat vis & poteſtas univerſalis hujus dictionis *Qualemcumque*, ut non tantùm referatur ad qualitatem diſpoſitionis, ſed etiam ad beneficiorum numerum. Hæc enim univerſalis diſtributiva dictio prægnans eſt, & omnia omninò complectitur, etiam eos caſus, qui aliòqui ſine tam effuſo ſermone non continerentur. *cap. Solite De maior & obed. Iaſon conſ. 55. Præſens quæſtio poſt princ. & conſ. 124. Viſo teſtamento nu. 4. vol. 4. Steph. Bertran. conſ. 129. Viſo & ponderato n. 15. vol. 8.* Vt non ſit dubium, quin Leo Papa X. in parte intenderit plus concedere Facultati Artium, & omiſsâ repetitione reſtrictionis, de habentibus diſponere pluſquam de ſex beneficijs tam formaliter poſita in Bulla Sixtina, voluerit ab ea recedere, eâque in parte indultum ſuum Facultati Artium amplificare: quæ interpretatio omninò accipienda eſt in hoc indulto tam gratioſo & favorabili, in favorem & remunerationem ſtudiorum, & ob utilitatem publicam conceſſo, *c. fin. De reſcript. lib. 6.* Altera eaque evidentior & certior ratio eſt, quòd hanc nominationem & illius effectum metiri non oporteat ex perſona ipſius Turnarij, ſeu hebdomadarij, ſed ex perſonis Decani, & Capituli totius: cùm enim Turnarius non ſuo proprio, ſed totius Capituli jure vel nomine collationis vices exerceat, non tam Turnarius quàm Capitulum totum per miniſterium ſui Turnarij conferre cenſetur; & ex ratione antecedentis non tam ad Turnarium, quàm ad Capitulum collatio ſpectare & exerceri intelligitur: ita quod virtute nominationis factæ Decano & Capitulo ſine ulla hæſitatione acceptari poſſit beneficium, quod ceſſante nominatione Turnarius ſeu hebdomadarius nomine & ex capite Capituli alicui conferre poſſet; ſic quod ſub exſpectativa gratia ad Decanum & Capitulum indubiè etiam contineatur Turnarius, qui Capitulum repræſentat & vices illius ſuſtinet. De quo extat aperta, & indubitata Bonifacij Octavi conſtitutio, *in c. fin. De præben. lib. 6.* & Rotæ Romanæ ad illam confirmata deciſio, *Rota deciſ. 119. nota quod ubi aliquis eſt Impetrans, quæ eſt 4. ſub tit. conceſſ. præben. in antiq. Gemmian. in d. c. ult. nu. 7. & ibi Philipp. Franc.* Vt proinde in propoſito non cadat conſideratio ſolivagi & monocularis beneficij, ſive (uti non oportet) reſpiciatur ad dictos Decanum & Capitulum, qui plurimorum beneficiorum collationem habent, ut conſtat ex propria Impetrantis allegatione & exhibitis per eum extractis; ſive ad Turnarium, ad quem eodem penè numero pertinent eadem beneficia, ſaltem in potentia, ſi durante ejus turno illorum plurium vacatio occurreret, ut acutè & exactè per Dominum Advocatum cauſæ id animad- 20
verſum & ſuggeſtum eſt

Quoniam igitur nihil ſoliditatis deprehenditur in obiectionibus & impugnationibus Impetrantis adverſus Opponentis nominationem, ſed per illam ac per clauſulam *Decreti irritantis* dicto nominandi indulto inſertam, præfati Turnarij, ut & dictorum Decani & Capituli manus fuerunt ligatæ, illoſque etiam ignorantes conſtrinxit, *c. Si poſtquam De præbend. lib. 6. Paner. in c. Dilecto De præben. Lud. Rom. conſ. 330. Circa primum nu. 12.* non poteſt dicti Turnarij collatio Impetranti facta aliquo modo ſubſiſtere, aut Impetranti coloratum titulum ad hunc litigioſum Canonicatum attribuere, *c. Si beneficia, d. c. Si poſtquam De præb. lib. 6. Ioann. Bart. Ferret. conſ. 15. Pro favore*; ſine quo colorato titulo Eccleſiaſtici beneficij nulla poteſt eſſe poſſeſſio, *c. 1. de reg. iur. lib. 6.* & per conſequens nullum iudicium poſſeſſorium; & nequidem redintegrandæ, multò minùs retinendæ poſſeſſionis ex illa competere poteſt, *Guido Papæ deciſ. 71. & 85. Marian. Socin. conſ. 67. Eadem die nu. 9. vol. 3. Rebuff. ad conſtit. Regias de cauſ. benef. poſſ. art. 1. in princ. parte 3.* Hinc omnibus maturè excuſſis & diſcuſſis evidenter apparet Impetrantis intentionem nullo modo in hac cauſa contra Opponentem fundatam eſſe; ideoque Opponentem ab illius impetitione abſolvendum, & ultra hanc abſolutionem ex duplicato per Opponentem interdicto

eundem

eundem Opponentem manutenendum adversus Impetrantem in hoc Canonicatu ex tam liquido, claro, & indubitato jure dictæ nominationis; in expensis litis eodem Impetrante condemnato.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium inter nominatum ex indulto Facultatis Artium in Vniversitate Lovaniensi, & habentem ab ordinario collationem.

1. *Possessio in Ecclesiasticis cui decernenda & cuius naturæ*
2. *Titulus coloratus sufficit in possessorijs beneficialibus.*
3. *Clericatura necessaria beneficium acquirere volenti.*
4. *Instrumenti publicis subscriptio necessaria.*
5. *Clericaturæ literæ requirunt subscriptionem.*
6. *Subscriptio & subsignatio, quo loco poni debeant.*
7. *Clericatura non præsumitur.*
8. *Clericaturam conferens de quibus inquirere debeat.*
9. *Clericatura ab alio quam proprio diœcesano collata an valeat.*
   Clericalis character an ab alterius diœcesis Episcopo imprimatur?
10. *Nullitas maxima quæ ex defectu potestatis.*
11. *Domicilij ratione an alicui conferri possit clericatura.*
12. *Fidem accommodare in beneficialibus non licet.*
13. *Collatio in præiudicium reservationis Papalis nulla est.*
14. *Clausulæ* decreti irritantis *vis.*
15. *Collatio notoriè nullæ nullum dat titulum.*
16. *Nostrum dicitur quod commune cum alio habemus.*
17. *Originarius quis dicatur.*
18. *Valor quo modo attendatur in beneficialibus.*
19. *Actus ab initio licitus potest facere transitum ad actum illicitum.*
20. *Possessorium beneficiale summarium est,*
21. *Absentia quanta requiratur, ut scholasticus privilegium suum amittat.*
22. *Medium ab extremis præsumitur.*
23. *Certificatio quando & quantum probet.*

CONSILIVM CCLVI.

IN causa possessoria, quæ in Amplissimo Concilio Brabantiæ instituta est nomine M. Engelberti Wamesij Artium Magistri & V. I. Licentiati Impetrantis, contra Matthæum Backenbusch Opponentem, de & super Canonicatu & præbenda S. Servatij Trajectensis novissimè per obitum M. Iosephi Musch vacantis, longè apparentius & evidentius ad stabiliendam, retinendamque possessionem jus habet præfatus M. Engelbertus: quem ob id etiam per Amplissimi Concilij sententiam in hujusmodi possessione, adversus dictum Matthæum retinendum manutenendumque nos infrascripti arbitramur. * Etenim in Ecclesiastici beneficij possessoria causa, ei audjudicanda est possessio, & is in possessione manutenendus, qui apparentiora habet jura, *Doct. in l. fin. C. De edicto D. Hadr. tollen.* Quamvis autem initium hujus demonstrationis fieri posset à deductione notorij defectus juris in præfato Matthæo; cùm possessio in beneficijs Ecclesiasticis mixtæ naturæ sit, & absque titulo induci, aut concludi non possit, *Rota decis. 55. alias est 2. ad instantiam illius, Vt lite pend. & decis. 14. alias est 2. fuit dubitatum utrum De restit. spoliat. in novis:* quo tamen clarior expeditorque decisio causæ stet pro præfato M. Engelberto, conversâ rotâ jus & titulũ, quo idẽ M. Engelbertus hujus Canonicatus ac præbendæ possessionem per legitimam & consuetam installationem adeptus est, *Innocen. in c. In literis nu. 7. De restit. spol. Ioan. Bapt. Ferret. cons. 14. Tangendo nu. 1.* ob oculos ponemus, ac stabiliemus. Et quidem de potestate ac viribus Bullæ Apostolicæ per Impetrantem exhibitæ, quæ permittit Facultati Artium Almæ Vniversitatis Lovaniensis facultatem nominandi ad collationes quorumcumque Collatorum in Diœcesi Leodiensi, alijsque vicinis existentiũ nihil hic ambigendum est; cùm propter authoritatem atque potestatem sedis Apostolicæ; tùm propter illius usum speciali concessione ac Placito Cæsareæ Majestatis permissum; ac denique etiam propter res in hoc Amplissimo Concilio secundùm eandem Bullam paucis abhinc annis frequentius judicatas. Cuius Bullæ vigore & authoritate M. Engelbertus tonsuratus clericus Diœcesis Leodiensis, in Artibus promotus & birredatus, de Concilio dictæ Facultatis Artium existens, & ob eminentiam doctrinæ ad docendum Logicam & Physicam Aristotelis assumptus, sexta Martij anno 1559. ad collationes Reverendi D. Præpositi S. Servatij Oppidi Traiectensis per deputatos in dicta Bulla, præcedente solemni & registrato iuramento, quòd in bonis octuaginta ducatos de camera annuatim non haberet, ritè ac legitimè nominatus, huiusmodi suam nominationem secundùm tenorem literarum dicti Placiti super usu prætactæ Bullæ concessi, per suum ad hoc legitimè constitutum Procuratorem, intra tempus per literas dicti Placiti præscriptum, videlicet 16. ejusdem mensis Martij, intimavit & insinuauit; & subsecutâ deinde vacatione prætactorum Canonicatus & præbendæ in mense Aprili anno 1560. vigore dictæ Nominationis decima octava ejusdem mensis Aprilis, & sic intra mensem in literis prætacti Placiti præscriptum acceptavit; ac de eodem per Reverendum in christo Patrem D. Abbatem S. Gertrudis Lovaniensis sibi provideri curavit; obtentâ altera die sequente legitima & solemni in possessionem dictorum Canonicatus & præbendæ per installationem iuriumque requisitorum solutionem inductione; factâ quoque huiusmodi gratiæ, acceptationis, provisionis, ac obtentæ possessionis ad valvas dictæ Ecclesiæ Sancti Servatij publicatione, & secundùm dicti Placiti tenorem vicesima secunda die eiusdem mensis Aprilis prætactarum acceptationis & provisionis apud Registrum Notarij dictæ Facultatis Artium insinuatione ac registratione. Sic quod neque ex interna dictæ Bullæ, neque ex externa prætacti Placiti forma, in hoc, quem præfatus M. Engelbertus virtute dictæ Nominationis, in contentioso Canonicatu, & praben- 2
da prætendit titulo, nihil omninò desideretur: † ideoque non tantùm coloratum, qui in possessorijs causis beneficiorum ecclesiasticorum sufficere debet, *Rota decis. 439. alias est 21. Si agenti possessorio De rest. spol. in novis, Rebuffus ad constit. Reg. tit. de aus. benef.*

benef. poss. art. 1. *gloss.* 1. *nu.* 4. authoritate scilicet superioris, *Innoc. in c. Ex parte* De *rest. spoliat.* hoc est Pontificis, qui omnium beneficiorum liberam dispositionem habet, *c.* 2. *De præben. lib.* 6. *Clem.* 1. *Vt lite pendente &c.* sed etiam plenum ac justum habeat titulum; qui non tantùm ad possessionem retinendam, verùm etiam ad plenissimam in petitorio securitatem obtinendam sufficere posset. At verò Opponens debilem, imò nullum (cui ideo nullus color accedere potest) prætexit titulum, ex ordinaria collatione præfati Domini Præpositi, quantumvis hic Canonicatus seu illius vacatio inciderit in mensem Ordinarij, nimirum Aprilem anni 1560. Cujus nullitatis seu inutilis collationis duplex occurrit ratio: primò ex conditione ac qualitate Opponentis; secundò ex defectu potestatis conferendi in dicto Domino Præposito Ordinario Collatore.

3 * Prior quidem ex eo causatur, quod dictus Opponens non docuerit de legitimè adepto Clericatu, sine quo nemo beneficium ecclesiasticum obtinere aut retinere potest, *c. Cum adeò De rescrip. c. Ex literis* De *transact.* Etsi enim protulerit quoddam instrumentum, quo contineri videtur, quod anno à Nativitate Domini 1559. 20. Januarij Georgius Episcopus Hierapolensis, Reverendissimi Episcopi Ratisponensis in Pontificalibus vicem gerens & suffraganeus, Matthæo Backenbusch de Ingolstadio primam clericalem tonsuram ritè contulerit; laborat tamen idem instrumentum & externo visibili, & interno, quod intellectu deprehenditur, vitio; sic quod neque fidem mereatur, neque impressi clericalis characteris argumentum aut probationem adferat.

† Externum vitium est, quòd nuda & privata 4 scriptura, nullius Notarij aut authenticæ personæ subscriptionem seu subsignationem habeat: quod tamen in instrumentis, quæ publicâ fide nituntur, necessarium omninò est, *Alex. consil.* 166. *Viso puncto nu.* 3. *vol.* 2. in quibus non sufficit Notarium, aut eum, cui publicandi instrumenti authoritas est, totam scripturam propriâ manu scripsisse, nisi etiam subscripserit, subnotaverit, aut subsignaverit; licet id in privatis scripturis non sit æquè necessarium, *l. Cum antiquitas & ibi Iason nu.* 12. *C. De testam. l.* 2. *C. De conven. fisc. debit. lib.* 10. *gloss. l. Generali. C.* De *tabular. lib.* 10. † Nam & specialiter in literis tonsuræ clericalis requirit Petrus 5 Rebuffus, *in practic. benef p.* 1. *tit. forma literarum tonsuræ nu.* 2. quod vel Episcopus, vel Secretarius de ipsius mandato subscripserit & subsignaverit, ut fidem probationis faciant: sicut generale est, non credi literis Episcopi sigillatis non subsignatis, quoties alicui præjudicium inde inferri potest, *Rota decis.* 701. *alias* 17. *nota quod non creditur De probat. in antiq. Bald. cons.* 319. *Super primo cum consil. seq. vol.* 3. Et quamvis huic instrumento sigillum inveniatur appositum, id tamen præter solitum ac consuetum morem in dorso appressum est: cum ex more vel in facie instrumenti subimprimi; vel per caudas aut cordulas appendi debeat. Sic quod verè & propriè loquendo sigillum illud videatur impressum in chartâ ab eo latere, quo impressum est, vacuâ; quo casu sigillo parum fidei tribui solet, etiamsi postea chartæ aliquid inscribatur, *Innoc. in c.* 2. *n.* 3. *vers. de his autem* De *fide instrum.* † 6 Nam quemadmodum subscriptio & subsignatio nulla est, nisi in fine instrumenti ponatur, quia is est locus ei determinatus à jure & consuetudine, *Bald. in l. Ad testium* §. *si quis ex testibus De testam.* ita ex consuetudine facies sigilli debet correspondere faciei instrumenti; cum minimè mutanda sint, quæ semper ex usu communi certam interpretationem habuerunt, *l. Minimè De legib. Pet. Rebuffus in tract. nominat. quæst.* 10. *nu.* 16. * Atque 7 ita cum clericatura sit extrinseca qualitas, quæ non præsumitur nisi probetur, *Doct. in l. Sciendum De verb. oblig.* necesse est, ut statim in limine hujus posticci judicij impingat Opponens, qui liquidò de eâ qualitate non docuit, quæ primum aditum facit ad beneficia.

Sed ut fides dicto tonsuræ clericalis instrumento adhibeatur, nihilominus extra periculum non erit Opponens, ob interna vitia, quibus laborat. * Videlicet imprimis, quod in eis ut moris est & jus requirit, non sit facta mentio, quod Matthæus sit de legitimo matrimonio natus, & justæ ætatis: necessarium enim est, ut de illis inquirat Episcopus & cognitâ veritate literis tonsuræ eadem inserat, *Rebuff. in d tract. tit. de forma liter. tonsur.* sicut in literis tonsuræ Impetrantis factum reperitur: legitimum namque matrimonium & ætas legitima necessaria sunt ad obtinendam primam clericalem tonsuram, *cap. fin. De temp. ordin. &* De *fil. presbyt. per totum.* * Secundò, quod 9 potentius est, constat ex prima ejusdem instrumenti lectura, quòd Matthæus tonsuram à non suo Episcopo acceperit, quia scilicet dicitur in eo, quod Matthæus sit Ingolstadiensis, & Eychstetensis diœcesis, ideoque non debuerit aut potuerit tonsuram accipere à vicario Episcopi Ratisponensis. Ita enim jure constitutum est, *in c.* 1. *& c. Cum nullus De temp. ordin. lib.* 6. quòd nemo Episcopus hominem alienæ diœcesis ordiner, vel clericum faciat: adeò ut nec Archiepiscopus suorum Suffraganeorum subditos ordinare possit, *d. cap.* 1. *De temp. ordin.* saltem non sine literis dimissorijs ejus Episcopi, sub quo originem & locum nativitatis ordinandi seu tonsurandi habent, *d. c.* 1. *c. Ecclesius* 68. *distinct. & ibi Gloss. verb. formatas*, ne quis ex aliena plebe sibi quemquam usurpet, *c. Primatus* 71. *distinct. & ibi Ioan. de Turre Cremata.* Et quamvis Guido Papæ, *decis.* 446. disputando de charactere, an ille homini alienæ diœcesis per alterius diœcesis Episcopum imprimatur, existimet discrimen esse inter majores ordines, ut illorum character non imprimatur Clerico alienæ diœcesis, *d. c.* 1. *& d. c. Cum nullus*, & primam tonsuram, ut hujus character homini laico imprimi possit per alterius diœcesis Episcopum; verissimum tamen est & aperto jure quod dissimulari non potest, constitutum, *cap. fin. De tempor. ordin. lib.* 6. *& ibi Gl. in V. homini*, non magis validè clericalem primam tonsuram homini diœcesis alienæ, quàm alium altiorem ordinem conferri posse; & sic quidem ut de facto collata tonsura nullius sit momenti quoad illius exercitium vel executionem; propter defectum potestatis in ipso conferente, *Steph. Berran. cons.* 179. *Illud certum est vol.* 5. † Nulla enim major 10 nec

nec potentior est nullitas, quàm quæ causatur ex defectu potestatis, & jurisdictionis actum agentis, *l. 1. §. fin. Ad S. C. Tertull. l. 1. §. hæc autem Quod quisq; iuris &c.* Eaque etiam opinio communius recepta est & approbata, *Glos. in d. c. 1. in V. clericum, & in d. c. fin. in V. homini & ibi Domin. Anthar. & Philippus Franc.* atque ita in possessorio Ecclesiastici beneficij se vidisse judicari attestatur Bartholomæus Chassaneus, *ad consuet. Burg. Rub. 1. §. 6. ad verb. sont creuz. nu. 15.* Et dato, quòd character imprimatur, & sic ordinatus quoad se sit Clericus; tamen quoad executionem clericaturæ non sufficit hujusmodi character, & ob id semper manet inhabilis ad beneficium obtinendum, sicut prius cùm adhuc laicus esset, ut consulendo respondit Dominicus Geminianus, *cons. 133. Illud dubium in fine*; & pro remedio tradit Petrus Rebuffus, *in d. praxi benef. tit. de literis dimiss. nu. 5. & in tract. de nominat. quæst. 14. nu. 42. & q. 22. nu. 12.* quòd sic illegitimè tonsurati, per gratiam *perinde valere*, curent à Papa confirmari hujusmodi ordinationem; idque ante beneficij impetrationem, nè per supervenientiam hujus, juri alteri quæsito præjudicetur, *c. Quamvis De rescript. lib. 6.* Sic quod vel ex hoc solo capite præfatus Opponens, qui non tantùm Rei partes hîc obtinet, *l. Si duo §. hoc interdictum Vti possideti*, sed etiã Actoris, duplicato interdicto in hac causa succûbere debeat: præsertim quòd alienigena, nec ex loco beneficij, nec ex hac patria oriundus sit; cui Actor utpote in loco beneficij natus, cæteris etiam paribus, præferendus venit, *Ioan. de Selva in tract. benef. p 3. q. 26. Regula Cancell. 19. Rebuff. de nominat. q. 9. nu. 48.*

11 Neque ad rem facit, quod pro Opponente allegatum est, quod continuè (seu ut habent verba vulgaria **Burckuast**, hoc est assiduè) tempore collatæ tonsuræ habitaverit & domicilium foverit Ratisponæ, quasi sic respectu contracti domicilij potuerit ei à Suffraganeo Episcopi Ratisponensis tonsura conferri, *d. cap. Cum nullus.* Nam de eo non constat, neque in literis tonsuræ id exprimitur, vel aliqua illius mentio facta reperitur, ideoque cùm facti sit in dubio præsumi non potest, imo verò contrarij præsumptio ex ipsis instrumentis per Opponentem prolatis apertè elicitur; in quantum idem Opponens paulo post, scilcet 21. Martij eodem anno 1559. reperitur Procuratores ad acceptandum beneficia Ecclesiastica in Civitate Augusta constituisse: inde enim verosimile fit, eum tunc potiùs resedisse Augustæ (quæ specialem diœcesim habet sub Archiepiscopo Maguntinensi) quàm Ratisponæ, quæ est sub Episcopo Salzburgensi, præsertim quia Opponens ex nativitatis & originis loco dicatur esse diœcesis Eychstetensis tanquam natus Ingolstadij. Adhæc extra omnem suspicionẽ non est, quod ex parte Impetrantis Opponenti obiectum est nomen Matthæi esse simulatum, nec satis certò de ejus persona in actis constare: quod etsi per se non statim præsumatur, occurrunt tamen quædam, quæ hujus credulitatem aliquam faciunt, & ad tenebras seu improbabilitatem titulo, ac possessioni Opponentis fussundendum, causamque ejus decolorandum, plurimùm conferunt Veluti quòd post objectionem istam pro parte Opponentis producta sit quædam attestatio Vicerectoris Vniversitatis Ingolstadiensis de nativitate & studio cujusdam Matthæi Patabusch: quæ præterquam quod cognominis coventientiam non habeat, reperitur multis annis ante cœptam hanc litem facta, videlicet in anno 1555. quarto Calendas Octobris. * Deinde secundò, 12
quod satis evidenter constet hoc nomen Matthæi Backenbusch suppositum esse, accommodata tacitâ fide in fraudem juris pro alio quodam puero, cui D. Præpositus præbendam istam cupiverit esse collatam, qui tamen tempore collationis in personam Matthæi factæ incapax illius fuerit. Equidem ut generaliter nulla sunt, quæ in fraudem juris aguntur, *l. In fraudem, l. Heres, l. Eum qui tacitum De his quib. ut indig. l. 3. l. In fraudem De iur. fisci*; ita quoque & potissimùm in beneficialibus, quæ per taciti nominis accommodationem vel collusionem fiunt actum vitiant, *c. Audivimus De colluss. detegen. c. Cum clerici De pactis.* Sicut nulla est pensionis reservatio facta sub nomine alieno, ad commodum ejus, qui alioqui pensionis incapax est, *Panor. in c. Ad audientiam De rescript. & in c. Conquirente De cler. non residen. & in d. c. Audivimus, Hieron. Gigas de pension. quæst. 5. & 43.* Relinquitur ergò ex conditione personæ Opponentis nullum esse colorem juris aut justæ possessionis.

Ex defectu potestatis D. Præpositi conferentis 13
similis est ratio nullitatis. Nam quamvis Præpositus ordinariè conferre possit præbendas in mensibus ordinarijs vacantes; & ex collatione Ordinarij coloratus titulus ad tuendam possessionem acquiratur, etiamsi alioqui aliquod vitium lateat in collatione, cùm tamen ipsi conferendi potestas temporaliter ablata est, aut quamdiu propter nominationem seu exspectativam Apostolicam gratiam manus Collatoris ligatæ sunt, & beneficium, quod sub hujusmodi gartia Apostolica comprehenditur, affectum est; nulla omninò est collatio, quam adversus Pontificiam hujusmodi ligationem & affectationem intra tempus præscriptum Ordinarius Collator, cùm parere necesse habeat, facit, *c. Si beneficia, c. Si postquam De præbend. lib 6. Zabarel. consil. 104. Post redditum*; * propter vim clausulæ *decreti irritantis*, cujus potestas & effectus est, ut omne, quod in contrarium fit, sit illicitum, & nullum, *Panorm. in c. Dilecto in 4. colum. De præben. Rota decis. 16. si contra agentem aliàs est 3. De restit. spoliat. in novis*; afficitque hoc decretum etiam ipsos ignorantes, *d. c. Si postquam*, multò magis eum, cui insinuatio mandati Apostolici facta est; ut contigit in casu præsenti. Quod vitium tanti momenti est, & tam incoloratum facit titulum, qui postea ab Ordinario confertur, ut impediat etiam possessionis translationem, eamque si de facto transferatur inficiat, & ut omni effectu juriſque adminiculo destituatur, faciat, *Rota decis. 429. aliàs est 17. nunquid si mortuo De restit. spoliator. in antiq. Marian. Socin. cons. 67. Eadem die n 9. vol. 3 & Rota decis. 19.* Ex qua juris consideratione jam proximis in causis multis, pro nominatis ex dicto indulto adversus Ordinarios Collatores in hoc Amplissimo Concilio judicatum est; ut nihil prosit Opponenti, quod in

adipiscenda

adi, iscenda possessione per nudam receptionem Capituli Impetrantem anteverterit: non enim temporis tantum est momentum, quod nullo prorsus juris adminiculo fulcitur; † cùm beneficij collatio notoriè nulla nullum det colorem possidendi, nec causet aliquod possessorium, *Guido Papæ quæst. 71. & 85. Doct. in c. Ex literis De restit. spol. Lud Roman. cons 483. Dubitatur primo nu. 14.* sic ut privari etiam possit possessione non vocatus; nam & in interdicto recuperandæ possessionis beneficij obstat spoliato notorius defectus tituli, *Innoc. in c. Cum Ecclesia Sutrina De causa poss. & proprie.* Quod quidem nullitatis vitium non potest videri purgatum per allegationem Concordatorum Nationis Germaniæ, cum ab ea Opponens tacitè desiterit, nullâ illjus factâ deductione, vel dictorum Concordatorum mentione in scriptura Memoriæ, in quam omnia conijcere ac congerere debuit, quibus causam suam niti votuit. Idque non inconsultò, quando ex multis præjudicijs ac sententijs secundùm dictam Bullam Nominationis Facultati Artium, atque etiam Sixtinam toti Vniversitati Lovaniensi concessam (licet minoribus cum prærogativis ac derogationibus) in causis possessorijs Canonicatuum ac præbendarum S. Servatij Traiectensis successive latis didicisse potuit, infirmum fore istud fundamentum Concordatorum pro sustinenda ordinaria collatione adversus Nominationes Lovanienses: sive quod non probetur, Traiectum, quod nunc notoriè juris Brabantici est, Concordatis subesse; sive quod illis in ipsis Bullis Pontificis satis apertè videatur derogatum, *vide 3. cons. 250. nu. 3.* sive quod nominatis disertis verbis permissa sit facultas acceptandi ex suis nominationibus in omnibus mensibus, etiam Ordinarijs, *in clausula, quovis mense Apostolico vel ordinario nuncupato.* Vt proinde ab his, quæ ex frequenti pronuntiatione certam formam acceperunt, minimè sit recedendum, *l. Minime, l. Si de interpretatione D. De legib:*

Sic itaque constituto titulo non tantum colorato, sed etiam justo in persona Impetrantis, ad ea veniamus, quæ Opponens Impetranti ad enervandum titulum ex Nominationibus Lovaniensibus competentem objecit, quæ præcipuè tria sunt. Primum, quòd Impetrans hujus beneficij incapax sit; ob id, quod in prætactis literis Placiti inter cætera pro restrictione Bullæ Apostolicæ adiectum sit. Nec virtute Nominationis quisquam acceptet aliquod beneficium, nisi qui in Belgio patrimonio Regis Catholici natus sit; vel si alibi natus fuerit in eodem patrimonio decem annis residerit & scholas frequentaverit; objiciens Impetranti, quòd origine & ex nativitate Leodiensis sit, tamquam Traiecti ad Mosam natus, patre & matre in patria Leodiensi natis. Sed in hac objectione immorandum non est; nam dictum Placitum hoc tantùm requirit, *in clausula, premiers que nul & e in verb. en nosdicts pays de pardeça*, quod in his Principis citerioribus seu Belgicis (vulgo **Herttwertsouer** hoc est citramarinis) Regionibus natus sit: inter quas Regiones esse dictum oppidum Traiectense plusquam notum est, neque ullam controversiam habet. Vnde quia ex propria Opponentis confessione constat, Impetrantem Traiecti natum, & baptizatum esse, satis esse & sufficere debet ea ex parte literis placiti. Et quamvis Episcopus Leodiensis jus communionis pro indiviso in eodem Oppido Traiectensi habeat vel prætendat, verum tamen semper manet Impetrantem natum esse in ditione citeriore citramarina, patrimonio Principis Belgij, ut habet certificatio exhibita. * Rectè enim nostrum dicitur, quod commune cum alijs habemus: cùm nulla ejus sit pars, quæ nostra dici non possit, *l. Recte dicamus, l. Pupillus §. fin. De verbor. signific.* & cum pro indiviso inter hos Principes habeatur dictum Oppidum, & superioritas, necesse quoque est quoad ejus substantiam ut utrique æquale jus sit atque competat, *Bald. in l. 1. nu. 3. C. De com. ser. manumiss.* † Neque ad parentes seu eorum originem tantùm habenda est ratio, sed ad locum nativitatis ipsius Impetrantis & domicilij parentum; quod ex confessione Opponentis est **Traiectum**: sic ut ex duobus his, nativitate ipsius Impetrantis, & domicilio parentum, nihil dubitandum sit, quin Impetrans sit civis nativus & originarius oppidi Traiectensis, *Castrens. Cuma. Alex. Ioan. de Imola in l. Huiusmodi §. legatum De legat. 1.* cùm nil vetet quem duplicem habere originem, paternam ex domicilio, ac propriam ex nativitate, *l. Civis C. De incol. lib. 10* etiamsi mater pertranseundo tantùm aliquo loco, ubi domicilium non habet, peperierit, *Castren. & alij loco supra citato, Felin. in cap. Rodulphus nu. 24. in fine De rescript.* Quæ si cessarent, iuvatur tamen adversus hoc requisitum Impetrans ex eo, quòd per præceptoris sui testimonium docuerit, se in pueritia sua undecim annis continuis scholas frequentasse in schola ejusdem Ecclesiæ Traiectensis, in qua est beneficium controversum: maximè cùm ea in parte literæ Placiti pro incola habeant eum, qui decem annis in his citerioribus regionibus resedit, ac scholas visitavit. Sic quod, cùm nulla sit dubitatio, neque etiam Opponens controversum faciat, quin ipsa Ecclesia S. Servatij pleno jure cum cohærentibus suis (inter quæ est in primis parochialis Ecclesia S. Ioannis in eodem circulo & cœmeterio connexim sita, in qua ut habet certificatio per Impetrantem exhibita, & cui Opponens nihil contradixit, Impetrans baptizatus est) sit jurisdictionis Brabanticæ, sita in oppido ejusdem jurisdictionis & superioritatis saltem pro indiviso, nihil dubitandum sit, quin ex loco nativitatis Impetrans capax sit hujus beneficij; præsertim accedente etiam tot annorum continuâ residentiâ Impetrantis in Vniversitate Lovaniensi, in quâ studia usque ad Magisterium in artibus, inde usque ad Licentiam in utroque jure novo & altero ferè decennio ante acceptatam possessionem hujus beneficij prosequutus est & absolvit. Nihil itaque est, quod ex hac parte incapacitatem personæ Impetrantis faciat vel inducat.

Alterum quod Opponens Impetranti objicit 18
80. est, quod plus in bonis habeat, quàm Bulla Nominationis nominandis permittat, hoc est ultra florenos

florenos auri de Camera; sed non perrumpit ea objectio. Nam imprimis secundùm prædictas literas Placiti (quorum forma per omnia observata possessorium judicium sufficienter justificat) sufficit Impetranti, quod solemni juramento affirmaverit, se tantùm in bonis non habere. Deinde ex propria Opponentis allegatione constat, ne nunc quidem Impetrantem in bonis temporalibus vel Ecclesiasticis eam taxam excedere: nam variando modò allegat eum percipere ex præbenda S. Ioannis Leodiensis centum quinquaginta florenos Rhenenses, modo centum tantùm; quarum neutra excedit octuaginta ducatos de Camera, qui excedunt summam centum sexaginta florenorum Rhenensium; quos tamen ipsos hactenus non percepit tamquam corpus ipsius præbendæ, quod minimum est; sed tamquam ex gratia Capituli favore residentiæ in loco privilegiato studij Lovaniensis. Neque ad rem facit, quod Opponens dicat eam præbendam valere annuos quadringentos florenos Rhenenses: nam id non constat, & ut constaret, esset id omne emolumetum, quod Impetrans residendo in Canonicatu S. Ioannis Leodiensis percipere posset: qui valor in hoc Nominationis privilegio inspici non debet, *Oldradus cons.* 218. *Ex virtute, c. Licet De præb. c.* 1. *De cler. non resident. lib.* 6. *Didac. Covar. var. resolut. lib.* 3. *c.* 13. cùm non tantum per ipsas Bullas Apostolicas, sed & per literas prædicti Placiti apertè sic declaratum, id censeri valorem & taxam beneficij, quod solet præstari absentibus in loco privilegiato studij, *in clausula incip. & quant à la taxe*; à quâ interpretatione sic semel per Principem facta non est facilè recedendum, *d. l. Minimè*.

Sed nec illud ad rem facit, si fortè Opponens existimabit accessione hujus litigiosi beneficij Impetrantem ultra octuaginta ducatos habituru: quia hujusmodi conjunctio facienda non est, cùm satis sit ad observationem formæ, quam Bulla Apostolica & Placitum Principis præscribunt ad obtinendam nominationem, quòd concurrentibus alijs requisitis, tempore nominationis alia bona nominati eam taxam non excedant; & nusquam id constitutum sit, quòd accessio aut valor beneficij vigore nominationis acceptandi faciat excessum octuaginta ducatorum. * Cum alioquin 19
ea sit juris ratio, ut in actu, qui per se illicitus non est (ut acceptare pingue beneficium) si ex prohibitione hominis fiat illicitus (ut in proposito, ne acceptet, qui ultra octuaginta ducatos habet) inspiciatur initium; quod si licitum sit, nihil noceat pervenire ad excessum, qui per se ab initio fuisset illicitus, *Doct. in l. clam possidere De acq. possess.* hoc est in proposito, quod ut non habenti octuaginta ducatos permissum est virtute nominationis acceptare beneficium, ita nihil nociturum sit, si acceptato beneficio plus in bonis sit habiturus. Id enim præsupponit ipsa taxa facultatum, quod plus per beneficium vigore nominationis acceptandum acquiri possit: ideoque etiam cum bono discrimine duplex taxa posita videatur in dicta Bulla, altera quæ respicit conditionem acceptantis, ne ultra eam in bonis habeat; altera, scilicet sexaginta ducatorum, quæ respicit beneficium acceptandum, ne virtute nominationis acceptetur beneficium, quod eam taxam excedit.

Tertia obiectio est de intermissa residentia in Vniversitate Lovaniensi; ob id, quod in Bulla nominationis caveatur, *in clausula incip. quodque soli residentes &c.* quòd solis residentibus in dicta Vniversitate Lovaniensi liceat jus nominationum acquirere, ac servare: allegans Impetrantem mense Decembri, Ianuario, Februario, & Martio, acceptationem suam immediatè precedentibus, residisse & domicilium suum in Oppido Antvverpiensi fovisse. * Cæterum ea allegatio facti est; altio- 20
remque indaginem requirit, atque petitoriam causam magis respicit, *Abbas in c. Constitutus De appell. & in c. Cum olim De caus. poss. & propriet.* ideoque attendi non debet; cùm Impetranti in omnem eventum satis hic esse debeat, sicut dictum est, coloratum proferri titulum prima facie justum, & acquisitum illius authoritate, de quâ nulla extet dubitatio, etiâsi fortè aliquid vitij objiciatur extrinsecus: id enim in petitorio, quod ordinarium est, nō in possessorio, cujus cognitio summaria est, *Clem. Dispendiosa & ibi Gloss. & Doct. De iudic. l. Momentaria l. Meminerint C. Vnde vi l.* 1. *C. Si de moment. possess.* discutiendum venit. Interim ne hic hæreret causæ definitio, ex superabundanti pro præscindendis dilationibus, & moris (quibus eam nimis apertè Opponens in tertium usque annum procrastinando distraxit) per diversa documenta Impetrans liquidò demonstravit, toto illo tempore Lovanij se resedisse, scholasticaque exercitia fecisse, ad eas conditiones atque officia se assumtum fuisse, illaque etiam eo tempore gessisse, ad quæ absentes neque assumi solent, neque nisi residendo Lovanij retinere aut exercere possunt. Ita quod inde allegatio ista, quam meritò confictam arbitratur Impetrans, prorsus improbabilis fiat & non verosimilis; ideoque nec ad probandum admitti debeat, sed ad judicium petitorium rejici: potissimùm cum id quod verosimile non est, falsi seu mendacij imaginē habeat, *c. Quia verosimile De præsumpt. Bald. in l.* 1. *nu.* 9. *C. De servis fugit.* Quæ improbabilitas & deficiens verosimilitudo hujusmodi allegatæ absentiæ Amplissimos Dominos omninò movere debet ad rejectionem ejusdem allegationis, ne per moras atque inutiles dilationes probandi illius, quod Opponens numquam probabit, fructuum perceptio subtrahatur, & Capitulo eos sibi appropriandi longior occasio detur. † 21
Quæ minorem dubitationem in proposito casu habent, quod Opponens tantùm quinque mensium absentiam alleget, quæ ad amittendum privilegia scholasticis concessa non sufficit; cùm ut minimùm requiratur absentia sex mensium, *Rebuff. de nominat. q.* 10. *nu.* 10. Et sic cum Opponens nullam absentiam in mense Aprili Impetranti objiciat & ex literis acceptationis & provisionis constet, Impetrantem tunc fuisse Lovanij, residisse quoque præsumi debet, eò quod præsumtio ejus qualitatis in proclivi sit. Præsumitur enim quis actum in ea qualitate facere, qualem actus requirit, *Andr. Alciat. de præsumpt. reg.* 2. *cap.* 24. * Sic ut cum liquido constet de extre- 22
mis, hoc est de tempore nominationis, quod Opponens non negat neque oppugnat; & alioqui ex

literis nominationis (quæ in ea parte surreptionis vitio laborare nequeunt, *Rebuffus de nominat. q. 2 nu. 52.*) omninò præsumeretur; item de tempore acceptationis: medij temporis residentia ad hoc possessorium judicium justificandum omninò præsumi debet, *c. Quia 28. distinct. l. Sed etsi § solemnis De hæred. instit. Specul. in tit. de fide instrum. §. nunc dicamus sub fin.* Cùm alioquin ea præsumptio non sit necessaria; quia media tempora, quæ jus omninò non absorbent (quale hoc esset quinque tantùm mensium) nocere non solent, *d. § solemnis & ibi Doct.*

Quibus omnibus si adijciatur testificatio Magnifici D. Rectoris almæ Vniversitatis Lovaniensis, quâ de continuo tempore studij Impetrantis publicam fidem fecit, nullus amplius relinqui potest in definiendo hoc possessorio judicio scrupulus: nam hujusmodi literæ plenæ fidei præsumptionem secum trahunt, nec eis contradici potest, nisi per formalem allegationem falsi; cujus probatio est difficilis, & in summario judicio minimè concludenda, ut eleganter in hoc Nominationis articulo deduxit Petrus Rebuffus, *in tract. nominat. quæst. 11 nu. 3. & 5.* Finem igitur facientes, Amplissimorum Dominorum atque aliorum quorumcumque rectiùs sentientium judicio salvo, in eo consistimus nos infrascripti V. I. Doctores, hanc possessoriâ causam secundùm præfatum Impetrantem definiendâ ac terminandâ etc.

De Prabendis.

SVMMARIVM.

Nominatio Facultatis Artium.

1. *Nominationibus non subjici beneficia reservata vel qualificata.*
2. *Reservatum beneficium quod dicatur.*
3. *Thesauraria quid sit, & an a nominato acceptari possit.*
4. *Nominationibus etiam subjiciuntur electiva beneficia.*
5. *Personatus an sit dignitas.*
6. *Beneficium non est sine officio.*
7. *Confirmatio actus propriè dicta non est.*
8. *Capitulum potest facere statuta circa sua beneficia.*
9. *Status ultimus beneficij inspicitur.*
10. *Valor beneficij constituitur deductis oneribus.*
11. *Recredentia revocata recredentiarius tenetur ad fructuum restitutionem.*
12. *Regula Cancellariæ de infirmis resignantibus obtinet etiam in permutatione apud Ordinarium*

CONSILIVM CCLVII.

NOMINATIONI, quam à Facultate Artium ex indultis Apostolicis ad collationem, electionem, & provisionem Venerabilium Dominorum Decani & Capituli Ecclesiæ collegiatæ S. Petri Insulensis obtinuit M. Iulianus le Merchiere Impetrans, plura objiciuntur ex parte Hugonis Destailleurs Opponentis, in causa possessoria pro Thesauraria dictæ Ecclesiæ; præcipuè tamen duo. Prius, quòd dicta Thesauraria sit incorporatum seu specialiter reservatum beneficium ex Bulla Honorij Papæ ad certum servitium in dicta Ecclesia; quodque per literas Placiti seu Concordatorum Caroli Quinti Imp. super dicto indulto nominationis cautum sit, ne vigore illius acceptentur beneficia incorporata seu specialiter reservata ad aliquod particulare aut peculiare servitium in Ecclesia, *in clausula incipiente ne pauperat &c.* Alterùm, quòd valor annuorum fructuum & emolumentorum dictæ Thesauriariæ longè excedat taxam in dicta nominationis privilegio præscriptam. Sed utriusque objectionis exiguus est effectus.

Nam quod ad prius attinet, quamvis verum sit, sub nominationibus non contineri aut cadere beneficia reservata vel Sedi Apostolicæ effecta, *ex generali reservatione in corpore juris clausa*, ut habet textus & tenor Bullæ nominationis, vel aliter annexa, unita, aut incorporata, vel qualitatibus certis annexa seu adstricta, *c. Cum accessissent De constit. Ibi. Rebuff. in tract. nominat. quæst. 15. nu. 59. & 31. Felin in cap. Cum ex officij nu. 37. De præscript.* quæ nimirum ipsa incorporatio, & hujusce generis reservatio vel tollit beneficium vel conditionem illius restrictiorem facit; in neutro tamen genere reservationis constitui potest hæc controversa Thesauraria.

De incorporatione & unione dubitatio nulla est; ut nec Opponens de ea quicquam proponit, & rei evidentia demonstrat contrarium: cùm hæc Thesauraria, ut olim semper, ita nunc quoque sit speciale & formale beneficium, perpetuum, & electivum, clerico sæculari conferri solitum, in dicta Ecclesia Insulensi originaliter fundatum, non aliunde transflatum, nec alicui alteri beneficio annexum, quod ad veram incorporationem requiritur, *Felin in c. Translato De const. Alex. cons. 114. In causa & lite nu. 19 vol. 4.*

De reservatione quoque speciali, justa dubitandi causa non est: quippe specialiter reservatum beneficium illud est, cui Papa manus apposuit, illudque vel perpetuò, vel illâ vice conferre vetat seu alicui conferri mandat, *c. Is cui De prab. lib. 6. Quintilian. Mandos. ad Reg. Cancel. Apostol. in proœm. q. 5.* Ita ut reservationis hæc species directè tendat in præjudicium inferiorum Ordinariorum, ad quorum collationem, dispositionem, seu electionem alioqui pertineret ipsum beneficium, *Rebuff. in praxi benef. lib. 1. tit. de reservat.* Cujus generis aliquam specialem reservationem nec allegat nec profert Opponens: sed profert tantùm quamdam Honorij Papæ tertij Bullam continentem non aliquam reservationem aut dispositionem circa hanc Thesaurariam, sed nudam confirmationem cujusdam antecedentis confirmationis, quam inter alia fecit quondam Gesuinus Episcopus Tornacensis anno Domini 1206. circa dictæ Thesauriariæ statutum, conditionem, & qualitatem, non tunc primùm inventam, aut factam, sed quæ ab antiquo ita semper obtinuerat; ut manifestum sit inde nullâ constitui posse Apostolicam reservationem; imò nec affectionem, ex qua primordialis natura & conditio beneficij hujus ullo modo fuerit mutata: quam mutationem alioquin non præsumitur Papa in dubio velle facere, nisi id omninò exprimat *c. Quemadmodum De jure patron. Ioan. Calderin. cons. 16. An in reservat. in fin. tit. de præben.* In dicta itaque tam Papæ, quàm Episcopi Tornacensis confirmatione, nulla alia constituta fuit hujus Thesauriariæ qualitas, quam

3 quàm quæ prius fuerat. † Et tantùm abeſt, ut inde aliqua reſervatio aut inductio inducta dici poſſit, ut magis inde convincatur, nullâ ratione hanc Theſaurariâ vel affectam vel reſervatam eſſe; ſed per ſe eſſe & officium & beneficium in dicta Eccleſia Inſulenſi, quodque obtineri poſſit per quemcumque clericum. Vt in jure communi eſt Sacriſtia, quæ nihil aliud eſt, quam hæc Theſauraria, *c.1. De off. sacriſtæ*, & obtineri poteſt non tantùm per Canonicum aut aliter beneficiatum in eadem Eccleſia, ſed etiam per quemcumque alium clericum, *Calderin. conſ. 3. An ſit ſacriſtia ſub tit. de præben.* Ita ut meritò cadat ſub nominationibus, ex quibus Impetrans titulum ſuum prætexit;

4 † quibus non tantùm beneficia, ſed etiam officia Eccleſiaſtica & adminiſtrationes per Bullam Pontificiam apertè, & diſertè ſubjiciuntur, quæ in titulum conceduntur: eo enim caſu officia & adminiſtrationes jure beneficiorum cenſentur, obtinentur, & reguntur, *clem. Quia contingit, §. ut autem verſ. niſi in illorum De religioſ. domib. Rebuff. in tract. nominat. quæſt. 15. nu. 13.* itaque in propoſito ſufficiat, hoc officium & adminiſtrationem non eſſe reſervatam aut annexam Canonicatibus, ſeu præbendis, vel alijs beneficijs dictæ Eccleſiæ, *c. Quia ſæpè in fine De præben. lib. 6.* ſed ex ordinaria proviſione per electionem ad illud aſſumi poſſe quemcumque Clericum, ſive ejuſdem ſive alterius Eccleſiæ.

Sed nec ex eo, quòd per ſtatutum dicti Capituli & accedentes ad illud Epiſcopi Tornacenſis & Honorij Papæ confirmationes, certa forma electionis ad illam præſcripta ſit, ut ſcilicet eam facere debeat Capitulum, præſente ſeu vocato, ſed non eligente D. Præpoſito, & quod electus Theſaurarius eidem Præpoſito fidelitatem & obedientiam exhibere debeat, conſtitui poteſt reſervationis, aut affectionis aliqua ſpecies: nam eâ ratione reſervata cenſeri deberent omnia electiva beneficia & officia Eccleſiaſtica, in quorum electione, forma vel à jure communi, vel à ſtatuto, vel à conſuetudine præſcripta, utique etiam obſervari deberi; & ad eam admitti vel ab ea excludi, quos vel jus commune, vel ſpeciale Capituli ſtatutum ſeu conſuetudo admittit vel excludit, *c. Cum eccleſia Vulterana, c. Quia propter c. Ingeneſi & ibi Gloſſ. De election.* Quod perquam abſurdum eſſet; cùm dictis Nominationibus & exſpectativis gratijs etiam ſubjiciantur electiva beneficia, ut patet ex tenore dictæ Bullæ, quæ per prætactas literas Placiti, aut Concordatorum ea in parte non reperitur reſtricta. Neque rurſus quia in dictis ſtatuto & confirmationibus declaratur, quòd hæc Theſauraria ſit in perpetuum perſonalis in Eccleſia Inſulenſi, reſervatio aut incorporatio aliqua induci vel conſtitui inde poteſt: quia ſic conditio illius declaratur, quę qualificat dumtaxat beneficium, non verò afficit aut addicit: nam alioquì omnia beneficia, quæ vel ex ordinatione fundatoris, vel ex forma ab Ordinario data qualificantur, cenſeri deberent affecta & reſervata; quod valde foret abſurdum. Proinde ſatis eſt pro uſu nominationis beneficio ſeu officio non eſſe datam aliquã qualitatem, quam non habet nominatus: prout in dictis ſtatuto & confirmationibus non eſt data vel præſcripta certa qualitas ex parte perſonæ eligendæ ſeu aſſumendæ ad Theſaurariam; ut interdum præſcribi ſolet conditio, vel qualitas Presbyteratus, nobilitatis, Canonicatus, alterius beneficij vel officij, nationis, vel familiæ, quæ facit, ut carenti eâ qualitate de huiuſmodi beneficio, vel officio provideri non poſſit, *c. Cum in eccleſia. cap. Cui de non ſacerdotali, De præben. lib 6.* Atque ita ſufficit Impetrantem eſſe clericum, & multò magis etiã ſacerdotem, nec aliquid obijci, quod eum incapacem illius faciat; & nè quidẽ hoc, quòd beneficiũ ſit dignitatis aut perſonatus, prout de jure nõ eſt Theſauraria, *Rota deciſ. 173. aliàs eſt 11. de theſaurariæ De præben. in novis*: cum alioquin ex Bullis Clementis Septimi, & Gregorij Decimi tertij Pontificum, & dictarum nominationum confirmatorijs, amplificativis, conſtet nominationibus iſtis ſubijci etiam dignitates, & Perſonatus. Et quamvis per dictas literas Placiti & Concordatorum uſus harum nominationum videatur reſtrictus, ut vigore illarum non liceat Archidiaconatus, Præpoſituras, & Decanatus acceptare, *inclauſula incipiente, ne pondrat encoires*: cæterarum tamen dignitatum inferiorum, & nominatim Perſonatuum acceptatio prohibita dici non poteſt: exceptio enim certarum dignitatum nominatim in dictis Concordatis expreſſarum, libertatem uſus dictarum nominationum in alijs evidenter permittit; ut regulariter exceptio confirmat regulam ſeu diſpoſitionem in caſibus non exceptis, *l. Cum prætor De iudic. Bartol. in l. Quæſitum §. denique De fide noſtrum. DD. l. 1. De reg. iur.* † & generalis exceptio dignitatum non rectè extenditur ad Theſaurariam vel perſonatum, qui quid diverſum eſt à dignitate, *c. 1. De conſuet. lib. 6.* & pro dignitate non habetur, niſi ex fundatione, ſtatuto, vel conſuetudine talis conſtitutus, aut habitus ſit, *Oldradus conſ. 150. In Eccleſia, Panor. in c. De multa De præben. DD. in d. c. 1. De conſuet. lib. 6. Rota d. deciſ. 173.* prout etiam per partem adverſam non objicitur, quod hæc Theſauraria in Eccleſia Inſulenſi ſit dignitas. 5

Nec hoc denique ad affectionem vel ſpecialem reſervationem inducendam quicquam facit, quod in ſtatuto ſeu literis dicti Capituli, atque item in prætactis duabus accommodatis confirmationibus, Theſaurarius teneatur ad reſidentiam octo menſium ſingulis annis; & quod ad cuſtodiam templi Presbyterum deſervientem in ſua proviſione debeat tenere; quodque ea, quæ ad officium Theſaurariæ pertinent, juxta conſuetudinem prædeceſſorum fideliter exequetur: nam iſta forma reſpicit dumtaxat hujus beneficij & adminiſtrationis officium, unde non poteſt induci aliqua ſpecies affectionis vel reſervationis; * cùm nullum ſit beneficium, quod præſciptum vel ex fundatione, vel ex ſtatuto, vel conſuetudine non habeat aliquod officium, propter quod omne beneficium dari ſoleat, *c. fin. verſ. & officium De reſcript. lib. 6.* ut vix in ſenſum hominis cadat beneficium Eccleſiaſticum eſſe ſine officio. Atque ita manifeſtum eſt in dictis confirmationibus nihil eſſe, quod poſſit trahi ad dictæ Theſaurariæ affectionem, reſervationem vel incorpo- 6

incorporationem; quæ non inducitur per quamcumque manus Papæ appositionem, sed dumtaxat per illam, ex qua constat Pontificem vetuisse collationem, electionem, aut dispositionem ipsius beneficij, vel officij, vel eam tollere, vel certis personis, aut rei obnoxiam facere voluisse, *c. Vt nostrum & ibi D. D. De appell.* Quo sensu etiam accipienda sunt verba dictorum Placiti & Concordatorum, *vers. ne pardessus ces autres benefices*, loquentia *de speciali reservatione, seu incorporatione per indultum, seu provisionem Apostolicam pro aliquo servitio particulari facta.* Cum alioqui hæc Honorij Papæ confirmatio, pro indulto, & provisione Apostolica propriè accipi non possit; sed pro nuda approbatione antecedentis statuti dictæ Ecclesiæ & illi accedentis confirmationis Gosuini Episcopi Tornacensis. † Iam verò pro juris regula traditur, quòd qui confirmat actum aliquem alioqui per se firmum & validum, non dicatur dare, *l. Si donare §. 1. De donat. inter vir. & uxor.* Vnde est, quòd, si Papa confirmet alicujus Collegij statuta valida, per hoc non dicantur hujusmodi statuta Papalia, sed statuta Collegij, *Bald. in c. Cum contingat nu. 7. De iureiur. Ias. in l. More nu. 27. De iurisdict. om iudic.* Nam ut eleganter docet Baldus, *in l. Ex placito nu. 6. C. De rer. permut.* tunc censetur confirmans dare, & actum suum facere, quando ita rem producit in esse, ut det originem causæ: cùm verò confirmans non producit rem ab origine sua in esse, sed confirmare intendit ex gratia, tunc quia non est causa totalis, sed concurrens, non censetur dare. Atquè ita in proposito cùm hæc confirmatio Honorij Papæ non sit de actu per se inutili aut imperfecto, sed omninò utili & perfecto (quod etiam evidenter indicant dictæ Bullæ Papalis hæc verba, *Prout à nobis providè ac utiliter sunt statuta*) & præterea in eadem Bulla Papa dicat se grato assensu succurrere postulationibus supplicantium; dubium non est, quin nuda hæc sit confirmatio, & minimè gratia, dispositio, reservatio, vel affectio Papalis, & sic minimè contenta sub verbis dictorum Placiti, seu Concordatorum, prohibentium usum nominationum in beneficijs per indultū aut provisionem Papalem reservatis. Cùm alioqui, cessantibus, & omissis prætactis verbis dictæ Bullæ Honorij Papæ, dubitandum non sit, quin hæc confirmatio fuerit de actu præcedente valido, & omninò perfecto; tum quòd conditio, & qualitas hujus Thesaurariæ non tantum videatur esse ex aliquo statuto tempore hujusmodi confirmationis recente & novo, quàm ex antiqua consuetudine, cujus observatio retinenda est: tum quòd sit pro lege, *c. Cum olim De consuet. l. De quibus De legib.* * tum quod Capitulis seu Collegijs Collegiatis ex juris dispositione permittatur facere statuta circa Ecclesiæ beneficia, & officia, quæ respiciunt illorum utilitatem & promotionem, non diminutionem aut omnimodam alterationem seu mutationem, *c. Cum accessissent, cap. Cum M. Ferrarien. & vtrobique D D. cap. ex parte De constitut.* præsertim accedente Episcopi consensu & cooperatione seu confirmatione; quæ etiam in defectu potestatis statuendi supplet authoritatem Capituli, & ab eis statuta etiam circa mutationem beneficiorum corro orare solet: quantò magis cùm est de eo, quod mutationem nullam continet, sed est secundùm veteta statuta, & antiquas consuetudines, *c. Cum consuetudinis De consuet.* Sic quod ad Pontificis confirmationem impetrandam nulla urgeat necessitas, sed superabundans tantùm cautela, & ad bene esse prosit; unde non solet aliquod nocumentum inferri, *l. Testamen. C. De testament.* De quibus omnibus, & quòd hæc Thesauraria non sit reservatum aut affectum beneficium, sed liberæ collationis, & dispositionis quoad dictum Capitulum, sequentis temporis usus manifestum fecit, quippe illius non tantùm quoad electionem Capituli, sed etiam quoad ejusdem Thesaurariæ pro tempore rectoris, & possessoris, summa hactenus semper fuit libertas: quòd videlicet per electionem quilibet ad illam fuerit assumptus; & quòd assumptus de hoc ut de alio quovis beneficio per viam resignationis disponere potuerit; quòd proculdubio non potuisset, si unitum, incorporatum, reservatum, aut affectum fuisset beneficium, *Rota decis. 160. aliàs est 3. nota quod beneficium unitum De rer. perm. in antiq. Freder. de Senis cons. 200. Quod permutatio nu. 2.* Sic quòd Capitulum dictæ Ecclesiæ nominato invidere non debeat, quod cogatur pati in possessore hujus Thesaurariæ, ut se invito possit illam ex causa permutationis in eorum manibus, vel ex simplici in favorem alterius resignatione in manibus Papæ, resignare, & resignando jus electionis pro illa vice Capitulo eripere. Quinimò ut verè dici posset in dicta Honorij Tertij Papæ confirmatione aliquam esse speciem affectionis vel reservationis (quæ verè nulla est) illius non esset in hoc judicio possessorio, imò nec in petitorio habenda ratio; quod per sequentem contrarium usum ab ea affectione & reservatione sit recessum, *elegans text. in d. c. Cum accessissent in fin. De constit.* * & quòd in beneficiorum Ecclesiasticorum collationibus, provisionibus, & dispositionibus semper inspiciendus, attendendus, & sequendus sit ultimus eorum status, ad hoc, ut percipiatur qualitas eorum; & an beneficia sint liberæ collationis seu electionis, an non, *c. Consultationibus De iure patron. c. Cum de beneficio De præben. lib. 6. Bald. in l. Si maior & ibi Gloss. C. Ne de statu defunctorum &c Paul. Paris. cons. 30. In causa vertente vol. 4. Roland. à Valle consil. 47. Visis iuribus nu. 39. vol. 1.* Ita ut si quis ultimò beneficium possedit ex libera collatione, vel ex electione illud obtinuit; liberæ quoque conditionis fuisse in præteritum censeri debeat, & tamquam tale in futurum iterum conferri possit, si extrinsecus Collatori, seu eligentibus impedimentum aliquod legitimè iniectum non sit: prout per nominationem dicti Impetrantis iniectum est; propter quā & decretum irritans Bullæ nominationis insertum pro hac vice absque dubio eorum electio impedita fuit. Ex his ergo relinquitur, justam aut peremptoriam non esse obiectionem, quæ Impetranti objicitur ex conditione & qualitate hujus Thesaurariæ, quam Opponens ex confirmatione Honorij Papæ falso existimat fuisse incorporatam, affectam, vel reservatam.

Alterum, quod Impetranti objicitur de excessu taxa

taxæ in indulto nominationis præscriptæ, minorem difficultatem habet; tum quòd Opponens allegatum excessum non satis probaverit; tum quòd Impetrans per justas attestationes liquidò probaverit, tantum esse onus hujus Thesaurariæ in sustinendis cereis, ac luminaribus, & in sua provisione tenendo sacerdotem deservientem, ut eo deducto parum supersit ex fructibus & emolumentis ipsius Thesaurariæ. † In constituendo enim valore annuo, ac taxa cuiusque beneficij, ante omnia deducenda sunt & detrahenda onera, *Guliel. Cassador. decis. 19. De præben. Rebuff. de nominat. q. 9. nu. 25.* id enim in bonis esse censetur, quod deductis oneribus supereſt, *l. Subsignatam De verbor. signif.* Quod ipsum quoque in prætactis litteris Placiti, & Concordatorum specificè expressum est, quòd rationibilia onera deduci debeant, *vers. les charges raisonnables deduictes*; & in omnem eventum Impetranti sufficere debeat nuda allegatio minoris valoris, quamdiu Opponens non probat majorem, *Rebuff. De nominat. q. 9. nu. 43.* Sic igitur remotis his duabus objectionibus extra periculum manet Impetrantis nominatio, & acceptatio; secundùm quam etiam pro eodem Impetrante in pleno possessorio judicari deberet: nihil obstante recredentiæ seu provisionali sententiâ, quæ ex malo intellectu literarum Placiti, & Concordatorum videtur lata: nam recredentiæ sententia ex pleniore cognitione retractabilis est. † Usque adeò, ut recredentiarius condemnatus in pleno possessorio teneatur ad restitutionem omnium fructuum, quos virtute recredentiæ percepit, *Rebuff. ad constit. Reg. tit. De causis benef. poss. art. 1. Glos. 1. nu. 18.* In quo pleno possessorio hoc Impetranti suffragari plurimùm debet, quòd Opponens nullum coloratum titulum prætexit. Nam primus, quem constituit in resignatione ex causa permutationis, nullus est: ob id, quòd eum prætexat ex collatione, & provisione Præpositi dictæ Ecclesiæ Insulensis, ad quem illius collatio nullo modo pertinuit, uti apertè constat ex supratactis literis confirmationum tam Gosuini Episcopi Tornacensis, quàm Honorij Papæ Tertij; in quibus apertè dicitur, hanc Thesaurariam esse electivam, non collativam; & Præpositum ejusdem Ecclesiæ in electione ejusdem Thesaurariæ nihil juris habere. Ita quòd ex defectu potestatis in conferente coloratus titulus non possit constitui, *c. Quod autem in fine De iure patron.* sine quo colorato titulo nec colorata possessio constitui potest, *Panor. in c. Cum nostris nu. 3. De concess. præben. Lud. Rom. cons. 48. Dubitatur primò nu. 14.* † Qui primus quoque titulus corruit ex regula Cancellariæ Apostolicæ *de infirmis resignantibus*; ob id, quòd resignans paulò post resignationem decesserit. Quæ regula etiam obtinet in resignationibus factis ex causa permutationis in manibus Ordinarij, saltem ex multorum sententia, *Lud. Gomes. ad reg. Cancell. De infir. resig. q. 26. Philip. Probus ad c. Cum in illis De præben. lib. 6. nu. 54 Rebuff. in tract. De nominat. q. 17. nu. 5.* Licet nonnulli contrarium putaverint, *Molineus ad d. reg. Cancell. De infirm. resig. nu. 12.* quorum opinio nunc subsistere vix potest, posteaquam posteriores Pontifices ampliando dictam regulam addere consueverunt hæc verba, *Acceptum beneficium, quavis auctoritate conferatur.* Vt non sit dubium, quin in Ordinarijs quoque locum habere censeatur, *Quintil. Mandos. ad d. regul. quæst. 12.* Sed nec secundus titulus electionis Opponenti prodesse potest; quia per Impetrantis nominationem erant dicto Capitulo clausæ & ligatæ manus, ne posset ad electionem eâ vice procedere, propter clausulam *decreti irritantis* Bullæ nominationis infertam, *cap. 2. De præb. lib. 6.* quæ vitiat, & inficit non dum titulum, sed etiam possessionem illius, cui contra dictam nominationem provisum fuit, *Lud. Roman. d. cons. 483.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium inter nominatū ex indulto nominationis Facultatis Artium in Vniversitate Lovaniensi & apostolicè provisum ex jure cessio.

1. *Possessio in beneficialibus per titulos justificanda est.*
2. *Nominatus ad collationem alicuius quid juris acquirat.*
3. *Beneficia reservata quæ dicantur, & an à nominato acceptari possint?*
4. *Valor beneficij quomodo constituendus sit.*
5. *Nominatio fieri potest non tantum ad vacatura sed etiam vacantia beneficia.*
6. 8. *Nominationis insinuatio quomodo Collatoribus facienda.* / *Collator an à nominato requirendus?*
7. *Verbum*, Possit, *quam vim habeat.*
9. *Publicatio gratiæ Apostolicæ in beneficialibus, quomodo requiratur.*
10. *Possessio beneficij etiam per conjugatum acquiri potest absenti.*
11. *Laicus in beneficialibus procurator esse potest.*
12. *Beneficium acceptari, & eius possessio, etiam die festo acquiri potest.*
13. *Tonsura prima non præsumitur ex maiore ordine.*
14. *Clericatura quo modo probetur.*
15. *Beneficij possessor an sui antecessoris titulum justificare debeat*
16. *Mandatum non præsumitur*
17. *Notariatus probandus est.*

CONSILIVM CCLVIII.

IN possessoria causa retinendæ possessionis, quæ agitur inter Dominum Matthæum Boden Impetrantem, & Antonium Espariault Opponentem de & super Canonicatu, & præbenda Collegiatæ Ecclesiæ S. Gertrudis Nivellensis, quam Impetrans ex morte Domini Ioannis de Monte; Opponens ex cessione, ac resignatione Ioannis de Prato ad se utrimque pertinere contendunt; potentius jus est apud Impetrantem: quod deducemus ex comparatione titulorum & juris, quod uterque prætendit. * In possessorijs enim causis beneficiorum non ex sola possessione, ut in rebus profanis, *l. 1. D. Vti possidetis*, sed ex jure quoque ac titulo causa terminanda est: ut ei adjudicetur possessio & is in ea manuteneatur, qui apparentiora jura habet, *Doct. in l. fin. C. De edicto D. Hadr. tollendo.* ita ut possessio in Ecclesiasticis beneficijs mixtæ naturæ sit, & sine titulo, hoc est deductione juris, induci aut concludi non possit, *Rota decis. 55. aliàs est 2. ad instantiã Vt lite pend. in novis, & decis. 14. aliàs est 2. fuit dubitatũ De rest. spoliat. in novis.*

Et quoniam de Actoris petitorisque intentione primùm ubique quærendum est, in conspicuo, aperto, & indubitato est jus Impetrantis; sive ad illius qualitatem & conditionem; sive ad causam, & titulum juris, quod asserit, sive ad illius executionem respiciatur. Nam in primis de prima qualitate hoc est clericatura, quæ ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium, cui non incumbit cura animarum (quale est hoc, de quo contenditur) sufficit, etiamsi sit Canonicatus, *cap. Super inordinato de præben.* evidenter constat per literas tonsuræ; & præterea etiam de sacerdotio. Constat item de altera hic requisita qualitate Magistri in Artibus per exhibitionem literarum promotionis hanc nominationem multis annis antecedentis, atque item de illius continua residentia in officio docendi ac regendi Pædagogium Standonicum, vulgò Porci appellatum. Quibus cùm ex adverso nihil obijciatur, plenæ probationis vis tribuenda est. In causa & titulo unde Impetrans hujus beneficij jus & possessionem asserit, nullus quoque est defectus: nam exhibita Bulla Leonina potestatem nominandi promotos, &, sic ut Impetrans est, qualificatos, ad collationem quorumcumque Collatorum, & Collatricum sæcularium & regularium in patrimonio quondam Divæ Memoriæ Caroli Quinti (in quo notoriè est Nivella) residentium Facultati Artium in Vniversitate Lovaniensi concessam esse liquidò demonstrat: cujus usum authoritate Principis permissum esse probat exhibitum Placitum Cæsareæ Majestatis. Quemadmodum & exhibitio literarum nominationis de persona Impetrantis per Deputatos Facultatis Artium ad Abbatissam Nivellensem factæ, potestatem acceptandi beneficium, quod ad collationem ejusdem Abbatissæ vacavit, Impetranti concessam fuisse demonstrat.* Per nominationem etenim nominato jus acquiritur non tantùm ad rem, sed in re *c. ult. De conces. præben. Gloss. in §. item quod ad dictas in verb. nominare de collat. in pragmatica sanctione.* Quam nominationem corroborat, secundùm literas Placiti Cæsareæ Majestatis, eodem die, quo facta fuit hæc nominatio, Impetrantis inrata & registrata assertio ac declaratio, quod in bonis tunc non habuerit octuaginta Ducatos de Camera annuos; & quod hactenus Impetranti vel ijs, quæ per Impetrantem ad præmissorum probationem exhibita sunt, nihil obiecerit Opponens. In executione hujus tituli nihil quoque est, quod in Impetrante desideretur. Constat etenim vigore prædictæ nominationis Impetrantem hoc beneficium ex morte Domini Ioannis du Mont anno 1564. mense Maio die 19. (quo mense, die illius 13. Dominus Ioannes decesserat) vacans acceptasse: ita ut mensis vacationis & acceptationis concurrat ac idem sit; eaque ex parte satisfactum sit tam Bullæ Leoninæ, quàm literis requirentibus acceptationem vacantis beneficij intra mensem à die vacationis; quæ acceptatio tam per instrumentum quàm per confessionem Opponentis probata est. Constat quoque de nominationis insinuatione intra mensem à die quâ facta fuit, duodecimâ scilicet dicti mensis Maij, cum triduo antè præfacta nominatio facta fuisset; quam insinuationem literæ dicti Placiti requirunt. Constat præterea de factæ acceptationis publicatione eodem mense Maio in loco beneficij die 19. facta secundùm tenorem tam Bullæ Leoninæ quàm literarum Placiti: prout etiam constat de collatione & provisione Domini Abbatis sanctæ Gertrudis Oppidi Lovaniensis Exc utoris Bullæ Leoninæ eodem mense Maio die 29. facta, & sequuta possessionis apprehensione seu in illam inductione tertia Iunij sequentis. Constat denique de insinuatione declaratione, & registratione hujusmodi acceptationis factâ apud Notarium Facultatis Artium diu ante lapsum mensem à die ejusdem acceptationis, provisionis, & in possessionem inductionis, videlicet decima die dicti mensis Iunij, secundùm formam per literas Placiti præscriptam. Sic quod omnia requisita ad executionem juris ac tituli, quo in hac causa nititur Impetrans, hic concurrant.

Obijcit tamen Opponens quædam, quæ in executione hujus juris Impetranti obesse existimat; & quidem fere hæc. Primum, quòd ea beneficium tempore acceptationis, ex quâ agit Impetrans, non vacaverit: secundum, quòd in Curia Romana vacaverit: tertium, quòd propter excedentem taxam, gratiæ Impetrantis non subijciatur: quartum, quòd Impetrans non sit nominatus in vita Domini Ioannis du Mont: quintum, quòd nominatio eodem Domino Ioanne vivo non fuerit Dominæ Abbatissæ Nivellensi insinuata, sed primùm eo mortuo: sextum, quod Domina Abbatissa ex hac nominatione non fuerit requisita: septimum, quòd Impetrans secundùm formam exspectantium publicationem suæ gratiæ & nominationis in loco beneficij non fecerit: octauum, quòd Impetrans in possessionem hujus beneficij inductus sit per hominem coniugatum, & præterea die profano: quæ omnia ex ordine discutienda ac removenda sunt.

In primo atque in secundo obiecto hoc loco laborandum non est: continet enim implicitam assertionem juris, quod Opponens ex adverso prætendit ex prætensa resignatione D. Ioannis du Mont, quæ dicitur facta in Curia Romana ad opus Ioannis de Prato, ex cujus secunda seu ulteriore cessione ac resignatione titulum & jus suum fundat Opponens: quasi beneficia in Curia Romana vacantia vigore hujus nominationis acceptari non possint, tamquam generaliter reservata dispositioni Apostolicæ, *c. 2. De præben. lib. 6.* ex reservatione juris communis, cujus generis beneficia inter alia sunt illa, quorum resignationes in Curia Romana expediuntur, *Archidiac. ind. c. 2. Gl. Clem. 1. Vt lite pend. Lud. Rom. cons. 342. Quoad primum nu. 2.* quæ per nullam gratiam exspectativam nisi illius quoque potestas specialiter in illa permittatur, acceptari possunt, *Rebuff. in tract. nominat. quæst. 15. nu. 27.* multò minùs per hoc jus nominationis, in quo hæc clausula specialiter inserta est: *fidem dispositionis Apostolicæ reservatione generali in corpore juris clausa non reservatum.* Cæterum in discussione tituli, & juris, quod Opponens prætexit, demonstrabimus mox hoc beneficium vacasse ex morte Do-

te Domini Ioannis du Mont, & minimè ex ejus resignatione; ideoque juris reservationem generalem Impetranti non obstare; quare ad alia objecta progrediamur.

4 Tertium quod objicitur de excessu taxæ infirmum est, cuique Opponens ipse insistere ausus non fuit. Nam quamvis id objecerit in verbali duplica, allegando quòd hæc præbenda, de qua controvertitur, valeat ultra ducentos quinquaginta florenos, qui longissimè excedunt sexaginta florenos auri de Camera; in scriptura tamen memoriali, in quam ex omnibus allegationibus verbalibus conjici solent, quæ quisque Collitigantium ad proprij juris sustentationem, & juris partis adversæ oppugnationem pertinere putat, nulla est hujus objectionis mentio, quam Opponens etiam consultò omisit visa triplicatione Impetrantis; in quâ inter alia allegavit, & probare obtulit, quod in hoc Amplissimo Concilio nominatis etiam ex parte Vniversitatis Lovaniensis (cujus nominatio longè minorem taxam habet, triginta scilicet florenorum aureorum, *ut constat ex præfatione Bullæ Leoninæ*) Canonicatuum & præbendarum Nivellensium possessio fuerit adjudicata: ita ut cùm imbecilliori gratiæ non obstet valoris excessus, potentiori latiusque patenti obstare non debeat, *l. ult. C. Qui ætat. vel profess. se excus. lib.* 10. præsertim quòd per Opponentem objectum non sit, hujus præbendæ valorem tantum esse in absentia; & valor, qui percipi potest per residentem & beneficio personaliter deservientem, illiusque onera sustinentem, hic attendi non debeat, sed is tantùm, qui præstatur absenti in loco privilegiato studij, ut ex verbis Bullæ Apostolicæ liquet, & verbis literarum dicti Placiti apertè cautum est his verbis: *Qu'il peult recepvoir en absence aux estudes & lieu privilegié* Hoc est *quæ quis recipere potest absens in studijs & loco privilegiato.* Et alioqui generaliter in valore beneficij constituendo, ut discernatur, an sub gratia cadat, vel non cadat beneficium, de quo quæritur, id pro valore beneficij computetur, quod ex corpore beneficij percipitur, & beneficiato etiam absenti debetur: sic quòd valor beneficij non ineatur vel æstimetur respectu utilitatis, quæ habetur in residendo; & anniversaria occurrentia, oblationes & quotidianæ distributiones, neque constituant, neque augeant valorem beneficij, *Oldradus cons.* 118. *Ex virtute gratiæ*, Rota *decis.* 134. *quando impetratur, aliàs est* 8. *De præben. in novis.* Hæc igitur objectio etiam ex judicio ipsius Opponentis in aëra evanescit.

5 Quartum quod objicitur de nominatione non facta in vita Domini Ioannis du Mont, notorium errorem vel evidentem calumniam continet. Cùm enim etiam ipse Opponens alleget eundem D. Ioannem decessisse 13. Maij (uti superiùs dictum est) & ex literis nominationis, quas Impetrans protulit, quibusque Opponens nihil objecit, constet hanc nominationem de persona Impetrantis factam esse octava die ejusdem mensis Maij, nihil dubitandum, quin tempestivè facta fuerit. Si enim inutilitas ac nullitas nominationis ex sequente tempore constituenda esset (uti Opponens præsupponit) certè ex antecedente, ac præveniente utilitas ac validitas quoad temporis rationem constituenda quoque est; ut contrariorum & oppositorum eadem sit in contrario jure ratio. Illud sanè admittendum non est, quod Opponens mortem D. Ioannis constituit in Majo 1563. (ita enim habet exemplum nobis exhibitum) nam id vel errore vel vitio scriptoris evenit: alioqui enim Opponens hac allegatione velut suo mucrone se confoderet; cùm resignatio, & acquisitio juris, quod Ioannes de Prato præterit, primùm sit facta 15. Novembris dicto anno 1563. quo tempore D. Ioannes du Mont, si in præcedente Majo decessisset, alicujus beneficij resignationem facere non potuisset. Præterea præsupposito etiam, quòd hæc nominatio facta fuerit post mortem D. Ioannis du Mont, nihil tamen vetat quin hoc quoque virtute hujusmodi nominationis acceptari potuerit. Est enim generaliter verum in omnibus exspectativis, & alijs gratijs ad vacatura beneficia concessis, ut etiam contineantur illa, quæ jam tunc actu vacant, quando sit nominatio, seu gratia exspectativa ad collationem sic vacantis beneficij, *Gloss. in Clem. unica in verb. notitia De concess. præb. Castr. Imola, Alex. & Iason in l. Titius § Lucius De liber. & posth. Rebuff. in d. q. 16. nu.* 33. verum liquidem est, quod hoc, quod vacat tempore nominationis, vacabit & post eam, quamdiu non erit de eo legitimè ab habente potestatem alicui provisum, *l. Verbum oportebit De verb. sign.* Atque ita cùm non constet, quòd post nominationem Impetrantis vel Papa, vel dicta Abbatissa de hoc contentioso Canonicatu alicui providerit, nihil nocere potest mors D. Ioannis du Mont antecedens hanc nominationem. Sed de eo laborandum ulteriùs non est, cùm certò constet, nominationem circiter quinque dies antecessisse mortem D. Ioannis du Mont, & hujus beneficij vacationem incidisse pendente nominatione, & exspectatione ducti Impetrantis.

6 Quòd etiam sit, ut huic objectioni non insistat Opponens, sed aliud in duplica verbali nominationis vitium objiciat (quod quintum est ex superiùs propositis) videlicet quòd nominatio hæc non fuerit Dominæ Abbatissæ ordinariæ Collatrici vivo D. Ioanne du Mont insinuata. Sed nec huic objectioni aliquid tribuendum est, cùm ei nihil tribuat nec in ea perseveret Opponens, quæ visa triplicatione Impetrantis, & instrumento factæ insinuationis ad personam Dominæ Abbatissæ 12. Maij, uno scilicet die ante mortem D. Ioannis du Mont per Magistrum Ioannem Gisleni ad hoc nona ejusdem Maij specialiter constitutum, ab hac objectione desitit, nec illius mentionem in scriptura memoriali refricavit. Quamvis interim inde vitium aliquod, seu causa nullitatis constitui non possit, etiamsi hæc insinuatio in vita Domini Ioannis facta non fuisset, cùm eam non requirat, imò expressis verbis à necessitate illius faciendæ omninò liberet Bulla Leonina. Et quamvis literæ Placiti insinuationem requirant, & præscribant; hoc tamen non requirunt, ut illa fiat in vita illius, cujus beneficium postea vigore nominationis acceptatur, sed simpliciter quòd nominatio insinuetur Collatori intra mensem (à die scilicet nominationis) quòd utique hic factum esse negari non posset, quandocumque etiam Dominus Ioannes mortuus fuerit; cùm nominatio & illius

insinuatio eodem mense Majo factæ reperiantur. Quâ autem ratione diximus nominationem fieri posse post mortem alicujus beneficiati, eâdem vigore ejus nominationis, ex illius morte vacans beneficium acceptari posse certum est, si de illo vel Papa, vel Ordinarius Collator non disposuit, vel alij non providit, *Rebuff. d. nu. 33.*

In pari conditione est sequens obiectio, quæ sexto loco constituitur, de defectu requisitionis; quamvis ei pertinaciùs inhærere videatur Opponens. Nam neque dictæ literæ Placiti, neque Bulla Leonina hujusmodi requisitionem necessariò desiderant: imò simplici insinuatione, quæ pro certioratione tantùm sit, *l. Item veniunt §. petitam De pet. hæredit. Rebuff. in tract. nominat. quæst. 14 nu. 1. in fine*, contentæ sunt literæ Placiti, cumplerumque hujusmodi insinuatio fiat ante mortem, & antequam vacet beneficium, quo tempore ad faciendam collationem frustrà requireretur Collator, & viventis seu non vacans beneficium conferri non possit, *c. 2. De concess. præben.* Bulla autem Leonina non tantùm non requirit hujusmodi requisitionem, sed à necessitate illius faciendæ omninò liberat. Licet interim requisitio etiam sufficiens ex parte Impetrantis apud Abbatissam in prima insinuatione facta fuerit, de parendo scilicet literis Apostolicis, cùm casus vacationis incideret; sic ut ad eam dicta Abbatissa etiam respondrerit se obedientem fore; quam suam responsionem quoque observavit & sequuta fuit, nulli conferendo hunc ex morte D. Ioannis du Mont vacantem Canonicatum. Frivola est ergò hæc deficientis requisitionis obiectio.

Septimum quod objicitur est defectus solemnis publicationis, quòd scilicet non aliter gratia & acceptatio Impetrantis sit publicata, quàm per affixionem ad valvas Ecclesiæ Nivellensis. Sed nec illa Impetranti obstat, neque ejus gratiam, præsertim in hoc possessorio judicio, impedit: nam Bulla Leonina necessariò aliquam publicationem non requirit; & litere Placiti publicationis atque insinuationis formam hanc tantùm præscribunt, ut primùm Collatori insinuetur nominatio, & eam sequuta acceptatio atque provisio publicetur ac registretur apud Registrum Facultatis Artium; cui requisitioni (uti superiùs dictum est) Impetrans se conformavit.

Nec in contrarium urget quod in Bulla Leo-
7 nina hæc verba inserantur: *ac ex post suam acceptationem ad instar exspectantium Apostolicorum, & prout in gratijs exspectativis observatur insinuare & se in corporalem possessionem poni & induci facere possit.* Hæc enim verba necessitatem publicandi non imponunt, imò nec præcisè insinuandi (quæ à publicatione longè distat) post acceptationem. Vtitur enim Pontifex in dicta clausula verbo, *possit*, quod quamvis postpositum negationi præcisam necessitatem importet; solum tamen positum in rescriptis, legibus, aut contractibus non importat necessitatem, sed facultatem: *Bart. Bald. & alij præsertim Iason in l. Gallus in prin. De lib. & posth.* † sic ut insinuatio permissa potesta-
8 ti nominati, juris necessitati eundem nomina-

tum non subijciat, *l. Non quicquid De indicijs*; & per consequens hujusmodi insinuatio omissa vel prætermissa in totum non noceat, *l. Testium c. De testam. Bart. in l. Divus 3. De restit. in integ.* multò minus omissa publicatio, quam dicta Bulla non requirit. † Quamobrem ea quæ ex quadam regula Eugenij Papæ ad solemnitatem publicatio-9 nis gratiæ exspectativæ consulendo requisiverunt Panormit. *cons. 99. Illud in præsentiarum vol. 1.* Dominicus Gemin. *cons. 76. In causa Magistri*, Ludouicus Romanus *cons. 433. Quoad primum*, & Philippus Corneus, *cons. 137. Licet multæ vol. 3.* huc accommodari non possunt: quia Regularum Cancellariæ usus & observatio variat, & temporaneus tantùm est pro vita cujusque Pontificis regulam facientis, *Gemin. cons. 93. Videtur primò*, *Francisc. Marcus dec. sing. 1183. nu. 6. p. 1.* Adhæc in usu solemnis publicationis plurimùm discriminis est inter dignitates, aliaque beneficia jurisdictionem vel curam animarum habentia, quæ maiorem solemnitatem publicationis requirunt; & inter simplicia beneficia nullam curam, nullam jurisdictionem habentia (qualis est hic controversus Canonicatus) in quibus sufficit nominationem seu gratiam publicari coram honestis personis & Notario: quam distinctionem pro dissidentium opinionum conciliatione elegánter tradidit Ludovicus Gomes, *ad Regul. Cancell. de public. fac. in benef. resig. q. 9. nu. 7. & 8.* Quæ in proponto minorem habent dubitationem, ex eo, quòd momentaneam possessionem Impetrans non obtinuerit, sed perdurantem: in consequentiam cujus statim hoc judicium possessorium instituit, & in accepta apprehensaque possessione se manuteneri contendit; publicatis prius suâ gratiâ, & acceptatione ad valvas Ecclesiæ illius, ubi hujus beneficij jus, possessio, & exercitium est; ita ut de publicatione nulla possit esse dubitatio. Hoc enim discrimen constituunt nonnulli, *ad Reg. Cancell. de public. fac. in benef. resig.* inter momentaneam possessionem, cujus scilicet acquisitionem, & velut imaginariam acquisitionem nihil amplius sequutum est, cujusque in consequentiam realiter & palam nihil amplius actum est, ut illa scilicet non sufficiat, nisi sit solemniter publicata, propter fraudes, quæ ex actus clandestinitate exurgere solent: & inter non momentaneam, in cujus scilicet consequentiam publicè ac palam acta insinuata sunt; sic ut in publicam notitiam abierit hujus novi possessoris adventus & possessio, ut scilicet illa formali publicationi æquipolleat. Quæ distinctio comprobatur ex his, quæ Lud. Gomes in dictæ regulæ explicatione latius examinavit, *ad regul. Cancell. de public. fac. q. 11.*

Restat octavum obiectum, quod duo continet, nimirum quòd inductio in possessionem dicatur facta per hominem coniugatum, die profano & tempore pomeridiano: sed nihil his tribuendum. Nam prius, quod homo coniugatus fuerit Ioannes Coquillon, qui traditionis, & inductionis huius minister, & executor fuit, in verbalibus defensionibus Opponentis, hoc est in responsione, aut duplica obiectum non fuit; ita ut secundùm stylum Curiæ nunc non debeat haberi illius alia qua ratio: præsertim cùm de hujusmodi allegatione coniugij

ne conjugij præfati Ioannis Coquillon non conſtet, atque ita ſufficiat, quòd ex propria Opponentis allegatione (quæ pro confeſſione accipi debet, *l. Cum precum* C. *De liber. cauſa*,) conſtet eum Notarium fuiſſe, & quòd ex proceſſu fulminato ſuper Bulla Leonina omnibus Clericis, & Tabellionibus hujus rei, hoc eſt inductionis in poſſeſſionem executio mandetur ac permittatur; quæ ſiquidem generalitas verborum facit, ut nullum diſcrimen conſtituendum ſit inter Notarium cœlibem ſeu uxore carentem, & eum, qui cum legitima uxore conjugatus eſt; tantoque minus quòd inductio in poſſeſſionem nullum jus tribuat, ſed meri facti ſit, ac per quemcumque etiam laicum & ſæcularem, perinde conjugatum ut cœlibem ſecundùm formam mandati Apoſtolici, ſeu executionis fieri poſſit, diſtetque longè à collatione beneficij, quæ jus tribuit & non niſi per Eccleſiaſticum fieri poteſt, *Lud. Rom. conſ.* 337. *Quo ad primum, Rebuff. ad concord. tit. de forma mand. Apoſtol. in verb. inducentes.* Separata enim plurimùm eſt cauſa juris beneficij ab ejus poſſeſſione, ſuper qua cognoſcere poteſt Iudex quantumvis laicus, *Guido Papæ deciſ.* 1. *Panor. in c. Accedens De præben. Phil. Franc. & alij in c.* 1. *De procur. lib.* 6. ſic ut etiam per excommunicatum corporalis poſſeſſio beneficij dari, & accipi poſſit, *c. Pro illorum & ibi gl. m verb. in Canonicum De præben. Rota deciſ.* 290. *ad recipiendum alias eſt* 21. *De procurat. in novis* †

11 Nec ſanè mirum cum laicus etiam poſſit eſſe procurator, non tantùm ad agendum & defendendum in judicio cauſæ beneficialis, *c.* 1. *De procurat. lib.* 6. *Rota deciſ.* 375 *fuit dubitatum aliàs eſt* 27. *De procurat. in novis*; verum etiam ad reſignandum, permutandum, acceptandum beneficia, *Rota deciſ.* 104. *nota quod ubi, aliàs eſt* 8. *De procurat. in antiq. Ioan. Staphil. in tract. de literis gratiæ tit. de vi & effectu clauſularum* §. 6 *n.* 20. multò magis ad dandum vel accipiendum poſſeſſionem beneficij.

12 Alterum quòd de profano die & tempore pomeridiano objicitur, perinde ineſficax eſt; ob id, quòd nullo jure præſcriptum inveniatur diſcrimen dierum, & partium diei: ità ut quilibet dies & quæcumque hora ad id ſit idonea, dummodò citra fraudem fiat. Cum enim à contentioſa juriſdictione non dependeat hæc poſſeſſionis datio & acceptio, ſed ſit voluntariæ juriſdictionis, nec exigat cauſæ cognitionem, quovis die exerceri poteſt, & magis profano quam ſacro, *l. Actus publici* C. *De feriis l.* 2. §. *dies* D. *Quis ordo in bonor. poſſ. ſer. Alber. in l. Illud* C. *De ſacroſ. eccleſ.* ita ut minùs referat, quâ parte diei ſit facta: quæ enim in qualibet parte diei fiunt, ſuſpecta non ſunt, ut illa quæ noctu peraguntur, *Bald. in c.* 1. *De fide inſtrum.* Sed huic objecto immorandum non eſt; nam ſuperiùs ſatis deductum eſt, Impetrantem publicationem ſuæ gratiæ, acceptationis, & proviſionis, ſic feciſſe, quòd in ea nullus ſit defectus; & in propoſito ſufficiat ſic factam fuiſſe publicationem, ut non poſſit ei objici vitium clandeſtinitatis. Sic itaque ſtabilito jure, titulo, ac poſſeſſione Impetrantis, remotis quoque quæ pro impedimentis, & vitijs Opponens objecit; facile eſt ex adverſo per tres gradus ſimiles demonſtrare Opponenti nihil juris competere.

Imprimis de clericatura Opponentis conſtare non videtur, quòd inter exhibita inſtrumenta non inveniantur literæ tonſuræ, nec tonſura (cùm ſit extrinſeca, non naturalis qualitas) præſumatur, *Doct. in l. Sciendum De verb. oblig.* ne quidem in ſacerdote; cùm interdum fiat, ut quis eò per ſaltum, omiſſis ac ſimulatis inferioribus ordinibus, promoveatur, *c.* 1. *De cler. per ſaltum promot.* 13

* ideoque clericatura neceſſariò requirit literas Epiſcopi, ſine quibus probari vix poteſt, *Rebuff. in praxi benef. p.* 1. *tit. de formaliter. tonſur. nu.* 21. & ſine qua clericatura beneficium Eccleſiaſticum obtineri aut retineri, nequit, *c. Cum adeò De reſcrip. c. Ex literis De tranſact.* Et ſi fortè in facto hîc erramus, præſuppoſito quòd legitimum inſtrumentum tonſuræ Opponentis ſit exhibitum, hoc nihilominus verum eſt, nullâ ratione conſtare de clericatura, ſeu tonſura Ioannis de Prato, quem ſui tituli auctorem ſibi conſtituit idem Opponens; ita ut reſoluto vel vitiato titulo auctoris, ob defectum clericaturæ, jus accipientis neceſſariò diffluere & collabi debeat, *l. Lex vectigali De pig.* nemo enim cedendo vel reſignando tranſferre poteſt in alium quod ipſe non habet, *l. Si filius* C. *De donat. l. Nemo plus De reg. jur.* 14

Et quamvis regulariter in cauſa beneficiali nemo teneatur juſtificare titulum ſui præceſſoris, *Panor. in cap. Illud De præſumpt. Deciſ. Capell. Tholoſ.* 467. *Item fuit quæſitum*: illud tamen non obtinet, niſi ubi ex longa poſſeſſione & communi opinione præceſſor pro benè qualificato ac poſſeſſore beneficij reputatus fuit; non etiam in eo, qui ceſſum jus accepit ab eo, qui in poſſeſſione requiſitarum qualitatum, & beneficij diu non fuit, & omnium minimè in eo, qui numquam poſſedit, *Nic. Boer. deciſ.* 205. *nu.* 2. *P. Pariſ. conſil.* 37. *Attendatur primò vol.* 4. *Rebuffus in praxi benef. part.* 3. *tit. de permutat. nu.* 18. Vnde cùm ex jure ceſſo contendat Opponens, & quidem ab eo, qui in poſſeſſione hujus beneficij non fuit, & quem non conſtat ex longa poſſeſſione clericaturæ pro clerico habitum fuiſſe, & quòd ſine clericatura beneficium obtineri non poſſit, *d. c. Cum adeò d. c. Ex literis*; conſequens & indubitatum eſt titulum Opponentis ex defectu capacitatis, ac juris auctoris ſui, omninò ſic corruere, ut inde coloratus cenſeri aut prætexi non poſſit. Ad cauſam quoque & titulum, quem Opponens prætexit ſi advertatur, invenietur quoque juris defectus: quamvis enim conſtet de proviſione, & collatione Apoſtolica, qua Opponenti, 1564. 19. Kal. Ianuar. hoc eſt 14. Decemb. eodem anno 1564. de hac præbenda proviſum extitit; eſt tamen hujuſmodi titulus nullus & invalidus: ob id, quòd eadem auctoritate vigore dictæ Bullæ Leoninæ pluſquam dimidio anno antè proviſum fuerit Impetranti, acceptâ & obtenta illius poſſeſſione, in qua idem Impetrãs toto ferè anno pacificus ſtetit; videlicet uſque ad 16. Maij 1565. quo primùm Opponens hujus Canonicatus non realem & actualem, ſed civilem & imaginariam tantùm (quam juris vocant) poſſeſſionem accepit: ita ut per ſequentem poſteriorem Papalem proviſionem juri acquiſito Impetrantis derogatum non ſit; ut nec in dubio derogare velle præſumitur, *l.* 2. §. *ſi quis à Principe Ne quid in loco publ.* 15

Reg.

Reg. Cancel. Apostolicæ De iure quæsito non tollen. nec derogare voluit Pontifex. Id enim indicant Bullæ, quâ Opponens utitur, hæc expressa verba: *Dommodo eorũ dispositio ad nos hac vice pertineat.* Quam tunc non pertinuisse constat propter acceptationem, & provisionem Impetrantis. Neque titulum hunc Opponentis justificat, & provisionem acceptationemque Impetrantis impedit, quod Opponens contendat se non ex simplici vacatione post mortem D. Ioannis du Mont novissimi hujus Canonicatus possessoris (ex qua vacationis specie Impetrans jus suum fundat, ac meritur) hanc suam provisionem obtinuisse; sed ex cessione ac simplici resignatione in favorem ipsius apud Sedem Apostolicam facta per Ioannem de Prato: nam Ioannes de Prato efficere non potuit, ut beneficium, quod ad ipsum non pertinuit, sed ex antecedente morte D. Ioannis du Mont (qui verus & quietus possessor dicti Canonicatus fuit, & in illius possessione decessit) vigore Bullæ Leoninæ Impetranti acquisitum erat, per cessionẽ ac resignationẽ in Opponentem transferretur. Cedi namque aut resignari, aut in alium transferri non potest, quod cedens, resignans, aut transferens non habet, *l. Si servus, l. Traditio De acq. rer. dom.* Et quod proponitur præfatum D. Ioannem du Mont anno 1562. quinta Decemb. constituisse suum procuratorem Sebastianum Matthæi ad resignandum hunc Canonicatum ad opus Ioannis de Prato; quodque idem Sebastianus hujusmodi resignationem in manibus Domini Papæ fecerit, & expeditioni literarum ad opus dicti Ioannis de Prato consenserit decimo quinto Decembris anno 1563. & sic vno medio anno ante mortem D. Ioannis du Mont, exceptis tantũ duobus diebus, qui ad plenum medium annum deerant; eaque ratione modus vacationis, ex qua Impetrans acceptavit, præventus, atque impeditus fuerit, ac hujus beneficij ex die 15. Novembris anno 1563. dominus & proprietarius effectus fuerit Ioannes de Prato, qui illud literis etiam non expeditis secundum praxin Curiæ Romanæ in Opponentem transferre potuerit, & transferendo, seu cedendo effecerit, ut jus ejusdem beneficij sit apud Opponentem; nihil adhuc facit ad jus Opponentis stabiliendum, vel Impetrantis subvertendum. † Nam cùm initium horum omnium de-
16 pendeat ex mandato seu procuratorio, quod Dominus Ioannes du Mont dedisse dicitur Sebastiano Matthæi, oportet de hoc mandato legitimè constare: ut enim generaliter mandatum non præsumitur, *Bald. in l. 2. C. Si ex fals. instrum.* nec ea in parte etiam honoratissimis, maximisque viris mandatum asserentibus creditur, nisi illud proferatur, *l. 1. C. De mand. Princ.* ita omnium minimè in re, quæ abdicationem, abalienationemque rei alterius respicit præsumi debet; præsertim quando ad præsumendum hujusmodi mandatum nihil omnino intrinsecus, vel extrinsecus concurrit, sed omnia præsumptioni hujusmodi resistunt, eamque improbabilem faciunt. Veluti primum, quòd tendat ad abdicationem beneficij, quod D. Ioannes du Mont solum habebat; idque veluti ex causa donationis simpliciter, & purè in favorem alterius, non ex causa permutationis: equidem ut donationis præsumtio facilis non est, *l. cum de indebito De probat.* ita & difficilior mandati ad donandum præsumptio. Secundo, quod mandatum hoc dicatur datum quinta Decemb. 1562. quodque proponatur Ioannem de Prato illo primùm usum esse uno ferè anno pòst, scilicet in Novembri anno 1564. quo si id verè habuisset, procul dubio usus fuisset citeriore die & opportuniore tempore. Tertiò, quod D. Ioannes du Mont in possessione hujus beneficij non tantum uno anno post datam asserti hujusmodi mandati, verum etiam usque ad mortem inclusivè permanserit, & sic ferè sequi anno: non enim præsumitur quisque dimittere aut dimittere velle, in cujus possessione præsertim tam diu perseverat, *l. Et qui sub imagine, C. De distract. pign.*

In executione quoque provisionis suæ defe- 17
ctũ patitur Opponens, ob id, quòd de mandato D. Ioannis Gruet, qui possessionem beneficij accepit, & gratiam Opponentis divulgavit, non constet, quodque Impetrans apertè negaverit Notariatum illius, qui istud instrumentum confeciſse dicitur. Neque enim præsumitur, sed probari debet Notariatus cujusque, tunc præsertim cum pars adversa, contra quam producitur instrumentũ, vltrò illum non agnoscit, sed expressè negat, *Castr. in l. Scriniarios. C. De testam. milit.* Probari itaque debet à producente, potissimum cùm sic ex longinqua regione producitur, in ea regione, ubi hujus Notarij nulla est notitia, *Card. Zabarella in Clem. 1. nu. 8. De procurat.* ut evenit in hoc instrumento, quod Romæ confectum dicitur. Ita ut Opponens non possit dici docuisse de aliqua sua possessione, de cujus prima apprehensione ritè facta non docet.

Omnium itaque comparatione facta in solido stat jus, & possessio Impetrantis, ex firmo, ac multùm favorabili titulo studiorum favore obtento: quæ nulla ratione, vel infringuntur vel impediuntur ex objecto jure, & asserta possessione Opponentis, ex titulo multùm odioso, magna que suspicione laborante, quique vitiosum initium habet in capite auctoris, à quo Opponens jus sui principia ducit. Vnde existimamus Amplissimorum Dominorum partes esse, ut fidu iariam possessionem, seu recredentiam Impetrati concessam in simplicem plenam & absolutam convertant; manutenendo scilicet Impetrantem in possessione; interdicendo Opponenti, ne Impetrantem amplius turbet, eodem Opponente in expensis litis condemnato.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Possessorium inter nominatum ex indulto nominationis Facultatis Artium in Vniversitate Lovaniensi, & provisum duplici titulo collationis ordinariæ & apostolicæ.

1. *Nominationes quomodo concedat Papa.*
2. *Nominationes beneficiales etiam laicis concedi.*
3. *Concordata Nationis Germanæ an in Comitatu Namurcensi locum habeant*
   Extensio de persona ad personam de uno privilegio ad aliud non est facienda.

4. Declara-

4. *Declaratio ius novum non tribuit.*
5. *Capituli appellatione non continetur Prælatus.*
6. *Nominatione ad prælatũ facta non potest acceptari beneficium quod ad Capitulum spectat & econtra.*
23.7. *Sede vacante quid ad Capitulum devolvatur.* / *Nominationis injunctio Sede vacante facienda à Capitulo.*
8. *Sede vacante Capitulum conferre debet beneficia, quibus Prælatus deberet.*
9. *Devolutione collationis facta, superior conferre debet, cui debebatur, à quo fit devolutio.*
10. *Mandato de providendo Capitulo sede vacante facto, electus postea Episcopus eis parere debet.*
11. *Sede vacante Capitulum vice Prælati tantùm est.*
12. 14. *Collatio beneficiorum pars fructuum dignitatis est.*
13. *Sede vacante debent fructus futuro Prælato reservari.*
15. *Nominatio & acceptatio an sede vacante fieri possit.*
16. *Mandatum de providendo nullum est, si non sit persona, cui mandatur.*
17. *Prælati appellatione venit ipsa Prælatura.*
18. *Delegatio sub nomine dignitatis facta transit ad successorem.*
19. *Gratia ex pactatũ ad Abbatem certi loci impetratâ, Abbate Abbatiam cum alio beneficio permutante, novus Abbas conferre debet.*
20. *Dignitas nulla esse non potest.*
21. *Dignitas vacans sustinet personam defuncti Prælati, non successoris.* / *Nominationes fieri possunt statim mortuo Prælato & successore necdum designato.*
22. *Nominatio commendatitia, vel Prælati vicario dirigi potest.*
24. *Collatio necessaria quæ sit.*
25. *Collator contra mandatum de conferendo, aliũ conferendo nihil agit.*
26. *Clausula decreti irritantis potestas.*
27. *Titulus duplex in beneficijs an accumulari possit.*
28. *Conditio in futurum est.*
29. *Clausula, dummodò non sit jus alteri quæsitum, quid operetur.*
30. *Possessoria causa beneficialis ex titulis iustificari debet.*

CONSILIVM CCLIX.

IN quæstione, quæ orta est inter Magistrum Ioannem Tamison, Impetrantem, & D. Carolum de Bernimicourt Opponentem, super Canonicatu & præbendâ Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ Oppidi Namurcensis vacante per obitum Domini Stephani de Beverie, quæ jam in judicium possessorium retinendæ possessionis, seu manutenentiæ deducta est coram insigni Concilio Namurcensi, cùm longè potiores sint partes præfati M. Ioannis, pro illius quoque parte consulti, non detrectabimus inquisitionẽ factâ in jus, quod uterque hinc inde prætendit, secundùm eundem M. Ioannem ex jure respondere: & quidem paulò latius quàm hoc iudicium possessorium postulat, ut vnico nostro labore habeat idem M. Ioannes, quo & hanc causam possessoriam tueatur, & dictato fortè aliquando petitorio iudicio, certiore ductu partes suas tueatur, & ad scopum dirigat.

In jus itaque dicti M. Ioannis primùm inquirentes dicimus, nihil dubitandum esse de viribus & potestate concessionis Apostolicæ factæ Facultati Artium Vniversitatis Lovaniensis; virtute cuius ad collationes Abbatis sæcularis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ nominatus fuit præfatus M. Ioannes: † cùm in potestate Papæ sit non tantùm per se nominare aliquem ad vacaturam beneficia per viam mandati de providendo, *c. Mandatum De rescrip. c Mandato De præbend. in. 6.* (licet id hodie per decreta Concilij Tridentini rarius faciat, *Sess. 24. de reformat c. 19.*) sed eam quoque nominandi potestatem alij mandare, dato & deputato dictæ nominationis executore, qui nominato beneficium reservet; * idque non tantùm ecclesiasticis personis seu membris, ut est dicta Facultas Artium (etiam ex permissione dicti Concilij Tridentini, *Sess. 25 de reformat c. 4. vers. & quæ in favorem,*) sed etiam laicis, ut ex usu quotidiano Precum Imperialium & Regiarum videmus, per quas Cæsareæ, ac Regiæ Maiestati attribuitur potestas nominandi personas idoneas Collatoribus ad vacatura beneficia. Et cum sacra Cæsarea Maiestas Placito suo permiserit Facultati Artium executionem hujusmodi gratiæ Apostolicæ in his inferioribus suis Regionibus, & nominatim etiam in Comitatu Namurcensi, in quo illius usus notorie viget, nihil est quod DD. Iudices huiusmodi Placitorum Principis Conservatores & executores ea in parte remorari possit; observatâ præsertim formâ in eodem Placito præscripta alijsque in eo requisitis: veluti quod constet dictum M. Ioannem esse oriundum ex ijsdem inferioribus Regionibus, ac natum in Oppido Namurcensi; quòd iuraverit solemniter in redditibus annuis se non habere 80. ducatos; quod insinuatio Nominationis intra mensem à die suæ nominationis facta sit in loco dignitatis dicti Abbatis sæcularis, & intra mensem ab acceptatione illius publicationem fecerit, & acceptationem debitè registrari curaverit; observatis denique alijs omnibus; quæ Bulla Leonina requirit, veluti taxæ modo, acceptatione, provisione, in possessionem tam iuris, quàm rei inductione. Quæ siquidem omnia manifestè probant, nihil esse, quod ex parte dicti M. Ioannis desiderari possit, ad plenũ, perfectique iuris, & tituli acquisitionem.

Objecit interim dictus Opponens duo, quibus ius M. Ioannis elidi seu enervari existimat: alterum (quod minorem habet dubitationem) virtute dictæ Bullæ Leoninæ non posse acceptari beneficium vacans ad collationem Ordinarij in mense ordinario, propter Concordata Nationis Germanicæ cum sede Apostolica: alterum, quòd hic Canonicatus non vacaverit ad collationem Abbatis, sed Capituli, ad quod Capitulum M. Ioannes nominatus non fuerit. Sed ea est istarum objectionum conditio, ut in re præsenti parum momenti habeant. † Nam quod ad dicta Concordata attinet, ut hic non moveamus quæstionem, num Pontifex ijs derogare possit, & ut possit, an in dicta Bulla Leonina satis illis derogaverit; hoc opinamur patam constare, (quod in proposito sufficit) eadẽ Concordata in Comitatu Namurcensi quasi imperio Germanico notoriè

non

non subiecto, nec de Germanica natione existente, locum non habere: sunt enim stricti juris, ut omnes tranlactiones, quæ inter alios initæ alijs neque prosunt neque obsunt: quemadmodum nec concordata Sedis Apostolicæ cum Rege Francorum huc extendi possent, *l. 2 C. Res inter alios acta &c.* Neque in contrarium facit declaratio Iulij Papæ tertij per Opponentem proposita, per quam Opponens nititur probare, per totam diœcesin Leodiensem, sub qua comprehenditur Comitatus Namurcensis, hujusmodi Concordata locum habere: nam (præsuppositio quod locum habere posset, quodque fidem probationis mereretur, de quo dubium adhuc est, *vide 3. cons.* 250.) si diligenter advertatur, vel id non continet, vel tantùm continet limitativè; quia ex ejusdem declarationis præfatione (ex qua solet dispositivę partis declaratio, interpretatio, restrictio, & ampliatio sumi, *l. 1. & ibi Bart. Ad S. C. Macedon. l. Titia. & ibi DD. De verb. oblig.*) evidenter constat, ad ipsam diœcesin restricta esse dicta Concordata; diœcesin autem Leodiensem totam de Natione Germaniæ esse ex ea declaratione non constat aliter quàm per partem narrativam ex suggestione aliorum: hoc enim indicant verba illa, *Sane nuper accepimus.* Et ut concedatur eatenus ad diœcesin Leodiensem extendi Concordata, quatenus de Natione Germaniæ est, aut Imperio Germanico subiecta; non tamen inde mox sequitur, ea etiam ad eas partes diœcesis referri debere, quæ neque moribus, neque subiectione de Germania sunt, *vide 3. cons.* 150. ut notorie est Comitatus Namurcensis, qui Gallico non Germanico idiomatè utitur, quique Imperio Germanico neque mediatè neque immediatè subiectus est: quod Dominis Iudicibus notius est, quàm ut plenius demonstrari debeat. Vnde limitata causa propter Nominationem, limitatum quoque eorundem Concordatorum effectum producit; ut scilicet extra Nationē Germanicā non extendantur, *l. cancellaverat, De his quæ in testā. del. l. Cum servo & ibi Bald. De contrab empt.* etiamsi ex usu alternativorum mensium in collationibus vestigium illorum aliquod esse possit: quod hic eò promptius dicere licet, quod illa declaratio Iulij Tertij tantùm loqui videatur de concessione Sixti Papæ Quarti factæ Vniversitati Lovanienſi, & Impetrans virtute Bullæ Sixtinæ Vniversitati concessæ non prætendat aliquod jus: cum Sixtus non concesserit Facultati Artium hanc nominandi potestatem, sed Leo Decimus, & de hac nulla facta sit mentio in dicta declaratione: * ideoque ut de persona ad personam non est facilè facienda extensio seu transitus, præsertim in his quæ strictam habent interpretationem, ut sunt sententiæ, privilegia, declarationes & similia, *Doct. & præsertim Iaſ. in l. Commodissimè De libet. & posth.* ita quoque de unb privilegio ad aliud eadem extensio fieri non debet; maximè quòd declaratio jus novum non constituat aut concedat, sed obscuritatem antecedentis dispositionis tantùm illustret & explicet; *l. Hæredes palàm §. si quid & ibi Imola & alij De testam.* Vnde non niti admodum difficulter poterit ex prætenta Iulij Papæ declaratione dictorum Concordatorum usus vel potestas extendi ad Comitatum Namurcensem, quamdiu aliter non constat, quod priùs se eousque extenderint; prout revera non extenderunt, cùm Namurcenses alij potius, quàm Imperio à tempore immemorialı & subfuisse & paruisse noscantur.

Iustior itaque est altera obiectio; quòd scilicet hic Canonicatus vacaverit ad collationem Capituli, ad quod Impetrans non est nominatus, ideoque non videatur admittendus ad acceptandum beneficium, quod ad eorum collationem vacasse dicitur. † Vt enim appellatione Capituli non continetur Prælatus ipsius, *c. Post electionem, vers. cum igitur in literis De conces. præben. Panor. in c. Eam te & in cap. ex parte Decani De rescript.* & è diverso: * ita quoque nominatione ad Prælatum facta, non potest acceptari beneficium, quod spectat ad Capitutum, *Clem. 1. De conces. præbend.* Vt nec nominatione facta ad Capitulum, comprehenditur sub nominatione beneficium, quod spectat ad collationem, Episcopi, *collect. in cap. Ecclesia, versic. & si quis impetret De sortileg.* Verùm nec hæc partis adversæ obiectio iuri M. Ioannis obstare potest. Nam imprimis, ut concedamus (sine veritatis præiudicio) vacante Abbatiali dignitate ad Capitulum pertinere jus conferendi Canonicatus vacantes (quod tamen paulò post in enervatione juris Opponentis falsum esse deducemus) potuit nihilominus Impetrans vigore suæ nominationis factæ ad collationes, & provisiones dicti Abbatis sæcularis acceptare Canonicatum & præbendam vacantes, & ex vacatione Prælaturæ seu dignitatis ad Capitulum pertinentes, si alioqui citra vacationem dignitatis Abbatialis ad Abbatem, non ad Capitulum pertinere soleat eorum collatio: ut est in proposito. * Nam vacante sede sive Episcopali, sive alterius dignitatis, quæ Capitulum sub se habet, potestas Episcopi, seu dignitatis non semper rectà devoluitur ad Capitulum; sed plerumque fungitur Capiltulū vice Episcopi aut Prælati, *cap. ult. & penult. De supp. neglig. prælat. lib. 6. c. Is cui De elect. lib 6.* sic ut inlinuatio nominationis facienda Prælato, fiesi tunc possit Capitulo tamquam Prælati vicario, *c. Eam te De rescrip.* sed ita ut Capitulum nihil ex suo capite patiatur, sed tantùm ex parte Prælati, quem ea in parte repræsentat, cum dignitas mori non dicatur, *c. Quoniam Abbas, & ibi Felin. De offic. & potest iud. deleg.* † & in materia subiecta conferre debeat Capitulū interea vacantia beneficia, quibus ipse Prælatus teneretur: † quemadmodum cùm ad superiorem ex negligentia inferioris collatio beneficij devolvitur, tenetur superior ijsdem personis conferre, quibus inferior, *Clem. 1. De suppl. negl. prælat.* Veluti si collator debeat conferre sæcularibus, aut regularibus, aut etiam aliquibus ex certo collegio, is ad quem devolvitur conferendi potestas, eidē necessitati erit adstrictus, *Zabarell. in d. Clem. DD. in c. Ne pro defectu De elect.* Et pariformiter si Prælatus nominato per Pontificem mediatè, vel immediatè conferre debebat, eidem etiam conferre tenebitur Capitulum, *Rebuff. in tract. nominat. quæst. 8. nu 11.* transit enim res cum suo onere & qualitate, *l. Alienato De contrab. empt.* & subrogatum sapit naturam ejus, cui facta

facta est subrogatio, *l. Si eum* §. *qui imuriarum D. Si quis cautionib. &c.* & in alterius locum succedens eodem jure utitur, *c. Is qui De regul. iuris lib. 6.*

10 * Et qua ratione si sede vacante Capitulo tamquam Vicario Episcopi mandetur, ut alicui provideat de Canonicatu, cujus collatio jure communi ad Episcopum pertinebat, cogitur Episcopus postea assumptus huic mandato parere, si vacante sede nulla vacatio alicujus Canonicatus evenerit, *per elegantem text. in d. c. Eam te De rescrip.* ita quoque mandato vel nominatione Abbati, vel Præposito, aut Episcopo facta, id exequi debebit Capitulum sede va-

11 cante. * Nec mirum, diximus enim Capitulum eo casu tantùm sustinere vices Prælaturæ, non autem esse Prælatum: sic ut non suum negotium, sed Prælaturæ gerere debeat, & de suo non alieno largiri, aut donare, *l. Si pignore* § 1. *De furtis.* Idque ratio naturalis demonstrat: nam qui alienas vices aut negotia gerit, in suam utilitatem convertere non debet fructus rei, ad eum, cujus vices sustinet, aut gerit, pertinentis; sed in rem & negotia

12 illius, cujus est res, seu cujus vices sustinet. † Iam verò constat collationes beneficiorum esse inter fructus dignitatis, *in c. Cum olim De maior. &*

13 *obed.* † quos oportet vel futuro successori sede vacante conservare. *c. Quia sæpè De elect. lib. 6. Clem. penult. eod. tit.* vel in eas causas impendere, quas postulat necessitas ipsius dignitatis, & quibus expensis futurus successor sublevetur & utilita-

14 tem percipiat. * Atque ita in proposito, si quid posset Capitulum sede vacante circa beneficiorum interea vacantium collationem, hoc tantùm restringeretur ad eas collationes, quibus futurus successor exoneraretur; veluti si Capitulum conferat illi, cui successor in dignitate postea ex mandato Apostolico conferre & providere teneretur, si per Capitulum ei non esset provisum: quo tamen casu dubitant plerique, an Capitulum conferre possit, dicentes, quòd oporteat tunc per Capitulum constitui Vicarium, seu administratorem, qui conferat & provideat de beneficijs interea vacantibus, *c. Cum vos De off. ordin. Panor. in d. c. Cum olim col. 3. De maior. & obed.*

15 Huic proximum est & in quo adversarius pressius pedem figit, quod etiam nominatio, non tantùm acceptatio Impetrantis sit facta vacante Abbatiali dignitate, nemine existente, qui personam Abbatis sustineret, & sic ad collationem ejus, qui tunc non erat in rerum natura, *l. Liber homo* § *si ita*

16 *scriptum in fin. De hæred. instit.* * ita ut mandatum conferendi ex defectu personæ, quæ illud suscipiat, sit nullum, & cum personam non egrediatur ab alio non sit adimplendũ, *l. Si quis alicui* §. *morte D. Mandati*; præsertim quia verba Bullæ Leoninę id expressè cavere videantur, dum in illis dicitur, *Prælatis verò, vel collatoribus, seu collatricibus, bis, seu duabus distinctis vicibus, vitæ, prælaturæ, & administra-*

17 *tione eorum durante.* * Cæterùm longè alia est juris ratio, & dictorum verborum extra corticem interpretatio: nam appellatione Prælati venit ipsa Prælatura; est enim Episcopus, & alius quivis in dignitate constitutus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo seu Prælato, *c. scire* VII. *q.* 1. sic ut cedente vel decedente Prælato successor perficere debeat, quod prædecessori sub nomine dignitatis mandatum est, *Specul. in tit. de instrum. edit. §. nunc verò aliq. vers. sed quid erit in prælato c. Literis in fin. De rescript.* * Quemadmodum delegatio facta alicui 18
sub nomine dignitatis, nomine proprio non expresso, ad successorem transit, *c. Quoniam Abbas De off. & potest. iud. deleg.* * Vnde ait Cynus, quem 19
in eo sequitur Albericus, *in l. unica C. Si communis res pign. dat. fuerit*, si quis gratiam exspectativam impetravit ad collationem Abbatis certi loci, qui ante vacationem alicujus beneficij Abbatiam cum Episcopatu aut alio beneficio permutavit, posse exspectantem acceptare beneficium, quod vacabit post permutationem, alio Abbate constituto: nimirum quia hujusmodi nominationes & gratię non tam Prælatis, hoc est personis, quarum nomina & conditiones ignorantur, & quorum nullus est respectus, dum nomine proprio non appellantur, quàm ipsis Prælaturis fiunt, quæ non intermoriuntur, *d. c. Literis in Auth. quomodo oporteat Episcopos &c.* §. *fin. col.* 1. & ex personis substantiam 20
omninò non capiunt: * Non enim potest Ecclesia, aut dignitas esse nulla, *c. Liberti* XII. *q.* 2. quod 21
futurum esset si in abstracto sine persona intelligeretur. * Et in eo dissimilis est conditio hæreditatis jacentis, & dignitatis vacantis: illa enim personam defuncti sustinet, non successoris, *l. Non minus* §. *fin. De hæred. instit. l. Hereditas De acq. rer. domin.* hæc verò per se stat, & intelligitur; aut si ad personam referenda est, successorem magis quàm defunctum repræsentat, quòd tota in actione consistat, quam ad defunctum nullâ ratione referre possumus; hæreditas verò in solo dominio consistit, cujus capaces sunt etiam infantes & furiosi, *l. Furiosus De action. & oblig.* qui dignitatum incapaces omninò sunt, *c. Indecorum De ætate qual. & ord. præfic.* Quod in proposito manifestum fit ex eo, quod ex Bulla Leonina non requiratur aliqua insinuatio nominationis, neque requisitio ipsius Collatoris, ad quem facta est nominatio: quod apertum est indicium, mentem Pontificis concedentis hujusmodi nominandi facultatem fuisse, ut Prælaturæ, non personæ tantùm aliquis haberetur respectus. Quò etiam spectat, quod per confirmationem Clementis, & Hadriani Pont. nominationes hujusmodi factæ, nondum effectum fortitæ in vita alicujus Prælati, eo decedente ligent successorem, sine novâ nominatione. Cui confirmationi conforme est Cesareæ Majestatis Placitum, super usu nominationis concessum, quod quidem Placitum etsi ultra Bullam Papalem requirat, ut nominatio insinuetur Collatori, &, si effectum in vita ejus sortita non est, renovetur in persona successoris; id tamen non facit, ut nominatio sit magis personalis: restrictim enim & limitativè requirit insinuationem ad personas Collatorum; si scilicet in his partibus resideant, qui si non resideant, sufficiat in loco dignitatis fieri; quod evidens iterum indicium est, dignitatis magis quàm personæ haberi rationem. Neque illæ dictiones, *vitâ & Prælaturâ durante*, rem ad individuum restringunt; quasi nominatio fieri

non possit vacante Prælatura: sed restringunt tantùm & coangustant vices nominandi; ne scilicet liceat Decano Facultatis Artium in vita seu Prælatura alicujus Prælati ultra bis nominare; & minimè quod non possit vacante Prælatura fieri nominatio: ut sit sensus, dignitas non potest gravari nisi bis durante vitâ, vel Prælaturâ & administratione præsentis vel futuri Prælati: ita ut illæ dictiones determinent vices nominandi, non personam Prælati. Et sanè usu, qui optimus est cujusque rei interpres, *l. Si de interpretatione De legib. Steph. Bertran. cons.* 220. *Si ex octo in fin. vol.* 2. *parte* 2. ita hactenus practicatum & observatum est, ut statim mortuo aliquo Prælato, nondum etiam electo, aut constituto alio, nominationes fiant: secundùm quem usum nuper etiam in Concilio Brabantiæ judicatum est super Canonicatu S. Servatij Traiectensis, vigore similis nominationis Præpositurâ vacante factæ, per Dominum Simonem Plugers acceptato. In quo articulo tantò minus hic hæsitandum est, quòd ex propria allegatione adversarij Capitulum vacantem Abbatiam repræsentet: ita ut hîc relabamur ad ea, quæ in præcedente articulo dicta sunt; neque possit objici defectus personæ, qui Abbatialem dignitatem sustineat, & repræsentet in tam amplo numero Decani, & Canonicorum viventium, & Capitulum quod dignitatem sic repræsentat, constituentium; sed verè dici possit vitâ & Prælaturâ, seu administratione Collatoris durante factam esse nominationem, cùm (si vera sunt quæ adversarius allegat) Capitulum eo casu velut repræsentatâ personâ Abbatis secularis jus conferendi habeat. * Quâ ratione Commendatario, item Prælati Vicario dirigi potest nominatio; licet propriè titulum dignitatis non habeant, *Rebuff. in tract. nominat. quæst.* 8. *nu.* 27. *&* 29. quia prætextu dignitatis jus conferendi habent; quod in proposito satis est. 22

Proinde his rationibus arbitramur, de jure & possessione Impetrantis satis constare: cui si quid ad jus petitorium deesse posset, ut reverà non deest; in ea tamen conditione est possessoria hæc causa, ut Impetrans omninò obtinere debeat; ex defectu scilicet juris partis adversæ; ob id, quòd nullum juris titulum habeat, qui aliquem juris colorem præ se ferat, etiamsi duos proferat, eosque dissimiles. Nam quod ad priorem attinet, quem prætexit ex collatione Præpositi, Decani, & Capituli, vacante Abbatia sibi facta, is omninò nullus est, utpote ab ijs collatus, qui conferendi facultatem non habuerunt, *l. Si filium tuus C. De donat.* * cùm indubitatum sit, quod, quamvis sede, vel Prælaturâ vacante, administratio ad Capitulũ in temporalibus & spiritualibus devolvatur, *c pen. & ult. De sup. negl. Prælat.* potestas tamen conferendi beneficia numquam devolvitur ad Capitulum, præterquam in necessaria collatione, & in beneficijs, quæ ad Prælati, & Capituli collationem conjunctim pertinent; ut expresso jure cautum est, *c. Illa Ne sede vacan. & ibi Imola & alij cap.* 1. *eod. tit. lib.* 6. * Necessariam collationem 23 vocamus, quæ vel propter periculum animarum differri non potest; vel ubi propter mandatum Papæ Prælatus jubetur conferre: sic ut Capitulum 24 sede vacante conferre possit nominatis ex necessitate, non alijs ex liberalitate, *Panor. & alijn. d. c. Illa. Rebuff. in praxi benef. tit. De devol. nu.* 70. *usque ad* 87. 25

* Cum igitur dictum Capitulum Namurcense conferendi potestatẽ non habuerit, & liberalitatẽ sese exercere per hujusmodi collationem dicto Carolo factam in principio literarum collationis declaraverit; sequitur hujusmodi collationẽ ex defectu potestatis (quo nullus in omnibus causis potest esse major, *l.* 1. §. *fin. Ad Tertull. l.* 1. §. *hæc autem verba D. Quod quisque juris &c.*) omninò esse nullam & adversario nullum omninò titulum tribuere, præsertim propter reservationem in Bulla Leonina factam, quæ sic potestatem Collatoris affecit, ac manus illius constrinxit, & ligavit, ut nisi vel lapso tempore ad acceptandum vigore nominationis præfixo, vel nominato declarante se nolle acceptare, nulli potuerit conferre, & conferendo contra prohibitionem Apostolicam nihil egerit, *c. Mandato De præb. lib.* 6. *c. Tibi qui De rescr. lib.* 6. propter vim & potestatem *decreti irritantis* dictæ Bullæ inserti. Pro non collato itaque haberi debet hîc Canonicatus quoad Carolum ex parte Capituli: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure dare, *cap. Quod autem De jure patron.* Quòd verò ad potiorem titulum, perinde ad juris effectum inutilis est; & si quid operantur literæ collationis, seu provisionis Illustrissimi Domini Cardinalis Caraffæ Legati de latere, quas pro hujus secundi articuli probatione producit Opponens, illud est, quod ex usu hujusmodi literarum & tituli Opponens evidenter ostendat, falsum esse, quod concordata Nationis Germaniæ locum habeant in Comitatu Namurcensi: nam cùm hic Canonicatus, cujus possessio nunc controversa est, vacaverit in mense ordinario, non potuit dictus Legatus, at nec ipse Papa sic vacantem conferre, cùm per declarationem superiùs mentionatam Iulius Papa tertius declaraverit in effectu dicta Concordata vim pactorum habere, quibus Papa derogare non posset nequidem ex absoluta potestate, *c.* 1. *De probat. Bald. in l. Princeps De legib. eleganter Lud. Roman. cons.* 352. *Quæritur primo nu.* 16. *Gloss. in c. Ad Apostolicæ De sent. & re iudic. lib.* 6. *Bart. in l. Si quis C. De excus. muner. lib* 10. multò minus Cardinalis aut 62 Legatus; † præsertim quia ijsdem Concordatis etiam inserta sit clausula *decreti irritantis*, quæ ipsum Pontificem etiam in gratiosis ligat, *c. Quodam & ibi Domin. Gemin. De præb. in* 6. ita ut propter hanc implacabilem contradictionem Opponens audiri 27 non debeat, *c. Post electionem De concess. præb. & ibi DD.* † Operantur interim istæ literæ & aliud, ut non obscurè arguant collationemà Capitulo priùs factam pro nulla & invalida habitam fuisse: non enim obtinuit sibi Carolus provideri per modum novæ provisionis, factâ scilicet mentione de collatione Capituli, de qua dubitabat, an viribus subsisteret; quo casu utriusque tituli allegatione ut inunc posset, cùm posterior veniat non in prioris annullationem, sed confirmationem, *Rebuff. in praxi benef. tit. de nova provisione nu.* 13. *Lud. Gomes. ad reg. de annali poss. quæst.* 78. *in fine*: sed per modum simplicis provisionis, quæ præsupponit

nullum

nullum alium titulum præcessisse & ex hoc nunc primum jus quæri; quod fieri non posset, si ex priori titulo jus nactus fuisset, qui provisionem petit, *l. Vbi autem in fi. De verb. oblig. Ægid. Bellamera decis.* 116. Quemadmodum in simili de surrogatione in jus collitigantis mortui tradit Ludovicus Gomesius, *in reg. De surrog. collit. q.* 19. *in fine* Sepositis interim istis nihil operantur hujusmodi provisionis literæ; nam conditionalem continent collationem, sub conditione, quæ expressim provisioni dicti Cardinalis inserta est his verbis: *Dummodo tempore datæ præsentium non sit alicui in ea jus quæsitum*: Ita ut ex defectu conditionis collabatur dicta provisio, seu quod magis est, nulla sit. † Equidem verba ista proprie non habent conditionis vim & potestatem, eo quòd conditio in futurum, *l. Itaque Si cert. pet.* non in præsens vel præteritum tempus conferatur; quod autem sic in præsens vel præteritum tempus confertur sub figura conditionis, id statim ab initio vel purè valet, vel omninò nullum est, *l. Cum ad præsens cum l. seq. Si cert. pet. l. Conditio in præteritum De verb. oblig. l.* 2. *De hæred. instit.* prout vel verum vel falsum est quod in figura conditionis exprimitur. † Vnde cum verbis in præsens tempus conceptis Illustrissimus D. Cardinalis dixerit negativè, *Dummodo non sit jus quæsitum*, & affirmativa illis verbis contraria fierit tunc vera, non intelligitur Cardinalis suspendisse suam collationem in aliquem eventum, sed jam inde ab initio illam pro nulla habuisse: per rerum enim naturam certum fuit, tunc alteri jus fuisse quæsitum in dictis Canonicatu & præbenda, etiamsi Cardinalis id ignoraverit, *l. Respiciendum Si cert. petat.* Ius autem quæsitum fuisse Impetranti ex his, quæ in investigatione juris ejusdem diximus, manifestum est; eo scilicet attento, quòd acceptatio & provisio Impetrantis uno die antecesserint provisionem Cardinalis ab Opponente serius impetratam: illa enim est de decima Februarij, hæc de tertio Idus Februarij, hoc est de undecimo; cui non censetur Cardinalis non tantùm voluisse derogare, sed per hujusmodi conditionalia verba majus robur potiùs adiecisse, quia dicta clausula, *Dummodo non sit alteri jus quæsitum*, præservat habentes jus in re, *Ioan. And. & DD. in cap. Causam quæ De rescriptis*; quod Impetrans in hoc Canonicatu omninò perfectè obtinuit per reservationem, provisionem, seu collationem, & in possessionem inductionem virtute Bullæ Leoninæ, *c. ult. in fine De concess. præben. in* 6. *Clement. fin. eod. tit.* ita ut de non vacante beneficio dicto Opponenti facta collatio, ipso jure nulla reputari debeat, *c.* 1. *& 2. De concess. præbend.* multòque magis quæ in consequentiam & authoritatem hujus tituli per Opponentem capta est possessio, quatuor ferè mensibus post acceptam, & obtentam realem possessionem ab Impetrante, octava scilicet Iunij tunc sequentis; idque vigore prioris collationis inutiliter ac nulliter (uti superiùs deductum est) factæ à Capitulo, Abbatia vacante: factâ deinde pendente hac lite, & sic nulliter, vicesima quarta Ianuarij novissimè præteriti novæ possessionis acceptatione, virtute collationis ab Illustrissimo D. Cardinale obtentæ; cùm Impetrans antea possessionem juris & rei obtinuisset decima, & decima sexta Februarij anni 1558. Atque ita multis modis Impetrans Opponente potior est, & jure, & tempore, *c. Duobus De rescript. lib.* 6. *l.* 4. *C. Qui potior. in pig. hab.* imò non tantùm potior, sed omissâ comparatione solus obtinet hujus beneficij jus & possessionem. * Proinde cum causa beneficialis possessoria justificari & probari debeat ex titulo, *Gl. in Clem. unica in fine De caus. poss. & proprietat.* tam in judicio retinendæ, quàm restituendæ, *Gloss. in d. Clem. unica*, & quidem titulo saltem colorato, *Rota decis.* 257. *alias est* 7. *Si juris dicat De probat. in novis*; qui scilicet obtentus sit ab habente potestatem conferendi, *Rota decis.* 393. *Si conferatur alias est* 16. *De restit. spoliat. in novis, Phil. Franc. in c. fin. De restit. spol. in* 6. eaque ex parte abundè satisfecerit Impetrans, nihil vero præstiterit Opponens, propter superiùs deductum defectum potestatis prædicti Capituli, & Domini Cardinalis conditionatam conditione defi ciente collationem; nihil est quod Clarissimos Dominos Iudices remorari debeat in proferenda sententia pro possessione dicti Impetrantis, & condemnando Adversarium in expensis.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Ius Regaliorum in beneficijs Ecclesiasticis.

1. *Capitulum sede vacante non confert præbendas.*
2. *Collatio beneficiorum est inter fructus prælaturæ.*
3. *Capitulum sede vacante in necessaria collatione cui conferre debeat beneficia.*
4. *Ius regaliorum in beneficijs.*
5. *Diœcesis una in plures divisa retinet antiquam iura.*
6. *Ius regaliorum non impedit exspectativas aut præventivas gratias.*

CONSILIVM CCLX.

IN erectione Episcopatus Audomarensis statutũ est à Pontifice, ut novè Præbendæ primò vacaturæ afficiantur seu conferantur certis quibusdam personis certas qualitates habentibus; nimirum tres primæ tribus Magistris Licentiatis in Theologia; tres alteræ tribus Licentiatis Decretorum; & demum tres postremæ tribus Nobilibus ex diœcesi Licentiatis in aliqua dictarum facultatum: idque hoc ordine, ut prima vice novem illæ præbendæ conferantur à solo Episcopo; postmodum verò per electionem ab ijs, qui de numero illorum novem supererunt. Contigit autem vacante dicta Episcopali sede, vacare unam præbendam, quæ si Episcopus viveret deberet ab eo conferri viro Nobili & Licentiato: Quæritur ergò, ad quem pertineat ejus præbendæ collatio? An ad Capitulum, quod tamen videtur repugnare juri communi, *c. Illa & tot. tit. Ne sede vacante &c.* An verò ad Principem sæcularem, juxta jus regale, quod habet ut sede vacante conferat Princeps in Ecclesijs Gallicanis? An denique reservari debeat Episcopo futuro, cùm jus regale non videatur obtinere locũ in dicta Ecclesia Audomarensi, ut quæ sit recenter erecta; aut saltem non videatur debere extendi ad dictas novè præbendas affectandas, eo quòd Rex Catholicus consentiens in erectionem dicti Episcopatus, &

approbans quod dictæ præbendæ à solo Episcopo primùm, ac postea ab octo superstitibus conferantur, videatur renuntiasse suo juri, si quod habuit conferendi illas præbendas? Postremò etiam quæritur, an si Princeps conferat, vel ejus Conciliũ, debeat cum affectatione prædicta conferre, hoc est viro Nobili & Licentiato? An vero possit cuivis conferre, etiam taliter non qualificato, cùm jus regale recipiat summã ampliationẽ.

Ad propositas quæstiones brevibus respondendo, dicimus ex juris scripti ratione ac dispositione
1 expeditam esse resolutionem, * vacante hoc Episcopatu ad Capitulum non pertinere jus conferendi canonicatum & præbendam interea vacantes. Rescripsit enim Honorius tertius Papa, *in d. c. Illa Ne sede vacante*, nusquam in jure cautum inveniri, quod Capitulum sede vacante fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum, etiãsi in alijs vice Episcopi fungatur quoad administrationem & custodiam tam in spiritualibus quàm in temporalibus, *c. penult. & ult. De suppl. negl. prælat. c. Is cui De elect. lib. 6.* Ita ut Capitulum interea non sit Prælatus, sed Prælati tantùm vices sustineat; & sic non suum sed Prelaturæ negotium gerere censeatur; ideoque omnes occurrentes vacationes futuro Prælato conservari debeant, ut
2 cæteri fructus, † qui vacante Prælatura non cedunt Capitulo, sed successori conservandi sunt; inter quos fructus procul dubio sunt collationes beneficiorum interim vacantium, *Gloss. in c. Cum olim De major. & obed. c Quia sæpè De elect. lib. 6. clem. penult. De elect. Gl. & DD. in c. Sicut nostru De iureiur.* Nec quia hæc præbenda virtute Bullæ erectionis Episcopatus Audomarensis incidit in reservationem & affectionem primarum novem, quæ post erectũ Episcopatum vacare contigerit, & nunc ex prioribus completis pro nobili in Theologia vel jure Canonico graduato, maior erit di-
3 cti Capituli potestas; * ob id, quod vacante Prælatura Capitulum conferre possit vacantia beneficia, quæ ex præventiva gratia aut reservatione Pontificia omninò conferenda sunt, nec liberæ dispositioni Prælati si adhuc viveret subijciuntur: quasi id sit ad commodum & pro exoneratione Episcopi, *c. Cum vos De off. ordin. Panor in d. c. Cum olim, c. Eam te De rescript. & alij in d. c. Illa Rebuffus in tract. nominat. q. 8. nu. 11 & latius in praxi benef. lib. 1. tit. de devol. nu. 58. cum seqq. usque 86.* Nam id restringitur, cùm certæ personæ seu certis personis in individuo beneficia affectata sunt, seu ijs per Papam provideri mandatum est, per præventivam seu exspectativam quamcumque gratiam; non etiam cum in genere qualificatis personis collatio facienda est, *Rebuff. & alij locis supra citatis.* Etsi enim hoc casu ad qualificatas personas restringatur conferendi potestas, non restringitur tamẽ in specie seu individuo ad hunc aut illum, sed relinquitur Prælato electio, quem scilicet ex pariter qualificatis etiam gratificando præferre velit; quæ electio idcirco futuro Prælato eripienda non est.

Cæterum ut hoc ex juris ratione indubitatum
4 est, ita ex adverso non satis expeditum, anne contra seu præter rationem & dispositionem juris scripti potior hic esse debeat potestas conferendi jure Regaliorum, per Reges Galliæ hactenus exercita, quam multis rationibus plerique, *Arnulphus Ruſæus in tractat. iuris Regaliorum in 5. parte præſat. Carol. De Graſſalijs lib 2. De Regal. Franciæ c. 10.* nituntur etiam juris colore defendere? In quo articulo facti quæstio versatur, an hic Episcopus Audomarensis hunc juri Regaliorum subijciatur? ideò quòd sit novus Episcopatus, & quòd sic ad illum extendi non debeat illud jus singulare contra tenorem rationis, hoc est contra omnes juris regulas obtentum, *l. Quod verò contra D. De legib.* Sed ex adverso pro jure Regaliorum urget quòd hic Episcopatus sit erectus per suppressionem & dismembrationem Episcopatus Morinensis, quem qui de jure Regaliorum scribunt, *Car. De Graſſalijs. d. c. 1 lib. 2.* numerant inter illas ecclesias, in quibus Rex jus Regaliorum habet: * sic enim eodem Episcopatu in duos aut plures diviso, vel una provincia 5
vel diœcesi in plures distributa non adimuntur cuiquam privilegia priora, sed illa potiùs confirmantur. Quæ tamen consideratio cessabit, si Rex Catholicus aut sui majores vacante Episcopatu Morinensi numquã usi fuerunt isto jure Regaliorum in beneficijs constitutis in ea parte diœcesis Morinensis, quæ Regi Catholico & ejus majoribus, non Regi Galliæ paruit & hactenus subjecta fuit (equidem verosimile non est Regem Galliæ in ea parte dictæ diœcesis jure Regaliorum usum fuisse) nam hoc casu ex superveniente erectione novi Episcopatus, æquum non erit ex parte Regis Catholici novum & exorbitans hoc jus Regaliorum induci. † Sane si jus Regaliorum ex diversitate facti, hoc est in casu antecedentis usus & 6
exercitij juris Regaliorum in prædicta parte diœcesis Morinensis ante illius suppressionem & dismembrationem habuit vel exercuit, libera nunc erit Regis Catholici collatio nimmeque restricta aut adstricta ad qualificatas personas, quibus reservatio Pontificia dictas novem præbendas affecit. Nam qui jus Regaliorum adstruunt, liberrimum id esse volunt, ut nullis nominationibus, nullis reservationibus, nullisque affectionibus Papalibus impediri possit, *Arnulphus Ruſæus in d. tractat. in 9. privileg. Carol. De Graſſalijs in d. c. 1. verſ. & primum cum ſeq. Rebuff. in tract. nominat. q. 1. nu. 9. & 10.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Indultum Regi concessum nominandi ad beneficia Ecclesiastica.

1. *Dignitas cum Canonicatu & præbenda acceptari potest.*
2. *Clausula* decreti irritantis *constringit etiam ante præsentationem literarum.*
3. *Curam animarum qui acceptat non prævio examine an cadat beneficio.*
4. *Revocatio gratiarum expectativarum generalis non continet indulta nominandi Principibus concessa.*
5. *Literæ Placiti Principi super indultis Papalibus.*

CONSILIVM CCLXI.

EX indulto per felicis recordationis Pium Papam Quartum Serenissimo Philippo secundo Regi Hispaniarum Catholico in anno Domi-

Domini 1560. Calendis Iulij conceſſo, continente *Facultatem nominandi infra tres menſes à die præſentationis huiuſmodi indulti perſonas ſibi gratas ad collationem, proviſionem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, quorumcumque Collatorum & Collatricum ſæcularium vel regularium in ſuæ Maieſtatis temporalibus dominijs Inferioris Germaniæ conſtitutorum, vigore cuius ſic nominatus poſſit etiam Cathedralibus & Metropolitanis vel Collegiatis Eccleſijs in dictis dominijs conſiſtentibus acceptare unum Canonicatum & unam præbendam, & unam dignitatem ſeu perſonatum, adminiſtrationem, vel officium etiam curatum & electivum, nec non unum beneficium &c. Ita quod unam & eandem perſonam ad Canonicatum & præbendam & dignitatem nominare valeat, ac tunc Canonicatus ac præbenda ac dignitas pro uno beneficio tantum reputetur, etiamſi ex perſona diverſorum etiam ſimul vel ſucceſſivè vacaverint, vel diverſas perſonas ad Canonicatum & præbendam, ac dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium ſingularum Eccleſiarum huiuſmodi nominare poſſit.* Ex hoc inquam indulto die nona menſis Iulij anno 1561. per ſuam Majeſtatem Dominus Ioannes de Laoultre ejuſdem ſuæ Majeſtatis Cantor nominatus eſt ad collationem Præpoſiti & Capituli Collegiatæ Eccleſiæ S. Germani Oppidi Montenſis; ut unum Canonicatum & unam præbendam ac unam dignitatem ſeu perſonatum, adminiſtrationem, vel officium etiam curatum & electivum iuxta prædicti indulti Apoſtolici vim & tenorem aſſequi poſſit & obtinere. Vigore cujus nominationis idem Dominus Ioannes de Laoultre in anno 1563. ſeptima menſis Martij acceptavit & obtinuit Canonicatum & præbendam ex morte Domini Nicolai de Bracquenere in dicta Eccleſia S Germani Montenſis vacantes; quorum pacificam poſſeſſionem adeptus idem Dominus Ioannes aliquo tempore ex poſt hujuſmodi Canonicatum & præbendam ex cauſa permutationis reſignavit, & ſic in dicta Eccleſia Canonicatus præbendatus eſſe deſijt. Contigit deinde in anno 1573. quod Dominus Ioannes Gerardi dictæ Eccleſiæ Decanus valetudinarius ejuſdem Eccleſiæ Decanatum in favorem D. Petri de Behault ſacræ Theologiæ Licentiati & ejuſdem Eccleſiæ Canonici ad manus Capituli reſignaverit, Capitulo reſignationem admittente. Cæterum idem Dominus Ioannes Gerardi poſt hujuſmodi reſignationem ſtatim deceſſit; ideoque ſecundùm regulas Cancellariæ Apoſtolicæ dictus Decanatus ex ejus morte vacavit; quem Decanatum ſic vacantem præfatus Dominus Ioannes de Laoultre nona menſis Ianuarij dicto anno 1573. vigore dicti indulti acceptavit, ſibique de eo provideri necnon undecima die ejuſdem menſis Ianuarij ad illum per dictum Capitulum admitti & confirmari obtinuit. Quem eundem Decanatum ſexto deinde Calendas Auguſti eodem anno 1573. tamquam adhuc ex morte dicti Domini Ioannis Gerardi vacantem à ſede Apoſtolica impetravit præfatus Dominus Petrus Behault: cui ſupplicanti pro obtinendis à ſua Majeſtate literis Placiti ad liberum uſum literarum Apoſtolicarum hujuſmodi Papalis proviſionis, præfatus Dominus Ioannes de Laoultre ſe opponit, eaſdemque literas dicto Domino Petro non eſſe concedendas contendit.

Ex parte itaque præfati Domini Petri Behault proponuntur aliquot quæſtiones. Primò, an Dominus Ioannes de Laoultre poſt dimiſſionem Canonicatus & præbendæ vigore dicti indulti obtentorum potuerit ex tanto temporis intervallo ex eodem indulto acceptare poſtea vacantem in eadem Eccleſia dignitatem? Secundò, an obſit dicto Domino Ioanni de Laoultre, quod ante acceptationem hujus Decanatus ſuam nominationem inſinuaverit Præpoſito & Capitulo S. Germani? Tertiò, an obſit dicto Domino Ioanni de Laoultre, quòd non ab Ordinario Collatore ſeu Capitulo, ſed per alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum ſibi vigore dicti indulti provideri fecerit? Quartò, an ex eo aliquid adverſus dictum Dominum Ioannem de Laoultre ſtatuendum ſit, quòd adminiſtrationi dicti Decanatus ſe immiſcuerit, & per tres aut quatuor menſes exercuerit ante profeſſionem fidei, ante debitam examinationem, & obtentam ab Archiepiſcopo Cameracenſi curam animarum? Quintò, an gratia dicti de Laoultre ſit revocata per decreta Concilij Tridentini omnes gratias exſpectativas & mandata de providendo revocantia & annullantia? Sextò, an proviſioni Apoſtolicæ per D. Petrum Behault obtentæ obijci poſſit, quòd ſupplicando Pontifici ſubticuerit dicti Domini Ioannis de Laoultre acceptationem & admiſſionem? Septimò, an dicto D. Petro Behault per Concilium ſuæ Majeſtatis denegari poſſint literæ Placiti? Octavò, an dictus D. Petrus ex prætacta ſua Apoſtolica proviſione jus habeat in & ad dictum Decanatum, & an ſic jure contendere poſſit adverſus præfatum D. Ioannem de Laoultre, & quâ viâ ſeu modo? Ad quas quæſtiones ordine quo proponuntur reſpondebimus.

Ad primam igitur, quæ præcipua eſt & ſequentibus præjudicium facit, dicimus eam ſine difficultate non procedere: quippe verba clauſulæ ſuperiùs propoſitæ, etſi pro uno beneficio reputari velint Canonicatum & præbendam ac dignitatem, quando una eademque perſona ad illos nominata eſt; eorum tamen ſeparationem admittunt proximè cohærentia verba, *Etiamſi ex perſona diverſorum etiam ſimul & ſucceſſivè vacaverint*; Vt uno tempore ſeu ex certa vacatione Canonicatus & præbenda, alio tempore & ex alia vacatione dignitas acceptari poſſit per ſic nominatum; ita ut quemadmodum ex hac ſeparationis conſideratione Decanatus ante adeptum Canonicatum & præbendam acceptari potuiſſe videtur; ita quoque poſſit poſt adepti Canonicatus & præbendæ dimiſſionem ſeu reſignationem. Nihil in contrarium urgentibus dictæ Eccleſiæ ſeu Capituli ſtatutis inter alia continentibus, quòd ad Decanatum eligi ſeu aſſumi non poſſit, niſi qui Canonicus & de ejuſdem Eccleſiæ Capitulo ſit: nã hujuſmodi ſtatutis per dictum indultum apertè eſt derogatũ peculiaribus clauſulis derogatorijs dicto indulto infertis, his verbis: *Et aliis dictarum Eccleſiarum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis*

ſtatutis & conſequentibus &c. prout ſimili ratione non obſtat, quod idem Decanatus ſit electivus, & illi quoque cohæreat cura animarum collegiatæ Eccleſiæ S. Waltrudis: nam huic nominationi per dictum indultum apertè quoque ſubijciuntur perinde electiva, ut collativa beneficia & dignitates quæcumque, etiamſi cura animarum eis annexa ſit, his verbis: *canonicatum & unam præbendam & unam dignitatem ſeu perſonatum adminiſtrationem vel officium etiam curatum & electivum.*

Cæterùm propius verba dictæ Bullæ expendendo & in mentem ac voluntatem concedentis collim ndo, verius nobis videtur, non licuiſſe dicto Domino Ioanni de Laoultre poſt dimiſſionem dictorum Canonicatus & præbendæ, non aliun de, ſed ex indulto acquiſitum, vigore ejuſdem ndulti acceptare poſtea ex alterius perſona vacantem Decanum, quaſi interveniente medio inhabili ex dicta dimiſſione, quæ facit ut unitas illa, quæ ex dictis tribus Canonicatu, præbenda, & dign tate in una & eadem perſona ſic nominata conſtituitur, effectum nec re nec ſpe conſequi poſſit; ut poteſt, ſi Decanatus occurrente illius vacatione acceptetur. Neque etiam licuiſſe ei acceptare poſtea vacantem Canonicatum & præbendam vel ex ceſſione ſeu dimiſſione ac reſignatione Decani viventis, vel ex illius morte; cùm Decanatus neceſſariò non requirat coniunctionem Canonicatus. Nam etſi in præſenti Decanatus per ſe ſtet, ſpes tamen eſt poſtea occurſurum catum vacantis Canonicatus & præbendæ, qui vigore indulti acceptari poterunt. At verò parte dictæ gratiæ ſeu indulti conſumptâ per antecedentem acceptationem Canonicatus & præbendæ, ſi nominatus dimittat Canonicatũ & præbendam, non eſt amplius ſpes coniunctionis & unitatis horum trium: cùm non poſſit vigore ejuſdem indulti ſeu gratiæ ampliùs acceptari Canonicatus & præbenda, conſumptâ ſcilicet eâ in parte dicti indulti gratiâ. Vnde hæc ſic ſe habere videntur, ut unum propter aliud habeatur ſeu haberi debeat vel in re præſenti vel ſpe & exſpectatione futuri; & dictus D. Ioannes de Laoultre renuntiando Canonicatui & præbendæ ex dicto indulto obtentis, renuntiaſſe cenſeatur exſpectationi Decanatus. Eaque videtur fuiſſe Pontificis concedentis mens & voluntas, ut ex eo indulto in eadem Eccleſia nominatus dignitatem aſſequi non poſſit, niſi propter Canonic tum vel iam priùs acquiſitum, vel poſtea acquiren dum: nam & communiter in omnibus Collegiatis Eccleſijs ita obſervari ſolet, ut dignitates non niſi ejuſdem Eccleſiæ Canonicis ſeu Capitularibus conferantur: ut ſic ab ea reſervatione & conſuetudine quam minimùm recedatur; & annexorum ſeparatio non facilè inducatur, *arg. c. Quia ſæpe* DE *præben. lib.* 6. & non niſi eo caſu, quo per dictum indultum una perſona ad Canonicatum & præbendam, alia ad dignitates in eadem Eccleſia nominatur; ita quod in propoſito ſeparatorum & coniunctorum eadem non ſit ratio, nec effectus idem.

Ad ſecundam quæſtionem paucis dicimus, inſinuatione nullâ opus fuiſſe: quoniam illam non requirit dictum indultum, quod continet clauſulam *decreti irritantis*, quicquid in contrarium factum fuerit, atque etiam mandatum ac facultatem, quòd Executores ſuper executione ſeu fulminatione hujus indulti requiſiti omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Collatoribus inhibere poſſint, ne de beneficijs poſt nominationem vacantibus diſponant in præjudicium nominati: prout etiam Illuſtriſſimus D. Antonius Perrenotus Cardinalis, dicti indulti Executor & fulminator inhibuit, decernendo ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſcienter vel igno ranter attentari contigerit. * Cujus decreti irri- 2
tantis ea eſt vis & poteſtas, quòd Collatoris Ordinarij manus ſtatim ex die nominationis ligentur etiam ante præſentationem mandati Apoſtolici ſeu indulti, *notata in c. Si ſoli in gl. verb. contra ipſam* DE *conceſſ. præben. lib.* 6. & ſic cùm perinde ignorantem ut ſcientem conſtringat, *c. Dilecto verſ. niſi forte* DE *præben c penult. eod. tit. lib.* 6. apertè deprehenditur antecedente aliquâ inſinuatione, intimatione, aut requiſitione opus non fuiſſe.

Ad tertiam quæſtionem expedita eſt reſponſio ex tenore dictæ Bullæ, quæ proviſionem de vacante beneficio vel dignitate nominato faciendam permittit Executoribus vigore indulti per ſuam Majeſtatem eligendis, idque per ſe vel alios vel ipſos ſubdelegandos ſubexecutores: ita quod rectè facta dici debeat proviſio, quæ illi vigore clauſulæ, *Cæterum*, in proceſſu dicti indulti fulminato inſertæ per Dominum Priorem conventus & Monaſterij Scholarium Montenſium facta eſt, etiamſi nec Præpoſitum nec Capitulum antea requiſiverit; quos ſufficit requiſitos eſſe in admiſſione ad poſſeſſionem.

Ad quartam quæſtionem dicimus, ex hujuſmodi ſive negligentia ſive contemptu, non oriri reſolutionem juris in beneficio acquiſiti; quia hoc nullo jure conſtitutum, neque per Concilium Tridentinum, neque per ſtatuta Epiſcopalia cautum invenitur; alijs pœnis adverſus negligentes ſeu contemptores conſtitutis. † Nam 3
de jure communi ad culpam ſuperioris refertur, ſi quis ad regimen ſeu curam animarum admittatur, non præmiſſo examine, *c. penult.* DE *ætate & qualit. ordinand.* Et ex ordinationibus Epiſcopi Cameracenſis pœna ſuſpenſionis infertur deſervienti beneficio curam animarum annexam habenti, non præcedente authoritate Epiſcopi: & per Concilium Tridentinum, *Seſſ. 7. cap.* 13. *& ſeſſ.* 18. *cap.* 18. permittitur poteſtas non admittendi proviſos de hujuſmodi beneficijs, non præcedente hoc examine & admiſſione. Et quoad profeſſionem fidei per idem Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 10. *&* 12. omnibus ad beneficium curatum ſeu dignitatem Eccleſiaſticam promotis imperatam, non invenitur alia pœna ſtatuta quàm non admiſſionis ad ipſum beneficium ſeu dignitatem, & non faciendi ſuos, hoc eſt lucrandi fructus beneficij; & quòd poſſeſſio beneficij illis ſuffragari non debeat: hoc eſt non tantùm non faciant fructus ſuos per poſſeſſionem, ſed nec conſequi poſſint commodum aliquod ex poſſeſſione; cùm tamen poſſeſſionis commoda multa ſint, §. *commodum Inſtit. De interdict.* & inter cætera quæ ad re-

gulas

gulas Cancellariæ de annali & triennali poſſeſſione, ita ut nuda omiſſio ſeu negligentia nihil faciat ad amittendum jus in beneficio quæſitum; ideoque ea in parte purgatio ſive moræ & negligentiæ, ſive contumaciæ admittatur; & factâ purgatione nihil ſit, quod adverſus poſſeſſorem hujus beneficij ſtatui poſſit.

Ad quintam quæſtionem reſpondemus, quod etſi verba Concilij Tridentini, *Seſſ. 24 c. 19.* hac in parte aperta & generalia eſſe videantur, ut etiam comprehendere videatur hoc indultum mandatum de providendo ſeu gratiam exſpectativam; intenſa enim negatio eſt in his verbis. *Nemini amplius*, quæ omnes omninò excludere videtur, & perinde illius, ut aliorum continere revocationem per hæc ſubjecta verba, *Nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere*; quaſi ſcilicet nulli omninò id ex eo tempore licuerit, *Paul. Pariſ conſ. 58. Agit coram nu. 35. vol. 4.* quia tamen in hoc decreto nulla ſit expreſſa mentio de hujuſmodi gratijs, quæ Imperatori, aut Regibus, ſeu alijs Principibus conceſſæ ſunt, difficile erit obtinere, ut per idem decretum cenſeatur quoquo modo revocatum hoc Regiæ Catholicæ Majeſtati ex tam prægnantibus cauſis & cum tam ſpecialibus notis conceſſum indultum. Et illam dicti Conciliaris decreti mentem eſſe ſatis deprehenditur ex alio ejuſdem Concilij decreto, *Seſſ. 25. cap. 9.* quo revocantur omnia privilegia juris patronatus & nominandi conceſſa quibuſcumque, ſed exceptis Imperatori, Regibus, & alijs ſupremis Dominis conceſſis; ita ut præcedentis decreti verba, *Seſſ. 24. cap. 19.* reſtringenda omninò ſint per hoc ejuſdem Concilij ſequens in alia Seſſione decretum, *cap. 9.* Scio multa probabiliter proferri poſſe pro ſuſtinenda dictæ revocationis generalitate; ſed verendum eſt, ne ſi id præcipuè contendat D. Petrus Behault, nihil agat; cùm uſus ſequentis temporis contrariam interpretationem invexerit, & aliud à Concilio Regio obtineri poſſe ſpes nulla ſit: potiſſimùm quod hæc nominandi facultas perpetua & ſucceſſiva non ſit, ſed reſtricta ad tres tantùm proximos à die præſentationis indulti menſes, qui uno ferè anno anteceſſerunt publicationem Concilij Tridentini: ita ut quoad Regiam Majeſtatem effectum ſuum ſortitum fuerit hujuſmodi indultum, nec veroſimile ſit Regiam Majeſtatem paſſuram, ut ſic à ſe nominati etiam poſt dictam publicationem illius effectum non conſequantur.

Ad ſextam quæſtionem (quæ ut & ſequens ſeptima perſonam & impetrationem D. Petri Behault concernunt) reſpondetur, manifeſtam eſſe juris diſpoſitionem, *in c. Cum noſtris De conceſſ. præben.* quod literæ Apoſtolicæ gratioſæ ad beneficia non valeant, quando impetratio facta eſt non factâ mentione de colorata poſſeſſione alterius; ita quòd ex hac conſideratione (quia D. Ioannes de Laoultre tempore proviſionis quâ D. Petrus Behault utitur, erat, & per aliquot menſes pacificè fuerat in poſſeſſione hujus Decanatus) in periculo verſetur dicti Domini Petri impetratio, *Ioan. Calder. conſ. 28. & conſ. 29.* Sed quoniam extenſas Bullas non vidimus, non poſſumus abſolutè dicere, an in illis contineantur aliquæ clauſulæ per quas ejuſmodi vitiũ ſurreptionis ſit ſublatum; ut facilimè per clauſulas, quas formularij ſupplicationibus vel Bullis inſerere ſolent, tolli ſoleat; per ea quæ exactè tradunt Calderinus, *conſ. 14. de reſcript.* Panormitanus, & Ioannes de Imola, *in d. cap. Cum noſtris.* Operæ pretium igitur erit originales Bullas tranſmittere, ut ex illis certum conſtitui poſſit, num ex hac parte periculum ullum ſit; quod veroſimile non eſt, propter ſummam diligentiam, quæ in hujuſmodi impetrationibus adhiberi ſolet; & quod in ſignata ſupplicatione contineatur derogatio regulæ Cancellariæ *de annali poſſeſſore*, ex qua majus periculum ſurreptionis induci ſolet.

Ad ſeptimam quæſtionem dicimus, ex juris & æquitatis ratione Domino Petro non poſſe denegari literas Placiti, quarum impetratio non dependet ex certitudine boni juris ipſius impetrantis literas proviſionis beneficiorum, cùm illius cognitio ad laicam poteſtatem ſeu judicem laicum regulariter non pertineat, *c. Decernimus De indic.* ſed à Maximiliani Imperatoris & Philippi Archiducis Auſtriæ conſtitutionibus (per quas uſus harum literarum Placiti in his regionibus introductus) ne abuſivè hujuſmodi impetrationes ſine conſenſu Principis executioni mandentur. Cùm ergò abuſus nullus in impetratione dicti Domini Petri contineatur; nec habeat illa inſolitas aut exorbitantes clauſulas; ex ratione juſtitiæ diſtributivæ nihil occurrit, ob quod hujuſmodi literæ Placiti ei denegari poſſint, & quin hoc ipſi permitti debeat, ut de jure ſuo ſaltem petitorio judicio experiri liceat, non etiam ut ſtatim vel de facto dictum D. Ioannem de Laoultre poſſeſſione deturbare poſſit. Præſertim in tanta apparentia boni juris, quod Dominus Petrus prætendit, & deficientis juris in perſona Domini Ioannis; quæ ſola apparentia ad hanc impetrationem ſufficere debet; cùm nemo jus ſuum indiſcuſſum relinquere debeat, *l. Illud De petit. hæred.* & uſus ſeu conceſſio dictarum literarum Placiti non à lubito voluntatis, ſed à regulato & boni viri arbitrio dependeat; ut aliud etiam velle Princeps non præſumitur, *l. Digna vox C. De legib.* 5

Ad octavam eamque ultimam propoſitam quæſtionem dicimus, ex ſuperiùs deductis, & præſertim quòd pro uno beneficio reputentur Canonicatus, præbenda, & dignitas, dum unus idemque ad ejuſdem Collatoris collationem nominatus eſt, eaque unitas retineri non poſſit in perſona D. Ioannis de Laoultre in caſu propoſito, qui ſic ut prætendit acceptando non unum ſed plura beneficia ex dicta nominatione conſequutus dici deberet, ſi poſt renuntiationem Canonicatus & præbendæ poſtea ſolum Decanatum acceptatum retinere poſſet; ſatis conſtare de defectu juris ipſius D. Ioannis de Laoultre: eoque conſtituto jus Domini Petri extra dubitationem eſſe, ſi modò ex tenore extenſæ Bullæ deprehendatur ſupratactum vitium ſurreptionis ex omiſſa narratione coloratæ poſſeſſionis dicti D. Ioannis de Laoultre per inſertas clauſulas ſublatum eſſe. Quod ſi eſt, conſultò faciet D. Petrus, ſi impetrationẽ literarum Placiti urgeat eâque obtentâ litem adverſus D. Ioannẽ inſtituat, non judicio poſſeſſorio, propter longiorẽ ejuſdem Domini Ioannis poſſeſſionem realem & actualem; ſed petitorio, vel coram Archiepiſcopo Cameracenſi ordinario loci, ſi Eccleſia S. Germani

mani ab ordinaria jurisdictione exempta non est; vel si exempta est, impetrato rescripto Apostolico, per quod causa alicui in dignitate constituto in diœcesi Cameracensi in loco insigni residenti committatur: nisi fortè Bullæ super hac Domini Petri impetratione obtentæ Executori in illis deputato cognitionem quoque causæ committant. Ita quod planè necessum sit Bullas ipsas tam gratiosam quàm executoriam seu illarum copiam transmittere, ut certiore judicio de omnibus statui ac definiri possit.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Indultum Regi concessum nominandi ad beneficia.

1. *Clericatura non probatur ex presbyterio.*
2. *Clericus unius diœcesis potest esse alterius presbyter.*
3. *Nominatio per laicum ex concessione Papæ facta, confertur per Papam facta.*
4. *Principi asserenti credendum.*
5. *Instrumentum publicum plenissimè probat.*
6. *Simoniæ delictum pravissimum, ideòque non præsumendum.*
7. *Possessio beneficij omni die capi potest.*
8. *Publicatio Bullarum Apostolicarum quo modo facienda.*
9. *Notarius Apostolicus de rebus sacris potest facere instrumentum in Regno, etiamsi per Regem approbatus non sit.*
10. *Instrumento opus non est de actum, qui aliter probari potest.*
11. *Nominatio ad Ordinarios directa extenditur etiam ad beneficia vacantia in mensibus Papalibus.*
12. *Iuri quæsito Princeps derogare non censetur.*
13. *Clausula* decretiirritantis *potentissima.*
14. *Papa conferendo exspectantes prævenire potest.*
15. *Ordinarius conferens in omnibus mensibus ex indulto Papæ an censeatur iure ordinario an Papali conferre.*

CONSILIVM CCLII.

Ex collatione eorum, quæ in causa possessoria Capellaniæ ad altare Beatæ Mariæ in parochiali Ecclesia loci de Geerbeets Leodiensis diœcesis utrimque allegata, & producta sunt in amplissimo Concilio Brabantiæ, inter Dominum Godevardum Humbeech Impetrantem, ac Magistrum Paulum Parys Opponentē, deprehenditur titulus, & jus Impetrantis prævalere, ideóque secundùm eum hanc possessoriam causam definiendam esse tamquam potiora apparentioraque jura habentem; quia non ex sola possessione, ut in rebus profanis, *l. 1. Vti possidet.* sed ex jure quoque causa beneficialis terminanda est, ut ei adiudicetur possessio, & in ea manuteneatur, qui apparentiora jura habet, *Doct. in l. fin. C. De edict. D. Hadr. tollen.* sic quod possessio in beneficijs Ecclesiasticis mixtæ naturæ sit, & sine titulo, hoc est deductione juris induci, aut concludi non possit, *Rota decis. 55. Ad instantiam, alias est 2. ut lit. pend. in novis.* Collationem igitur istam explicando & incipiendo à persona ac qualitate Impetrantis, quæ ante omnia qualificari debet, antequam de jure Rei quæratur, *l. Si quæramus De testam.* dicimus de clericatura Impetrantis (quæ ad obtinendum simplex beneficium, etiamsi Canonicatus sit sufficit, *c. Super inordinata. De præb. c. Cum adeò De rescript.*) sufficienter constare per exhibitionem literarum clericaturæ; uti etiam Opponens ipse fatetur. † Nec ad rem facit cavillatio 1
Opponentis, quod tam in literis nominationis, quàm in instrumento acceptationis, necnon instrumento in possessionem inductionis, Impetrans dicatur esse presbyter Cameracensis diœcesis: nam expressio maioris qualitatis, quæ necessaria non est ad obtinendum beneficium, nocere non debet: cum non contineat finalem causam ipsius nominationis, sic quod expressa & non probata nocere non debeat, *l. Testamentum C. De testam.* sufficiatque Impetrantis eam qualitatem, quæ necessaria est, quæque sola sufficit, clericaturam scilicet probasse; cum probatio solius qualitatis presbyterij non videatur sufficere, propterea quod ex illo necessariò non constet de clericatura (quæ ut diximus ad obtinendum beneficium omnino necessaria est, *d. cap. eum adeò cap. Ex literis De transact.*) propterea quod de facto quis per saltum promoveri possit ad Presbyterium, *c. 1. de cler. per saltum promot.* quamvis interim presbyterij qualitas in Impetrante notoria sit. Proinde nullius momenti sunt quæ Opponens adfert de demonstratione falsa, & de presbyterio sine literis dimissorijs Episcopi Leodiensis, à quo Impetrans clericus creatus est obtento: nam quod demonstratio falsa sit non probatur, cum verum sit Impetrantem presbyterum esse Cameracensis diœcesis, etiamsi illud probatum non sit, quia necessariò probari non debuit, præsertim quod constet per Opponentem id negatum non esse: quod si Opponens inter verbales allegationes negasset, vel defectum ejus qualitatis objecisset, Impetrans sine negotio probare potuisset, eâdemque opera demonstrare, quod illegitimè, & juris ordine minimè observato ad presbyterium non pervenerit. * Vnde quod Opponens existimat Impetrantem erasse in propriæ diœcesis expressione, & errando sibi præjudicasse *Felin. in c. Significante nu. 2. in 2. declaratione De rescript.* in proposito verum non est: quia nihil vetat, ut qui alterius diœcesis est clericus alterius sit presbyter, *c. cum nullus De temp. ord. lib. 6.* Qualificata personâ Impetrantis, de re ipsa, hoc est titulo, & jure quærendum est. De quo nulla hic est dubitatio; ob id, quod Impetrans nitatur claro & liquido jure facultatis nominandi per sedem Apostolicam Regiæ Catholicæ Majestati concessæ, per quam Impetrans intra tempus trium mensium à die præsentationis literarum nominationis suæ Majestáti factæ per suam Majestatem nominatus fuit, ad Collationes Personæ Personatus Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Oppidi de Levvis: † per hujusmodi enim nominationes, quia authoritate Pontificia fiunt, & 3
in illis nominans etiamsi sit laicus Sanctissimi Domini Papæ quasi minister est, *argum. l. Si quis Titio De leg. 2.* cum is facere intelligatur cujus authoritate, ac mandato actus explicatur, *c. Mulieres in fin. De sent. excom.* nominato jus acquiritur non tantum ad rem, sed etiam in re, *cap. ult. de concess.*

conceſſ. præben. Gloſſ in §. item quod ad dictas, in verb. nominare De collat. in pragm. ſanct.

Quam nominationem non turbat obiectio, quam opponens facit, quòd Impetrans non ſit nominatus in trimeſtri à die præſentationis literarum nominationis Regiæ Majeſtati factæ, quodque ejus nominatio ſit fraudulenta & ſimoniaca: nam omnes hę allegationes ex defectu veritatis corruunt. * Etenim ex literis ipſius nominationis, adeoque temporis, quod ijſdem literis tam de die præſentationis dictarum literarum, quàm factæ nominationis Regia Majeſtas (cui aſſerenti non poteſt non credi, *Bald. in l. Iuriſiurandi C. De teſtib. & in l. Ex hiis nu. 5. C. De teſtam. milit.*) intervit, evidenter conſtat, ante lapſum ſecundum menſem à die præſentationis literarum nominationis, hanc nominationem factam eſſe: nulla enim evidentior eſt conſtantis vel deficientis veritatis probatio, quam quæ conſtat ex inſtrumenti ipſius inſpectione & lectione, *l. Si bona & ibi Caſir & alij De imuſio, rupto irrito.* * Adverſus quam inſtrumenti in aſpectu apparentem veritatem, nulla eſt contrarij præſumptio; cum inſtrumentũ publicum ſit probata probatio, *Bald. in l. Imperator De ſtatu hom.* & tamdiu præſumitur verum quàm non profertur contrarij probatio, *l. Cum precibus C. De probat. l. Optimam C. De contrab. & commit. ſtipulat.* ita ut merito in paulò maiore reverentia habere debuiſſet Opponens literas Regio ſigillo munitas, nullum vitium viſibile continentes.

Eadem ratione corruit fraudis & ſimoniacæ pravitatis obiectio; quaſi ſcilicet Impetrans hanc gratiam pecuniâ comparaverit à quodam Balduino de la Samine: nam cùm gratia hæc nullius alterius ſit, quàm Regiæ Majeſtatis ex authoritate Apoſtolica, nulla poteſt eſſe præſumptio corruptionis aut ſordium, præſertim quòd neque conſtet Balduinum hanc nominationem priùs obtinuiſſe: † neque inter Balduinum atque Impetrantem aliquam licitam pactionem interceſſiſſe, & præſumi id non debeat, quia induceret delictum ſimoniæ, *l. Merito Pro ſocio*, (quòd graviſſimum eſt, & in cujus comparatione cetera leviora videntur, *c. ult. 1. q. ult. c. Tanta De Simonia.*) Et quamvis Opponens teſtibus id probare conatus ſit, nihil tamen effecit: nam nemo teſtium eſt, qui id vel ſolus vel conjunctim cum alio abſolutè deponat. Primus namque teſtium D. Godefridus vanden Vekene deponit ſolus, & ſic ſine effectu probationis, *d. l. Iuriſiurandi C. De teſtib. l. Manius De quæſtion.* de literis non Balduini, ſed Franciſci le Febure ad eum ſcriptis; quibus admonet ad manus eſſe nominationem ad Perſonatum de Leevvis, & quod mediante pecuniâ aliquâ ad eam perveniri poſſit ſed qualis, ac cujus fuerit illa, non exprimit: ita ut ex tam indeterminata ac confuſa aſſertione ad præjudicium Impetrantis, nihil conſtitui poſſit. Et quamvis Dominus Guilielmus Marien & Florentius van Grynden deponant de aſſertione & oblatione dicti Balduini: quod aſſeruit ſe habere nominationem ad Perſonatum de Leevvis, quodque eam nominationem pretio in alium transferret, nihil tamen in eo conſtitui poteſt, quod Impetranti noceat; quia nemo rem, quæ ſua non eſt, venum exponendo, aut vendendo alteri præjudicat, *l. Rem alienam De contrab. empt.* nec aſſerenti ſe aliquid habere, quod non demonſtrat, aut probat etiamſi magnâ dignitate præfulgeat, creditur, *l. 1 C. De mand. princ.* Novum enim non eſt, in Aulis præſertim Principum, & in locis Aulæ multos invenire fumi venditores, qui ſimulato commendationis officio per occaſionem familiaritatis aut notitiæ Principis benevolentiam pretio vendant, & pro ſolo indicio præmium quærant. Quid enim vetat Balduinum occaſionem impetrandæ hujus nominationis ſciviſſe, & per eam lucellum quæſiviſſe, & nihilominus ſine pretio ad illam perveniſſe Impetrantem ſuâ induſtriâ vel aliorum commendatione? ita ut ex fluctuante hac præſumptione illius quod contingere tantùm potuit, nulla fixa probatio conſtitui de ſit, *l. Neque natales C. de probat.* In teſtimonio Erardi de la Samine nihil quoque conſtitui poteſt, quod Impetranti noceat; quia ejus depoſitio ſingularis & incerta eſt: aperte enim declarat, quod ignoret, qualem nominationem frater ejus obtinuerit. Et quod ex ipſo Balduino audierit, quod eam pretio alienaſſet Dominus Guilielmus Fierens, minus adhuc dicit, cum loquitur de quadam nominatione, quæ venalis fuiſſe dicebatur in initio hujus proceſſus: ita ut certum ſit illam non fuiſſe hanc, ex qua diu ante hujus litis initium Impetrans acceptaverat, & ex qua hæc lis inſtituta fuerat. Sic quod manifeſtum ſit, Opponentem nis minus veris obiectionibus uſum fuiſſe, ut Impetrantem in lite diutiùs detineret, & ea occaſione diutiùs redemptis à Collectore Epiſcopi Leodienſis ſeu Archidiaconi fructibus hujus litigioſi beneficij frueretur: ideoque etiam ratio, & æquitas poſtulet, ut in ſententia in hac cauſa ferenda idem Opponens Impetranti propter carentiam fructuum ad damna & intereſſe condemnetur.

Stabilito itaque jure ipſius nominationis tranſeamus ad illius executionem, in qua Impetrans nihil prætermiſit, quod conditio nominationis exigit; vacante enim hoc beneficio in fine menſis Maij, ut Opponens fatetur, Impetrans illud acceptavit, & ſibi de illo per Præpoſitum Sonigenſem provideri obtinuit quinta Junij anno 1563 (ut conſtat per legitimum inſtrumentum) qua acceptatione & proviſione facta, eſt idem Impetrans inductus in poſſeſſionem ejuſdem beneficij octava ejuſdem menſis Junij, per D. Wilhelmum van Dalen dictæ collegiatæ Eccleſiæ Leevvenſis Decanum: ſic quod evidentiſſimum ſit hæc omnia ſuis temporibus opportunè eſſe facta. Ita ut prorſus calumniola ſit Opponentis obiectio, quam etiam poſtea revocare debuit, de acceptatione Impetrantis poſt menſem facta.

Perinde frivola eſt obiectio adverſus poſſeſſionis inductionem & apprehenſionem, quod ſit facta die minimè ſacro: nam nullo jure præſcriptum invenitur diſcrimen dierum, aut partium dici; ita ut quilibet dies, & quælibet hora ad accipiendam beneficij Eccleſiaſtici poſſeſſionem ſit idonea. † Cum enim à contentioſa juriſdictione non ſit dependens hæc poſſeſſionis & 7

acceptatio

ceptatio, sed sit voluntariæ jurisdictionis nec cogat causæ cognitionē, quovis die exerceri potest & magis profano, quàm sacro *l. Actus C. De servis l. 2. §. dnes, Quis ord. in bon. poss. servet. Alberic. in l. Illud. C. de sacrosan. eccles.* Et quamvis Advocatus Opponentis pro astruenda hujusmodi obiectione in testimonium producat Petri Anchorani consilium septuagesimum quintum (ita enim habet exemplum scripturæ Memorialis nobis exhibitum) adhibita tamen diligentiâ non potuimus id in demonstrato loco invenire.

Prædictæ obiectioni adjungit Opponens hanc, quòd acceptatio hujusmodi possessionis facta sit clancularie, & quod non sit facta publicatio gratiæ Impetrantis: sed diluitur hæc obiectio ex claro & liquido instrumento acceptæ possessionis, in quam Impetrans inductus est non per privatum hominem, sed per ipsius Ecclesiæ Leevvensis Decanum, virum in dignitate constitutum, præsentibus testibus sufficientibus & Notario; ita ut quod coram pluribus, & præsertim publicis personis factum est, clandestinum dici non possit, *l. Palam De verb. sign.*

§ Et quoad omissam publicationem, hoc primum dicimus, quòd illam non requirat Bulla nominationis, ideoque illius defectus, præsertim in hoc judicio possessorio, attendi non debeat. Deinde defectus publicationis hujusmodi nullus hic est: etenim ex dicto instrumento constat Impetrantem D. Wilhelmo van Daelen & Notario exhibuisse literas nominationis, ac literas Apostolicas cum fulminato processu, necnon instrumentis acceptationis, & provisionis, ipsique in præsentia Rei prolatis, & apertis, possessionis hanc traditionem factam esse: quæ omnia pro insinuatione abunde sufficiunt. Quamvis in usu solemnis publicationis, qualem aliquot Regulæ Apostolicæ in meris exspectativis gratijs requirunt, plurimùm differentiæ sit inter dignitates, aliaque beneficia jurisdictionem vel curam animarum habentia, quæ majorem solemnitatem publicationis requirunt; & inter simplicia beneficia nullam curam animarum, nullam jurisdictionem habentia (quale est hoc simplex beneficium, de quo hic controvertitur) in quibus sufficit nominationem seu gratiam publicari coram honestis personis, & Notario, *Lud. Gomes ad reg. Cancell. De public. resig. quæst. 9. nu. 7. & 8.* Quod in proposito minorem habet dubitationem ex eo, quod Impetrans momentaneam possessionem non obtinuerit, sed perduraverit; in cujus consequentiam statim hoc possessorium judicium instituit, & in accepta apprehensaque possessione, se manutineri contendit: ita ut de publicatione nulla possit esse dubitatio. Hoc enim discrimen constituitur, *Gomez. & alij ad regul. Cancell. De publ. resig.* inter momentaneam possessionem, cujus scilicet acquisitionem & velut imaginariam apprehensionem nihil amplius secutum est, cujusque in consequentiam realiter & palàm amplius nihil actum est, ut illa scilicet præsumatur clandestina, nec sufficiat nisi sit solemniter publicata, propter fraudes, quæ ex actus clandestinitate exurgere solent, & inter non momentaneam, in cujus scilicet consequentiam publicè ac palam aliquid actum est; sic ut in publicam notitiam abjerit novi possessoris adventus & possessio, ut scilicet formali publicationi æquipolleat, *Lud. Gomes ad d. regul. q. 11.*

Novissimè ad enervandam hujus obtentæ possessionis potestatem objicit Opponens, quod D. Godefridus Vollus Notarius instrumenti acceptæ possessionis non sit ad exercitium Notariatus admissus per Concilium Brabantiæ, quod nova constitutio *de anno* 1540. Caroli Quinti Imperatoris in Brabantia requirit; nam ea constitutio ad actus profanos tantùm referenda est, non ad spirituales causas. Qua ratione dixit Ioannes Faber, *in l. Secundum C. De donat.* quòd quamvis Apostolicus seu Papalis Notarius in Regno non possit de rebus profanis facere instrumenta, recte tamen faciet de rebus spiritualibus, inter quas sunt beneficia, beneficialesque causæ. Sed de potestate, conditione, qualitate hujus Notarij quærendum hic non est, cùm non negetur per partem Opponentem, sed apertè recognoscatur, quod Impetrans possessionem hujus beneficij cooperante D. Wilhelmo van Daelen obtinuerit; ita ut hoc instrumento non indigeat Impetrans. * Neque enim ad 10
solemnitatem acceptæ possessionis requiritur instrumentum hoc, cùm nullo jure caveatur, & generale sit, quod instrumenta non ad substantiam, sed tantùm ad rei actæ probationem conficiantur; & quòd deficientibus instrumentis, vel confectis amissis rei veritas per confessionem partis, vel testes, aut aliter probari possit, *l. 1. l. Sicut, l. Instrumentis C. De fide instrum. l. Non ideò C. Fam. ercisc.* Sic quod cùm de veritate rei actæ constet, de modo aut medio probationis curandum non sit.

Et quoniam Opponens omnes angulos per 11
tentando, & cavillando, ut bono juri Impetrantis tenebras offundat, & colorem detrahat, hoc quoque objicit, quòd hoc beneficium vacaverit in mense Majo, qui notoriè ex alternatis mensibus Pontificius est, & quod gratia nominationis restricta sit ad mensem Ordinarijs reservatum; ita quod cùm hujusmodi Papales gratiæ non nisi strictam interpretationem recipiant, *cap. Cui De non sacerdotali De præb. lib. 6.* facultas acceptandi in mensibus Ordinariorum non debeat extendi ad beneficia vacantia in mensibus Pontificijs: dicimus hujusmodi interpretationem & verborum aucupationem verbis dictæ gratiæ repugnare; hæc enim verba, *etiam in aliquo vel aliquibus ex mensibus per nos ordinarys Collatoribus vel Collatricibus &c.* non restringunt facultatem acceptandi ad menses Ordinariorum, sed extendunt per amplificativam & implicativam particulam, *Etiam*, quæ implicat aliud diversum, ac separatum ab expresso. *Gloss. l. Si contendat De fideiuss. DD. in l. 1. C. Qui admitti ad bon. pos.* Cum ergò præter Ordinariorum menses non sint nisi Pontificij, consequens est eos quoque remissos esse acceptationi nominatorum: neque sanè verosimile est Pontificem Ordinarijs tantum, & non sibi præjudicare voluisse.

Et hæc hactenus pro assertione juris, quod Impetrans prætendit: ita ut tantùm restet labor removendi juris quod Opponens ex suo capite prætendit. Habet Opponens collationem Reverendissimi Domini Roberti à Bergis Episcopi Leodiensis, non ordinario jure concessam, sed authoritate

ei conceſſarum, ut in menſibus etiam Pontificijs omnia vacantia beneficia conferre poſſit: quæ gratia cùm ſit poſterior, de data ſcilicet Iunij anno 1561. derogare videtur antecedenti gratiæ Regię Majeſtati conceſſę Calendis Iunij anno 1560. ut generaliter poſteriora derogant prioribus, *l. Pacta noviſſima C. De pactis*; præſertim propter cumulum & amplitudinem clauſularum derogatoriarum in dictis literis facultatis poſitarum. Cæterum quamvis multa hic in medium adferri poſſent ex comparatione clauſularum, quibus Regia gratia nominandi inſtructa eſt, & illarum, quæ in literis facultatis Reverendiſſimi Epiſcopi Leodienſis poſitæ ſunt, per quæ exceſſus derogationum in gratia nominationis Regiæ contentarum tam quoad præterita, quàm quoad futura demonſtrari poſſet; unum tamen hìc tantummodò proferimus, omnes derogationes in literis facultatis Reverendiſſimi Epiſcopi Leodienſis nihil poſſe adverſus derogationem gratiæ nominationis: ob id, quòd in illa inſerantur hæc verba: *Quodq; præſentibus literis per quaſcumque noſtras literas etiam motu, & ſcientia ſimilibus emanatas & emanandas, etiam facientes plenam & expreſſam de toto tenore præſentium mentionem, non ſit nec eſſe cenſeatur derogatum, niſi derogatio huiuſmodi de expreſſo conſenſu ſuæ Majeſtatis, & de plenitudine poteſtatis facta fuerit.* Quæ verba intenſiſſima ſunt, & omnes effectus motus proprij, plenitudinis poteſtatis, & derogatoriarum quarumcumque clauſularum vim, atque effectum retundunt, ipſiq́ue Pontifici vinculum injiciunt, ut ex plenitudine etiam poteſtatis nihil hic poſſit: conjunctim enim ad facultatem derogandi hìc requiritur conſenſus Regiæ Majeſtatis, & plenitudo poteſtatis; quia ſic in literis hæc conjuncta ſunt, ut ex ſola plenitudine hic nihil contrarium conſtitui poſſit, *l. Si quis ita ſtipulatus De verb. obl.* Cùm igitur non conſtet literas facultatis Reverendiſſimo Epiſcopo Leodienſi conceſſas proceſſiſſe cum prævio ſuæ Majeſtatis conſenſu, non poſſunt aliquam vim derogationis adverſus Regiam gratiam habere; ne quidem ob id magis, quod Opponens literas Placiti Regiæ Ma-
12 jeſtatis obtinuerit. † Nam hujuſmodi Placitum ſimplicem uſum tantùm permittit, ſed poteſtatem & effectum literarum Apoſtolicarum ſuo loco relinquit, & minimè amplificat; prout etiam ex conceſſione hujuſmodi Placiti facta octavâ Iunij præjudicari non potuit juri ipſi Impetranti priùs quintâ Iunij ex ſua acceptatione acquiſi-
13 to, *l. 2. §. ſi quis à Principe Ne quid in loco publ.* † Certum ergò eſt per hanc Impetrantis nominationem, & præſertim per decretum irritans manus Reverendiſſimi Epiſcopi Leodienſis fuiſſe ligatas, *c. Si beneficia, c. Si poſtquam De præben. lib. 6. Card. Zabar. conſ. 104. Poſt reditum, Panor. in c. Dilecto. De præben.* ſic quod omnia in contrarium acta inficiat, omniaq́ue contraria juris effectu ac adminiculo deſtitui faciat, *Marian. Socin. conſ. 67. Eadem die nu. 9. vol. 3.* & ex hujuſmodi Epiſcopi collatione Opponentis ne colorem quidem poſſidendi obtinere potuerit, *Guido Papæ deciſ. 71. & 85. Doct. in c. Ex literis De reſt. ſpoliat. Lud. Rom. conſ. 483. Dubitatur primo nu. 14.* ac prioritas tituli in obtinenda collatione, quam Opponens prætexit, nihil efficiat: quia durante menſe conceſſo nominato ad acceptandum, nihil contrarium fieri potuit.

Vnicus tantùm reſtat ſcrupulus, quem Oppo- 14
nens urget; quod collatio Reverend.mi Epiſcopi Leodienſis ſit collatio non ordinaria, ſed Pontificia, facta per poteſtatem ei per Pontificem conceſſam: ita ut, quemadmodum Papa non prohibetur omnes exſpectantes prævenire, & præveniendo eorum exſpectationi præjudicare, *c. Si à ſede cap. Si cui De præb. lib. 6.* ita quoque videatur hæc præveniens acceptationem nominati per Regias literas, obſtare Impetranti. * Verùm quia literæ 15
facultatis, quæ diriguntur ad Ordinarios, ut poſſint in omnibus menſibus conferre, non tam adijciunt Ordinarijs facultatẽ conferendi, quàm conſtrictam eorum poteſtatem per reſervationes Pontificias, quam à jure communi habent, laxant & reſtituunt, *Petr. Anchor. conſ. 131. Ad excluſionẽ Io. Staphil. in tit. de liter gratiæ §. tertia formæ nu. 4.* conſequens eſt, quòd collatio, quæ fit per hujuſmodi relaxationem, cenſeatur magis fieri jure ordinario & authoritate Ordinarij, quàm authoritate Papæ; ſic quod Ordinarij prævention gratiam Papalem impedire non poſſit, *d. c. Si beneficia d. c. Si poſtquam.* Et ut dicatur nominatus, ſeu proviſus per literas facultatis Epiſcopi authoritate Apoſtolicâ proviſus: tamen quia literæ Regiæ nominationis tam prægnantes derogationum clauſulas habent, ut diximus, non poteſt cenſeri Pontifex Reverendiſſimo Epiſcopo Leodienſi conceſſiſſe, ut præveniendo præjudicet nominationibus Regijs. In qua conſideratione conſiſtit labefactatio omnium, quæ pro Opponente in medium adferri poſſent. Cui hoc quoque rectè adjungitur, quòd Reverend.mus Epiſcopus Leodienſis conferendo Opponenti verè non prævenerit; ob id, quòd Impetrantis nominatio aliquot annis fuerit anterior, & per eam nominato jus acquiſitum ad rem, *cap. ulti. De conceſſ. præb. Gloſſ. in d. §. item quod ad dictas in verb. nominare De collat. in pragmat. ſanct.* quod poſtea fuit productum in eſſe, eveniente caſu vacationis, & corroboratum accedente acceptatione.

Omnibus igitur diſcuſſis, & collatis, deprehenditur jus Impetrantis non tantùm eſſe coloratum, quod ad poſſeſſorium obtinendum ſufficeret, ſed perfectum, & ex omni parte abſolutum; nullum impedimentum ei facientes titulo vel jure, quod Opponens aſſerit: ſic ut ob id Ampliſſimorum Dominorum officium eſſe putemus, Impetrantem in poſſeſſione hujus beneficij manutenere, ſeu manutentum declarare; Opponente in expenſis litis, damnis, ac intereſſe condemnato.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Nominatio Principis ſæcularis ad beneficia & jus rotuli.

1. *Regula de triennali poſſeſſione obtinet etiam in beneficio iuris patronatus.*
2. 4. *Rotuli annotatio ad beneficia ius non tribuit.*
3. *Gratia exſpectativa manus Papæ non claudit.*
5. *Exceptio de iure tertij non prodeſt.*
6. *Ius patronatus an meritò in confiſcationem confiſcatis bonis*

tis bonis Patroni.

7. *Iudicium ubi cœptum est ibi finiri debet.*
8. *Nominatus vel in rotulo positus ad primum beneficium an non acceptando primum vacans amittat ius suum.*
9. *Rotulus subjicitur iuris communis dispositioni.*

CONSILIVM CC LXIII.

AD primam, priore loco propositam quæstionem, dicimus Dominum & M. Ioannem de Froidmont expelli non posse, per Dominum Georgium de Hannault; ob id, quòd jus illi acquisitum & confirmatum fuerit lapsu plurium annorum; ita ut ei obstet Regula Cancellariæ Apostolicæ *de triennali possessore non molestando, nec impetrando huiusmodi beneficia Apo-* 1 *stolica vel ordinaria collatione acquisita.* † Quæ regula perinde locum habet in beneficijs juris patronatus, ut in alijs, *Lud. Gomes. in reg. de triennali possess. q.* 9. Sic quòd præfato Domino Georgio petenti literas ratione præcedentis inscriptionis in Rotulo, in hoc communicatorio processu, nihil concedi debeat; præsertim adversus præcedentes ejusdem suæ Majestatis, pro dicto Domino & M. Ioanne concessas, & executioni mandatas literas; quæ in omnem eventum ex accessione triennalis pacificæ possessionis omnimodam irrevocabilitatem juri, à sua Majestate eidem Magistro Ioanni concesso, adiecerunt; potissimùm quia hìc agatur non de derogatione juris acquisiti (quod in dubio non præsumitur velle Pontifex vel Princeps, *l.* 2. §. *si quis à Principe D. Ne quid* 2 *in loco publ.*) sed de jure acquirendo. † Neque enim per inscriptionem in Rotulo jus aliquod in re, seu in rem acquiritur, sed est tantùm nuda annotatio ad Principis memoriam, non ex tempore inscriptionis juris alicujus concessio, ideoque sic inscripti, & nominati, exspectantes dicuntur, non provisi, *cap. ult De concess. præben.* Eique ex causa inscriptis, seu nominatis occurrente vacatione alicujus beneficij juris patronatus Principis, requiruntur formales literæ præsentationis seu collationis, quibus opus non esset, si sola inscriptio, seu Rotulus ad acquisitionem juris sufficeret. Et sibi imputare debet inscriptus, seu nominatus, quòd tempus, seu ordinem inscriptionis non observaverit, & observando à Regia Majestate, seu ejus vices gerente, occurrente vacatione, collationis & præsentationis literas non obtinuerit; prout dictus Georgius id non observavit, sed facere omisit, nunc primùm illas petendo & sollicitando post perfectam plusquam triennalem possessionem, *l. Si à sede De præb. lib. 6. c. Duobus De rescr. lib. 6. gl. & DD. an d. c. ult. c. Si soli De concess. præb. lib. 6.* Et cùm utraque pars se fundet in eodem authore, hoc est, Regia Majestate ut Comite Hannoniæ, fit, ut Magister Ioannes potior censeri debeat, quia in impetrandis literis prior fuit, *c. Qui prior De reg. iur. lib. 6.*

Cui accedit, quòd ut Pontifex concedendo 3 alicui gratiam exspectativam ad certum vel incertum beneficium, non censeatur sibi manus claudere, quin exspectantem prævenire possit, & præveniendo alteri designatum beneficium conferre, *c. Dudum c. Quamvis De præben. lib. 6.* ita quoque dici possit, quòd manus suæ Regiæ Majestatis per nominationem & inscriptionem in Rotulo de persona dicti D. Georgij factam clausæ non fuerint, quin Domina Margareta tunc Gubernatrix, & Vicaria suæ Majestatis, dictum D. Ioannem præsentare eique providere potuerit, non obstante dicta inscriptione; præsertim non concurrente dicto Domino Georgio, nec virtute illius petente literas præsentatoriales seu provisionis. † Cùm etiam 4 hoc verum sit, quòd cùm alicui ex voluntate Principis aliquid quæritur, cujus acquisitionis ipse Princeps fuit author & causa quærendi, possit ejus quoque voluntate auferri, *Petrus Rebuff. in praxi benefic. lib. 1. sub tit. de non toll. ius quæsitum gl. 6. nu.* 31. potissimùm in sola nominatione & inscriptione, seu jure exspectativo, quod absolutum non est, nec per se solum inducit acquisitionem juris irrevocabilis, sed in suspenso hærentis, & sic conditionalis; cujus revocatio facili, & in proclivi est, *l. Si ita scripsisset De legat. 2. Lud. Rom. cons.* 256. *Approbe in fine, Paulus Paris. cons.* 5. *Visto nu.* 96. *vol* 4. qualis est jus nominationis & exspectativæ gratiæ seu quodcumque aliud jus non in re, sed ad rem, *c. ult. De conces. præben. lib.* 6.

Ad secundam quæstionem dicimus, Rotulo inscriptionis nullo modo præjudicatum, tum propter iam superiùs dicta; tum etiam quòd turnus, seu ordo collationis pertinuerit pro ea vice ad Capitulum, consumptis immediatè duobus turnis, qui ex ordine Regiæ Majestati debebantur: sic quòd respectu ordinis, & vicissitudinis turnorum, si aliqua esset observandi ordinis aut inscriptionis necessitas, ex collatione Capituli id obtineri debuisset. Nec potest in Dominum & M. Ioannem eadem consideratio retorqueri, quòd ipse non à Capitulo, cujus tunc erat turnus, & ordo conferendi, seu providendi obtinuerit præsentationem & literas, & sic in eodem luto hæreat: † nam est hæc exceptio, & obiectio de 5 jure tertij, *Bart. in l.* 2. *De except rei iudic.* quo regulariter nemo suum adversarium repellere potest. Præterea hæc exceptio inefficax est reddita per accedentem dicti Capituli consensum & approbationem, quam fecit, & præstitit parendo dictis literis præsentatorialibus suæ Majestatis per Dominum & Magistrum Ioannem obtentis, & Capitulo præsentatis: eas enim admittendo, & vigore earum recipiendo, ac tanto tempore tolerando dictum M. Ioannem, juri & ordini suo renuntiasse censetur; præcipuè post decursum triennalis possessionis. * Quamvis alioqui pro- 6 babiliter sustineri posset, hujusmodi vacationem, quæ contingit ex tam atroci crimine, ob quod pœna mortis, confiscationisque bonorum infligitur, non Capitulo, sed Principi extra ordinarium turnum facere; ut confiscatione bonorum plerique existimant contineri quoque jus patronatus, quod delinquens habuit, *Gigas in tit. de crimine læsæ Maiestatis lib.* 2. *quæst.* 4. In quo tamen non consistimus; cùm ea consideratio ad tuendum jus D. Ioannis, ex provisione Principis acquisitum necessaria non sit.

Ad tertiam quæstionem dicimus, indubitatum id esse, quòd scilicet sexennalis possessio Domino Georgio nunc primùm impetranti, seu impetrare conanti literas nominationis, seu præsen-

tationis

rationis obstet: cùm sola triennalis possessio id faciat, etiam in beneficijs juris patronatus Principis; ut superiùs ad primam quæstionem diximus.

7 Ad quartam quæstionem dicimus, certum esse, quòd eadem de re semel institutâ lite, illius derelinquendæ aut mutandi judicij nulla sit potestas, *l. Vbi cæptum. De iud.* sive agatur petitorio, sive possessorio: ita tamen, ut non obstante petitorio coram judice Ecclesiastico, causa possessoria coram judice sæculari introduci possit, quia nihil commune habet proprietas cum possessione, *l. Naturaliter §. nihil commune De acquir. possess.* & quidem ex consuetudine hujus patriæ suspenso petitorio. Sed quoniam in proposita quæstione non exprimitur, quæ & qualis sit illa prior actio, & ad quid instituta, non potest satis plenè & securè huic quæstioni responderi.

Ad quintam quæstionem abundè responsum est, per ea, quæ superiùs ad primam quæstionem diximus, de præventione Papæ, aut Principis, & de non claudendâ eorum manu. * Cui 8
addimus, quòd si inscriptio, seu Rotulus necessariam ordinis observationem faceret, sic ut ei, qui in ordine est, nemo præferri possit; ex adverso quoque par necessitas incumberet nominato & inscripto, ut occurrente primâ vacatione ex jure nominationis primum vacans beneficium acceptare, & petere deberet, eâque acceptatione & petitione in tempore non factâ, jus nominationis & inscriptionis, atque Rotuli amitteret, ut expresso jure cautum est, *in c. Si clerus De præben. & dig. lib. 6.*

9 Ad sextam eamque ultimam quæstionem dicimus, jus rotuli perinde, ut aliarum nominationum subijci juris communis dispositioni; ut subijciuntur Regibus, & Principibus à Pontifice concessæ nominandi facultates, quatenus saltem specialiter nulla extat Papæ vel Principis contraria dispositio; cum à Papa ad Principem, & é diverso rectè deducatur argumentum maximè in favorabilibus, *l. Benè à Zenone & ibi Bald. nu. 10. C. De quad. præsc. c. Clerici De iudic.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio Ecclesiastica per ordinarium reservata.

1. *Pensionem qualem & quomodo Episcopus reservare possit.*
2. *Pensionis adpromissores quamdiu obligentur.*
3. *Provisio in unum casum non porrigitur in alium.*

CONSILIVM CCLXIV.

OB permutationem, quam eximius Dominus Ludovicus de Affaitadis de parochiali Ecclesia de Moll in anno 1569. fecit cum Domino Ioanne à Rubo, quia dictæ Ecclesiæ fructus longè majores erant, quàm compermutati altaris B. Mariæ virginis in Heverlis, Reverend.mus Episcopus Buscoducensis, ne inde nimium detrimentum idem Dominus Ludovicus pateretur, super fructibus dictæ Ecclesiæ de Moll eidem præfato Ludovico ordinariâ suâ auctoritate reservavit annuam pensionem per præfatum D. Ioannē dicto D Ludovico quoad vixerit singulis annis solvendam; pro cujus pensionis certiore & securiore solutione ante illius reservationem seu constitutionem, sex personæ laicæ sub obligatione suarum personarum, suorumque successorum & bonorum promiserunt dicto Domino Ludovico, quoad vixerit, hujusmodi pensionem, quavis etiam ordinariâ auctoritate reservatam & impositam seu reservandam, & imponendam singulis annis in constitutis terminis solvere, etiamsi præfatus Dominus Ioannes dictam Ecclesiam vivente Domino Ludovico resignaverit, aut dimiserit; additâ promissione, quòd si in posterum constare posset & inveniretur dictam pensionem invalidè seu minùs legitimè aut etiam insufficienter assignatam esse, tunc & in illum eventum pensionem eandem super fructibus & reditibus alterius beneficij Ecclesiastici in patria & Ducatu Brabantiæ constituti, reservari, & constitui auctoritate Apostolicâ vel ordinariâ facerent & procurarent. Soluta est hæc pensio usque ad annum 1576. quo dictus D. Ioannes mortuus est. Quæritur, an dicti adpromissores seu fideiussores obligati sint ad solutionem dictæ pensionis pro futuro tempore, quamdiu D. Ludovicus vixerit? & an ad assignationem similis pensionis super alio beneficio Ecclesiastico teneantur?

Respondeo, verendum esse, ne mortuo D. Ioanne à Rubo extincta censeatur prætacta pensio; * ideò quòd persona ejus ad illius solutionem 1
dumtaxat fuerit obligata, & in potestate Episcopi non sit regulariter pensionem reservare, nisi ad onus ejus, qui pensioni consensit; non autem sic, ut etiam successor in beneficio, super cujus fructibus pensio ab Episcopo reservata est, teneatur, vel ut onus illius transeat ad successorem in beneficio, ut facilius transit illa, quam Papa reservat, *Lud. Roman. consil. 388. In casu propositi in princ. Hieron. Gigas in tract. de pens. c. 44. Felin. in c. Ad audientiam 2. nu. 6. De rescriptis*: ideoque ut morte pensionarij, sic etiam morte ejus qui consensit, & pensione se gravari permisit, extinguitur pensio; præsertim illa, quæ loco alimentorum non est reservata: ut non est hæc, de qua quæritur; cùm causa reservationis expressa sit hęc, ne resignans ex resignatione nimium dispendium patiatur; ex quâ, aut simili causâ cùm reservatur pensio, etiam per Papam non solet ipsa dignitas aut ipsum beneficium quod resignatur vel dimittitur gravari regulariter, *c. Nisi essent De præben. in fine.* Vnde etiam est, quòd ex communi stylo Episcopi non reservent vel constituant pensionem nisi ad onus & grauamen consentientis; non cum hac clausula, quæ in Papalibus reservationibus ferè ordinaria, & vulgatis est, ut etiam ad successores in beneficio transeat. Neque magis perpetua fit ista pensio, quòd in illius reservatione, atque etiam adpromissione, & fidejussione dicatur, *quoad Dominus Ludovicus vixerit*: id enim ex obiecto, seu adjuncto restringitur ad personam & solutionem D. Ioannis seu per D. Ioannem faciendam, *Gigas d. cap. 44.* * Si itaque per mortem Domi- 2
ni Ioannis consentientis & promittentis extincta est pensio, necessariò consequitur extinctas quoque esse illius adpromissiones, & accessorias obligationes: quia principali extincto, accessio non intelligitur stare, *l. Cum prin-*

cipalis De regul. iur. l. In omnibus De solut.

Nec majores aut diuturniores vires potest habere horum appromissorum adjecta ulterior promissio de procuranda assignatione alterius super alio beneficio, si hæc prima reservatio inveniretur invalida, minus legitima, aut insufficiens: ob id, quòd conditionalis sit hæc promissio de alterius pensionis assignatione, quæ non evenit, eo quòd hæc pensio valida, legitima, & sufficiens fuerit ab initio, licet fortuito casu defecerit, qui non potest dictis adpromissoribus imputari: atque ita hæc promissio ob defectum conditionis nullius momenti est, *l. Si ita scriptum* §. 1. *De leg. 2. l. Cum centum De adimen. leg.*

3 Vt nec ex ea parte producitur dictorum appromissorum obligatio, quòd promiserint hanc pensionem solvere, etiamsi dictus D. Ioannes dictam Ecclesiam de Moll, ex cujus fructibus solvenda erat pensio, resignaverit aut dimiserit: cùm neutrum factum sit, sed ex ejus morte vacaverit, in quem casum D. Ludovicus sibi provideri non curavit, sed sibi tantùm prospexit adversus illos casus, quibus fraudulenter D. Ioannes in sua vita posset desinere esse possessor dictæ Ecclesiæ, *Gigas d. q. 44 nu. 3.* Cùm hoc præterea metuendum sit, ne ex hac re controversiâ in judicium deductâ objici, & disputari possit de nullitate hujusmodi pactionum, & promissionum tamquam illicitarum, & à jure improbatarum; ideoque consultius videatur cum his adpromissoribus amicabiliter transigere, quàm per rigorē judicij cum illis contendere.

De Præbendis & dignitatibus.

SVMMARIVM.

Pensio Ecclesiastica an inhabili ad beneficium constitui possit.

1. *Pactio de pensione solvenda & consentiendo in illius reservationem, quo iure valeat.*
2. *Pensionis incapax qui beneficij incapax est.*
3. *Pensio in fraudem reservata non valet.*
4. *Filius non potest beneficium patris assequi, nec ei reservari potest desuper pensio.*
5. *Promissio de consentiendo in pensionem quam actionem tribuat.*

CONSILIVM CCLXV.

VSv magis ac moribus, *Hier Gigas de pens. q. 5. nu. 1.* quàm jure, *Gloss. in c. Ex parte 1. De offic. deleg. Felin. in c. Ad audientiam 2. De reser.* receptum & comprobatum 1 est, † in resignationibus beneficiorum, ut pactio, seu conventio de solvenda pensione, seu de consentiendo in reservationem pensionis ex resignato beneficio sub beneplacito Sedis Apostolicæ sustineatur; cujus virtute promittens urgeri possit ad consensum in reservationem præstandam, & reservatam pensionem solvendam: ita ut ea consideratione D. Ioannes, cujus mentio fit in casu proposito, urgeri posse videatur, ut assignet & solvat pensionem Paulo, propter resignationem Canonicatus & Scholastriæ per Dominum Petrum dicti Pauli patrem illegitimum factam, interpositâ stipulatione & promissione, etiam jurata de solvenda & assignanda pensione dicto Paulo.

Verùm exactiùs re perpensâ vix est ut sustineri possit hujusmodi promissio; † idque hac præcipuè ratione, quòd illicita sit omnis pensio, & 2
multò magis promissio solvendæ pensionis, quæ illi constituitur vel promittitur, qui ipsius beneficij capax non est, *Panor. in d. cap. Ad audientiam 2. & in c. Conquerente De cler. non resident.* † quia in 3
fraudem promitti & reservari dicitur; veluti cùm Collator alicui beneficium confert, ut collatoris cognato hujusmodi beneficij per ætatem, aut alia ratione incapaci pensio reservetur super fructibus illius, aut alterius beneficij, *Gigas de pension. q. 5 in princ.* † Iam verò constat filium illegitimum be- 4
neficiati non posse adipisci beneficium patris, *c. Conquerente cum multis aliis sequen. De filijs presbyt.* & per consequens nec ei reservari ex vel super eodem beneficio pensio aliqua, *Gigas d. q. 5. in princ.* Deinde ut maximè valeat hujusmodi promissio; quia tamen illa facta est Domino Petro, non Paulo ejus filio; non potest virtute ejusdem Paulus ad illius implementum agere, *l. Stipulatio ista §. alteri De verb. obligat.* præsertim quia nullius. Notarij stipulatione interpositâ sub privatæ manus chirographo facta sit hujusmodi promissio; veluti per tacitam fidei accommodationem ad utilitatem illius, qui directè & beneficij, & pensionis futurus erat incapax, *l. In fraudem De his quibus ut ind. g.* Et præterea jure successionis, tamquam hæres non potest Paulus hanc promissionem urgere; quia hæres non est, neque esse potest, *§. fin. in Auth. Quibus mod. natur. effic. legit.* neque etiam est hujusmodi obligatio hæreditaria quatenus ad Dominum Petrum refertur. * Alioqui sanè si prædicta non 5
obstarent, potuisset D. Ioannes per præfatum Dominum Petrum urgeri ad præstandam & exequendam juratam suam promissionem non simpliciter, sed in beneplacitum Sedis Apostolicæ conceptam; & adversus recusantem potuissent impetrari literæ Apostolicæ, quibus ad constitutionem procuratoris, qui in pensionis hujusmodi reservationem consentiret, cogeretur, *Nic. Boer. decis. 205. & 207. Steph. Aufrer. decis. Tholos. 260.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio in quota fructuum.

1. *Pensio etiam in quota fructuum constitui potest.*
2. *Solvi aliud pro alio non potest etiam in donatione.*
3. *Ex promissione alternativa utrumque est in obligatione.*
4. 6. 9. L. 1. §. 1. l. Cum certum l. Cum aurum De auro & arg. leg. *intellectus.*
5. *Divisioni non subjiciuntur, sed æstimationi res quæ commodè dividi non possunt.*
7. *Hæres interdum non corpus, sed æstimationem solvendo liberatur.*
8. *Auro vel argento legato quid contineatur.*
10. *Compensatio non est inter ea, quæ diversæ naturæ sunt.*
11. *Pensio ut valeat necesse est exprimere valorem beneficij.*
12. *Pensionis excessum qui allegat probare debet.*

CON-

CONSILIVM CCLXVI.

ILLVD in definienda lite, quæ coram Reverendo D. Conservatore privilegiorum almæ Vniversitatis Studij generalis Oppidi Lovanienſis calculo ferendæ ſententiæ nunc ſubjacet, inter Remigium Alpheronymum Actorem, ac Dominum Petrum Xenemont Reum, imprimis & ante omnia diſcutiendum & reſolvendum eſt, ad quid obligatus fuerit, & ſit dictus Reus ex reſervata penſione, de qua in hac cauſa quæritur, ex Apoſtolicis Bullis, quas dictus Reus tandem poſt longam tergiverſationem abſolutè & ſimpliciter confeſſus eſt & agnovit. Vtrum namque ab adverſa parte debeatur, non ſatis intelligi, aut ſtudio diſſimulari (alterius interpretationis & intellectûs contorſione injectâ) videtur; dum paſſim in actis hujus cauſæ contendit Reus, & in eo perſeverat, quòd ratione reſervationis hujus penſionis tantùm debeat ſingulis annis viginti quatuor ducatos. † Sed in eo plurimum aberrat: nam diligenter inſpiciendo dictas Bullas tam gratioſam quàm rigoroſam, nuſquam invenitur conſtituta, aut reſervata aliqua penſio in pecunia, ſeu certa quantitate viginti quatuor Ducatorum: ſed (ut etiam Reus fatetur) in certa quota non pecuniæ (quæ quantitem facit) ſed alterius rei, quartæ ſcilicet partis omnium & ſingulorum, Canonicatus & Præbendæ Eccleſiæ S. Dionyſij Leodienſis, fructuum, redituum, & proventuum. Quæ ſanè diverſa ſunt; ut aliud eſt merx, aliud pretium, ſeu pecunia, *l. 1. in princ. De contrab. empt.* Quod apertiſſimè his inter alia verbis dictarum Bullarum declaratur: *ac Martinum & Succeſſores prædictos ad integram ſolutionem dictæ penſionis tibi faciendam iuxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos.* Et quòd in omnibus earundem Bullarum hanc clauſulam præcedentibus clauſulis, & articulis, nullius alterius reſervatæ penſionis, mentio fiat, quàm quartæ partis dictorum fructuum; nullâ prorſus factâ mentione taxationis ſeu appretiationis, & valoris eorundem fructuum, in toto vel parte: ut etjam indubitatum eſt Pontificem poſſe creare, reſervare, & conſtituere penſionem in quota parte fructuum, redituum, & proventuum beneficij; idque vel pro media, vel tertia, vel minore aliqua alia quota, *Hier. Gigas de penſ. quæſt. 8. & famil. reſponſ. ſeu conſil. 1.* Neque naturam penſionis alterat aut mutat, quòd in dictis Bullis poſtea longiore intervallo, non in diſpoſitiva parte, neque diſpoſitivè, ſed enuntiativè apponantur hæc verba: *Quorum & illis forſan annexorum fructus, reditus & proventus nonaginta ſex ducatorum Auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum ut aſſerebas non excedebant*: quia illa non ad conſtituendam æſtimationem, ſeu appretiationem dictorum fructuum, ſeu alicujus quartæ illorum, ſed ad effugiendum vitium ſurreptionis & obreptionis adjecta ſunt, *Felin. in. c. Ad aures De reſcript. Gigas conſ. 26. Quam tibi ex animo nu. 24.* ad faciliùs inducendum Sanctiſſimum Dominum Papam ad creationem & reſervationem ejuſmodi penſionis quartæ partis redituum & fructuum, non quantitativè, ſed per viam quotæ; quæ magnæ æſtimationis non eſt, cùm in præcedente parte diſpoſitiva valoris, aut æſtimationis illius quotæ nulla prorſus facta ſit mentio, eo fine, ut inde quoque taxata dici poſſit dicta quarta pars fructuum ad 24. Ducatos: ut conſentienti in reſervationem ejuſdem penſionis, & ejus ſucceſſoribus cenſeatur quoque data poteſtas, ſolutione dictorum 24. Ducatorum ſe liberare à præſtatione quartæ partis fructuum: quaſi in obligatione quidem ſit quarta pars fructuum; in ſolvendi verò facultate, ſi velit debitor, ſolutio dictæ æſtimationis, ſeu taxationis.

Sed nimis abſurdum eſt hoc dicere: cùm enim regula juris ſit, aliud pro alio invito creditori ſolvi non poſſe, *l. 2. §. 1. in fine De rebus cred.* & ſuperiùs ſatis demonſtratum ſit, aliud eſſe quotam, aliud quantitatem, aliud eſſe rem, aliud pretium, ſeu æſtimationem; conſequens quoque eſt, debitorem fructuum ſeu quotæ illorum præcisè teneri ad illorum præſtationem, quaſi genere ad ſpeciem, ſeu individuum redacto. Natis namque fructibus & preceptis, certa efficitur obligatio & reſtringitur ad corpora percepta, *l. Vbi autem §. 1. & 2 De verb. oblig.* & ſic ex poſtfacto certa afficitur, *Bart. in d. l. Vbi autem §. quidam*; neque cogitur creditor aliud, quàm ipſos fructus ſeu fructuum extantia corpora recipere: quia aliud in obligatione non eſt, neque cogitur debitor loco iſtorum æſtimationem invitus dare; quia ad illam obligatus non eſt, ſed ad ipſos fructus, *l. Si quis ſtipulatus fuerit decem in mille & ibi DD. De ſolution.* Quod non tantùm in odioſis, & exorbitantibus, inter quæ conumeratur penſionis reſervatio quoad illius originem & creationem, *Gigas de penſ. q. 96.* verùm etiam in favorabilibus obtinet. Vnde eſt, quòd non audiatur hæres nec liberetur, ſi cum ab eo poculum aut quævis alia res legata eſt alicui, oblatâ æſtimatione à legatario liberari velit, & rem retinere, *l. Si domus §. cum alicui De leg. 1.* Hinc etiam eſt, quòd cui ex donationis cauſa res ſeu ſpecies aliqua certa donata, non tamen ei tradita eſt, poſſit donatorem etiam invitum cogere ad corpus rei donatæ tradendum. Imò (quod huc propiùs pertinet) ſi quis univerſitatis donationem faciat, veluti omnium fructuum, aut partis alicujus illorum; ut potè dimidiæ, tertiæ, quartæ, ſeu alterius, cogi poteſt, ut ea ipſa pars non per æſtimationem, ſed rerum ſeu corporum præſtationem tradatur, *l. Si quis argentum §. ſed etiamſi quis C. De donation.* alioqui invito creditori aliud pro alio ſolveretur in genere, *arg. l. Si vina in fine De peric. & commodo rei vend.* & abſurdum eſſet, ut cogi poſſit creditor recipere à ſuo debitore, quod ut idem ſolveret jure obligationis cogere eum non poſſet; quia id exigendo, & ſic re plus petendo periculum cauſæ ſibi ſuperinduceret, *c. 1. & ibi DD. De plus petit. §. ſi quis agens. verſ. ſed hæc hodie Inſtit. De action.*

Neque parti Rei ſuffragari poteſt, quòd Pomponius reſpondit, *in l. Non amplius §. cum bonorum De leg. 1.* bonorum certâ parte legatâ, ſuccurſi

curri hæredi, ut ipse eligat, sive rerum partes, sive æstimationem dare maluerit; & quod idem Pomponius rursus alio loco respondit, *in l. 1. §. 1. De auro & arg. legato*, hæredem, qui certum pondus argenti alicui dare jussus est, liberari ipso jure dando pecuniam numeratam; cui consonat Modestini responsum, *d. l. Cum certum eod. tit.* atque etiam Vlpianni, *l. Cum aurum in princ. eod. tit.* legato auri vel argenti certo pondere, non materiam, sed pretium præstari debere, magisque quantitatem legatam videri. Sic quod idem constituendum quoque videatur in reservatione hujus pensionis, ut possessori beneficij liberum sit, utrum malit præstare: potissimùm propter æstimationem omnium fructuum seu bonorum ipsius beneficij
3 semel expressam; † quasi sit alternativa, in qua res, quæ sub alternatione promittuntur, ad obligationem quoque poni, *l. Si duo patroni. in fine De verb. oblig.* & in obligatione esse dicuntur, *l. Illud De const. pecunia*; & regulariter in facultate debitoris est, utram solvendo, obligationem, & actionem extinguat, *c. In alternativis De reg. iur. lib. 6.* non
4 ipsius creditoris, utram petat. * Non potest, inquam, hæc juris consideratio Reo in hac re suffragari: nam refert Pomponius *in d. l. Non amplius §. cum bonorum*, articulum hunc juris suo tempore admodum controversum & dissensionibus, ac sectis Proculianorum & Sabinianorum fuisse involutum: Proculianis existimantibus rerum partes in obligatione & solutione tantum esse; Sabinianis æstimationem. Proculus strictam juris rationem sequebatur; quia aliud pro alio invito creditori solvi non posset, *l. 2. §. mutui datio De reb. cred.* Sabinus non multum interesse existimabat, æstimatio an res præstaretur; quia pecuniâ omnes res æstimentur. In hac controversia inter Proculum & Sabinum, Pomponius sic rem temperavit, ut uno casu æstimatio ab hærede omninò præstanda sit, si res vel naturaliter indivisæ sint, vel sine damno earum divisio fieri non possit;
5 * ut etiam observatur in judicijs familiæ erciscundæ & communi dividundo; ut cùm res commode dividi non possunt, uni hæredum illæ adjudicentur, & is invicem in certa pecunia alteri condemnetur per arbitrum, *§. si familiæ Instit De off. iud. l. 1. c. Communi. divid.* ad vitandam difficultatem, incommoditatem, & discordias, quas communio rerum excitare solet, *l. Cum pater §. dulcissimis De leg. 2. Io. de Imola in d. §. cum bonorum nu. 4.* & quòd res communes plerumque negligi soleant, *l. 2. C. Quando & quibus quarta lib. 10.* Quæ etiam ratio est, cur quis invitus in communione retineri non possit, *l. Si non sortem §. si centum De condict. indeb.* nec novum, aut mirum sit, aliquid in solutione, seu solvendi facultate esse, quod non sit in obligatione, *d. l. Si quis stipulatus decem De solut.* Vt verò altero casu in rebus, quæ sine damno dividi possunt, hæredi permittatur electio, sive rerum, hoc est corporum, quæ in bonis sunt partes sive æstimationem dare voluerit.

6 Etsi enim verius sit, quod Proculus existimabat, & Bartolus cæterique cum sequuti, magis ac magis probare videntur, *in d. l. Non amplius §. cum bonorum*, in obligatione tantùm res ipsas esse; vel eo argumento, quod certâ bonorum parte legatâ ex mora hæredis non usuræ, ut fit pecuniâ seu æstimatione legatâ, sed fructus rerum præstentur, *l. Si quis bonorum De legat. 1.* ut observatur in legatis rebus, *l. Vsura De verb. signif. l. 1. & ult. C. De usu & fructib. legat.* censuit tamen Pomponius benè, in hac ambiguitate & concursu repugnantium, seu dissidentium rationum, non rigorem juris, quem Proculus sequutus est, ut res ipsa scilicet, non pretium solvatur, *d. l. Non amplius §. cum bonorum*, cùm æstimatio in obligatione non sit, sed benignitatem esse sequendam, *d. l. Non amplius §. cum bonorum*; cum generaliter bona sit ratio recedendi à subtilitate & rigore juris, ex occasione utilitatis, æquitatis, & humanitatis, *l. Capienda D. De reg. iur. &*, ut paulò antè diximus, novum non sit, pleriſque casibus aliud esse in obligatione, aliud in solutione, Doct. *in d. l. 2. §. mutui datio.*

Quo exemplo, & in singulis rebus, seu cor- 7
poribus legatis interdum à regula receditur, & hæredi permittitur, retentâ re legatâ, ut se liberare possit solvendo æstimationem rei, si probabilem affectionem ex ipsa re habeat, aut aliter ejus sine damno legatarij interfit, *d. l. Si domus §. penult. De legat. 1.* Quod & in pœnalibus admittitur, veluti in servo actore, qui in commissum recidit, ideoque non venire, seu vendi debet, sed pro eo viri boni arbitratu æstimatio præstanda, *l. Interdum De pub. & vectigal.* Eoque pertinent verba Pomponij hæc, *in d. §. cum, bonorum, Sed oportet hæredi succurri*: hoc est secundùm rigorem præstandas esse partes rerum, sed æquum esse & utile hæredi succurri, eique indulgeri, ut possit solvere, vel res, vel æstimationem. Et quod hæredi potiùs in hoc casu, quàm legatario succurrendum sit, notum ex eo est, quòd id magis conveniat voluntati testatoris, & quod generaliter in dubio ea interpretatio sequenda non sit, quæ hæredem magis onerat, *l. Vnum ex familia §. si rem De leg. 2. l. Stichon fine De usu & usufr. leg.* & quòd debitoris causa in electione semper sit favorabilior, *l. Plerumque in fine De iureiur.* Sic quod satis constet, speciem illam à Pomponio propositam à juris communis regulis recedere, & special ejus, seu singulare contra tenorem rationis propter aliquam utilitatē continere; ideoque ex ea regulā juris non posse constitui, nec illam ad consequentiam producendam esse, *l. Quod vero De legib. Nicol. Everardi Præses in loco à speciali.* Quod nullam dubitationem habet; cùm extet aperta Iustiniani definitio in donatione certæ pecuniæ, substantiæ, seu bonorum donatoris, *d. l. Si quis argentum §. sed & si quis universitatis*; nec ulla sit ratio, cur in parte bonorum, sub qua non tantum jura, sed etiam corpora contineri possunt, idem non obtineat, quod constitutum est in singulis vel pluribus rebus legatis, *d. l. Si domus § cum alicui poculum.*

Pariformiter quod ex alijs ejusdem Pompo- 8
nij, *d. l. 1. De auro & arg. legato*, Modestini, *d. l. Cum certum*, ac Vlpiani, *d. l. Cum aurum post princ.* responsis profertur, ipso jure liberari hæredem, si pro certo pondere auri vel argenti legato, pecuniam numeratam legatario det, aliam rationem habet; hanc scilicet, quòd certæ rei

legatum

legatum non sit, sed generis non comprehensi sub certa specie, quod repræsentari, imò formaliter & propriè secundùm formam legati per numeratam pecuniam præstari dicitur; & sic numerata pecunia, ex qua legatum pondus conficitur, non pro æstimatione, sed pro materia magis accipitur; ob id, quòd species auri & argenti signati sit de eadē materia, & facilè reducibilis in effectu ad ipsum relictum, & conflata seu ad eandem materiam redacta, iterum reducibilis ad materiam signatam, *Ioan. de Imola in d. §. cum bonorum nu. 4. & in l. Si domus §. in pecunia n. 8.* sic ut facilè hæc convertantur, & inter illa non sit discrimen in effectu juris considerabile. Imò legatario id magis prodest, habere legatū pondus potiùs in signata pecunia, quàm in rudi massa seu materia, aut in alio auro & argento non signato, sed facto, ob id, quòd signata pecunia seu nummi ad expositionem & erogationem semper sint parati, non perinde factum, aut infectum aurum vel argentum. Quæ etiam ratio est, quod non certo pondere, sed auro, & argento testatoris relicto, contineatur tantùm factum & infectum argentum, non signata pecunia, seu nummi, *d. l. Cum aurum in princ. l. Quintus Mutius §. 1. De auro & arg. legato, Franc. Marcus decis. Delph. 50. parte 1.*

Ex quibus omnibus satis demonstratum est, in hac causa retinendam, & sequendam esse comunem juris regulam, *d. l. 2. §. mutui in fine l. Eum à quo C. De solut.* hoc est Actorem hujus causæ non esse cogendum, ut viginti quatuor Ducatos pro quarta parre fructuum recipiat; cùm in obligatione tantùm sit quarta pars fructuum, & minimè nonaginta sex Ducatorum, imò nec in solutione, seu solvendi facultate. Vsque adeò ut nec illud Actori obesse possit, quòd illius non interfit, utrum accipiat, fructus, an Ducatos; quasi in Ducatis fructus, & in fructibus Ducatos habeat, & hæc inter se functionem mutuamque compensationem admittere videantur, per solutionem potiùs, quàm per speciem; ut omnia quæ numero, pondere, aut mensura constant, *d. l. 2. § mutui* & cùm non intereſt, iniquum est eo nomine actionem seu replicationem dari; sed æquum sit exceptione, *Tua non interest*, agentem repelli, *Castren. in l. 1. C. Sine censu, vel reliq.* Nam hæc consideratio inepta est, propterea quòd, ut diximus, in obligatione sit tantùm quarta pars fructuum, non viginti quatuor Ducati, qui ne quidem in solutione, seu solvendi facultate sunt, & quos si actor petijsset, exceptione repelli poterat. Neque rectè dicitur, non interesse, utrum Actor habeat: non enim quatenus, & quanti ejus interfit inspicitur, sed quæ sit conditio ipsius obligationis, & inde consurgens necessitatis vinculum, *l. Stipulatio ista §. alteri De verbor. obligat.* cujus fines ut non potest Actor excedere, ita nec Reus ab illis recedere.

10 Quæ ratio etiam est, cur inter ea compensatio non admittatur: quia quę diversa & diversæ naturæ sunt, ad compensationem functionemque idonea non sunt, *gl. in l. ult. C. De compens.* non tantùm species & certa corpora, verum etiam quæ functionem in genere suo recipiunt, si non eiusdem quoque generis sit quod petitur. Vsque adeò ut diversitas generis, functionem & compensationem impediat; veluti si pro tritico vinum offeratur, aut pecunia, *d. l. 2. §. mutui d. l. Eum à quo*, & eatenus metimur interesse Actoris, quia scilicet ita conventum est. Et in propositio ex consensu tam pendentis, quàm recipientis pensionem per Sedem Apostolicam constituta est pensio non in Ducatis, sed in quarta parte fructuum. Cùm alioqui aliud quoque interesse hîc considerari possit, cur scilicet interfit Actoris potiùs habere fructus, seu fructuum species; cùm incidere possit casus (ut hoc anno & plerisque alijs præcedentibus in magna frumenti caritate contigit) quo expediat Actori frumentum potiùs, quàm illius pretium habere; veluti ad alendum se, & familiam suam, & ad illud; cùm pluris est, in tempore distrahendum; item ad servandum in tempus, quo pluris erit. Versatur enim hujusmodi interesse circa rem, & ejus pretium; & intrinsecum est, seu connexum, atque ex constitutione Iustiniani etiam in lucro captando considerabile, *l. 1. in fine C. De sentent. quæ pro eo quod interest, gl. in l. Si sterilis § cum per venditorem De act. empti. & vend.* & absurdum foret Reo permitti, ut in caritate frugum æstimationem viginti quatuor Ducatorum dare & solvere posset; in earum verò vilitate, aut sterilitate, quartam partem earum in specie præstare. Et quod Reus existimat S. D. Papæ mentem & intentionem fuisse, obligationem hujus pensionis restringere ad viginti quatuor ducatos; ut ij vel soli, vel saltem sub alternatione ad obligationem positi censeantur, & sic in facultate Rei sit quandocumque alterutrum & utrum velit solvere, *l. Si duo De verb. obl. d. l. plerumque in fine*, ex eo quod ex relatione & narratione Actoris omnes fructus hujus beneficij sint taxati ad nonaginta sex ducatos, eo valore diffuso propotrionabiliter per omnes & singulas dictæ æstimationis totius partes, *l. Quæ de tota De rei vindic.* admodum improbabile est, tum propter causas superiùs dictas, tum quòd, ut superiùs etiam dictum est, expressio valoris non respiciat rem, seu id, quod pro pensione constituitur, sed ipsam impetrationem reservationis in genere. * ob id, quòd per regulas Can- 11
cellariæ Apostolicæ ad impetrationem pensionis, ut etiam beneficiorum, necessaria sit expressio annui valoris beneficij, quod impetratur, *Reg. Cancell. de val. expr. in impet. benefic. & ad illam Lud. Gomes.* non quidem ad substantiam impetrationis, sed ad effectum avertendæ surreptionis, & quòd expressio valoris sit potiùs (ut inquit Ludovicus Gomesius *ad d. reg. Cancell. q. 8. num. 5.*) ex stilo propter dictam regulam Cancellariæ, si nullus valor exprimeretur, quàm de jure, *Gl. in Clem. 1. De præben.* Neque id est contra mentem aut intentionem Pontificis reservantis; quia constat ex parte dispositiva dictarum Bullarum, quòd voluerit Pontifex reservari quartam partem fructuum, non quartam partem expressi valoris, cùm hæc diversa sint, & unius tantùm expressio facta sit in parte dispositiva: unde meritò in reservatione fructuum pro pensione, nullus est habendus respectus ad valorem, qui in parte narrativa seu enunciativa exprimitur. Neque id similiter dici potest esse contra mentem resignantis,

& resignatarij, qui sub beneplacito Sedis Apostolicæ pacti sunt præcisè de quarta parte fructuum, non æstimationis; cùm in dubio mens resignantis inspici debeat, quia agit, & certat de damno vitando, cùm resignatarius certet de lucro captando: atque ita judicatum esse in auditorio Rotæ Romanæ testatur Lud. Gomesius, *d. quæst. 8. nu. 4.* Et quando ita hominum mores sunt, ut plus tribuant mortuæ, quàm viventis voci seu testimonio, & interdum mortuorum Doctorum suffragijs postponant etiam Iuris evidentes rationes, quales aliquot ad definitionem præsentis controversiæ superiùs nos adduxisse putamus, proferimus & indicamus D. Hieronymi Gigantis in materia pensionum versatissimi Interpretis quoddam responsum, seu consilium, *resp. 26. incip. Quam tibi*; in quo in simili, imò penè eadem causa reservatæ pensionis tertiæ partis fructuum beneficij, cujus valor ad sexaginta ducatos de Camera expressus fuit, respondit tertiam partem fructuum, qui colligerentur ex ipso beneficio, non viginti ducatos, qui sunt tertia pars sexaginta Ducatorum deberi. Quod indicasse & ad illum remisisse satis est: continet enim rationem contrariam seu dubitandi ac decidendi examinationem & discussionem: ita quod inde, & ex prædictis satis percipiatur Actoris plurimùm interesse, asserere, & defendere obligationem in dictis Bullis ad quartam partem fructuũ constitutam & restrictam, & minimè ad expressum valorem viginti quatuor Ducatorum; ideoque fieri posse, ut Actoris latiùs interesit, habere quartam partem fructuum, qui ex fertilitate annorum, & eorundem caritate longissimè excedere possent quartam partem viginti quatuor Ducatorum; & minimè quartam partem fructuum. De quo tamen excessu ex parte Rei nihil proponitur, tam quoad fructus, quàm viginti quatuor ducatos, nec hic contra Actorem præ-
12 sumi potest. * Nam alleganti excessum incumbit onus probandi, non ei, qui pro modo valoris & quantitatis stat, *Gigas de pension. q. 9. nu. 9.*

Et sic finem faciendo concludimus in potestate quidem Actoris esse, ut si velit, admittere possit solutionem 24 Ducatorum, non etiam si nolit tam sine causa, quàm ex justa causa; ideoque Reum condemnandum esse, ut quantò minus ex consensu, & velut necessaria conniventia Actoris in hac lite post consumptos per Reum ejusdem quartæ partis fructus consignavit, superaddat, quanto pluris esse comperietur, in eadem quarta parte fructuum pro annis, pro quibus in hac causa agitur: condemnando ob id Reum, qui hujusmodi quartam partem fructuum recepit, ut Actori rationes & reliqua detractis solutis reddat, unà cum expensis hujus litis.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio super fructibus à quo peti possit.

1. 3. *Pensionis solutio à quo exigi possit gravato non residente in beneficio.*
2. *Capitulum sede vacante confert beneficia, cui ipsa dignitas conferre tenetur.*
4. *Arresto in rebus posito, an etiam persona ipsa conveniatur.*

CONSILIVM CCLXVII.

PEr nominationem seu præsentationem Regiæ Catholicæ Majestatis vigore certi indulti Apostolici D. Hubertus de la Torre V. I. Doctor obtinuit Decanatum S. Odæ Rhodensis; in cujus adeptione consentijt in reservationem pensionis annuæ trecentorum florenorum Petro Armentiers personæ dictæ Regiæ Majestati gratæ & acceptæ: factâ desuper promissione in forma Cameralis obligationis de solvenda hujusmodi pensione, visâ nudâ signaturâ, quæ per Sedem Apostolicam dicto Petro concessa est. Cujus prætacti Decanatus conditio illa est, quod non residente Decano fructus pertineant ad Capitulum. Quæritur, à quo hujusmodi pensio quamdiu Decanus non residet, peti possit; an ab ipso Decano, an verò à Capitulo; & an arresto fructibus prædicti Decanatus impositio, simul etiam personali actione adversus dictum Decanum procedi posset?

Quam quæstionem paucis resolvendo dicimus, pensionem indubitatè deberi; nisi ex aliqua causa prætacta signatura de surreptione, aut obreptione, aut ex alia causa extrinsecus oppugnari, & subverti possit: de quo nihil proponitur. † I Ejus autem petitio dirigi potest primò adversus ipsum Dominum Decanum consentientem ac promittentem, *c. Nisi esset De præben.*

Nec quicquam facit, quòd Decanus non resideat: nam primùm hoc illi ad culpam refertur; cum clerici sit in suo beneficio præsertim dignitatem aut curam animarum habente residere, *c. Quia nonnulli cum alijs De cler. non resident.* & non residenti ut minimùm subtrahantur fructus, *c. penult. De cleric. non resid.* sic ut, cùm per eum stet, excusationem inde desumere non possit. Qui enim facit quò minus possit, pro eo habetur, ac si posset, *l. Qui potest facere De reg. iur.* ut nec damnum sentire intelligitur, quod quis ex sua culpa sentit, *l. Quod quis ex culpa De reg. iuris*; cùm factum cuique suum, non adversario ejus, nocere debeat, *l. Factum De reg. iur.* Itaque propter obligationem, quæ non tantùm effectum realem habet quoad fructus, sed etiam personalis est, & promittenti, consentientiique cohæret, quamdiu beneficium habet, *d. cap. Nisi essent*, rectè conveniri poterit ipse Decanus, etiamsi fructus non percipiat ex facto proprio, quod aliquo modo illi ad culpam refertur, & reprehensionem meretur, *Barthol. Belenzinus tract. de charitat. subsidio q. 34. nu. 3. Gigas de pens. q. 62. n. 9.*

Dubium quoque non est, quin eo nomine etiam Capitulum conveniri poterit; quia ita concepta sunt verba signaturæ seu reservationis Apostolicæ, quòd fructus quoque dicti Decanatus censeatur obligati: ut communiter in reservatione pensionis Ecclesiasticæ fieri solet, per hæc verba, *Super fructibus* &c Ita ut non tantùm ipsi consentienti, ac promittenti noceat hujusmodi reservatio, sed & futuro successori, qui non consentijt, etiamsi illius mentio in genere non sit facta, *Lud. Roman. consil. 388. Redditus dictæ mensæ*: quanto magis in proposito, ubi in signatura expressè cavetur, hanc pensionem

nem ad successorem transituram; sive sit successor in beneficio, etiamsi per mille manus transiret beneficium, *Gigas de pens. d. q. 62. nu. 1.* sive successor in fructibus. Ita enim vacante beneficio is, ad quem vel pleno jure, vel jure administrationis tantùm, pertinet dispositio fructuum beneficij, ob hujusmodi pensionem durâte vacatione conveniri potest, *Gigas, d. q. 62. nu. 2.* Cum enim quacumque ex causa dignitatis aut beneficij administratio, etiam cum emolumento perceptionis fructuũ devolvitur ad Capitulum, aut alium; eodem loco
2 est Capitulum, seu devolutarius, quo ipse, ad quem beneficium pertinet, *c. Eam te De rescrip.* † ideoque vacante dignitate Capitulum conferre debet beneficia, quibus possessor dignitatis deberet, *Clem. 1. & ibi Zabarel. nu. 11. De supplen. negl. prælat. Rebuffus in tract. nominat. q. 8. nu. 11.* res enim
3 transit cum suo onere, & qualitate, *l. Alienatio De contrah. empt. Lud. Roman. singul. 478.* * Vnde etiam est, quòd si lite inter duos super beneficio pendente, fructus sint sequestrati, sequester pensionis super illo reservatæ nomine à pensionario conveniri, & exigi possit, *Gigas de pens. q. 72.*

De quo hîc nihil dubitandum est, ex quo dicta signatura expressam continet successorum in hac dignitate mentionem: quâ etiam omissâ, ut dictum est, Capitulum rectè conveniretur, propter ipsam fructuum perceptionem; quia fructus pro hac pensione obligati & hypothecati sunt; ideoque propter perceptionem rei hypothecatæ, rectè adversus Capitulum dirigitur actio, *Gigas de pensio. q. 39. nu. 7.* ita ut stante hac reservatione non videam, quâ ratione Capitulum, quod ex accidenti loco sui Prælati venit ad fructuum perceptionem, solutionem pensionis subterfugere possit, etiamsi cum consensu Capituli hæc reservatio facta non sit; quia sufficit consensus ejus, ad quem tunc pertinebat ipsa Decanalis dignitas, quo tempore Capitulum propinquum & considerabile interesse non habebat, & istud quod supervenit accidentarium tantùm ac temporale sit; accidentariæ autem causæ semper prævaleat naturalis & ordinaria, *l. 3. & ibi Bart. De tutel.* Sic quòd, si Pensionarius omisso Capitulo Dominum Decanum non residentem conveniret, per Decanum cogi posset ad hujusmodi solutionem vel soluti
14 per ipsum restitutionem.

De arresto hoc respondemus, quod jure quidem communi id non permittatur, ut inde incipiat lis, *l. 1. C. De prohib. sequest. pec.* consuetudine interim id passim recipitur: quod in proposito facilius admittendum videtur, propter jus reale in fructibus, ut dictum est. Sed an eo arresto facto D. Decanus quoque conveniri possit, justiorem habet dubitationem; ob id, quòd arrestum non sit solutio, & arrestum rei cum conventione personæ obligatæ, tendant ad eundem finem exactionis, *Hippol. de Marsil. singul. 398.* Sed verius videtur, quòd stante hoc arresto Decanus conveniri non possit; ob id, quòd arrestum sit ipsius rei, an & unde debeatur. Ita ut quemadmodum desertâ re, quæ obligata est, & ob quam quis in obligationem venit, obligatione liberatur, *Bart. & alij in l. Is cum quo De aqua pluvia arcen.* ita quoque per creditorem eâdem occupatâ. Cùm alioqui arresti, & capturæ, seu conventionis personæ remedia non semper concurrant, *Bald. cons. 285. Quia non est opus vol. 1.*

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio an alteri tertio constitui possit.

1. *Pensio reservari potest tertio.*
2. *Promissa pensione tertio ad stipulationem alterius, an tertius actionem habeat.*
3. *Alteri facta stipulatio sub iuramento valet, & quomodo.*
4. *Promissio conditionalis actionem statim non tribuit.*
5. *Frater fratri stipulando non acquirit.*
6. *Pensio per contractum matrimonij extinguitur.*
7. *Denunciationis evangelicæ usus.*

CONSILIVM CCLXVIII.

DIFFICVLTATEM habet quæstio, quæ ex proposito facto pro parte D. Ioannis le Cocq exoritur. † Nam licet dubiũ 1
non sit, quin possit per Papam tertio alicui, qui inter compermutantes non est, in gratiam alterutrius compermutantium super uno ex compermutantis beneficijs pensio reservari propter S. D. Papæ in & super beneficijs latissimam, amplissimamque potestatem, *Clem. 1. in fine Ne lite pend. c. 2. De præben. lib. 6. Gigas cons. 38. Scripsisti nu. 7.* * nulla tamen competere 2
potest huic tertio actio adversus compermutantẽ ac promittentẽ consensum in reservationem pensionis in favorem tertij: quia promissio tertio, qui absens erat, facta non est, sed compermutanti, nemine nomine absentis specialiter stipulante. Repugnat etenim juris regula, quòd nemo alteri utiliter stipuletur, §. *alteri Inst. De mutil. stipulat.* nemoque ex alterius stipulatione agat, *l. Solvendo De neg. gest. l. Vti frui Si usuf. pet.* Neque ad rem facit, quod Magister Petrus le Comte sub juramento promiserit exsolvere dicto D. Ioanni conventam pensionem: * nam etsi communiter tra- 3
datur interposito juramento utiliter quemque alteri stipulari posse, *Gloss. in c. Quoties 1. q. 7. Doct. in l. Stipulatio ista §. alteri De verb. oblig. Alciat. in c. Cum contingat nu. 112. De iureiur.* id tamen tantùm referendum videtur ad hoc, ut detur ipsi stipulanti ad compellendum, non tertio ad exigendum actio. Et præterea juramentum non est hîc appositum promissioni de consentiendo in reservationem, de cujus executione, & implemento hic agitur; † sed de facienda solutione pensio- 4
nis, cùm per nudam signaturam reservata erit, quod nondum factum est: ita ut ex hac conditionali promissione nondum purificatâ conditione agi nequeat, *l. Cum centum De adimen. leg. l. Si quis fundum in fin. De contrah. empt.*

Neque ad rem facit, quod Domino Petro le Cocq fratri Domini Ioannis facta sit hæc promissio, ac per patrem utriusque contractui subscriptum: † nam necfrater fratri stipulando acquirit, 5
etiam si inter eos versetur interesse affectionis, *Gloss. in l. Fideiussoris De pact. Zas. in d. §. alteri nu. 11.* & si quod fortè fuit Magistri Petri interesse, propter dimissionem pinguioris beneficij, id planè resolutum fuit per subsequens illius matrimonium, ante expeditionem reservationis interveniens;

6 veniens; † cùm etiamsi ipsi fuisset promissa, imò reservata pensio, sic extingueretur, *Gigas de pens. q.* 54. Et quamvis pater rectè stipuletur filio, §. *et verò Inst. De inutil. stipul.* tamen hîc nulla est patris stipulatio, sed tantùm nuda pro testimonio
7 subscriptio. * Sanè ex denuntiatione evangelica aliquo modo succurri posse videtur D. Ioanni; quâ per judicem D. Petrus admoneatur, ut promissioni suæ satisfaciat, *iuxta c. Novit De iudic.* Sed tamen tam certa non est hæc via, quin eam fallere possit D. Petrus le Comte, si non eum magis pudor, quàm juris vinculum ad observationem pactorum hujusmodi urgeat.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis continuatio per interdictum possessorium.

1. *Appellatio à possessorio an permissa sit.*
2. *Appellari potest à recredentia.*
3. *Solutionem denegans spoliare, non turbare dicitur.*
4. *Interdictum retinendæ cui detur.*
5. *Pensionem successor in beneficio quando denegare possit.*
6. *Pensionis possessio quomodo acquiratur.*
7. *Pensionarius quando urgere possit successorem in beneficio ad continuationem solutionis.*
8. *Pensionarius an & quomodo cogere possit successorem in beneficio gravato ad promptam solutionem.*
9. *Exceptiones habentes locum in foro ecclesiastico debent etiam admitti in foro seculari.*
10. *Usufructuario an & quando detur interdictum possessorium.*
11. *Solutio pensionis per tertium facta quando recipientem constituat in possessione.*
12. *Interdicto obtinere non potest qui clam possidet.*
13. *Beneficij non est successio.*
14. *Executionem assumere videtur qui legatum pro executione relictum agnoscit.*
15. *Possessio vitiosa non prodest.*
16. *Pensio literis non expeditis an peti aut solvi possit.*
17. 19. *Signatura nuda quid operetur.*
18. *Regula Cancellariæ Apostolicæ de non indicendo literis non expeditis.*

CONSILIVM CCLXIX.

EXTRA controversiam id primùm est in hac appellationis, seu reformationis causa, quæ in Amplissimo Regio Concilio introducta est pro parte D. Godefridi wytfliet appellantis à sententia in Provinciali Concilio Flandriæ secundùm D. Gerardum de Haen originalem Actorem lata, appellationem hanc, quamvis interposita sit à sententia super sola possessione lata, recipiendam & admittendam esse.

1 † Nam quamvis plurimi existiment à sententia super possessorio lata jure civili appellari non posse, *l. 1. C. Si de momen. possess. & ibi gl. & Doct. Phil. Dec. cons. 28. pro tenui nu. 2.* usus tamen & praxis communis per totum orbem aliam facit constitutionis civilis, *d. l. 1.* interpretationem; ut appellari quidem possit, sed non obstante appellatione sententia executioni mandari possit: cùm alioqui appellationis communis & regularis effectus sit executionem impedire, ac judicatum suspendere, *l. Tale pactum §. 1. De pact. l. Si causa C. De transaction.* eáque ex parte sententia super possessorio differat à sententia super petitorio, quæ appellationem remoratur, *l. 1. Nihil novan. appel. interpos.* Vnde fit, ut quæ olim multis (idque rationibus non satis probabilibus) improbabatur Bartoli, *in l. 2. D. De appel. recip.* sententia velut totius orbis communi consensu recepta sit, ut perinde appellari possit à possessorio, ut à petitorio, servato illo discrimine impediendæ, vel non impediendæ executionis, *Bald. in l. 2. C. De Epis. audient. Panor. in c. Cum ad sedem De restit. spoliat. Ias. cons. 187. circa primum vol. 2. Paulus Paris cons. l. 108. De bono iure nu. 20. vol. 1. Rebuff. ad constitut. regias tit. de sent. execut. art. 5. Glos. 3. vol. 1. & in tit. de mater. poss. art. 5. Gl. 1. nu. 18. vol. 3.* † Quinimò receptum 2
est, quod in causa possessorij à decreto fiduciariæ possessionis, seu recredentiæ appellari possit; quamvis non obstante appellatione executio decreti fiat, *Rebuff. ad const. regias tit. de senten. exec. in præfat. nu. 28. & art. 1. gl. 14.*

Præsuppositaque itaque facultate appellandi, quæramus de appellationis justitia. Agit Dominus Gerardus originalis Actor in hac causa interdicto retinendæ possessionis: contendit enim se manutenendum esse in possessione, ac saisina percipiendæ annuæ pensionis decem librarum Grossorum Flan- 3
driæ. † Quæ formula non admodum idonea & receptibilis videtur, cùm ex denegata per debitorem solutione pensionis, quæ præstari solebat, interdictum potiùs recuperatorium, seu redintegrandæ possessionis competat, *Phil. Dec. cons. 136. In causa Reverend. Gig. in tract. de pension. c. 47. Guido Papæ decis. 629.* Qui enim denegat solutionem, non turbare possessionem, sed spoliare dicitur, *c. Querelam & ibi Doct. De elect. Ioan. Bapt. Ferret. cons. 204. In causa D. Hieronymi n. 3.* præsertim in hoc articulo, in quo qui debitor dicitur denegando solutionem non prætendit se ejus rei, cujus possessionem interdicendo creditor retinere laborat, possessorem esse: cùm nulla intelligi possit possessio proprij debiti, quo quis alij obstringitur; & debito ad debitorẽ reverso, per successionem, vel aliam causam, illud ampliùs non subsistat, sed protinùs extinguatur, *l. Stichum §. additio De solut.*

* Interdicti autem retinendæ possessionis usus 4
plerumque inter eos incidit, qui utrimque se possidere contendunt, *l. 1. §. 1. versic. sed si inter ipsos D. Vti possidetis.* Vnde cùm ineptitudo sit in formula petitionis & conclusionis; videtur quod non subsistat sententia secundùm terminos & limites ejusdem ineptæ conclusionis lata; ut meritò ab ea provocari potuerit.

Sed ne laqueis, & scrupulositati formulæ insi- 5
stamus, sepositâ illâ consideratione, dicimus sententiam alijs ex causis injustam esse: ob id, quòd quamvis pensionatio per successorem illius, qui in reservationem pensionis consensit, & beneficium, super quo assignata est pensio, possidet, non possit denegari solutio, & continuatio solutionis pensionis, quam prædecessor ejus pluribus annis solvit, *Decius d. cons. 136.* & deneganti occurri possit executivo remedio spolij solutionis, & redintegrationis possessionis, *Guido Papa d. decis. 629.*

629. *Gigas d. quæst. 47. & cons. 32. Integerrimum nu. 3. Rot. decis 11. aliàs est 3. Nota quod sicut De restit. spoliator. in antiq.* idem tamen non obtinet, cùm neque is, qui reservationi pensionis consensit, neque ejus successor, qui denegando spoliare dicitur, numquam hujusmodi pensionem solverunt;
6 † sine solutione enim non potest hujus juris incorporalis aliqua possessio acquiri. Consistit etenim hujusmodi jus ante solutionem in terminis nudi juris & nudæ obligationis; & in incorporalibus juribus, ut illorum non vera (quia id fieri non potest, *l. 3. in princ. De acquir. possess.*) sed quasi possessio acquiritur, requiritur usus, & exercitium juris ipsius, concurrente scientiâ, patientiâ ac voluntate illius, qui ad hujusmodi juris præstationem obligatur, *l. Si ego §. 1. De public. in rem act. l. 3. §. dare De usufructu.* Sic quòd in annua præstatione ad adipiscendam illius possessionem requiratur factum præstantis, seu solventis, & recipientis, *Angel. in l. Si servus testamento De stipul. servor. DD. in l. Si certis annis C. De pact. Castren. in l. Regulariter nu. 9. De petit. hared.* Iam verò in proposito evidenter constat, D. Ludovicum vanden Eynde, qui in hujusmodi pensionis reservationem consensisse dicitur, in vita sua numquam solvisse hanc decem librarum pensionem, imò nec debitè solvere potuisse: ita enim concepta invenitur ea reservatio, ut illius obligatio conditionalis, & ex die fuerit, contracta scilicet post mortem Ponti de Wingnicourt, *l. 4 Quando dies leg. vel fideicommissi ced.* ita quod vivente Ponto obligatio perfecta non fuerit, multò minus possessio aliqua hujus annuę prestationis prętexi, aut usurpari potuerit, *l. cedere diem De verbor. signif.*

Cùm igitur Pontus, vel postero vel eodem die mortuus sit, quo Dominus Ludovicus, non potuit Domino Ludovico cedere aliquis dies solutionis; quasi quoad ejus personam extinctâ obligatione. Quod etiam Actor apertè dicit, quatenus allegavit primum terminum solutionis ex dicta reservatione Pontificia sibi cessisse in festo Nativitatis Christi anno 1559. ante quem, mense Augusto Dominus Ludovicus hac vita excesserat. Ita quod certum sit, Actorem jus possessionis alicujus, ex aliqua solutione, vel ipsius Rei, ejusdemque moderni possessoris, vel ejus, qui pensionem constituit, seu in ejus reservationem consensit, prætexere, aut constituere non posse. Qui Dominus Ludovicus auctor hujus pensionis, cùm sit immediatè antecedens possessor & prædecessor Domini Godefridi Rei hujus causæ in Canonicatu Rornacensi, super cujus fructibus hæc pensio reservata dicitur, certo certiùs constat, hanc possessoriam causam non esse fundatam ex solutione aut præstatione prædecessoris
7 ipsius Rei,* quod tamen omnes, qui possessorium interdictum pensionario concedunt, adversus novum beneficij, ex quo pensio prestanda est, possessorem, qui ipse numquam adhuc solvit, requirunt; ut scilicet constet de præteritis ac solutis præstationibus factis per prædecessorem: & sic quidem, ut plerique unicam, aut alteram præstationem ad inducendam hanc quasi possessionem non sufficere existiment, sed requirant longi temporis, hoc est plurium annorum per perceptionem solutionis per prædecessorem factæ, possessionem, *Gigas d. q. 47. nu 4. Dec. d. cons 136.*

Vnde etiam in usu ex gendę pensionis, ac proce- 8
dendi contra successorem in beneficio hoc observatur, ut Executor gratiæ seu bullæ reservatæ pensionis non possit possessorem beneficij, opponentem se petitioni pensionis, cogere ad promptam & paratam solutionem, in limine judicij ante plenam causæ cognitionem, si pensionarius non fuit in possessione percipiendi pensionem ab ipso possessore convento, vel ejus prædecessore, *Lud. Gomes in compendio utriusque signaturæ Apostolicæ inserto in commentarys ad reg Cancell. de non iud. iux. for. suppl.* cùm ei obstare non possit exceptio vel replicatio voluntariæ solutionis. Vti etiam ijs casibus Pontifex in commissionibus causarum super nullitate vel appellationis, vel pensionis non solet inserere clausulam, *Sine retardatione solutionis pensionis*: non enim æquum bonum est, ab executione contra eum incipere, qui neque obligationis auctor est; neque solvendo Adversarium in quasi possessione constituit; neque ex solutione aliqua sui prædecessoris possessionem aliquam antecedentem agnoscere cogitur.

Quod meritò in calculo sententiæ, à qua pro- 9
vocatum existit, in diligenti consideratione haberi debebat: quæ enim exceptiones agenti in foro Ecclesiastico obstare, & remorari possunt, in judicio sæculari non contemni, sed admitti debent, *c. Si de except. lib. 6.* Neque verò magis summarium esse potest sæculare judicium interdicti possessorij, quàm executivi processus, quem judex Ecclesiasticus in executione literarum Apostolicarum reservatæ pensionis adversus possessorem beneficij facere solet. Cum igitur certum sit, neque ex capite Domini Ludovici constituentis, & prædecessoris; neque ex persona Domini Godefridi successoris, & possessoris, ullam constitui posse hujus pensionis possessionem; quia neuter solvit, nec ab alterutro Actor solutionem recepit; non potest ulla justa esse occasio manutenendi Actorem in possessione, aut illum restituendi ad possessionem, quam numquam habuit, *l. 1. §. interdictum & §. eum qui De vi & vi arm.* cùm interdicti extrema hîc deficiant, possessio scilicet ex parte interdicentis seu manuteneri, aut restitui petentis, & turbatio ex parte Rei conventi. Turbari enim quo modo potest, quod non est? & qui non accepit, sed accipere prohibetur possessionem, quomodo dici potest illam amittere, aut in ea turbari, *d. §. eum qui?* * Quemadmodum con- 10
tingit in usufructu, qui etiam incorporale jus continet, quamvis existenti in exercitio, ac possessione usus fructus, si turbetur aut dejiciatur, detur indictum possessorium, non datur tamen, si ab initio volens incipere uti frui, prohibeatur; sed petitorio judicio contendere debet adversus resistentem, aut denegantem patientiam utendi fruendi, *l. Idem est §. uti frui De vi & vi arm.*

Neque præmissis obstat, aut possessionem Acto- 11
ris aliquam facit, multò minùs justificat, quod Dominus Hubertus vanden Eynde frater Domini Ludovici, & testamenti per eum conditi Executor pro duobus annis hujusmodi pensionis solutionem Actori fecerit: † nam quamvis so-

vis solutio pensionis per tertium nomine possessoris beneficij facta pensionario id sciente & non contradicente, censeatur facta de ejus voluntate, ut per hujusmodi solutionem pensionarius dicatur esse constitutus in possessione pensionis, *Rota decis. 23. nota quod ubi aliquis in antiq.* non præsumitur tamen idem nisi scientiâ probatâ possessoris, cùm ignorantia præsumatur, *l. Verius De probat.* nec juris ratio patiatur, ut alteri per alterum iniqua conditio inferatur, *l. Non debet alteri De reg. iur.* aut alterius factum alteri noceat, *l. Factum eod. tit.*

Deinde hoc quoque verum est, in interdicto
12 manutenentiæ, sive *Vti possidetis*, neminem obtinere posse, qui clam possessionem adversus adversarium obtinuit, *l. 1. in princ. & §. perpetuo & §. fin. D. Vti possidetis*, hoc eo ignorante, quem sibi controversiam facturum possessor suspicabatur aut suspicari poterat, *l. Clam possidere De acquir. possess.* quia clandestina possessio vitiosa est, & ad interdicendum, seu manutenendum insufficiens, & inidonea, *Doct. in d. l. Clam possidere.* Quòd autem clandestina sit non tantùm ex eo constat, quòd illius scientiâ Reus non habuerit, sed ex eo quoque & potissimùm, quòd per collusionem Domini Huberti & Actoris sit facta hujusmodi solutio ex fructibus, qui domui mortuariæ D. Ludovici debebantur, non ex fructibus rei conventi: sic quòd dici non possit hujusmodi solutio esse facta
13 per possessorem beneficij. † Beneficij enim possessio, quam D. Ludovicus habuit, statim in momento mortis ejus extincta fuit, *l. Cum haredes & ibi Paul. de Castro De acquir. possess.* & in hæredes continuari non potuit per aliquam hæreditatis apprehensionem, quia beneficij, ut aliarum rerum profanarum, non est successio, *c. 1. De præben.* tam quoad possessionem, quàm quoad titulum, *c. 1. De præscript. Gigas cons. 43. Mettuo fraßrerius nu. 8.* & beneficij possessio sine canonicâ institutione obtineri non potest, *c. 1. De reg iur. lib. 6.* nec sine institutione, aut titulo saltem colorato quisquam ad possessionem beneficij pervenire, multò minus in eo manuteneri potest, *Rebuff. ad constit. Reg. de caus. benef. possess. art. 1. gloss. 1. in princ.* Sic quòd solutio facta per D. Hubertum non possit dici facta à possessore beneficij, ex quo præstanda est pensio: ideoque nec causare debet possessionem hujusmodi solutio adversus verum benficij possessorem, hoc est ipsum Reum, qui in beneficij possessione tempore hujusmodi solutionum per tertium factarum fuit: præsertim quia, ut dicere cœpimus, sit facta per collusionem inter D. Hubertum & Actorem, qui ambo erant Executores testamenti D. Ludovici, quique virtute executionis horum duorum annorum fructus ad domum mortuariam D. Ludovici pertinentes perceperunt: ita quòd Dominus Gerardus Actor sibi magis solvisse, quàm ab alio accepisse solutionem videatur; cujus generis solutio possessionem causare non debet: eoque respectu frivola sit allegatio Actoris, dicentis sibi per D. Hubertum esse solutum. Et perinde etiam frivolum, minusque verum, quòd allegat se non fuisse dicti testamenti Executorem, neque domus mortuariæ administrationem habuisse: contrarium enim convincit ipsa dicti testamenti dispositio; quæ apertam continet deputationem Executorum, tam de persona D. Gerardi Haen, quàm Domini Huberti. Et quoad administrationem, seu susceptionem executionis, quamvis illam Actor neget, de illa tamen satis constat per exhibitionem rationum, quæ Capitulo Rotnacensi factæ sunt de administratione domus mortuariæ dicti Domini Ludovici. Etsi enim inscriptio, seu intitulatio illarum per collusionem Actoris & D. Huberti, ut possessio hæc colorari, & factæ solutiones pro dicta pensione ad commodum Actoris sustineri possent, sic concepta sit, quasi D. Hubertus sous susceperit, & solus administraverit; in ipsdem tamen rationibus inveniuntur inter alia adscripta hæc verba: *Item duobus suis testamentarijs Executoribus legavit singulis quatuor lib. grossi.* & quod Actori solutum fuerit quod D. Ludovicus ei pro labore executionis legavit; ex cujus legati solutione, & receptione, certissima juris præsumptione constat Actorem suscepisse onus executionis, *Ioannes Iacob. de Cambus in tit. de execut. vlt. vol. in 1. parte nu.* 38. * Quemadmodum tutor accipiendo legatum ex testamento, in quo tutor datus est, tutelam suscipere intelligitur, ita ut à sic suscepta tutela se postea excusare non possit, *l. post legatum §. amittere De lib. quibus ut indig.* & cum de susceptione constet, de administratione quoque indubitatè præsumendum sit; quia ad illam omnino tenetur, postquam semel suscepit, *c. Ioan.* 15 *De testa.* † Sic quod evidentissimè elucescat collusio inter Actorem & Dominum Hubertum; ideoque etiam non possit ex hac solutione constitui justæ & non vitiosæ possessionis aliquod initium, sed tantum clandestinæ; quæ potissimum in his, quæ incorporalia sunt, & in jure consistunt, nihil operatur, *Bald. in l. 1. nu. 12. C. De testam.* ut generaliter vitiosa est possessio, & præsertim clandestina, nec prodest agenti ex illa adversus eum respectu cujus clandestinè obtenta est, *l. 1. in fin. D. uti possid. l. 1. C. eodem, Carolus Rum. cons. 18. In causa & lite nu. 6. vol. 4.* Quæ collusionis detectio ob id evidentior hic est, quod Dominus Hubertus pro hac pensione etiam satis obligatus fuerit: Constat enim quod D. Hubertus promissionem fecerit procurandæ reservationis hujus pensionis, super hoc canonicatu, & de promissione D. Ludovici nusquam aliter constat, quam ex instrumento, quod post conclusionem in causa reproductum est de præstito consensu per Ioannem Pratensem in Romana Curia: ex quo tamen de mandato D. Ludovici neque probatio, neque præsumptio elici potest; quia mandatum cùm facti sit, numquam præsumitur, sed probari debet. 16

Deinde hoc quoque ad vitium, imò defectum possessionis, quam Actor prætexit, plurimum facit, quod de reservatione hujus pensionis non constet nisi per nudam signaturam. Iam verò ab omnibus ferè receptum est, quod pensio nec exigi nec recipi, nec solvi possit in foro judiciali literis seu Bullis non expeditis. Quamvis enim controversum id faciat Hieronymus Gigas, *in tract. de pensionib. q. 34.* existimetque in foro poli, & conscientiæ solâ signaturâ obtentâ pensionē persolvi, & recipi salva conscientia posse: in foro tamen judiciali id non obtinere tradit, *d. quæst. 34.*

& ex

ve nu. 8. Obstat enim regula Cancellariæ Apostolicæ, quæ vetat Iudices judicare secundùm nudas signaturas, nisi bullis expeditis, *Regula de non iud. iuxta formam &c.* Quod tamquam avaritiâ plenum, & ad commodum Officialium Romanæ Curiæ inventum etsi quidam calumnientur,
17 summam tamen juris rationem habet. † Nam nuda signatura, quæ nihil aliud est, quàm supplicis libelli annotatio, seu admissa supplicatio, per se informis est; & continet tantùm futuræ gratiæ præparamenta, non etiam illius observationem, aut perfectionem, hoc est plenum consensum Papæ, vel Principis: sic quod gratia tunc primùm obtineatur, cum literæ ex-
18 peditæ sunt. † Ideoque refert Ludovicus Gomesius, *ad reg. Cancell. de non iud. iuxta form. lit. q. 1. nu. 1.* Baldum nudam signaturam embrioni comparasse; quasi interea quàm literæ exeditæ non sunt, perfectionem nullam habeat gratia; non magis, quàm contractus, quem convenit in scriptis fieri, perfectus dici potest, quamdiu in mundum redactus, & omnibus numeris ac partibus absolutus non est; etiamsi consensus partium advenerit seu intervenerit, *Bald. in c. 1. Per quos fiat investitura per l. Contractus C. De fide instrum.* Ideoque regulam illam Cancellariæ Apostolicæ dicit juri communi conformem esse, secundùm quam ita aliquoties ex facto consultus respondit Oldradus, *cons. 324. Factum tale, cons. 325. Thema quæstionis, cons. 326. Quod articuli, & cons. 328. Ad idem.* Cui quoque consonat, quod respondit Marianus Socinus, *cons. 41. Viso indulto nu. 4. vol. 3.* quod quamvis essentia, & subsistentia gratiæ in supplicatione, seu annotatione ac signatura ad supplicationem consistet; exercitium tamen non permittatur, nisi expeditis literis.

Quæ dubitationem non habent, ubi qui consensit in reservationem, specialiter per alium contractum non promisit solvere visâ nudâ signatura (ut vulgò fieri solet per instrumentum, quod vocant in forma cameræ) sed simpliciter consentit in reservationem, seu assignationem & literarum expeditionem coniunctim; uti hîc factum esse actor negare non potest, cùm in instrumento præstiti consensus, per Ioannem Pratensem, quod post conclusionem in causa Actor exhibuit, sic scriptum inveniatur, *Consensit assignationi & literarum expeditioni*; ipsaque supplicatio pro obtinenda hac reservatione (quę per Actorem profertur) in fine contineat literarum expediendarum mentionem.

19 Sic quod in concursu, & coniunctione horum duorum sufficere non possit sola signatura, *l. Si heredi plures De condit. instit.* ne quidem ex voluntate ipsorum contrahentium. Vnde quod de differentia Iudicij petitorij & possessorij quidam tradunt, *Gomes. ad reg. cancell. de non iudic. iux. form. lit. quæst. 5. Cassad. decis. 8. de rest. spol. Hieron. Gig. in tract. de intrus. nu. 34.* ut in illo non sufficiat nuda signatura, in isto sufficiat, hic quoque locum habere non potest, ob ipsius contractus & consensus partium extensionem, extensam scilicet ad assignationem, & literarum expeditionem. Neque sanè possessorij Iudicij tantus favor esse debet in proposito, propter multas concurrentes circumstantias, quæ (ultra defectum possessionis, quæ adversus Reum in persona Actoris nulla umquam fuit) notorium defectum juris partis agentis detegunt. Quot enim hîc concurrunt resignationes? quot fictæ ac simulatæ permutationes interpositis beneficiolis, quæ vulgò de Pertica dicuntur, & nullius valoris sunt? vt ex uno beneficio (cujus Actor fructus fatetur non excedere viginti aut viginti quinque libras grossorũ) Dominus Ludovicus pensione triginta librarum gravetur, & ex voluntate ejusdem D. Ludovici partim sibi, partim duabus alijs personis sibi gratis provideatur: quę nimis apertę sunt in rebus Ecclesiasticis nundinationes, & velut mercimonia, ne per sæculares quidem Iudices propter nimium abusum toleranda; multò minùs per arresta & sententias fovenda; cùm nec ipse Actor ausus fuerit Pontifici exprimere verum vacationis ex causa permutationis modum, narrato modo vacationis per simplicem resignationem; neque etiam hujusmodi triginta librarũ annuarum promissionem, factâ illarum per distinctas supplicationes separatione. Quibus hoc quoque adjiciendum, non satis convenienire datam signaturæ cum permutatione per Capitulum Rotnacense admissâ & subsecutâ collatione Domino Ludovico facta; data enim signaturæ videtur anterior, ut ex collatione datarum deprehendere licet. Quæ omnia latiùs & minutiùs excuteremus, nisi causa in manibus tam oculatorum peritorumque Dominorum versaretur. Finem igitur faciendo dicimus, sententiam, à qua provocatum est, injustam esse, eamque ob hoc in provocatorio judicio retractandam & secundùm Reum nunc provocantem per omnia judicandum.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio.

1. *Pensionis dies quando cedat.*
2. *Pensiones cessæ & non exactæ cui debeantur mortuo pensionario.*
3. *Pensio quomodo dividatur inter proprietarium & hæredes usufructuarij.*
4. *Fructus beneficiorum an ad hæredes defunctorum clericorum pertineant.*
   Fructus beneficij dignitatem & administrationem habentis futuro successori reservantur.
5. *Casus insolitus non continetur sub generali casuum remissione.*

CONSILIVM CCLXX.

AD quæstionem pro parte Reverendi Domini Abbatis Monasterij S. Petri Gandavensis propositam super solutione pensionis annuę per Sedem Apostolicam super fructibus dicti Monasterij reservatæ, nobis infrascriptis hoc modo respondendum videtur.

Et primò quidem ad illam, quâ quæritur, cui & qua ratione facienda sit solutio dictæ pensionis pro anno illo, quo Reverendissimus D. Episcopus Iansenius in nono ejusdem anni mense defunctus est, an illius in eodem Episcopatu Gandavensi successori; an verò illius hæredibus; & si his, pro qua parte, an pro dimidio tantùm anno,

nondum

quo alter terminorum dictæ pensionis plenè cesserat; an verò etiam pro termino, cujus dies tunc nondum cesserat, & venerat, aut saltem pro tribus mensibus dumtaxat, qui ex sequente medio anno lapsi erant? † Respondemus, nullam esse dubitationem de dicti ultimi anni seu essri, seu priore termino; quandoquidem illius solvendi dies, non tantùm cesserat, sed etiam venerat; ut non tantùm debitus fuerit, sed etiam cum effectu pleno exigi potuerit ante mortem Reverendissimi D. Episcopi, *l. Cedere diem. De verb. signif.*

De altero semestri justa est dubitatio; ob id, quod quamvis pro illo deberi, seu dies illius solvendi cedere inceperit; nondum tamen plenè cesserit, & minimè venerit: ideoque de illo semestri nihil deberi, nihil peti posse videatur; eò quod in literis Apostolicis reservatæ, cedentis, & debitæ hujus pensionis dies non ex annis seu cujusque semestris initio, seu principio, sed ex illius postremo fine sit constitutus; atque ita ante adventum & lapsum diei seu termini nihil deberi videatur. *l. Qui hoc anno De verb. oblig.* quasi pensioni insit hæc conditio, si pensionarius cedente illius die vivet, *l. Si in singules De annuis legat.* Et ex illa consideratione videtur pro toto posteriore inchoato, quamvis non completo anno, deberi; quòd quæ annua vel menstrua debentur, in principio anni, vel mensis debeantur, *l. In singulos, l. Filiæ De annuis leg.* Hæc sanè quæstio respectu Reverendissimi Domini Abbatis difficultatem non habet, quin ille quidem totam hanc pensionem pro toto anno debeat, ut ad illius commodum, aut exonerationem referri non possit, quod ante finem anni aliquot mensibus Reverendissimus Dominus Ianssenius decesserit: cùm enim hæc pensio non sit temporalis, seu temporaliter ad vitam Domini Ianssenij constituta (quo casu quæri & dubitari posset, an pensiones à pensionario non exactæ, ejus hæredi debeantur; an verò cedant lucro Ecclesiæ, aut personæ,
2 quæ illius onere gravata est; † & probabiliter sustineri, quòd in successorem non transeant, sed maneant apud gravatam Ecclesiam; ut fructus beneficij non percepti apud successorem in beneficio, non apud hæredem beneficiati manent, *c. Præsenti & ibi Doct. De offic. ordin. lib. 6.* alijs tamen aliter sentientibus, *Hier. Gigas de pens. q. 52.*) sed sit perpetua, ut habent verba Bullæ Apostolicæ; non debet tam jure pensionis censeri, ut vulgò, quàm fructuum; & quidem non tam ad commodum personæ, quàm beneficij, dignitatis aut causæ, cui appropriatur; ideoque ex morte personæ, tam ejus, quæ illam debet, quàm cui debetur, non possit extingui & definitioni vulgaris pensionis, cui non quadrat perpetuitas, applicari non potest hujus generis perpetua pensio, *Gigas de pens. q. 1.* de qua ob id constituendum est in hoc articulo, quod de alijs cujusque beneficij, vel dignitatis fructibus, à quorum præstatione morte beneficiati non liberatur debitor, sed vel successori in beneficio, vel ejus hæredi reservandi, & præstandi sunt, *c. Cum vos De offic. ord. & c. Præsenti.* Ita quod respectu Reverendi Domini Abbatis nihil referat, vivat, an mortuus, & quando mortuus sit Reverendissimus D. Ianssenius: quod enim illi seu ejus hæredi non est præstandum, reservari & præstari debet ejus in Episcopatu successori, ex eo tempore, quo ipse mortuus est, ut alij dicti Episcopatus fructus, inter quos est hæc perpetua pensio.

Interim tamen quando quæstio hæc quoque proposita est, paucis ex resolutione & decisione Iohannis Caccialupi, *in tract. pens. q. 25.* & Hieronymi
3 Gigantis, *in tract. de pens. q. 52. & cons. 41. De duobus nu.* 1. respondemus, neque totũ neque nihil deberi hæredibus Domini Ianssenij, sed proportionabiliter, pro rata temporis, quo in ultimo semestri superstes fuit. Vt observatur quoad alios cujuscumque beneficij fructus inter defunctũ, seu ejus hæredes & successores in beneficio dividendos pro rata temporis, quo defunctus supervixit, *arg. l. Divortio D. Soluto matrim. & c. Præsenti §. porro, Alexand. in d. l. Divortio nu. 5.* Et sic in proposito casu ex eo semestri, in quo lapso tertio mense Reverendissimus Dominus Ianssenius mortuus est, debebuntur ejus hæredibus ducenti quinquaginta ducati.

Et hæc quidem præsuppositâ consuetudine, quæ nunc passim & ubique ferè obtinet, quòd 4
fructus beneficiorum transmittantur ad hæredes. Nam in scrupulositate juris, quâ clerici non tam usufructuarij, quàm dispensatores suorum beneficiorum sunt, difficilius sustineri posset, non perceptos fructus ad hæredem beneficiati pertinere, *Archid. in cap. Statutum §. assessorem De resid. lib. 6. Mart. Navarra in tract. de redit. benefic. ad cap. quicquid 16. q. 1. Hostien. & alij in c. ult. De pecul. cler.* & difficillimè in beneficijs qualificatis, dignitatem, aut administrationem habentibus, *Iason cons. 75. Non videtur dubitandum vol. 3. Guido Papæ decis. 110. Steph. Bertran. cons. 21. Viso casu vol. 3. parte 1.* Verum in hoc insistendum non est, ex quo in quamcumque partem ea quæstio decidatur, sive pro hæredibus Episcopi, sive pro successore in Episcopatu, eadem per omnia maneat Reverendi D. Abbatis in hac perpetua pensione obligatio.

Secunda quæstio, quæ proponitur est, an Reverendus Dominus Abbas teneatur ad solutionem hujus pensionis pro tempore, seu annis, quibus Sedes Episcopalis vacavit? Ad quam expeditè respondendum videtur, quod cùm hæc pensio sit perpetua, non temporalis; realis & non personalis, hoc est non tam personæ Episcopi, quàm Episcopatui, seu mensæ Episcopali appropriata, referri debeat ad cumulum fructuum ipsius Episcopatus, seu mensæ Episcopalis, ut iam diximus. Iam verò certum & indubitatum est, fructus vacantis beneficij maximè qualificati, hoc est dignitatem & administrationem habentis nullius alterius lucro cedere, sed successori in beneficio vel dignitate omnes integros esse servandos, *d. c. Cum vos d. c. Præsenti.* Vt enim accessione fructuum augetur iacens hæreditas ad commodum futuri hæredis, *l. Item veniunt §. fructus De petit. hæred.* ita quoque ipsa beneficia vacantia incrementum accipiunt in hujusmodi accessionibus, *Oldradus cons. 294. Factum tale est, supposito.* Ita ut quâ ratione debitor hæreditarius non liberatur ab obligatione hæreditaria, quia hæreditas vacat

tas vacat, & nondum adita est: eâdem in proposito ad commodum Reverendi Domini Abbatis referendum non est, quod hic Episcopatus vacaverit: quippe ut hæreditas vacans dici potest repræsentare personam futuri hæredis, ita quoque ipsa vacans dignitas successorem in Prælatura, quæ numquam intermoritur, *c. Quoniam abbas De offi. & potest. iudic. deleg. & ibi gloss.*

Nec quicquam ad obligationem Reverendi D. Abbatis minuendam vel restringendam facit, quod in Bulla reservatæ, seu constitutæ hujus pensionis declaretur, hanc pensionem constitui, ut Episcopus statum suum, juxta Pontificalem dignitatis exigentiam, commodiùs sustentet, ejusdem mensæ pensionem hanc constitutam esse; & quod quamdiu duravit ista vacatio, ut sustinendi status Episcopalis, ita quoque solvendæ hujus pensionis nulla fuerit necessitas, velut cessante causa, *c. Cùm cessante De appellat.* nam hæc dictæ Bullæ verba pro demonstratione, & impulsiva causa dumtaxat sunt; quâ cessante non solet dispositio cessare, *Præses in loco à cessante ratione.*

Quod tertio loco quæritur, an Reverendus Dominus Abbas exonerari debeat à solutione hujus pensionis pro his turbidis annis, quibus per hæc bella dicti Monasterij reditus saltem pro maxima parte percipi non potuerunt? habet expeditam resolutionem, quod maximè exonerari debeat. Cum enim de & ex fructibus dicti Monasterij hæc pensio sit reservata & solvenda, postulat ratio, ut nullis aut exiguis perceptis fructibus ipsa pensio exigi non possit, *l. Cum certus D. De trit. vino oleo leg.* * Et quamvis in ipsa reservatione additum sit *de exemptione ab omni onere ex quavis extraordinaria etiam causa*; sub illis tamen verbis non censetur contineri tam durus, & insolitus casus, qui tempore constitutæ pensionis, nec provideri, nec cogitari potuit: ideoque sub generali casuum mentione, seu exceptione comprehensus non censetur, *l. Fistulas §. frumenta De contrab. empt.* ut in articulo pensionum eleganter & exactè tradit Hieronymus Gigas, *de pens. q. 66.* ad quem brevitatis causa remittimus.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis Ecclesiasticæ causa an sit privilegiata.

1. *Alimentorum causa etiam in feriis tractari potest.*
2. *Pensio super beneficio quando loco alimentorum habeatur.*

CONSILIVM CCLXXI.

QVÆRITVR, an causa pensionis super Ecclesiastico beneficio ex causa cessionis, resignationis, aut permutationis per potestatem habentem reservatæ, privilegiata sit, sic ut alterutrâ parte invitâ in feriis messium vel vindemiarum in ea procedi possit, *c. alt. in fine De feriis.* * Dubitationem facit, quòd pensio alimentorum loco videatur esse, & alimentorum causa cognitionem ac judicialem strepitum admittat atque exigat etiam durantibus feriis quibuscumque, *l. 2. De feriis, Bart. in l. mela in fine De alimen. & cibar. legat.* * Cæterùm cum pensio alimentorum locum non obtineat, nisi cùm hoc in literis reservationis exprimitur; si videlicet dicatur promitti pensio pro alimentis aut sustentatione personæ, ad numerum piarum & favorabilium causarum referri non debet, *Ioan. Caccialupus in tract. de pens. q. 9. nu. 12. Hieron. Gig. de pens. q. 51. nu. 10.* Non est ergo privilegium & favor piarum, ac favorabilium causarum extendendum ad eam speciem pensionis, quæ ex hujusmodi causa, aut eâ formâ creata non est, vel in cujus reservatione non est expressim adiectum, quòd pro alimentis, seu sustentatione reservetur. Quare cum asserta pensio, quam D. Ioannes Durandi, contra Monasterium de Molinis persequitur, sit reservata non ex causa alimentorum, aut pro alimentis, vel dicti Domini Ioannis sustentatione; sed ut est in signatura reservationis, ne ex cessione & dimissione beneficij, super cujus fructibus reservata dicitur, nimium dispendium pateretur, nihil est, quamobrem Dominus Conservator in hac causa, invitâ alterâ parte procedere debeat his feriis magis, quàm in alijs causis coram sua Paternitate super varijs damnis & interesse pendentibus, & ita decidit Hieron. Gigas, *d. quæst. 51. nu. 24.* agens de pensione reservata pauperi pro alimentis, ut in ea feriæ locum non habeant. Quæ paupertatis consideratio planè cessat in proposito casu, ubi non de pauperis pensionarij, sed benè divitis beneficiarij causa agitur adversus Monasterium nunc multis bellicis calamitatibus oppressum, & circumseptum. Quæ etiam causa est, cur magis ex legis permissione feriis istis uti cupiant Opponentes; quod bellicis tumultibus distenti causæ huic commodè superesse, cæteraque, quæ ad plenam illius instructionem desiderantur, conficere non possint; contenti alioqui quibusvis feriis renuntiare. Quare istam juris resolutionem Reverendo Domino Conservatori sequendam esse arbitramur.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. *Pensionis solutio retardanda non est, nisi per exceptiones omnimodam nullitatem inducentes.*
2. *Pensio an minuatur minutis fructibus.*
   Reductione pensionis petitâ solutio eius non suspenditur.
3. *Pensio non est quod in dismembratione Ecclesiæ antiquæ reservatur.*
4. *Pensionis excessum quis probet.*
5. *Sententia provisionalis in quacumque parte litis ferripotest.*
6. *Appellans ab interlocutoria causas nominatim & formaliter exprimere debet.*

CONSILIVM CCLXXII.

GRAVAMEN, ob quod D. Henricus Castel à decreto Decani S. Petri Lovaniensis appellavit, in eo tantùm ponitur, quòd præfatus Decanus decreverit pensionis petitæ terminos cessos nantizandos esse, non obstantibus positionibus, & articulis, quos pro enervanda pensione D. Henrico

Back reservatâ, appellans proposuerat. Imprimis itaque expendendum, num aliquod gravamen in eo constitui possit. Et tenorem dictorum articulorum inspiciendo, illud per eos proponi deprehenditur, reservationem pensionis esse nullam, propter suppressam mentionem alterius pensionis, quâ Ecclesia de Rieu Ecclesiæ matrici de Gilze obligatur; & quod hæc pensio medietatem fructuum excedat: utrumque enim illi visum est ad petitæ pensionis nullitatem inducendam sufficere, *Gigas de pens. q. 29. & q. 35.* Cæterum verius est neutrum per se aut conjunctim sufficere:

1 * Pensionis etenim solutio retardanda non est, nisi per exceptiones omnimodam nullitatem inducentes; & quarum probatio ac decisio sine altiore indagine statim fieri potest. Alioquí etiam si in suo genere sint relevantes, non est differenda, sed provisionaliter impetranda solutio, cognitione exceptionum post solutionem reservatâ, *Rebuff. ad constit. reg. tit. de senten. provis. in præfat. nu. 125. p. 1.* Iam verò quod ad has novas coram præfato Decano propositas exceptiones attinet, constat ex deductis in hac causa appellationis, priorem de omissa mentione pensionis decem florenorum, quæ Pastori in Gilze præstatur, non inducere surreptionem aut obreptionem. Nam licet ex omissa pensionis personalis mentione, quæ ex concessione D. Papæ alicui personæ ad vitam ejus reservata est, inducatur omnimoda pensionis nullitas; quia Papa non præsumitur suâ concessione idem beneficium gravare velle, *Gigas de pens. q. 35. nu. 2.* eadem tamen non inducitur propter omissam narrationem alicujus oneris realis, quo beneficium, seu fructus beneficij alteri beneficio perpetuò est obligatum. Illud enim non impositicium, & temporale est, sed perpetuum, rei inhærens, & fructus beneficij ipso jure diminuens; ut tantò scilicet intelligantur fructus esse minores, quantum est in erogatione hujusmodi annui, ac hæreditarij seu perpetui oneris. Alioquí sane censuum, tributorum, aliorumque similium realium & fundiariorum onerum (quo vix caret aliquod beneficium) suppressio semper induceret pensionis nullitatem; quod planè absurdum & à stylo Romanæ Curiæ (ubi pensiones cuduntur) alienum foret: sic quod in hac materia pensionis appellatione non contineatur quælibet annua præstatio, sed tantùm temporanea, quæ usui fructui, non alicui reali servituti similis sit, *Gigas de pens. q. 1.*

2 Sed si ob hujusmodi onerum magnitudinem fructuum tantum diminutio inducitur, ut inde pensio excessiva esse deprehendatur, quærendum est remedium per moderationem seu reductionem pensionis; non ob ipsa onera, sed fructuum (qui nisi oneribus deductis intelliguntur, *l. Fructus Soluto matrim. l. Quod in fructus De usur. l. Bonorum l. Propriè De verb. signif.*) exiguitatem, etiam si illam forte causentur hujusmodi onera, *Gigas de pens. q. 35.* De quâ quidem reductione, ac moderatione cùm disputatur, non est suspendenda pensionis solutio; præsertim ad nudâ simplicemque partis objectionem: cùm etiam idem servandum sit eo casu, quo Papa specialiter committit reductionem pensionis, *Gomes. & Rebuff. locis sup. citat.*

3 Quod autem perpetuum & reale censeri debeat onus, seu reditus ille decem florenorum, qui Rectori Ecclesiæ de Gilze pro tempore, ejusque successoribus reservatus & assignatus est ex fructibus dictæ Ecclesiæ de Rieu, inde constat, quòd reservatus & assignatus sit non ex vulgaribus & communibus causis, quibus pensiones strictè acceptę hodiernis temporibus assignari solent, sed ex causa separationis ac dismembrationis dictarum Ecclesiarum, & ob erectionem Capellæ de Rieu, sub dicta Ecclesia de Gilze comprehensæ, in parochialem; in quam causam regulariter solet matrici Ecclesiæ, ac ejus Pastori aliquid ex fructibus Capellæ in parochialem erectæ, seu erigendæ, pro compensatione ac commodiore sustentatione in prima Ecclesia assignari, *cap. Ad audientiam De Eccles. ædific. c. De monachis De præben. c. 1. eod. tit. lib. 6.* sic ut hujusmodi decem floreni sint perpetuò quodammodò exempti è numero fructuum novæ Ecclesiæ de Rieu, non tantùm ad vitam D. Ioannis de Beka primi consentientis in hujusmodi erectionem, sed perpetuò pro quibuscumque successoribus in dicta Ecclesia; quæ perpetuitas ac transmissibilitas ad successores in beneficio repugnat naturæ usus fructus, *l. Sicut in annos §. ult. Quibus mod. usufruct. amitt. l. Quod in rerum §. si usumfruct. De legat. 1.* & pensionis, *Gomes. d. q. 1. nu. 5.*

Altera exceptio est de excessu medietatis: sed illa per se non habet potestatem impediendi, aut 4
suspendendi solutionem pensionis, tamdiu, quam de excessu planè cognitum, & pensio ad moderationem per Iudicem reducta non est, uti paulò antè diximus: † ob id, quòd allegatio excessus, per eum, qui pensionem debet, probari debeat, *Gigas de pens. quæst. 9. nu. 9.* quod indicium est aliquam moram & dilationem requiri, & sic exceptionem non esse notoriam; atque ob id coram nudo Executore (qualis fuit Decanus S. Petri) opponi non posse, saltem non cum effectu retardandæ solutionis, *Gigas de pens. q. ult. nu. 24.* Et quamvis cùm, exponente parte, seu Pensionario in literis reservationis ponitur, quòd reservata pensio non excedat medietatem fructuum, reservatio pensionis ipso jure nulla sit, *Gigas de pens. quæst. 35. nu. 3.* id tamen ita accipiendum, si quoque constet excedere; in quo cum probationes faciendæ sint, & sic res in longiore lite suspendenda, meritò imperanda est provisionalis nantizatio; quia retardatio solutionis pensionis est odiosa, præsertim (uti hic evenit) quæ aliquando soluta fuit. Quia igitur appellans causam gravaminum ad articulos suos refert, & in ijs prætactæ duæ tantùm continentur, consequens est, nullum justum gravamen, nec probabilem appellandi causam esse: quia neutra causa sufficiens est ad remorandam vel suspendendam solutionem pensionis. Neque poterit etiam causa gravaminis in eo constitui, quod appellans inter cætera appellationi suæ inserit, non tamen speciáliter pro causa gravaminis assignavit: videlicet, quòd Decanus S. Petri nantizationem imperaverit, non obstante quod ejus prædecessor articulos prætactos ad respondendum & ad probandum admiserit: † nam libera potestas est Executori in 5
quacúque parte litis, cum postulatur, aut æquum illi videtur, provisionalem solutionem in materia alimentorum

alimentorum, pensionum, & similium decernere, *Steph. Aufrer. in stylo Parlamenti, tit. des provisions 1. parte. Rebuff. loco sup. cit. in præfat. nu. 25.*

6 Illud quoque considerare debet D. Iudex quòd appellàtio per Reum interposita, vitio nullitatis laboret; ex eo, quòd causæ gravaminis nō sunt specificè & in individuo expressæ, sed involutæ atque obscuræ per relationem ad articulos: ita enim jure cautum & constitutum est, quod in appellatione à decreto seu sententia interlocutoria, debeat appellans nominatim inferere appellationi causas gravaminum, *Clem. Appellanti De appellat.* quodque hæc sit forma appellationis; ita ut aliter facta non valeat: veluti si ita dicat appellans, *Appello ex causa, quæ in actis vel articulis continetur.* Quotiescumque enim aliquid pro forma alicujus actus injungitur, necesse est formam omninò servare, & quidem specificè, nec posse hoc expediri per æquivalens, seu æquipollens, *Ias. & alij in l. Vbi autem §. fundi De verb. obl.* Præses in loco ab æquipoll. Quæ præmissa Reverendo D. Iudici seu ejus Assessori sufficere meritò debent, ad confirmationem decreti (à quo appellatum prætenditur) per Decanum S. Petri lati.

Cæterùm quia pars appellans diffidentiâ victoriæ ex causis gravaminum in appellatione nominatim propositis confugit in hoc judicio appellatorio ad alias causas, in prima instantia minimè propositas, nec dictæ appellationis scedulæ insertas; veluti quod per speciem simoniæ reservatio hujus pensionis in pactionem deducta sit, acceptis septuaginta duobus florenis pro extinctione partis conventæ pensionis, aliquid obiter dicendum est de novis hujusmodi allegationibus; hoc nimirum, quòd nullâ ratione D. Iudex ad hujusmodi articulos oculum adjicere debeat; propterea quòd appellatio, de qua in hac causa agitur, à decreto seu interlocutoria sit interposita, quæ de jure non potest justificari ex novis allegationibus in causa appellationis propositis: ut expresso jure cautum est, *Clem. Appellanti De appel. Lud. Rom. singul. 280. Guido Papæ cons. 97.* Sed in eo demonstrando non subsistimus, ob id, quòd D. Iudex hujus causæ hujuscemodi nova allegata per speciale suum decretum ex causis prætactis reiecerit, sic ut nunc earundem novarum allegationum nulla prorsus sit habenda ratio. Cujus quidem decreti fiduciâ præfatus Dominus Henricus Back appellatus suas defensiones, ac replicationes adversus hujusmodi novas allegationes nondum proponere voluit, reservans easdem in illud tempus, quo confirmatâ præfati D. Decani sententiâ, causâ quę ad Iudicem à quo provocatum est, remissâ proponendi easdem melior & opportunior erit occasio: cupientes interea per Dominum Assessorem hujusmodi prætacti decreti exactam rationem haberi potiùs, quàm importunæ sollicitationis dicti appellantis. Concludimus itaque partes Venerabilis Domini Iudicis esse, ut sententiam præfati Domini Decani confirmet, ac malè appellatum judicet, causamque, ac partes ad Iudicem à quo remittat; præfato appellante in omnibus expensis condemnato.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. 5. *Probationis promptæ oblatio admittenda.*
2. *Collusione facta sunt ipso iure nulla.*
3. *Pensionem per collusionem suo beneficio imponens, beneficio privandus est.*
4. 6. *Exceptiones quæ opponi possint coram Executore pensionis.*
7. *Pensionis solutio provisionaliter non est decernendæ non existenti in possessione illius, vel obiectâ exceptione nullitatis aut invaliditatis.*

CONSILIVM CCLXXIII.

EXCEPTIONES per Dominum Petrum Caulier adversus literas pro parte Domini Ioannis van Brakele propositæ, tam ad earundem literarum revocationem, quàm ulteriorem denegationem, atque etiam ad avertendam petitæ nantizationis necessitatem, tam sunt relevantes & concludentes, ut non possit priùs adversus Dominum Petrum quicquam statui, quàm de ijs cognitum sit: † præsertim ex eo, quòd procurator Opponentis promptam, paratamque probationem earundem offerat. Id enim efficit, ut sine manifesta injustitia reijci non possint, *Clem. fin. De appell.* aut antè ad solutionis necessitatem Opponens cogi, quàm de efficacia obligationis constet. Equidem exceptio collusionis per Opponentem obiecta non tantùm pertinet ad reservatæ pensionis iniquitatem, sed etiam invaliditatem ac nullitatem: † ut ferè omnia, quæ per collusionem fiunt, ipso jure nulla sunt, *l. Cum non iusto De collus. deteg.* * & in beneficialibus beneficio suo privari meretur, qui per colusionem suum beneficium pensione gravari patitur, vel procurat, *c. Audivimus De collus. detegen. Gig. de pens. c. 42.* * Et quamvis ad impediendam provisionalem solutionem coram Executore non possint proponi exceptiones, quæ altiorem indaginem requirunt, *Gigas de pens. q. ult.* videri posset exceptio collusionis informiter proposita, hoc est nullâ particulari collusionis demonstratione factâ: sic tamen est pro Opponente proposita collusionis exceptio, ut de collusionis potestate & jure nulla possit esse dubitatio aut ulterior indagatio, per hujusmodi circumstantiarum & conjecturarum (quibus collusio detegi solet, *l. Quia autem §. non simpliciter Si quis omissa caus. testam. Bald. in l. 1. in fine C. eod. tit. Ioan. de Anania in d.c. Audivimus*) allegationem, quæ indubitatam collusionis probationem continet: videlicet per conjunctionem sanguinis simulatam; per titularium, & ventosorum beneficiorum permutationem, ex defectu solutionis, & pacto de non petendo: ita ut notoria in eo constitui debeat nullitas, quæ perinde ut falsitas coram Executore proponi & recipi debet, *Gigas d. quæst. ult. num. 22.* † Horum itaque oblata probatio reijci non debet; præsertim, quòd incontinenti, hoc est tam brevi dilatione, quàm Dominus Executor præscribet, illius offeratur probatio; tum etiam quòd ex tenore titulorum ipsorum beneficiorum, quorum permutatio

facta dicitur, jam satis animo & opinione quivis conceperit, simulatam & colluſoriam esse permutationem: ut inde desumeretur occasio, gravandi ejus beneficij, quod verè possidebatur à compermutante extra compermutata beneficia, quorum compermutatio exitum non habuit.

In simili causa est exceptio, quæ ex falsa narratione Impetrantis literas resignationis inserta desumitur; quòd scilicet narraverit hanc pensionem non excedere tertiam partem reditumm beneficij gravati; cujus contrarium quoque cum statim probare offerat Opponens antequam solvat admittendus est. * Continet enim & hujus falsæ narrationis detectio intrinsecum vitium nullitatis, cùm in gratiosis falsa narratio ipso jure vitiat gratiam, *cap. Ad audientiam De rescript. Gigas d. quæst. ult. nu.* 13. Vsque adeò ut sine vitio nullitatis vigore hujusmodi literarum surreptitiarum non possit Executor procedere, *c. Cum nostris De concess. præben.* Quæ omnia faciliùs recipienda sunt, quòd Impetrans numquam fuerit in possessione recipiendi pensionem, abhinc annis decem (uti dicitur) reservatam. † Nam quemadmodum cum literæ super invaliditate pensionis impetrantur, à successore illius, qui beneficium pensione gravavit, non infertur clausula, *Sine retardatione pensionis*, pensionarius non est in possessione recipiendi pensionem, quia multo tempore eam non recepit, *Gigas de pens. c* 85. *nu.* 5. *Gomes. ad regul. de non ind. iuxta sor. nu.* 86. ita quoque Executor, seu Iudex à Pensionario aditus obiectis exceptionibus causantibus nullitatem, vel invaliditatem pensionis, non debet Opponentem urgere ad solutionem pensionis ante omnia; ne sic in concedenda provisione Iudex sit mitior ipsâ lege; hoc est Pontifice, qui ex stilo Curiæ Romanæ ita observat ac pro regula statuit à sequestratione pecuniæ non esse incipiendum, *l. unica C. De prohib. sequest. pec.* Existimo itaque exceptiones, & allegationes Opponentis in hac causa propositas, in ea conditione esse, ut remorari debeant nantizationem petitam, & admittendæ ac recipiendæ sint in cognitionem ante nantizationem.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. *Pensio super beneficio privatâ pactione constitui non potest.*
2. *Pensio per quem constitui possit.*
3. *Pensio constituta super beneficio non debetur à constituente si beneficium deserat.*
4. *Pensionis recipiendæ possessio quomodo amittatur.*

CONSILIVM CCLXXIV.

QVOD petita per D. Servatium Nollens hujus causæ Impetrantem pensionis, de qua in hac causa controversia est, provisionalis solutio in hoc præsertim hujus causæ statu, adversus pauperculum sacerdotem D. Petrum Caverinum hujus causæ Opponentem decerni non debeat, sub compendio his paucis deducitur * Certum est ex sola promissione solvendæ alicujus pensionis ob dimissum alteri aliquod beneficium agi non posse; cum ex sola privatorum promissione pensio super fructibus beneficij Ecclesiastici constitui non possit, ob id quod vitium simoniæ in hujusmodi promissione lateat, *Gloss. in c. Ex parte De offic. deleg. Præpos. in c. Sed adhuc* 1. *q.* 3. *Gigas de pens. q.* 5. *nu.* 3. Verum quidem est, quod promissio de solvenda pensione, quæ legitime per auctoritatem habentem, veluti per Papam aut Episcopum constituta & reservata est, vel quæ sic reservatur in casu seu sub hac conditione, si vel cum reservata erit ab auctoritatem habente valeat, non tamen valuit hactenus neque effectum suum extendit talis promissio ultra tenorem ipsius reservationis: † ob id, quòd pensionis reservatio, non pendeat à voluntate stipulantis seu promittentis pensionem & illius solutionem, sed ab auctoritate, voluntate, & beneplacito Pontificis seu alterius superioris, cui reservandæ pensionis jus, & potestas est, *Cassad. decis. 4. sub tit. de locat. & conduct.* Et sic quâ ratione tota pensionis solvendæ promissio nulla est, si nulla ex parte fulcitur, aut robur accepit ex reservatione Apostolica; si videlicet vel literæ Apostolicæ desuper expeditæ non sint, aut saltem non expedita est nuda signatura Apostolica: ita quoque ex parte nulla est quoad clausulas extensionis, aut obligationis intensiuas, si illæ quoque non sint comprehensæ expresè, vel virtualiter in reservatione quam Pontifex vel alius superior facit, super hujusmodi promissâ pensione; ut sit eadem ratio partis, quæ totius, *l. Quæ de tota De rei vindic.* Quæ cùm Actor intentionē suam in hac causa specialiter fundet ex clausula comprehensa in instrumento promissæ solutionis dictæ pensionis, quæ ita habet, quòd etiamsi eundem Dominum Petrum prætactam Ecclesiam loci de Rameloz resignare seu alio quovis modo dimittere contingeret; ipsi Domino Servatio, quoad vixerit satisfaceret, & ex inspectione nudæ signaturæ per Actorem in hac causa exhibitæ constet, quod ejusmodi clausula in reservatione Apostolica non contineatur; consequens est, hujusmodi clausulam stare in finibus conventionis partium, sed non esse corroboratam ex voluntate aut auctoritate Pontificis reservantis pensionem. Ideoque secundùm præmissa dicendum est, ex hujusmodi promissione, seu ex prædicto pacto informante, nullam dicto Impetranti competere, aut dari actionem: quia omninò illicita est, non habens vitæ spiraculum, fomentum, aut robur ab auctoritate, & reservatione Apostolica. * Sic quod Reo hujus causæ non tantùm ad subterfugiendum petitam hanc nantizationem, seu provisionalem solutionem petitæ pensionis; verùm etiam ad obtinendum plenam absolutionem ab impetitione Impetrantis etiam in hoc rerum statu sufficere debeat, quòd allegaverit & satis probaverit, ulteriusque si opus fuerit probare obtulerit (quamvis Impetranti incumbat probatio præsentis possessionis, *l.* 1. *De probat. l. Actor c. eod. tit.*) quod pro illis annis, quorum decursos terminos Impetrans in hac causa petit, nō fuerit possessor hujus beneficij parochialis Ecclesiæ de Rameloz; sed alius quidā Dominus Toussanus Pontanus. Inde enim consequitur, quòd cùm per prætactā Impetrātis nudā signaturā auctoritate Apostolicā Impetrāti sit reservata hæc pēsio duodecim

Duca-

Ducatorum super fructibus dictæ parochialis Ecclesiæ solvenda per Opponentem, & successores ejus eandem parochialem pro tempore obtinentes, ut apertè & formaliter habent dictæ signaturæ verba, *Gigas de pens. q. 51. n. 17. & q. 62. in princ.* summus Pontifex non voluerit Opponentem diutiùs gravare, quàm quamdiu eandem Ecclesiam obtineret, & inde perciperet fructus, quæ specialiter pro hujus pensionis solutione obligati sunt; sic quòd fructuum mentio, non pro demonstratione, unde solutio fieri possit, sed pro restrictione, & modificatione obligationis, & pensionis sit accipienda; ita enim sequitur hoc onus hujus pensionis eum, qui dictæ Ecclesiæ fructus perceperit. Et ob id curanda non est prætacta extensiva, ac productiva clausula, continens obligationis perpetuationem etiam in tempus, quo causa præstationis cessaret; quia per sedem Apostolicam approbata non est: imò per Impetrantem approbari non petita; cum illius nullam mentionem Impetrans fecerit in supplicatione sua, cui dicta nuda signatura subiecta est: prout conscientia & metu, quod illa reijceretur tamquam illicita, & bonis moribus repugnans, illam dictæ supplicationi inferere ausus non fuit. Quæ quidem conscientia illicitæ, & non approbatæ pactionis (quæ ex calliditate Impetrantis, id non percipiente, nec intelligente Reo, qui homo simplicis ingenij est) causa fuit, cur Impetrans adversus Reum non sit prosequutus hujus pensionis solutionem post annum sexagesimum tertium, quo Reus desijt dictæ Ecclesiæ de Rameloz esse possessor, derelictâ illâ propter dictæ pensionis nimis grave onus; sed adversus Dominum Toussanum Pontanum in Ecclesia eadem successorem & fructuum perceptorem; ut etiam ex parte Rei, allegatum, & utcumque probatum est, & ampliùs in progressu causæ probabitur.

Sic ut evidenter verum sit, quod Impetrans
4 non sit, aut fuerit in possessione percipiendi hanc pensionem à Reo ab eo tempore, quo Reus prætactam Ecclesiam dimisit, per hoc quod derelictâ personâ Rei, illam cœperit persequi, adversus Dominum Toussanum, & sic evidenter deprehendatur deposuisse animum possidendi, seu percipiendi adversus Reum, *l. 3. §. si quis nunciet l. 1. §. adipiscimur De acquir. vel amit. poss.* & consequenter ratione aut respectu alicujus possessionis aut continuationis non debeat decerni adversus Reum provisionalis aliqua solutio. Atque ita in concursu tã multorum, & potissimùm, quod reus auctoritate Apostolica non sit obligatus diutiùs solvere pensionem quàm dictam Ecclesiam obtinet, quodque in reservatione Apostolicâ expressè obligentur illius successores pro tempore eandem Ecclesiam obtinentes (quod accipiendum est tam vivo, quàm mortuo Reo; quia successoris appellatio generalis est, & ad singularem etiam in vita refertur, *l. Fluminum §. adjicitur De damno infecto*) & præterea quòd dicta clausula productiva obligationis, non vestita cohærentiâ vel accessione reservationis, seu auctoritatis Apostolicæ, sit illicita, existimamus satis liquere, quòd petita nantizatio decerni non debeat, sed vel Reus simpliciter absolvi (quippe boni Iudicis est abrumpere litem, & impedire illius progressum, ubi comperit illum non profuturum Actori, *l. Si duo patroni §. idem Iulianus scribit De iureiuran.*) vel saltem reiectâ petitione nantizationis decernendi ad expeditionem causæ procedendum esse.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. c. Statutum §. cum verò De rescript. lib. 6. *quando locum habeat.*
2. *Exceptiones quæ sint admittendæ coram Executore.*
3. *Spurius quando sit pensionis capax.*

CONSILIVM CCLXXV.

EXCEPTIONES pro parte Domini Gualteri Calfers propositæ adversus executionem gratiæ Apostolicæ reservationis pensionis quatuor librarum Grossorum monetæ Flandriæ, super fructibus & emolumentis Ecclesiæ parochialis de Lophem Tornacensis Diœcesis, factæ Hieronymo Classoens hujus causæ Impetranti, nullâ ratione obstare possunt petitioni Impetrantis, seu executioni per Reverendum Dominum Abbatem S. Getrudis subexecutorem cœptæ; aut non saltem remorari promptam paratamque solutionem & nantizationem cessorum & petitorum terminorum: quia nulla proposita est, quæ inter eas connumeretur, quæ coram Executore, seu subexecutore literarum reservationis pensionis proponi possint, *Hier. Gigas de pens. q. ult.*

Nam eo ordine, quo propositæ sunt, illas exII cutiendo, non potest aliquid operari, quæ primo loco proposita est, quasi scilicet Actor Clericus Tornacensis diœcesis non potuerit Reum ejusdem diœcesis ex delegatione Apostolica in jus trahere, aut rescriptum præsentare coram Iudice alterius diœcesis: quia quamvis hoc regulariter sit verum, cùm Actor & Reus in eadem Diœcesi, seu civitate habitant, & domicilium fovent, *c. Statutũ §. cum verò tunctã Glos. verbi eiusdẽ civitatis De rescr. lib. 6.* non tamen obtinet, cùm in diversis diœcesibus, seu civitatibus morantur, etiamsi ex una diœcesi originem trahant; ut in hac re identitatem faciat diœcesis, non origo & nativitas, sed domicilium & habitatio: unde in proposito ait Philippus Francus, *in d. §. cum verò nu. 12. in fine*, illam esse propriè diœcesin alicujus, in qua quis habet domicilium. Cùm igitur Reus in diœcesi Tornacensi, Actor in diœcesi Leodiensi, habitent, nihil obstare potest monitioni executoriæ originis & nativitatis identitas. Præterea dispositio juris Canonici, *d. cap. Statutum*, circa causarum commissionem, hoc vel illo loco faciendam vel non faciendam, obtinet in literis justitiæ, vigore quarum quis ad judicium evocatur, & minimè in literis seu executionibus gratiarum Apostolicarum, *Ioan. Monach. in d. c. Statutum in princ. nu. 3.* in quibus cessat ratio, quæ militat in delegationibus ad causas ac lites: nam hæ cognitionem desiderant, ac sic frequentem partium comparitionem, in quo molestia & expensarum magnitudo propter locorum diversitatem, vel distantiam consistit. At literæ gratiarum executoriæ cognitionem nullam admit-

admittunt, sed tantum præceptum & mandatum; quod citra partium incommoditatem, tam ex alio ac diverso, imò etiam longinquo, quàm eodem aut propinquo loco fieri potest. Atque ita aliquoties in Auditorio Rotæ Romanæ decisum & judicatum fuit, *decis. 392. Nota quòd si in forma, & decis. 565. in antiq. & in decis. Besigneti decis. 7.* præsertim ubi mera executio sine ulla potestate cognoscendi, vel citandi mandata est, *d. decis. 565. sub finem vers. nec obstat*; & ubi citatio effectum monitionis, seu fidei faciendæ de paritione incidenter tantùm emanat, *in clausula faciat auctoritate nostra pensiones prædictas.* Proinde cùm in fine literarum gratiæ Apostolicæ in processu fulminato insertarum, nihil nisi præcisum mandatum executorium personis committatur in dignitate constitutis, ibidem nominatis, ac per eos subdelegandis, nihil est, cur ea ex parte de jurisdictione, seu potestate præfati Domini Subexecutoris dubitetur.

2 Secunda exceptio, quòd per collusionem impetrata, & reservata sit hæc pensio, perinde remorari non debet nantizationem petitæ pensionis: nam in executivis omnes exceptiones, quæ ex primo conspectu liquidissimæ non sunt, sed altiore indagine indigent, vel rejiciendæ sunt post solutionem seu nantizationem atque executionem factam, *l. fin. C. De edicto D. Hadr. tollen.* vel ad delegantem remittendæ, *c. De cætero De sent. & re iud. l. Executorem C. De execut. rei iudic.* Vnde cùm ex propositione collusionis evidenter aut apparenter non constet de collusione, aut collusionis aliqua specie, non est permittenda Reo collusionis exceptio, sic informiter & sine specificatione modi, causæ, vel conjecturarum obiecta, *Gigas de pens. q. 42. in fine*, ad remorandum dictarum literarum executionem; non magis, quàm non admittitur libellus generalis continens nullam obligationis causam, vel speciem seu medium concludendi, *Bart. & alij. in l. 1. D. De eden.*

3 Tertia exceptio magis primâ facie premere videtur: nam opiniones Doctorum, *Gigas de pens. q. 16.* magis in hoc inclinare videntur, illegitimè natos, & præsertim presbyterorum filios incapaces esse, non tantùm jurium merè spiritualium, *c. Literas De fil. presbyt. c. 1. eod. tit. lib. 6* sed etiam eorum, quæ spiritualium imaginem habent, & ex spiritualibus profluunt, *Gigas loco sup. cit.* Cæterùm pressiùs ista ponderando non urgent: nam ex literis reservationis dictæ pensionis constat cum dicto Impetrante specialiter dispensatum esse, ut pensionis possit esse capax: fit enim ex dispensatione, ut sicut quorumcumque beneficiorum, *c. 1. De fil. presbyter. lib. 6.* ita & multò magis pensionis capax efficiatur illegitimus, *Gomes. ad reg. Cancellar. de annali possess. q. 19. in fine*; præsertim illius, quæ non in titulum, sed simpliciter super beneficijs Ecclesiasticis imponitur, cujus plerique volunt esse capacem illegitimum etiam non dispensatum. Neque hic quærendum est scrupulosius de dispensatione ad pensiones obtinendas; an scilicet speciali ter oporteat ad eas esse dispensatum; an verò dispensatus ad qualiacumque beneficia sese invicem compatientia, censeatur etiam dispensatus ad pensiones, *Gigas de pension. q. 18. & 19.* Nam narratio illegitimitatis, conditionibus & qualitatibus illius expressis, scientiam S. D. Papæ reservanti superinducit. Iam verò sic se res habet, ut si Papa sciens aliquem esse illegitimum reservet ei pensionem annuam, etiamsi specialiter cum eo ad hoc non dispenset, valeat reservatio, & licitè retineri possit sic reservata pensio; quemadmodum & collatio beneficij facta indigno, quem Papa sciebat esse indignum, ipso jure valet; censeturque Papa super tali inhabilitate dispensasse, *Glos. in c. Cum Ecclesiastica De excep. Gigas q. 16. nu. 12.* Tenor ergò literarum Apostolicarum processui fulminato insertarum, satis diluit vitium incapacitatis, quod ex defectu natalium Impetranti obstare videbatur. Et hæc secundùm nostram sententiam, quam arbitramur esse juridicam.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis solutio provisionalis.

1. *Provisio decerni non debet, quando causa instructa definitivè terminari potest.*
2. 4. *Notarius publicus quando pro alio stipulari possit.*
3. *Ratihabitio debet fieri intra tempus, quo actus fieri potuit.*
5. *Pensio Ecclesiastica non est onus personæ, sed beneficij, & sequitur huius possessorem.*
6. *Pensionis solvendæ promissio conditionalis est, si & cùm reservata erit.*
7. *Pensionis promissio sine auctoritate superioris est illicita.*
8. *Obligatus sub conditione, solvens ante eventum conditionis repetit.*
9. *Alimenta provisionaliter decerni debent.*
10. *Pensio quando sit loco alimentorum.*
11. *Pensiones odiosæ.*
12. *Pensionis natura non ex præcedente promissione sed ex reservatione Papali expendenda.*

CONSILIVM CCLXXVI.

MIRVM est, quod in hac causa, quæ jam ad exitum properat, & in qua utrimque facta est diligens discussio juris, quod alter agendo, alter defendendo prætendit Procurator Magistri Servatij Nollens hujus causæ Actoris contendat ad provisionalem, eamque resolubilem (in casum contrarię sententiæ definitivæ) sententiam fiduciariæ solutionis; cùm diu antea contenderit tum solus, tum etiam conjunctim cum Procuratore D. Petri Caverini hujus causæ Opponentis, in causa concludendum ac jus quoad principale dicendum esse; in qua petitione auditi vel admitti non debet: * nam instructâ causâ, sic saltem ut in ea definitivè pronuntiari possit, non debet Iudex ad provisionalem sententiam confugere, aut Reum nondum condemnatū subijcere necessitari sequestrandæ seu nantizandæ pecuniæ; potissimùm cùm hujusmodi nantizatio odiosa sit, & à juris regulis exorbitet, *l. 1. C. De prohibit. sequest. pec.* Et si quando id toleratur aut admittitur ex moribus, statutis, aut constitutionibus novis, est id tantùm in litis exordio, cùm ex parte Actoris causa liquida est, & defensio Rei illiquida, requirens altiorem indaginem, ac longiorem moram; non etiam in fine, post, aut propè conclusionem causæ, *l. Dominus in fine & ibi Bart.*

De con-

de condict. indeb. quando ex actis Reus condemnari vel absolvi, & Iudici de causa liquere potest; & provisio nihil aut parum operatura est: nam ex sequente mox aut paulò post sententia absolutoria Rei, resolvitur ipsa provisio, & fiduciariè solutum venit restituendum, *Ang. in l. Si quis §. sed & si C. De præscript. 30. annor.* Sin condemnatoria sequitur, ex tam brevis temporis spatio nullum, aut saltem non nisi admodum modicum commodum inde Actori accedit; quod curandum non est, quia pro nihilo est; parum enim & nihil non differunt, *Instit. ad l. Falcid. in princ. in verb. nullo aut minimo.* De quo in hoc hujus causæ statu minùs dubitandum, vel ex eo, quod eadem seu similis petitio ex parte Actoris in hac lite adhuc distinctis duabus vicibus proposita, & per singula decreta reiecta sit; neque justiore aliqua ex causa nunc peti aut adjudicari debeat. Verosimile est Actorem diffidentiâ bonæ causæ & justitiæ quoad sententiam in principali ferendam, ad possessionis commodum respicere; ut eo obtento per accumulationes appellationum captare possit occasionem, quâ pauperculum sacerdotem in continuatione solutionis diutissimè retineat, & fortunæ eventum ei relinquat. Quò trahere videtur primò probationem manus, scripturæ, signi, Notariatus, & legalitatis Huberti Collon, qui instrumentum conventionis super reservatione futuræ provisionis confecit: secundò, confessionem Rei, quòd hanc pensionem aliquando solverit, & solvendo Actorem in quasi possessione eam recipiendi, & exigendi constituerit: & tertiò, quod dictum conventionis instrumentum claras & liquidas continere videatur promissiones: sed multum fallitur, ob id, quòd promissionum aperta verba evanescant, & resolvantur ex adiunctione & comparatione nudæ signaturæ Apostolicæ per eundem Actorem exhibitæ; in qua quod non continetur non potest referri ad obligationem Rei; ut latius constabit ex his, quæ in discussione causæ principalis paulò post dicemus. Sic quod probatio instrumenti, cùm verba obligantia in casu, de quo nunc agitur, effectu destituantur, nullius sit momenti; & sic unicâ consideratione simul corruant duo fundamenta, quibus Actor in hoc provisionalis solutionis articulo nititur; prout etiam corruit tertium: nam nusquam fatetur Reus se solvisse præfato M. Servatio Nollens hujus causæ Actori, sed D. & M. Ioanni Nollens fratri ejusdem M. Servatij; qui suppositâ personâ ejusdem Actoris hujus pensionis proxeneta & nundinator fuit: ut satis licet percipere ex apochis & literis Domini Dionysij Dolhain, quas Reus ad convincendam malitiam Actoris exhibuit, & Actor apertè confessus est. Quod ipsum quoque convincit hoc, quod in dictæ conventionis instrumento hujus causæ Actor nullas partes sustineat, neque stipulantis, neque promittentis, neque denique consentientis: imò ne hoc quidè constat, eum hujusmodi actui præsentem interfuisse, sed ex adverso clarè deprehenditur absentem fuisse. Vnde consequitur tunc ei nullam ex hac præfati Rei promissione acquisitam fuisse obligationem, *l. Quæcunque De act. & oblig.* non ex conventione D. Ioannis Gubernatoris, qui pensionem hanc stipulatus fuit, & D. Petrum Caverinum ad præstandum consensum in reservationem illius, ac post reservationem ad faciendam solutionem obligat; quia alteri nemo stipulari potest, *l. stipulatio ista §. alteri De verb. oblig. l. Cum per liberam C. Per quas pers. nob. acq.* præsertim quod apertè falsa sit causa, quæ dicto instrumento inserta, cur dictus D. Ioannes Gubernatoris reservandam pensionem dicto Servatio voluerit solvi; videlicet tamquam personæ sibi gratæ, & acceptæ; quem D. Ioannes, ut & ipse Reus, numquam viderant: sed tota res coaluit ex machinatione, & nundinatione D. Ioannis Nollens, qui sub nomine D. Ioannis Gubernatoris, tacitam fidem in fraudem canonum accommodantis, indultum à Regia Majestate impetraverat (quod ipse tamquam extraneus, & non in Belgio sub suo nomine facilè impetraturus non erat) & virtute illius Ecclesiam parochialem de Rameloz acceptaverat, & jus & actionem eidem D. Ioanni G. competens dicto Reo de eadem Ecclesia provisо per collationem Ordinarij collatoris, cedi, & transferri mandaverat. Quod satis percipitur ex dictis literis D. Dionysij Dolhain (qui fuit unus testium in instrumento dictæ conventionis & promissionis) in quarum secunda satis declarat, se non scire, quòd ista pensio fuerit reservata D. Servatio, sed ipsi D. Ioanni, seu ejusdem nepoti. Et quamvis non exprimat proprium nomen Domini Ioannis, sed tantùm commune cognomen familiæ Nollens, eum tamè non sentire de Servatio, sed Ioanne clarissimè indicat sequens apocha ejusdem Dionysij Dolhain, ex intervallo unius anni sequuta, de soluta per Reum hujus causæ pecunia eidem Domino Dionysio, pro D. & M. Ioanne, quem Reus existimabat esse suum creditorem: sic ut inde non possit dici Servatio acquisita possessio recipiendæ pensionis, quam ipse non recepit, & receptam esse ignoravit; & quam non satis constat D. Ioannem voluisse acquirere dicto Servatio: potissimum quia idem Dominus Ioannes non fuerit fratris sui Servatij procurator, cum antecedente legitimo mandato, *l. 1. C. De acquir. poss. l. communis §. 1. D. eod. tit.*

Proinde nihil quoque facit ad stabiliendam hanc possessionem illa consideratio, quòd Hubertus Collon, Notarius hujus instrumenti, scribat Reum sibi stipulanti & recipienti vice & nomine antefati Servatij promisisse, & addixisse; & quod perinde nunc Notarius publicus, *Bald. cons. 200. Verba Cyni vol. 1. Car. Molin. cons. 60. Quod præfatanu. 9.* ut olim servus reipub. seu universitatis, cuicumque de universitate stipulari, & stipulando alij possit acquirere, *l. 2. D. Rem pupilli fal. fore*: nam ex sententia Philippi Decij id obtinet, *in l. 1. nu. 22. C. De pactis*, si re integrâ is, cui Notarius stipulatus est, acceptaverit. De quâ dicti Servatij acceptatione nihil constat, saltem de non aliqua acceptatione, quam D. Servatius fecit eo tempore, quo Dominus Petrus Caverinus nondum desierat esse hujus Ecclesiæ parochialis

rochialis de Rameloz possessor, extra quod idem D. Petrus non potuisset Domino Servatio consentire in reservationem alicujus pensionis, super fructibus & emolumentis dictæ parcohialis Ecclesiæ; quia hoc esset de alieno largiri, quod jus non patitur, *l. Si filiusfam. C. De donat. l. Distrahente C. De reb. alien. non alien. l. si probaverit C. Si res aliena pig. data sit.*

3 Acceptatio autem, ratificatio, seu ratihabitio ejus, quod ad commodum aut emolumentum alterius, quàm paciscentis factum est, fieri debet durante tempore, quo actus sic cum absente geri poterat, non etiam eo elapso, *l. Bonorum D. Rem ratam haberi.* Atque ita nusquam in hujus causæ actis extat aliqua significatio acceptationis, aut ratificatio D. Servatij, nisi primùm illa, quod adversus Dominum Toussanum Pontanum immediatum successorem Rei hujus causæ in dicta Ecclesia parochiali de Rameloz D. Servatius per citationes processerit (est enim hic actus pro ratihabitione, ut in hærede, pro hæreditatis aditione, *l. Pro hærede §. si quid D. pro hærede*) sed contigit ista demùm in anno sexagesimo sexto; quo tempore Reus diu desierat possidere hanc Ecclesiam; ut ex actis apertissimè constat; tum ex depositione dicti Domini Toussani (cui contra se & cum periculo damni proprij deponenti credi debet, *Glos. in c. Dudum Deelect. lib. 6. Marian. Socin. regula 422. fallen. 2.*) tum per literas institutionis & in possessionem inductionis Domini Toussani, quas testificando in hac causa exhibuit.

4 Et licet controversi juris articulus sit, num per stipulationem Notarij publici potentius jus acquiratur absenti, & ignoranti, quàm per quemcumque privatum; pluribus communiùs existimantibus, *Bart. in d. l. Stipulatio ista §. si stipuler De verb. oblig. Alber. in l. Non enim De adopt. Io. Faber in §. si verò aliquis in pr. Inst. De satisdat.* acquiri ipso jure non tantùm obligationem & actionem; sed etiam possessionem ac dominium in momento, quo actus geritur, sic ut nullâ opus sit acceptatione, aut ratificatione sequente; nihilo tamen magis constitui hic potest aliqua D. Servatij in hoc jure incorporali exigendi, & recipiendi pensionem possessio, ob id, quòd ipse illam sibi vel corporali suâ receptione numquam constituerit aut se habere sibi persuaserit adversus Reum hujus causæ; sed contrarium faciendo, affectionem habendi illam, primùm inceperit adversus D. Toussanum; sine affectione autem habendi possessionem, nemo illam acquirit, *l. 1. § adipiscimur De acquir. poss.* & si priùs habuisset, per hujusmodi persecutionem adversus Dominum Toussanum habere desijsset: ut etiam solo animo facilè amittitur & deseritur possessio, *l. Si quis vi §. differentia De acquir poss.* ut latiùs dictum est in præcedente nostra consultatione, ad avertendam hanc provisionalem solutionem, ad primam petitionem Actoris exhibitam, *vide s conf. 274.*

Cui hoc adjicimus, possessionem, quam Actor
5 ratione hujus pensionis prætendere posset, conditionatam esse, non simplicem & absolutam: restricta quippe est ad possessionem dictæ Ecclesiæ, & ad facultatem percipiendi fructus, & emolumenta ejusdem; hoc est, ut Actori profit sua possessio adversus possessorem beneficij hac pensione gravati; quia non propriè gravatur aut obligatur persona, sed ipsum beneficium & illius fructus; ideoque non propriè personalis, sed magis realis, & in rem scripta sit actio, quæ pensionario ad exigendam pensionem datur, *Lud. Rom. cons. 388. In casu proposiii thematis, Hieron. Gig. in tract. de pens. q. 51. & cons. 1.* ex eaque causâ ob præteritas pensiones, quas prædecessor in beneficio insolutas relinquit, conveniri possit successor in beneficio, *Gigas in d. tract. de pens. q. 43.* Cum itaque Reus hujus causę hoc beneficiũ dimiserit in anno sexagesimo quinto post festum Paschæ, & primus terminus solvendæ pensionis cesserit in festo Paschæ anno sexagesimo quarto, ut apertè demonstrat tam nuda signatura, quæ est expedita Nonis Maij anno Pontificatus Pontificis tunc existentis quarto, hoc est septima Maij anno 1563. ut colligitur ex notula consensus per procuratorem D. Petri Caverini in hujus pensionis reservationem præstiti, scripta in dorso dictæ signaturæ; quàm testimonium, & literæ institutionis, & adeptæ possessionis D. Toussani Pontani, quod termini, qui cesserunt in festo Paschæ anno 1566. aliisque sequentibus in hunc usque diem referri debeant ad onus gravamen & obligationem D. Toussani Pontani possessoris & defructuatoris dicti beneficij, & minimè ad D. Petrum Caverinum: consequens est, Actorem beneficio alicujus possessionis non posse urgere Reum ad continuationem solutionis, lite hac pendente, per provisionalem sententiam; quia quoad terminos, qui cesserunt anno sexagesimo sexto, & sequente, cessat obligationis causa quoad personam D. Petri; & quoad duos primos annos, sexagesimum quartum, & sexagesimum quintum, qui utiliter cesserunt Actori adversus Reum hujus causæ, nulla prorsus est obligatio, propter solutionẽ pro illis per D. Petrum factam; ut solutione tollitur omnis obligatio, *l. Si cum servus, l. Pecuniæ C. De solutionib.* Solutionem autem factam esse satis demonstrant suprataetæ D. Dionysij Dolhain exhibitæ literæ.

Et ne locus relinquatur cavillationi, quod nullam mentionem faciant ipsius Actoris, & quod alij quàm cui debetur facta solutio non liberet solventem ab obligatione, *l. Invito C. de solut.* alterutrum hic constituendum est; vel hujusmodi solutionem non esse factam; vel esse factam Actori, aut alteri ejus nomine, ipso illam ratam habente. Si sustinent non esse factam (quod non obscurè indicant literæ citatoriæ contra Toussanum exhibitæ, quibus non tantùm petit pro termino anni 1566. sed etiam pro terminis aliorum præcedentium annorum) frustrà jus possessionis, seu quasi, recipiendi hujusmodi pensionem constituit adversus Reum, qui pro primis duobus annis negat eum solvisse. Quod manifestum quoque est de sequentibus annis, pro quibus solutionem in hac causa petit; petere autem non posset, si solutionem aliquam recepisset. Sic quod neque adversus Reum, neque adversus D. Toussanum executivè & provisionaliter procedi possit ratione alicujus possessionis, seu quasi, quam proprio hoc suo judicio, & declaratione Actor apertè fatetur se non habere, negatis prædictis duabus solutionibus

lutionibus per Reum factis. Sin verò fatetur, aut ratas habet duorum priorum annorũ solutiones quæ (ut diximus) satis probantur per dictas D. Dionysij Dolhain literas,& quitantiam;& ijs cessantibus sufficienter probantur per Actoris propriam allegationem (quæ pro aperta confessione accipienda est, *l. Cum precum* C. De *liber. causa*) per quam allegationem & confessionem ad constituendam & asserendam hanc possessionem positivè dicit, Reum solvisse hanc pensionem spatio plurium annorum: quod intelligendum est ut minimùm de duobus annis; cùm generaliter pluralis locutio concursum duorum annorum requirat, *l. Vbi numerus D. De testib.* & apertiùs cùm dicit, quòd Reus pro annis, quibus fuit Rector seu Pastor Ecclesiæ de Rameloz, sibi Actori seu ab eo mandatum habenti (quem intelligit esse D. Ioannem ejus fratrem) solutionem hujus pensionis dependerit; consequitur improbam esse petitionem Actoris, qui idem bis petit, *l. Dolo facit De except. doli*; quod receptum tamquam indebitè solutum restituere teneretur, *toto tit. De condict. indebiti*. Vt nulla sit ratio, cur rigoroso hoc remedio provisionis, seu sequestrationis Reus percelli & opprimi debeat. Nec satis deprehenditur, cur Actor in hac sua petitione quoque inserat, dictos duos annos 1564. & 1565. & tamen pro pluribus annis sibi per Reum solutum fateatur, qui plures anni verificari non possunt nisi pro dictis duobus 64. & 65. ob id, quòd pro anteriore aliquo anno videlicet 63. 62. 61. aliquis terminus solvendæ pensionis Actori utiliter cedere non potuerit: nam data reservatæ, & per Pontificem admissæ resignationis (ut superiùs demonstravimus) est de septima Maij, anni 1563. ut constat ex nuda signatura per Actorem exhibita; & tenor supplicationis, cui eadem signatura subiecta est, apertè continet hæc verba, *Ita tamen quod primus terminus solutionis pensionis huiusmodi in festo Paschæ proximè cedat*: quibus significatur, festum Paschæ proximum futurum, hoc est anni sexagesimi quarti, *l. Eum qui calendis De verb. oblig.* adeò ut etiamsi in ipso die Paschæ anni 1563. reservatio obtenta fuisset, nihilominus dici deberet primus ejus terminus cedere in festo Paschæ tunc proximo hoc est anni 1564. *d. l. Eum qui calendis in fine princ.* quia id minus est, & in dubio sequendum, *gloss. in d. l. Eum qui calend. in verb. sequentib.*

Nec ad rem, aut ad augendam seu anticipandam obligationem Domini Petri facit, quòd instrumentum Cameralis obligationis, ex qua in hac causa agitur, sit de data anni 1562. mensis Septembris diei tertiæ, cui proximum festum Paschæ sequitur in anno 1563. non primùm in anno 1564. nam in hac re non est inspicienda data promissionis factæ de solvenda pensio-
6 ne, sed inspicienda data nudæ signaturæ: † nam promissio ipsa non pura, sed conditionalis est, *si*, seu, *cum* scilicet *per nudam signaturam S. D. Papæ, hæc pensio reservata, & D. Petro nuda seu simplex signatura reservationis huiusmodi pensionis ostensa seu visa fuerit*: quæ verba conditionem faciunt, *l. Stichum qui meus erit Deleg.* 1. & recipiunt tempus cedentis obligationis, non interpositæ conven-
7 tionis. † Illicita namque est, & ad simoniæ crimen declinans,& sic nullius momenti omnis promissio solvendæ pensionis, quæ purè & simpliciter privatâ pactione constituitur, nec inde nascitur aliqua obligatio, nisi contrahatur sub placito seu arbitrio beatissimi Papæ, seu sub conditione impetrandæ reservationis à sua Sanctitate, *Clem. 1. § eadem De suppleu. neglig. Prælat. c. Nisi essent De præb. Gigas de pens. quæst. 5. nu. 1.* Quo placito, & arbitrio S. D. Papæ superveniente, purgatur quicquid illiciti in præcedente privata partium conventione latuit, *c. Cum pridem & ibigl. & DD. in verb. illicitæ De pactis*: ideoque vis & immediata causa obligationis non constituitur in ipsa promissione, seu conventione, sed in Superioris auctoritate & confirmatione, *d. c. Nisi essent, in verb. non idem ex conventione partium, sed ex iussione iudicum, Gigas de pens. q. 6. nu. 8.* Cùm ergò vitium privatæ & illicitæ pactionis purgatum sit primùm septimâ Maij, anno 1563. & promissio solvendæ pensionis sit conditionalis, dependens ab eventu impetrandæ reservationis Pontificiæ, nec ex conditionali promissione cedat, aut veniat dies, nisi veniente, & purificatâ conditione, *l. Cedere diem De verb. signific.* & præterea Ioannes Gubernator supplicando Pontifici pro hac reservatione formaliter pensionem suam sic qualificet & restringat, ut primus hujus pensionis dies cedat in festo Paschæ tunc (hoc est post septimum Maij anno 63.) proximo, quod futurum erat in anno 64. dubitatio nulla est, quin soluta per Reum pecunia, & quam Actor sibi, seu alij, suo nomine pro pluribus annis solutam asserit (ut suprâ demonstratum est) referenda omninò sit ad dictos duos terminos anni 64. & 65. præsumitur enim quisque solvisse ex causa, ex qua obligatus est, non ex causa, quæ vel falsa vel nulla est, *l. Cum de indebito* De *probat.*

Nec hanc considerationem avertit, quòd literæ illæ D. Dionysij Dolhain per Reum exhibitæ faciant mentionem solutionum factarum in anno 63. quasi scilicet illæ referendæ sint ad solutionem primi termini, qui cederet in proximo festo Paschæ post datam promissionis (quæ est de data tertiæ Septemb. anni 1562.) & sic pro termino cesso in festo Paschæ anno 63. nam dictus contractus non continet aliquam specialem mentionem termini festi Paschæ anni 63. neque etiâ loquitur specialiter de termino festi Paschæ tunc proximè venturi; sed de eo, qui proximus esset ab impetrata nuda signatura Apostolica reservationis hujus pensionis; prout D. Ioannes Gubernator impetrando hanc pensionem septimâ Maij anno 63. expressè & specificè supplicando petijt, quòd primus terminus solutionis pensionis hujusmodi cederet in festo Paschæ proximo, hoc est anno 64. Vnde avertitur cogitatio voluntatis solvendi pensionem pro termino festi Paschæ anni 63. propter defectum præexistentis aut nondum cedentis obligationis; quæ, (ut diximus) in proposito ex conditionali obligatione (qualis est hæc, de qua quæritur) cedere non potuit ante diem impetratæ reservationis seu nudæ signaturæ; neque ulla adversus Reum exactio fieri potuit, nisi (ut expressè dictum est in prædicto contractu) ostensâ signaturâ: nam non purificatâ conditione, sub

qua

qua promissio facta est, contractus perinde habetur, ac si initus non esset, *l. Si quis fundum, De contrahend. emptio. l. Is damnum* §. *ult. De regul. iuris*: nec ad nos pertinet, quod sub conditione promittitur, antequam conditio existat, *l. Si ita scriptum sit De legat.* 2. † Pecunia itaque quam Reus bonâ fide misit ad D. Dionysium Dolhain, veluti mediatorem, inter Actorem, seu potiùs D. Ioannem ejus fratrem, missa est pro solutione pensionis, & aliò referenda non est, quam ad diligentiam Rei, ac bonam illius fidem exuberantiùs exhibendam; ut scilicet non deprehenderetur in mora solutionis, si fortè nuda signatura ante festum Paschæ anni 63. impetrata fuisset: quod quia factum non reperitur, non est præsumendum, quòd Reus solvendo ante eventum conditionis voluerit, vel obligari, vel solvendo damnum aliquod pati. Vnde est quod generaliter decisum sit, obligatum sub conditione, ante existentem conditionem solvere quidem posse, sed quod præsumatur solvens per errorem id fecisse, vel saltem cogitatione eventuræ quandoque conditionis, ante cujus eventum ob id solutum per solventem repeti potest, *l. Sub conditione De condict. indebiti*; quod signum est eam solutionem conditionali creditori non prodesse. Evenit quidem festum Paschæ anni 1563. sed non evenit conditio impetrandæ, seu impetratæ reservationis. Duplex namque in promissione Rei latet conditio, una tacita, si scilicet, seu, cùm veniet festum Paschæ; altera formaliter, & expressè, si reservatio Pontificia impetrata, & illius nuda signatura Reo seu ejus successoribus in dicta Ecclesia de Rameloz ostensa erit. Et tacita quidem conditio in eo consistit, si & quamdiu singulis annis post reservatam pensionem D. Servatius superstes esset in festo Paschæ; quia eo antè mortuo extingueretur obligatio, aut saltem exceptione perimeretur, *l. Si in singulos, l. Cum in annos & utrobique glos. De annuis legat. DD. in l. Qui hoc anno De verb. oblig.* Cujus tamen eventus non sufficit; prior namque existere debet, quæ in figura verborum conspicitur, hoc est eventus beneplaciti Sedis Apostolicæ seu reservatæ pensionis; ut nihil sufficiat superstitem fuisse in festo Paschæ anni 63. si quoque non sit impetrata dicta reservatio, prout hic impetrata non est. Vbi enim plures conditiones obligationi apponuntur, vel tacitè insunt, requiritur eventus omnium; ita ut vel effectualem nativitatem obligationis impediat. Vt & in concursu plurium impedimentorum, sublato uno impedimento, vis impediendi, seu prohibendi manet ex alijs, quæ sublata non sunt, *l. Si non lex alia D. De hared. instit.* Sibi itaque seu suo auctori Domino Ioanni Gubernatoris, ex cujus beneficio hanc pensionem habet, imputare debet Actor, cur non citiùs, scilicet ante festum Paschæ anni 1563. supplex sit factus Pontifici pro impetranda hac reservatione; præsertim cum ex instrumento promissionis per Actorem exhibito constet Reum in nulla mora fuisse, quò minus reservatio citiùs impetrata sit; utpote qui in dicto instrumento promissionis 3. Septemb. anno 1562. Procuratores in Curia Romana constituit, ad consentiendum in reservationem; prout virtute illius constitutionis Procurator Rei consensit in eam: ut constat ex opistographo, seu dorsali annotatione dictæ nudæ signaturæ: Ideoque D. Ioannes Gubernatoris (cujus factum dictus Actor tanquam auctoris sui, improbare non potest, *l. Illud D. De pericul. & comm. rei vend. l. ult. De contrah. empt.*) non Reus in novissima mora fuit; quæ ob id Actori, non Reo nocere debet. Quemadmodum qui stipulatus est arbitratu, seu sub beneplacito alicujus opus sibi fieri, si post interpositam stipulationem moram fecerit, quò minùs ille arbitretur, non tenetur promissor: & si is, ad cujus arbitratum res reiecta est, omninò non arbitretur, evanescit obligatio, *l. Si quis arbitratu cum l. seq. D. De verb. obligat.* Vt etiam hic futurum erat, si Pontifex suum beneplacitum omninò noluisset huic conventioni seu reservationi pensionis accommodare: ut mirum non sit, si dicamus pro termino Paschæ anni 63. nullam obligationem esse, nec eventum conditionis pro sequentibus annis, nec retro trahendi materiam ad annos præteritos, qui non habent fomentum vel adminiculum Pontificiæ reservationis: quæ sequens tantùm tempus respicit; potissimùm propter illa formalia verba signatæ supplicationi inserta, *Ita tamen quod primus terminus huiusmodi solutionis in festo Paschæ proximo cedat*; quod superius diximus accipiendum esse de proximè futuro, non de proximè præterito, *d. l. Eum qui calendis De verb. signif.*

Quare manifestum relinquitur, solutiones pro anno 1563. fortè factas, omninò fuisse indebitas, illasque ob id condici seu repeti potuisse; & ex eventu conditionis, quoad sequentes annos illis imputandas velut jure compensationis, ne dicatur Actor recepisse ex illicita, & prohibita causa, in qua est pensio privatâ tantùm pactione constituta, nec per sedem Apostolicam reservata. Quò tendunt illa verba dictarum literarum D. Dionysij Dolhain, quòd nollet acceptam à Reo pecuniam pensionario dare, nisi prius ostensâ signaturâ reservationis Apostolicæ, ne Reus in vitium & periculum simoniæ incideret. Satis ergò superque deductum, & probatum est, primum terminum pensionis hujus cessisse anno 1564. eumque, ac etiam terminum anni 1565. Actori solutos esse; nec Actorem habere aliquod jus possessionis recipiendi pensionem pro annis sequentibus, pro quibus Reus obligari non potuit. Nihil suffragante Reo dicto instrumento conventionis, quasi clarum & liquidam promissionem contineat; ex eo, quòd in ea contineatur aperta Rei promissio de solvenda hac pensione, etiamsi contingeret eum resignare, seu alio quovis modo dimittere prætactam Ecclesiam de Rameloz. Nam inde non potest Actor ullam habere possessionem recipiendæ hujus pensionis adversus Reum; qui quamvis probè solverit pro annis 64. & 65. nimirum quia tunc erat Rector & defructuator dictæ Ecclesiæ de Rameloz; minimè tamen pro annis sequentibus, aut aliquo eorum: cùm id constet ex petitione Actoris, petentis à Reo terminos cessos anno 65. & sequenti: solutum enim præsumi non potest quod Actor petit; & paulò post demonstrabimus fieri non potuisse, ut Reus aliquo modo teneretur pro tempore seu annis, quibus desijt esse dictæ Ecclesiæ possessor.

Penè

9 Penè prætermittamus alimentorum considerationem, ad quæ Reus quoque collimare videtur, ut faciliùs extorqueat petitam provisionem; ob id, quòd alimenta sint favorabilia, & cùm petuntur in contradictione adversarij, eorum nomine provisio decerni soleat ante pleniorem causæ cognitionem, *Rebuff. ad constit. Regias tract. de sent. provision. glos. 2. art. 1.* ideoque vulgò dicatur, quòd ut exactio alimentorum retardari non debet, propter periculum vitæ hominis, *l. Filiæ & ibi Bald. C. De patr. potest. Gig. de pens. q. 6. nu. 4.* ita quoque nec legitimè reservatæ pensionis loco alimentorum solutio per litem seu contradictionem retardari debeat, *not. in l. De aliment. C. De transact. Gig. cons. 21. Edoceri cupis nu 4. Rebuff. de sent.* 10 *provis. in præfat. nu. 125.* * Cæterum ut hoc in genere verum sit, cùm in literis, seu nuda signatura reservatæ pensionis expressis & conceptis verbis dicitur, *quòd reservetur pensio loco alimentorum ipsius pensionarij*, quasi ex piæ causæ consideratione (quâ plerique in alimentis constituunt, *And. Tiraquel. de pia causa, in præfat. vers. item legat. alimen.*) vel si reservetur pro paupere, quasi tunc subsit conditio causæ alimentorum, *Tiraquel. loc. sup. cit.* id tamen non præsumitur, nec servatur, cùm reservatur diviti, & qui his alimentis non indiget, seque aliunde exhibere potest, *argum. l. Si quis à liberis De liber. agnoscen.* & præsertim quando ad latiorem, vel lautiorem seu commodiorem sustentationem seu exhibitionem pensionarij fit hujusmodi reservatio, ut facta est hic. Supplicando etenim dictus Actor, hæc verba inseruit suæ supplicationi, *ut commodius sustentari valeat.* Nec in ea causa subsistit, sed subiecit & aliam, *Ne ex huiusmodi sua resignatione nimium dispendium patiatur*; quæ ad Actorem relata falsa est: quia is numquam obtinuit, ergò nec resignare, aut dimittere potuit Ecclesiam de Rameloz, *l. Decem De verb. oblig.* & ad Dominum Ioannem Gubernatoris relata Actorem non contingit, efficitque ut sit planè gratuita, ac lucrativa, & velut adventitium lucrum, quod favorem nullum meretur, *l. Non debet actori §. 1. De reg. iur.* Neque ex alimentorum causa constituta dici potest, *Ioan. Bapt. Caccialupus de pens. q. 9.* quia paupertatis D. Servatij nulla fit mentio in dicta supplicatione, neque in præcedenti contractu, neque etiam in actis hujus causæ; & rei evidentia contrarium demonstrat. Sic ut in cursu hujus litis bis reiecta petitio promissionis solutionis ante causæ cognitionem, nunc in exitu causæ, ea instructa & perorata, cum definitivè pronuntiari possit, admitti aut decerni non debeat: dolo enim facit (ut diximus) qui petit quod statim restituturus est, *d. l. Dolo De except. doli.*

Sic igitur discussâ & aversâ petitione provisionalis solutionis, solùm hoc restat excutiendum, an Reus efficaciter fuerit aut sit obligatus ad solvendum hanc pensionem etiam post tempus resignatæ seu dimissæ Ecclesiæ de Rameloz ad opus D. Toussani Pontani, hoc est pro anno sexagesimo sexto, & sequenti; nam superiùs satis demonstratum est, obligationem pro annis sexagesimo quarto & sexagesimo quinto solutione prorsus extinctam esse. In quo articulo rem breviter perstringemus, cùm de eo quoque scripserimus in præcedente consultatione, *vide s. cons. 274.* Et sanè nulla potest hic esse justa dubitationis causa: cùm reservatio pensionis in certum casum non includat alios minimè expressos, multò minus ad illos extendatur, *Paul. Paris. cons. 5. Vnio istius Monasterij nu. 145. vol. 4.* * præsertim in materia 11 odiosa, & stricti juris; ut est pensionis reservatio, *Gigas de pension. q. 96.* in qua casus omissus pro omisso habetur, *l. Quicquid astringendæ De verb. oblig. c. Susceptum De rescript. lib. 6.* * Et ut pen- 12 sionis obligatio, seu reservatio, vel omninò non, vel difficiliùs extenditur ad successorem singularem in beneficio, quòd pensione gravatum est, si saltem in supplicatione nulla facta est successoris mentio, *Gigas de pens. q. 44.* ita quoque successoris facta mentio in parte dispositiva hoc efficit, ut adveniente casu successionis, velut rerefolutâ & extinctâ conditione, sub qua consentiens in reservationem se obligavit, videlicet, si & quamdiu Rector Ecclesiæ de Rameloz esset, illiusque fructus reciperet, idem consentiens ampliùs non obligetur, sed in successorem transferatur obligatio: quia scilicet hæc est lex, & conditio consensus præstiti. Verum quidem est, dictum antecedens instrumentum conventionis inter Reum & D. Ioannem Gubernatoris initæ (Deus scit quomodo) expressim continere hanc clausulam, *Etiamsi eumdem D. Petrum prætactam Ecclesiam loci de Rameloz resignare seu alias quovis modo dimittere contingeret, ipsi D. Servatio quoad vixerit satisfacere*; sed ea clausula per se stat, nec habet adiunctum fomentum, aut sustentaculum ex sequenti reservatione Apostolica: ideoque (ut superiùs diximus) ea in parte nulla & minimè obligatoria censeri debet; quia scilicet privata tantùm pactio est, ideoque illicita. Et hinc fit, ut in constituenda, ac suis limitibus circumscribenda obligatione pensionaria, inspicere oporteat, non instrumentum antecedentis conventionis inter partes, sed sequutæ supplicationis S. D. N. Papæ pro obtinenda reservatione porrecta: sic quod inspiciendum sit, quid contineatur in ventre supplicationis signatæ, non quod subiectum est in stomachum præcedentis privatæ conventionis; quæ sæpè continet materiam nimis crudam, & quæ digestionem non admittit, & delata ad audientiam Pontificis reijcitur. Vnde signatura Apostolica numquam plus tribuit quàm per supplicationem petitum existit, *Lud. Gomes. ad reg. cancell. de annali poss. q. 16. nu. 9.* ut nec sententia ultra petita extenditur, *l. Vt fundis D. Communi divid.* quia forma petitionis & supplicationis dat intellectum per subiectam signaturam impetratorum & concessorum, *c. Inter dilectos §. ceterum in verb. ex forma petitionis & ibi Felin. nu. 14. De fide instrum.* Nec dubitandum est, quin Actor hujus causæ tentaverit impetrare signaturam per supplicationem continentem insertionem dictæ clausulæ exorbitantis de solvenda eadem pensione per D. Petrum in casum resignationis, vel dimissionis dictæ Ecclesiæ; sed illam tamquam nimis illicitam, & à jure scripto exorbitantem reiectam fuisse, ideoque reformatâ supplicatione, & omissâ dictâ clausulâ exorbitante de solvendo post

resignatio-

resignationem, seu dimissionem dictæ Ecclesiæ iterum fuisse supplicatum, modo & formâ in dicta signata supplicatione contentis. Quæ procul dubio etiam videtur esse causa, cur reservatio pensionis, & nuda signatura sit expedita seriùs; hoc est non ante festum Paschæ anni 1563. Ita quòd antecedens promissio de solvendo post resignationem seu dimissionem fuerit juris impossibilitate impossibilis, ideoque non obligatoria, dependens à clausula, quæ totam conventionem & promissionem regit & moderatur, *si bene placitum sedis Apostolicæ acceſſerit*, in re, quæ illicita de jure, & sic impossibilis est, non sequuto Pontificis beneplacito. *Doct. in l. Non solum D. De actio. & oblig. & in §. Si impossibilis Institut. de inutilib. stipulat.* Quinimò cum constet ex tenore ipsius supplicationis signatæ illam esse exhibitam non sub nomine D. Ioannis Gubernatoris contrahentis, & paciscentis cum Domino Petro, sed D. Servatij, qui cum eodem D. Petro non contraxit, sibi imputare debet idem D. Servatius hujus causæ Actor, quòd nullam mentionem fecerit promissionis solvendæ etiam post resignationem, seu dimissionem; quasi scilicet ab ea recesserit & consensum pro parte D. Petri in hujusmodi reservationem præstitum ad illum casum non extenderit. Prout etiam sic intelligendo & accipiendo reservationem ampliùs quam quatuor annis post annum 1565. quo Reus hanc Ecclesiam dimisit, quoad Reum tacuit, nec adversus illum tamquam non defructuantem dictam Ecclesiam, persequutionem alicujus solutionis fecit. Et quod magis est derelicto Reo D. Toussanum pro ijs annis persequutus est; ut satis constat ex citationibus & alijs ad hunc finem tendentibus actibus, quos Actor obiectione deficientis mandati à se avertere conatur; sed per instrumenta exhibita & testimonia testium, quos Reus produxit, satis probata sunt. Quamobrem finem tandem faciendo, sustinemus, officium Reverendi Domini Iudicis esse, ut secundum conclusionem pro parte Rei in hac causa propositam, sententiam dicat.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensionis remissio.

1. 4. *Clausula*, ab omni & quocumque ordinario & extraordinario onere liberum non includit casum insolitum.
2. *Insolita ab extraordinarijs an differant.*
3. Etiam *dictio implicat & extendit.*

CONSILIVM CCLXXVII.

EXceptiones, quibus D. Eynodus Leonardi adversus petitionem D. Ioannis de Douveryn Impetrantis utitur in causa petitæ pensionis duodecim florenorum, reservatorum, super fructibus Canonicatus & præbendæ S. Iacobi Lovanienſis, juris soliditate non consistunt. Primò etenim non constat de tempore, quo medietas bonorum per Ecclesiasticos fuit Duci Brabantiæ soluta; an hoc tempus inciderit Reo existente hujus beneficij possessore, an eo tempore, pro quo petitur pensio: neque item constat de quantitate reparationis Ecclesiæ, ob quam secundò loco Reus solutionem pensionis diminuere nititur. † Et ut de his ex actis liquidò constaret, nihilo fundatior esset Reus. Nam quod ad priorem exceptionem attinet, etiamsi verum aliquatenus sit, quod clausula, *Ab omni & quocumque onere*, non includat casum insolitum & incogitatum, *Hier. Gigas de pens. q. 66.* qualis est hic casus solvendæ dimidiæ partis bonorum ex causa contributionis & exactionis laicalis; ut obligatus ad omnia onera alicujus rei, non intelligatur obligatus nisi ad onera ordinaria, minimeque ad extraordinaria & insolita, *l. Rutilia* pollæ *& ibi Bart. De contrah. empt. l. Medico De auro & arg. legato, Angel. cons. 176. Præmittendum est*; est tamen alia juris ratio, cùm ex verborum adiectione dictæ clausulæ vis intenditur: veluti cùm (uti in propositæ pensionis reservatione evenit) sic concepta est clausula, *Libera ab omni decima, subsidio, & alio quocumque ordinario & extraordinario onere, quavis etiam Apostolica auctoritate impositu.* † Similis enim & paris potestatis est cum illa, *A quocumque onere tam solito quàm insolito &c.* quâ adiectâ Hieronymus Gigas (cujus auctoritate Reus nititur) apertè fatetur Pensionarium non teneri ad contributionem hujusmodi oneris insoliti, neque inde diminui pensionem: extraordinaria autem insolitis æquiparari, & velut synonyma hac in re pro ijsdem haberi certum est. Extra ordinem enim fieri dicuntur, quæ insolita sunt, & quæ prospici ac prævideri non possunt. *l. Sed & si §. si feriæ Ex quib. caus. maiores.* Vnde est, quod idem Gigas diversis locis parem vim tribuit verbo *extraordinario*, & verbo *insolito*, *d. quæst. 66. & cons.* 8. *Requisitioni tuæ in fine.*

Nec quicquam Reo suffragatur, quod de auctoritate Apostolica conjuncta sit mentio; quasi inde restringatur clausulæ tam effusis verbis conceptæ potestas; ut scilicet non comprehendat hunc casum, quo Principi laico onus dimidiæ partis bonorum præstatur: * nam Apostolicæ auctoritatis mentio per intentionem, non per restrictionem adiecta est, additâ dictione, *Etiam* quæ implicandi & extendendi potestatem habet. *Bart. in l. 1. in fine Si tut. vel cur. interven. Card. in Clem. 1. De testâ. & in Clem. Religiosus De procur.* ut non tantùm inferioris auctoritas, sed Pontificia seu Apostolica quoque hîc includatur; quasi major sit dubitatio de Pontificia quàm alterius cujuscumque inferioris. Deinde cùm Impetrans, respondendo ad articulum, quo Reus allegat exactionem dimidiæ bonorum ad utilitatem Ducis Brabantiæ, quod planè insolita & nullâ providentiâ comprehensibilis esset, cùm secularis seu laicus Princeps Clericis exactiones seu collectas indicere non possit, *Auth. Item nulli C. De Epiſc. & clericis*, confessus sit medietatem hanc solutam esse ex concessione & auctoritate Pontificia, cessante potestate & ampliatione adiectæ dictionis *Etiam*, comprehensus dici deberet hic casus sub verbis Bullæ reservatæ pensionis, cùm non constet ex actis solâ laicali auctoritate hanc medietatis præstationem fuisse impetratam.

Par est ratio evadendæ alterius exceptionis de facienda diminutione ob reparationem Ecclesiæ: nam

siæ: nam etsi illa in generalibus simplicibusque terminis pensionario ad solidam exactionem pensionis contendenti obesse interdum possit, *Gigas d. cons. 8. nu. 5.* hîc tamen abrupta est dictæ detractionis seu diminutionis aut remissionis potestas, per prætactæ generalis, & extensæ clausulæ adiectionem, *De quocumque ordinario & extraordinario onere*; uti in materia pensionis consulendo respondit dictus Gigas, *d. cons. 8. in fine.* Quamvis interim hoc quoque verum esse videatur, reparationes ejus tantùm Ecclesiæ, super cujus fructibus reservata est pensio, in consideratione in hoc articulo faciendæ remissionis aut deductionis habendas esse, non etiam alterius, cujus fructus Ecclesia pensione onerata recipit; ut in proposito est Ecclesia de Opperbasio, super qua hæc pensio reservata non est. Remotis ergo his quæ petitioni Impetrâtis Reus objecit, reliquû est, ut Reus iupetitionem Impetrantis per omnia condemnetur.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio quando minuenda.

1. *Pensio diminutis fructibus quando diminuenda.*
2. *Fructus rei æstimantur ex illius mercede.*
3. *Remissio mercedu faciendа ob sterilitatem.*
4. *Congruæ portionis præstatio onus est necessarium.*
5. *Fructus non intelliguntur nisi deductis oneribus.*
6. *Tributa & indictiones quis ferat.*
7. *Subsidium charitativum, & cathedraticum an ad Pensionarium pertineant.*
8. *Procurationis onus non pertinet ad Pensionarium.*

CONSILIVM CCLXXVIII.

VERBA Bullæ clara & manifesta sunt, & ob id in propositis quæstionibus scrupulosè inquirendum non est, an pensio fructuum, redituum, & proventuum Personatus, de quo agitur, sub valore 156. florenorum sit expressa & appositа gratiâ taxationis, an demonstrationis, ad eum finem, ut certò constitui possit, an diminutis fructibus, proventibus, ac reditibus prædictis infra taxam prædictam, pensio octodecim florenorum Capitulo Eyckensi super ipsdem fructibus, reditibus & proventibus reservata, diminui, seu illius remissio fieri debeat, vel non? ut debet, cùm fructus, reditus & proventus sub certo valore exprimuntur taxationis gratiâ, non perinde cùm pro demonstratione, unde solutio fieri debeat, apponuntur, ut docet Hieronymus Gigas, *in tract. de pens. q. 62.* Cùm enim per dictæ Bullæ expressa verba cautum sit, quòd si fructus, reditus & proventus dicti Personatus diminuantur, ipsa quoque prædicta pensio octodecim florenorum diminui debeat, iuxta ratam diminutionis hujusmodi fructuum; ea in parte, dubitatio ê non habet, quin hæc diminutio fit proportionabiliter fieri debeat. Hoc igitur solû inquirendum, an propositæ diminutionis omnes causæ justæ, & ejusdem potestatis sint, ad hoc, ut rectè dici possit, quòd fructus, reditus, & proventus dicti Personatus sint citra datam prætactæ reservationis diminuti?

Et sanè quod ad primam diminutionis causam attinet, quæ ex temporis infelicitate, & calamitate, hoc est propter bella proponitur, quamvis ea causa perpetua non sit, sed temporanea tantum, dubitatio tamen nulla est, quin inde dictorum fructuum diminutio constitui possit. * Cùm enim 2
id in fructu, & reditu decimarum sit, quod ex earum locatione percipitur, quò minor est mercedis, seu pensionis præstatio, minor quoque censeri debet fructuum & reditnum modus; quia merces seu pensio pro naturali rei fructu est, *l. Prædiorum D. De usur. l. Fundi Trebatiani De usuf legato.* * 3
Quæ quidem diminutionis causa per se tam evidens est, ut ob illam quandocumque supervenientem conductori decimarum debeat fieri remissio pensionis, saltem pro modo sterilitatis & damni inde contingentis in fructibus, *l. Ex conducto §. vis tempestatis, l. Si merces §. vis maior D. Locati.* Sed, ut dictum est, hæc causa ut perpetua non est, ita quoque perpetuam diminutionis occasionem non tribuit. Durante igitur diminutionis causa, durabit ipsa hæc diminutio, & non diutius.

Eadem causa est diminutionis fructuum, quæ contingit ex grandine, & tempestate, ob quam similiter conductori pensio remitti vel diminui debet, saltem pro tempore hujusmodi adversi casus, *d. l. Ex conducto §. vis tempestatis.*

Quæ tertio loco proponitur diminutionis causa ex necessitate præstandæ maioris competentiæ, 4
seu congruæ portionis Pastori, seu Vicario perpetuo Ecclesiæ dicti Personatus, evidentem diminutionis rationem habet, ut scilicet tantò minùs censeatur esse in fructibus, reditibus, & proventibus dicti Personatus, quantò plus ex illis est præstandum dicto Pastori; quia congruæ portionis præstatio, est decimarum, aliorumque Ecclesiæ bonorum, reditnum, fructuum & proventuum onus prorsus necessarium, illis omnino inhærens, *c. Sicut De supplen. negl. prælat. c. Avaritiæ De monachis c. in Lateranensi De præben.* * fructus enim rei cujusque 5
non intelliguntur nisi deductis non tantùm impensis, quæ in colligendis fructibus fiunt, *l. Divortio §. impendia l. Fructus Soluto matrim.* verùm etiam quibuscumque oneribus ordinariis, *l. Non amplius De leg. 1. Bald in l. cohæredibus C. Fam. ercis. Felin. in c. Ad aures nu. 24 De rescript. Decius cons. 156. statuium nu. 2.* Onus autem rei est, quicquid ob eam præstari debet, *l. Hactenus vers. quoniam & alia onera D. De usufructu.*

Quod quarto loco proponitur de subsidio Imperij in bellum Turcicum, quod frequenter indici, & recurrere solet, cum ad onus ipsarum prædictarum decimarum pertineat, & ob illas & pro modo illarum præstetur, sive illud sit ordinarium & perpetuum, sive extraordinarium & temporarium, ad dictam diminutionem omninò pertinet. * Is enim debet temporarias fundi, aut rei 6
alterius indictiones sustinere, ad quem fructus rei pertinent, *l Quæro D. De usufructu leg. d. l. Hactenus, l. Si pendentes § Si quid cloacarum De usufructu,* cùm sint hæc fructuum onera, *l. Neq. si pendium De impens. in re dot factis gloss in d. l. Quæro in V. pertinet;* ideoque in ipsis fructibus esse non censetur, quod eo nomine à possessore præstandum est. Vique adeo ut à dicto Capitulo pro portione dictæ pensionis octodecim florenorum hujusmodi tributum seu indictum peti possit, & quod Facultas Theologica (cui hic Personatus incorporatus,

& unitus est) respectu omnium fructuum solidum solvit, pro parte à dicto Capitulo proportionabiliter repetere, & multò magis in solvenda hac pensione detrahere, & retinere possit, *l. Cum possessor De censibus.* Prout in simili de decima Papali, quæ interdum fructibus beneficiorum imponitur, scribit Ioannes Baptista Cacialupus, *in tract. de pens. q.* 17. & probat Philippus Decius, *d. cons.* 156.

7 Onera cathedratici & obsonij, de quibus quinto loco proponitur, eodem loco sunt, non quidem ad illum finem, ut ipsa pensio perpetuò propter illorum præstationem pro tempore incurrentem diminuatur; sed ut Pensionarius possessori dicti Personatus contribuat, & cum eo hoc onus sustineat; cum fructuum onus reale sit & fructibus beneficij inhæreat, *c. Conquerente De off. ordin. c. Cum in. Apostolus De censib.* Vt de charitativo subsidio, cujus species sunt cathedraticum, & obsonium, passim traditur per Bartholomæum Bellenzinum, *In tract. de charit. subsid. q.* 37. *Decius in l. penult. nu.* 4. C. *De collat. & d. cons.* 156. *nu.* 4. *& ibi in addit. & ita passim observari & sua cura scribit Remigius de Govy. in tract. de charit. subs. quæst.* 6. * Sed non

8 perinde ad onus pensionarij pertinere videtur id quod annuè solvitur pro placito absentiæ illius; ideoque persolum Rectorem, seu eũ, qui ejus loco est, sine onere Pensionarij præstare debet. Prout nec ad Pensionarium, sed ad solum Ecclesiæ Rectorem pertinet onus procurationis, quod sustinetur propter visitationem Episcopi, aut Legatorum Sedis Apostolicæ: quia illa magis respicit personam Rectoris beneficij, quàm ipsum beneficium, aut ejus fructus, *Bellenzinus d. q.* 37. Ex his satis demonstratum esse putamus, ex quibus causis, & quatenus sit facienda diminutio dictæ pensionis.

De præbendis.

SVMMARIVM.

Exceptio contra pensionem.

1. *Appellatione desertâ confirmatur sententia.*
2. *Signatura nuda accedens promissioni pensionis tribuit actionem.*
3. *Collusio facit rem esse infectam.*
4. *Collusio probanda est.*
5. Dummodò, *particula an conditionẽ faciat, an modũ.*
6. *Clausulæ irritantis potestas.*
7. *Emphyteuta expulsus canones cessos solvere tenetur.*

CONSILIVM CCLXXIX.

NIHIL solidi occurrit, cur Venerabilis Dominus Decanus Iudex hujus causæ appellationis, inter Dominum Ioannem Davyn appellantem Reum originalem ac D. Ægidium Pambrugge originalem Actorem nunc appellatum, recedere debeat à sententia per DOfficialem Namurcensem secundùm dictum Actorem lata; condemnato scilicet Reo in summam quadraginta quinque ducatorum ex causa pensionis, de qua in actis illius causæ inter prædictas partes disputatum fuit, & in expensis litis: sic quod officium Domini Iudicis versetur tantùm in confirmando dictâ sententiâ & condemnando Appellantem in expensis hujus quoq; secundi instantię.

Ad quod faciendum primùm adstringit evi-

1 dens desertio hujus appellationis, cujus causa peracta non est intra tempora fatalia juris; non tantùm non intra primum annum, sed nec intra secundum, cujus obtinendi nulla proposita est probabilis causa. Quippe sententia à qua appellatum est, lata est vicesima prima Martij anno 1567. ex qua die usque ad hunc præsentem mensem Aprilem anni 1570. plusquam integrum triennium lapsum est; ita ut sit inexcusabilis desertio, *Auth. Si qui, l. fin. §. illud etiam in fine* C. *De tempor. appel.* cùm ex nulla causa triennium dari possit, *Cassad. decis. 6. de appel. glos. 3. in verb. pronuntiat. D. Nihil novan. appel. pendent.* Quæ desertio facit, ut sententia à qua appellatum fuit, transeat in rem judicatam, & effectum irrevocabilitatis induat: & quidem ita ut sine ulla alia declaratoria sententia Iudicis, ad quem, seu à quò ad executionem sententiæ procedi possit, *Phil. Decius in c. Ex parte 2 nu. 8. De resc. recip. & in c. Personas in fine De appel. Guido Papæ decis.* 436. *nu.* 23. *Cassad. d. decis.* 6. Vsque adeo ut Iudex ad quem, sive ejus delegatus, possit si velit sententiam, à qua provocatum fuit, confirmare, si ei negotium principale commissum est (ut in rescripto hujus causæ contigit) nullo autem modo retractare, *Rota decis.* 98. *Licet appellatio alias est* 14. *de appellat. in novis & 453. Nota licet appellatio alias est* 41. *de appel. in antiq.* Quæ prima consideratio sufficere posset appellato ad obtinendam causæ victoriam; præsertim nunc post Concilium Tridentinum, quo hæc fatalia juris ad præcisam observationem redacta videntur, *Sess.* 24. *c.* 20 *de refor. & sess.* 25. *c.* 10. *in fine de reformat.* Secundò, sepositâ consideratione desertionis & ex illa, transitu sententiæ in rem judicatam, in entio Actoris luculenter & sufficienter probata invenitur exactis primæ instantiæ. Primùm per cameralem obligationem ac promissionem ipsius Rei, quâ expressis & disertis verbis promisit Actori solvere annuam pensionem quindecim ducatorum de & ex fructibus Ecclesiæ parochialis de Fraignee, in terminis assignandis, in supplicatione desuper expedita, seu expedienda per Sedem Apostolicam reservandam, idque visâ dumtaxat ejusdem pensionis reservationis simplici signatura. * Est enim

2 hujusmodi promissio de jure valida & efficax nam licet ex nuda seu simplici signatura quis invitus compelli non possit in judicio, ut pensionem solvat propter non expeditas desuper secundùm regulas Cancellariæ Apostolicæ literas, *Iter Gigas de pens. c.* 38. *nu.* 10. *& cons.* 42. *Non absre nu.* 8. compelli tamen potest, si specialiter promisit visâ simplici signaturâ solvere; quia id nullo jure prohibitum invenitur. Et in signatura continetur gratiæ perfectio; cui accedens specialis promissio non tantùm vinculum perfectæ obligationis, verùm etiã potestatẽ executionis, seu executionis adjecit: quod & moribus, & ex communi stylo hodie passim ita observatur, nec ea in parte extat aliqua appellantis oppositio. Atque ita in proposito, ad justificandam & obtinendam intentionem Actoris, sufficit exhibitio dictæ signaturæ (quam appellans recognovit) atque item vita Domini Ægidii (quâ appellans cum eo in hac causa litigando satis agnoscit, & ex constitutione procuratoris, aliisque diversis ejus comparitionibus ad causam evidenter apparet una cum vita Appellantis, & possessione

posse tiõe Ecclesiæ de Fraignée, non tantùm pro annis seu terminis, quorum solutio petitur in hac lite, sed etiam tempore latæ sententiæ, & adhuc de præsenti. Id enim apertè declarat initium supplicationis per Appellantem pro impetrando rescripto delegatorio exhibitæ, sæpiusque in diversis scripturis in hac causa appellationis per appellantem exhibitis repetita Appellantis qualitas: hujusmodi enim narrationes pro apertis confessionibus sunt, *l. Cum precum C. De liber. causa.*

Tota igitur causæ hujus quæstio, & decisio in exceptionibus Rei versatur, quas plures congessit. Et in primis objcit Actori collusionem & simulationem; quasi scilicet & hæc pensio non sit ipsius Actoris, sed Magistri Ioannis de Fraisne, quodque in ea Actor nomen suum eidem M. Ioanni accommodet: ob id, quòd idem M. Ioannes Ecclesiam de Fraignée Romæ obtinuerit, & D. Ægidio Actori resignata sit per D. Ioannem Brictij non valentem obtinere literas Placiti Principis, eâque resignatione factâ iterum illam resignatam fuisse Reo sub nomine Domini Ægidij hoc ignorantis, conventione reservandæ pensionis hujus factâ inter Reum & Actorem, absente & ignorante Domino Ægidio; quodque M. Ioannes voluerit sibi per sororium Rei caveri pro securitate hujus pensionis, & quod debitum fratris M. Ioannis sit compensatum cum debito hujus pensio-
3 nis. † Quæ autem per collusionem fiunt pro infectis habentur, *l. cum non iusto D. De collus. deteg.* præsertim in beneficialibus, in quibus colludentes suis beneficijs privantur, *c. Audivimus De collus. deteg.* & pensio sic constituta pro nulla habetur, *Gigas de pens. q. 42.* Sed ut hæc audentius per Appel-
4 lantem proferuntur; ita minimè probantur. † Collusionem quippe probare, non præsumere oportet: ob id præsertim, quod collusio de jure sit prohibita, *Clem. Constitutionum §. sanè, & ibi Card. Zabarel. De elect. c. Super eo De eo qui cog. consang. uxoris suæ;* & contineat speciem seu faciem delicti, cujus nulla in dubio est præsumptio, *l. Merito Pro socio.* Produxit quidem Reus duos testes; sed uterque in eo, quod deponit, singularis est, & sic sine fide veri, *l. Martius De quæst.* Et prior quidem dicit se ex Reo audivisse, quòd hæc pensio pertineret ad M. Ioannem; posterior, quòd ex fratre M. Ioannis id audiverit: cujus generis testimonium de auditu alieno non probat, *gloss. & Doct. in l. Si arbiter De probat. & in c. Licet ex quadam De testib.* præsertim de auditu ejus, qui testes producit. Vt enim juranti in propria causa non crederetur, *l. Omnibus C. De testib.* ita nec & multò minus, simpliciter narranti. Deinde collusionis præsumptio avertitur per clara & liquida instrumenta acquisitionis, canonicæ institutionis hujus Ecclesiæ, quam D. Ægidius ex Ordinarij collatione, factâ resignatione per M. Ioannem obtinuit: post quam acquisionem & institutionem quinto demùm mense facta est per Actorem in Reum resignatio ejusdem Ecclesiæ sub reservatione hujus pensionis: cujus reservationis conventio & promissio per Reum solemni juramento Actori, & ipsi soli, absente M. Ioanne facta est; ut constat ex confecto de eo instrumento publico, cui, non probato diluciss imè contrario, omninò stare oportet, *l. Optimam De commiss. stipul.*

l. Cum precibus De c. probat. Nec quicquam facit ad collusionis objectæ probationem epistola illa M. Ioannis, quam Reus exhibuit sub data sextæ Ianuarij anno 1560. nam tunc integro ferè anno M. Ioannes hanc Ecclesiam in Actorem transtulerat, & eodem die Reus Romæ per Procuratorem suum in reservationem hujus pensionis consenserat; prout eodem die signatura illius expedita fuit: ita ut Magister Ioannes post abdicatum jus suum, scribendo non potuerit Actori in re sua & sibi acquisita nocere, *l. Non debet alteri D. De reg. iur.* * 5
Objcit deinde Reus, quod in signatura prædicta contineatur hæc clausula, *Dummodo medietatem non excedat, & 50. ducati Rectori ipsius Ecclesiæ parochialis remaneant liberi*; quasi scilicet inde deprehendatur, hanc Rei promissionẽ conditionalem esse, suspensam à duplici conditione; priore, quòd reservata pensio non excedat medietatem fructuum dictæ Ecclesiæ; altera, quòd deductâ pensione Rectori dictæ Ecclesiæ ex fructibus illius supersint 50. ducati: sic quòd non purificatis hujusmodi conditionibus, ex eadem promissione non videatur ulla competere actio; ut est in communi & generali natura obligationis conditionalis, *l. Cedere diem De verb. signif. § ex condutionali Instit. De verb. oblig. l. Si ita scriptum sit §. 1. De legat. 2.* Sed verius est exceptionis hujus effectum aliquẽ in proposito nõ esse: Verum enim est, actionem utilem & efficacem Actori competere, solâ exceptione Reo relictâ, si probare potest vel excessum medietatis, vel defectum quinquaginta ducatorum. Est namque hæc reservatio, reservationi accommodata Rei promissio, non suspensa à cõditione, sed restricta & limitata sub modo; cujus modi adiectio nativitatem obligationis statim non impedit, sed ejus effectum postea tantùm retundit, objectâ modi non impleti querelâ, *l. Cum ab eo De cõtrab. empt. l. 2. C. De his quæ sub modo l. Quib. diebus §. fin. De condit. & demonstr.* Quod autem hic sit modus, non conditio, indicat ipsa dictio, *Dummodò*, quæ & ex figura, & ex potestate verbi modum, non conditionem facit. Vnde est, quod concessio beneficij sub hac restrictione, *Dummodo ei canonicè deservire fecerit*, non conditionem, sed modum & comminationem faciat; nec inde detur potestas avertendi, sed privandi tantum, *Gloss. in c. Non potest in verb. retinere in fine De præben. lib. 6. & ibi D. Gemnian. & Phil. Franc.* ita ut in his verbis sit potestas resolutionis, non effectus nullitatis. Vnde decidit Rota Curiæ Romanæ, *decis. 231. Ordinatio quæ est 1. sub tit. De Condit. appos. in novis*, quòd ordinatio & dismembratio concessa sub his verbis, *Dummodo sex monachos ibi teneat*, censeatur concessa sub modo, & data potestas agendi ad resolutionem seu retractationem, sed tamen non resolvatur ipso jure.

Nec his adversatur quod Guilielmus Cassadorus, *decis. 10. nu. 7. de rescript.* & cum sequutus Hieronymus Gigas, *de pension. q. 100 n. 15.* dicunt nihil referre ad inducendã invaliditatem actus, an fiat sub coditione, an sub modo; non quia simplici ter indeterminatè, & generaliter id asserũt, sed cum magna & evidente restrictione, ac limitatione; si videlicet ultra adiectũ modũ adijciatur actui, dispositioni, aut gratiæ *clausula irritans. aut annullans.* † Cujus clausulæ vis maxima & planè penetrativa est, actumque 6
penitus

penitus inficit ex contrarij positione, *Doct. in c. Dilecto De prab. Andr. Barbat. in Clemen. 1. de elect.* qualis clausula in hac signatura non conspicitur: sic quòd hîc obtinere non debeat, quod illi ratione adjunctæ clausulæ irritantis obtinere tradunt sed Actoris intentio optimè sit fundata.

Quod etiam intelligens Reus postea contendit ad diminutionem pensionis tamquam excessivæ; prout ad solam diminutionem & reductionem, non ad totalem nullitatem totius pensionis contendendum est, quoties Papa hujusmodi clausulam, *motu proprio*, adijcit, non ad narrationem pensionarij narrantis, quòd pensio medietatem non excedat, vel quod supra reservatam pensionem tantum sit remansurum Rectori beneficij, *Gigas de pens. q. 35.* Nec ad sufficientem probationem hujusmodi excessus vel defectus quicquam facit attestatio cujusdam Taintelier in prima instantia exhibita, quæ continet, quòd hæc Ecclesia tantùm rescribatur ad viginti modios speltæ: nam est privata scriptura, quæ nullam fidem meretur, *l. Instrumentum C. De probat.* Et quatenus continet descriptionem ex registris rescriptionum, vim probandi non habet; quia facta est pendente lite sine Iudicis commissione, parte non vocatâ, nec probatis registris originalibus, *c. 1. c. Cum P. tabellio, & c. ult. & ibi Doct. De fide instrum.* Atque ita relinquitur neque excessum medietatis, neque defectum quinquaginta ducatorum probatum esse. Quorum alioqui allegationem improbabilem faciunt solutiones, quas pro aliquot annis Reus Actori fecit; non facturus proculdubio, si manifesti fuissent hujusmodi excessus, & defectus.

Objcit denique Reus non suæ promissioni, seu reservationi pensionis, sed sententiæ, à qua appellavit, quòd signatura Apostolica contineat alternativam vel solvendæ pensionis, vel admittendi regressus ad hanc Ecclesiam; & quod Actor in prima instantia concludendo, alternativam quoque petitionem fecerit, & dicta sententia, solius pecuniæ, seu solutionis faciendæ condemnationem fecerit, & sic libello conformis non sit. Sed nec in eo aliquid momenti est: nam alternativa petitio restricta est ad fines, & limites ipsius conventionis, seu cameralis obligationis, quæ ipsa quoque restricta est ad formam & modum simplicis signaturæ, quæ permittit quidem Actori regressum in casum deficientis solutionis, sed minimè restringit ad illius exercitium. Vt fit in pacto legis commissoriæ, seu addictionis in diem, quod venditor nisi velit exercere non cogitur, *l. Sabinus scribit De in diem addict. l. 2. De lege commiss.* Neque in alternatione est regressus ad beneficium occurrente contumaciâ, vel recusatione solutionis præteritarum pensionum, sed in conjuncti duplici obligatione; ut & præteritas pensiones petere possit, & nihilominus contendere ad regressum ob non factam solutionem; ut apertè 4 habent verba signaturæ. † Ad exemplum emphyteutæ, qui canonem non solvit, ideoque à domino expellitur, & nihilominus canones solvere cogitur, *Iason & alij in l. 2. De C. iure emphyt.* Ad quam obligationem jam ex tempore decursa præcisè contractam Dominus Officialis respiciendo, Reum in summam quinquaginta quinque ducatorum condemnavit, non gravando sed sublevando eum à pœna regressus. Atque ita persisto in eo, quod in capite hujus consultationis dictum est.

De præbendis.

SVMMARIVM.

pensio illicita.

1. *Pensio sine superioris auctoritate illicita.*
2. *Pensio sine superioris auctoritate augeri non potest.*
3. *Collusio in beneficialibus vitiat.*
4. *Pensio reservari an possit resignatione in manibus Ordinarij facta.*
5. *Pensio ad quem modum constitui possit.*
6. *Onera Ecclesiæ quæ sint.*
7. *Fructus beneficij pro parte vel toto vendi possunt.*

CONSILIVM CCXXX.

QVAMVIS pensio sex librarum grossorum constituta, & reservata auctoritate Sedis Apostolicæ super fructibus Ecclesiæ parochialis de Halle pro Santhoven Cameracensis diœcesis sit legitima, & à constituente, ejusque successore Domino Henrico Leyen compermutanti quoad vixerit solvenda; non video tamen, quâ ratione sustineri possit conventio de solvendis alijs consimilibus sex libris ex fructibus ejusdem Ecclesiæ. * Neque enim jure pensionis 1
peti umquam poterit; ideo quod illicita dicatur pensio, quæ sine superioris auctoritate nudo partium consensu componitur, *Clem. 1. §. eadem De supplen. neglig. prælat. c. Nisi essent §. quia igitur, versic. non quidem ex pactione partium De præben.* Deinde quia per hujusmodi pactionem Dominus Ioannes, vel successor conatus est suum beneficium suâ propriâ auctoritate gravare, & velut censuale reddere; qui inde seipsum in periculum amittendi beneficium projecit, *c. Cum clerici De censibus.* Nec juvat utilis constitutio pensionis priorum sex librarum: quia ex ea non tantùm non adijcitur vinculum, & validitas posteriori inutili pactioni, nullâ reservatione superioris vallatæ: sed præterea propter actus utiliter gesti antecedentiam, sequentis vitium magis elucescit.

Hoc enim manifestum est, pensiones sine supe- 2
rioris auctoritate non tantùm ab initio constitui non posse, verùm etiam rectè constitutas augeri non posse sine superioris auctoritate, *d. Clem. 1. §. eadem in verb. pensiones ne novas eas imponant aut veteres augeant.* Cùm ergò posterior pactio tendat ad augmentum prioris, propter defectum auctoritatis superioris consistere nequit.

Deinde ex comparatione utriusque instrumenti apparet collusio compermutantium, quæ solet om- 3
nia in beneficialibus vitiare, *c. Audivimus De collus. deteg.* nam cùm in priore instrumento præstiti consensus super reservatione impetranda tantùm dicatur, fructus Ecclesiæ de Halle esse uberiores fructibus Capellaniæ compermutatæ, & ideo deveniri ad consensum reservandæ pensionis, ne D. Henricus nimium dispendium patiatur; in posteriore autè instrumento apertis verbis exprimatur, dictam Capellaniam tantùm esse titulare beneficium nullius valoris; ob contradictionem evidentis-

dentissimum colligitur collusionis argumentum; & sic quidem, ut prior pensio vacillare, & in periculo esse videatur, ob titulum permutationis fuco quodam quæsitum & interpositum: cum reverà, & effectu sit tantùm simplex resignatio, quam cum reservatione pensionis tam in collativis, 4 quàm electivis nemo admittere potest præter solum Papam, *Felin. in c. Ad audientiam De rescrip.* † Cùm igitur hæc compermutatio sit facta (ut puto) in manibus Ordinarij, cessat reservandæ alicujus pensionis occasio, *Petr. Rebuf. in sua praxi benefic. parte 3. tit. de ratione personæ nu. 33.* Secundò, quod in priore instrumento consensus, pro obtinenda reservatione pensionis, non fuerit ausus Dominus Henricus inferere ultra medietatem, 5 quod intelligeret id admissum non iri. † Tertiò, quod in ipso posteriore instrumento dicatur dicta Ecclesia in absentia valere duodecim libras; ex eo enim sequitur in alio capite esse inutilem hanc nouissimam pactionem: ob id, quòd loco pensionis non possint constitui omnes Ecclesiæ fructus, seu integra, quæ inde fructuum nomine percipitur, utilitas, sed restringi debet pensio vel ad tertiam partem, vel ad summum ad dimidium fructuum, *c. Ex debito § pensiones De elect. in extravagant. Gigas de pens. q. 9. & 5. nu. 2. Petr. Rebuff. in sua benef. practica tit. de reservationib. nu. 12. cum seq. Boerius decis. 2. in fine.* Quare cùm ad hoc ipsum ordinata sit hujusmodi conventio, ut omnes fructus resignanti præstarentur, partim jure reservationis, partim conventionis, & sic res apertam machinationem in fraudem legis contineat, non debet de jure sortiri effectum. Nec obstat, quod Dominus Ioannes accepturus sit illa emolumenta, quæ ex præsentia accipiuntur, quia id non satis est: neque enim tam laxa est potestas reservationis, ut titulario nihil relinquatur amplius, quàm mercenario: cùm ut minimùm tantum relinqui debeat, quantum sufficiat ferendis omnibus one- 6 ribus Ecclesiæ, † quæ tria sunt, hospitalitas, jura Episcopalia quæ latè patent, & commoda sustentatio ex fructibus beneficij, *Gigas de pens. quæst. 96. nu. 3.* Cùm ergò irrita sit hujusmodi pactio, nullum inde constitui potest jus obligationis, ex quo compelli possit D. Ioannes ad solutionem sex librarum posteriorum, *c. Prohibemus in fine De censibus*: propterea quòd absorbeantur omnes omninò fructus, qui in absentia percipi possent. Sanè si ultrò solvere vellet, & ad id induci, recipere quidem liceret non jure pensionis annuæ, sed precariæ con- 7 cessionis. * Non nego, quin clericus possit beneficij sui fructus omnes pro toto tempore vitæ suæ vendere, *ut notatur per Præpositum in c. Sed adhuc 1. q. 3.* aut etiam donare, & se personamque suam ad fructus beneficij sui quotanis obventuros alicui dandos obligare personaliter (quo tamen casu semper beneficium deductionis ne egestate prematur restringeret donationem, *l. Divus Pius De reg. iur.*) sed jure reali, sic ut beneficium, vel fructus afficiantur hoc onere, gravare non potest, *Panor. in c. Præterea De censibus.* Facilitate igitur sua deceptus fuit Dominus Henricus, qui cognato suo tacitam fidem accommodanti tantum credidit.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio invalida.

1. *Pensio ex falsa causa reservata nulla est.*
2. *Causa assignatæ pensionis cessante cessat pensio.*
3. *Pensio quando sit nulla ob excessum vel reducenda.*
4. *Pensionis promissio sine consensu vel auctoritate Papæ facta vel ad eam non relata nulla est.*

CONSILIVM CCXXXI.

ADHÆRENDO his, quæ per Dominum præconsulentem satis exactè deducta sunt, in eadem sum sententia, nullitatem pensionis sufficienter deductam esse ex duobus potissimùm capitibus, defectu nimirum tituli seu causæ, & falsæ suggestionis.

† Reservatio enim pensionis ex falsa causa 1 ad suggestionem partis facta ipso jure nulla est, *c. Super literis De rescript. Gigas de pens. q. 5. nu. 5.* propter obreptionis vitium: † sic ut cessante 2 causa assignationis & reservationis, hoc est in proposito permutatione beneficiorum, de quibus mentionem facit bulla reservationis, cessare quoque debeat solvendæ pensionis promissio, ac reservatio, *c. Cum cessante De appellat.* ut cessat obligatio, obligationis causâ cessante, *And. Tiraq. in tract. Cessante causa in verb. obligat*; cùm etiam verè interposito actu permutationis, sive per collusionem, sive bonâ fide, cessat, quæ ob eam facta est, pensionis promissio, vel reservatio, si ex defectu vel resolutione juris compermutantis permutatio invalida etiam ex post facto invenitur, *Gigas cons. 19. nu. 9.* Ita quòd, cùm appellans satis docuerit appellatum numquam obtinuisse aut habuisse Cappellaniam, ob cujus permutationem impetravit hujus pensionis reservationem; & pro parte appellata de hujusmodi permutatione nihil doctum aut probatum sit; nulla esse debeat dubitatio, quin hæc promissio, & reservatio prorsus sit nulla: potissimùm quia Pontifex non motu proprio, sed ad suggestionem partis hanc reservationem fecerit.

Alterum nullitatis caput perinde potens est: asseveratio enim, quòd hæc pensio duodecim florenorum, itemque alia triginta sex florenorum; cum alijs, quæ super hujus compermutati beneficij fructibus reservatæ sunt non excedant medietatem fructuum eiusdem beneficij, meram obreptionem pensionisque nullitatem operatur; propter excessum in hac lite per appellantem evidenter probatum. * Hoc enim interest inter 3 pensionem, quæ ex proprio motu Papæ concedi tur, quòd si excessiva sit, omninò nulla non sit, sed ad justam moderationem reduci debeat. Quæ verò conceditur ad petitionem impetrantis, narrantis, quòd non excedat tertiam, vel mediam partem fructuum, omninò per se nulla est, neque ad moderationem reducenda venit propter surreptionis, & obreptionis falsaque suggestionis vitium, *Gigas de pens. q. 35.* Facilimè enim in totum vitiantur literæ gratiæ, propter falsam suggestionem, *c. Ad audientiam De rescript.* Quæ consideratio hoc quoque efficit, ut nihil curandum sit, quod præter reservationem Pon-

tificiam Appellans specialiter alio instrumento promiserit dictæ pensionis solutionem ad nudæ signaturæ exhibitionem: nam hæc promissio per se stare non potest, cùm facta sit per relationem ad reservationem Pontificiam, cujus probationem Appellans ad nudæ signaturæ exhibitionem reiecit: ita ut substantia promissionis sit in reservatione Pontificia; modus probandi pro facilitore executione in nuda signatura. Vnde quia ipsa reservatio ex dicta surreptione vitio nullitatis infecta est; promissio quoque, quæ ob eam facta est, nulla censeri debet; quasi facta ob causam, quæ sequuta non est, vel nulliter sequuta est, *l. 1. De condict. sine causa, l. 1. C. De condict. ob caus. dat.* * 4 Alioqui ipsam promissionem per se in abstracto inspiciendo, deprehenditur aliud nullitatis vitium; quia omnis pensionis promissio sine consensu & auctoritate Pontificis facta aut ad illius beneplacitum, quod postea sequitur non relata, nullius momenti est, *Gigas de pens. q. 4. & 5.*

De Præbendis

SVMMARIVM.

Pensio invalida.

1. *Promissio sine causa vel ex falsa causa inefficax est.*
2. 3. 12. *Causa de præterito impulsiva tantùm soluti repetitionem impedit, non item quæ etiam finalis, deficiens repetitionem soluti permittit.*
3. *Causa falsa legato cohærens nocet.*
4. *Beneficij unius duo possessores esse non possunt.*
5. *Beneficia successionem non habent.*
6. *Vacare quid dicatur.*
7. *Vacationis certo modo expresso, alius non comprehenditur.*
8. *Beneficium gratuitum esse debet.*
9. *Pensio in casum certum reservata non includit alios casus.*
10. *Pensionem ex turpi causa petens per exceptionem doli repelli potest.*
11. *Nomen qui vendit quid præstare debeat.*
13. *Pro dictio finalem causam significat.*
14 24. *Modus quando potius quam conditio præsumatur.*
15. *Causa causæ causa causati est.*
16. 26. *Pensionis pactio sine beneplacito sedis Apostolicæ nulla est.*
17. 19. *Clausulæ insolitæ fraudis præsumptionem habent.*
18. *Renuntiatio exceptionum generalis quatenus dolum respicit nulla est.*
20. *Dolus dans causam contractui reddit illum nullum.*
21. *Cameralis obligatio & instrumentū guarentigiatum habent executionem paratam; admittunt tamen exceptionem defectus causæ.*
22. *Contractus conditionalis agendi ius non tribuit nisi conditione impleta.*
23. *Exceptio non adimpletæ conditionis semper admittenda.* / *Conditio intimationis literarum reservatæ pensionis intra certum tempus faciendæ promissioni inserta si impleta non sit enervatur.*
24. *Relationis nulla vis est non apparente relato.*
25. *Modus quando sit, & quando conditio.*
27. *Sedis Apostolicæ appellatione, an legatus Apostolicus contineatur.* / *Nuncius Apostolicus cum potestate Legati de latere Papam non repræsentat nisi quatenus eius facultates patent.*
28. *Nuncio Apostolico an competat beneficiorum collatio.*
29. 33. 35. *Nuncius Apostolicus an pensiones super beneficijs reservare possit.* / *A pari procedunt conferendi beneficia & pensiones reservandi potestas.*
30. *Permissio in unum casum continet exclusionem in quemcumque alium casum.*
31. *Nuncio Apostolico nihil licet, nisi quod expressè concessum est.*
32. *Beneficij appellatione an contineatur Abbatia.*
34. *Hujusmodi dictio similitudinem inducit, & relata qualitates repetit.*
36. *Causa in gratijs Apostolicis expressa habet vim conditionis.*

CONSILIVM CCLXXXII.

QVOD bono jure sese oppoſuerint Reverendus Dominus Abbas & Conventus Monasterij beatæ Mariæ Virginis loci de Molinis literis monitorialibus pœnalibus vicesimâ quintâ Augusti anno 1557. novissimè coram Reverendo Domino Abbate S. Gertrudis Lovanienſis tamquam Conservatore privilegiorum Vniversitatis Lovanienſis, pro parte Domini Ioannis Durandt, reproductis, rationibus & mediis subsequentibus demonstratur.

Nam primò dubitationem nullam habet, quin 1
omnis promissio sine causa, vel ex falsa seu iniusta causa, aut etiam ob causam, sed eâ non sequutâ, sit inefficax; sic ut ex ejus generis promissione agenti quandocumque opponi possit doli exceptio, *l. 1 §. circa De dolo mali except.* cùm & solutum ex hujusmodi causis repeti possit, *l. 1 l. Nihil refert De condict. sine caus. & toto tit. D. De condict. caus. data caus. non secuta & tit. De condict. ex lege*; tantoque potentius sit jus excipiendi, ut retineas, quia jus agendi competit, ut solutum repetas, *l. Invitus §. cui damus De reg. iuris c. Qui ad agendum eod. tit. lib. 6.* * Et quamvis causa promittendi, seu 2
solvendi de præterito impulsiva tantùm, soluti repetitionem impediat interdum, *l. In summa §. 1. l. Damus De condict. indeb.* quæ tamen impulsiva tantùm non est, sed etiam finalis, repetitionem multòque minùs exceptionem non inhibet, *Doct. in d. l. Damus & in d. §. 1.* Cohæret enim eo casu causa promittendi ipsi promissioni; hoc est sine veritate, aut præsuppositione adiectæ causæ promissio facta non fuisset. † Et ideo quemad- 3
modum cùm falsa causa legato adiecta, legato cohærens, exceptioni locum facit, quia aliàs legaturus non erat testator, *l. Cum tale §. falsam causam De condit. & demonst.* ita quoque & multò procl vius exceptioni locus erit adversus promissionem ex falsa causa in præteritum vel præsens tempus collata, si sine illa causa ad promissionem promissor descensurus non erat, *Gloss. d. §. 1* Est enim tunc hujusmodi causa omnino finalis, non impulsiva tantùm, *Bald. in d. l. Damus*; utpote cuius veritas sufficientem causam continet, cur promissio sequatur, quæque citra promissionem, obligationem per se contineret, *Bart. & Cassiens. in d. l. Damus.* Iam verò cùm agendi causam, & fundamentum constituat Imperrans in promissione per Opponentes in forma cameralis obligationis sibi facta;

sibi facta; eadem autem promissio ad certam causam sit restricta, *ut patet ex instrumento promissionis post princ. in clauſ. incip. cum die datæ præsentium*; quia scilicet D. Ioannes Durandt jus & actionem, quod & quam habebat ad Canonicatum ac præbendam collegiatæ Ecclesiæ Divæ Beggæ Andanensis, in manibus illorum Ordinarij Collatoris ad opus & in favorem D. Ægidij Brio, sub spe reservationis pensionis, per se, aut eius legitimum procuratorem cesserit, ac dimiserit; idemque ordinarius collator cessione hujusmodi per eum priùs admissâ, eosdem Canonicatum & præbendam D. Ægidio Brio contulerit: sequitur ex præmissis juris rationibus, exceptione deficientis, seu falsæ causæ hujusmodi, Impetrantem justè repelli. Nam non tantùm non probavit Impetrans dictæ causæ veritatem, sed ex adverso per Opponentes evidentissimè probata est illius falsitas per exhibitionem literarum collationis, seu præsentationis invictissimi Caroli Quinti Imperatoris, qui dictorum Canonicatus, & præbendæ est Patronus, seu collator, ut ipse Impetrans allegando confitetur. Ex ijs enim constat nullam dicti Impetrantis resignationem, cessionem, aut dimissionem, intervenisse: neque Impetranti jus aut actionem ad eandem præbendam umquam competijsse. Confertur enim D. Ægidio ex causa vacationis per obitum D. Ioannis Sotteau novissimi illius possessoris; quo ipso quoq; apertè demonstratur, ex Impetrantis resignatione, aut cessione, D. Ægidium eandem præbendam non esse consequutum. * Nam quâ 4 ratione ejusdem beneficij duo non possunt esse in solidum canonici possessores, *c. Majoribus, c. Tuæ fraternitati 6. Dilecto De præben. l. Si ut certò §. duobus D. commodati, 6. Quoniam De offic. ordin.* eâdem quoque vacationis modus induci non potest uno eodemque tempore, nisi ex decessu vel cessione unius. Et quamvis nihil vetet potuisse Impetranti provisum esse post mortem D. Ioannis; & deinde eo cedente provideri præfato D. Ægidio: id tamen certâ probatione, quæ hîc cessat, non præsumtione facti (cujus nulla est præsumptio, *l. Si emancipati & ibi laſ. C. De collat.*) constituendum 5 non est. * Non enim eadem est ratio hæreditatis, in quâ hæredis mei hæres, mihi hæres rectè dicitur, *l. fin. C. De hæred. inſtit. l. Hæredi De verb. ſignif.* & beneficiorum, in quibus nulla verè est successio, *c. 1. De præb. & dignit.* & si quæ sit, ijsdem regulis non innititur: hæreditas enim evinci potest, si auctori nullum jus in eo fuit, *l. 2. in princ. De hæred. vend. l. 1. C. De evict.* at beneficium ex defectu juris antecessoris evinci seu auferri non potest; quia ex novo & proprio jure id obtinet successor. * Et sanè cum vacare non dicatur, quod 6 ad aliquem pertinet, aut ab aliquo possessum est, seu successorem habet, *l. Vacantia C. De bonis vacant. lib. 10.* necessario consequitur, quòd cùm Impetrans fateatur, & agnoscat literas Cæsareæ Majestatis esse veras, dictoque Ægidio esse provisum de præbenda vacante per mortem D. Ioannis Sotteau ultimi illius possessoris (ut habent literæ) Impetranti post obitum dicti D. Ægidij nullum jus ad dictam præbendam competijsse. † 7 Certo enim modo vacandi expresso, alius intelligi, vel literis comprehendi non potest, *c. Suscepium De reſcript. lib. 6.* præsertim cùm clausula, *Sive alio quovis modo vacet*, addita non est, *Marian. Socinus conſ. 32. Ex his vol. 1. Rota deciſ. 338. Si mandetur aliàs 22. De præb. in novis.* prout & in dictis literis inserta non invenitur.

Nec ad rem pertinet, quod obscurius indicare videtur Impetrans, se jus suum, & actionem ad dictam præbendam dimisisse: nam si ad juris significationem verba illa referas, subsistere non potest hujusmodi allegatio, ex his, quæ proximè diximus. Non enim id intelligi potest de jure ad rem seu dictam præbendam, quod solet requiri per gratias, regressus, accessus, gratias exspectativas, nominationes, mandatum de providendo, collationem, præsentationem aut alios similes modos, *Lud. Gomeſ. ad regul. de non toll. jure quæſito nu. 27. cum ſeq. c. fin. De conceſſ. præb. lib. 6.* quia Impetrans nusquam allegat, aut proponit se vigore alicujus gratiæ jus aliquod ad hanc præbendam habuisse, aut collationem sibi factam esse; sic ut ex defectu causæ effectus nullus sequi possit. Et dato quod jus ad rem habuisset, non poterat tamen id resolvi ad effectum, ut vel præfato D. Ægidio, aut alij cuicumque conferri potuerit, nisi expressa renuntiatione interveniente, etiamsi nondum acceptasset; de qua renuntiatione in his actis non constat, *Panor. in c. Accidens De præben.* Neque perinde, imò multò minus accipi potest id de jure in re; quia nusquam proponit Impetrans se hanc præbendam acceptasse, *d. c. fin. in fine*: quin e diverso dum pro juris sui comprobatione utitur præfatis literis Cæsareæ Majestatis, quibus ex morte D. Ioannis Sotteau, D. Ægidio facta est collatio, evidenter fatetur jus in re sibi non fuisse; quia, ut dixi, eo constituto, verum esse non potest, D. Ægidio acquisitam fuisse hanc præbendam ex ea vacationis specie: cùm citra expressam resignationem Impetrantis, seu cessionem ad manum Collatoris hujusmodi cessionem admittentis, eo se exuere non potuisset, *c. Admonet De renuntiat. gloſſ. c. Quod in dubijs eod. tit.* & cedendo in manibus laici, aut alterius potestatem non habentis, cessio futura sit nulla, *d. c. Quod in dubijs.* Cùm ergò neque de acquisitione, seu jure Impetrantis; neque de cessione, aut dimissione quicquam proponatur, & cedendi, seu dimittendi facultas ex defectu causæ in sensum communem non cadat (dimitti enim seu cedi non potest, quod obtentum vel habitum numquam fuit, *l. Manumissiones De inſtit. & jure, l. Decem in fine De verb. obligat.*) consequens est falsam esse causam, ob quam præfati Domini Opponentes hanc pensionem promiserunt, & ex falsitate causæ promissionem petitionemque esse inefficacem.

Quæ quidem promissionis causa nihilo videri debet justior, ex eo, quòd Impetrans alleget, conventum esse inter Impetrantem ac Petrum Savereux, & Tossanum Pauli, ut ad majores expensas vitandas Impetrans procuraret quod mandatum hujusmodi Canonicatus & præbendæ Andanensis per mortē dicti D. Ioannis Sotteau vacantis expediretur sub nomine, & titulo dicti Ægidij Brio: nam quid sibi velint ea conventionis seu promissionis per Impetrantem factæ verba, non satis percipitur. Quorsum enim mandato opus

fuit, cùm mandando nemo beneficiũ extorqueat?
8 * Est enim beneficium gratuitum à concedentis voluntate, non jure accipientis dependens. *Io. Selva in tract. benef. 1. p. q. 1.* Quod si iis verbis intelligas id, quod Impetrans non obscurè significare videtur, curaturum se, ut beneficium vacans ex morte Domini Ioannis Sotteau conferatur Domino Ægidio (quamvis id verbo rum significatio neque propria neque impropria admittat) iam sanè alia erit promittendę pensionis causa: sed talis, quæ duplici ex capite præfatos Opponentes non afficiet; tum quod ex ea causa non sit facta promissio per Opponentes, qui respexerunt ad id, quod ipsis narratum fuit pro causa faciendæ promissionis; videlicet ad cessionem ac dimissionem juris & actionis, quod & quam Impetrans habebat ad dict m præbendam factam in manibus
9 Ordinarij Collatoris. † Vnde quia promissio stricti juris est, *l. Quicquid astringendæ De verb. obligat.* & limitata causa promissionis limitatum producit effectum, *l. Cancellaverat De his quæ in testam. delen. d. §. falsam, Socinus cons.* 48. *Eleganter nu.* 3. *versu Ex quibus infero vol.* 3. ac pensio reservata in certum casum non includit alios minimè expressos, sed expressâ unâ causâ ceteræ excluduntur, *c. Nonne De præsumpt. l. cùm prætor De iudicijs*; quia in materia stricti juris casus omissus pro omisso haberi debet, *d. l. Quicquid adstringendæ*: non possunt videri præfati Opponentes sese obligasse, nisi ex causa expressa, cujus falsitate detecta æquum bonum est promissionis effectum resolvi, vel ener-
10 vari: † Tum quod ipsa in se quædam illicitum contineat; videlicet improbam nundinationem & pactionem circa acquisitionem beneficiorum, & sic simoniæ vitium apertissimum, *c. cum essent De Simonia c. ult. De pact.* ita quòd ex turpi causa pensionem petens Actor, turpis causæ, & sic doli exceptione repelli possit; cùm in turpi causa petitoris conditio semper sit durior, *l. Si ob turpem De condict. ob turp. caus.* Adde quod nec in actis constet, ex præfati Actoris seu Impetrantis procuratione, dictum D. Ægidium adeptum esse hanc præbendam; sed ex adverso per literas Cæsareæ Majestatis constet meram esse Cæsaris liberalitatem; ita ut ex defectu causæ de futuro, quam semper finalem esse diximus, *Bald. in d. l. Damus*, exceptioni locus esse debeat, *D. De condict. caus. dat. per totum.*

Et hactenus quidem de falsa causa factæ dimissionis & cessionis. Quod si verò dicatur non hanc unicam, & solam esse factæ per Monasterium promissionis causã, sed extare in dictæ promissionis instrumento adhuc aliam; videlicet quia Petrus Savereux & Tossanus Pauli promiserint Impetranti pensionem annuam quinqua ginta florenorum super Abbatiæ alicujus fructibus ac reditibus auctoritate Apostolica reservari, constitui, & assignari facere ac procurare; hanc autem causam esse veram, *ut patet ex instrum. princ. In nomine Domini amen, Noverint universi &c.* nihilo iustior erit dictæ promissionis & propositæ nunc petitionis causa: nam promissio dictorum Petri & Tossani, eodem vitio laborat; quòd etiam illa, & quidem expressius facta sit, ob causam de futuro, quæ sequuta non est, *d. l. 2. §. circa De doli mali except.* videlicet pro cessione, ac dimissione juris, quod dictus Impetrans habuit, in & ad dictos Canonicatum, & præbendam novissimè vacantem dicti Domini Ioannis Sotteau: quod jus & actionem paulò antè diximus dictum Impetrantem numquam habuisse; ita ut de facto sequuta post dictam promissionem cessione juris, seu actionis, nihilo magis causa sequuta dici pos-
11 sit. * Quemadmodum enim, qui nomen seu actionem vendit vel cedit, præstare debet se esse creditorem, non etiam exigendi seu consequendi facultatem, *l. Si nomen sit De hæred. vel action. vend.* ita quoque in proposito, qui jus vel actionem ad beneficium cedit, præstare hoc saltem debet, jus, & actionem in beneficio, vel ad illud fuisse cedenti ante cessionem; quia eo deficiente nulla erit cessio. Vt nec est emptio seu venditio sine re, quæ venit, aut sine pretio, *l. Nec emptio De contrah. empt. l. Emptio fide C. eod. tit.* nisi imaginaria: quæ pronulla venditione, seu cessione habetur, *l. Nuda De contrah. empt. l. Imaginaria De reg. iur. a contrario sensu.* Vt ergò subsistat dicta cessio, seu dimissio actionis, vigore cujus implementum promissionis ex parte D. Impetrantis fiat ratione contractus inter eos, ac dictum Petrum & Tossanum initi, necesse fuit jus, atque actionem fuisse ad dictum Canonicatum in persona Impetrantis, *l. Cum hæreditatem De hæred. vel act. vend.* Vnde cum exitus rei aperte demonstret Impetrantem numquam habuisse jus vel actionem ad hunc Canonicatum, qui vacavit per mortem D. Ioannis Sotteau, consequens est, ut cessione & dimissione ejus juris, quod numquam habuit, nihil egerit, neque ex sua parte contractum adimpleverit: sic ut promissio ex altera parte facta vel condici, vel agente ex eâ Impetrante, exceptione enervari
12 possit, *d. l. 2. §. circa.*

Quemadmodum ergò ostendimus in præcedenti articulo causam finalem, quamvis in præteritum conceptam, vitiare totam dicti Abbatis & Monasterij promissionem, factam non ex certa scientia falsitatis causæ, uti in dubio præsumendum est, *l. Si divortio & ibi Dolt. De verb. oblig. l. pen. §. mulier Soluto matrim.* ita quoque & multò magis vitiata est promissio Petri & Tossani; propterea quòd sit facta ob causam de futuro, quæ sequuta non est, *l. 2. §. Titio De donat.* Is enim omninò est sensus verborum, quæ dicto instrumento continentur, *Pro quibus iure, & actione promiserunt.* Et rursus paulò post, *Promiserunt procurare assignari ac reservari pensionem annuam 50. florenorum sibi Domino constituenti pro dicto suo iure & actione* * Præpositio
13 enim *pro* causam finalem significat, *Bal. in l. Ex arrali C. De act. empti*; aut saltem modum, *Bart. in l. cum mota C. De transac. & in d. §. Titio De donat.* imò etiam conditionem injicit. * Et quamvis tra-
14 dant vulgò, *Bart. in d. §. Titio & in l. Quæro §. fin. D. Locati*, modum potiùs præsumi, quàm conditionem: in contractu tamen, si agatur, ut priùs adimpleatur quod pro causa seu modo adjicitur quàm dispositioni locus sit, conditio, non modus, erit, *l. Qui promisit De condict. indeb. l. Cum tale & ibi Castren. De cond. & demonst.* sic ut hac consideratione dici possit, dictæ promissionis vires non tantum enervari, sed promissionem esse nullam: ut

omnis

omnis obligatio deficit, & nulla est, quæ sub conditione contrahitur, si conditio non eveniat, §. *ex conditionali Inst. De verb. oblig.*

Cum itaque promissio prædictorum Petri & Tossani sic evertatur; non potest secunda promissio Monasterij, hujus antecedentis promissionis respectu, seu quod magis est pro implemento ejusdem promissionis facta, viribus substituere, aut effectum sortiri: mutuâ enim velut connexione hæc inter se cohærent, neque separationem admittunt, & vitium, quod in uno est, per omnia diffunditur. † Nam ut quicquid est causa causæ, idem quoque est causa causati, *l. Dedit dotem De collat. bon. Bald. in l. Explacito C. De rer. permutat.* ita quoque quod vitium est in causa causæ, in causato quoque (hoc est, in proposito, in pensionis promissione) latere debet. 15

Adde, quod ea dictorum Petri & Tossani cum dicto Impetrante antecedens pactio veram beneficiorum nundinationem contineat omninò illicitam; tum quòd inter impares personas, hoc est laicos, qui dimissi juris, seu actionis sunt incapaces 16 *c. Cum adeo De resc. c. Ex l. literis De transact.* * tum quod simpliciter inter eos inita sit pactio reservandæ seu assignandæ pensionis, nullâ factâ mentione beneplaciti Sedis Apostolicæ, quo casu pactio est simoniaca, & omnino illicita seu nulla, *Panor. & Ioan. Anania in c. Non satis De Simonia, Gigas in tract. de pens. q. 5. nu. 3.* ut mirum videri non debeat, si & illa, quæ in illius consequentiam & implementum facta est, dicatur effectu juris destitui.

Illud autem obstare non potest, quòd in instrumento promissionis per Monasterium factæ tam larga contineatur renuntiatio exceptionum rei non sic gestæ, non ita celebrati contractus, doli mali, metus, fraudis, condictionis indebiti, ob causam, sine causa, ob turpem causam vel injustam 17 vel non subsecutam: † Nam præterquam quòd hujusmodi insolitæ & negotio proposito non satis congruentes clausulæ ex consuetudine Notariorum magis, quàm contrahentium voluntate adiecta præsumi debeant, *Bart. in l. 1. nu. 10 De iure codicill. Bald. in l. Quoties De hæred. instit. Dec. cons. 399. Conclusionem nu. 8.* idque hic rei evidentiâ etiam demonstretur, ex eo, quòd Impetrans tam pertinaciter perstiterit ante ac pòst in eo, quod suum jus, & actionem, seu suum Canonicatum Andanensem ad opus D. Ægidij resignasset seu dimisisset; quod non feciisset, si causæ falsitatem admittere voluisset: 18 * generalis hujusmodi exceptionum renuntiatio, quatenus dolum malum aut fraudem respiciunt, omninò nulla est; nullâ enim pactione effici potest, ne dolo agatur, aut excipiatur, *l. Si unus §. illud De pactis.* Iam verò cum dolum admittat, qui ex promissione, sine causa, aut ex causa, quæ sequuta non est, factâ agit, etiamsi sine dolo stipulatus sit, *d. §. circa*; rectè exceptione doli repellitur Impetrans, ex hac sic multis modis vitiata promissione agens.

19 Et certè tantum abest, ut ex hac causa hujus exceptionis usus inhibeatur, ut propter hujusmodi insolitarum & juri repugnantium clausularum cautionumque adiectionem, contractus magis suspectus reddatur, *Bald. in l. Si quis sub conditione De condit. instit. & in c. Quia verosimile De præsumpt. Ias. in l. Testamentum C. De testam.* quia (ut ait Baldus, *in c. Ex literis De consuet. & cons. 487. Apparet vo.* 1.) ubi abundantior est cautela, ibi est evidentior fraus. Et cum dolosa præfati Impetrantis narratione persuasum fuerit Abbati, & Monasterio, Impetrantem suum jus & actionem ad dictum Canonicatum cessisse, ac dimisisse ad opus D. Ægidij, ac hujusmodi cessione admissâ Ordinarium Collatorem dicto D. Ægidio contulisse, idemq; Abbas & Monasterium hujusmodi persuasione inducti promissionem fecerint, additâ causa, ne Impetrans ex hujusmodi cessione ac dimissione nimium dispendium pateretur; quâ ratione ipsa promissio exceptione, eâdem quoque renuntiationis replicatio, triplicatione dòli mali, enervari, ac elidi potest: cum utrobique dolus causam præstiterit, & promittendi & renuntiandi:

* Est autem juris aperti, quod ut dolus dans causam contractui bonæ fidei, reddit ipsum con- 20
tractum ipso jure nullum, *l. Et eleganter, & ibi gloss. De dolo malo*, ita in stricti juris contractu per doli mali exceptionem removeatur petitio, *l. Dolo C. De inutil. stipulation.* æquum enim ac bonum est hujusmodi fallas persuasiones, sine quibus nemo se obligaturus, aut aliquid facturus esset, decepto non prodesse ad actionem, vel exceptionem doli, *l. Quod si cum scires l. Si quis affirmaverit l. Servus §. 1. l. Cum à te; l. Cum quis De dolo malo.* † His proxi- 12
mum est, quod quamvis prædicta Abbatis promissio ad formam Cameralis obligationis, sive contractus guarentigiati sit concepta, in quibus vulgò traditum est, *Bart. in l. 1. §. & parvi Quod vi aut clam, Cassad. decis. 10. de rescript.* exceptionibus vix locum esse, propter executionem paratam, quam secum trahunt: admittunt tamen exceptionem defectus causæ, propter quam contracta est obligatio: quia nimirum eâ deficiente deficit obligatio, *l. Ex conducto in princ. D. Locati, Anton. Massa Galesius ad formam Cameralis obligationis ad 4. part. nu. 12.*

Sed ut concedamus Impetranti, in promissione Opponentium nullum esse vitium, & sic prædicta omnia cessare; nihilo tamen magis obtinere poterit Impetrans: ob id, quod in dicta promissione aliud quiddam contineatur, quod longè potentiùs Impetrantis intentionem subvertit, & promissionis vires enervat; videlicet quòd promissio Abbatis sit facta sub conditione, ac certa forma; nimirum, *Sub nuda & simplici signatura desuper expedita vel expediendа*: sic quod iuxta ejusdem simplicis signaturæ Apostolicæ desuper expeditæ seu expediendæ vim, formam, & tenorem exsolvere ac satisfacere teneatur.

Iam verò certum est, ex contractu seu promis- 22
sione efficaciter agi non posse, si conditio contractus non sit adimpleta, *Bald. in l. Si causam C. De execut. rei iudic. Alex. cons. 119. Viso processu nu. 2. vol. 1.* aut forma præscripta ad unguem, ut aiunt, observata, *late velin in c. Cum dilecta nu. 6. vers. gesta contra formam De rescript.* * Cujus quidem non adimpletæ conditionis, aut non servatę formę ex- 23
ceptio, semper admittenda est, etiâ adversus cujuscumque generis instrumenta, habentia promptam & paratam executionem, *Alex. cons. 119. Cassador. d. decis. 10.*

decis. 10. *De rescript. nu.* 6. Eoque exemplo decidit Guilielmus Cassadorus, *decis.* 10. conditionem intimationis litterarum reservationis pensionis intra certum tempus faciendæ promissioni insertam enervare, & extinguere literas pensionis, si intimatio tempore præscripto facta non sit. Vnde etiam in proposito, quia nuda signatura Apostolica desuper expedita non invenitur, sequitur, nec promissionis ullam esse vim; quia signatura sic in conditione posita, & petitionis & solutionis gubernacula vigore dictæ promissionis moderatur. Peti enim sine illa nequit, & non coguntur promissores solvere nisi iuxta ejusdem simplicis signaturæ Apostolicæ desuper expeditæ, vel expediendæ, vim, formam, & tenorem: * sic ut
24 deficiente, aut non apparente eo, ad quod fit relatio, relationis nulla sit vis, *l. In testamento De condit. & demonst.* & ex instrumento referente nulla dari possit exactio, nisi prolato instrumento relato, *Auth. Si quis in aliquo C. De edendo.* * Et quod illa
25 verba, *Sub nuda & simplici signatura &c.* conditionem faciant ac formam constituant, non modum, ex cujus implementi defectu obligatio vacillare, aut infirmior esse non solet, *l. Libertas* §. *hac scriptura De manumiss. testam. gloss. l.* 1. C. *De his quæ sub modo*, demonstratur ex traditione Alexandri, *d. cons.* 119. *nu.* 1. quod ubicumque aliquid expressum est, per verba ex sua natura importantia modum, & non conditionem, si tamen appareat tacitè vel expressè partes voluisse, quòd primò impleatur illud, quod erat expressum per verba modum facientia, tunc talia verba mutent naturam suam, & faciant conditionem, non modum. Nunc autem certum est, hoc actum esse inter partes, ut antequam Impetrans exigere possit pensionem, nuda signatura Apostolica expediretur, & secundùm eam fieret exactio: quod etiam non additum expresè, extrinsecus tacitè subintelligi debeat; * cum omnis
26 promissio pensionis sit nulla, quæ sine auctoritate superioris, nudo partium consensu imponitur super fructibus beneficij, vel monasterij, *tex. expressus in clem.* 1. §. *eâdem De suppl. negligent. prælat.* Atque ideo etiam cùm sine ea additione contractus subsistere non possit, ad formam contractus, non tantùm ad conditionem referendum est. Quod autem signatura Apostolica desuper expedita non sit, manifestè deprehenditur ex eo, quod Impetrans nusquam illam probaverit: par enim vis est ejus, quod non est, & quod non profertur, seu non apparet, *l. Duo sunt Titij De testam. tut. l. In lege De contrab. empt.* Et sanè minimè sophistica est hæc assertio: nam quamvis Impetrans exhibuit quandam nudam signaturam signatam per illust. Dominum Hieronymum Cosanum Nuntium Apostolicum; Apostolicam tamen signaturam non protulit, quam secundùm dictæ promissionis tenorem, & formam expeditam proferre, ac secundùm eam exactionem pensionis facere debuit.

27 Equidem licet Apostolicæ Sedis appellatione contineatur Legatus de latere, *Doct. in c.* 1. *De off. leg. c. Veniens De verb. sig. lib.* 6. *Nicol. Boerius in tract. de potest. leg. de latere nu.* 14. cujus potestatem habuit ex literis Apostolicis prædictis Illustrissimus Nuntius, sic ut literæ dicti Nuntij literæ Apostolicæ appellari possint tamquam ab eo datæ, qui Pontificem repræsentat, *c. Si Apostolicæ De prab. lib.* 6. in præsenti tamen casu id dicendum non est. Ea enim repræsentatio eatenus tantùm extenditur, quatenus mandata ipsius, seu facultates à Sede Apostolica patent; nam in alijs omnibus, quę mandatis non continentur, Pontificem non repræsentat, *c. Nisi. c. Quod translatione De off. legati*; neque extra suam provinciam ullam potestatem ordinariam vel extraordinariam habet, *l. unica C. De mand. Princip.* ideoque appellatione Sedis Apostolicæ quando profertur super maioribus reservatis Pontifici, non continetur Legatus de latere, *Joan. de Anania cons.* 94. *nu.* 2. *Visis & ponderatis*

Cùm igitur non constet ex actis de facultatibus dicti Nuntij, & præcipuè, quòd reservare potuerit pensionem super Abbatiâ ratione resignationum inter alios factarum, de quibus fidem facere debebat Impetrans, cùm mandata hujusmodi non præsumantur, *d. l. unica*, & alijs, quàm Cardinalibus, qui in legationem mittuntur, nihil ampliùs permissum sit, quàm quod mandatis, seu facultatum literis continetur, *c.* 1. *& ibi Doct. De off. legati lib.* 6. consequens esse videtur, ut hac ex parte Impetrans jure destituatur; quia in probatione deficit: præsertim quia per Opponentes apertè allegatum, & obiectum sit, prædictum Nuntium non potuisse reservare pensiones super Abbatijs ratione resignationum vel dimissionum de alijs beneficijs. † Nam licet jure or- 28
dinario pleraque citra expressum mandatum competant Nuntio non Cardinali; beneficiorum tamen collatio in provincia, ad quam missus est, ipso jure, nisi ei expressim concedatur, non competit, *d. c.* 1. *De off. leg. lib.* 6.

Cui consequens est, quòd nec pensionis reser- 29
vandæ potestas, nisi concessa expressim, ipsi competat: à pari enim ferè procedunt beneficij conferendi, ac pensionis reservandæ jus, & potestas, *Gomes de pension. q.* 6. *nu.* 19. *& seq.* Sed ut præterea bona fide fateamur id, quòd Domino Iudici constaret, si per Impetrantem mandata, seu facultates dicti Nuntij in hac causa exhibita essent (quod diximus omninò esse necessarium) nihilo securior foret Impetrans: nam sic habet clausula, quæ concernit facultatem reservandi pensiones, *de super resignatorum vel aliàs dimissorum seu occasione resignationum & cessionum hujusmodi aliorum quorumcunque beneficiorum fructibus, reditibus, proventibus pensiones annuas, non tamen tertiam partem fructuum, & proventuum gravatorum excedentes, prædictis resignantibus, vel cedentibus aut alijs personis idoneis per resignantes seu cedentes hujusmodi ad hoc tibi nominandis, quoad vixerint per beneplacita hujusmodi pro tempore obtinentes singulis annis, de consensu illorum, qui dictas pensiones persolvere habebunt, reservandi, constituendi, & assignandi.* In qua quidem clausula duo, imò tria, primo aspectu conspiciuntur, quibus Impetrantis fundamenta penitus evertuntur.

In primis enim stricta omnino est hujusmodi 30
reservationis potestas, tam respectu rei, seu causæ, quàm personarum. Nam permittit tantùm reservari pensionem ex causa resignationis, seu cessionis beneficiorum; sic ut, cum limitatum producat effectum, *l. Cancellaverat De his quæ in testa-*

testam. delen. & permissio in unum casum continet prohibitionem seu exclusionem in alio, *c. Susceptum De rescript. lib. 6.* cùm in materia stricti juris, (qualis est hæc) casus omissus pro omisso habeatur, uti superiùs diximus, *d. l. Quicquid adstringendæ De verb obl.* ex alia causa per dictum Illustrissimum Nuntium facta reservatio pensionis jure subsistere, aut ex ea exactio fieri nequit. Diximus autem & demonstravimus superiùs, Impetrantem hujus causæ neque resignasse D. Ægidio Brio præbendam Andanensem; neque juri aut actioni alicui sibi in vel ad eam competenti cessisse; ex eo videlicet, quòd ad oculum probatum sit, Impetrantem dictam præbendam numquam possedisse, aut jus, vel actionem ad eam habuisse, *l. Decem De verb. oblig.* ita ut nihil profit impetranti, si liquidissimè probasset (prout non probavit) se potuisse hanc præbendam obtinere; sed ipse hujus pensionis effecisse, ut D. Ægidio
31 conferretur. † Nam dato, quod hæc in genere possit esse sufficiens causa reservandæ pensionis; ex ea tamen causa Nuntius Apostolicus reservare non potuit; cui præter expressim concessa, cætera omnia denegata creduntur, *c. cum in illis § cum autem De præben. lib. 6. Doct in c. 1. De off. legati lib. 6. l. Cum prætor De iudic.* Similis restrictio est ex conditione personarum, quibus ei permittitur reservari pensionem: nam resignantibus vel cedentibus tantùm reservari jubetur; in quorum numero (uti jam dictum est) non est dictus Impetrans. Et quamvis adjiciatur, *Aut aliis personis idoneis*; ea tamen verborum generalitas statim restringitur per subjecta verba, *Per resignantes & cedentes huiusmodi nominandis.* Quia igitur Impetrans neque resignans, neque cedens est; neque etiam per quemquam resignantem vel cedentem nominatus est ad hanc pensionem obtinendam: necessariò consequitur, hanc pensionis assignationem, seu nudam signaturam desuper expeditam nullius esse momenti ex defectu potestatis reservantis; sic ut, cùm resolvatur jus accipientis, resoluto jure datoris, *l. Lex vectigali & ibi Bart. De pignor. b.* multò minùs accipiatur, seu acquiratur, si danti nullum jus ab initio competit: facilius enim factum ne fiat impeditur, quàm semel factum tollitur, *l. Interstipulantem §. sacram De verb. oblig.*

32 Secundò, quod quamvis beneficij appellatione largâ contineri possit Abbatia etiam regularis; in præsenti tamen casu aliter eveniat: nam cùm reservatio pensionum super fructibus Monasteriorũ difficiliorem habeat explicationem, & in secreto Consistorio Papæ causa reservationis expendatur, an sit probabilis, & justa, *Gomes. de pens. quæst 4. nu. 3.* bonâ ratione dici potest sub generali denenciorum appellatione in hac stricta materia non contineri Monasteria aut Abbatias. Quæ enim speciali notâ infigniuntur, ab aliis notabiliter discrepant, nisi specialiter exprimantur & notentur, quasi neglecta aut non concessa videntur, *l.*
33 *Item apud Labeonem. §. ait prætor. De iurisdict.*

Tertiò ex conjunctione clausulæ immediatè precedentis, loquentis de facultate admittendi cessiones ac resignationes beneficiorum, & vacantia beneficia conferendi: in ea enim apertè adjicitur restrictio de beneficijs non excedentibus valorem annuum ducentorum ducatorum: sic ut indubitatum sit, dictum Nuntium minoris valoris beneficia conferre non potuisse; & conferendo nihil egisse: quia mandati fines egredi non licet, *c. Cum de non sacerdotali in fine De præb. lib. 6* Iam verò quia in clausula immediate sequente fit promissio de reservandis pensionibus super hujusmodi beneficijs intelligenda, ac restringenda est ad beneficia duorum florenorum annuum valorem non excedentia * Dictio enim (*huiusmodi*) similitudinem significat, *l. Denique De pignorib.* & præcedentis dis- 34
positionis, seu rei relatæ qualitates omnes repetit.

Quo constituto, elucescit alia hujus pensionis ex defectu potestatis nullitas. Cum enim fructus, & reditus Abbatiæ de Molinis notoriè excedant ducentos ducatos annuos; non potuit Nuntius, super dicta Abbatia seu Monasterio hujusmodi pensionem constituere; quia scilicet gravandi eandem Abbatiam facultatem seu potestatem non habuit, propter dictum valoris excessum. † Diximus autem paulò antè, conferendi beneficia, & re- 35
servandi seu assignandi pensiones potestatem mutua quadam proportione inter se esse compositas. Vnde elegantèr decidit Ludovicus Gomesius, *in tract. de pension. q. 6. nu. 24. a gens Romam decis. 9. de præbend. in novis*, & *Felin. in c. Ad aures col. 3. De rescriptis*, quod si recepta resignatione beneficij valoris comprehensi in facultatibus sibi concessis Legatus pensionem imponat super fructibus alicujus beneficij, quod sit longè majoris summæ, quàm quæ expressa est in facultatibus Legato concessis; hujusmodi impositionem esse illicitam; sicuti nec valeret collatio facta per ipsum de tali beneficio gravato, si vacasset. † Cui proximum est, & ad rem subjectam appositissimum, quod eodem loco, *d. nu. 24.* addit idem Gomesius, quòd si in facultatibus Legati contineatur, ut non possit pensio per Nuntium reservanda excedere tertiam partem fructuum, si pensio major tertia parte fructuum resignati vel dimissi beneficij assignetur super alio beneficio, cujus tertiam partem non excedat, Legatum excedere suas facultatis suæ, & mandati, *c. Cum auctu. De rescriptis.* Sic itaque multis modis impugnata, & annullata nuda signatura, quâ pro exactione hujus pensionis usus est Impetrans; necessariò infertur conditionem promissionis, seu exactionis firmam non esse impletam aut observatam, ideoque nec ex promissione agi posse: parum enim vis est omnino non facere, vel non debito modo facere, *l. 1. §. penult Quor. legat. l. Quoties Qui satisda. cog.*

Vnum adhuc superest, ex quo solo, deficientibus etiam prædictis, & præsuppositâ dicti Legati plenissimâ potestate, Impetrans hic causâ cadere debet; quod in ipsa nuda signatura pro causa reservandę pensionis per Impetrantem allegetur cessio, & dimissio præbendæ Andanensis; & quod ex ea D. Ægidius eandem præbendam consequutus sit. Nam cum in gratijs Apostolicis causa expressa habeat vim conditionis; quia scilicet semper subintelligitur, *si ita est c. 2. De rescrip.* & causa adiecta in vim conditionis, si falsa est, semper vitiat, *l. Demonstratio §. 1. De cond. & demonst. Felin. in d. c. Ad aures nu. 4. De rescript.* etiam si per simplicitatem sit adiecta; & in universum omnes gratiæ, & literæ

Apostо

Apostolicæ, in quibus scienter, aut per malitiam seu fraudem falsa expressa inveniuntur, sunt ipso jure nullæ; sic ut mendax precator in suæ falsitatis pœnam ex hujusmodi literis nullum commodum consequi valeat, *c. Super literis De rescriptis*: consequens est, ut dicta quoque signatura sit ipso jure nulla; sic ut Impetranti ad exactionem vigore promissionis, in qua conditio exhibendi seu expediendi nudam signaturam expressè posita est, nulla ratione prodesse possit; ut ita necessarium sit dicere, promissionem esse nudam, hoc est auctoritate Apostolica non corroboratam aut fulcitam, & ideo, ut suprà dictum est, illicitam, *clem. 1. §. eadem De suppl. negl. prælat.* De fraude autem & malitia Impetrantis in hujusmodi falsitate suggerenda, nihil est ambigendum; quod improbabilis sit ignorantia facti proprij, *c. Abexcommunicato De rescript. l. Quamquam ad S. C. Velleian.* Ignorare enim quî potuit Impetrans se non resignasse, aut cessisse, quod non habuit? cum resignationis etiam aut cessionis nullum modum alleget, nullum instrumentum proferat. Nec quicquam facit, quod Impetrans de procuratione allegavit, videlicet quòd procuraverit, ut D. Ægidio provideretur de præbenda, de qua curare poterat sibi provideri: nam, ut dixi, id non constat; & ut constet, continet turpem nundinationem & cauponationem beneficiorum, seu rerum spiritualium in universum prohibitam, *c. fin. De pact.* & quæ simpliciter, ac nudè expositæ atque enarratæ D. Nuntio, nulla ratione eum impulsura erat ad hujus pensionis ex tam fœda causa reservationē, seu assignationem, cum sciret facultates tuas esse restrictas intra eos limites, ut tantùm resignantibus seu cedentibus aut alijs idoneis personis per resignantes, seu cedentes nominatis pensiones reservare, & assignare potuerit; quorum neutrum hîc in persona Impetrantis evenit. Vt ergò finem faciamus, & tandem nos extricemus, arbitramur hujus causæ eum esse statum, ut dicto Impetranti, vel ipso jure ex prætacta promissione nulla competat actio (quod etiam verius putamus) vel si stricta aliquâ juris ratione ex cameralis obligationis forma ipso jure stare possit, exceptionis objectione omninò elidatur & enervetur. Quod etiam per D. Assessorem ex prima exceptionum objectarum lectione animadversum fuisse deprehendimus; eamque ob causam petitam per Impetrantem nantizationem rejectam fuisse. Vnde etiam bonâ ratione existimamus, officium & partes Reverendi D. Conservatoris esse, ut secundùm Opponentes per omnia, tam quoad absolutionem à petitione, quàm condemnationem expensarum in persona Impetrantis sententiâ dicat.

De præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio injusta, obreptitia, exorbitans reducenda.

1. 6. *Valoris expressio quando sit necessaria in unione vel collatione beneficij.*
2. *Valoris taxa pars gratiæ est.*
3. *Obreptio potentior est surreptione.*
4. *Falsi suggestio excusari non potest.*
5. *Clausula motus proprij quid operetur.*
7. *Pensio iniusta vel excessiva oppugnari potest.*
8. *Excommunicatio nulla sine præcedente monitione.*
9. *Monitio unica an pro futuris pensionibus sufficiat.*
   Monitio solvendæ pensionis fit per intimationem literarum reservationis.
10. *Dici & pœnæ appositio interpellat pro homine.*
11. *Pensio successorum beneficio intimari debet.*
12. *Processus fulminatus super bulla unicus sufficit.*
    Fulminatio processus quid?
13. *Pensionis solutio retardanda non est pendente lite de eius nullitate vel iniustitia.*
14. *Pensionis reductio ex qua causa facienda.*
15. *Appellationis remedium an procedat contra pensionem.*
16. *Executor pensionis non cognoscit sed exequitur tantùm.*
    Placiti Regij super literis Apostolicis usus.

CONSILIVM CCXXXIII.

QVÆSTIONIBVS, quæ pro parte Reverendi Domini Abbatis & Conventus Monasterij S. Petri Gandavensi super perpetua pensione mille quingentorum ducatorum, partim Reverendiss. Episcopo Gandavensi partim graduatis Canonicis auctoritate Apostolica reservatâ & constitutâ super fundis & decimis, cæterisque similibus reditibus & proventibus dicti Monasterij proponuntur, respondendo eo ordine, quo proponuntur; ad eam, quæ primo loco proponitur, anne dicta pensionis reservatio & constitutio censeri debeat obreptitia & surreptitia, eaque ex causa vel nulla vel annullanda, ob id, quòd suppressâ & exiinctâ Præpositurâ Ecclesiæ illius & annexorum, fructus, reditus, proventus, & quæcumque bona sint & fuerint dicto Episcopatui Gandavensi eadem auctoritate Apostolicâ applicata & appropriata sub expressione falsi valoris, quod hujusmodi fructus, proventus, & bona non excedant annuum valorem trium millium ducatorum, secundùm communem æstimationem; cùm tempore hujusmodi suppressionis & applicationis dictæ Præposituræ fructus & bona ferè (uti proponitur) triplo plura seu majora fuerint?

Dicimus in primis, hujus quæstionis resolutionem præfato D. Abbati ad directò constituendam dictæ pensionis vel nullitatem vel inutilitatem seu inefficaciam, parum prodesse posse: ob id, quòd dicta pensio ab unione seu incorporatione, & appropriatione bonorum dictæ Præposituræ nullâ ratione dependeat, nec cum illa communionem aliquam habeat; sed separatum velut corpus annui reditus partim Episcopatui, partim dictis graduatis Canonicis faciat & constituat; ideoque separatam quoque naturam & conditionem habeat, *l. Inter stipulantem §. sacram vers. sed hæc dissimilia De verb. oblig. l Papinianus exul De minorib. l. Si maritus C. De donat. inter vir. & uxor.* tantumque abfuit, ut validitas dictæ pensionis dependeat à validitate dictæ unionis, seu appropriationis, ut qua parte eadem appropriatio vel obreptitia vel surreptitia, & ex obreptione vel surreptione nulla vel annullanda dici posset, firmior & corroboratior dici deberet dictæ pensionis reservatio; veluti ad augmentum & supplementum facta, non conditionaliter, sed purè, absolutè, & præcisè; ita ut ratio pati non videatur, ut inutilis ex quacumque fortè causa dictæ Præposituræ unio, & appropriatio, operetur subversionem di-

nem dictæ pensionis utiliter & efficaciter constitutæ; ex vulgari juris regula, *c. Vtile De reg. iur. lib. 6.* potissimùm in separatis & minimè connexis, *Dynus & alij in d. c. Vtile.* Si de validitate & efficacia dictæ suppressionis, unionis, applicationis, & appropriationis redituum & bonorum dictæ Præposituræ esset quæstio, bonis & evidentibus rationibus sustineri posset illam ab
1 initio numquam jure subsistitisse. * Etsi enim jure communi expressio valoris beneficij in illius sive collatione, sive commenda, sive suppressione & vnione non sit necessaria, & omissa gratiam non vitiet, *Gloss. in clemen. 1. De præben. Rota. decis. 277. alias est 42. de rescrip. in antiquis, Iacobus Puteus decis. 24. lib. 1.* ex regulis tamen Cancellariæ Apostolicæ, & ex communi receptoque stilo in quibuscumque gratijs beneficialibus & specialiter in vnionibus beneficiorum requiritur formalis expressio veri annui valoris secundùm communem æstimationem beneficij uniendi. *Alex. conf. 72. Inspecto diligenter nu. 1. vol. 1. Gomes. & Mandosius ad reg. Cancell. de valore exprimen.* idque sub pœna nullitatis unionis impetratæ per hæc verba, *Alioqui unio non valeat*; item *alioqui præfatæ gratiæ sint nullæ.* † Quip-
2 pe taxa seu expressus valor est pars & velut causa ipsius gratiæ, & in effectu facit ipsam gratiam conditionalem; propter subintellectam clausulam, *Si ita est, c. 2. De rescr.* Causa autem adiecta in vim conditionis si falsa est, vitiat ipsam dispositionem, *l. Falsa demonstratio* §. 1. *De cond. & demonst.* quia cohæret illi; hoc est ratio concedendæ hujus unionis ex parte in eo posita est, quòd annuus valor dictorum bonorum non excedit tria millia ducatorum, *l. cum tale* §. *falsam De cond. & demon. c. Significante De rescript. & ibi gloss.* * Ita ut gratia sic
3 sub falsa narratione obtenta, obreptitia magis quàm surreptitia, & sic multo magis nulla dici debeat: majorem enim reprehensionem meretur obreptio, hoc est falsi suggestio, quàm surreptio, *l. Si quis obrepserit Ad leg. Corn. de falsi.* quæ in veritatis subticentia consistit, & ex ratione seu consideratione simplicitatis excusari potest, *c. Super literis*
4 *De rescr.* * ut non possit ipsa obreptio excusari ne quidem prætextu alicujus justæ ignorantiæ aut simplicitatis, sub cujus clipeo nemo debet falsum allegare seu narrare, cùm sit quod illi imputetur, cur non inquisitionis in veritatem adhibuerit diligentiam, & antè de veritate valoris se informaverit, cùm certam illius quantitatem falsò exprimeret, *Card. Zabatella conf. 31. Cum inter religiosos nu. 3. Steph. Bertran. conf. 111. Etiamsi verum esset vol. 1. parte. 1.*

Proinde etiam ad sustinendam hanc unionem nihil facit, quòd in hac applicationis ac approbationis Bulla hæc narratio non referatur ad assertionem Episcopi; cujus Episcopatui hæc appropriatio sit, per hanc clausulam, *sicut*, seu *prout asseru*: quo casu ipsa impetratio magis inficitur vitio obreptionis; quia continet causam finalem concessionis, *Card. d. conf. 31. n. 4. sicut asseritur*; quàm si vel impersonaliter dicatur, *Bisignetus decis. 6. de præben.* aut, ut est in posita appropriatione, *Vt accipimus.* Nam semper verum manet fundamentum hujusce-modi appropriationis potissimùm consistere in minoris valoris expressione; ut nihil curandum sit, ex cujus suggestione vel narratione certus valor sit expressus, cùm diversitas formularum non semper operetur rei seu effectus diversitatem; spectatque magis ad stilum Cancellariæ Apostolicæ pro varietate vel impetrantium, vel modo concessionis, *Hieron. Paulus in pract. Cancel. Apostolicæ sub tit. de notabilibus super vacantibus reservat. vers. Item nota quod ut asserit fol. 33. in editione Lugdunensi.*

Vnde etiam est, quod ad excusationem hujus 5
vitij obreptionis ex falsi valoris expressione, nihil faciat, quod hæc applicatio & appropriatio sit seu dicatur facta *motu proprio* Papæ. Nam etsi in alijs *motus proprius* Papæ plurimum operetur, potissimùm ad tollendum vitium obreptionis & surreptionis, *c. Si motu proprio De præb. lib. 6.* in expressione tamen falsi valoris talem effectum non habet, ut ipsam gratiam firmet adversus intentionem Papæ concedentis, ut maximè sublata censeatur obreptio vel surreptio, *Felin. in c. fin. vers. licet ultra omnes De præsumpt. Franc. Marcus decis. Delph. 77. nu. 4. part. 1.* ut eleganter consulendo scribunt Pet. Ancharanus, *conf. 138. De natura nu. 1.* & Card. Zabarella *conf. 96. In unione in princ.* & post hos Quintilianus Mandosius dictæ regulæ Cancellariæ exactissimus Interpres, *reg. 22. De unionibus quæst. 2.* Quod sanè dubitationem non habet tunc, cùm falsi valoris expressio modum excedit, & evidenter nimis magna est. Etsi enim propter clausulam, *motus proprij* modicus error seu excessus vel defectus tolerari possit; tolerari tamen non debet, si falsitas expressi valoris excessivè magna est: hujusmodi enim tam magnus Papæ error removet voluntatem Papæ, *Anchar. d. conf. 138.* quia evidenter errantis nulla est voluntas, etiamsi huic motui proprio addita sit clausula, *etiamsi maioris vel minoris valoris sit beneficium.* * Nimius enim excessus à 6
vero valore per expressionem falsi etiam sine impetrantis assertione tolerandus non est, *Steph. Bert. conf. 139. Dudum anno nu. 12. vol. 7.* cum taxa adjiciatur causâ diminutionis, non augmenti, *Rota decis. 74. alias est 60. nota quod ubi alicui nu. 6. De rescript. in antiq.* ideoque ex minore quantitate seu valore numquam vitiet, ut facillimè vitiat ex majore, *c. Quamvis & ibi gloss. in verb. usque ad certam De præb. lib. 6.*

Cùm igitur hujus Præposituræ fructus & bona tam exorbitanter proponantur excedere expressum in dicta Bulla annuum valorem trium millium ducatorum, nulla remanet justa dubitatio, quin hæc applicatio seu unio censeri debeat omnimodò nulla. Quamvis verò nullitas dictæ applicationis & unionis non possit quoque per se operari (ut diximus) nullitatem reservatæ pensinis; in proposito tamen non est inutilis illius consideratio, si non ad nullitatem dictæ pensionis constituendam, saltem ad illius sive reductionem sive reservationem faciendam. *
Nulla enim pensio tam præcisè nec cum tanta 7
firmitate concedi solet, quin ex justa, sive præexistente sive superveniente causa possit vel reformari vel ad moderationem reduci. Vt omne privilegium ac beneficium, cum incipit esse iniquum aut plus justo damnosum, facillimè

reducitur ad debitum ſtatum, *c. Suggeſtum De decimis, Rebuffus in praxi benef. tit. De reſervat. nu. 17. Lud. Rom. conſ. 369. Circa primum*, ut ex profeſſo latiùs hæc tradit Hieronymus Gigas in articulo injuſtæ ſeu exceſſivæ penſionis, *tract. De penſ. q. 35.* Cui reductioni & reformationi locus eſſe poteſt etiam tunc cùm (ut ſæpè fit) reſervationi penſionis expreſſim & formaliter addita eſt reſtrictiva clauſula, *quod ſic reſervata penſio non poſſit reduci ad minorem ſummam*; ut ex ſententia Ioannis Staphilæi, *in tract. de literis iuſtitiæ*, etiam reſpondit idem prædictus Hieron. Gigas, *conſ. 38. Scripſiſti ad me.*

Quo præſuppoſito dicto Reverendo Domino in petenda hujus exorbitantis penſionis reformatione, reductione, ſeu moderatione plurimum momenti conferre poterit dicta conſideratio expreſſi falſi valoris bonorum dictæ appropriatæ Præpoſituræ; ſi non ad hoc, ut illa appropriatio nulla dicatur, ſaltem ad hoc, ut hæc penſio fructibus dictæ Abbatiæ impoſita, quatenus menſæ Epiſcopali reſervata eſt, vel tota tollatur, vel ad juſtam moderationem reducatur; ob id, quòd ex Bulla reſervatæ hujus penſionis ad oculum appareat, ideo dictæ menſæ Epiſcopali adiectam eſſe hanc penſionem mille ducatorum ex fructibus dictæ Abbatiæ, quod dictæ Præpoſituræ reditus & bona non excederent annuum valorem trium millium ducatorum; ad quam ſummam Papa in erectione hujus Epiſcopatus voluit dotem menſæ Epiſcopalis conſtitui, & pro commodiore ſuſtentatione Pontificalis dignitatis illi ultra illam dotem adijci dictam mille ducatorum penſionem. Quam adiectionem non tantum veroſimile, ſed etiam certiſſimum eſt Papam facturum non fuiſſe, ſi dictæ Præpoſituræ verus valor expreſſus, & de vero valore plus ſuppreſſum ſeu ſubticitum, quàm expreſſum non fuiſſet. Ita ut vitium obreptionis, quod latet & conſiſtit in ipſa applicatione & appropriatione Præpoſituræ ſeu bonorum illius ex falſi valoris tam exorbitante expreſſione, effectum ſuum extendat, ſeu extendere debeat ad illi ſubjunctam in eadem Bulla dictæ penſionis mille ducatorum reſervationem; quia minor ſic expreſſus valor apertè eſt cauſa, non tantùm impulſiva, ſed etiam finalis ſuperadditæ hujus penſionis: ita ut ex illius ceſſatione, quam operatur falſi valoris expreſſio, meritò ceſſare atque etiam caſſari ſeu reformari debeat eadem hæc reſervatio, *Gigas in d. tract. de penſ. q. 22.* cùm qui pro tempore dicti Epiſcopatus quandocumque erit Epiſcopus, non tantùm dotem trium millium ducatorum, verùm etiam illius augmentum, non tantùm de alijs mille, ſed etiam pluribus millibus ducatorum inventurus & habiturus ſit in fructibus, reditibus, & bonis dictæ Præpoſituræ; ut meritò dicto Reverendo Domino Abbati remittendum ſit onus tantæ penſionis. Prout veriſimillimum eſt S. D. N. Papam intellectâ hac nimis exorbitante obreptione per tam evidenter falſi valoris expreſſionem, dictam mille ducatorum penſionem caſſaturum ſeu revocaturum; etiamſi nulla alia eſſet vel reductionis vel reformationis ejuſdem penſionis ex alio reſpectu juſta cauſa ſeu occaſio, de qua paulò poſt dicetur.

Sed hæc conſideratio non ſatis commodè applicari poſſet ad alteram partem hujus penſionis, de quingentis ducatis annuis præfatis graduatis Canonicis reſervatæ: ob id, quòd ex illorum parte nulla talis obreptio objici vel conſiderari poſſit; ex quo illis nulla pars reditumm ſeu fructuum dictæ Præpoſituræ eſt applicata ſeu appropriata, reſpectu cujus dici poſſet hanc quingentorum ducatorum penſionem in augmentum dotis illorum adiectam eſſe, & nulla conſtitui poſſit vel dependentia vel reſpectus inter hanc quingentorum ducatorum penſionem, & bona dictæ Præpoſituræ: Ita quod vitium obreptionis ex falſo Præpoſituræ expreſſo valore, non poſſit pertingere ad hanc poſteriorem penſionem quingentorum ducatorum.

Progrediendo ad alias quæſtiones, quæ exoriuntur ex dicta Bullæ perſtringentibus, & ſub vinculo excommunicationis præfatum Reverendum Dominum Abbatem illiuſque in dignitate Abbatiali ſucceſſores ad præciſam ſolutionem hujus penſionis obſtringentibus verbis; ad eam, quâ primo loco quæritur, an Reverendus D. Abbas ex mora ſolutionis hujus penſionis ipſo facto, nulla etiam alia monitione præmiſſa ſtatim in pœnam excommunicationis incidat? reſpondendum videtur, * quod velut juris regula ſit, quod nemo ſine Canonica monitione præcedente excommunicari poſſit, *c. Sacro de ſent. excommunicat. c. Reprehenſibilia in princ. De appellat.* Ita ut indubitatum ſit ſine interpellatione ex ſola negligentia aut dilatione ſolutionis, non incurri pœnam excommunicationis; etiamſi verba decreti dictæ Bullæ verbis admodum præciſis hoc contineant, quod Abbas ſententiam excommunicationis incurrat, ſi infra triginta dies, diem ſeu terminum ſolutionis hujuſmodi faciendæ immediatè ſequentes, debitas penſiones cum effectu non perſolverit. * Sed in eo eſt dubitatio an ad ſingulos ſolvendæ penſionis terminos ſpecialis monitio requiratur, & ſine ea hæc pœna non incurratur? In quo dicimus, quod unica monitio ſeu requiſitio ſufficiat pro omnibus, non tantum præteritis, ſed etiam futuris penſionibus ſeu ſolutionis terminis, etiam adverſus eum, qui reſervationi penſionis non conſenſit, ſed vel conſentientis eſt ſucceſſor, vel ex authoritate Papæ etiam citra conſenſum penſionis præſtandæ onere gravatus exiſtit. Quæ monitio fieri cenſetur per intimationem literarum Apoſtolicarum reſervatæ penſionis obligato ſemel in vita factam; quia per illam hæc præciſa obligatio & periculum pœnarum ſeu cenſurarum ex contumacia non ſolventis inducitur in notitiam obligati, ut non poſſit prætendere illius juſtam ignorantiam, *Caſſadorus deciſ. 12. nu. 2. De reſcript. Gigas conſil 42. Non abs re*: nec exſpectare debeat ut ad ſingulos ſolutionis terminos ſpecialiter iterum moneatur, aut requiratur: * ob id, quod per Bullam Apoſtolicam ſolutioni hujus penſionis, non tantum

tum pœna, sed etiam certa dies, quâ solutio fieri debeat sit apposita; cujus appositio generaliter etiam in aliarum rerum obligationibus facit, ut dies interpellet pro homine, *l. Magnam* C. *De contrah. & commit. stipulat.* nec alia tunc mentione opus sit: ut hunc juris articulum exactè & latè tractat & decidit Hieron. Gigas *in d. tract. de pension. quæst.* 77. ad quem remisisse sufficiat.

Vnde ad quæstionem secundo loco propositam facile est respondere, neque numerum, neque ordinem seu intervallum monitionum in consideratione esse. Sienim unica literarum monitio in futurum sufficit, ut jam sufficere diximus, propter certæ diei & pœnæ appositionem, *d l. Magnam*; geminata & multo minus trina monitio non requiritur ad incursum aut executionem pœnæ excommunicationis. Ordinaria enim illa trina monitio, quam canon requirit ad justam excommunicationem, *c. Constitutionem* De *sent. excom. lib.* 6. necessaria non est; cum dies adiecta pro homineinterpellet, & vicem peremptorij habeat, ideoque unica interpellatione contenta sit, *d. c. Constitutionem in fine & ibi gloss. in verb. una pro omnibus.*

11 Cum autem hæc saltem unica intimatio literarum reperiatur, expedita est responsio ad eam, quæ tertio loco proponitur quæstionem; an vigore processus semel ante plures annos fulminati & Abbati tunc pro tempore existenti intimati, modernus Dominus Abbas ex mora solutionis excommunicatus denuntiari possit? Quod videlicet præcedens illa intimatio alij facta eum sic non perstringat: ob id, quod non ex illius consensu, sed ex potestate & auctoritate Papæ constituta sit hæc obligatio; cujus ignorantiam prætendere potest tamquam in jus alterius succedens, *l. Quia in alterius, l. Qui cum alio* De *reg. iur.* quamdiu sibi nulla intimatio ex parte Pensionarij facta est, *Cassadorus d. decis.* 12. *Gigas d. cons.* 42. *nu.* 11. Ex sola itaque fulminatione processus super dicta bulla semel facta, nullum potest Domino Abbati moderno imminere periculum censurarum, si non idem processus fulminatus quoque Domino Abbati intimatus seu insinuatus fuerit. Sed id non ita quasi nova quoque fulminatione
12 opus sit: * processus enim semel fulminatus super bulla Apostolica perpetuam firmitatem habere debet: ut habent quæcumque gesta, quæ translata sunt in monumenta publica, & mortè fulminantis, aut eorum, inter quos res agitur perire non debent; quia in publicam fidem transierunt: nihil enim aliud est processus fulminatio, quam solemnis instrumenti publicatio, quam semel feciße sufficit, neque reiterationem requirit. Sic quod intimatio moderno Domino Abbati per eundem illum primum & unicum fulminatum processum fieri possit, & si facta est, sufficere debeat ad constituendum Dominum Abbatem in mora & periculo censu-
13 rarum.

Adversus quod periculum, quò prompto paratoque remedio dicto Reverendo Domino Abbati succurri possit (quæ quarto loco proponitur quæstio) non satis expeditum est; propter dictarum literarum Apostolicarum tam præcisam, & sanctione censurarum ita obfirmatam obligationem; quæ potissimùm ex stilo in pensionibus Apostolicis observari solet; ex quo stilo non admittitur retardatio solutionis interea quam de pensionis vel nullitate, vel justitia, vel moderatione aut reformatione quæstio movetur: cujus movendæ potestas ex stilo curiæ concedi non solet, nisi cum vulgari clausula, *Sine retardatione solutionis pensionis*, *Gigas de pension. q.* 85. *& cons.* 6. *Vetus quæ inter nos nu.* 6. Multa quidem concurrere videntur ex quibus Reverendo Domino Abbati succurri possit, ut onus hujus pensionis, vel in totum, vel saltem pro parte à se excutiat: & in totum quidem illam, quæ mensæ Episcopali de mille ducatis reservata est, ex falsa expressione valoris redituum & bonorum supradictæ præposituræ ad tria dumtaxat ducatorũ millia annua; respectu cujus minoris valoris ipsius mensæ velut pro dotis augmento superaddita est hæc pensio mille ducatorum ex reditibus hujus Abbatiæ: quod nulla ratione verosimile est Papam facturum fuisse, si compertum habuisset quatuor, imo plura millia annua confici potuisse ex fructibus & bonis dictæ Præposituræ: ut superius satis deductum est. Pro parte vero dicto Domino Abbati, quoad utramque hanc pensionem succurri posset per petitionẽ reformationis seu reductionis dictæ pensionis ad justam moderationem; si demonstrari posset utramque excessivam vel ab initio fuisse, vel ex superveniente casu factam fuisse. † Est enim id ex usu & stilo cancellariæ Apostolicæ 14
quod pensio immoderata respectu aliorum bonorum Ecclesiæ gravatæ vel quæ ex post facto inceperit multum gravari reduci possit ad debitam moderationem, *Hieron. Paulus in pract. Cancel. Apostolicæ tit. De notab. super pensionibus vers. pensio immodica*; etiamsi in Bulla reservationis adiecta esset clausula, *quod ad minorem quantitatem pensio reduci seu cons.* 38. *reservari non posset*, *Gigas d. cons.* 38. Postulat enim hoc humanitatis & æquitatis ratio, & verosimilis Papæ voluntas, *Gigas d. q.* 35. potissimùm si demonstrari potest ita diminutos esse dictæ Abbatiæ reditus, quòd mille quingenti ducati nunc ex calamitate horum temporum excedant medietatem dictorum redituum, ad quam medietatem taxa hujus pensionis in dicta Bulla Apostolica & conditionata & restricta est per hæc verba, *Quorum medietatem pensiones huiusmodi insimul non excedunt.* Neque enim æquum est præfatum Dominum Abbatem ejusque Monasterium eò redigi, ut ex sui Monasterij bonis plus in subventionem aliorum eroget, quàm sibi suisque retineat.

Consultum itaque est, ut Reverendus Dominus Abbas, postpositâ omni mora per supplicem libellum S. D. N. Papæ exponi faciat statum & conditionem hujus pensionis, & præsertim illius absurdam illam obreptionem ex tam exorbitanter falsi valoris redituum & bonorum dictæ Præposituræ expressione; bonorum item ac redituum sui Monasterij ex calamitate postea superveniente notabilem diminutionem; ita ut sine malo & infelici exitu stante hac pensione status dicti Monasterij consistere non possit; accumulando cætera, quæ quo modo ad re-

ad reformandum moderandumque hanc pensionem S. D. N. Papam movere possunt, & apud Hieron. Gigantem accumulata inveniuntur, *d. quæst.* 35. dubitatio nulla est, quin hujusmodi commissio facilè obtinebitur, sed verendum, ne non sine clausula, *sine retardatione &c.* tentandum tamen & hoc erit; nihil enim vetat, quin sic obtineri possit, si modò Papæ ea impetrari aut occupari posset voluntas, *Gigas d. q.* 35. *& q.* 72. Bona sanè videtur illius esse spes ex narratione obreptionis illius per falsi valoris tam exorbitantem expressionem, quæ à dolo aut sanè nimis lata culpa excusari non potest; cùm dolo carere non videatur, qui petit quod intus habet, *l.* 1. *C. De rei vid. l. Si quis ex argentarijs §. prætor ait vers. prohibet & ibi gloss. De edendo*; & planè absurdum sit sub prætextu exiguitatis redituum seu bonorum dictæ Præposituræ, adiectum hoc augmentum stare, detectâ eorundem bonorum tantâ amplitudine: ut planè nobis persuadeamus ex hac causa S. D. N. Papæ animum permotum iri ad cassandam hanc pensionem, vel ex ista sola causa.

Sanè in re præsenti adversus rigorosam exactionem præteritarum pensionum justa oppositionis causa desumi poterit ex præsenti præteritoque dicti Monasterij illiusque bonorum statu; ut vel nihil omninò, vel non ad extremum solvere cogatur, propter sterilitatem dictorum bonorum & impedimentum usus illorum ex injuria horum temporum. Tacitè enim videtur obligationi præstandæ hujus pensionis inesse hæc conditio, si præfato Abbati eis uti frui licebit; obiad, quòd ex seu super illorum fructibus pensionis obligatio fundetur, *Lud. Rom. d consil.* 369. *circa primum nu.* 30. *Gigas de pens. q.* 72. *Ioan. Staphil. in signat-literarum iustitiæ §. & est notandum nu.* 7. *Marcus Ant. Natta cons.* 86. *Teneo quod*: ut nuper ad alias pro parte Reverendi Domini Abbatis propositas quæstiones respondimus. In qua oppositione si executor aut Iudex Reverendum Dominum Abbatem non audiat, aut quoquo modo gravet, justa erit appellandi causa. * Nam etsi pensiones Ecclesiasticæ rigorem executionis majorem habeant; appellationem tamen non respuunt ex generali juris regula, quâ omnibus iniquè oppressis remedio appellationis succurritur, *l.* 1. *De appellat. Gigas de pension. q.* 95. Potissimum in hac pensione, quæ Episcopo Gandavensi non pro necessarijs alimentis, sed majore splendore reservata est: ut ex textu dictæ Bullæ deprehenditur; quæ si respectu alimentorum reservata esset, nihilominus usus esse posset appellationis, licet non pari effectu; hoc est non cum suspensione executionis vel retardatione solutionis, *Gigas d. q.* 95 *nu.* 5. ut ferè semper observari solet in his, quæ provisionalem seu fiduciariam executionem habent, *l.* 1. *& ibi Doct. C. Si de moment. possess.*

Quæ consideratio continet responsionem ad quintum loco propositam quæstionem.

Ad sextam, quæ desumitur ex executionis dictæ Bullæ his verbis, *Quemlibet ex Abbatis S. Petri successoribus, quem huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse constiterit, quoties super hoc pro parte Episcopi & Canonicorum prædictorum fuerint requisiti, excommunicatum nuntient &c.* An, inquam, ad hanc nuntiationem executor progredi non poterit sine aliqua alia causæ cognitione? Respondemus, quòd alia causæ cognitio non requiratur, quàm an dies solvendæ pensionis cesserit, quod ex decursu & lapsu temporis per se deprehenditur, nec aliam cognitionem requiret; * præsertim ubi dies & pœna faciunt per se interpellationem, *d. l. Magnam:* 16 potissimùm quia hujusmodi pensioni executor meri magis, quàm mixti executoris officium gerat; & sic causæ cognitionem vix habeat, & justitiæ seu executionis potiùs sint nudi ministri, quàm Iudices; ideoque id non possint quod nomen illis non attribuit, hoc est cognoscere, sed dumtaxt exequi, *c. De cætero & ibi* DD. *De rei vid. Ioan. Bapt. Ferrettus cons.* 53. *In præsenti controversia.*

De literis placiti Regij, quod septimo loco proponitur, nulla potest esse dubitatio. Cùm enim usus placitorum sit, ne quod præjudicium Principi sæculari fiat, nec ad beneficium admittatur nisi illi gratus, *Bald. consil.* 450. *Casus talis est vol.* 1. *Steph. Bertran. consil.* 455. *Vidi casum vol.* 4. *Ioan. Bapt. Ferrettus cons.* 29. *Agenti possessorio*; & per constitutionem Principis imponentis necessitatem impetrandi placitum, non constringatur ipse Princeps impetrans; cùm in omni constitutione & generali sermone excipiatur persona constituentis seu loquentis, *l. Inquisitio C. De solution. l. Qui hæredi in fine De cond. & demonst. l. Qui insulam §. fin. D. Locati, Bartol. cons.* 226. *vol.* 1. sequitur quòd cùm hæc pensio sit impetrata & constituta ad preces & intercessionem Regiæ Catholicæ Majestatis, illius executionem prosequi utique possint Episcopi Gandavenses sine aliis literis placiti; cùm hæc antecedens intercessio sit plus quàm simplex nudumque Principis placitum, & semel placuisse sufficiat.

Ad octavam quæstionem quod respondeatur non est nisi hoc, ut qua parte Abbas exceptione sterilitatis seu impedimenti perceptionis fructuum ex calamitate horum temporum tutus non est, celeri satisfactione saltem provisionaliter sibi prospiciat Reverendus Dominus Abbas, & vinculo excommunicationis se eximat; & sollicitè caveat, ne in excommunicatione usque ad sex menses obdurato animo (ut habet Bulla) perseveret; & perseverando periculum perpetuæ privationis regiminis & administrationis dictæ suæ Abbatiæ non incurrat. Quam si semel incurrerit, difficiliùs se inde extricare poterit, propter vacationem Abbatiæ; quam pro pœna ipso facto & velut ex canone latæ sententiæ dicta Bulla ex hujusmodi perseveratione constituit: ita ut nec temporalium bonorum aut Conventus administrandorum aliqua amplius ipsi fieret potestas; quia pro legitimo Abbate efficeretur intrusus, si administrationi post hanc sive privationem sive vacationem se ulteriùs immisceret, *Felin. in c. Veniens nu.* 3. *De accusat. & in c. In nostra De rest. ser.* Quæ est responsio ad nonam eamque ultimam quæstionem. In summa res eò recidit, ut nisi Reverendus Dominus Abbas sibi in tempore prospiciat per remedium reductionis seu reservationis hujus pensionis ex causis supradictis, perpetuò sit hæsurus in luto periculi censurarum & amissionis

suæ dignitatis; propter privilegiatam conditionem pensionum Ecclesiasticarum, etiamsi illæ alioqui per se & ex suo genere magis sint odiosæ quam favorabiles, *Gigas de pension. q. 96.* propter præcisa & arctiùs constringentia verba Bullæ reservationis illarum.

De Præbendis.

SVMMARIVM.

Pensio Ecclesiastica extinguitur per matrimonium.

1. *Pensio Ecclesiastica potest etiam laico assignari.*
2. *Pensio Ecclesiastica amittitur per contractum matrimonij.* / *Pensio Ecclesiastica assignata clerico quando regulatur secundum beneficia Ecclesiastica.*
3. *Clericis de alimentis providendum.*
4. *Clericus contrahens matrimonium commoda clericaturæ amittit, excepto fori privilegio & injectionis manuum violentarum.*
5. *Possessorium quando detur ob pensionem.*
6. *Causæ beneficiales possessoriæ ex titulo justificandæ.*
7. *Beneficij incapax possessionis quoque illius incapax est.*

CONSILIVM CCLXXXIV.

EX consensu Reverendi in Christo Patris Domini Gabrielis Barcque Abbatis Monasterij S. Salvatoris Einhamensis, cæterorumque ejusdem Monasterij seu Abbatiæ Conventualium, dictâ Abbatiâ per obitum Domini Antonij Bieghe vacante, præfato D. Gabrieli ex nominatione Serenissimi Philippi Regis Hispaniarum &c. Comitis Flandriæ, provisum extitit: & requirente eodem Philippo Rege, alias in anno 1561 per nudam signaturam Apostolicam fuit Petro & Philippo Baersdorp clericis Tornacensis diœcesis, filijs naturalibus & legitimis quondam M. Cornelij Baersdorp Medici inclytæ memoriæ Caroli Quinti Rom. Imp. ob merita ejusdem Cornelij, ex obsequijs ipsius dicto Carolo Imp. impensis, reservata annua pensio quinquaginta librarū Flandriæ, singulis videlicet centum quinquaginta florenorum annuorum, quoad vixerint, super bonis, fructibus, & emolumentis dicti Monasterij ac mensæ Abbatialis: quarum quidem pensionum annuam solutionem dicti Abbas & Conventus, per præcedentem eorum cum dictis Petro & Philippo initum contractum sub forma Cameralis obligationis, literis etiam non expeditis, & visâ solâ signaturâ Apostolicâ hujusmodi reservatarum singularum pensionum, singulis annis, quamdiu in humanis vixerint, facere promiserunt; prout etiam solverunt usq; ad annum septuagesimum primum inclusivè; sed ex eo tempore ampliùs dicto Philippo alteri prædictorum pensionariorum solvere recusant; ex hac causa, quòd matrimonium contraxerit, & sic pensionis incapax factus sit. Ob quam recusationem Philippus per literas manutenentiæ traxit dictos D. Abbatem & Conventum in jus coram Concilio Provinciali Flandriæ, petens in hujusmodi pensionis possessione seu quasi manuteneri. Quæritur, an bono jure id faciat Philippus, & an justa sit dictorum Abbatis, & Monasterij recusatio.

Et paucis respondetur, justam esse hujusmodi recusationem; ob id, quòd dictus Philippus à jure & possessione dictæ pensionis per contractum matrimonij exciderit. † Nam etsi personalis annua pensio super Ecclesiastici beneficij fructibus quid temporale magis, quàm spirituale sit, *c. Quamvis & ibi Gloss. De præb. lib. 6. Oldrad. cons. 168. Ad primam quæstionem, Io. Staphyl. in tract. de literis gratiæ tit. de forma exspect. §. nova forma nu. 11.* & à beneficio omninò separatum; possitque ex voluntate Papæ perinde laico, ut clerico assignari, *Archid. in d. c. Quamvis vers. provideri, Hieron. Gigas de pension. q. 22.* * cùm tamen illa clerico assignatur, eodem loco est apud clericum, quo ab eodem obtentum beneficium; ad hoc, ut superveniente contractu matrimonij pensio perinde vacet, & extinguatur ut beneficium, *c. Diversis de cler. coniug.* Censetur quippe Pontifex respexisse ad qualitatem clericaturæ, dum illam in concessione expressit, uti hîc in prætacta nuda signatura expressa invenitur: præsertim cùm adiecta quoque reperitur hæc reservatę pensionis causa, *ut cómodius sustentari valeas.** Eam etenim curam ad se facilè vocat Pontifex, & alijs omnibus inferioribus regulariter mandat, ut clericis suis, non etiam laicis, de alimonijs provideant, *c. 2. De præben.* Cui causæ in proposito casu conjunctim quoque hæc altera adiecta est, *& ut literis operam navare valeas.* Etenim evidentiùs inde constat, in concessione hujusmodi reservationis respectum præcisè habitum esse ad qualitatem clericaturæ; sic quod ea expressio proculdubio fuerit inter alias causa impulsiva hujusmodi concessionis; quâ non facta, verosimile non est Pontificem voluisse dictis Petro & Philippo reservare pensionem talem, si fuissent laici. Cùm ergò per matrimonium dictus Philippus redactus sit ad laicorum conditionem; consequens est quòd cessante causa concessionis, cessare debeat ipsa concessio, *c. Relinqui & ibi Panor. De custod. euchar.* * Clericus enim convolans ad matrimonium, amittit omnia clericaturæ commoda: excepto solo fori privilegio, & injectionis manuum violentarum, *c. 1. De cler. coniug. lib. 6.* Sic quòd parum prodesse possit Philippo, quòd per matrimonium clericaturam nō amiserit, & Ecclesiæ adhuc utilis esse possit: nam iuris potestas ad dictos duos casus restringitur; in alijs malè concordat psalterium cum cithara, *d. c. Diversis.*

Nec quicquam in proposito immutat, quod in supplicatione sit adiecta mentio meritorum ex obsequio patris: nam ea præcipua, aut substantialis causa non fuit, nec per se stetit: sed potissima latuit in ipsa clericatura, ad quam Pontifex magis respexit: cum merita patris non contingant ipsum Abbatem, aut Conventum consentientem. Quæ distinctio inter concessionem factam laico, & eam, quæ fit clerico, modo præmisso, evidentes juris in hoc articulo habet rationes: quas eleganter deducit, & comprobat Hieron. Gigas, *in tract. De pens. q. 54.* & se ita per contractum sui matrimonij quasdam pensiones amisisse scribit. Cum ergò Philippus per contractum matrimonij exciderit ipso jure ab hac pensione, illiusque ex eo tempore factus sit incapax; consequitur, quòd non rectè instituerit hoc iudicium possessorium.

† Nam etsi aliàs, ut super beneficio, ita quoque propter

Propter denegationem solutionis debitæ pensionis rectè instituatur judicium possessorium sive retinendæ sive recuperandæ possessionis, *c. Querelam De elect.* non instituitur tamen rectè ab eo, qui be-
6 neficij vel pensionis ipso jure est incapax; * interdicta enim possessoria super beneficio, & quæ ad similitudinem beneficiorum habentur, semper habent annexam seu conjunctam causam proprietatis; hoc est, qui illa proponit, debet non tantùm possessionem, verùm etiam titulum suæ possessionis (qui respicit causam suæ proprietatis) justificare, *Gloss. ult in clem. 1. De caus. possess. & propriet. Rebuf. ad constit. Reg. tit. de caus. benef. possess. art. 1. Gloss. 1. in princ. Berengarius Fernand. in l. Naturaliter §. nihil. commune in 1. combinatione nu. 17. De acq.*
7 *possess.* * Et sic fit, ut resoluto titulo per incapacitatem possessoris, possessio quoque resolvatur; cum sine colorato saltem titulo hujusmodi jura Ecclesiastica non subsistant. Et quidem ipso jure; sic ut nulla superioris sententia vel declaratio requiratur, *c. 1. & ibi Gloss. De cler. conjug.* sed pro intruso habeatur is, qui sic per sententiam juris privatus, in possessione de facto persistit: ideoque de facto etiam sine vitio spolij possessione expelli possit, multo magis in proposito per solam recusationem turbari, *d. c. De multa §. 1. De præb. & ibi Doct. Gigas in tract. De intruso nu. 55. & seq.* Atque ita paucis concludimus dicti Philippi intentionem in hoc possessorio judicio propter notoriam & ex propria ejus allegatione apparentem incapacitatem, tam possessionis, quàm tituli nullo jure fundatam esse.

Ne sede vacante &c.

SVMMARIVM.

Prælatura vacante ad quem pertineat abministratio.

1. *Prælatura vacante patronus non administrat.*
2. *Prælatura vacante Capitulum constituit œconomum.*

CONSILIVM CCLXXXV.

COLLEGIATA Ecclesia Sancti Servatij Trajectensis Præpositum habet; cujus Præposituræ jus patronatus ex concessione Sedis Apostolicæ olim ad Impetratorem Romanum, & ex infeudatione oppidi Trajectensis per Imperatorem Duci Brabantiæ factâ, nunc ad Ducem Brabantiæ pertinet: virtute cujus juris patronatus Dux Brabantiæ præsentationem, collationem dictæ Præposituræ habet; institutione & admissione ad Capitulum dictæ collegiatæ Ecclesiæ pertinente; ut hæc refert Oldradus noster, *cons. 312. Thema quæstionis*, & plusquam notorium est. Quæritur ad quem pertineat dictæ Præposituræ, cùm vacat, custodia, fructuum perceptio, & administratio tam in spiritualibus quàm temporalibus, an ad patronum, an ad Capitulum?

Cujus quæstionis resolutio difficultatem non habet. * Aperto enim jure decisum est, *in c. Cum vos De offic. ordin.* vacante Prælatura ad patronum
1 laicum nihil devolvi præter potestatem conferendi, seu præsentandi personam idoneam ad ipsam Prælaturam: ita quòd rebus Ecclesiæ, seu Prælaturæ se intromittere non debeat, non magis in temporalibus quàm in spiritualibus, *Celsus Hugo cons. 77. in fine*; * sed earum procuratio, administratio, ac gubernatio devolvatur ad Capitu-2
lum, cujus est Prælatura, *Gloss. in d. c. Cum vos in V. œconomos & ibi Innoc. Hostiensis, Ioan. Andr. Ant. de Butrio, Zabarella, Ioan. de Imola, Hen. Bohic Panormit. & Bellamera*: ita ut etiam quæ jurisdictionis sunt ad Capitulum devolvantur, *c. unico De major. & obed. lib. 6. c. Si Episcopus De supplen. negl. prælat. lib. 6. c. Is cui De elect. lib. 6.* gravi pœnâ imminente Patrono laico contrarium facienti, *c. Generali De elect. lib. 6.* Et consequenter poterit prætactum Capitulum S. Servatij sine metu alicujus offensæ aut excessus vacanti Præposituræ suæ Ecclesiæ quamdiu vacat, providere, illi vicepræpositum seu œconomum constituendo, per quem temporalia ejusdem Præposituræ regantur & administrentur, *d. c. Cum vos in verb. ponatu œconomos, Franc. Marcus decis. Delph. 16. parte 2.* Receptorem seu Collectorem fructuum dando; officijs interea vel ex morte ipsius Præpositi vel ex alia causa vacantibus, per deputationem eorundem, vel aliorum providendo: potissimùm quia licet dictæ Præposituræ collatio seu præsentatio ad Ducem Brabantiæ pertineat; illius tamen admissio & institutio pertineat ad ipsum Capitulum, ut ex usu notorio & Oldradi illo responso, *d. cons. 312.* constat. Quo casu decidit Ioannes Imolensis, *in d. c. Cum vos nu. 8.* custodiam & administrationem pertinere ad Capitulum, & minimè ad Patronum laicum. De quo etiam in proposito tanto minus hæsitandum, quòd pro parte dicti Capituli proponatur Capitulum jam in immemoriali possessione ac consuetudine esse hujusmodi juris administrandi; & in anno 1539. vacante eadem Præpositurâ, eodem jure toto triennio usum fuisse; adeoque etiam fructus medij temporis suos fecisse dicatur: quæ consuetudo juri non adversatur, *c. Præsenti De officio ordin. lib. 6. Oldradus cons. 194. Factum tale est.*

De rebus Ecclesiæ alienand. vel non

SVMMARIVM.

Alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita.

1. *Alienare non possunt exempti sine consensu Papæ.*
2. *Solemnium præsumptio ex antiquitate quot annos requirat.*
3. *Rescriptum vitiat falsa suggestio.*
4. *Restitutio in integrum coram delegato peti potest.*
5. *Ecclesia adversus alienationem in integrum restitui potest.*

CONSILIVM CCLXXXVI.

PLVRIVM Doctissimorum virorum labor, & diligens pertractatio in causa, quæ nunc in appellationis judicio coram Venerabili D. Officiali Leodiensi ex delegatione Apostolica acta, & priùs semel per sententiam Dominorum Commissariorum Apostolicorum terminata est, inter D. Renerum vander Aa, & executores testamenti quondam Dom. Huberti Rayn appellatos ex una; & Reverendos Dominos Decanum & Capitulum collegiatæ Ecclesiæ Beatissimæ Mariæ Regalis urbis Aquensis appellantes ex altera partibus, faciunt, ut quod eorum

eorum conatibus, labore vel ingenij judicijque perspicaciâ addi possit non occurrat. Ita enim per eorum responsa omnes anguli juris in articulo impetratæ alienationis rei Ecclesiasticæ sine juris solemnitate pertentati, & ad rem propositam pro impedienda confirmatione alienationis ædium, quæ indubitato jure ad præfatam Ecclesiam spectaverunt, accommodati sunt, ut scribendi materiâ consumptâ, sonius approbationis & subscriptionis relicta nobis videatur occasio. Paucis itaque vestigijs eorum insistendo in ea sumus sententia, petitam pro parte Impetrantium confirmationem ex auctoritate rescripti Apostolici faciendam non esse. Etenim hoc manifestum est ex ipso rescripto, quo Impetrantes nituntur, alienationem ædium controversarum imperfectam, nec adhuc eo tempore ad perpetuitatem, 1 irrevocabilitatemque perductam fuisse. † Demonstrat enim id evidenter petitæ auctoritatis Apostolicæ consensus, sine quo alienationes rerũ Ecclesiasticarum pertinentiũ ad monasteria aut collegia exempta, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, non possint subsistere, *c. Abbatibus* XII. *d.* 2. *c. In venditionibus* XVII. *q.* 4. quia, ut non inelegantèr respondit Baldus, *cons.* 156 *Abbas exemptus vol.* 1. ea est exemptionis veluti lex & conditio, quod exempta Sedi Apostolicæ obstricti non possint alienare sine ejus auctoritate ac consensu, *c. Nulli De reb. eccles. non alien.* Ita ut ex hac Impetrantium significatione statim evanescat quod ex adverso urgeri videtur, ex possessione sedecim vel septemdecim annorum, quibus emptores ædes has possederunt, præsumi interventum requisitarum à jure solẽnitatum. Solennitatũ enim caput & plerumque initium est auctoritas hæc, sine qua cætera facilè diffluunt, & tentata alienatio in lubrico relinquitur, *c.* 2. *vers. & sedis apostolicæ licentia speciali De reb. eccles. non alien. lib.* 6. Plurimum enim interesse putamus, an solemnitatum requisitarum quæstio incidat, tunc scilicet, cùm res alienata repetitur; an verò de confirmanda alienatione ex defectu aliquo possessor, velut per viam actionis contendat. Illo enim casu præsumptioni locus esse potest, non etiam isto; quia agentis & contendentis intentio vitium & defectum in fronte de- 2 tegit: * cùm alioqui tantilli temporis possessio exigua sit, nec diuturnitatem inducat, multo minùs antiquitatem, hoc est triginta vel plurium annorum; quam ad inducendam hanc præsumptionem in hoc articulo omnes requirunt, *Plures Decius cons.* 329. *Pro defensione nu.* 5. *& cons.* 341. *Visapuncto nu.* 13 *Hier. Gratus cons.* 142. *Decreveram vol.* 2. Cùm ergò hîc agatur de supplenda deficiente solemnitate, auctoritatis scilicet & confirmationis Apostolicæ, præponderare magis debet alienantium in re non omninò consummata contradictio, quàm instrumenta petentium illud, quod per se sine adminiculo à jure improbatur, *c. Sine exceptione* XII. *q.* 2. potissimùm quia nec alia verè sit confirmandi potestas, quæ per rescriptum Apostolicum præfatis Commissarijs conceditur, quàm ut ex consensu & ad petitionem utriusque partis, hoc est tam venditorum quàm emptorum, hæc alienatio conservetur; non etiam ut altera pars contradicens ad observationem factæ alienationis invita adstringatur: ita ut præfati Domini hac in re non contentiosam inter volentes & non consentientes, sed voluntariam tantùm inter volentes & factam alienationem comprobantes jurisdictionem nacti sint; deòque meritò auditâ alterius partis, hoc est contradicentium oppositione adversus petitam confirmationem manum à tabula retrahere debuerint, & à confirmatione ad instantiam alterius dumtaxat partis abstinere, *argumento l. Diligenter* D. *Mandati, c. De causis De offic. iud. deleg.*

Quæ res in proposito diligenter in animadver- 3
sione habenda: detegit enim rescripti & sequitæ sententiæ propter deficientẽ judicandi potestatem ex tali rescripto nullitatem; propter falsam suggestionem in supplicatione pro obtinendo hujusmodi rescripto per usurpationem nominis Dominorum appellantium factam his verbis, *cupiuntque iam Decanus Capitulum & Canonici, quam exponentes præfati &c.* Quæ falsa suggestio rescriptum vitiare solet tunc, cùm sine ea Papa vel nihil, vel dissimilius aliquid super hujusmodi surreptitia petitione concessurus esset, *c. Super literis De rescript.* Vt procul dubio futurum erat, si consensus & petitio venditorum pro adminiculo impetrandi in supplicatione falsò allegata non fuissent, *c. In nostra c. Postulasti De rescript.* nam illorum veritas ex accessione confirmationis irretractabilem, irrevocabilemque hanc alienationem factura erat, vel cum dictæ Ecclesiæ detrimento; vel majoris utilitatis aut commoditatis consequendæ impedimento, *Nicol. Everard Præses cons.* 59. *nu.* 11. *&* 22. Certum itaque est dictos D. Commissarios sine jurisdictione inter contendentes & dissentientes notionem, & cognitionem assumpsisse, & quod eorum conscientijs in præsuppositâ concordia & unanimi petitione utriusque partis dumtaxat committitur erat, ad fori contentiosi rem transtulisse usurpatâ judicandi potestate, per quam dictos appellantes velut invitos ad abdicandum & amittendum rerum suarum dominium compellere contra juris rationem tentaverunt, *l. Nec emere* C. *De iure liber.* cùm in hujus rei imperfectione vel per viam nullitatis, vel restitutionis in integrum Ecclesiæ facillimè succurratur; ut restituto eo, quod pretij loco accepit, rei quasi abalienatæ possessionem recuperet, *c.* 1. *De restitut. in integrum*: cujus faciendi occasio ex accedente hac confirmatione, si tolleranda esset, eriperetur.

Quam sanè restitutionem dicti appellantes in 4
hac instantia ob id non immeritò nec malè petiverunt: cùm restitutio integri etiam coram delegato Papæ vel Principis peti possit, *l. ult. C. Vbi & apud quem, Glos. c. Causa in V. delegat. De restitut. in integ. Ioan. Bapt. Ferretus cons.* 43 *Vertente lite*; præsertim tunc, cùm omnia causæ incidentia & emergentia, annexa & connexa (ut in rescripto Venerabili Domino Officiali præsentato) delegata sunt. † Restituendi autem justa causa in mi- 5
nore, atque item in Ecclesia, quæ jure minoris fungitur, *c. Auditis in fine De restit. in integ.* est ipsa alienatio per se; cùm scilicet Ecclesiæ intereat rem non alienatam, sed retentam esse, vel ob solam vicinitatẽ aliarũ rerum, quæ Ecclesiæ, venditis his ædibus proximæ sunt, *l. Si in emptionem De minorib. & ibi glos.*

in verb. maiorum, c. constitutus & ibi Doct. De restitut. in integ. Quibus præmissis necnon alijs per præconsultos latissimè tractatis & feliciter resolutis (à quorum refricatione vitandi tædij studio abstinemus) existimamus, sententiam Dominorum Commissariorum retractandam, & petitionem confirmationis reijciendam, aliasque secundùm conclusionem appellanti um judicandum esse.

De rebus Ecclesiæ alienand. vel non.

SVMMARIVM.

Alienatio rei ecclesiasticæ invalida an ex consensu superioris postea accedente convalescat.

1. *Ecclesiæ res alienari non potest.*
2. *Rerum alienari prohibitarum venditio facta ignoranti rei conditionem quatenus valeat.*
3. 5. *Consensus superioris in rei ecclesiasticæ alienatione præcedere non sequi debet.*
4. *Libello expediri non possunt quæ causæ cognitionem requirunt.*
6. *Nullum ab initio non convalescit, nisi ex consensu utriusque partis.*

CONSILIVM CCLXXXVII.

CONRARDVS Nurenburch, cùm titulo conducti teneret fundum quendam pertinentem ad Capellam S. Margaretæ in loco de Bourges, eundem fundum tamquam suum proprium, sub onere tamen quinque sextariorum speltæ dictæ Capellæ quotannis solvendorum, uti asserebat, gravatum, vendidit & transportavit Annæ Fernandez, subticendo veram dicti fundi conditionem. Huic emptioni cùm Anna stare nollet, & ab ea recedere vellet, hoc effecit Conrardus per Decanum collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Namurcensis & Godefridum Willenfaigne dictæ Capellæ Mamburnum, ut ex potestate ipsis ab Episcopo Namurcensi, per apostillam ad eorum supplicem libellum concessâ, dictam venditionem prætacti fundi sub dicto onere quinque sextariorum speltæ ratam habuerint. Quæritur, an dicta venditio jure subsistat, ut illi dicta Anna invita stare cogatur; & ex sua parte huic contractui venditionis satisfacere nec ab illa recedere possit?

Iuris tam civilis, *l. Iubemus* 2. C. *De sacrosancte eccles.* quam Canonici, *c. Nulli, c. Si quis presbyterorum De reb. eccl. non alien.* dispositio est manifestissima, quòd nulla res cuiuscumque Ecclesiæ etiam ab Ecclesiæ rectoribus & administratoribus, multò minùs ab hominibus laicis, & omnium minimè ab earum conductoribus vendi, alienari, aut obligari possit. † Verum quidem est, quod rerum, 2 quarum alienatio à jure prohibita est, venditio ignoranti hanc rei conditionem facta ipso jure valeat ad hoc, non ut emptor, sed ut venditor venditioni stare cogatur, saltem ad hoc, ut emptori præstet quanti emptoris interest talem rem venditam non esse, *§. fin. & ibi* D D. *Instit. De empt. & vend. l. Liberi hominis in emptione §. liberum hominem l. Hanc legem De contrah empt.* sed tamen, si velit, emptor liberum est ei ab emptione recedere, ne illicitam rem, & jure prohibitam faciat licitam & subsistat: cùm etiam adversus scientes emptores rerum ecclesiæ gravissimæ pœnæ, atque adeò etiam excommunicationis & anathematis sint constitutæ, *d. c. Si quis presbyterorum, d. l. Iubemus §. sanè.*

Nec ad cogendam dictam Annam stare huic 3 contractui quicquam facit sequens dictorum Decani & Mamburni approbatio, etiam ex auctoritate & consensu Episcopi; ob id, quòd hujusmodi sequens approbatio & consensus jure non subsistat, cùm non præcesserint, saltem præcessisse non constat, solemnitates, quas jus requirit, *d. c. Nulli c. Sine exceptione* XII. *q.* 2. & inter cæteras solemnis tractatus, adhibitâ debitâ cognitione; quod vel inde constat, quòd proponatur Episcopi consensum dictis Decano & Mamburno datum esse per nudam apostillam ad eorum supplicem libellum seu requestam. * Est enim indubium 4 & argumentum, causæ cognitionem nullam adhibitam fuisse: quæ omninò requiritur, & sine quâ res expediri non potest, Dominicus Gemin. *consil* 48. *Presbyter*: nam quæ causæ cognitionem desiderant, & ubi decretum necessarium est; non possunt per annotatum seu apostillatum libellum expediri, *l. Nec quicquam §. ubi decretum De officio Proconsul.*

Cum aliqui plerique existiment, quòd con- 5 sensus superioris in alienatione rei Ecclesiæ debeat ipsam alienationem præcedere, nec sufficiat illum post alienationem quandocumque sequi: ob id, quòd talis consensus requiratur per modum solemnitatis, & sic pro forma, *Ant. de Buttio in c. cum nos De his quæ fiunt à prælat.* * Et quamvis 6 plerique etiam sequenti consensu legitimo sint contenti ad approbationem contractus inutiliter gesti: ex sententia tamen Baldi, *cons.* 221. *Primo quæritur vol.* 1. id tantùm obtinet tunc, quando id procedit de voluntate partium, hoc est emptoris & venditoris; non etiam si aliter illorum contractui ab initio inutili stare nolit. Ad exemplum matrimonij in prohibito gradu contracti, quod non confirmatur ex superveniente dispensatione superioris, nisi utroque contrahentium volente & consentiente, *Anchar. cons.* 229. *Multa dubia & cons.* 239. *Parum dubitationis*, *Paul. Paris. cons.* 52. *Dixi in alio nu.* 41. *vol.* 4. *Doct. in c.* 1. *De eo qui duxit in uxor. quam poll. per adult.* Quod enim ab initio simpliciter nullum est, nisi communi voluntate validum effici non potest: non velut olim, sed velut nunc primùm ex die sequentis dispensationis contractum seu gestum. Cur enim dicta Anna cogi posset ad consentiendum in hanc venditionem, & illi standum, quam jus tantopere improbat; & cui fine periculo stare non potest, perseverando semper in futuro periculo retractationis & vindicationis huius fundi; quam dictæ Capellæ Rector illiusve futuri Mamburni, quando ex usu id eis erit, quandocumque facere possent, *d. §. sane.* Unde est quod Doctores passim admoneant propter hujusmodi pericula à talibus contractibus cum Ecclesiasticis tamquam à re pestifera abstinendum esse, *Marian. Socinus cons.* 15. *Visis præditis vol.* 1. *Decius cons.* 565. *In causa Magnificorum nu.* 13. & *cons.* 474. *Viso instrumento nu.* 10. Cujus sustinendi potestas promptior expeditiorque est, cùm juris solemnitates in alienatione rei Ecclesiasticæ debito modo non sunt observatæ (ut in proposito observatas

vatas non esse liquido constat) & hæc res liberi non sit arbitrij, ut etiam Episcopus pro suo lubito possit in faciendam vel factam alienationem rei Ecclesiasticæ consentire, *d. c. Sine exceptione, latè Socinus d. cons. 15. & cons. 52. Viso instrumento vol. 4.* Proinde liberum erit dictæ Annæ, non tantum non stare huic contractui; sed etiam à Conrardo repetere quicquid eo nomine solvit: ex quo ipsa ignoranter rem Ecclesiæ emit, Conrardus autem scienter illam vendidit.

De rebus Ecclesiæ non alienan.

SVMMARIVM.

Alienatio rerum Ecclesiæ.

1. *Res Ecclesiæ alienari non possunt.*
2. *Ecclesiastici bonorum Ecclesiasticorum usuarij tantum sunt.*
3. 7. *Arbores grandes pro immobilibus haberi.*
4. *Delictorum non est purgatio sicut moræ.*
5. *Auctoritas Superioris requiritur in alienationibus rerum Ecclesiæ.*
6. *Consuetudo non valet, ut res Ecclesiæ alienari possint sine auctoritate Superioris.*
8. *Administratores rerum Ecclesiæ patientes res alienari puniuntur.*
9. *Bona fides non est in iuris ignorantia.*
10. *Fiscus in iurere debet de rebus Ecclesiæ malè alienatis.*

CONSILIVM CCLXXXVIII.

RECTÈ per D. Advocatum causæ deducta sunt ea, quæ faciunt pro revocatione sententiæ per D. Officialem contra Theodoricum de Leewe fiscum latæ: non quidem ex eo tantùm, quòd D. Officialis postea in simili negotio alterius Ecclesiæ Mamburnos condemnaverit, ob cæsas quernas arbores (id enim fortè non tam ad prioris sententiæ iniquitatem detegendam, quàm Iudicis inconstantiam ex facti forsitan varietate provenientem, arguendam faceret, cùm exemplis non sit judicandum, *l. Nemo c. De sent. & interlocut. om. iud.*) sed etiam & quidem magis ex eo, quòd factum Reorum prorsus sit improbabile, & pœnâ legis dignum. * 1 Cùm enim Rei non nisi administratores fuerint Ecclesiæ, seu rerum ad fabricam spectantium, non potuerunt eas aut earum partem alienare, *tit. C. De reb. alienis. non alien.* & eo quidem minùs, quòd rerum Ecclesiasticarum alienatio in genere arctius sit prohibita; & civili, *l. Iubemus §. œconomus c. De sacrosc. eccles.* & canonica, *c. Nulli De reb ecclesiæ non alien.* dispositione interdicta sub pœna arbitraria, & privationis officij & indemnitatis Ecclesiæ præstandæ; quæ nec ijs, qui majus jus in rebus Ecclesiæ habent, hoc est titulum, veluti Pastoribus, Præpositis, Abbatibus, & cæteris permissa est. * 2 Sunt enim earum tantùm usuarij, *c. Si quis sanè De peculio cler. c. Præsenti in verb. reservari De off. ord. lib. 6.* quibus omnis alienatio interdicta est; * & nominatim venditio, seu excisio 3 grandiorum arborum, *l. Sed si grandes De usufr.* quæ ex notoria harum inferiorum Regionum consuetudine, cessante etiam illa juris scripti dispositione, inter immobilia computantur, *Nidolaus Boerius decis. 51.*

Neque excusat Reorum excusatio, quòd ad Ecclesiæ utilitatem excisæ sint arbores: nam inprimis de ea utilitate non constat, imò nec per Reos de ea aliter allegatum est quàm per generalem allegationem, quòd in utilitatem Ecclesiæ arbores q uernas mamburnis cedere liceat, nullâ facta subsumptione, quod Rei illas aut pretium illarum in utilitatem Ecclesiæ converterint. Etsi verò una arborum videatur ex depositionibus testium conversa in scamnorum Ecclesiæ constructionem; serior tamen fuit ea conversio: quia ut ex primo Actoris teste patet, Rei non priùs scamna illa fieri curaverunt, quàm per fiscum super excessu excisionis citati fuerint, tunc scilicet, cùm delictum per excisionem consummatum fuit & fisco actio acquisita, seu inquirendi occasio data. * 4 Non enim ut moræ, ita delictorum est purgatio, neque pœnitentiâ delictorum aboletur, *l. Palam §. non solùm De ritu nupt. l. Qui eâ mente De furtis.* * 5 Deinde admissâ causâ utilitatis seu conversionis in utilitatem; nihilo justior erit causa Reorum, ad hoc, ut ab omni pœna excusentur, ob deficientem superioris auctoritatem, quæ generaliter in omnium rerum Ecclesiasticarum alienationibus requiritur, *cap. fin. De reb. Eccles. non alien. can. Sine exceptione XII. quæst. 2.* Ita ut causa necessitatis vel utilitatis non sufficiat; ne scilicet hoc commento necessitatis vel utilitatis ex privato Administratorum judicio præsuppositio, in damnum incidat Ecclesia.

Adversus quæ nihil operatur consuetudo per 6 Reos allegata; nam præterquam quòd legitime, ut D. Advocatus deduxit, probata non sit, nihil hic operari potest; cùm hujusmodi consuetudo apertâ juris dispositione reprobetur: sic ut nec constitutione introduci possit, ut rerum Ecclesiasticarum immobilium, quantumvis minimarum, nulla alienatio rata sit sine superioris auctoritate, *d. cap. fin. De reb. Eccles. non alien.* Deinde per extracta per Actorem exhibita constat, usum conformem juri scripto in contrarium esse: quòd scilicet in amputatione arborum Mamburni licentiam ab Archidiacono seu Officialibus ejus petere soleant. Nec faciunt pro Reo exempla cæsarum arborum privatâ Mamburnorum auctoritate aliquando sine ulla pœnâ: * nam, ut ex testibus Reorũ 7 patet, ea exempla tantùm sunt de salicibus, & alijs, quæ in grandiorum arborum numero non collocat Actor, nec generali illâ & notoriâ consuetudine numero immobilium censentur.

Admisso interim, quòd unicæ illius quercus excisio, præter prædictorum scamnorum constructionem, extra pœnam sit: certissimum tamen est, aliarum excisarum quercuum nomine eosdem teneri, quia, ut diximus, circa eas nulla conversionis in utilitatem Ecclesiæ extat allegatio aut probatio. Nec excusat Reos, quod dicant ab alio Mamburno venditas fuisse illas quercus: nam id apertè non constat ex testibus; sed hoc tantùm, quod ab alio fuerint cuidam venditæ, cui venditioni renunciaverit, post quem D. Arnoldus Josephi emerit, & amputaverit tempore Mamburniæ Reorum; quod ipsum satis est. * Puniuntur 8 enim Oeconomi & administratores rerum Ecclesiasticarum non tantùm si ipsi vendant, & alienent

res

res Ecclesiæ; verùm etiam si alienari tantùm patiantur, d. §. œconomus, vet. Anchar. consil. 158. Et narratis nu. 15. prout hîc uterque Reus harum arborum excisionem fieri sciverunt seu scire debuerunt, & potuerunt, ac scientes præfatum D. Arnoldum easdem auferre passi sunt.

9 Nec facit bona fides Reorum, ex eo, quod existimaverint id ibi prætextu alicujus consuetudininis licere: nam bona fides esse non potest, saltem nulla probabilis, ex juris, quod dicta consuetudo reprobatur, ignorantia, l. penult. Cod. De iuris & fac. ignor. l. Quemadmodum in fine Cod. De agr. & cens. lib. 11. licet non negemus, propter hujusmodi bonam fidem mitiùs puniendos ipsos Reos pro arbitrio D. Iudicis. In quo hoc primum continebitur, ut Rei condemnentur Actori in omnibus expensis ob inconsultam eorum facilitatem: nam nulla ex parte magis iniqua nobis videtur D. Officialis sententia, quam quod fiscum agentem
10 in expensis condemnaverit, * cui adversus Reos inquirendi justissima fuit causâ, tum ob prædictum usum subsequente sententia ejusdem D. Officialis in simili negotio confirmatum, tum ob manifestam juris dispositionem hujusmodi alienationes prohibentem; & denique ob dicti fisci officium; cui adversus hujusmodi excessus inquirendi cura perpetua incumbit, cap. fin. vers. & nihilominus De reb. Eccles. non alien. lib. 6.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

Alienatio Rei Ecclesiasticæ.

1. 6. Solemnitates quæ requirantur in alienatione rei Ecclesiæ.
2. Consensus, & auctoritas cuius requiratur in alienatione rei Ecclesiasticæ.
3. Alienatio rei Ecclesiasticæ ex quibus causis fieri possit.
4. Meritorum nuda assertio an sufficiat.
5. Prælati negotia sua consanguineis committere non debent.
7. Emptori scienter ementi rem Ecclesiæ sine solemnitate non competit actio personalis contra venditorem.
8. Aliud est vendere fructus rei ad vitam, aliud constituere rei usumfructum.
9. Locatio rei Ecclesiasticæ ad longum tempus facta sine requisitis solemnitatibus nulla est.

CONSILIVM CCLXXXIX.

EX his, quæ in facto proponuntur pro parte Reverendi Domini Abbatis & Monasterij de Grimbergen, adversus Petrum de Spira, comperimus multa concurrere, quæ tam priorem concessionẽ ad vitam, quàm sequentem venditionem domus in Oppido Lovaniensi sitæ, per prædecessorem moderni D. Abbatis acquisitæ faciunt omninò nullam: ita ut neque viâ exceptionis, neque actionis dicto Petro prospectum sit.

1 Nam quod ad priorem concessionem attinet, quam de dicta domo ad vitam præfati Petri, & ejus uxoris fecit D. Nicolaus de Spira defunctus Abbas, præfati Petri frater, manifesta est juris tam civilis, l. Iubemus §. sanè Cod. De sacros. Eccles. in Auth. de alien. & emphyt. §. si verò aliquis voluerit coll. 9. quàm Canonici, Clem. in verb. aut possessiones eiusdem alicui ad vitam De reb. Eccles non alien. constitutio, hujusmodi concessionem etiam receptâ pecuniâ prohibens & annullans, si non sit facta adhibitis juris solemnitatibus & concurrentibus aliis ad hoc requisitis, can. Sine except. XII. q. 1. c. 1. De reb. eccl. non alien. lib. 6. Quæ in literis hujus concessionis partim non conspiciuntur, partim simulata, partim extra veritatem posita inveniuntur, ideoque meritò pro nulla reputari debeat: quia ut subsistat hujusmodi concessio, requiritur veritas causæ, & solemnitas formæ, Freder. de Senis cons. 142. Domino Ioanni nu. 13. Et quoad solemnitates, duo præcipua desiderantur; primò tractatus præcedens, qui in quavis alienatione rei Ecclesiæ perpetua (cui annumeratur concessio ad non modicum tempus seu ad vitam) necessarius est, d. Clem. 1. & ibi glos. & Zabarella nu. 23. & alij Freder. de Senis cons. 52. Quidam prælatus nu. 1. quod repetitum est cons. 87. quia causæ cognitionem & discussionem omninò necessariam continet, dum disquirit, inter eos, quorum consensus necessarius est, an necesse, aut utile sit facere alienationem seu concessionem, Gloss. in d. c. 1. verb. tractatus, Fred. De Senis cons. 249. Domino Michaeli, Ioan. de Imola in c. 1. vers. quid autem ut tractetur De his quæ fiunt à prælat. Sic ut non sufficiat consensum Prælati, & aliorum Monachorum concurrere in actu Capitulari, nisi etiam consensum præcesserit solemnitas hujusmodi tractatus; & plerique velint de eo tractatu instrumentum fieri seorsim, nec sufficere mentionem fieri tractatus in instrumento alienationis aut perpetuæ seu ad longum tempus concessionis, nec in eo credatur simplici narrationi Notarij id asserentis, Paul. de Cast. cons. 38. Super eo quod quæritur vol. 2. Felin. in c. Sicut nu. 17. De sent. & re iudic. Alex. cons. 17. Viso instrumento nu. 5 vol 4. Thomas Grammat. decis. 17. n. 17. Cùm ergò non constet in hac concessione de præcedente hoc tractatu, & ex instrumento hujus concessionis apertè deprehendatur, quod D. Abbas & Religiosi in eo nominati initium fecerint ab ipsa concessione; dicendum est illam vitio nullitatis infectam esse.

2 Secundum quod ex solemnibus hîc desideratur, est consensus Superioris, Alexan. d. cons. 17. nu. 4. qui in hoc Abbate ab ordinaria jurisdictione exempti est Papa, Glos. in d. Clem 1. in V. proprij, Bald. consil. 511. Quidam prælatus nu. 2. vers. dicet aliquis superior est vol. 5. vel saltem Superior generalis Ordinis, qui quasi Episcopalem habet jurisdictionem, glos. in d. clem. 1. in V. habeat, & ibi Cardin. nu. 31. Franc. Marc. decis. 1083. parte 1. Etsi enim ad hoc, ut non incurratur pœna suspentionis ab officio, propter, alienationem rei Ecclesiasticæ factam, sufficiat, quòd Conventus cum Prælati proprij consensu alienaverit; ad invaliditatem tamen contractus effugiendam hoc non sufficit, sed requiritur consensus vel Papæ, vel illius, qui immediatè Prælati alienantis vel sic concedentis superior est, Steph. Bertran. cons. 305. Etiamsi vol. 4. Quod cùm hîc factum non sit, non potest dici, quod hæc concessio ipso jure subsistat; quia deficit illud, quod substantiale seu principale est; sic ut successor in Prælatura non obligetur ex hac prædecessoris sui concessione, Fred. de Senis cons.

conf. 143. *Conceßio facta.*

3 Sed & si in solemnitate nihil desideraretur, aut quod ex consuetudine aliquâ ex solemnibus, quæ jure communi præscribuntur, quædam omitti possent; nihilo tamen solidior erit hæc concessio: ob id, quòd alterum extremorum hîc desideretur; veritas causæ scilicet, quæ consistit in casibus, seu causis, ex quibus à jure alienatio rei Ecclesiasticæ permittitur; quæ sunt tres, necessitas, utilitas, & remuneratio; ita ut si vna harum trium causarum non intervenit, alienatio, seu concessio ad vitam (quæ ut diximus perpetuæ alienationi comparatur, Dominic. *Gemin. conf.* 48. *Pro examinatione clariore nu.* 5. *Bonif. de Vitalinis in d. Clem.* 1. *nu.* 14.) quantumvis solemniter facta, est ipso jure nulla, *c. Nulli & ibi Doct. De reb. eccl. non alien. d. Clem.* 1. *gloss. in c. Qui in ecclesiarum* De *constit. Castren. conf.* 74. *In facto isto vol.* 1. Iam verò percurrendo dictæ concessionis instrumentum, non invenitur subesse causa necessitatis: ob id, quòd hæc concessio lucrativa sit ex causa donationis; in necessitate autem nemo liberalis præsumatur, *l. Rem legatam in fine De adim. leg.* Sed nec utilitatis causa prætexetur, quæ in donatione seu concessione lucrativa constitui non potest quoad donantem: quia damnum seu diminutionem continet omnis donatio, ac gratuita concessio, *l. Præses in fine C. De transact.* neque ijs permittitur, qui rerum administrationem, non plenum arbitrium, habent, *l. Cum plures §. penult. l. Tutor secundum dignitatem De administ. tut. l.* 1. *§. præterea De tutel. & ration. distrah.* Superest ergo sola remunerationis causa, ob benemerita, quam etiam solam exprimit dictum instrumentum. * Sed ut ex hac causa sustineatur

4 donatio, seu concessio, non sufficit sola & nuda causæ hujusmodi expressio & narratio, sed illius quoque veritas adesse debet; ita ut nisi probentur exactè merita, non subsistat donatio, nec præsumatur meritorũ allegatio, nec etiam ultra merita extendi possit donationis effectus; præsertim inter personas donare prohibitas, *Bart. in l. Si forte De castr. pecul. Guido Papæ decis.* 95. qualis est Prælatorum donatio seu liberalis concessio consanguineis suis facta, *Ioan. Andr. in addit. ad Specul. de reb. eccl. non alien. tit. in rubr.* sic ut nisi per consanguineum donatarium merita eaque æquivalentia donationi probentur, successor in dignitate hujusmodi donationem ob simulatam remunerationem, tamquam ambitiosam revocare, & rem donatam etiam cum fructibus avocare possit: ut consulendo eleganter respondit Oldradus, *conf.* 226. *Quidam Episcopus.* De quo in proposito minor est dubitatio, ob id, quòd plurima proponantur non tantùm non extare ulla Petri hujus in Monasterium merita; sed ex adverso deprehendi multa, quibus idem Petrus cum suo fratre Abbate dictum Monasterium in maxima damna conjecerit; quæ in processu propiùs deducta, & probata prorsus improbabilem faciunt Petri hac in re intentionem. Et tantum abest, ut in eo, in quo Petri hæc merita præcipiè constituuntur (quod Monasterij res & bona plurimis annis administraverit) veritas aliqua ponenda sit, ut vel inde potissimùm contrarium assumendum ac præsumendum veniat. * Nam

5 jus prohibet consanguineis Prælati hujusmodi Monasterij negotia committi, *can.* Decenter 89. *distinct. can. Episcopus* XII. *q.* 2. quia præsumptio est, quòd hi cupiditate habendi & expilandi sibi studeant, & res Ecclesiæ libenter lædant, *gloss. in d. cap. Decenter.* Et quamvis ea præsumptio cesset, vel saltem non tam facilè assumatur, si consanguinei sunt alioqui boni, & honesti, *Fred. de Senis d. consil.* 52. *Quidam prælatus nu.* 2. & donatio, seu concessio est de re exigui momenti, vel si pauperi consanguineo donetur pro illius victu aut vestitu, *Petr. Rebuff. in tract. de alienat. rerum Eccles. nu* 75. cùm tamen ob remunerationem fit, causa remunerationis probari debet; alioqui successor liberalitati huic stare non cogitur, *Fred. de Senis d. consil.* 52. *nu.* 1. Cui remunerationis causæ hîc tanto minùs standum est, quòd ex adverso quoque proponantur plurima, ex quibus constat Petrum ex bonis hujus Monasterij etiam divitem, & locupletem esse factum.

Restat ut de sequenti vindicatione hujus do 6
mus, quam modernus Reverendus D. Abbas post hanc concessionẽ fecit, dicatur. In quo subsistendum non est: cùm enim sit facta sine ulla juris solemnitate, sine superioris consensu, sine præcedente tractatu, sine consensu capituli, sine causa vel necessitatis, vel utilitatis, vel benemeritorum, non potest illa ullâ ratione consistere; secundùm ea quæ superius diximus, *d. can. Sine exceptione* XII. *q.* 2. Eoque minus, quòd hæc sint facta ante confirmationem prafati D. Abbatis, tunc cùm tantùm electus esset, & per jus alienandi rem tempore non perituram, etiam in permissis casibus nullam adhuc habebat potestatẽ, *Gloss. in c. Qualiter* De *elect.*

Neque in prædictis duobus articulis facienda 7
est aliqua distinctio juris seu actionis personalis à jure reali: quasi si non teneat concessio vel hæc posterior venditio, quoad rei alienationem; obligatio tamen & actio personalis saltem Petro dari debeat, si non ad implementum, saltem ad præstationem ejus quanti interest. Vt evenit, quando alicui res sacra, aut liber homo, cujus nulla est alienatio, vendita est, *l. Liberi De contrah. empt.* quia ut hoc verum sit, ubi emptor ignorat hujusmodi conditionem rei, quæ venditur, vel donatur; non obtinet tamen, si eandem sciat: quia se decipit & contra jura mercatur, *d. l. Liberi hominis in fine l. Si emptione De contrah. empt.* quia contractus ipse, unde obligatio personalis consurgere deberet, vitiatur & annullatur; ita ut ex hoc contractu contra juris prohibitiones celebrato nihil juris contrahenti acquiratur, & sic nec actio personalis, *d. l. Iubemus §. sanè Cod. De sacrosc. Eccles. Bonif. de Vitalinis in d. Clem.* 1. *nu.* 17. quia rem illicitam aggressus est malâ fide, propter juris prohibitionem, *l. Quemadmodum Cod. De agric. & cens. lib.* 11. *l. Vniversas C. Ne rei dom. vel templor.* Non quòd Prælatus non possit contrahendo se obligare, etiam in præjudicium bonorum & fructuum mensæ suæ; sed quod id non possit per contractum vetitum; ut est perpetua, seu quasi perpetua, rei immobilis alienatio. * Vnde est, quod Petrus Rebuffus tra- 8
dit, *in tractatu de alien. rei Eccles. nu.* 27. *vers. Tertius casus est*, discrimen esse inter venditionem fructuum alicujus rei seu fundi ad vitam, & inter concessionem seu constitutionem ususfructus rei

ad vi-

ad vitam; ut ex hac, quia jus in re constituitur, quod jura vetant, nulla nascatur obligatio, propter juris prohibitionem; ex illa verò, quia nullum jus in re constituitur, *l. fin. De contrah. empt.* nascatur personalis obligatio adversus ipsum prælatũ sic contrahentem, non adversus ejus successorem, nisi solemnitates intervenerint, *cap. ult. Ne prælati vices, cap. De cætero De transact. & cap. Veniens eod. tit. Alciat. consil. 14. Casus præsentis.* Vnde etiam est, quòd locatio rei Ecclesiasticæ ad longum tempus sine requisitis solemnitatibus facta usque adeò nulla sit, ut ex ea conductori nulla detur actio; ne quidem pro tempore illo, ad quod licitè poterat fieri locatio, *d. Clem. 1. & ibi Doct. Bart. consil. 159. Visa quadam consult. Lapus alleg. 80. Quæris cum locatio, Math. de Afflict. decis. 107.* quod apertum indicium est, nec personali obligationi, nec actioni ad interesse locum esse. Ex his igitur rationibus, quæ ampliari, & latiùs deduci, causæque si in litem erumpet, post discussionem, & utriusque partis allegationes, meliore ordine, certioreque ratione applicari & accommodari poterunt, concludo, Reverendum D. Abbatem optimè fundatum esse in repetitione, seu vindicatione dictæ domus, nihilque esse, cur vel jure dominij, vel retentionis illa per Petrum detineri diutiùs possit.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

Alienatio rei Ecclesiasticæ.

1. *Alienatio rerum Ecclesiæ prohibita est.*
2. *Alienari quomodo possint res Ecclesiæ.*
3. *Solemnitates non præsumuntur in prohibitivis, aliàs secus.*
4. *Præscriptio quadragenaria adversus Ecclesiam quando incipiat currere.*

CONSILIVM CCXC.

MONASTERIVM utriusque sexus Congregationis S. Brigittæ in civitate Trajectensi anno 1532. & aliquot annis sequentibus, diversa sua prædia in perpetuam emphyteusim pro certo annuo canone diversis personis concessit, & oblatâ occasione emphyteutarum hæredibus, seu causam habentibus emphyteusim renovavit, datis literis sub communi sigillo utriusque Conventus, simplici narratione insertâ, quod id factum sit cum consensu utriusque Conventus. Qui nunc Monasterio præsunt conantur hujusmodi prædia revocare & emphyteusim resolvere. Quæritur, num jure possint, non obstante tricennali præscriptione, narratione communis consensus, & appensione communis sigilli?

Paucis respondetur, quòd hujusmodi emphyteusis concessio sit ipso jure nulla, secundùm dispositionem juris communis ac sacras sanctiones canonicas. * Vtroque enim jure prohibetur 1
rei ad Ecclesiam pertinentis alienatio quæcumque atque ita etiam in perpetuam emphyteusim concessio, & præsertim prædiorum, quæ non sunt omninò sterilia atque mutabilia, *in Auth. de non alien. §. nos igitur collat. 1. & in Auth. de alien. & emphyt. collat. 9. cap. Nulli De reb. Eccles. non alien.* Ita ut earum rerum in emphyteusim concessio omninò nulla sit, liberumque sic sit alienata vindicare & repetere, *d. cap. Nulli*, non restituto etiam eo, si quid pro alienatione datum vel acceptum sit, *l. Iubemus C. De sacros. Eccles.* Nec ex eo sustinetur hujusmodi alienatio, si fortè tempore alienationis Monasterio utilis fuerit: nam sola utilitatis causa alienationem validam non facit; imò nec necessitatis, *c. Sicut c. Sine exceptione* XII. *q. 2. c. Tua De his quæ fiunt à prælat.* * Etsi enim requiratur utraque vel al- 2
tera ex his duabus causis in alienatione rei ecclesiasticæ: separatim tamen singulæ per se solæ non sufficiunt; cum his, aut similibus causis ingredientibus requiratur alia juris solemnitas; videlicet primò tractatus præcedens, capitulariter convocatis omnibus capitularibus inquirentibus in causam alienationis, & eam comprobantibus, *d. c. Sine exceptione*: instrumento de hujusmodi præcedente tractatu solemniter confecto; ita ut ipsum alienationis instrumentum mentionem faciens de tractatu non sufficeret, *Fred. de Senis consil. 143. Concessio, Alex. consil. 17. Viso instrumento vol. 4.* Secundò, consensus totius Capituli, insertis nominibus omnium capitularium, *Ioan. Andr. & Imola in cap. Quanto De his quæ fiunt à prælat.* Tertiò, quod præcipuum est, requiritur consensus & auctoritas Superioris ipsius Monasterij, *Auth. Hoc ius porrectum C. De sacros. Eccles. d. c. Sine exceptione*; idque cum causæ cognitione, *Dom. Geminian. consil. 48. Presbyter.* Cùm igitur in proposita alienatione, neque præcedens tractatus utriusque Conventus; neque Superioris auctoritas præcesserit, non potest hæc alienatio dictorum prædiorum ullo jure sustineri ex sola narratione de consensu utriusque Conventus & appensione sigilli, deficientibus alijs magis principaliter requisitis solemnitatibus, * quas 3
interveniisse præsumere non debemus, si aliter de ijs non constet, *Alexan. d. consil. 17. Bart. & alij in l. Sciendum De verb. oblig.* Licet enim in alijs, quæ prohibitionem juris non habent, facilè præsumantur omnia solemnia interveniisse, *d. l. Sciendum*: in prohibitivis tamen idem dici non potest, nisi instrumentum antiquitate temporis adjuvetur; hoc est res sit de antiquo de octuaginta vel centum annis, *Philip. Decius consil 341. Viso puncto nu. 13. Mar. Socinus consil. 15. Visis vol. 1.* quod hic in tam recenti adhuc alienatione dici nequit.

Quam sic alienatorum prædiorum revocatio- 4
nem, seu vindicationem non impediet triginta quatuor annorum lapsus ex die, quo primùm in emphyteusim dari cœperunt: nam adversus Ecclesiam objici non potest nisi quadraginta annorum præscriptio, *c. De quarta De præscript.* quæ currere non incipit nisi post mortem ejus Prælati, seu Superioris, qui sic sine solemnitate juris alienavit, *can. Si sacerdotes, can. Placuit §. hæc De præscript. XVI. quæst. 3. Guid. Papæ decis. 150.* atque item post mortem illius, qui primùm alienatam accepit. Cùm enim contra juris prohitionem rem sibi comparet, malæfidei esse præsumitur, *l. Quemadmodum C. De agr. & cens. lib. 11.* quæ mala fides obstat initio præscriptionis, *c. Possessor De reg. iur. l. 6.* Ita ut dicto Monasterio repetenti & vindicanti dicta prædia, nihil sit quod ex præmissis obstare possit.

De

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

Alienatio actionis Ecclesiasticæ.

1. *Læsio enormis locum facit restitutioni etiam in iuribus & actionibus venditis.*
2. *Actio quanti æstimanda sit.*
3. *Ecclesia, Collegiũ, Monasteriũ, fungitur iure minoris.*
4. *Emptionis titulo sæpè multa velantur.*

CONSILIVM CCXCI.

PRIOR & tres Religiosi Monasterii Benedictinorum de Vlierbeeck, qui soli superstites erant, D. Petro Coels eorum tunc Abbate in adversa mentis & sensus valetudine constituto, cùm non haberent, quo se alerent, nec unde pecuniam pro comparandis alimentis conficere possent; suggerente N. dicti Monasterii Advocato & feudalis suæ Curiæ Locumtenente, sub titulo emptionis & venditionis vicesima nona Septembris 1584. cesserunt, & transportaverunt eidem N. omnia, & singula jura, & actiones dicto Monasterio competentia ratione Releviorum vacantium feudorum, & aliorum similium accidentium usque ad prædictam diem, & non ultrà cessorum; idque mediante numeratione centum florenorum in numerata & repræsentata pecunia (ut in facto proponitur: licet in instrumento contractus nulla fiat certi pretii mentio, nisi in genere, nullâ expressâ certâ quantitate.) Idque sub his legibus & conditionibus, quòd ex pecunia, quæ ex venditis & transportatis nominibus, juribus, & actionibus idem N. successivè percipiet, idem ipse N. præcipiet, & præcipuos solus pro se habebit, & sibi retinebit centum florenos; sed quòd residuum, quod ex iisdem nominibus, juribus, & actionibus percipietur, æqualiter & mediatim dividetur inter ipsum N. & dictum Monasterium: cui contractui modernus dicti Monasterii Abbas, post mortem præfati D. Petri Coels statim pott suam ad dicti Monasterii Abbatiam, per postulationem & translationem, promotionem, nondum informatus de statu dicti Monasterii, ad diligentem instantiam præfati N. inconsideratè subscripsit. Quæritur, an hic contractus subsistat? & an modernus Abbas illi omninò, sine ullo nullitatis, vel restitutionis, vel rescissionis remedio stare debeat?

Ad quam quæstionem respondendo, nobis videtur, quòd præsuppositâ enormi & exorbitante dimidium justi pretii excedente læsione, ut nobis proponitur, * nulla sit dubitatio, quin hic contractus rescindi possit; nisi dictus N. quod justo pretio deest, supplere sit paratus: ex Imperatorum notissima constitutione, *l.* 2. C. *De rescind. vend.* jure Canonico approbatâ, *c. Cum dilecti* De *empt. & vend.* per quam rescissionis remedium non tantùm in fundis aliisque rebus corporalibus locum habet; verum etiam in nominibus, juribus, & actionibus sic infra dimidium justi pretii venditis. Loquitur enim dicta constitutio indeterminatè de *re*; & sic ex veritate indefiniti & indeterminati sermonis, *l. Si plures & ibi Bart.* De *leg.* 3. de re quacumque seu cujuscumque generis; cùm *rei* appellatio perinde ad jura & actiones, ut ad corpora pertineat, *l. Rei appellatione* De *verb. signif.* * Quamvis hæc via tam expedita non sit, & sine difficultate ejus explicatio non procedat; propter difficilem, & perplexam æstimationem, quæ constituenda fuerit in æstimanda & appretianda actione; quæ tanti semper non potest æstimari, quanti est quantitas, quæ in ipsa actione versatur; sed quanti æstimari posset illius dubius eventus, *Bald. in l. Per diversas C. Mandati*, quod sæpè summam incertitudinem habet: ita ut sæpè & jure & rationabiliter contingere possit, ut actio maximæ summæ parvâ summâ sine considerabili læsione vendi possit, etjam sine periculo rescissionis, *Paul. Castr. cons.* 393. *Pro evidentia vers. circa quintum vol.* 2.

Proinde sepositâ hac viâ, propter illius non deficientem veritatem & justitiam, si tanta est verosimilis exspectatio ex his actionibus consequendi, quantum proponitur, sed difficultatem, quæ obligationis vires non contingit, *l. Continuus* §. *illud* De *verb. oblig.* proxima est via restitutionis in integrum, in quâ non consideratur læsionis quantus sit modus, sed an aliqua sit etjam modica, si modò considerabilis, *l. Quod si minor* §. *non semper De minorib.* * Cum igitur Ecclesia, Capitulum, 3
Collegium seu Monasterium fungatur jure minoris, *Gloss. in verb. solet in l. Respublica Quib. ex caus. major. & in c. Significavit in V. constituebat De appellat.* & à minore ad Ecclesiam, seu Capitulum rectè ducatur argumentum, *Nicol. Everardi Præses in loco à pupill. ad Ecclesiam*; & minor adversus venditionem temerè, & cum quacumque læsione factam, etjamsi sit infra dimidium justi pretii, in integrum restituatur, *l. Ait Prætor in princ. De minorib.* si demonstrari poterit, hunc contractum dicto Monasterio quoquo modo considerabiliter nocere; poterit adversus illum peti & obtineri restitutio in integrum; sed ita, ut dicto N. reddi debeant prædicti centum floreni ex eodem contractu loco pretii numerati, *d. l. Quod si minor* §. *restitutio.*

Supereſt adhuc nullitatis consideratio, ex eo, 4
quòd hic contractus si non ex consilio & intentione dicti N. mentis, quem scimus bonum virum esse, saltè ex re ipsa usurarius sit; ex eo, quòd sub velamento emptionis, & venditionis verum mutuum ex numeratione 100. florenorum sit contractum; si modò hoc probari potest, quod proponitur, 100. duntaxat florenos sub specie pretii esse numeratos, cum expressa conventione de recipiendis iisdem 100. florenis ex prima pecunia, quæ ex his nominibus, juribus, & actionibus conficeretur, ut expresso jure cautum est, *c. Ad nostram De empt. & vend.* Qui tamen contractus non posset dici illicitus ex usuraria pravitate, si nulla præsens numerata esset pecunia, etjamsi adhuc iniquioribus aut durioribus conditionibus minus dicto Monasterio, & plus dicto N. ejusque heredibus esset velut pro operâ & diligentiâ actionibus hujusmodi nominum & actionum attributum; cùm id potuisset fieri sine usuraria pravitate aut nullitatis aliquo periculo, *l. Naturalis* §. *sed si facio* D. *De præscript. verb. l. Salarium & ibi gloss.* D. *Mandati.* Poterit itaque Reverendus D. Abbas has rationes dicto N. communicare, & amicabili viâ cum eo potiùs, quàm juris rigore agere; & ex ipso cognoscere, quid adversus easdem rationes pro sua excusatione & contractus subsistentia in medium proferre possit: quo facto propiùs de hac re & deliberari & statui poterit. Nolim enim dicto Reveren. Domino auctor esse, ut veteri & diligenti dicti Monasterii amico, & Advocato, sine evidenter

justâ & necessariâ causa, molestia aliqua aut negotium exhibeatur.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVM MARIVM.

Administrator rerum Ecclesiasticarum vendens arbores.

1. *Successor in officio exigere debet debita sui prædecessoris.*
2. 4. *Fabricæ vel universitatis curatores non possunt arbores vendere vel exscindere.*
3. *Res Ecclesiæ alienari non possunt.*
5. *Silva cædua immatura cædi non debet.*
6. *Res Ecclesiæ & universitatis sine decreto alienari non possunt.*
7. *Tutor & Administrator res suæ administrationis ipse sibi nisi palam emere non potest.*
8. *Palam quid factum dicatur.*
9. *Venditio gratiosa donationis species est.*
10. *Iuramentum in litem propter dolum.*
11. *Tutor, curator & similes in litem iurare possunt.*

CONSILIVM CCXCII.

BENE fundata est intentio Magistrorum seu Mamburnorum Fabricæ Ecclesiæ parochialis de Sichenis hujus causæ Actorum; contra Iudocum S'jongen Reum in utroque capite actionis ad damni reparationem, quod Reus dictæ Ecclesiæ intulit per excisionem arborum, de quibus in hac causa quæritur; item de restituenda ea summa, quam majorem verâ rationibus intulit: * ad successorem etenim in officio
1 publico pertinet à prædecessore exigere ea, in quibus vel Reipublicæ, vel Collegio, vel Ecclesiæ se debitorem vel reliquatorem constituit, *l. 1. in fine C. De deb. civit. lib. 11.* Quin autem utroque nomine Reus dictæ Ecclesiæ obligatus sit, dubitatio nulla est: * nam quod ad excisas arbores
2 attinet, certum est, ipsi id facere non licuisse. Magistri enim fabricæ ac rerum ad eam pertinentium sunt, ideoque illas nec exscindere, nec alienare possunt, *tit. C. De reb. alien. non alien. per tot.* *
3 eoque minus, quòd rerum Ecclesiasticarum, seu ad Ecclesiam pertinentium alienatio in genere arctius sit tam civili; *l. Iubemus 2. §. œconomus C. De sacrof. Eccles.* quàm Canonico jure, *c. Nulli Episcopo De reb. Eccles. non alien.* interdicta, sub pœna arbitrariæ privationis officii & indemnitatis Ecclesiæ præstandæ. Quæ alienatio nec iis, qui majus jus in rebus Ecclesiæ, hoc est titulum habent, veluti Pastoribus, Præpositis, Abbatibus permissa est: sunt enim earum rerum tantùm usufructuarii, imo dumtaxat usuarii, *c. Si quis sanè De peculio cler. c. Præsenti in V. Reservari De off. ordm. lib. 6.* in quibus omnis alienatio interdicta est; * & nominatim
4 excisio, seu venditio grandiorum seu duriorum arborum, *l. Sed si grandes De usufr.* quæ ex notoria consuetudine harum Regionum Belgii inter immobilia numerantur, *Nic. Boerius decis. 51. parte 1. Andr. Tiraq. De retractu convent. §. 3. gloss. 1. n. 23.*

Nec Reo ad excusationem prodest, quod dicat tenuiores fuisse has arbores, & pro magna parte fuisse aridas: nam cùm arbor simul atque radices egit, unitatemq; cum solo fecit, pars soli sit, & solo cohæreat, *l. Adeo §. si alienam & l. Qua ratione De acq. rer. dom.* juris prohibitioni de non alienando perinde subjacet, ut solum ipsum: ad hoc enim plantantur arbores grandiores, ut ad perfectam maturitatem coalescant; non præmaturè cædantur: * 5
indeque qui alienam sylvam cæduam (quæ scilicet in hoc habetur, ut certis annis cædatur, *l. Silva cædua De verb. significat.*) non maturam cædit, lege Aquiliâ ad damni reparationem tenetur, *l. Si servus servũ §. si olivam immaturã in fin. D. Ad leg. Aquil.* multò magis qui grandiores arbores, hoc est quercus, & quę ligni durioris sunt quamvis immaturas exscindit. Nec rursus ad excusationem Rei trahi potest, quod plerique ex testibus per Reum productis, deponant, quòd utile fuerit has arbores exscindi, propter luxuriem & nimiam densitatem arborum: nam ea in parte contradicunt Actorum contraria testimonia; & præterea nonnulli testiũ, quos Reus produxit, apertè deponunt per harũ arborum excisionem fundum, in quo plantatæ erant, factum esse multò deteriorem. * Et ut utilitas in hac ex- 6
cisione fuerit, adhuc tamen improbabilis & reprehensibilis est; ob id, quòd non sit facta solemniter ex præcedente decreto vel Magistratus vel alterius Superioris, ut requiritur in hujusmodi rerum ad Rempubl. vel Ecclesiam pertinentium quacumq; alienatione, *c. fin. De reb. Eccl. non alien. can. Sine except. XII. q. 2. l. Si quæ hæreditatis C. De venden. reb. civit. lib. 11.* etsi concurrat necessitatis vel utilitatis causa, ne scil. sub commento alterutrius causæ ex privato administratorum corrupto judicio in damnũ Respublica, vel Ecclesia incidat. Cujus quidem in proposito proclivis & affectata fuit occasio; ob id, quòd Reus sub commento & prætextu ariditatis aliquarũ arborum in suggestu proclamari fecerit futuram aliquot arborum aridarum venditionem, nullâ præcedente Magistratus vel visitatione, vel decreto (cujus tamen interventum necessarium esse in hujusmodi alienationibus deponunt plures ex testibus per Actorem productis) & quòd nihilominus Reus etjam virentes & crescentes aliquot vendiderit, non quidem exiguæ magnitudinis, aut parvi valoris (ut Reus allegat) sed justæ magnitudinis; quarum aliquot etjam quadraginta pedum altitudinem excesserant, ut testes deponunt. Quinimò hac in re evidens deprehenditur Rei dolus, non tantùm ex eo, quòd proclamatâ seu publicatâ venditione arborum, quæ exaruerunt, progressus sit ad extractionem etjam vivarum & crescentium; sed quod ita hanc venditionem fecerit non in loco publico, nec accenso cæreo per licitationem seu auctionem (uti assolet) quod etjam testes deponunt, ùt ad eam nullus concursus fuerit. * Quod evi- 7
dentius etjam ex eo percipitur, quòd Reus dicat, quòd ipse sit illarum arborũ emptor, & quod ipse licitando superaverit, & od id illæ ei manserint, & addictæ sint, seipsum sic prodendo, quod & venditoris & emptoris, licitatoris, addicentis, & addicti officio, contra rei & juris naturam officio functus sit, *l. Ille in quo §. ult. D. Ad S. C. Trebell.* Idque etjam contra apertâ legis prohibitionem: ut enim tutor vel curator non potest rem pupilli, aut minoris, nisi palàm & bonâ fide emere, *l. Si in emptione §. ult. in fin. De contrab. empt. l. Cum ipse C. De contr. empt.* ita nec administrator quicumque rerum publicarum, aut Ecclesiæ res ipsius rei publicæ aut Ecclesiæ. * Palàm autem factum dici non potest, 8
quod ita clandestinè, & intra privatos parietes non adhibitis pluribus fide dignis personis factum est,

l. Palam

l. Palam De verb. signif. nec bonâ fide gestum, quod exclusis studiosè alijs emptoribus actum gestum est, & omnium maximè, quod tam gratiosè, hoc est tam exiguo & velut imaginario pretio additum, ut Reus ipse sibi donasse magis videatur, quàm ex
9 venditione addixisse: † nam ubi prohibetur donatio, ibi quoque prohibita & nullius momenti censeri debet venditio, gratiosè, hoc est viliore pretio facta, *l. Si sponsus* §. *circa De donat. inter virum & uxorem.*

10 Atque ita manifestum esse putamus, Actorum intentionem fundatam esse quoad petitionem justi pretij dictarum arborum: quod cùm sublatis per Reum arboribus, & ijs nunc non extantibus tam præcisè probari, aut definiri non possit, videtur ab Actoribus æstimari posse per jusiurandum in litem; ut ipsi illud taxent salvâ Iudicis moderatione, *l. Videamus* §. *iurare, l. In actionibus De in litem iuran.* propter dolum & delictum Rei, & difficultatem probationis veri pretij. *l. Si quando & ibi Iason C. Vnde vi.* * Cujus generis juramentum tutores, curatores, & alij similes administratores rectè quoque præstare possunt, *d. l. Videamus* §. *curatores:* ita ut non malè Actores petierint quinquaginta florenos, moderatione & taxatione D. Iudicis salvâ.

Quod ad alteram partem propositæ actionis attinet, de restituendis triginta florenis, laborandum non est: quippe Reus fatetur se sexaginta florenos pro emptis arbusculis rationibus fabricæ intulisse, sed tantùm triginta sex solvisse, seque paratum viginti quatuor restituere: sic ut eatenus saltem facienda sit condemnatio. Nihil in contrarium faciente restrictione seu exceptione, quam Reus sic respondêdo & offerendo adjecit, si modò Actores Reum liberent apud emptorem ab obligatione hujusmodi residuę quantitatis; cum Reus satis non probet ipsum in sexaginta florenis venditori arbuscularum obligatum esse.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

Eleëmosynarum obligatio.

1. *Hospitalariorum Cruciferorum institutum.*
2. *Clement.* Quia contingit § commissâ verò De religios. domibus *intellectus.*
3. *Hospitalarij militarium ordinum cogi non possunt per Ordinarios ad distributionem eleemosynarum.*
4. *Eleëmosynam facere an militares ordines cogi possint.*
5. *Relicta ad certum pium usum in alium converti non debent.*

CONSILIVM CCXCIII.

CONVERSA juris ratione Magistri Pauperum Parochiæ Beatæ Mariæ Civitatis Mechlinienſis affectant superioritatem & imperium in Dominum Commendatorem domus, quæ in eadem civitate est Ordinis Sanctæ Mariæ Teutonicorũ; dum contendunt sibi permittendã esse distributionem eleëmosynarum, quæ ex dicti Ordinis notorio instituto pertinent ad ejusdem Ordinis Hospitalarios; qualis est dictus Commmendator: * quippe Cruciferi isti
1 Ordinis Teutonicorum ex professione Hospitalarij, & Eleëmosynarũ distributores sunt, *Clem. Quia contingit* § *promissa verò & ibi gloss. in V. militarium* De *religios. domib.* quorum conscientiæ hujusmodi distributio commissa est; neque ex alieno præsertim laicorum arbitrio pendere debet. * Iam verò jure 2
constitutum est, *d. Clem. Quia contingit*, Ecclesiasticos Ordinarios locorum posse sæcularibus Hospitalarijs, seu eleëmosynarijs, quales sunt in regionibus hujus nostri Belgij Magistri pauperum, ac Rectores Hospitalium sæcularium, & similium piorũ locorum, præcipere eosdemque cogere & compellere, ut certo modo eleemosynas distribuant, vel quod ipsi possint eorum negligentiam supplere: † 3
quam tamen eandem superioritatem seu jurisdictionem non possunt æquè ijdem Ecclesiastici Ordinarij, multò minùs sæculares Magistratus, exercere in supplendâ negligentiâ in seu adversus militarium Ordinũ Hospitalarios, Rectores seu Commendatores, neq; illis præscribere, qui l quantumque, quando, & quomodo hospitalitatem exercere, aut eleemosynas distribuere debeant: cum illis ipsa juris dispositio præscribat, ut secundùm sui Ordinis statuta, & antiquas observantias provideant pauperibus, & hospitalitatem debitam illis teneant, *d.* §. *promissa vero*; ita ut defectum & negligentiam eorum, si quæ inveniatur, in eo corrigere & emendare debeant dumtaxat ejusdem Ordinis Superiores, non etiam alij Ecclesiastici vel sæculares, quibus nõ subsunt, neq; parere coguntur.

Vt proinde multùm absurdum sit & à ratione alienum, quòd dicti Magistri laborent hoc perpetuo obtinere, ut dictæ domus Rector seu Commendator perpetuis temporibus cogatur per singulas septimanas ipsis tradere duo fertella siliginis in pauperes distribuenda: subverteret enim id dicti Ordinis religionem, institutum, & prescriptum; quod post voluntariam militiam adversus infideles, præcipuè consistit in eleemosynarum distri-
butione, & pauperum provisione; * ad quam alio- 4
qui non tenentur ex aliquo juris præcepto vel obligationis peculiaris vinculo, sed tantùm ex conscientiæ bonæ stimulo, & ex pio consilio sui Ordinis, quod necessitatem præcisam non habet, *Panor. in c. 1. n. 8. De empt. & vend. Felin. in c. Dilectus De offic. ordin.* Proinde subtrahere huic domui distributionem eleemosynarum, est detrahere eorum Ordini, Religioni, & professioni; quod in nullius Ordinarij potestate esse debet. Eoque minùs, quòd Ordine isti militares tamquam optimè de republica Christiana merentes, passim in omnibus peculiariter sint exempti ab ordinarijs juris regulis etiam per decreta Concilij Tridentini, *Sess. 25. cap. 18. vers. fratribus S. Ioannis* De *reformat.*

Verum quidem est, multis casibus Ecclesiasticos beneficiatos & alias religiosas domos per suos superiores, ac per censuras Ecclesiasticas compelli posse, ut de superfluis eleemosynã faciant, *Panor. & Felin. dicto loco, Aymo Cravetta cons. 116. Hom. & Parochiam vol. 1.* * sed nusquem constitutum aut per- 5
missum legitur, quòd aliquis pius seu religiosus locus, sive sit Hospitale, sive Eleemosynaria, sive alias de suis reditibus debeat, vel alij loco pio, vel alijs pauperum provisoribus certum aliquid annuum dare, de quo illi eleemosynæ distributionem faciant: cum eleemosyna non sit, unum altare detegere, ut aliud tegatur, § *si vero hoc non fecerit, & ibi Doct. in Auth. Quomodo oport. Episcop. &c.* ut nec donata seu relicta ad certum pium usum transferri aut converti possunt in aliũ piũ usum, vel ad alterius

loci erogationem, *d. Clem. Quia contingit De religios. domib. d. Sess. 23. cap. 18. De reformat.* ut nec relicta pauperibus certi loci, alijs pauperibus quantumvis egenis distribui debent, *Bald. & alij in l. Id quod pauperibus C. De Episc. & cler.* quia res quæque debet regulariter retineri in suo statu primordiali.

Deinde hoc quoque in proposito attendendum est, quod Hospitalarijs Ordinis Teutonicorum ex statutis, & regula sui Ordinis Teutonicorum proprium sit eleëmosynarum distributionẽ facere indiscriminatim in quoscumque & cujuscumque loci, seu generis homines; quos dicti Magistri in effectu conantur constringere & concludere ad solos suæ civitatis pauperes domesticos, & ad unius tantũ parochiæ subditos, subtrahentes eas in totum pauperibus ostiatim mendicantibus, peregrinis & aliorum locorum advenis; quod certum est fieri non posse in futurum, nisi cum magna confusione & periculo infamiæ seu notæ, quam paulatim dicti Hospitalarij incurrent, nullas aut exiguas eleëmosynas deinceps dando in seu ex domo illas ibi petentibus. Conantur, inquam, sic cogere præcisè ad certum numerum seu mensuram, ut etiam in egestate constitutâ dictâ domo (quod per casus, & temporum injurium contingere potest) videantur eundem numerum fertellorum ab eadem singulis annis velle exigere. Quæ omnia intentionis dictorum Magistrorum irrationabilitatem evidenter detegunt, & demonstrant justitiam petitionis dicti Commendatoris, petentis, resoluto provisionali decreto Amplissimi Concilij, sibi permitti suarum eleëmosynarum distributionem secundùm statuta & observantiam sui Ordinis, ex clara & aperta juris dispositione, d. §. *præmissa verò*, quæ hic dissimulari non potest: ut meritò existimemus Amplissimorum Dominorum officium esse, ut secundùm primam conclusionem dicti D. Commendatoris sententiam ferant. Atque ita judicatum in Supremo Concilio Mechlinienſi 19. Octobr. 1602.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

SVMMARIVM.

Eleëmosynarum obligatio.

1. *Hospitala militaria generali reformationi Hospitalium non subiacent.*
2. *Hospitalibus militaribus nihil detrahendum.* *Eorum privilegia confirmata à Concilio Tridentino.*
3. *Onere duplici nemo gravandus.*
4. *Vnionis causa cessante resolvitur unio.*
5. *Dispositio quælibet sic demum locum obtinet, si res in eodem statu maneant.*
6. *Alienandi potestas generali mandato non continetur.* *Vacante Prælatura nihil de statu illius immutari debet.*
7. *Precarium perpetuitatem non habet.*
8. *Sententia provisionalis veritati non præiudicat.*
9. *Præscriptio interrumpitur per inchoationem litis.*
10. *Instantia non perimitur in auditorio Principis.*
11. *Eleëmosynarum an sit obligatio.* *Annua præstatio in piam causam facta an inducat obligationem in futurum.*
12. *Hospitalia militaria appellatione quando generali Hopitalium contineantur.*
13. *Princeps de rebus ecclesiasticis statuere non potest.*
14. *Statutum vel constitutio contra regulas Ordinis non valet.*

CONSILIVM CCXCIIII.

QVÆ abhinc plus minùs septemdecim annis pro Generoso Domino Commendatore Domus de Pitzemborch Ordinis militaris Teutonicorum, adversus intentionem Magistrorum mensæ pauperum Civitatis Mechlinienſis in imperfecto adhuc causæ statu pro obtinenda relaxatione provisionalis sententiæ per Amplissimum Concilium in anno 1539. vicesimaseptima Septembris latæ scripsimus, *supra cons.* 293. nunc peractâ & concluſa lite, diligenter & exactè visis discussisque totius litis actis, deprehendimus sic collocata esse, ut in definienda decidendaque eâdem lite, illorum ratio adhuc meritò haberi debeat, ad convincendum, à jure & ratione alienum admodum esse dictorum Magistrorum, Magistratusque eis adiuncti intentionem, quâ intendunt & contendunt sententiã illam provisionalem convertendam esse in definitivam & perpetuam, & condemnandũ dictum Dominum Commendatorẽ ad perpetuis futuris temporibus continuandã præstationẽ & solutionem duorum fertellorũ siliginisper singulas hebdomadas, per dictos Magistros convertendorum in distributionem pauperum domesticorum: * præsertim quia dictus D. Commendator adversus eam Magistrorum intentionem, expressam habeat pro sua defensione stantem juris communis decisionem, *clem. Quia contingit §. promissa verò De relig. domib.* quæ non permittit Hospitalia, seu religiosa loca militarium Ordinum subijci dispositionibus, quæ reformationi, aut directioni aliorum sive sæcularium sive Ecclesiasticorum hospitalium præscriptæ sunt, *Panorm. in rub. De regularib. Rebuff. cons. 141. Nobilis vers. item constitutiones* Ita ut in tam aperta juris definitione nulla ampliùs esse possit quæstio, nulla dubitatio, *l. Ancillæ & ibi Gloss. in verb. quæstio De furtis*: * nunc potissimùm, post dictorum militarium Ordinum pluribus locis confirmata & obfirmata etiam specialiter in hoc controverso juris articulo privilegia per decreta sacri œconomici Concilij Tridentini, *Sess. 7. cap. 11. Sess. 25. cap. 8.* Inter quæ unum illustre, & ad rem propositam accommodatissimum est, *Sess. 23. c. 18. de reformat.* quod ne quidem prosubsidio Seminarij pauperum studiosorum (quod tamen ex dupliçi causa, paupertatis scilicet & studiorum longè favorabilius est, *Tiraq. in tract. de pia causa in præfat. vers. Item relictum causa studij*, aliquid detrahi debeat sacratis militijs Hierosolymitanis, in quarum numero est dictus Dominus Commendator, ejusque Commendatoria domus, cujus rei causas & rationes in dicta priore nostra resolutione (quam deprehendimus pro instructione causæ in actis esse exhibitam) latiùs deductas, operosiùs hic non repetimus.

Sed hoc tantùm priùs deductis addimus, quod tempore dictæ provisionalis sententiæ causam proculdubio præstitit, prorsus cessare, & ex cessante illius causa effectum quoque perinde cessare debere; provisioni scilicet causam dedisse immortalis memoriæ Caroli Quinti Imp. novam in Belgio anno 1531. promulgatam constitutionem, ad coercendam & in ordinem redigendã mendicitatẽ; quod

quod dictorum Magistrorum conclusio, item supplices aliquot pro eorum parte in hac causa exhibiti libelli, apertissimè significant; quæ siquidem constitutio eò tendebat, ut per accumulationem bonorum, ac redituum, quæ diversis Hospitalibus ad sustentationem pauperum propria, & specialiter seu principaliter destinata erant, commodior esset occasio per subtractionē vulgarium eleëmosynarum, quas ostiatim emendicare solebant, validos mendicantes in ordinem & ad officium redigendi; atque ex altera parte miserabilibus, & commiseratione dignis mendicare prohibitis succurrēdi. Idque non tantùm præscripto modo, quo hæc accumulatio fieri posset, sed hoc quoque in primis statuto, ut mendicandi publicè aut ostiatim nulli quantumvis miserabili, exceptis paucissimis, esset potestas; pœnis etiam constitutis adversùs contrafacientes, ut habet dictæ ordinationis seu constitutionis decimus articulus. Iam verò ipsâ rei evidentiâ compertissimum est, prohibitionem hanc de non mendicando ostiatim palàm vel secretè, in usu & observatione minimè retentam, sed ab ea penitus esse recessum; eâque non obstante mendicandi à tempore inchoatæ hujus litis liberrimam esse potestatem; ideoq; nullam esse causam, cur pro miserabilibus & pauperibus ab ostio domus dictæ Cōmendatoriæ avertendis tanta summa frumenti annua illi detrahatur, & alteri mensæ pauperum adjiciatur. Permissâ quippe mendicandi potestate non potest dicta domus ab ostiarijs, & septimanarijs eleëmosynis esse libera; saltem nō sine suggillatione, & læsa existimatione Commendatoris ejusdem Ordinis, si pauperes mendicantes inde quoq; eleëmosynam nullam referant, cujus commoditas esse non potest post detractam tantam frumenti quantitatem. Nam ut ultra illius collationem majores eleëmosynas faciat, neque ratio postulat, neq; conditio bonorum seu redituum dictæ domus patitur. * Duplici enim onere nemo gravari debet 3
in seu ob eandem causam, *l. 1. C. Quemad. civil. mun. indic. l. Neminem C. De suscept. præpos. & arcarijs lib. 10.* & pro modo facultatum hujusce generis onera exigenda, imponenda, & ferenda sunt; non ultra illarum modum, *c. Sopita in fine c. Quanto De censib. Clem. 1. sub fin. De Magist.* & quod quisque respectu alicujus commodi præstare tenetur, ab eo sublevari debet, saltem pro ea parte, quæ ei detrahitur, *l. Plautius De condit. & demonstr. l. Forma § illa De censib. Marian. Socin. nepos cons. 51. in causa & lite n. 7 vol. 3.*

Cùm ergò ad usum revocatâ, seu per conniventiam permissa mendicandi facultate, Magistri pauperum ita amplius non onerentur, & onus, quo ex hac contributione domus hæc religiosa ab initio in exactâ observatione istius novæ ordinationis sublevabatur, iterum in neglecta, seu remissa observatione ad illam redierit; æquum bonū est posterum cessare illam septimanalem duorū fertellorum siliginis contributionem. * Ita enim servatur in omnibus etiam præcisis & absolutis bonorum Ecclesiasticorum unionibus & incorporationibus, ut cessante finali causa unionis, resolvatur unio, & unita bona Ecclesiæ, cui illa unita fuerunt, detrahantur, & in suam pristinam causam ac conditionem revertantur, hoc est Ecclesiæ seu collegio, cui detracta fuerunt, restituantur, *c. Suggestum De decimis, Petrus de Perusio in tract. de revoc. unionib. in princ.* * 5
Proinde cùm omnis dispositio tam in contractibus, quàm alijs hominum actionibus, ita semper accipiatur, ut stet, perduret & effectum sortiatur, quamdiu res de quibus agitur, in eodem statu permanent, semperque habeat tacitè implicitam illam clausulam, *rebus sic stantibus, seu se habentibus, ut prius, l. Continuus §. cum quis De verb. oblig. l. Quod servus De condict. causa dat. l. Paulo Gallimacho §. fin. De leg. 3. d. c. Suggestum, c. Brevi De iureiur. Bald. in l. Certiorari C. De fideicommissis*; ita ut rebus mutatis à prius statutis recedere liceat, *c. Quanto De censib. Host. Decius consil. 335. Viso consilio nu. 2* quæ priùs ab initio rationabilis videri poterat ordinatio de contribuendis duobus fertellis siliginis, propter prohibitam mendicitatem, & illius prohibitionis tunc recentem & vigentem observantiam, irrationabilis effecta meritò dici debet, rursùs ad usum & libertatē revocatâ seu permissâ mendicitate; ideoque à dicta domo Teutonica exigi amplius non debeat, quod propter prohibitam mendicitatē ei quoquo modo impositum fuit.

Nec in contrarium urget, quòd hæc contributio ab initio dicatur fuisse voluntaria, ex consensu eorū, qui huic Religiosæ domui tunc præfuerunt, quodq; ea in quinquagesimū circiter annum nunc excurrat, & sic videatur jam transijsse in perpetuā obligationem: nam ex literis, quas Illustrissimus Generalis Magister in initio hujus litis ad amplissimum Concilium scripsit, constat tempore præstiti hujus consensus, Commendatorem domus illius nullum fuisse, neq; alium consensū præstitū fuisse, quàm à quondam D. Wilhelmo Vos locū tenente dumtaxat in dicta domo; qui suo tali consensu non potuit dictæ domui, & futuris ejus Commēdatoribus tam graviter præjudicare: * cùm potestas alie- 6
nationis in generali mandato etiā totorum bonorū numquā contineatur, *l. Procurator Iuliana De procurat. c. fin. De off. vicarij lib. 6* ne quidem ex transactionis causa; ita ut, si procurator contra fecerit, & dominus ratum non habeat, impediri non debeat, quominùs alienatū recuperet, *l. Mandato generali De procurat. l. Procuratorem eod.* Unde est, quòd vacante Prælatura, de statu illius nihil innovari, & quicquid fit ad diminutionē Prelaturę, ac bonorum illius, retractari, & in pristinum locum restitui debeat, seu potiùs pro nullo haberi, *c. 1 & 2. Ne sede vacante &c.* Quæ etiam causa fuit, quòd ex brevi tempore post præstitū illum consensum, & paucis aliquot annis, in ferventibus initijs novæ istius ordinationis, præstitā hac duorum fertellorum siliginis contributione, pro parte non tantùm surrogati Commendatoris dictæ domus, sed etiam Illustrissimi Magistri totius Ordinis Teutonici, fuerit judicialiter contradictum, & denegata continuatio hujus contributionis. Super qua contradictione Amplissimum Concilium in dicto anno trieesimo nono jus dicendo non condemnavit D. Commendatorem definitivè ad perpetuam hanc contributionem, sed tantùm provisionaliter & temporaliter ad continuationem jam tunc cœptæ contributionis, donec plenius cognito de causa definitivè judicaretur.

Ita ut hæc cōtinuatio pro prescriptione accipi nequeat, sed dumtaxat sit velut pro precario; quod obliga- 7

obligationis perpetuitatem nonhabet, *l. Interdictum De precario*. sedexsua natura quandocumque resolubile est, si non ex libera voluntate præstantis, ut est in mreo & saboluto precario concedentis, *l. Habet D. eod. tit.* saltē ex jurisdictione & potestate Iudicis post provisionalem condemnationem de causa principali plenius cognoscentis, & definitivè inter partes jus dicentis: id enim cùm facit Iudex, resolvitur provisionaliter decretum, ut plerumq; provisionaliter ex necessitate Iudicis solutū restituitur, *l. Cùm ex causa De appellat.* * Provisionalis namque sententia veritati præjudicium non facit, nec ei, adversus quem illa fertur, eripit potestatem propiùs de jure suo experiundi, & docendi, *l. Si quis à liberis §. meminisse & §. solent l. Si neget. De lib. agnoscendis*. Sic quod in proposito neq; dictus ultroneus vicarij consensus, neq; illius pro tēpore facta contributio, neq; sequuta Amplissimi Concilij provisionalis sententia, neq; tanti temporis continuatio & lapsus, aliquid momenti habeant vel ad exclusionem D. Commendatoris ab ulteriore petitione resolutionis seu relaxationis dictæ provisionis; vel ad stabiliendum jus Magistrorum pro perpetuitate contributionis, ex aliqua præscriptione, cujus nullus potuit esse utilis decursus, durante & stante hac lite; quę jam per annos ferè quinquaginta saltem interpolatè stetit, & numquam tam diu quievit sine interruptione, ut inde statui possit aliqua legitimæ, seu validæ præscriptionis consideratio. * Vt enim ex supervenient lite, etiam per solam citationem, multò magis per litisconteſtationem interrumpitur cœptus, & longiùs etiam productus præscriptionis cursus, *l. Cum notissimi C. De præscript. 30. vel 40. an. & ibi Doct.* ita & multò magis inchoata lis impedit initium præscriptionis: quæ enim causa factum tollit, multò magis ne fiat ab initio impedit, *l. Inter stipulantem §. sacram De verb. oblig.* Et quamvis hæc lis interdū per intervallum etiam plurium annorum sine continua actione, & prosecutione quieverit; nihil tamen id facit ad alterutrius partris jus perimendum. cùm quiescentia hujusmodi ad extremū nihil aliud operari possit, quàm instantiæ, non actionis aut juris peremptionem, *l. Properandū C. De iudic.* * Quæ tamē instantiæ ex lapsu temporis peremptio locum non habet in causis, quæ in Auditorio seu consistorio Principis ventilantur; in quo ut nulla est instantia, ita nec instantiæ ex cursu tēporis peremptio, *Auth. Sed & lis C. De tēpor. appell. Bal. cons. 217. Ego puto nu. 5 vol. 3. Franc Marc. decis. Delphin. parte 1 quæst. 20* Cùm alioqui instantiæ peremptio solum Actorem, non Reum respiciat, *d. l. Properandum*, & illius damno sit; cùm Reorum sit fugere, Actorum verò instare. Rei autem partes in hac causa sustinere D. Commendatorem, in quo petitur hujus contributionis perpetua præstatio, res ipsa satis demonstrat. Circa quod nunc scrupulosiùs laborandum non est, ex quo per decretum Amplissimi Concilij sexta mensis Octob. an. 1578. utraque pars in integrum restituta est adversus interruptionem litis seu peremptionem instantiæ; ut dubitandum non sit, quin ut Actoribus ad prosecutionem perpetuitatis hujus contributionis, ita quoq; & multò magis D. Reo ad contradicendum & contendendum ad relaxationem dicti provisionalis decreti, liberrima sit potestas, & in pari potestate dicti Rei conditio potior, ex causis in dicto priore, nostro responso deductis.

Neque in considerationem contra præmissa ullo modo venire debet, quod ex Innocentio, *in c. Ad Apostolicam De simonia*, & Paulo de Leazaris, *in c. Inliteris De restit. spoliat.* Ioannes Paponius Arrestis *lib. 1. tit. 12. de decimis c. 1.* jure singulari receptum sit in præstationibus annuis, quæ factæ sunt in piam causam, ut ultrò aliquoties factæ inducant obligationem in futurum, & quidem talem, ut præstans cogi possit ad continuationem solitarum præstationum, licet aliàs in alijs præstationibus in causas non privilegiatas præstatio aliquot annis facta non obliget in futurum, *l. Si certis annis C. De pact.* quia, ut hoc admittatur & verum esse possit in merè voluntarijs & ultroneis hujusmodi præstationibus, propter præsumptionem liberalitatis; idem tamen dici non potest nec debet in præstationibus etiam longissimo tempore factis, non liberaliter, voluntariè, & spontè, sed ex necessitate Iudicis: ut evenire diximus in proposito casu, in quo præstationes horū fertellorum annuorum sunt factæ non sponte & voluntariè, sed ex necessitate Iudicis, propter dictum decretum provisionale; quod ut in invitum latum est, *l. Inter stipulantem §. 1. De verb. oblig.* ita etiam ab invito, quamdiu stat, ei pareri debuit ex necessitate. Iam verò in necessitate nemo liberalis esse censetur, *l. Rem legatam in fine De adimen. legat.* hoc est nemo censetur liberaliter & voluntariè facere, quod necessitate cogente facit: ut est omnis solutio, quam quis facit ex necessitate Iudicis, hoc est Iudice, seu ejus decreto jubente & cogente, *d. l. Cùm ex causa De appellat.* Quæ etiam ratio est, quòd hujusmodi solutio velut conditionalis sit, & resolubilis in casum, quo vel in judicio appellationis, vel principalis causæ cognitione, qui provisionaliter solvere coactus fuit, in causa superat & vincit; quia tunc relaxatur & resolvitur decreti antecedentis potestas; & sic factis solutionibus omnis juris effectus detrahitur. Cujus quidem resolutionis, relaxationis, & absolutionis D. Commendatoris in proposito proclivior est potestas, imò necessitas, ex eo, quòd hoc gravamē dictæ domui impositū, non secundùm, sed contra tenorem dictæ novæ ordinationis, quæ disertis verbis ab hac contributione & collationis necessitate in conformitatem juris communis, *d. §. promissa vero*, excipit eleëmosynaria bona Ecclesiasticis personis destinata; ut proculdubio sunt illa, quæ ad militarem Ordinem Teutonicorum delata sunt. Etsi enim non tam ex destinatione vel illorum, qui bona huic Ordini reliquerunt, vel Religiosorum ipsius Ordinis, qui suâ parsimoniâ, aut alia feliciore fortunâ illa comparaverunt, quàm ex voluntate militarium Fratrum & instituto regulaque Ordinis, pauperibus eleëmosynæ erogari soleant, & aliquo respectu erogari debeant (in quo hujus Ordinis conditio ab alijs Ecclesiasticis collegijs vel personis, quæ ex juris dispositione ad eleëmosynarum erogationem sic tenentur, ut pauperes adversus eos ad illas fundatam etiam intentionem habeant, *Aymo Cravetta cons. 116. Homines & parochiani vol. 1.*) ad alimentationem tamen ipsorum Fratrum, & alia

alia onera Ordinis præsertim militaria exhibenda & sustinenda principaliter destinata sunt: sic ut eleëmosynarum erogatio secundaria, & velut accidentaria sit, ex eo, quòd deductis ordinarijs one-
12 ribus supereſt. * Vnde hujusmodi militaria Hospitalia etiamsi appellatione Hospitalium veniant in favorabilibus; in his tamen, in quibus agitur de militarium præjudicio, non sortiuntur communem conditionem aliorum Hospitaliorum, *Paul. paris. cons. 36. Quod pretensa unio n. 7. vol. 4.* Vt proinde non rectè hi Magistri pauperum ad contributionem pertraxerint domum istam Teutonicam, & illius bona; & longè pejus Magistratus ipse ad illa manus extendendo, contra tenorem dictæ ordinationis, ijsdem Magistris auctoritatem suam eâ in re accommodaverit, contra omnia tam civilia, quàm Canonica jura; quę laicis nullam potestatem nullamq; auctoritatem permittunt in personas, vel res Ecclesiasticas, *c. Qui in Ecclesiarum c. Ecclesiæ S. Mariæ De constit.* sed cassa & irrita decernunt, quæcumque in illorum præjudicium per laicos vel constituuntur vel fiunt, *Auth. Cassa c. De sacros. Eccles.*

13 Et sanè plurimum à verò aberrat dictus Magistratus in eo, quòd sibi persuadet per dictam novam ordinationem esse permissum sic posse augere, & intendere statuta dictæ ordinationis pro contributione eleëmosynarum, ut etiam manus extendere possint ad bona Collegijs & Monasterijs destinata; cùm verba ordinationis id non contineant, nec ejus rei potestas ulli etiam Principi sæculari umquam permissa inveniatur, ut de bonis Ecclesiasticis statutum aut ordinationem aliquam facere possit: horrendæ enim cupiditati adscribitur, tale aliquid à Regibus vel Principibus petere, *c. 2. De reb. Eccles. non alien.* Cùm etiam Imperator ipse sibi hanc legem dixerit, ut nihil ex rebus Ecclesiæ sibi vendicare possit, nisi per viam permutationis; idq; dumtaxat pro re majore, meliore vel æquali, *Auth. Sed & permutare c. De sacros. Eccles.* Rectiùs & faciliùs sine alicujus injuriâ aut incommodo potuisset veris & propijs Hospitalibus, sive illa sint Xenodochia, sive Nosocomia, sive Gerontocomia, sive Brephotrophia, sive alia quæcumque Ptochotrophia, *l. Sancimus 2. C. De sacros. Eccles.* aliqua portio detrahi, & dictis Magistris adijci ad alimentationem eorum, quos paupertas ad mendicitatis necessitatem redegerat; quippe per hanc alterationem detracta bona stationem suam omninò non mutant, nec ad alium omninò usum quàm quò destinata erant, transferuntur (quod jus non patitur, *l. Legatarum De administra. rer. ad civit. pertin. Guido Papæ decis. 552.*) sed modus dumtaxat distributionis aliquo modo in eadem statione subventionis pauperum mutatur; cùm in habentibus idem symbolum facilis sit transitus de uno ad alterum, *Aristot. lib. 1. de generat. & corrupt. l. Si unus §. pactus vers. quod in specie De pact. l. An inutilis De acceptilat. Petr. Anchor. cons. 422. Viso puncto n. 4.* Sed citra evidentem injuriam hujus domus collegiatæ, seu conventualis Ordinis militaris ad commodum quorumcumque etiam pauperum non potest fieri hæc detractio ad perpetuam &, per singulos annos redeuntem erogationem sine discrimine inter pacata & turbida tempora, inter caritatem & utilitatem annonæ frumentariæ, quæ ex casu sic incidere seu occurrere possent, & nunc proximè præteritis aliquot annis incidisse & occurrisse rei evidentiâ compertũ est, ut nec dimidium, imò nec quarta sic detractæ hujus summæ ex frumentarijs reditibus ad dictam domum perveniat: ut non tantùm non sit quod inde alijs præstari possit, sed in eam quoq; necessitatem domus venire possit, ut ad quotidianum panem pro alimentis ejusdem domus frumentum aliunde etiam comparari debeat. In quam necessitatem non ita pridem D. Commendatorem conjectum esse palàm & notoriũ est. * Et quamvis per istam contributionem dicta domus exonerata videri 14
possit à majore onere, quod fortè sustineret erogando ostiarias & septimanales eleëmosynas: id tamen eâ nolente aut invitâ imperari non potest cujusvis sæcularis auctoritate; potissimùm quod hæc res (ut prius deduximus) regulis & statutis Ordinis directè adversetur & repugnet; ideoq; effectum aliquem habere nequeat: cùm neq; statutum, neque quæcumque ordinatio seu constitutio, neq; consuetudo possit mutare ea, quæ sunt regulæ cujusque Ordinis, *DD. in Auth. Ingressi & ibi Iason n. 9. & Decius n. 11. C. De sacros. Eccles. Cravet. d. cons. 116. n. 7.* Ex regula autem hujus militaris Ordinis hoc unum inter præcipua est hospitalitas, & in hospitalitate eleëmosynarum, per proprias, non alienas, & minimè laicas, manus erogatio: sic ut dicta nova ordinatio nullâ ratione possit pertrahi ad bona hujus domus, Commendatore ac superiore illius reclamantibus. Vt plurimum laudandus & approbandus sit D. Commendatoris hic pius conatus, quo secundùm sui Ordinis regulam & professionem ad hoc laborat, ut ipse eleëmosynarum erogationem retinere & exercere, dictæque domus bona conservare, & in suo tramite retinere, seseq; pauperum pium creditorem ex hac largitione constituere possit; dictis Magistris præceptâ facultate, ne de alieno ipsi, more non satis probato, eleëmosynas faciant: species enim improbati lucri est, ex alieno largiri & beneficij debitorem sibi acquirere, *l. Si pignore §. 1. D. De furtis.* Quibus rationibus, alijsque fusius latiusque per Advocatum causæ deductis, attentis, in eo persistimus in hac causa, provisionalis decreti necessitatem relaxandam & resolvendam esse; dictumq; D. Commendatorem ab impetitione Actorum per definitivam sententiam Amplissimi Concilij absolvi, & Actores seu Impetrantes in expensas litis condemnari debere.

De rebus Eccleſiæ alienan. vel non.

SVMMARIVM.

Vnio, incorporatio, & suppressio beneficij Ecclesiastici.

1. *Beneficiorum mutatio absq; causa facienda non est.* *Relictum vel destinatum in certum usum ex causa ad alium usum converti potest.*
2. *Monasteriorum & beneficiorum uniendorum causæ quæ.*
3. *Monachi dissolutæ vitæ ejiciendi.*
4. *Vnions accedere debet assensus eius cuius interest.*
5. *Vnire & dismembrare potest Episcopus.*
6. *Papa in unionibus & dismembrationibus summum ius habet.*
7. *Vnionis diversæ species.*
8. *Vnionis forma & effectus.*

9. *Vniones facilè revocantur.*
10. *Pium est quod fit favore studij.*
11. *Vnio quomodo expediatur.*

CONSILIVM CCXCV.

IN Dominio de Bairlemont ab antiquo est locus quidam, quem vulgus Prioratum ibi appellat; in quo aluntur duo, & interdum, licet rariùs, tres Religiosi ex Monasterio Abbatiæ de Feudinio: qui nulli alteri officio divino vacant, nec peculiarem Ecclesiam, Capellam, aut Templum habent, quàm quod in castro de Bairlemont quotidie per vices Missam celebrent. Habent hi Religiosi eo loco diversa & plura bona; veluti decimas, agros, & alia prædia, unà cum jure conferendi Ecclesiam parochialem dicti loci de Bairlemont; ex quo onere celebrandi Missas in dicto castro præsumptio est, atque etiam vulgi fama, quòd Domini de Bairlemont his Religiosis ea bona saltem pro maxima parte contulerint, & dictum locum religiosum ex suis bonis fundaverint. Hi Religiosi memoriâ eorum, qui nunc vivunt, tam dissolutæ vitæ semper fuerunt, & etiam nunc sunt, ut toti populo scandalo & offendiculo sint; alentes publicè more conjugatorum concubinas, ex quibus proles multæ natæ adhuc supersunt, quę commessationibus & frequentationibus popinarum insolescunt, & populi offensam augent. Desiderat itaque Generosus Dominus de Bairlemont, auctoritate Pontificiâ interveniente, dictos Religiosos ad suam Abbatiam remitti, & prætactum eorum locum cum prædictis bonis applicari, & uniri novæ fundationi, quam idem D. de Bairlemont facere cœpit pro sustinendis Magistro scholæ, & sex pueris cantoribus divinum officium in Ecclesia de Bairlemont cantaturis; si modò bonâ & tutâ conscientiâ id fieri possit.

1 Vnde super his consulti respondemus, quòd, quamvis non facilè ad alium usum converti vel destinari debeat, quod vel ex tempore atque usu, *l. Minimè De legib.* vel ex fundatione & dispositione fidelium ad certum usum destinatum est, *c. De Xenodochijs De relig. domib. Clem. 2. §. 1. De relig. domib. Bald. in l. Si quis ad declinandum n. 9. C De Episc. & cler.* tamen, justâ subsistente causâ, nihil de eo dubitandum sit, quin ad alium usum converti possit. † In
2 eo enim fundatur totus unionum tractatus latissimè patens; per quem non tantùm aliquot bona, sed etiam integræ Capellæ & religiosæ domus invicem uniuntur, *c. Sicut unitæ De excess. Prælat. latè Io. Bapt. Caccialup. in tract. de unionib.* Pro quarum justificatione una inter cæteras legitima causa est, morum dissolutio & religionis difformitas, *arg. c. Relatum Ne cler. vel Monachi, c. In singulis, c. Recolentes De*
3 *statu Monach.* * Eaque causa est, cur Monachi singuli per villas aut oppida habitare non debeant, *c. 2. De statu Monach. c. Ex parte De capell. Monach.* sed ex loco religioso ejici, alijs etiam alterius Ordinis inductis, *d. c. Relatum*; & Abbatibus præcipitur, ut solitarios Monachos in Prioratibus habitantes ad claustrum seu monasterium revocent, *c. fin. De capell.*
4 *Monach.* * Quæ quidem causæ justitia & probabilitas hoc efficit in proposito casu, ut, nisi obstaret exemptio præfatæ Abbatię, ob quam Abbatis consensus accedere debet unioni, *Lapus in Clement. 1. §. ad hæc De statu Monach. Caccialup. d. tract. De unionib. artic. 6. n. 4.* per Episcopum faciendæ, de ordinaria potestate fieri posset desiderata ista transmutatio, * Episcopus enim subjectas sibi Ecclesias unire, & in optimum statum componere potest, *d. c. Sicut venire*; quia habet amplam potestatem super statu sioi subjectarum Ecclesiarum; easque potest facere modò plures, modò pauciores, clericorumque numerum diminuere vel augere, *1. distinct. c. Omnes basilicæ, c. Ex parte De constit. à contrario sensu l. fin. & ibi Bart. De oper. publ.* tam ex sententia Theologorum, *Summa Angelica in c. Relatum 2. n. 12.* quàm Iurisdarum, *in Clem. 2. §. 1. De relig. domib. Panor. & Zarabel. in c. Nos quidem De testam. Rod. Rom. singul. 486.* * Sed quin summus Pontifex id possit etiam sine consensu Abbatis, nulloq; præce- 6
dēte tractatu, etiam de beneficijs & bonis ad exemtos pertinentibus, *c. Auctoritate De privilig. lib. 6.* nullum est dubium: Papa etenim quoad beneficia, Ecclesias, ac bona Ecclesiastica plenam & absolutam habet potestatem, *c. Proposuit De concess. præb. c. De testanda de præb. lib. 6.* * potestq; unire tam non vacantes, quàm vacantes Ecclesias, per omnes unionis
7 species; & tam conformes, quàm difformes, hoc est etiam diversarum religionum; & regulares cum sęcularibus, & è diverso, *Caccialup. d. tract. art. 4. n. 2.* Quæ quidem de unione dicta perinde applicari possunt annexionibus, incorporationibus, suppressionibus, extinctionibus, applicationibus, & dismembrationibus beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum. * Sunt quippe hęc omnia
8 in unionibus vel modo ac forma vel effectu: rarò enim fieri potest unio sine alterius beneficij suppressione & extinctione, neque extinctio sine dismembratione, & nec rursus hæc sine beneficij extincti & bonorum incorporatione, annexione, & applicatione, *Gloss. ad regul. Cancell. Innoc. VIII. reg. 11. & Mandos. ad reg. Iulij Tertij reg. 12.* quamvis interdum quædam ex his sine unione fiant: & tunc tantùm consideratur alienatio rei Ecclesiasticæ; cujus potestas in Episcopo strictior est, *c. 1. De reb. Ec. les. non alien.* in Pontifice latissima.

Cæterùm quia uniones & incorporationes malè impetratæ facilè revocantur, *Rebuf. in praxi benefic. lib. 1. tit. de union. revoc.* consultissimum est, ut S. D. Papæ pro parte præfati D. de Bairlemont omnes hujus rei circumstantiæ exponantur, & dictorum Monachorum lascivia, ac vitæ dissolutio, repetitis etiam temporibus retroprę teritis, exactè cum veritate proponatur; narretur item novi institui seu fundationis utilitas ac pietas. * Nihil enim dubi- 10
tandum est, quin pium dici debeat, quod fit favore studij & eruditionis, alimentorumq; pauperum *Iason in l. 1. n. 35. C. De sacros. Eccles. Bart. in l. 1. ad fin. Soluto matrim.* atque cultus divini, *Tiraq. tract. de pia causa in præfat.* qui partim etiam in cantu consistit, *c. Clericus 21. distinct. c. Non mediocriter De consecrat. dist. 5.*

* Et impetretur commissio ad partes, per quam 11
loci Ordinario, aut alij in dignitate constituto committatur cognitio hujus utilitatis, citato ad hoc præfato Abbate & Monasterio Feudinensi. Quamvis interim eâ citatione etiam omissâ id expediri possit per viam gratiosæ concessionis, *Rebuff. d. tit. de union. reg. 1.* Sed ad removendum omnia incurrentia obstacula ac futura pericula, securissimum

mum erit, si res per commissionem & cognitionem, vocatis his quorum interest, expedietur.

De rebus Ecclesiæ non alienan.

SVMMARIVM.

Vnio & incorporatio Ecclesiæ ab ordinario facta:

1. *Spoliatus etiam a Iudice, ordine iuris prætermisso, restituendus est.*
2. *Spolij restitutio non impeditur ex defectu tituli.*
3. *Vnio beneficiorum per Episcopum fieri potest.*
4. *Papæ, non etiam inferioribus de suo facto asserentibus credi.*
5. *Prælatus sine consensu Capituli quæ bona alienare possit.*
6. *Vnio ex quibus causis valeat.*
7. *Ius quæsitum tolli non debet.*
8. *Papa ex plenitudine potestatis potest iuri quæsito derogare.*
9. *Surreptio & obreptio non solum dolosa sed etiam ex ignorantia commissa nocet in gratiosis.*
10. *Constitutio nova exorbitans restringenda.*
    Constitutio Ducis Philippi de non exequendis literis Apostolicis sine placito, non habet locum in literis vel dispositionibus Ordinariorum.
11. *Vniti quando possit beneficium iuris patronatus sine patroni consensu.*
    An in unione requiratur consensus Domini feudalis, si beneficium unitum habet feudalia bona.
12. *Vnio beneficij est de eius proprietate.*
13. *Bona Ecclesiæ dici non possunt vacantia.*

CONSILIVM CCXCVI.

OMNIBVS, quæ ultrò citroque proposita, dicta, allegata, & exhibita sunt, in lite, seu communicatorio processu, ratione unionis seu incorporationis Ecclesiæ parochialis S. Petri de Dalhem in Ducatu Lutzemburgensi, Diœcesis Trevirensis, inter Collegium Societatis Iesu in civitate Trevirensi Supplicantes, & Abbatissam ac Conventum Monialium Monasterii S. Spiritus Oppidi Lutzemburgensis, illisque adjunctum Procuratorem Generalem Concilii Lutzemburgensis, Opponentes, excussis, deprehendimus bono jure dictum Collegium contendere ad recuperationem sibi unitæ & incorporatæ dictæ Ecclesiæ, ac bonorum seu decimarum ejusdem. Cujus boni juris demonstratio etsi ante nos longissimâ deductione jam per alios confecta sit, & quidem tam exactè, ut expeditum non sit, in facto aut in jure illis quicquam addere; non gravabimur tamen per illos latè & abundantissimè tractata velut in compendium contrahere; eaque paucis ob oculos proponere, in quibus status causæ & punctus totius controversiæ consistit, tam quoad possessorium, quàm petitorium judicium.

Et quidem imprimis expeditissima est possessorii causa: nam cùm ex instrumentis pro parte Collegii reproductis, ipsaque rei evidentia constet, dictum Collegium in anno millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, ex concessione Illustr. ac Reverendissimi D. Ioannis Archiepiscopi Trevirensis obtinuisse annexionem & incorporationem Monasterii Monialium S. Barbaræ extra & prope muros civitatis Trevirensis, cum omnibus suis juribus, pertinentiis, bonis, proventibus, & emolumentis; constet quoque, quòd in anno millesimo, trecentesimo nonagesimo, eidem Monasterio S. Barbaræ ex consensu Abbatis & Conventus S. Maximini Trevirensis, ad quorum collationem seu præsentationem dicta Ecclesia parochialis de Dalhem pro tunc spectabat, per Fel. Rec. Bonifacium Papam Nonum incorporata & unita fuerit eadem Ecclesia de Dalhem, cum omnibus suis juribus & pertinentiis, & quòd virtute hujusmodi annexionis & incorporationis dictum Collegium pervenerit ad realem & effectualem possessionem jurium, bonorum, & redituum olim ad dictum Monasterium S. Barbaræ spectantium; & specialiter ad realem perceptionem decimarum dictæ Ecclesiæ de Dalhem, idemque Collegium sine ulla turbatione ac cujuscumque impedimento in eadem possessione usque ad mensem Martium anno 1567. permanserit: dubitandum non est, quin dictum Collegium pro vero & indubitato dictæ Ecclesiæ ac decimarum illius possessore haberi & reputari debuerit, & minimè illâ ullo modo, saltem non juris ordine prætermisso, ante sententiam in petitorio judicio obtentam, spoliari & in illâ molestari posse. Rectè itaque Collegium contendit sibi redintegrandam esse possessionem dictarum decimarum, aliorumque locorum dictæ Ecclesiæ, quæ Opponentes primùm arrestari, post deinde veluti sequestrari curarunt, & tandem illis Collegium planè spoliaverunt in dicto anno sexagesimo sexto, in quo spolio adhuc perseverant.

* Quippe juris ratio manifesta est, quòd spoliatus ante omnia restitui debeat, *l. ult. De restit. spoliat.* etiamsi Iudicis auctoritate sit facta spoliatio; juris tamen ordine prætermisso, *c. Conquerente De restit. spliat.* qui in hoc spolio non invenitur servatus: quam spoliationem Opponentes colorare aut excusare non possunt per allegationem defectus tituli seu juris, aut deficientis Regij placiti: * nam restitutio spolij usque adeò privilegiata est in vero possessore, ut per objectionem defectus tituli impediri aut differri non possit, *c. Sollicitè De restit. spoliat* etiamsi objiceretur defectus Canonicæ institutionis, *c. In literis De restit. spoliat.* sine qua nullum ecclesiasticum beneficium obtineri potest, *c. 1. De reg. iur. lib. 6.*

Neque potest dicto Collegio obstare, nec Opponentibus ad justificandum seu excusandum spolium prodesse, quòd Collegium in sequestrum, consenserit: nam huiusmodi consensus simplex & absolutus non est, neq; tendit ad approbandum antecedens arrestum aut constituendum sequestrum, sed dumtaxat ad hoc, ut conjuncta manu decimæ pendente lite locarentur & perciperentur, pro ejus parte, quæ in lite obtineret securitatem: per quem consensum Collegium non deposuit animum possidendi; uti nec possessio per simplicem sequestrationem amittitur, *l. Interesse De acq. poss. & ibi Bartol. & alij.*

Nec sanè debebant Opponentes occasione vel arresti, vel sequestri aut prædicti consensus ulteriùs manus extendere ad locationem decimarum suo nomine tantùm, & multò minus ad illarum perceptionem, excluso Collegio: quòd cùm temerè fecerint, proculdubio spoliasse dici debent;

& per

& per consequens ante omnia dictum Collegium redintegrare. Cujus redintegrationis petendæ tanto justior est occasio, quanto jus ipsius Collegii in & ad dictam Ecclesiam atque illius jura & pertinentias solidius & firmius est; de quo nunc agendum est. Hujus boni juris & justitiæ, quoad causam petitoriam seu proprietatis, deductio & demonstratio, quoad dictum Collegium, expedita est ex instrumento concessionis, unionis, & incorporationis, quam præfatus Reveren. Dominus Episcopus Trevirensis fecit de dicto Monasterio S. Barbaræ in usum & commodum præfati Collegij: quæ unio, incorporatio, annexio valida, justa & irrevocabilis omninò censeri debet, ex causis & rationibus sequentibus. Primò, ex eo, quòd sit facta ab eo & per eum, qui ejus faciendæ potestatem habebat, hoc est à diœcesano Episcopo tam loci, in quo est prætactum Monasterium S. Barbaræ, atque etiam dicta Ecclesia, quàm ubi est dictum Collegium, sub Archiepiscopo videlicet Trevirensi. Constat enim id ex instrumentis Opponentium, adeòque ex ipsa Bulla, ex qua ipsi jus suæ unionis fundant; in qua apertè narratur, dictam Ecclesiam de Dalhem esse Trevirensis Diœcesis. * Iam verò indubitatum est, cujusque 3
Diœcesis Episcopum seu Archiepiscopum à jure communi habere potestatem per unionem & incorporationem conjungendi & annectendi beneficia, Ecclesias, collegia, & Ecclesiastica bona sita in sua diœcesi ad aliud beneficium, Ecclesiam, aut Collegium, *c. Sicut unire De excess. prælat. c. Quod translationem De offic. leg. Paul. Parisi. consil. 36. Quod prætensa in princ. vol. 4.* De cujus potestate & factæ unionis validitate ex causa efficiente minùs dubitandum est; ob id, quòd hæc unio & applicatio dicti Monasterij ad Collegium dictæ Societatis processerit etiam ex consensu & permissa facultate summi Pontificis, quæ etsi ex die seu data videatur esse ipsâ unione & applicatione per Archiepiscopum facta posterior, videlicet de data decimæ nonæ Septembris anno 1566. cùm unio D. Archiepiscopi sit de primâ Maij tunc proximè antecedentis: in rei tamen veritate est prior; quia non continet consensum de futuro, sed declarationem facultatis antea ad petitionem dicti Archiepiscopi concessæ; * quibus verbis Pontifi- 4
cis sic de suo antecedenti facto loquentibus plena fides adhibenda est, *Anor. in c. Cum à nobis nu. 1. De testib.* etiamsi alijs inferioribus sic de se suoq; facto asserentibus fides non esset adhibenda, *d. c. Cum nobis & ibi Panorm. & alij*: cùm alioqui sufficiat in unione consensum eorum, quorum consensus requiritur, perinde ante, ut post factam unionem intervenire, *c. Cum nos De his quæ fiunt à prælat. c. Cura De iure patronat. Rebuff. in praxi benefic. tit. de unione gloss. 11 nu. 20.*

Secundò, ad validitatem dictæ unionis constituendam facit, quòd non possit dici facta cum præjudicio alicujus interesse habentis: etenim constat, quod Priorissa & Conventus dicti Monasterij S. Barbaræ non valentes diutiùs vitam sustinere in dicto Monasterio, toto decennio ante datam hujus unionis, videlicet anno 1556. hoc suum Monasterium omniaque illius bona, jura, & pertinentias cesserint & remiserint ad manus dicti Archiepiscopi, sui in spiritualibus & temporalibus superioris: sic quòd idem Archiepiscopus ex eo tempore fuerit in possessione, saltem jure administrationis, eorundem bonorum, jurium, & pertinentiarum, usque ad datam dictæ unionis. Unde quemadmodum ab eo tempore nemo aliquod interesse ex dissolutione seu resolutione dicti Monasterij & bonorum ejusdem ad opus dicti Archiepiscopi prætendit; ita quoque nemo prætendere potuit aliquod interesse, ex eo, quòd idem Archiepiscopus dictum Monasterium cum bonis applicuerit & incorporaverit dicto Collegio; in qua applicatione ipsius solius Archiepiscopi præjudicium vertebatur.

Neque rectè dicetur, ideò nullam esse hanc unionem, quia sine consensu Capituli sui idem Archiepiscopus illam fecerit, *c. Pastoralis in fine De donat. c. 1. c. Pastoralis De his quæ fiunt à Prælat. sine consensu capituli*: nam cùm Capituli non interfuerit, nihil necessum fuit ipsius consensum ad hoc requirere; quippe cùm hoc Monasterium cum suis bonis per cessionem & refutationem dictarum Priorissæ & Conventus ad manus Archiepiscopi, pleno jure non transiverit in jus ipsius Archiepiscopatus, Ecclesiæ aut mensæ Episcopalis Trevirensis, sed tantùm ad dispositionem, prout dignum vel idoneum videretur; non potest hic recipi aliquod Capituli interesse. * Quemadmo- 5
dum contingit in Prælato, qui sine consensu sui Capituli non potest alienare res immobiles Ecclesiæ, *Clem. 1. De reb. Eccles. non alienan.* potest tamen illas sine consensu Capituli ac sine juris solemnitate alienare, quæ ejus conditionis sunt, ut alienari vel debeant vel soleant: ut sunt res emphyteuticæ ex caducitate; vel feudales ex quacumque causa ad Ecclesiam reversæ, *c. Vt super & ibi Doct. De reb. Eccles. non alien. Franc. Curtius de feudis part. 2. q. 1. & seq.* Ita ut cùm hoc Monasterium aut illius bona non fuerint incorporata Archiepiscopatui seu illius mensæ, aut suæ metropolitanæ Ecclesiæ, supervacuum fuerit consensum Capituli adhibere, cujus nullum prætenditur interesse; cùm etiam hoc Monasterium, ejusque bona, eodem loco & jure futura sint apud hoc Collegium, ut olim fuerant apud dictum Conventum Monialium.

Qua ratione nec ex eo capite oppugnari potest hæc unio, quòd Abbas & Conventus S. Maximini ad eam non sint vocati: nam, ut mox dicetur, illorum quoque non interfuit, quippe qui in seu ad Monasterium S. Barbaræ nihil umquam juris habuerint: & quoad Ecclesiam de Dalhem, in eam quoque & in bona illius nihil juris umquam habuerunt, præter jus collationis & præsentationis ad Pastoratum ejusdem Ecclesiæ; quæ cùm de suorum prædecessorum consensu per Bonifacium Papam Nonum abhinc ducentis prope annis sit suppressa, extincta, & dicto Monasterio S. Barbaræ unita & incorporata, reservato dicto Abbati & Conventui jure collationis seu præsentationis ad perpetuam Vicariam ejusdem Ecclesiæ (quod jus illis adhuc durat) non potest ullum dictorum Abbatis & Conventus inter esse prætexi, quòd hæc unio & applicatio illis non vocatis sit facta: vocari enim non debet ad actum quemcumque nisi cujus interest, *l. De unoquoque De reg. iud. Paul. Par-*
ris.

riſ. conſil. 37. *Attendatur nu.* 12. *vol.* 4. quique citatus non poſſet actui contradicere, *l. Qui poteſt invitus De reg. iur. l. Recuſare in princ. Ad S. C. Trebell. Iaſon in l. Nec quicquam §. ubi decretum nu.* 31. *De offic. proconſ.* Sola itaque dicti Archiepiſcopi voluntas & operatio hac in re ſufficit: cùm jus Epiſcopis permittat deſertorum aut quæ malè reguntur monaſteriorum diſpoſitionem, *Clem. Quia contingit De relig. domib.*

6 Tertiò hanc explicationem & unionem validam facit juſtitia illius; quòd ſcilicet ſit facta ex juſta & prægnante cauſa, tam ex parte Monaſterii S. Barbaræ applicati & uniti, quàm ex parte Collegii dictæ Societatis. Ex parte Monaſterii quidem paupertas & deſolatio illius, *Clem. Ne in agro §. ad hæc De ſtatu monach. Ioan. Bapt. Caccialup. in tract. De unio. articne* 5. ob quam Prioriſſa & Conventus declararunt ſe non poſſe diutiùs intertenere ſtatum dicti Monaſterii, ideoque illi & omnibus bonis ac pertinentiis illius cedere: ex qua cauſa facta dicti Monaſterii deſolatio ſeu deſertio, & ad manus Archiepiſcopi ceſſio, non debuit cedere commodo illius aut menſæ ſuæ, ſed potiùs extra manum poni, & alii egenti Eccleſiæ vel Collegio applicari, *Clem. Si una Eccleſia De reb. Eccleſ. non alien.* Ex parte dicti Collegii juſtitiam facit ejuſdem Collegii per Sedem Apoſtolicam approbati paupertas & Eccleſiæ univerſalis utilitas, quæ ingentia commoda & fructus ex inſtitutione hujus Societatis recipit, *c. Expoſtuſti De præben. Petrus de Vbaldis in tract. De unione c.* 3. Ita quòd Opponentes nimis improbabiliter dictis Supplicantibus obiiciant, quòd eorum generatio non ſit nota, & ipſis tamquam incognitis hujuſmodi unio aut incorporatio fieri non debuerit: incogniti enim dici non poſſunt, quos Sedes Apoſtolica approbat, & quorum converſatio omnibus nota eſt cum ſumma Reipub. utilitate, *c. Cum deputati De iud.*

Quartò, hanc applicationem & unionem validam & irretractabilem facit ipſa forma & executio, quòd ſcilicet ſit non temporalis, ſed perpetua, facta ad perpetuam utilitatem non alicujus perſonæ, ſed dicti Collegii, *c. Exſtirpandæ §. qui verò De præben. Pet. de Vbaldis d. tract. c. ult.* Quam perpetuitatem confirmat poſſeſſio dicti uniti & incorporati Monaſterii per Collegium apprehenſa, ſic quod inde eadem unio ſortita ſit ſuum effectum, per hoc quod idem Collegium dictum Monaſterium, omniaque ejus jura & bona, ei priùs vel ex fundatione & dotatione vel ex dicta unione quomodolibet acquiſita, realiter apprehenderit, & biennio pacificè cùm plena perceptione poſſederit. Inde enim inducitur conſummatio & effectus factæ unionis, *Paul. Pariſ. conſ.* 5. *Vnio nu.* 70. *cum ſeq. uſque ad* 155. *vol.* 4. & per conſequens illius irrevocabilitas, *Reg. cancell.* 12. *de revoc. unionib. & Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 6. & quidem in propoſito ſtatim ab initio factæ unionis, ideo quia illa fuerit pura, & à nullo eventu ſuſpenſa de Monaſterio vacante, & quia dictum Collegium ex illa ſtatim ſit ingreſſum poſſeſſionem dicti Monaſterii, *Rota deciſ.* 252. *nota quod beneficium, alias eſt* 5. *& deciſ.* 19. *nota quod reſervatio alias eſt* 4. *De reb. eccleſ. non alie. in antiq. Quint. Mandoſ. ad reg. Cancell.* 12. *De revocat. unio.* Quæ cùm ita ſeſe habeant, dubitandum non eſt, quin hæc Reverendi Archiepiſcopi Trevirenſis applicatio de hoc Monaſterio S. Barbaræ cum omnibus ſuis juribus, bonis, & pertinentiis cenſeri debeat valida, efficax, firma, irrevocabilis.

Vnde conſequitur, quòd unio & incorporatio, 7
quam dicti Opponentes ex intervallo pluſquam unius anni poſt datam dictæ unionis, videlicet 13. Calendas Iulii anno 1566. à Fel. Rec. Pio Papa Quinto obtinuerunt pro ſuo Monaſterio cenſeri debeat inutilis & nullius momenti: nam non tantùm jure communi, *l.* 2. *§. ſi quis à Principe Ne quid in loco publ. c. Quamvis De reſcrip. lib.* 6. ſed etjam per regulas Cancellariæ Apoſtolicæ per continuas ſucceſſiones Pontificum ſapiſſimè renovatas conſtitutum eſt, jus alicui etjam per ſummum Pontificem ex ordinaria juris poteſtate per quamcumque conceſſionem aut diſpoſitionem tolli non poſſe, *Reg. de iure quæſito non tollen.* * Verum quidem 8
eſt, Pontificem ex plenitudine poteſtatis poſſe etjam juri quæſito in rebus eccleſiaſticis derogare, cùm hoc vult & expreſsè declarat, *Paul. Pariſ. d. conſ.* 3. *nu.* 70. *cum ſeq.* ſed non cùm ſolâ Apoſtolicâ auctoritate utitur (ut contigit in hoc per Opponentes poſtea obtenta diſmembratione, ſeparatione & unione) quæ in dubio præſumitur tantùm eſſe ordinaria, non abſoluta, exorbitans, & de plenitudine poteſtatis. Quamvis non deſint, qui nec huic clauſulæ inſertæ in Bulla hanc vim attribuant; præſertim ubi ad ſuggeſtionem & preces alicujus conceſſio rei vel juris alteri quæſiti facta eſt, nec eidem conceſſioni inſerta ſunt verba, unde colligi poſſit Pontificis tam præciſa & exorbitans voluntas, *Phil. Decius conſ.* 198. *Pro tenui nu.* 6. *& conſ.* 606. *Sereniſſimus nu.* 18. Cum itaque in Bulla Opponentium nulla conſpiciatur clauſula, vel *motus proprij*, vel *certæ ſcientiæ*, vel *abſolutæ plenitudinis poteſtatis*; ſed hoc tantùm contineatur, quòd ad ſuggeſtionem & narrationem Opponentium ac interceſſionem Sereniſſimæ Catholicæ Majeſtatis, Apoſtolica auctoritate facta ſit hæc diſmembratio, ſeparatio, & unio non totius dicti Monaſterii S. Barbaræ, & Bonorum, jurium, ac pertinentiarum ejuſdem; ſed tantùm illorum redituum & proventuum, qui in Ducatu Lutzemburgenſi conſiſtunt; non poteſt illa cenſeri facta ex plenitudine poteſtatis; nec purè & abſolutè, ſed ſub tacita & intrinſeca conditione, non tantùm veritatis per dictos Opponentes pro obtinenda hac unione narratorum, *c. Super literis De reſcr.* ſed etjam ſi alteri in hujuſmodi bonis tempore conceſſionis jus quæſitum non fuerit: præſertim quia Pontifex hanc legem ſibi præſcripſit, & per regulas Cancellariæ declaravit, ſuæ intentionis non eſſe per quamcumque gratiam vel literas Apoſtolicas velle alicui jus quæſitum tollere; etjamſi illa literis ejus nominatim non inferatur, quaſi ſemper intelligatur, *c. Ex tuarum De auctorit. & uſu pallij, Felin. in c. Capitulum De reſcript.* Cujus dicendi in propoſito tanto major eſt occaſio, quòd hujuſmodi conceſſio eſt obtenta per ſurreptionem & obreptionem, omiſſa ſcilicet narratione & expoſitione, quòd hujuſmodi Monaſterium & ejus bona ac pertinentiæ eſſent per Prioriſſam & Conventuales poſita ad manus Archiepiſcopi; & deinde per eundem Archiepiſcopum jure ordinario applicata, unita, & incorporata Collegio dictæ Societatis; cujus mentionem ſi vel tenuem Opponentes

nentes in sua supplicatione pro obtinenda hac dismembratione & approbatione S. D. N. Papæ porrecta fecissent, non est verosimile, quòd voluisset hanc sequentem dismembrationem & approbationem ad commodum Opponentium facere contra unionem priùs per dictum Archiepiscopũ ad commodum dicti Collegii factam, & per suam Sanctitatem confirmatam & approbatam, necnon sequutâ apprehensione possessionis & perceptione bonorum ad effectum perductam: ita ut subdola hæc suppressio priùs obtentæ ab Ordinario & per Pontificem approbatæ unionis & incorporationis ad utilitatem Collegii dictæ Societatis Opponentibus non prodesse, sed nocere debeat, *d.c. Super literis, l. Etsi non cognitio C. Si contra ius vel utilit. publ.* & multò magis narratio eorum, quæ apertè falsa esse deprehenduntur. Veluti in primis, quòd dictũ Monasterium S. Barbarę à Monialibus destitutum, tempore hujusmodi porrectæ supplicationis penè desolatum fuerit, cùm desolatũ cici non potuerit, quod totum cum omnibus suis bonis & pertinentiis primò ad manus Archiepiscopi, post deinde per dictam priorem unionem & applicationem jure perpetuo ad dictum Collegium translatum fuit, & optimo jure possidebatur, *l. Et qui sub imagine C. De distract. pign. l. Sicut §. Superuacuũ D. Quib. mod. pig. vel hypoth. sol.* Ita ut huic narrationi ad magis excitandum Pontificem ad hanc posteriorẽ separationem & approbationem adjuncta, callida & subdola significatio metus, quòd scil. bona dicti Monasterii S. Barbaræ in dicto Ducatu alioqui ab aliis sæcularibus personis usurpari & dilapidari possent, obreptionis modum augeat; cujus metus esse non poterat iisdem bonis per dictam Archiepiscopi provisionem ac dispositionem, & Collegii dictæ Societatis antecedentem acquisitionem, & tunc præsentem possessionẽ in tuto collocatis. Et hæc quidem omnia, nullâ factâ mentione vel prioris unionis, vel Collegii dictæ Societatis; cujus si vel unico verbo facta fuisset in dicta supplicatione mentio, nulla erat dictis Opponentibus futura spes obtinendi vel unum cespitem terræ aut unum obulũ ex bonis dicti Monasterii, cum damno Societatis, quam idem Pius Pontifex semper affectione propensissimâ prosequutus fuit. * Cùm igitur res ipsa 9
demonstret, hanc surreptionem esse dolosam, omnimodò vitiare debet sic obtentam dismembrationis & appropriationis hanc gratiam, *d.c. Super literis De reser. Bart. & alii in l. Præcipt. C. Si contra ius vel util. publ.* cùm in gratiosis, qualis est hæc Opponentium impetratio, etjam non subdola, sed ex ignorantia aut simplicitate commissa surreptio & obreptio, nocere debeat, *c. Si super gratia De offic. & potest. ind. deleg. lib. 6. Felin. in c. Ad audientiã n. 13. De resc.*

Quæ cùm ita stringant, & nullitatem impetrationis ab Opponentibus obtentæ arguant; ad externa præsidia confugiunt Opponentes. Illud inter alia dictis supplicantibus objicientes, quod super sua applicatione & incorporatione non obtinuerint consensum seu placitum Regium, quo ad usum obtentæ hujusmodi incorporationis omnino opus esse putant ex ordinatione Philippi Ducis Austriæ in anno 1497. edito; & eo deficiente gratiam obtentâ nullius esse utilitatis & effectus. * Cæterùm 10
hanc objectionem facilè removẽt ipsa ordinationis verba, quæ disertè & specialiter loquuntur de literis non quibusque, sed dumtaxat Apostolicis seu Pontificiis; ita ut cùm hujusmodi ordinatio à jure communi exorbitet, imò illi planè repugnet & contraria sit, & libertati Ecclesiasticæ cõtrarietur, *Auth. Cassa C. De sacrosanct. Eccl. Decius cons. 442. In causa in qua n. 7.* nullam extensionem admittere, sed intra tenorem & rigorem verborum, quibus concepta est, cõstringi debeat, *Bald. in l. Non sine C. De bonis quæ liber.* ut quod verba novæ ordinationis in fronte non significant, illa continere non censeatur, *l. Si vero §. de viro D. Soluto matrim. & ibi Bart. l. ult. C. De interd. matrim. c. Cum dilectus & ibi DD. De consuet.* ut quibus non conveniunt verba novę legis seu ordinationis, non conveniat etjam nec illis adaptari possit illius dispositio, *l. 4. §. toties & ibi Bart. De dam. infec. Decius cons. 553. In civitate Lucana n. 7.* tunc cùm contra formam juris communis est hujusmodi dispositio; sed casus qui omissus est, pro omisso haberi debeat ac regulari seu definiri secundùm terminos juris communis, *d. §. de viro, c. Susceptum De reser. lib. 6.* Quam legem & juris observationem etjam Imperatores, legum & juris communis conditores, sibi præscribunt, *l. Præcipimus De appell.* ut quidquid novâ lege ab ipsis prolata expressum non conspicitur, id veterum legum constitutionumq; regulis relictum intelligatur. Quæ interpretationis angustia potiùs probanda & amplectenda est, quàm laborandum ad extensionem ejus, quod jure communi illicitum & prohibitũ est, *c. Non minus De immunit. eccles.* & quod factum superinduceret horrendas execrationes & censuras, quibus Bulla Apostolica, quæ singulis annis in cœna Domini publicatur in eos, qui executiones literarũ Apostolicarum fieri non patiuntur, obnoxios facit. Proinde cùm dicta nova ordinatio pœnalis, & à terminis juris cõmunis recedens constitutio sit concepta tantùm de literis Apostolicis, & quidem actum non omnibus, sed dumtaxat loquentibus de gratiis exspectativis, reservationibus aut aliis provisionibus super beneficiis in ditionibus dicti Archiducis constitutis; consequens est in illum non impegisse dictum Collegium, utence & ad executionem perducendo concessionem seu literas Archiepiscopi Ordinarii ejus diœcesis, in qua unicum Monasterii omniaq; ad eam pertinentia bona promiscuè tam in ditionibus temporalis dominii Regiæ Majestatis, quàm ipsius Episcopi, & aliorum Dominorum temporalium sita sunt, non de exspectativis aut reservativis aut provisionalibus alicujus gratiis beneficiorũ; sed unionis, appropriationis, & incorporationis Monasterii & bonorum ad dispositionem Archiepiscopi ex jure communi pertinentium, *d.c. Sicut unire, d. Clem. Quia contingit:* quæ concessio, appropriatio, & unio, cùm per se stet, solaq; sufficiat dicto Collegio, nihil Supplicantibus nocere potest, quod in hac re quoq; utantur literis Apostolicis consensus & approbationis dictæ unionis factæ jure ordinario; quia vis & effectus acquisitionis consistit in facto Archiepiscopi, non in approbatione & velut confirmatione Pontificia, *l. Et quia & ibi DD. D. De iurisd. omnium iud.* virtute cujus etjam nulla facta est executio, neque fieri necesse fuit.

Obiiciunt quoque Opponentes hanc applicatio- 11
nem & approbationem dicti Monasterii, quatenus respicit decimas Ecclesiæ de Dalhẽ, jure non subsistere; ideo quòd decimæ illæ sint feudales & jure feudi moveantur ab Abbatia S. Maximini, sine

cujus

cujus consensu Archiepiscopus hanc unionem facere non potuit; ut nec posset Ecclesiam patronatam sine consensu patroni unire, *Zabarell. in Clem. fin. nu.* 14. *De reb. eccles. non alien. glos. & DD. in c. Nobis & in c. Cum dilectus De iure patron.* Cæterum probabilitatem non habet hujusmodi allegatio: nam & supramentionata Bulla Bonifacii Noni, per quam unio & incorporatio facta fuit ad Monasterium S. Barbaræ; item instrumentum antecedentis consensus Abbatis & Conventus ejusdem Abbatiæ S. Maximini apertè demonstrant, quòd dictæ Abbatiæ tunc competierit dumtaxat jus patronatus ecclesiasticum; hoc est jus conferendi seu præsentandi ad dictam Ecclesiam de Dalhem; quod per eorum tunc præstitum consensum & sequutam super eo unionem & incorporationem omnimodò extinctum fuit, extinctâ & suppressâ ipsâ parochiali Ecclesia de Dalhem, relictâ tantùm illius Vicariâ perpetuâ. Nec verosimile etjam est dictis Abbati & Conventui plus juris in dicta Ecclesia aut bonis illius tunc competisse, cùm illius mentionem, exceptionem, & reformationem proculdubio omissuri non fuissent, si aliquod reservassent: exceptio enim & reservatio de iure collationis seu præsentationis ad dictam Vicariam, generalitatem concessionis in aliis omnibus ampliat & confirmat; *l. Nam quod §. fin. De penu. leg. l. His quæ contra De legib.* ut exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis, *Doct. in l. 1. De reg. iur.* Præsertim quia in dicto Abbatis & Conventus consensus instrumento non tantum contineatur consensus in unionem & incorporationē dictæ Ecclesię; sed Ecclesię, cum omnibus juribus & pertinentiis suis; quorum appellatione in primis continētur ipsæ decimæ, quæ sunt dos ipsius parochialis Ecclesię, in quibus & ad quas solus Pastor habet fundatam intentionē, *c. Cum contingat De decimis:* sic ut nulla sit præsumptio, quod ad alium pertineant, nisi de privilegio vel contraria præscriptione seu consuetudine probetur, *cap. 1. De restit. spoliat. lib. 6. c. 1. De præscript. eod. lib.* potissimùm, quia Opponentes non demonstrant alia bona virtute hujusmodi unitæ Ecclesiæ dicto Monasterio fuisse incorporata in Ducatu Lutzemburgensi. Et perquam absurdum est, quod Opponentes non verentur dicere, ipsam Ecclesiam, non decimas illius fuisse incorporatas dicto Monasterio, cui nudum nomen Ecclesiæ nihil erat profuturum, & cujus obtinendæ aut administrandæ Moniales erant in-
12 capaces. * Et tantum abest, quod Ecclesia sic materialiter aut formaliter capta, unita dici possit, ut etjam per hanc speciem unionis ipsum jus Ecclesiæ supprimatur & extinguatur; eaque suppressâ & extincta, bona illius dicto Monasterio applicentur; ita ut unitum beneficium desinat esse beneficiū & nomē beneficii amittat, *Io. Bapt. Caccialup. in tract. De unione art. 8. n. 8.* Vnde unio, quę fit de Ecclesia, fit ut de proprietate, non ut de beneficio, *Oldr. cons. 223. Facto tale nu. 7.* Proinde cùm non constet has decimas umquam ad Abbatiam S. Maximini pertinuisse; absurdum est, quod Opponentes illas eidē Abbati & Conventui feudales esse dicant, & jure feudi moveri à dicta Abbatia, quas Monasterium acquisivit ex dicta unione purè & simpliciter, non cum conditionata aliqua qualitate; idque beneficio dictæ unionis, non virtute consensus Abbatis, & Conventus; qui effectum tantùm suum operatur quoad suppressionem ipsius Ecclesiæ, & per cōsequens juris patronatus, quod ad illā Abbas habebat: cujus acquisitionis initium spectandum est, *l. Si procuratorem in prine. D. Mandati,* non unica aut altera tantum feudi recognitio ab una dumtaxat Priorissa in anno 1521. & 1528. facta; quas duas recognitiones solas Opponentes proferunt, ex quibus non potest rei veritas mutari, *l. Illicitas §. veritas De offic. præsid.* nec effici, ut quæ verè feudales non erant decimæ, ex unius Priorissæ duplici recognitione efficerentur feudales, *l. Cum falsa C. De iuris & facti ignor.* cùm ex dicto instrumento consensus & unionis super eo sequutæ certò constet dictas decimas liberas fuisse & ad dictam Abbatiam numquā pertinuisse: sic quod hujusmodi unius Priorissæ quāvis geminata cōfessio prorsus erronea non tantùm præsumatur, sed etjam probetur; quæ ob id pro confessione haberi non debet, *l. Non fatetur De confess.* De quo minus dubitandum est ex eo, quòd post illam recognitionem usque ad tempus deserti Monasterii decurrerint ferè triginta anni, & inde huc usque adhuc ferè viginti, intra quos non constat has decimas à quoquam in feudum à dicta Abbatia relevatas esse.

Illud ad invidiam Opponentibus excitandam obiicitur, quod bona dictæ Ecclesiæ de Dalhem sint in Ducatu Lutzemburgensi sub dominio temporali Regiæ Catholicæ Majestatis; ideoque Collegio dictæ Societatis extra obedientiam seu dominia suæ Majestatis appropriari non debeant, saltem non sine ejus aperto consensu, *Petrus Rebuff. in praxi benefic. tit. de union. nu.* 28. nam eam cavillationem avertit illud in primis, quòd hæc unio non sit principaliter & specialiter de dicta Ecclesia seu illius bonis, sed de Monasterio S. Barbaræ, quod extra patrimonium Regiæ Majestatis situm est, & constitutioni illi minimè subjectum: in consequentiam proinde trahuntur & veniunt illius bona in Ducatu Lutzemburgensi sita: multa enim per indirectum fieri possunt, quæ directò non fierent, *l. In modicis De contrah. empt. l. Quædam De acq. rer. dom. l. Aristo in fine D. Quæ res oblig. non poss. l. 2. De adminis. rer. ad civit. pert.* & per universitatem seu consequentiam acquiruntur, quæ per se sola seu separatim acquiri non possunt; ut jus patronatus, *d. c. Cum sæculum & ibi Gloss. De iure patron. l. 1. De auth. tutor. l. Conditionibus De condit. & demonst.* Deinde cùm hæc unio & appropriatio extra dictum Ducatum Lutzemburgensem nunc primùm non sit facta, sed ultra hominum memoriam, & antequam Ducatus Lutzemburgensis ad majores Regiæ Majestatis pertinebat, per unionem Bonifacii Noni ad Monasterium S. Barbaræ, quid mirum, si & Archiepiscopus idem eadem formā facere potuerit ad commodum Collegii dictæ Societatis in eodem loco, ubi & Monasterium fuit? ita ut tantùm sit mutatio personarum in hac unione, non loci: facilius autem quid continuatur, quàm ab initio constituitur; *l. Patre furioso De his qui sui vel alieni iur. l. 1. §. casum De postulando.*

Eādem ferè ratione refelli potest, quod Rei proponunt, ad Regis curam & dispositionem pertinuisse has decimas seu bona dictæ Ecclesiæ de Dalhem, quasi per desertionem dicti Monasterii vacantia, tamquam vacantia bona ad Principem

seu fiscum pertineant, *l. Vacantia* C. D. *bonis vacant. lib.* 10. *& ibi Bald.* Equidem quam infirma sit hæc objectio, demonstrat ipsorum Opponentium factum, qui non à Regia Majestate hæc bona accepta ferre volunt, ut nec sine crimine sacrilegii (ita enim habet textus juris, *in c. Dudum V. cæterum De decim. can. Si quis deinceps* XVI. *q.* 7.) id possent; sed prætendunt titulum ex unione illa surreptitiè &
13 obreptitiè à Pontifice impetrata. * Et ut etjam dispositio vacantium bonorum Ecclesiasticorum (quæ tamen non videmus quomodo vacantia aut pro derelicto habita dici queant, quæ sunt in dominio & jure Ecclesiæ, non personarum, *c. Qui res De reb. Eccles. non alien.*) ad Regiam Majestatem pertinere dici possit; numquam fuerunt hæc bona vacantia: cùm ne momento quidem sine possessore fuerint. Nam per Monasterium S. Barbaræ non sunt habita pro derelicto, sed cessa & posita ad manus D. Archiepiscopi, & ab eo applicata Collegio dictæ Societatis, quod tempore impetratæ per Opponentes posterioris suæ unionis erat in vera & actuali possessione tam ejusdem Monasterii quàm bonorum ad idem pertinentium.

Novissimè ut Opponentes nihil intentatum relinquant, inquirunt quoque in jus, potestatem, & effectum primæ unionis, quàm Bonifacius Nonus ante ducentos prope annos fecit de Ecclesia de Dalhem & ejus pertinentiis, illamque aliquot argumentis enervare laborant; sed frustrà. Immemorialis namq; temporis præscriptio seu continua ex eo titulo dicti Monasterii possessio, omnia vitia (si quæ fuissent) discussit. Nec patitur ratio, ut illorum jus Opponentes convellant, à quibus sui juris titulum prætexunt; hoc est hæc bona velut à dicto Monasterio dismembrata & separata sibi appropriari (licet sine effectu juris) obtinuerunt: quam dismembrationem & separationem frustrà peterent, si Monasterio & Monasterii bonis annexa non fuerunt, *c. Ad dissolvendum De dispens. impub.* Cum alioqui titulus prædecessoris regulariter non sit justificandus per successorem, qui in prædecessore tanto tempore toleratus fuit, *Lapus alleg.* 89. DD. *in c. Illud De præsumpt.* quæ tolerantia non tantùm diutina fuit, sed etjam immemorialis & jure constituti tituli habetur, *l. Hoc iure* §. *ductus aquæ De aqua plu. arcen.* His itaq; omnibus maturè perpensis, aliisque, quæ per alios, omnibus angulis hujus rei pertentatis, minimisque quibuscumque, quæ brevitatis studio attingere noluimus, examinatis, fusissimè deducta & resoluta sunt, attentis; existimamus dictum Collegium statim redintegrādum esse quoad possessionem dictarum decimarum & bonorum Ecclesiæ de Dalhem: & quia de jure proprietatis quoque liquet, unâ operâ eadem illa eidem prædicto Collegio perpetuò adjudicanda.

De rebus Ecclesiæ alienan. vel non.

SVMMARIVM.

Vnio ab ordinario facta an impediat gratiam nominationis ad beneficia.

1. 6. *Vnio facit extinctionem uniti.*
2. *Clericatura non præsumitur sed probari debet & quomodo.*
3. *Clericatura non revocanda in dubium, si minores ordines collati sint, eâ probatâ seu præsuppositâ ex causæ cognitione.*
3. *Vnita beneficia quando nominati acceptare possint.*
3. *Vnio ab Episcopo fieri non potest in præjudicium exspectantis.*
4. *Vnio fraudulenta non officit gratiæ nominationis.*
5. *Episcopus extra suam diœcesim nihil facere potest.*
7. *Beneficii status ultimus inspicitur.*

CONSILIVM CCXCVII.

DVo objiciuntur potissimùm D. & Magistro Thomæ Methan Impetranti in causa interdicti possessorii Canonicatus & præbendæ S. Amati Duacensis; videlicet quòd de clericatura sua non docuerit; alterum, quod hic Canonicatus ante illius novissimam vacationem, quæ contigit ex condēnatione & depositione D. Toussani Fanasche, per Episcopum Atrebatensem sit suppressus, extinctus, & Decanatui dictæ Ecclesiæ incorporatus & unitus. Prius enim horum objectorum efficere videtur, quòd non probatâ clericaturâ Impetrans non possit dici capax hujus vel alterius cujuscumque beneficii Ecclesiastici, *c. Cum adeo De rescript. c. Exliteris De transact.* alterum, quod uniti beneficii ratio aut consideratio aliqua per se haberi non possit vel debeat. * Vnio enim quia 1
annexam incorporationem habet, supprimit & extinguit unitum beneficium; facitque, ut nomen beneficii amittat, solumque in consideratione haberi faciat id, cui unitur & annectitur: sic quòd unitum beneficium numquam vacare censeatur, neque ut vacans conferri aut acceptari possit, *Rota decis.* 370. *alias est* 11. *nota quod ubi beneficium De reb. Eccles. non alien. in antiq. Parisius cons.* 10. *In causa vertente n.* 10. *vol.* 4. adeò ut neque sub generali reservatione contineri, neque per provisionem Papæ jus unionis tolli posse videatur, *Rota decis.* 460. *alias est* 13. *Supposito quod n.* 2. *Vt lite pendente, in novis.*

Sed ex neutro aliquid periculi imminet bono à
juri dicti Impetrantis; præsertim in hoc possessorio judicio: nam quod ad clericaturam attinet, etjamsi illa non præsumatur, cùm non sit naturalis, sed externa quædam qualitas, & sic in facto consistat, *c.* 1. *De constit. lib.* 6. DD. *in l. Sciendum De verbor. signif.* & ne quidem probatis majoribus ordinibus, atque etjam sacerdotio; cùm fieri possit, ut omissâ primâ tonsurâ quis per saltum promoveatur; *c.* 1. *De cler. per saltum promot. c.* 1. *De cler. peregrinis*: in proposito tamen sufficere debet Impetrantis assertio, quod in Anglia fuerit per suum Episcopum clericus factus, & in his Provinciis Belgii ad majores ordines promotus: præsertim cùm hujusmodi assertio non sit nuda, sed verosimilis ex idoneis argumentis; quia scil. totam Angliam invaserit hæresis, quod evidentia rei demonstrat & notorium facit, & ob hæresim rebus omnibus relictis inde aufugere debuerit, & sic amissis literis tōsuræ, non habeat facultatem probandi tonsuram vel per testes, vel per instrumenta seu Registrum sui Episcopi, quæ omnia furor hæreticus in Anglia suppressit & abolevit. Ex qua difficultate & perplexitate probationis fit, ut ab impetrante exacta probatio tonsuræ in Anglia ab originario suo Episcopo acceptæ postulari & exigi non debeat per testes aut instrumenta: sic quòd quælibet argumenta & indicia hic sufficere debeant; cùm alioqui etjam plerique, *Imol. Hostiensis, Ant. de Butrio, Panor. & alii in c. Inter quatuor De cler. peregr.* admittant in genere probationem primæ clericaturæ per argu-

menta

menta, & præsumptiones & probabilia indicia, concurrente honestâ conversatione, & integritate vitæ ipsius, qui se pro clerico gessit, *Nicol. Boer. decis. 171. n. 24.* ut sic in proposito facilè sufficere debeat quasi possessio ipsius clericaturæ, *Bald. in l. Eam quam n. 8. C. De fideicom.* Quinimò fortiùs dicimus, quòd cùm ulteriores ordines in his regionibus Impetranti collati sint cum causæ cognitione, & legitima investigatione, circa dicti Impetrantis clericaturam, accedente ipsius juratâ assertione, iisq; præcedentibus Impetrans in ulterioribus ordinibus constitutus & toleratus sit, standum est hujusmodi Episcopi judicio, *Bald. in d. l. Eam quam n. 8.* & omnimodò præsumenda hæc qualitas clericaturæ quamvis externa; quæ etsi regulariter non præsumatur, præsumitur tamen ratione probitatis, integritatis, ac prudentiæ hujusmodi actum exercentis; hoc est majores ordines conferentis: ut in hoc juris articulo specialiter tradit Innocentius, *in c. Nisi essent De præben.* & comprobat Panormitanus, *in c. 1. in fine De cler. pereg.* Cùm itaq; adhibitâ causæ cognitione majores ordines, præsuppositâ seu veriùs sufficienter probatâ antecedente clericaturâ, Impetranti sint collati, & causa clericaturæ sic semel sit approbata, ea convelli & in controversiam trahi non debet: quemadmodum semel probatâ causâ manumissionis, sive vera, sive falsa sit, non retractatur, *l. Iusta §. 1. D. De manumiss. vindicta, l. 3. C. Si adversus libertatem.* Atque ita manifestum sit ex defectu clericaturæ Impetranti in hac causâ nullum periculum imminere.

3 Vt nec imminet ex impedimento unionis, quæ Impetranti secundo loco obiicitur. Etsi enim virtute indulti nominationum acceptari non possint unita beneficia, quasi propriè non vacent, *c. Cum accessissent De constit. Fred. de Senis cons. 187. Cuius talis est, & 200. Quod permutatio*; id tamen restringendum est ad eas uniones, quæ legitimè factæ, plenum effectum sunt sortitæ, ante nominationem factam, *Pet. Rebuff. in tract. nominat. q. 15. n. 31.* Neque enim potest Episcopus aut alius unionem facere non tantùm non in præjudicium possessoris, sed nec in præjudicium illius, qui ex quacumque exspectativa, seu alia gratia Apostolica beneficium, quod Episcopus unit, exspectat; saltem non sic, ut effectum habeat in vita exspectantis, sed tantùm post ejus mortem aut privationem, *Rota decis. 253. alias ejus 5. nota quod beneficiū De reb. Eccles. non alien. in ant. q.* quia per nominationem est beneficiū affectum ipsi nominato, *Rebuff. d. q. 15. n. 31.* Quo non vocato & consentiente unio fieri non potuit; cùm unioni faciendæ tam ex jure communi, *c. Sicut unire De excess. prælat.* quàm ex decretis Concilii Trid. *Sess. 7. c. 6.* hæc præscripta sit forma, ut fieri non possit nisi vocatis his, quorū interest. Vnde etjam est, quod in confirmatione Bullæ nominationis apertè contineatur clausula, quòd per speciales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, & extinctiones dictis nominationibus præjudiciū fieri non possit.

4 Et quamvis unioni faciendæ impedimentum non perinde faciant generales reservationes, seu generalia mandata vel nominationes, *Gloss. in Clem. fin. De rescript.* si tamen in fraudem illorum fiat, unio effectum non sortietur, nec impedimentum faciet nominato; veluti si pendente nominatione, facta illius insinuatione, Episcopus imminente morte possessoris alicujus beneficii unionem faciat, *c. fin. De renunt. lib. 6.* vel etjam post illius vacationem, *Paul. Paris. cons. 114. Cum reservatio vol. 4.* Quia igitur Episcopus Atrebatensis post institutâ accusationem contra D. Toussanum P. hujus controversi canonicatus possessorem, ex delicto privationem beneficii importante, lite accusatoriâ seu inquisitionis jam ad finem inclinante, & sic imminente casu vacationis hujus beneficii, hanc unionem fecit, pro fraudulenta reputari debet, & sic adversus nominatum effectum sortiri non potest.

Quæ fraudis intentio ex eo etjam deprehenditur, quòd facta sit per Episcopum Atrebatensem, tunc extra suam diœcesim absentem & existentem Bruxellæ in diœcesi Mechlinienſi; unde etjam causatur dictæ unionis nullitas: nam quæ contentiosæ jurisdictionis sunt, hoc est quæ sine causæ cognitione expediri nequeunt (inter quæ est unio, *d. c. Sicut unire, Rebuff. in praxi benef. tit. De unione n. 44.*) si fiant per Episcopum in aliena diœcesi, nullius momenti sunt, *Gloss. in c. Novit & ibi Panor. De offic. legati, Franc. Marcus decis. delph. 413. parte 2.* usque adeò ut ne quidem in beneficio aliquem instituere aut confirmare posset extra suam diœcesim, *Panor. in d. c. Novit n. 5. Nic. Boer. decis. 30. n. 3.* Ex quo rursus constat hanc unionem sine causæ cognitione tentatam veriùs quam factam fuisse, ideoque iterum nulliter; ita ut etjam in tribunalibus sæcularibus sic factæ uniones pro abusivis & nullis habeantur, *Rebuff. d. tit. De unione n. 47.* Ex quibus rationibus, aliisque pluribus, quæ in scripturis partis Impetrantis per Advocatum causæ latiùs deducta sunt (quæ brevitatis studio, ut bene collata, non repetimus) existimamus ex prædicta unione D. Impetranti in hac causâ seu in hoc beneficio impedimentum nullum fieri posse. 5

Quod ipsum quoque satis constat ex judicio collatorum, ad quos cessante unione collatio hujus Canonicatus pertinebat, qui dictæ unioni tamquã inefficaci & nullę effectum nullum tribuentes, eundem Canonicatum tamquam ex depositione præfati D. Toussani vacantem, contulerunt hujus causæ Opponenti: nam si efficax fuisset unio, nulla quoque illius ex morte vel privatione præfati D. Toussani potuisset esse vacatio; * unio enim absorbet nomen beneficii, per suppressionem illius; ideoque ut nec esse, ita nec vacare, multo magis amplius conferri non posse dicitur, *c. Cum accessissent De constit. Fred. de Senis d. cons. 187. & d. cons. 200. Paul. Paris. cons. 30. In causa vertente n. 10. vol. 4.* Atque ita cùm ipsi collatores hunc Canonicatum pro unito non habuerint, sed unionem nuper factam pro invalida & nulla habentes, illum contulerint, & sic facultatem eâ vice conferendi, si nominatio Impetrantis non obstitisset, se habuisse apertè demonstraverint; consequens quoque est, ultimum statum beneficii tempore vacationis ex depositione dicti D. Toussani fuisse integrum & liberum; ideoque dicto Impetranti fuisse jus illud acceptandi ex dicto indulto nominationis, * quia in beneficiorum Ecclesiasticorum collationibus seu provisionibus, præsens seu ultimus illorum status attendi debet, ad hoc, ut percipiatur, an beneficia sint liberæ collationis, an non, *c. Cum De beneficio & ibi not. De præb. lib. 6.* 6 7

Baldus in l. Si mater & ibi gloss. C. Ne de statu defunctor. præsertim cùm agitur judicio possessorio de beneficiis, *c. Consultationibus & ibi DD. De iure patron.* in quo quæ altiorem indaginem requirunt ad judiciũ petitorium reiiciuntur, & judicandum est pro eo, pro quo sunt apparentiora jura, *DD. in l. fin. De edicto d. Adr. tollen.* prout in præsenti causa procul dubio sunt pro dicto Impetrante, jus & intẽtionem suam fundatã habente in clarissimo & usitatissimo Apostolico privilegio nominationũ Vniversitati Lovaniensi concesso, secundùm quod jam sæpissimè judicatum est in judiciis tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis.

De rebus Ecclesiæ alienan. vel non.

SVMMARIVM.

Ad unionem qui vocandi.

1. *Rescripto impetrato Impetrans uti non cogitur.*
2. *Consortium unus sine altero litẽ cœptã prosequi potest.*
3. *Mors absentiæ comparatur.*
4. *Vnio cùm sit non est vocandus nisi qui propinquum interesse habet.*
5. *Vnio non præiudicat ordinarii Iurisdictioni.*

CONSILIVM CCXCVIII.

NIHIL verendum est, ne vel nullitatis vel invaliditatis vitio inficiantur, quæ pro parte Illustrissimi ac Reverendiss. Archiepiscopi Cameracensis vel acta sunt, vel adhuc agentur virtute cõmissionis remissoriæ ex urbe Romana coram Reverendis & Eximiis Dominis Petro Boels & Ægidio Blocquerie per dictam commissionem executionis hujusmodi remissorię negotio deputatis Iudicibus, ac Commissariis, ob hoc solum, quòd Generalis Ordinis Cistercienſis ad dictæ remissoriæ executionem citatus non fuerit; imò nec adversus ipsum decreta sit suprattacta remissoria, sed solùm adversus Abbatem & Conventum Monasterii B. Mariæ Valcellensis. Nam in primis hoc in consideratione habendum, quòd quamvis ad instantiã tam Abbatis & Cõventus dicti Monasterii, quàm Generalis ejusdem Ordinis, pro suo, ac totius Ordinis interesse, tam conjunctim quàm divisim impetrata sit à S. D. N. Papa commissio seu delegatio hujus causæ super nullitate, invaliditate, & annullatione unionis dicti Monasterii pro parte Archiepiscopi impetratæ: prosecutio tamen litis ex parte agentiũ per solum Abbatem & Conventum, non etjam per Generalem Ordinis facta reperitur. Vsque adeò, ut virtute dictæ commissionis impetratæ primùm citatoriæ literæ contra dictum D. Archiepiscopum ad comparendum ad causam, impetratæ & decretæ tantum sint ad petitionem Abbatis & Conventus, ut & cæteræ in lite incidentes ac concurrentes citationes. Quinimò ipsa etjam commissio remissoria, quæ adversus D. Archiepiscopum impetrata est, Generalis dicti Ordinis mentionem nullam continet, sed tantùm petitionem & instantiam ipsius Abbatis & Conventus. Sic quod minimè inspiciendum sit, quid contineat causæ commissio, quoad personas Impetrantes, sed quæ sit conditio prosecutionis.

1 Neq; enim cogitur quis uti impetratâ commissione seu literis delegatoriis ab initio, si ab illarum prosecutione desistere velit, *c. Plerumq; contingit De resc.* neq; etjã adversus plures impetrato rescripto, cogitur eodem uti adversus omnes, *Gloss. in V. Quorũ in c. Cum in multis De resc. lib. 6.* Nec absurdum proinde, aut à jure alienũ est, si unus ex pluribus Impetrantibus commissionẽ seu Iudicem ex pœnitentia deserat, aut etjam in limine à prosecutione juris sui desistat; cùm invitus nemo agere aut institutã actionem prosequi teneatur, *l. 1. C. Vt nemo invitus agere &c.* Sic quod meritò dictus Generalis Ordinis non debeat reputari pars hujus judicii, cujus nomẽ in primo citatorio expressum non reperitur, *d. cap. Cum in multis in fine:* idque potissimùm ob id, ne fraudi & circumventioni locus relinquatur, ad captandam occasionem nullitatis, ex omissione unius aut alterius in singulis judicii actibus; quod jus non patitur. Sed etsi nomen aut mentio Generalis dicti Ordinis omissa in citatorio repetita aut expressa fuisset, libello in hac causa exhibito, aut etjam lis perinde cum Generali, ut cum Abbate aut Conventu contestata fuisset, (quæ non visis integris actis certò constituere non possumus) nihilo magis hìc periculum subesset nullitatis, ex omissa mentione dicti Generalis, aut ex prætermissa speciali persecutione, seu executione dictæ remissoriæ adversus illum: * ideo quòd satis sustineatur sic cœptum 2
& per cõtestationem inclusum adversus plures judicium, ulteriore prosecutione, ac continuatione unius aut alterius consortium ejusdem litis, *l. 2. C. De consortib. eiusdẽ litis*, quando plures consortes non diversis petitionibus aut libellis, sed uno libello, unaque petitione litem inchoaverunt, ac contestati sunt, *Felin. in c. Cum M. Ferrariensis n. 9. & ib. Decius n. 9. De const.* Videntur quippe hoc casu singuli partim proprio partim procuratorio nomine ulteriori litis persecutioni insistere, *arg. l. Planè D. Famil. erciſc.* & alter ab altero mandatum ulterius persequendi habere: quasi, ut inquit Paul. Castrensis, *in d. l. 2. C. De consor. eiusdem litis, & Ioan. Franc. Ripa in d. c. Cum M. Ferrariensis n. 55.* per litis contestationem singuli consortes litem contestantes censeantur ex æquo velle litem ad finem perduci; sibiq; imputare debeant, qui lite contestatã ad singulos reitantes judicii actus perinde diligentes non sunt. Vsqadeò ut reliqui consortes pro aliis etjam ignorantibus, vel absentibus litem ad finẽ perducere hic possint, ut omnibus, qui litem contestati sunt, sequentia acta obsint, & sententia lata noceat. Quod maximè procedit, quando lis, quæ pluribus communis est, versatur circa rem individuam: ut est in proposito casu unionis dicti Monasterii, in quo etjam ante litem contestatam uni consortium soli permittitur totius litis prosecutio; quamvis non cum pari juris effectu: quia licet sententia pro consorte lata alii consorti prosit; contra eum tamen lata alteri non nocet, nocet autem, si lite contestatã id fiat, *l. Titio in fine De cond. & demonst. l. Denuntiasse §. ult. cum l. seq. Ad leg. Iul. De adult. Castr. in d. l. 2.* De quo minus hìc dubitandum est, ex eo, quòd unus idemque & dicti Generalis & Abbatis ac Conventus fuerit ad hanc litem constitutus procurator.

Quod autem de absente consorte dicitur, de 3
eodem quoque mortuo accipiendum est; quia mors absentiæ species, *c. Si delegatus De offic. deleg. lib. 6.* Vt nihil in hac causa mutet interveniens mors dicti Generalis, ad hoc saltẽ, ut rectè procedi possit sine metu nullitatis adversus alios consortes adhuc superstites; ut illis statim noceant acta judicii, & sequens sententia sive principaliter, sive secundariò,

dariò, seu minùs principaliter causa superstites cõtingat; quia ipsis proprium factum nocere debet: potissimùm tunc, cùm spontaneâ voluntate & non omninò coacti consortes aliqui in lite pergunt; quemadmodum hîc contigit in impetratione remissoriæ, quam Abbas & Conventus, prætermisso Generali, & nullâ illius factâ mentione, adversus Archiepiscopum impetraverunt, & persequuti sunt. Ita quod sive iniquum, sive æquum jus sic impetraverint, idem adversus se statuere & pati debeant ex parte Domini Archiepiscopi in executione similis remissoriæ adversus ipsos tantùm impetratæ, *l.* 1. D. *Quod quisque juris &c.* Proinde diutiùs differenda non est dictæ remissoriæ executio, nec etjam propter vacantem dignitatem Generalis dicti Ordinis, aut omissam specialem impetrationem remissoriæ adversus eundẽ Generalem: quia omissio ista caussare non potest nullitatem actorum adversus Abbatem & Conventum, sed ad summum hoc tantùm, ne acta noceant Generali Ordinis, *l.* 1. *& ibi Bart. Bald. & alii* C. *De consort. eiusd. litis*, eo casu, ubi non adjunctâ ejus præsentiâ lis fuisset inchoata, non tamen per eum cõtestata. Quo respectu causam solo dicto Generali repetente, aut continuante, omnia quoque ex adverso integra futura essent D. Archiepiscopo, etjam quoad impetrationẽ novæ remissoriæ, productionem testium, & instrumentorum exhibitionem: præsertim eo respectu, quod idem Dominus Archiepiscopus Rei partes hac in re sustineat; eique ob id permittendum sit, quod Actori permittitur,
4 *c. Non licet De reg. jur. lib.* 6. * Quamvis Reverendissimo Domino Archiepiscopo hac in parte molestia ista repetendæ aut continuandæ alterius litis, aut continuandæ post decisam contra Abbatem & Conventum litem multùm metuenda sit, *d. c. Non licet*; tum quòd Abbatis verè & propriè non interfit hanc unionem vel resolvi, vel nullam declarari; cùm ex unione ei tantùm subtrahatur onerosa non lucrativa superioritas, consistens in visitatione & correctione, nominatione aut provisione dictæ Abbatiæ. Qui autem ratione interesse se unioni, præsertim illi, quam Papa facit, objicere, aut illam impedire vult, justum, considerabile, ac propinquum interesse habere debet, non remotum, per longas rerum consequentias, *DD. in c.* 1. *Ne sede vacant. Clm. Ne in agro* §. *ad hæc De statu monach. Rebuf. in praxi benef. parte* II *tit. de union. gloss.* 11. cùm alioqui etjam proponatur, non resolvi prorsus dictum Conventum, nec statũ aut disciplinã regularem per hanc unionem supprimi, sed illam in suo statu manere, & interesse visitationis minimè tolli, & sic casum interesse vi-
5 sitationis minimè hîc emergere. * Vnio enim per Papam vel Legatum facta non præjudicat Ordinario superiori in juribus visitationis, subjectionis, & aliis similibus, *c. Cum dilectus & ibi Gloss. De his quæ vi metusve causa, Gloss. in Clem. fin. De reb. eccles. non alien.* Sed etsi Generalis tamquam principalis interesset, nocere deberet illi adversus Abbatem & Conventum lata sententia; ideò quod ipse principaliter litem non egerit aut defenderit, sed suos subditos, Abbatem scilicet & Conventum, cùm ipsi priori jus agendi & defendendi cõpeteret, de jure Abbatis & Cõventus agere per-

miserit; & sic justa exceptione rei cõtra Abbatem & Conventum judicatæ etjam ipse Generalis Ordinis repelli possit, *l. Sæpe D. De re judic.*

De rebus Ecclesiæ alienan. vel non

SVMMARIVM.

Vnionis revocatio.

1. *Vnio etsi per Papam facta etiam per Episcopum revocari potest ex causa.*
2. *Vnionis faciendæ vel dissolvendæ causæ.*

CONSILIVM CCXCIX.

QVOD quæritur, an unio duarum Ecclesiarum parochialium vicinarum, quæ ultra hominum memoriam stetit, per Episcopum seu Ordinarium loci revocari & dismembrari possit, primo conspectu dubitationem habet, propterea quòd in Concilio Tridentino, *Sess. 7. c. 6.* restrictior potestas Episcopis permissa videatur circa perpetuas uniones, quæ ultra quadraginta annos steterunt. * Sed verius est, ex justa 1
ac legitima causa non tantùm per Papam, sed etjã per Episcopum revocari posse, non tantùm eam, quam ipse Episcopus, sed etjam quam ipse Papa fecit, *Petr. de Peruf. in tract. de revocat. union. cap.* 4. quia Papa uniendo non censetur sustulisse potestatem Ordinarii, *c.* 2. *De relig. domib. Frea. de Senis cons.* 263. *Præsupposito*, in beneficiis minimè exemptis, & sub ordinaria potestate consistentibus, *c. Authoritate De privil. lib.* 6. * Et hæc quidem si 2
dissolvendæ unionis justa est caussa: ut enim ex justis causis unio fieri potest; ita quoque dissolvi, *Ioan. Bapt. Vaccalup. in tract. De unionib. art.* 9. *Decius cons.* 233. & ut unionis constituendæ justa est causa calamitas belli, paupertas subditorum, defectus seu diminutio parochianorum, & in genere necessitatis ac utilitatis consideratio: ita quoque cessante paupertate, aucto populo, & postulante necessitate Ecclesiæ, revocari potest unio, *Clem. Ne in agro* §. *ad hæc De statu monac. c. Quia De relig. domib. c. ult. De parochi. c. Expositi si, c. Vacante De præbend.* Si itaque hujusmodi causæ concurrunt, difficulter poterit dictarum Ecclesiarũ unitarum modernus Rector huic revocationi & dismembrationi resistere, etjamsi ex vicinitate loci utrique Ecclesiæ cõmodè servire possit, & hactenus laudabiliter deservierit. Neque enim unionis perpetuæ cõstituendæ vel retinendæ causa ac ratio consistit in consideratione personæ Rectoris; quia illa temporalis, caduca, & variabilis est, sed in consideratione Ecclesiarum ac subditorũ, augmenti honoris divini, & evitandi scandali. Ita ut cùm præsumptio juris sit per plures singula, quàm per unum plura beneficia aut officia regi commodiùs & utilius posse, parum effectura sit benè idonea conditio moderni Pastoris; præsertim quia interest subditorum intra fines suæ parochiæ habere proprium Pastorem, ad quem postulante necessitate & potissimùm in rebus subitaneis ac moram non ferentibus recurri possit; quod fieri non potest stante unione, cùm duobus locis domicilium eodẽ tempore habere nequeat. Ita ut in proposito casu modernus Rector difficulter obtinebit, nisi doceat neq; necessitatem, neque utilitatem Ecclesiæ consistere in hac unionis revocatione; vel nisi demonstret, revocatâ unione fructus alterutrius Ecclesiæ non esse idoneos ad sustinendos singulos Rectores; quia hujusmodi causa

probabilis est, tam in constituendis & retinendis unionibus, quam impediendis dismembrationibus, *c. Ad audient. 1. De eccl. ædific. Iac. Phil. Port. cōs. 99. n. 27.*

De rebus Ecclesiæ alienand. vel non.

SVMMARIVM.

1. *Vnionis nullitas aut revocatio.*
   Vnio vel dismembratio consensum Rectoris uniti non requirit.
2. *Executioni quæ modum excedit contradici potest.*
3. *Dispositio quævis accipienda, rebus in eodem statu perdurantibus.*
4. *Privilegium ex nova caussa revocari potest.*
5. *Vnioni Apostolicæ nondum sortitæ effectum ex superveniente causa contradici potest.*
6. *Appellare & reclamare licet contra statutum quod ad iniquum tendit.*
7. *Clausula*, appellatione postposita, *quomodo accipiatur.*
8. *Appellationi quando renuntietur per ulteriorem comparitionem*
9. *Legatus Apostolicus causas appellationis mādare potest.*
10. *Aestimatio fructuum quomodo fieri debeat.*
11. *Vnio fieri nequit absque consensu patroni laici.*
12. *Vnionis dissolutio ex iusta caussa fieri potest.*

CONSILIVM CCC.

SI in eodem rerum statu abhuc in præsenti essent Præpositura & Conventus Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Vormeselensis, extra & prope muros civitatis Iprensis, illiusque bona & reditus, in quo erant tempore separationis, dismembrationis, applicationis, annexionis, & incorporationis bonorum, fructuū, redituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum à dicta Præpositura ad supplementū dotis mensæ Episcopalis Iprensis, & Archidiaconi Flandriæ in Ecclesia Iprensi, per Fel. Rec. Gregorii Papæ Decimi tertii Breve sub annulo piscatoris factarum & expeditarū, duriores certè difficilioresque essent dicti Conventus partes in faciendā oppositione seu contradictione adversus dictarum dismembrationis & incorporationis executionem, quam Reverendus Dominus Ioannes Carrius Archipresbyter dictæ Ecclesiæ Iprensis à Reverendissimo Domino Episcopo Brugensi uno ex dictarum dismembrationis & separationis datis Executoribus subdelegatus facere incœpit. Quippe plena & libera dispositionis potestas, quam Sedes Apostolica ex potestatis suæ plenitudine habet in & super omnibus Ecclesiis Ecclesiarumque bonis, *c. 2. De. præbend. lib. 6. Clem. 1. in fine Ne lite pendente &c.* & præcisa illius per dictum Breve declarata voluntas, dicto Conventui contradictionis facultatem præripiunt; adeoque etiam censurarum & pœnarum adversus contradictores & rebelles decreta comminatio, extremæ obedientiæ, & in omnibus parendi necessitatem eidem Conventui iniiciunt, & imperatæ seu permissæ executionis, sublato etiam appellationis remedio, potestatem liberrimam faciunt: quam dictæ Præposituræ in
1 præsenti vacatio nullo modo impedire potest; * cùm ad hujusmodi separationem & applicationem, præsertim auctoritate Sedis Apostolicæ factam, non sit necessarius consensus aut requisitio Prælati aut Rectoris, à cujus prælatura vel beneficio sit bonorum seu redituum hæc separatio, *Clem. 2. De reb. eccles. non alien.* satisque illi esse debeat, quod ei viventi illa non noceat, & effectum primùm eo cedente & decedente consequatur, *c. Consultationib. De donat. Glos. in V. vocatus in d. Clem. 2.*

Quam sublatæ contradictionis potestatem plurimùm intendunt, tum interventus & intercessio Regiæ Catholicæ Majestatis, ad cujus preces hæc dismembratio & incorporatio facta est; tum invocandi brachii sæcularis in hac executione permissa facultas; & denique prægnantes derogatoriæ clausulæ in dicto Brevi appositæ, quibus contradictionum, quamvis alioqui in suo genere justarum, præscinditur potestas. * Ita ut rebus sic in
2 eodem statu stantibus, Executoris seu subexecutoris potestas libero pede decurrere possit, sub ea sola cautione, ne in exequendo, hoc est separando & dismembrando, modus vel iniqua seu injusta bonorum æstimatione, vel ultra præscriptam summam in quantitatis applicatione excedatur: nulla enim nulliusque rei tam favorabilis est executio, quæ admittere non debeat contradictionem & appellationem, si executor exequendo modum, & præsertim terminos executioni præscriptos excedat, *c. Novit De appell. l. Ab executore & ibi Gloss. in V. non licet De appel.* Cæterùm rebus dictæ Præpositurae & Conventus, illiusque bonorum & reditum in successu temporum, præsertim post intervallum duodecim circiter annorum à data dicti Apostolici Brevis, usque ad hunc currentem an. 1588. (in quem incidit dictæ Præpositurae vacatio per mortem D. Matthæi Moorman) mirum in modum mutatis; sine justa offensione, & sine tanto periculo, justæ contradictionis, etjam ex verosimili mente & voluntate disponentis, utique potest esse ut occasio, ita quoque potestas. * Omnis
3 enim dispositio in omnibus hominum actionibus ita semper accipienda est, ut stet, perduret, & effectum consequatur ac retineat, quàm diu res, de qua agitur, in eodem statu perdurat & permanet, semperque ob id tacitè implicitam & involutam habet hanc conditionem seu clausulam, *rebus ita stantibus seu se ut prius habentibus, l. Continuus §. cum quis De verb. oblig. l. Quod servus D. De condict. caus. dat. l. Paulo Callimacho §. fin. D. De legat. 3.* Nam supervenientia novæ, & priùs tempore dispositionis non consideratæ aut verosimiliter non præcogitatæ causæ, ut rei, ita quoque dispositionis faciem immutat, & à dispositione recedere permittit, *Barbatia cons. 1. n. 72. & cons. 71. n. 38. vol. 3.*

Ideoque est, quòd ex nova superveniente causa etjam à Papa concessum privilegium revocetur, & ab eo tuto & licitè recedere liceat, *c. Suggestum De decim.* Atque ita omnis dispositio, quæ ab initio optimo vel aliquo jure valuit, si illa habet tractum in futurum, & in decursu temporis incipiat declinare ad iniquum cōpendium, debet restringi, limitari, circumcidi, imò etjam interdum penitus tolli, *l. Ex facto D. De vulg. & pupil. Phil. Decius cons. 335. Viso consilio n. 3.* saltem per recursum ad superiorem, *Marian. Socin. Nepos cons. 51. In causa & lite nu. 7. vol. 3.* Cujus rei usus & potestas proclivior est in rebus ad extremam perfectionem non perductis, sed adhuc in ipso fieri, seu ejus primis initiis stantibus; ut est beneficiorum seu bonorum Ecclesiasticorum dismembratio, unio, & incorporatio, quamdiu plenum effectum sortita non est: ut non sortitur,

quæ

quæ fit in futurum aliquem casum, ut plerumque in casum cessus vel decessus Prælati seu Rectoris beneficij tempore factæ unionis. Vsque adeò ut moriente Papa, qui illam concessit, ipsa unio ordinariè seu plerumque per successoris in Pontificatu regulas Cancellariæ revocari soleat facillimè, & permittentibus etjam decretis sacri Concilii Tridentini expugnari, *cap. 6. sess. 7. & cap. 9. sess. 25.*

Cùm igitur lectura dicti Appstolici Brevis apertè demonstret, hanc separationem & dismembrationem felici tempore factam esse, habitâ consideratione ad luculentum & feliciorem statum dictæ Præpositurae & bonorum ac redituum illius, valore illorum annuo ad duo millia & quingentos ducatos auri de camera secundùm communem æstimationem formaliter expresso; rei autem evidentia constet per hæc infelicis Belgii turbida tempora dictæ Præpositurae & Conventus non tantum bona, reditus, & proventus mirabiliter diminuta & deteriora facta, sed etjam ipsorum ædificia subversa & incendio absumpta esse, gravique ære alieno dictum Conventum gravari: juris & æquitatis ratio non tantùm patitur, sed etjam exigit, ut quod liberali & porrectâ manu ex consideratione tam amplarum facultatum dictæ Præpositurae detractum & mensæ Episcopali adjectum, seu veriùs destinatum est, contractiore manu à mensa Episcopali retrahatur, dictæque Præpositurae restituatur, seu potiùs integrum aut saltem ad majorem portionem relinquatur, *Decius d. cons. 335. in fine, Socin. d. cons. 51. nu. 7.* præsertim quod ita adæquatè dictæ Præpositurae detractâ medià parte bonorum, redituum, ac proventuum, quæ ad bis mille quingentos ducatos annuos amplius non pertingent (ad quam mediam partem collimat dictum Apostolicum Breve) quæ illi relinquetur media pars illorum, nullâ ratione sufficere poterit vel ad alendum solum Præpositum, multò minùs illius quoque Conventum; qui in præsenti pluribus constat personis. Ad quarum alimenta an sit satis exacta habita ratio in concessione dictæ dismembrationis & incorporationis probabiliter admodum dubitari posset; ex eo, quòd quamvis in illa hæc Præpositura obiter dicatur esse conventualis; separatio tamen & dismembratio hæc fiat specialiter & velut in individuo ab ipsa Præpositura, & Præpositurae ipsius fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & emolumentis, in surreptitiâ fortè & obreptitiâ narratione; vel expresso, quod solius Præpositurae reditus ad illum duorum millium & quingentorum ducatorum annuorum valorem pertingerent; vel subticito, quod tam Præpositurae, quàm Conventus annui reditus conjunctim non excederent. Qua in re ad difficiliùs vel faciliùs concedendum vel denegandum dictam dismembrationem, maximum consistit momentum & proclivis occasio inducendæ surreptionis & obreptionis, *Tanorm. & Felin. in c. Ad aures De rescript.* & Apostolicarum literarum nullitatis: potissimùm quia per regulas Cancellariæ Apostolicæ tam anxiè sit constitutum, ut in unionibus & unionum confirmationibus beneficii uniendi verus annuus valor exprimi debeat sub pœna nullitatis, *c. Super literis De rescr. Decius cons. 233. Viso n. 3.* Proinde cùm hæc ita se habeant, nullâ ratione improbari potest conatus Religiosorũ dicti Conventus, quod ad impediendum dicti subdelegati Executoris cœptam executionem confugerint, ad remedium appellationis seu provocationis ad Sedem Apostolicam dictæ dismembrationis & applicationis auctorem, *l. Ambitiosa D. De decret. ab ord. fac. Bald. in c. Ad nostram nu. 5. De appellat.* & supplicationis ad Regiam Majestatem pro obtinenda eadem dismembratione & incorporatione interessorem, & loci, quo dicta Præpositura sita est, Principem, *Steph. Betrand. cons. 138. Rem non novam vol. 3. p. 1.* Etjam eo dato & concesso, quòd ab initio nulla potuerit esse iniquitas vel nimia durities, surreptio, vel obreptio in impetratione & concessione ejusdem separationis & dismembrationis: nam superveniens causa, quæ rem ad iniquitatem aut iniquum compendium redigit, ut rei faciem alterat, ita quoque reclamationis, querelæ, & appellationis justam causam præbet.

Vnde est, quòd licet à statuto, quod ab initio iniquitatis nihil continet, non sit reclamandi, contradicendi, aut appellandi occasio vel potestas, ab eodem tamen appellare, illique reclamare liceat, si processu temporis incipiat iniquum esse, & inde iniquum aut intolerabile gravamen inferri, *Decius d. cons. 335. nu. 5.* Cujus promptior in proposito est potestas, quòd literæ Pacifici à Regia Majestate super hoc Brevi impetratæ apertè faciant significationem permissæ potestatis appellandi, sub hac sola restrictione, ut causa appellationis ex delegatione Apostolica committatur & cognoscatur intra fines Provinciarum dictæ suæ Majestatis. 6

Qua in parte facultatem appellandi non præripit clausula *appellatione postposita*, dicto Brevi inserta: illius enim clausulæ potestas ad frivolam & frustratoriam appellationem dumtaxat pertinet, & minimè ad justam seu probabilem, *c. Pastoralis De appel.* qualis proculdubio in proposito censeri debet hæc, de quâ hîc agitur, tam rationabiliter fundata in supervenientia novæ causæ ex tam evidente rerum mutatione. Quæ causa Amplissimum Concilium suæ Majestatis meritò etjam cõmovit, ut dicti Conventus querelis super hac re aures aperiret, & audito dicto subexecutore Clarissimo D. consiliario Veranneman, mandaret partes ad concordiam reducere, præsertim super obventione, perceptione, & emolumento bonorum dictæ Præpositurae in præsenti tempore. 7

Est itaque dicto Conventui duplex ad obviandũ huic sic inchoatæ executioni dicti Brevis aperta via: altera concordiæ & æquabilis alicujus transactionis per interessionem dicti D. Consiliarii; altera justitiæ & rigoris, per remedium dictæ appellationis jam interpositæ; à qua non censetur dictus Conventus recessisse per supplicationem dicto Regio Concilio exhibitam. * Etsi enim appellationi renuntiare censeatur, qui post illam interpositam iterum comparet coram Iudice, à quo appellavit, *c. Gratum De offic. & potest. iud. deleg.* non idem tamen facere censetur, si coram alio compareat; at nec si coram eodem, si modò comparendo faciat actum appellationi non contrarium, sed magis illi consentaneum, ad majorem evidentioremque sive sententiæ sive cœptæ executionis suspensionem & impediendum illius progressum, *c. Sollicitudinem De appellat.* Quò manifestè tendit prætacta supplicatio dicto Regio Concilio exhibita, & dicti Conventus aliquoties coram præfato subexecutore facta protestatio, *Gloss. in V. teneris in c. Si* 8

in c. Si à Iudice De appellat. lib. 6. coram quo D. Commissario omnia proponi & deduci poterunt, quæ quoquo modo eò tendunt, quòd hæc dismembratio, si ad præscriptam summã mille ducentorũ ducatorum fiat, admodum parum relictura erit ad dictæ Præposituræ & Conventus sustentationẽ, cum omnimoda illius ruina; quam nullâ ratione verosimile est S.D.N. Papam per hanc dismembrationẽ inducere voluisse: quia si id voluisset, non particulari aliquâ dismembratione & separatione aliquorũ bonorum usurus erat, sed omnimodâ dictorũ Præposituræ & Conventus suppressione, *Clem. 1. in fine De præb.* & extinctione per unionem incorporationemq; illorum ad dictam Episcopalem mensam, & Archidiaconatus incrementũ, *c. Sicut unire De excess. prælat. c. 2. De reb. Eccles. non alien. c. 1. Ne sede vacante.* Si hæc tentatæ concordiæ via successum non habuerit, salva manebit prosequendæ dictæ appellationis potestas; non quidem in Romana Curia coram Papa, sed coram aliquo alio Prælato in his partibus, etjam extra Iprensem diœcesim residente, per rescriptum Papæ ad illius cognitionem & definitionem impetrandæ, *c. Statutum §. cum verò vers. nisi ab Episcopo De resc. lib. 6.* hanc enim necessitatem iniiciunt dictæ literæ Placiti.

9 Et quoniam nunc in Oppido Lovanienſi præsens est Illustrissimus ac Reverendiss. Caletanus Nuncius Apostolicus cum potestate Legati de latere ad has partes à Sede Apostolica missus, & appellationes ad Sedem Apostolicam, etjam à Iudicibus delegatis interpositæ, possunt per talem Legatũ auctoritate Apostolicâ in partibus cognosci & terminari, aut aliis Iudicibus delegari, *c. 1. De offic. leg.* prout hujusmodi potestas plerumq; in mandatis seu facultatibus Nunciorũ Apostolicorũ inseritur, *Car. Ruin. cõs. 3. Circa illud v. 4.* cõmodissima est occasio & expeditissima via hanc appellationẽ vel corã sua Reverend. Gratia introducere; vel exhibitâ supplicatione ab eo impetrare rescriptum, quo hæc causa appellationis alicui Prælato in his partibus residenti cõmittatur: corã quo introductâ causâ exhiberi poterit libellus appellatorius, quo deducentur omnia indebita gravamina, quę per dictã dismembrationẽ & illius executionẽ dictę Prępositurę & Cõventui, quæ extra & præter S.D.N. Papę verosimilẽ saltem mentẽ inferuntur; veluti quod ad eandẽ præscriptã in dicto Brevi summã 1200. ducatorũ fiat dismẽbratio; & quod eâ detractâ tantundẽ Præposituræ & Cõventui ex residuis bonis non sit permansurũ, factâ speciali specificatione & deductione omnium & singulorũ bonorũ. * Cùm enim Papa reditus &
10 proventus dictę Prępositurę redegerit ad taxã seu valorem bis 2500. ducatorum annuorum; & inde dumtaxat 1200. & sic minus dimidiâ separari & dismembrari præceperit, manifestũ est suæ voluntatis indiciũ, quod plus aut saltẽ tantundẽ voluerit Prępositurę & Conventui superesse: ideo enim eorum valor certus exprimitur, ut pro illius modo gravamen imponatur, & ultra illũ proportionabiliter nõ excrescat, *Felin. in d. c. Ad aures, Hieron. Gigas De pens. q. 35.* Consultissimum autem, imò pro certiore hujus negotij directione necessariũ erit, à dicto subexecutore obtinere exemplũ æstimationis, & separationis per ipsum hactenus factarũ; ut inde certiùs deprehendi possit, quâ parte modũ fortè excesserit aut à scopo aberraverit; & an in illis faciendis debito modo onera tam ordinaria quàm extraordinaria dictorũ bonorũ antè deduxerit: sunt enim illa in primis & ante omnia deducenda, antequã constare possit, quid sit aut fuerit in dictę Prępositurę bonis; cùm in fructu propriè esse non censeatur, nisi quod deductis oneribus supersit, *l. Fructus Soluto matrim. l. Fundi Trebell. De usufr. legato, Felin. in d. c. Ad aures De rescript.* Ex cujus factæ æstimationis & taxationis forma seu modo facilè deprehendetur, cujus temporis & loci ratione habuerit hic subexecutor: plurimum enim refert, utrum factum sit, cùm alterum fieri non possit, alterũ omninò debeat, hoc est magis ad rationes temporis præsentis, quo hæc separatio ad effectum perducitur in negotio, quod ab initio consummatũ effectũ non habuit, sed in tempus mortis Prępositi tunc viventis rejectum fuit, *c. fin. & ibi DD. De conces. præben. l. b. 6. Oldrad. cons. 58. Quidam impetravit, Felin. in d. c. Ad aures nu. 17.*

Imò quòd amplius est, ad faciliùs Reverendiss. 11
Episcopũm Iprensem atque Archidiaconũ inducendum ad majoris moderationis admittendæ rationem, poterit contendi ad factæ hujus dismembrationis omnimodã nullitatem aut saltẽ ad illius revocationem seu dissolutionem, impetrato ad hoc etjam speciali Apostolico rescripto; idque ex eo, quòd non vocato aut requisito patrono laico hujus Præpositurę dismembratio impetrata sit, *c. Suggestum De iure patron. Io. And. post Archid. in c. 2. De præben. lib. 6. Decius cons. 148. Rever. pater n. 1.* si modò verum sit de jure patronatus laici illa esse; ad quod cõstituendum non sufficeret sola consideratio loci seu situs sub tẽporali jurisdictione D. Baronis de Male: hujusmodi enim superioritas quamvis sit ad protectionẽ sufficiens, non perinde tamen etjã ad constituendũ honorificũ jus patronatus Ecclesiasticũ, unde causatur jus præsentationis, *c. Nobis De iure patron.* quod non solet acquiri nisi ex fundatione, dotatione, aut concessione superioris Ecclesiastici.

Poterit quoq; ad hujus dissolutionis, aut saltem 12
majoris moderationis effectum allegari malus & infaustus dictæ Præpositurę exitus, si dicta dismẽbratio ita fiat, quòd per illam in dicto Conventu dissolvetur religio, tolletur hospitalitas, & eleemosynæ defraudabuntur; ob quas causas ab initio unio & dismembratio impediri, & ob illas supervenientes etjam ritè facta dissolvi debet, *c. 2. Ne sede vacante, Cardin. Zabarella cons. 96. Papa univit, Decius cons. 233. Viso tenore.* De quo in proposito minor erit dubitatio aut difficultas, ob id, quòd de mente S. D. N. Papæ constet, quòd hęc tria constare & perdurare voluerit; per hoc, quòd non per viam suppressionis hujus Prępositurę ac Conventus mensæ Episcopali & Archidiaconi providere voluerit; sed dumtaxat per modum dismembrationis & refectionis partis alicujus bonorum: quæ sanè aliter fieri non debet nisi per eum modum, quo Præposito & Conventui satis superfit, unde alia tria exhiberi & præstari possint. In progressu causæ ex diligentiore discussione plura inveniri & accumulari poterunt, pro vel omninò (quamvis difficiliùs) subvertendâ, vel ad justam moderationem reducendâ ac dismembratione & separatione, ex iis, quæ in non multum abſimili specie eleganter deduxerunt & suggerunt Card. Zabarella, *d. cons. 96.* & Phil. Decius, *d. cons. 233.* quos videre planè expedit.

FINIS.